MONVMENTA GERMANIAE HISTORICA

INDE AB ANNO CHRISTI QVINGENTESIMO
VSQVE AD ANNVM MILLESIMVM
ET QVINGENTESIMVM

AVSPICIIS
SOCIETATIS APERIENDIS FONTIBVS
RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

EDIDIT
GEORGIVS HEINRICVS PERTZ
SERENISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSIL. REGIM. INT. BIBLIOTHECAE REGIAE PRAEFECTVS.

SCRIPTORVM
TOMVS XI.

HANNOVERAE
IMPENSIS BIBLIOPOLII AVLICI HAHNIANI
MDCCCLIIII.

TOMO SCRIPTORUM UNDECIMO CONTINENTUR

SOCIETAS APERIENDIS FONTIBVS RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

SANCTVS
AMOR PATRIAE
DAT
ANIMVM.

FRANCOFVRTI A. M.
XIII. KAL. FEBR. MDCCCXIX.

Historiarum aevi Salici agmen ducunt Gesta archiepiscoporum Salisburgensium, ad complura quidem saecula pertinentia sed quae hoc potissimum loco sistimus, quod evolutis iam omnibus qui in res nostras vertendi erant codicibus, non solum libellum de conversione Bagoariorum et Carantanorum inter scriptores saeculi noni diu desideratum, sed vitas etiam posteriorum archiepiscoporum emendatas addere licebat. Sequuntur vitae virorum saeculo XI clarorum utriusque ordinis, Chuonradi II imperatoris, Stephani regis Ungariae, archiepiscoporum Bardonis Moguntini, Annonis Coloniensis, episcoporum Meinwerci Patherbrunnensis, Godehardi Hildenesheimensis, abbatum Richardi Virdunensis, Popponis Stabulensis, narrationes de fundatione monasterii Brunwilarensis, de

incendio Sancti Amandi, historiae monasterii Farfensis, nec non alia scripta ad res eius aevi perspiciendas utilia, quae ultimo loco Benzonis opus in laudem Heinrici IV imperatoris excipit. Quorum quidem librorum nonnulli prima iam vice in lucem prodeunt, alii optimorum codicum subsidio correcti et integritati restituti sistuntur, reliquis eius aevi fontibus tomo duodecimo sepositis.

Dabam Berolini in Bibliotheca Regia a. d. 14. Kal. Iulias a. 1854.

GESTA ARCHIEPISCOPORUM SALISBURGENSIUM.

EDIDIT D. W. WATTENBACH PH. D.

Hoc nomine comprehensa proponimus diversorum auctorum scripta, quibus res pontificum Iuvavensium inde ab ipsa sedis origine usque ad medium saeculum XII illustrantur. Agmen ducit pretiosa illa de adventu sancti Rudberti primi episcopi et de Bawarorum et Carantanorum conversione narratio, quae usque ad annum 871 *protenditur. Tristis post eam hiscit lacuna, Annalium quoque antiquorum maxima parte deperdita. Tenui tantum filo versus de serie archiepiscoporum nos deducunt ad magnum illum Gebehardum, qui condito monasterio Admuntensi memoriae suae providit. Et scriptorem quidem antiquiorem, qui etiam Thiemonis gesta rythmice executus est, hic prima vice proponimus; alteri adhaeret Chronicon Admuntense, cum rebus archiepiscoporum intimo nexu coniunctum. Sequitur Passio Thiemonis, quae postrema sui parte fabulosa, initio multa scitu digna continet. At hanc nobile scriptum excipit de vita Chunradi I archiepiscopi; vita deinde Eberhardi I non spernenda. Postremo loco posuimus quae post factam a.* 1181 *antiquorum tumulorum inventionem de rebus Virgilii, Hartwici, Eberhardi canonicus quidam Salisburgensis concinnavit, exigui quidem pretii, sed quibus addita magna miraculorum copia haud pauca ministret, quae ad locorum cognitionem et mores eius aevi illustrandos alicuius sunt momenti.*

DE CONVERSIONE BAGOARIORUM ET CARANTANORUM LIBELLUS.

Inter scriptores de rebus gestis archiepiscoporum Salisburgensium primum locum sibi iure vindicat relatio de prima huius sedis fundatione, et primorum praesulum rebus, scripta ab anonymo quodam clerico Salisburgensi ad defendendam dioecesis per erectum noviter Moraviensem archiepiscopatum imminutae integritatem, libellus summi pretii, unicus multarum rerum quae illa Germanorum et Slavorum confinia attingunt, fons. Scripsit vivente Adalwino archiepiscopo[1], *qui a.* 873 *Mai.* 14. *obiit*[2]; *elapsis post commissam Iuvavensibus*

1) c. 9. *Et adhuc ipse Adalwinus archiepiscopus per semetipsum regere studet illam gentem.* Quod si c. 12. Liuphrammi tanquam viventis mentionem facere videtur, alia res est, quum diplomatis cuiusdam verba ibi referat. 2) vid. Auctarium Garstense, SS. IX, 565.

Pannoniam h. e. post a. 796, 75 *annis*[3], *anno igitur* 871, *quarto post instauratam in Methodii gratiam dioecesem Pannoniae. Verum nec instaurationis huius per pontificem Romanum factae nec archiepiscopalis dignitatis Methodio ab eodem collatae auctor ullam fecit mentionem, Salisburgensium autem iura solis regum et imperatorum concessionibus tuetur, vix ullo pontificum Romanorum habito respectu, ut appareat eum haec regi, non Romanae sedi legenda destinasse. Neque vero effectu caruerunt, siquidem verum est quod testis haud levis*[4] *refert, Methodium coram rege ab episcopis Germaniae incusatum, in vincula fuisse coniectum: probabiliter sane, quum pulso Rastize tunc Zuendibaldus Germanorum imperio obnoxius esset, et hoc ipso anno* 871, *teste Analista Fuldensi, Zuendibaldus „apud Carlmannum infidelitatis crimine insimulatus" in custodiam mitteretur. Verum agente Romano pontifice Methodius postea dimissus est concessaque ei dioecesis Pannoniae, Carinthia autem Salisburgensibus restituta; anno enim* 874 *Dietmarus in orientali Carinthiae termino „ecclesiam ad Bettowe" consecravit*[5].

In concinnanda relatione sua auctor usus est schedis antiquis quae postea perierunt, chronicis et diplomatibus[6], *quibus adiecit ea quae per ora hominum tradita vel recenti memoria peracta ei innotuerunt. Sed honoris ecclesiae suae per omnia zelator, rerum per Bonifacium gestarum ne verbo quidem meminit. Vita sancti Rudberti quaedam antiquissima ei ad manus fuisse videtur, quam vel integram recepit, vel in compendium redegit. Certe quae praeterea de illo episcopatus fundatore scripta invenimus, omnia ex nostro derivata esse patet. Codices manuscripti Vindobonae in bibliotheca palatina servantur, quos omnes ibi in usum novae editionis converti,*

A 1) 596, *olim Hist. eccl.* 148. *mb. in q. saec. XI, quem descripsi in Annalium nostrorum Vol. X, p.* 459. *Folia sex priora, quae capita* 1—5 *cum parte sexti continebant, mature perierunt, et manu saec. XII, recentiori nomina scribendi ratione usa, suppleta sunt*[7]; *praeterea pars cap.* 11. *exciso folio periit. Codicem hunc ex antiquissimo quodam exemplari transcriptum arguit mendum c.* 11. *commissum ubi scriptum est* spatii rannorum *pro* spatiis annorum. *Unde patet in codice illo antiquissimo nec verba accurate fuisse distincta, et litteram* s *ita scriptam, ut commode cum* r *confundi posset. Huius igitur lectiones ceteris ubique fere praetuli, neque tantum in antiquiore eius parte; nam cod. B* 1. *qui proxime ad* 1 *accedit, etiam recentioris portionis lectiones consensu suo approbat, quum ex ipso hoc exemplari derivari non possit. Adsunt tamen et menda satis aperta, aliorum codicum lectione sananda. Apographum codicis* 1 *extat in cod.* 9782 *olim Rec.* 1495. *Schwandtn. II,* 375.

A 2) 1064 *olim Salisb.* 225 *saec. XII exeuntis (Archiv* X, 551). *Codex in fine mutilus novem tantum priora capita cum parte decimi servavit. Initia capitum rubro distincta sunt, quae in distinctione capitum quantum fieri potuit, observavi. Scripturae specimen et huius et sequentis codicis tabula exhibet.*

A 3) 546 *olim Salisb.* 414. *saec. XII exeunte pulcherrime et diligentissime scriptus (Arch.* X, 560). *Ex hoc codice desumpta esse videntur capita*

3) c. 14. Cf. Diss. meam „Ueber das Zeitalter des h. Rupert" in „Archiv f. Kunde Oestr. Geschichtsquellen" 1850. II, 3, p. 119 (V, 503).

4) auctor legendae Pannonicae quam vocant, de qua vide Annales Musei Bohemici 1846 p. 5. et quae a. 1849 Vindobonae edidi, Beiträge zur Gesch. d. christl. Kirche in Mähren und Böhmen p. 35.

5) Auct. Garst. SS. IX, 565. Ann. S. Rudb. Salisb. ibid. p. 770.

6) c. 10. *prout in chronicis imperatorum et regum Francorum et Bagoariorum scriptum repperimus.* Diplomatum excerpta dat cap. 11. 12. Hieronymi chronico usus esse videtur cap. 6.

7) Utriusque scripturae specimen damus in tabula.

Conversio Carantanorum.

1. C. Caes. Vindob. 506 hist. eccl. 148.

Manus antiquior.

qui remansit de hunis et sclauis in illis
partib; Arnoni iuuauensium epo usq;
ad psentia genitoris sui karoli impris;
P ost modu ergo anno dccc iii karolus
impr bagoariam intrauit & inmenso

N v car ... st

Manus recentior.

I tem anabephaleos d auaris. Antiquis eni
temporib ex meridiana parte danubii in pla

2. C. Caes. Vindob. 1004 Sal. 225 fol. 40'.

ri cuui in s uulsa fieri cessit. S imili m & arn epo successor
uirgilii sedis iuuauensis deinceps cura gessit pastorale. undiq;
ordinans pbros & mittens in sclauiniam. in partes uidelicet qrantanas atq; inferioris pannonie illis ducib atq; comitib sic pde

3. C. bibl. Caes. Vindob. 646. Sal. 414 fol. 6.

ecclam qua priuuina (pruuo) cu omi sup posito tradid do & s. Petr. atq; s. Rod
bto ppetuo. in usu fructuario iuris di salzbgensiu habendi. Postmm v
roganti priuuine misit lupranii archiepe magistros de salzbc. mu

Vita Gebehardi archiepiscopi.

1. Cod. Admunt. 497.

I ur et forma boni post hunc successit honori.
I ngens uir paulus Gebehart ingentior actis. (Anno xviii & ... ccc lxxxviii Ano)
N oticia eiusde archiepi GEBEHARDI.
N obilit natus fuit ex sueuis GEBEHARDUS.
L egatus pape fuit his in finibus ille.

2. C. Admunt. 475.

Phtold purensis abbas eligit. Idem ad scm petrum i salzpurch
electus admuntn abbie cessit. P roquo domn Chunradus
ibidem nutritus & professus unanimi uoto tocius congregationis
xvi. k. oct. eligitur. Qui possessiones ecclie augmentare studens. que inuenit
Hertzenbach.

Anno. d. m. cc. l. viii. Pq dns fridric. ibid nutrit. & pfessus
offcm sacriste gerens. canonica elecone substituit.

W. Wattenbach scripsit.

Mon. Germ. SS. T. XI. Tab. I. (ad pag. 2).

1—9 *saec. XVI scripta in fine voluminis primi librorum Camerae Salisburgensis, qui in Archivo Imperiali servantur.*

A 4) 483 *olim Hist. eccl.* 73. *saec. XII vel XIII satis mendose exaratus (Arch.* X, 455).

5 *A* 5) 434 *olim Salisb.* 79. *Ibi vita Chunradi I. archiepiscopi cum auctore nostro eadem saec. XIII exeuntis vel XIV manu scripta erat, sed plerisque foliis excisis folia tantum* 30 *et* 141 *supersunt quae a fine cap.* 5 *ad medium cap.* 8 *et a medio cap.* 11 *versus finem operis pertingunt. Codicem hunc l. l. p.* 548 *descriptum invenies una cum*

10 *A* 5[b]) 1524 *olim Salisb.* 76. *saec. XIV qui ex* 5 *derivatus esse videtur.*

Ex antiquioribus hisce usi sunt auctores Annalium saec. XII et vitarum Virgilii, Vitalis, Gebehardi. Editionem primus dedit Marquardus Freher a. 1602 *inter SS. Rer. Bohem. p.* 15—20 *ex codice* 4 *vel ex altero qui proxime ad hunc accederet. Hansizius deinde, usus codice* 4, *libellum in partes dissectum* 15 *inseruit Germaniae sacrae volumini II. Integrum rursus dedit V. D. Th. de Kleimayrn, in Appendice ad Iuvaviam p.* 7 *ss. codice* 2 *potissimum usus; partem maiorem inde a cap.* 3. *collatis reliquis codicibus iterum excudit Kopitarius in Prolegomenis ad Glagolitam Clozianum p. LXXII ss.*

B) At partem priorem, capita scilicet 9, *etiam in codice archivi Sancti* 20 *Petri Salisburgensis, lit. H, invenimus, praemissa „Brevibus Notitiis" de fundatione episcopatus, quas post Canisium Hansizius et Kleimayrn ediderunt, verbis proxime ad codicem A* 1 *accedentibus, sed aucta interpolationibus quibusdam ex Brevibus Notitiis et antiquis Annalibus ut videtur assumptis. Codex scriptus est saec. XIII exeunte, sed ex antiquiori exemplari manavit. Has* 25 *igitur additiones in ima pagina textui subiectas exhibemus, quum Canisius Lectionum Antt. VI,* 1139, *ed. Basnag. III,* 2, 340—344, *integrum opus ex cod. S. Petri ediderit. Hunc codicem presse sequitur*

B 2) *Lunaelacensis fol.* 186. *iam bibl. caes.* 3663. *saec. XV, quem Canisius expressit II,* 248, *ed. Basnag. III,* 2, 282; *capita scilicet duo priora,* 30 *adiectis quibusdam ex „Brevibus Notitiis" excerptis. His demptis vita eadem extat in codice bibl. regiae Monacensis S. Emm. E* 42 *saec. XII (Archiv VII,* 114) *editaque ex Canisio in Mabilionis Actis SS. O. S. B. III,* 1, 341. *Hinc excerpta sumpsit D. Bouquet III,* 632.

Posteri quibus simplex de sancto Rudberto relatio non sufficeret, vario 35 *modo eam exornaverunt; novi tamen nihil accessit nisi fabulae vel certe res solido fundamento destitutae et prorsus incertae. Prima quam noverim illa est quae in computatione de tempore sancti Rudberti allegatur; sequitur altera paullo ornatior quam Legendam Salisburgensem Hansizius vocavit; incipit* Hodierna festivitas. *Huic praeter sententias in Vitis Sanctorum usitatas insertae* 40 *sunt laciniae quaedam ex „Brevibus Notitiis" receptae. Saeculo XII orta, saepissime descripta esse videtur; codices habentur Monaci in bibl. regia Lat.* 332 *saec. XII; Lat.* 7592 *saec. XV*[8]; *Subensis et Garstensis in bibl. Lycei Linzensis, saec. XIII; Lunaelac. fol.* 186 *saec. XV in bibl. caesarea; extat praeterea in magna illa vitarum collectione Austriaca*[9]. *Usus est ea et fere totam* 45 *recepit monachus Kirsgartensis in Chronico Wormatiensi ap. Ludewig Rell. MSS. II,* 14. *Edita est in Additionibus ad Iacobi Ianuensis Legendam auream, Norimb.* 1478 *f. deinde a Canisio in Antt. Lectt. VI,* 1038 *et ed. Basn. III,*

8) Ibi prologus omissus est, ut et in cod. Univ. Prag. III G 5; Archiv X, 662. 9) v. Archiv VII, 120. X, 495. 612. 613. 648.

2, 356 *ex Actis canonisationis sancti Vitalis saec. XV; a D. Papebroch in Actis SS. Martii III*, 702 *ex Ms. Conventus S. Marci Fratrum Praedicatorum Florentiae, cum variis lectionibus et interpolationibus cod. Bodecensis; et mutato stilo a Surio II*, 412.

In codicibus cum hac vita non semel coniungitur alia rythmice scripta „Oriundus est — iugiter". *Archiv VI*, 170. 183. X, 612.

Vita Rosweydiana ex Ms. Rubeae vallis „Sanctus et religiosus confessor — sepulturae traditus est" *omisso prologo edita est in Actis SS. Martii III*, 704.

Denique Historia S. Rudberti recens et fabulosa „Sanctus Rudbertus sancte — prestolantur novissimam" *edita est a Canisio VI*, 1107 *ex codice S. Petri, repetita in ed. Basn. III*, 2, 319.

Haec igitur tanquam exigui momenti consulto omittimus[10]*; sed pretiosa illa antiquitatis monumenta, indiculum Arnonis dico et Breves Notitias, quum ratio operis nostri non admittat, cum ditissimo chartarum thesauro edendas viris doctis Austriacis relinquimus.*

*Itaque hoc loco genuinum tantum primi auctoris libellum exhibemus, cum additionibus codicis B; in fine addimus excerptum saec. fere XII factum et in codice A*4 *servatum, nec non computationes saec. XII de tempore sancti Rudberti conscriptas.*

INCIPIUNT QUAEDAM EXCEPTIONES DE VITA APOSTOLICI VIRI BEATI SCILICET HRODBERTI QUALITER AD REGIONEM PERVENIT BAGOARIAM.[a]

696. 1. Tempore igitur[b] Hildiberti regis Francorum[11], anno scilicet regni eius[c] secundo[d], honorabilis confessor Christi Hrodbertus[e] in Wormatia[f] civitate episcopus habebatur[12]; qui ex regali progenie Francorum ortus, catholicae fidei et euangelicae doctrinae totiusque[g] bonitatis nobilissimus refloruit doctor. Erat enim vir simplex, pius et prudens, in sermone verax, iustus in iudicio, providus in consilio, strennuus in actu, conspicuus in caritate, in universa morum honestate praeclarus. Ita innumerabiles ad eius sacratissimam convenerunt doctrinam, et ab eo aeternae salutis documenta susceperunt. Cumque fama sanctae conversationis[h] illius longe lateque crebresceret, pervenit ad noticiam cuiusdam ducis Bagoariae[i] regionis nomine Theoto[k], qui supradictum virum Dei[l] enixis[m] precibus prout potuit libentissime rogare studuit per missos[n] suos, ut hanc[o] provinciam visitando sacra inluminaret doctrina. Unde praedicator veritatis divino conpunctus amore assensum[p] praebuit. Primo suos dirigens legatos, postea vero ad Christi gregem lucrandum per semetipsum venire dignatus est. Hoc[q] audiens praefatus dux magno perfusus est gaudio, obviamque illi cum suis pergens, sanctum[r] virum euangelicumque doctorem cum omni honore et dignitate suscepit in Ratispona civitate. Quem vir Domini coepit de christiana conversatione admonere, et de fide catholica inbuere; ipsum[s] non multo[t] post et multos alios istius gentis no-

a) *haec inscriptio in solo cod.* 1. *reperitur.* b) *ita* 1. *et* B. illius 2. *deest rell.* c) *ita* 1. *et* B. illius *rell.* d) quinto 4. e) *ita scribitur in antiquiore parte cod.* 1. Rŏdb. Růdb. Rudb. *rell.* f) Wormacia 1. 4. g) totius 1. B. h) conversionis 5b. i) *ita constanter in parte antiquiore cod.* 1; *hoc loco scil. in recentiore supplemento* Baw. *cum* 4. 5b. bauuoarię 2. bauwarie 3. k) otto 1. theodo 3. dieto B. l) sub *inserunt* 3. 4. 5b. m) nixis 4. n) m. nuncios suos 3. 4. 5b. o) Noricam B. p) consensum 5b. q) hec 3. r) et sanctum 1. s) ipsumque 1. 3. 4. t) *deest* 3.

10) cum miraculis sanctae Erendrudis, editis a Canisio ed. Basn. III, 2, 331, unde recepta sunt in Act. SS. Sept. V, 582. et Act. SS. O. S. B. III, 1, 349. 11) scil. tertii. Argumenta quibus usus tempora hic disposui, explicavi in dissertatione supra iam commemorata: Ueber das Zeitalter des heil. Rupert. 12) Mirum est nullam eius in kalendariis vel breviariis Worm. memoriam inveniri. D. PAPEBR. in Actis SS. Martii III, p. 701. A. Sed Canonicus Kirsgartensis in Chron. Wormat. ap. Ludewig Rell. MSS. II, 15 ait: *Sed postea extinctis Arianis fideles apud nos memores sanctitatis eius magnae parochiam in honore eius circa ecclesiam beati Pauli erexerunt, quae usque hodie apud nos est.* Cf. Schannat Hist. Worm. p. 64.

biles atque ignobiles viros ad veram Christi fidem convertit, sacroque baptismate regeneravit, et in sancta corroboravit religione. Praefatus itaque dux sancto viro concessit licentiam locum aptum eligendi sibi et suis, ubicunque ei placeret in hac provincia* ecclesias Dei construere et cetera ad[a] ecclesiasticum habitaculum perficere. Tunc supradictus vir Domini accepta licentia per alveum Danubii usque ad fines Pannoniae inferioris spargendo semina vitae navigando iter arripuit; sicque tandem revertens ad Lauriacensem[b] pervenit civitatem, multosque ibi infirmos variis languoribus oppressos orando per virtutem Domini sanavit**. Deinde arrepto itinere pervenit ad quendam locum*** qui vocatur Walarium[13], ubi ecclesiam in honore sancti Petri principis apostolorum construxit et dedicavit. Praefatus itaque dux ibidem primitus ei in circuitu aliquas proprietatis possessiones tribuit; postea vero[c] ad noticiam venit sancto pontifici Hrodberto aliquem esse locum iuxta fluvium Ivarum[d] antiquo vocabulo Iuvavensem vocatum[e], ubi antiquis scilicet[f] temporibus multa fuerunt[g] mirabiliter constructa aedificia, et tunc paene dilapsa silvisque cooperta. Hoc audiens vir Domini propriis cupiens prospicere[h] oculis quid inde ipsius rei veritas haberet, propter fidelium animarum lucrum divina disponente gratia coepit Theodonem rogare[i] ducem, ut istius loci ei potestatem[k] tribueret ad extirpanda et purificanda[l] loca, et ecclesiasticum prout ei libitum foret ordinare† officium. Quod ipse dux consensit, tribuens[m] in longitudine et latitudine de territorio super duas leuvas[n] possessiones, ut inde faceret quod[o] ei placeret ad utilitatem istius sanctae[p] ecclesiae. Tunc vir Domini ista coepit renovare loca, primo Deo formosam aedificans ecclesiam, quam in honore sancti[q] Petri principis apostolorum dedicavit, ac demum claustra[r] cum ceteris habitaculis clericorum per omnia ordinabiliter construxit. Postea vero delegato sacerdotali officio omnem ibidem cottidie cursum congruo ordine fecit celebrari. Tunc praedictus doctor Hrodbertus cupiens aliquos adipisci socios ad doctrinam euangelicae veritatis, propriam repetivit patriam. Iterumque cum duodecim revertens discipulis, secumque virginem Christi nomine Erindrudam[s] adducens[14], quam in superiori castro Iuvavensium statuens, ibidemque[t] colligens congregationem sanctimonialium, et earum conversationem rationabiliter, sicut canonicus deposcit ordo, per omnia disposuit. Ipse quoque assidue totum spatium[u] istius circumiens patriae, confirmans animas christianorum admonensque in fide fortiter permanere, quod verbis docuit operibus adimplevit mirificis. Ubi[v] constructis consecratisque ecclesiis ordinatisque inferioribus et superioribus gradibus, proprium sibi ordinavit successorem. Ipse vero praesciens longe ante diem vocationis suae, confirmatis discipulis ad propriam remeavit sedem[15], ibique adstantibus admonitione divina peracta fratribus[w] inter verba orationis spiritum reddidit[x] in pace, die videlicet resurrectionis domini nostri Iesu Christi[16]. Ad cuius sepulchrum exuberant innumera[y] beneficia curationum cunctis fideliter petentibus usque in hodiernum diem per eum qui vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum amen.

2. *Sequitur dehinc catalogus episcoporum sive abbatum eiusdem Iuvavensis sedis, quam*

* ad episcopii sedem et *inserit* B.

** et verae fidei plures inibi sociavit. *addit* B.

*** lacum qui vocatur Walarium, ubi exit Vischaha de eodem lacu, ibique ecclesiam in honore sancti Petri principis apostolorum construxit et dedicavit. Hoc facto praefatus dux Theodo tradidit ad ipsam ecclesiam eundem locum et primitus ibidem in circuitu aliquas proprietatis possessiones ei tribuit. B.

† ordinaret officium et episcopii ibi sedem statueret. B.

a) opus *hic inserunt codices* A; *mox* habitacula *scribunt omnes, excepto* 1. *Ego codices* B. *secutus,* opus *olim superscriptum fuisse existimo, quo inusitatius scribendi genus corrigeretur; inde ut fit in verborum seriem venisse, mox, ut melius procederet oratio,* habitaculum *in* habitacula *mutatum.* b) lauoriac. 2. laureac. 5[b]. B. c) *deest* 3. d) *ita* 2. *et* B; *reliqui* uiarum. Ivaro *Tab. Peutingeriana.* e) uocant 5[b]. f) *deest* B. g) fuerant 5[b]. h) perspicere 2. 3. 5[b]. i) Th. ducem rogare ut 2. 3. 4. 5[b]. k) pot. ei tr. 1. ist. potestatem locum tr. B. l) ext. et *desunt* 1. purganda 5[b]. ad expurganda B. m) ei *addunt* 2. 3. 4. 5[b]. n) leiuas 3. leugas 4. 5[b]. B. o) quicquid 2. 3. 4. 5[b]. p) s. dei e. 2. 4. 5[b]. s. çccl. dei 3. q) sanctissimi 2. 3. 4. r) claustrum 2. 3. 4. 5[b]. s) erendr. 4. erndr. 5[b]. B. t) ibidem 4. u) *omisit* B 1; t. i. c. solum p. B 2. v) ubique, *corr.* ibique 2. ibique 3. 4. 5[b]. w) d. fr. peracta 2. 3. 4. 5[b]. x) or. reddit sp. in pace 2. y) innumerabilia 3. 4. 5[b].

13) nunc Seekirchen iuxta lacum Wallersee; vid. Hansiz. Germ. sacr. II, 42. 14) Neptis eius vocatur in Arnonis indiculo. 15) scil. Iuvaviam, non ut quidam opinati sunt, Wormatiam. 16) i. e. 6. Kalend. Apriles, quo die in vetusto ecclesiae Salisburgensis kalendario legimus: *Hierosolymis resurrectio Domini. Et depositio sancti Ruodberti episcopi.* Quod ineunte saeculo octavo accidisse satis constat, annus autem incertus manet.

euangelicus doctor Hrodbertus ab anno adventus eius de Wormatia in Bagoariam usque in die vocationis suae rexit. Anno nativitatis Domini DC. XC. III.[a] Igitur post excessum[b] beatissimi Hrodberti pontificis vir carus[c] omni populo egregiusque doctor et seminator verbi Dei Vitalis episcopus sedem Iuvavensem regendam suscepit[17]. Post cuius transitum Anzogolus extitit abbas. Post cuius depositionem[d] praedictae[e] sedi adhaesit Savolus[f] abbas. Cuius vitae finito cursu Ezius abbas successit. Quo migrante de saeculo, iterato illa sedes (739.) honorata refulsit episcopo Flobargiso[18]. Post quem Iohannes pastoralem gessit in sede praefata curam[19].

(743.) Hisdem[g] igitur temporibus scilicet Otilonis[h] ducis Bagoariorum[i] qui tunc[k] subiectus fuit regi Pippino Francorum[20], venit vir[l] quidam sapiens et bene doctus de Hibernia insula nomine Virgilius ad praedictum regem, in Francia[m] loco vocato Karisiaco. Qui propter Dei amorem retinuit eum secum fere duobus annis, et comperto eo bene docto misit eum prae- (745.) fato duci Otiloni[n], ac concessit ei episcopatum Salzburgensem[o]. Qui dissimulata[p] ordinatione[q] ferme duorum annorum spatiis[21], habuit secum[r] proprium episcopum comitantem de patria nomine[s] Dobdagrecum[22] ad persolvendum episcopale officium. Postea (767.) vero populis[t] petentibus et episcopis regionis illius consensit Virgilius consecrationem accipere, ordinatusque[u] est a conprovincialibus praesulibus ad episcopum, anno scilicet nativi- (Iun. 15.) tatis Domini septingentesimo sexagesimo septimo[v], sub die 17. Kalendas Iulii.

3. Hactenus[w] praenotatum est qualiter Bagoarii facti sunt christiani seu numerus episcoporum et abbatum conscriptus in sede Iuvavensi. Nunc adiciendum est qualiter Sclavi qui dicuntur Quarantani[x] et confines eorum[23] fide sancta instructi christianique effecti sunt, seu quomodo Huni[24] Romanos et Gothos atque Gepidos de inferiori Pannonia expulerunt et

a) *ita* 1. Catalogus ep. s. abb. eiusdem sedis Iuv. 2. *Desunt rell. Numerum anni qui adventum eius de Wormatia indicat, corrigas licet, ut sit* DC. XC. VI. *Sed incertum est, an non error sit auctoris secundum Hildeberti annum minus recte computantis.* b) discessum 2. 3. 4. 5b. c) clarus B. d) dispos. 4. e) predite 1. f) sanctus 5b. g) Isdem 1. Eisdem 4. *deest* 5b. h) otilionis 3. i) bagowar. *hoc loco* 2. 4. bawarie B. k) iam *inserunt* 2. 3. 4. 5b. l) quidam vir 2. 4. 5b. m) franciam 4. 5b. n) otilioni 3. o) rectore vacantem *addit* B 2. p) dissimulavit 2. 4. 5b. dissimulationem 3. q) ordinationem 2. 3. 4. 5b. r) habens p. e. secum c. 2. 3. 4. 5b. s) *deest* 5b. t) pet. pop. 2. 3. 4. 5b. u) ac ordinatus est 2. 3. 4. 5b. v) LX. VI. 5b. w) actenus 1. 4. x) karinthiani B.

17) Vitalis mortuus fuisse videtur, antequam Theodo dux a. 716. Romam proficisceretur. Sed mirum est, in antiquissimo codice S. Petri, lit. M signato, tam in ordine episcoporum et abbatum defunctorum, qui Virgilio terminatur, quam in catalogo qui in Hartwico desinit, Anzogolum Vitali anteponi. Putes (cum Hansizio) eum iam sub Rudberto abbatis secundarii ut ita dicam munere functum, Vitali superstitem deinde solum loci illius curam gessisse. Ceterum in Necrologio s. XI. exeuntis legimus: *XIII. Kalend. Nov. S. Vitalis Iuvavensis episcopus obiit.* Abbatum ne dies quidem emortuales novimus; nomina eorum in versibus de ordine comprovincialium episcoporum (Mabill. Anal. IV, 525. H. Pez SS. Rer. Austr. I, 8) omissa esse, notum est. Nec plura de Vitali compertum habuit qui saec. XIII. miracula post a. 1181 sepulcrum ipsius illustrantia conscripsit in cod. Sal. 11 (nunc bibl. caes. 339) edita ap. Canis. ed. Basn. III, 2, 358. 18) *II. Idus Febr. Flobrigisus Iuvavensis episcopus.* Kal. Sal. 19) Iohannes per Bonifacium institutus est, ordinata universa Bawariae ecclesia, cuius rei Noster ne verbo quidem meminit. Ecclesia autem Salisburgensis grato animo Bonifacium tanquam alterum fundatorem recolens, »obtulit matri suae Fuldensi ecclesiae in oppido suo Halla nuncupato domum et fontem salis«. Dronke, Traditiones Fuldenses p. 143 ex Eberhardi libro saec. XII. scripto. Iohannes obiit 4. Idus Iunii. 20) potius Karlomanno et Pippino maioribus domus, qui hoc ipso tempore profligatum bello Otilonem secum in Franciam duxerunt, teste libello donationum qui sub Brevium notitiarum inscriptione fertur. 21) Vetus error qui hinc in Annales manavit, Mon. SS. IX, 563. 572. 769. De temporibus Virgilii qui teste poeta saec. IX in Mabilionis Analectis IV, 527. ferme 40 annis sedi Salisburgensi praefuit, v. Hansizii Germ. sacr. II, 78 ss. F. W. Rettberg, Kirchengesch. Deutschlands II, 233. Obiit a. 784, 5. Kalend. Decembres. 22) Hic »monasterium virorum nomine Kieminseo« habuit, teste charta Karoli Magni in App. ad Iuvaviam p. 49 ubi Dodo grecus peregrinus appellatur. In sententia iudiciaria a. 804 ap. Meichelb. Hist. Frising. I, 2, 91. refertur »qualiter Tuti grecus advena episcopus Scottus ipsa parrochia et ecclesias iniuste et contra canonica institutione perprisisset«. Equidem hunc non gentis vel doctrinae gratia Graecum cognominatum, sed potius alteram nominis partem a posteris erronee ita interpretatam fuisse arbitror. 23) Ex iis quae sequuntur patebit, horum Carantanorum et confinium eorum nomine intelligi Slavos reliquos, qui e Norico releguntur per totam Pannoniam, exceptis hodierna Slavonia et Sirmio in dextra inferioris Dravi ripa, quippe tum Bulgarorum ditioni parentibus; exceptisque ex parte etiam Slavis Carniolanis qui Aquilegiensium patriarcharum opera fuerant conversi. Hic nonnisi Salisburgensium missionariorum res gestae enarrantur; idque eo fine ut ostendatur, iis iniuria tunc intrudi ab ipso summo pontifice Graecum Methodium. KOP. 24) i. e. Avares, de quibus v. cap. 6.

illam possederunt regionem, quousque[a] Franci ac[b] Bagoarii cum Quarantanis[c] continuis affligendo bellis eos[d] superaverunt. Eos autem qui obediebant fidei et[e] baptismum sunt consecuti, tributarios[f] fecerunt regum, et terram quam possident residui, adhuc pro tributo retinent regis usque in hodiernum diem.

4. *Nunc recapitulandum est de Quarantanis*[g]. Temporibus gloriosi regis Francorum Dagoberti Samo nomine quidam Sclavus manens in Quarantanis fuit dux gentis illius. Qui venientes negotiatores Dagoberti regis[h] interficere iussit et regia[i] expoliavit pecunia. Quod dum conperit[k] Dagobertus rex, misit exercitum suum, et damnum quod ei idem Samo fecit[l] vindicare iussit. Sicuti[m] fecerunt qui ab eo[n] missi sunt et regis servitio subdiderunt illos[o. 25]. Non multo post tempore coeperunt Huni eosdem Quarantanos[p] hostili seditione graviter affligere. Fuitque tunc[q] dux eorum Boruth nomine[r] qui Hunorum exercitum contra eos iturum Bagoariis nunciari fecit rogavitque[s] eos sibi in auxilium venire. Illi quoque festinando[t] venientes expugnaverunt Hunos et obfirmaverunt Quarantanos[u], servitutique eos regum subiecerunt, similiterque confines eorum. Duxeruntque inde secum obsides in Bagoariam. Inter quos erat filius Boruth[v] nomine Cacatius[w], quem pater eius more christiano nutrire rogavit et christianum facere; sicut et factum est. Et de Cheitmaro[x. 26] filio fratris sui similiter postulavit. Mortuo autem Boruth, per iussionem Francorum Bagoarii Cacatium iam christianum factum petentibus eisdem Sclavis remiserunt, et illi eum ducem[y] fecerunt. Sed ille postea tertio[z] anno defunctus est. Iterum autem permissione[*] domni Pippini regis ipsis populis petentibus redditus est[a] eis Cheitmar[b] christianus[c] factus. Cui etiam Lupo presbyter ordinatus de Iuvavense sede in insulam Chemingi lacus[d], quae et Auua vocatur[27], dedit ei[e] nepotem suum nomine Maioranum ad presbyterum iam ordinatum. Et* quia conpater eius erat idem Lupo presbyter docuit eum ut[f] ad Iuvavense monasterium se[g] devota mente ad[f] christianitatis officium subdidisset. Quem suscipientes idem populi ducatum illi dederunt. Ille vero secum habens Maioranum presbyterum in Iuvavensi monasterio ordinatum ad[h] presbyterum[i]. Qui admonuit eum ad ipsum monasterium suum caput declinare[k] in servitium Dei. Et ille ita fecit[l], ac promisit se ad ipsam sedem serviturum. Sicut et fecit atque annis singulis ibidem suum servitium persolvebat, et inde semper doctrinam et officium christianitatis percepit usque dum vixit.

5. Peractis aliquantis temporibus praenominatus dux Carantanorum petiit Virgilium[m] episcopum visitare populum gentis illius, eosque in fide firmiter confortare. Quod ille tunc minime adinplere[n] valuit, sed sua vice misso suo episcopo nomine Modesto ad docendam illam plebem, et cum eo Wattonem[o], Reginbertum, Cozharium[p] atque Latinum presbyteros suos, et Ekihardum[q] diaconum[r] cum aliis clericis, dans[s] ei[t] licentiam ecclesias consecrare et[u] clericos ordinare iuxta canonum diffinitionem, nihilque sibi usurpare quod decretis sanctorum patrum contrairet. Qui venientes Carantanis[v] dedicaverunt ibi ecclesiam

* Quia conpater eius erat isdem Lupo presbiter. Suggerente vero Maiorano presbitero qui a sancto Virgilio in Iuvavensi monasterio manus inpositionem acceperat, quem secum propter doctrinam christianae religionis detinuit, ad Iuvavense monasterium specialiter caput suum in servitium Dei declinavit, singulis annis quo dum vixit in signum subiectionis suae aliquod obsequium illuc persolvendo. Peractis autem aliquantis B.

a) quoadusque 2. 3. 4. 5^b. b) et 2. 3. 4. 5^b. c) karinthianis B. d) *deest* 2. 3. 4. 5^b. e) *deest* 4. 5^b. f) tributariosque r. f. 4. g) karinthianis B. h) *deest* 2. i) regina 4. regiam 5^b. k) conperti 4. l) fecerat 4. m) sicque 2. 3. 4. 5^b. n) illuc *inserunt* 2. 4. missi sunt *desunt* 1. o) sclavos B. p) karinthianos B. q) *deest* 3. r) nom. bor. 2. 3. 4. 5^b. s) eosque rogavit 2. 3. 4. 5^b. t) festini 4. u) karinthianos B. v) buruth 4. w) cacatus 1. Carastus *vocatur in vita Virgilii.* x) cheitumaro 2. 3. chettumaro 4. chetumaro 5^b. y) sibi *inserunt* 2. 3. z) tertio postea 2. 3. 4. 5^b. *) per missionem 1. 4. Iterum per domni 5^b. a) *deest* 1. b) cheitumarus 2. 3. chettumarus 4. chetumarus 5^b. c) chr. est factus est 1. d) lacis 1. 3. laci 5^b. e) *deest* 4. f) *deest* 5^b. g) *deest* 4. h) *deest* 2. 3. 4. 5^b. i) *deest* 5^b. k) *deest* 1. l) et i. i. prom. et fecit atque annis sing. 1. m) sanctum Virg. B. n) inplere B. o) watonem 2. 3. 4. 5^b. p) cozarium 1. cozzarium 4. gozarium B. q) eckihardum 2. kihardum 4. ekkeh. 5^b. r) suum *add.* 1. s) dansque B. t) eis 5^b. u) *deest* 1. *et* B. v) carentanis 1.

25) Haec minus accurate narrata esse, collato Fredegarii chronico patet. Dagoberti copias Samo apud Wogastisburc profligavit (Fred. c. 68); sed hac parte Langobardi et Alamanni copias ipsius vicerunt. Postea Slavos Carantanos liberos sub ducibus suae gentis vixisse, auctor ipse indicat, sed non multo post facta esse ait quae plus centum annis post evenerunt. 26) Verum nomen putes Chotimir, id est pacis amans. KOP. 27) ubi postea monasterium Chiemsee constructum est.

sanctae Mariae[a. 28], et[b] aliam in Liburnia[c] civitate[29], seu[d] ad Undrimas[30], et in aliis quam plurimis locis. Ibique[e] permansit usque ad vitae suae finem. Eo igitur defuncto episcopo, postulavit iterum idem Cheitmar[f] dux Virgilium episcopum, si fieri posset[g] ut ad se veniret. Quod ille rennuit orta seditione quod[h] carmula dicimus. Sed inito consilio misit ibidem[i] Latinum presbyterum, et non multo post orta alia seditione exivit inde ipse[k] Latinus presbyter. Sedata[l] autem carmula misit iterum Virgilius episcopus ibidem[m] Madalhohum[n] presbyterum, et post eum Warmannum presbyterum. Mortuo autem Cheitmaro[o] et orta[p] seditione aliquot annis nullus presbyter ibi erat, usque dum Waltunc[q] dux eorum misit iterum ad Virgilium episcopum, et* petiit ibidem[r] presbyteros mittere. Qui tunc misit eis Heimonem presbyterum[s] et Reginbaldum[t] presbyterum atque Maioranum diaconum cum aliis clericis. Et non multo[u] post misit iterum ibidem[v] eundem Heimonem et Dupliterum[w] ac Maioranum[x] presbyteros et[y] alios clericos cum eis. Iterumque misit eis Gozharium[z] presbyterum, Maioranum et Erchanbertum[*]. Post eos Reginbaldum[a] et Reginharium[b] presby-

* et intente postulavit ut ad confortandam in fide praedictam terram aliquos destinaret presbiteros. Petitioni igitur memorati ducis, incremento etiam sanctae ecclesiae consulens misit Heimonem et Reginbaldum presbiteros atque Maioranum diaconum cum aliis clericis, viris utique religiosis et honestae conversationis. Et non multo post misit iterum ibidem Heimonem et Reginbaldum presbiteros aliosque clericos cum eis. Iterum misit eis Gozarium, Maioranum, Erchenbertum presbiteros. Post eos Reginbaldum et Reinhardum et Augustinum presbiteros, itemque alium Reinhardum et Guntharium. Anno autem incarnationis Domini 767 Virgilius coepit aedificare ecclesiam mirae magnitudinis apud Salzpurch, indictione septima[31]. Anno incarnationis Domini 773.[32] dedicata est primo ecclesia sancti Rudberti a sancto Virgilio episcopo, anno 26. regni Thassilonis ducis. Eodem anno transtulit idem episcopus sanctum Rudbertum et duos eius capellanos beatum Kunialdum atque Gisilarium. B.

a) insolio *add.* 4. s. Dei genitricis M. B. b) et — Undrimas *desunt* 5b. c) liburna 1. d) sue 4. e) modestus episcopus *inserit* B. f) cheitumarus 2. 3. chettumarus 4. cherumarus 5b. g) potuisset 1. h) quam B. i) dimisit ibi B. k) *deest* B. l) Ea vero sedata m. B. m) *deest* B. n) mandalh. 3. madelohum et p. e. w. presbiteros B. o) cheitumaro 2. 3. chettumaro 4. chetumaro 5b. keitimoro B. p) tercia *addit* B. q) waltunch 2. walttinch 4. walthnuch 5b. r) *deest* 3. s) *deest* 1. t) reinb. 5b. u) *hic incipit* 5. v) illuc 1. ibi 5b. w) dupliterium 1. duplicerum 5. 5b. x) m. et ekebertum post eos. Reinbaldum 5. 5b. y) *deest* 1. z) gozarium 1. *) erchenbertum 1. 4. a) reginhaldum 1. reinh. 5., 5b. b) regenhardum 4.

28) De civitate Carentana et campo Zollfeld egit Zeuss, Die Deutschen und ihre Nachbarstämme p. 617. n. In ecclesia S. Mariae in Solio (Maria-Saal) sepulchrum Modesti episcopi ostenditur, v. Eichhorn, Beiträge zur Gesch. v. Kärnthen I, 113. 141. 29) cuius nomen manere videtur in campo Lurnfeld, ubi nunc Spital situm est, in Karinthia superiore. Iuvavia p. 27. Append. p. 11. 30) Nomen vallis inter S. Vitum et S. Mariam in Solio sitae; v. Iuvav. App. p. 12. Eichhorn, Beitr. II, 95. 31) Haec vel ex hoc loco vel ex eodem fonte unde Noster hausit, etiam in Auctarium Garstense et Annales S. Rudberti venerunt. Sed anno 767 indictio erat quinta; quare ecclesiam indictione septima (754?) aedificari coeptam, verba autem illa cum anno quo Virgilius ordinatus est perperam coniuncta fuisse existimo. 32) Ita pro *DCCLXX* correxit manus recentior, consentientibus codicibus Vitae S. Virgilii. Annus 773 est annus 26us Thassilonis, die scil. 8. Kal. Oct. quo translatio facta esse fertur. Ceteri Annales haec ad annum sequentem differunt. Verba vetusti Kalendarii Salisb. cod. Sal. 311 de translatione illa dedimus SS. IX, 774 n. Hic subiungimus alium locum ex alio quodam satis recenti Kalendario sumptum, quo »Breves Notitiae« terminantur, collato cod. Lunaelac. f. 186, ex quo Canisius Ant. Lect. II, 252 (ed. novae III, 2, 284) haec edidit: *De translatione sancti Rudberti episcopi. Octavo Kalendas Octobris translatio sancti Rudperti episcopi, que facta est ab episcopo Virgilio, qui fuit octavus ab illo, cum quo transtulit et duos presbyteros eius sanctum Chunialdum et Gisilarium, quorum festivitas, quia nullo alio die in anno habetur, eodem die nominatim in ipsa ad quam translati sunt ecclesia statutum est celebrari. Quorum translatio postea* (hic 1 inepte inserit verba: *eodem die renovata est*) *eodem die post ruinam et* (*incendium* excidisse videtur) *reconsecrata* (*consecrata* 1) *ecclesia mutatis altaribus a beato et sanctissimo Hartwigo 22° episcopo, 12° archiepiscopo iterata est, eorumque corpora tunc posita sunt ad corpus sui quondam* (et hic verbum excidit) *et conpatriote sancti patris Rudberti; cuius translationis dies eo ipso die id est octavo Kalendas Octobris per totum episcopatum illud Salzburgense statutus est celebrari. Que dies officiis dedicationis ecclesie in qua corpus iacet tantum est occupata, ut huic celebrationi eius plene nequeat deservire, et dies transitus eius 6. Kalendas Aprilis die resurrectionis dominice propter officia quadragesime vel ipsius pasche raro sic ut dignum est contingit* (*contigit* 1) *celebrari. Ideo postera dies id est 7. Kalend. Oct. illi consuetudinaliter inofficiatur atque vacatur, set intra urbem illam tantum. Ex qua consuetudine translationem eius quidam cause ignari in diem eundem transscripserunt, sicut in quibusdam martyrologiis habetur. Et etiam congruum ac religiosum est ut quicquid alia observatio illius celebrationis diebus dormitionis illius ob reverentiam quadragesimalis officii vel paschalis observantiam gaudii ademit, qui auctor sedis et apostolus extitit regionis, hoc saltem in domo requiei sue illa assumpta die translationis suppleatur.*

teros. Ac deinde[a] Maioranum et Augustinum presbyteros. Iterumque Reginbaldum[b] et Gundharium[c]. Et hoc sub Virgilio factum est episcopo.

6. *Item anazephaleos*[d] *de Avaris*[e]. Antiquis enim[f] temporibus ex meridiana parte Danubii in plagis Pannoniae inferioris et circa confines regiones[g] Romani possederunt, ipsique ibi civitates[h] et munitiones ad defensionem sui fecerunt, aliaque aedificia multa, sicut adhuc apparet. Qui etiam Gothos et Gepidos suae ditioni subdiderunt. Sed post annos nativitatis[i] Domini 377 et amplius Huni ex sedibus suis in aquilonari[k] parte Danubii[l] in desertis locis habitantes, transfretantes Danubium expulerunt Romanos et Gothos atque Gepidos. De Gepidis autem quidam adhuc ibi resident. Tunc vero Sclavi post Hunos inde expulsos venientes coeperunt istis[m] partibus Danubii diversas regiones habitare. Sed nunc qualiter Huni inde expulsi sunt, et Sclavi inhabitare coeperunt, et illa pars Pannoniae ad diocesim Iuvavensem conversa est, edicendum putamus.

Igitur Carolus imperator anno nativitatis Domini 796[n] Aericum[o] comitem destinavit, et cum eo inmensam multitudinem, Hunos exterminare[31]. Qui minime resistentes reddiderunt se per praefatum comitem Carolo imperatori. Eodem igitur anno misit Carolus[p] Pippinum filium suum in Hunia[q] cum exercitu multo[r]; qui perveniens[s] usque ad celebrem[t] eorum locum qui dicitur Rinch, ubi iterum omnes eorum principes se reddiderunt[u] Pippino. Qui inde revertens partem Pannoniae circa lacum Pelissa inferioris, ultra[32] fluvium qui dicitur Hrapa[v], et sic usque ad Dravum fluvium et eo usque ubi[w] Dravus[x] fluit in Danubium, prout potestatem habuit, praenominavit cum doctrina et ecclesiastico officio procurare populum qui remansit de Hunis et Sclavis in illis partibus, Arnoni Iuvavensium episcopo usque ad praesentiam genitoris sui Karoli imperatoris. Postmodum ergo anno 803 Karolus imperator Bagoariam intravit et in mense Octobrio Salzburc[y] venit[33], et praefatam concessionem filii sui iterans potestative multis adstantibus suis fidelibus[z] adfirmavit et in aevum inconvulsam fieri concessit.

7. Simili[*] modo etiam Arn[a] episcopus successor Virgilii[34] sedis Iuvavensis deinceps curam gessit pastoralem, undique ordinans presbyteros et mittens in Sclaviniam[b], in partes videlicet Quarantanas[c] atque inferioris Pannoniae illis ducibus atque comitibus, sicut pridem Virgilius fecit. Quorum[35] unus Ingo vocabatur, multum carus populis et amabilis propter suam prudentiam. Cui tam obediens fuit omnis populus ut si cuique[d] vel carta sine litteris ab illo[e] directa fuit, nullus ausus est suum neglegere praeceptum. Qui[f] etiam mirabiliter fecit.

Vere[g] servos credentes secum vocavit ad mensam, et qui[h] eorum dominabantur infideles, foris quasi canes sedere fecit, ponendo ante illos panem et carnem[i] et fusca vasa cum vino, ut sic sumerent victus. Servis autem staupis[36] deauratis propinare iussit. Tunc interrogantes primi deforis dixerunt: *Cur facis nobis sic?* At ille: *Non estis digni, non ablutis corporibus, cum sacro fonte renatis communicare; sed foris domum ut canes sumere victus.* Hoc facto fide sancta instructi certatim cucurrerunt baptizari. Et sic deinceps religio christiana succrescit[k].

8. Interim contigit anno videlicet nativitatis Domini 798[l], Arnonem iam archiepiscopum a Leone papa accepto pallio[37] remeando de Roma venisse ultra Padum eique obviasse

a) inde 3. b) regenb. 4. reinb. 5. 5b. c) guntarium 1. gunth. 3. 4. d) *ita codd. pro* anacephalaeosis. e) *desunt* 3. 4. 5. 5b. B. f) autem 5. 5b. g) regionis 5. 5b. h) civitatem et munitionem B. i) *hic inc. pars antiquior cod.* 1. k) *ita* B. aquiloni 1. 2. 3. aquilonis 4. 5. 5b. l) et *add.* 4. m) istis — coeperunt *desunt* 5. 5b. n) dcc.xxvii. 5. 5b. o) æiricum 3. p) k. imperator p. 5. q) huniam 4. 5. 5b. r) magno 5. 5b. s) pervenientes 2 *ex corr.* 3. 4. 5. 5b. t) celebre 1. u) dederunt B. v) rapa 4. *et* B. chrapa 5. 5b. w) *deest* 1. B. x) drauvus 1. y) salzburch 2. 3. 4. 5. salzpurch 5b. z) fidelibus suis 2. 3. 4. 5. *) etiam *add.* 4. a) arn 2. 3. 4. b) sclauoniam 5. 5b. c) car. 4. 5. 5b. d) cuiquam 2. e) eo 2. f) Qui — fecit *desunt* 4. 5. 5b. quod B. g) ore 4. h) quos 1. eos qui eis d. B. i) carnes 2. 3. 4. 5. 5b. k) succreuit 2. 3. 4. creuit 5. 5b. l) dccxxviii. 5. 5b.

31) Cf. Annales Einhardi h. a. et Leibnitii Annales Imperii I, 188. 32) Nota *ultra* fluvium Hrapa. Ergo et hinc liquet, perperam lacum Pelissa haberi a quibusdam pro recentius nato Neusiedlersee. Auctor noster Blatensem intelligit. KOP. Adde Schafarikium, Antt. Slav. I, 11. § 9. 33) Cf. Ann. Iuvav. mai. SS. I, 87. Ann. S. Emm. mai. I, 93. Auctarium Garst. SS. IX, 564. 34) Virgilius obiit 784 Nov. 27, ubi in Necrologio scriptum est: *Virgilius episcopus Iuvavensis Scottigena.* Bertricum ab aliis interpositum nec hic agnoscit nec ipse Arn, qui se successorem Virgilii dicit in diplomate Mon. Boic. XIV, 351. 35) scil. ducum, si Ioh. Victor. credimus II, 7 ubi eandem historiolam proponit. 36) i. e. poculis. 37) Epistola Leonis qua pallium Arnoni confertur, data est 12. Kal. Mai. hoc ipso anno, edita in App. ad Iuvav. p. 53. Cf. Ann. Iuvav. mai. SS. I, 87.

missum Caroli cum epistola sua, mandans illi ipso itinere in partes Sclavorum ire et exquirere voluntatem populi illius et praedicare ibi verbum Dei. Sed quia hoc facere nequivit antequam responsum referret suae legationis, festine perrexit ad imperatorem, et retulit ei quicquid per[a] eum domnus Leo papa mandavit. Post expletam legationem ipse[b] imperator praecepit Arnoni archiepiscopo pergere in partes Sclavorum[c] et providere[d] omnem illam regionem et[e] ecclesiasticum officium more episcopali colere, populosque in fide et christianitate praedicando confortare[38]. Sicuti ille[f] fecit illuc veniendo, consecravit ecclesias, ordinavit presbyteros, populumque praedicando docuit. Et inde rediens nunciavit imperatori quod magna utilitas ibi potuisset effici, si quis inde habuisset certamen[39]. Tunc interrogavit illum imperator, si aliquem[g] habuisset ecclesiasticum virum, qui ibi lucrum potuisset agere Deo. Et ille dixit se habere talem, qui[h] Deo placuisset[i], et illi populo pastor fieri potuisset. Tunc iussu imperatoris ordinatus est Deodericus[k] episcopus ab Arnone archiepiscopo Iuvavensium; quem ipse Arn[l] et Geroldus comes[40] perducentes in Sclaviniam[m], dederunt in manus principum, commendantes illi episcopo regionem Carantanorum et confines eorum occidentali parte Dravi fluminis[41], usque dum Dravus fluit[n] in amnem[o] Danubii, ut potestative populum regeret sua praedicatione, et[p] euangelica doctrina doceret[q] servire Deo, et ut ecclesias constructas dedicasset, presbyteros ordinando[r] constituisset, totumque ecclesiasticum officium[s] in illis partibus prout[t] canonicus ordo[u] exposcit perficeret, dominationem et subiectionem habens Iuvavensium rectorum. Sicuti ille fecit quamdiu[v] vixit.

9. Post diem vero transitus de hoc saeculo Arnonis archiepiscopi[w], anno* nativitatis Domini 821, Adalrammus piissimus doctor sedem Iuvavensem suscepit regendam. Qui inter cetera beneficiorum opera finito cursu Deodorici[x] episcopi, prout Arn[y] archiepiscopus antea Deodorico[x] episcopo Sclavos commisit, ita et iste[z] Ottonem[*] constituit episcopum. Ipse enim Adalrammus anno nativitatis Christi 824 pallium accepit ab Eugenio papa**, rexitque gregem sibi commissum 15 annos; eoque superna clementia vocante[a] a nexibus corporis absoluto***, Lioprammus[b] venerabilis praedictae sedis pontificatum accepit pastor[c] anno 836. Quem Gregorius papa[d] pallio honoravit. Qui† innumerabilibus Deo placitis operibus

* nono Kal. Febr. anno nativitatis Domini 821, cum minus dimidio anno Ammilonius abbas eidem sedi praesedisset[42], Adalrammus piissimus doctor, prius archidiaconus, eiusdem ecclesiae sedem suscepit regendam. B.

** Idus Novembris praesente Lothario filio Karoli Magni[43] *addit* B.

*** pridie Nonas Ianuarii[44] *addit* B.

† Huius praesulatus anno decimo[45] ecclesia sancti Rudberti Salzpurch igne periit. Anno denique nativitatis Domini 851 Liuprammus archiepiscopus Romam perrexit, et a Leone papa quarto sanctum Hermen obtinuit et Salzpurch honorifice transtulit. Liuprammus innumerabilibus B.

a) p. eum *desunt* 5. 5b. b) *deest* 4. 5. 5b. c) clauorum 5. 5b. d) previdere 4. e) *deest* 2. 3. 4. 5. 5b. f) precepit *inserunt* 2. 3. 4. 5. 5b. g) aliqñ 4. h) ut B. i) deo et illi pl. pop. 4. k) theoder. 2. 3. 5. 5b. B. theodor. 4. l) arn 2. 3. 4. m) clauin. 5b. sclauon. B. n) *deest* 5. 5b. o) ampne B. p) *deest* 5. 5b. q) doc. populum s. 5b. r) ordinandos 5. 5b. s) *deest* 3. t) *hucusque* 5. u) *deest* 5b. v) ille *add.* 5b. w) episcopi 5b. x) theoder. 2. 3. 5b. B. theodor. 4. y) arn 2. 3. z) ipse 2. 3. 4. 5b. *) hottonem 1. a) vocanti 1. b) leup. 5b. liwpr. 4. liuprandus B. c) *deest* B. *Codd.* 2. 3. 4. 5b. *hic collocant verba* quem G. p. p. honoravit, *quae* 1, *omisso* papa, *in margine exhibet. Epistola Gregorii in App. ad Iuvaviam p.* 84. *data est ind.* 15. *i. e.* 837, 2. *Kal. Iunii.* d) eodem anno *addit* B.

38) Egregie hoc illustratur epistola Alcuini ad Arnonem, edita in Hansizii Germ. sacra II, 108, inter Opera Alcuini ed. Frob. I, 104. 39) i. e. huius rei diligentem curam; v. Cangii Glossarium. Idem quod Arno sensit et Iohannes VIII. papa. KOP. 40) Geroldus, Hildegardis reginae frater, qui inde ab a. 788 Bawariae curam gerebat, Kal. Sept. a. 799 ab Avaribus occisus est. Illa igitur initio eius anni facta esse videntur, sub cuius finem Arn reducendi Romam Leonis papae munus suscepit. Inscriptionem de aedificata ab hoc Theoderico ecclesia, ad S. Stephanum in valle Gailthal repertam, refert Ambr. Eichhorn, Beitr. II, 88. 41) Hanc occidentalem partem intelligimus cum doctissimo Consiliario aulico Th. Dolliner Dravi superioris per Carinthiam et Styriam et Croatiae hodiernae partem, excepta hodierna Slavonia, quae Bulgarorum erat. Nisi plane malis occidentalem Dravi partem negligentius dictam pro aquilonari, quam a. 810 Carolus Magnus adiudicavit Salisburgensibus, australi Aquileiensibus relicta. KOP. Mihi quidem explicatio posterior praeferenda videtur. 42) Cf. Auct. Garstense, SS. IX, 564. Ann. S. Rudberti ib. p. 770. Abbates S. Petri mortuis episcopis vicem eorum supplevisse videntur; postea incaute in seriem episcoporum recepti sunt, post Virgilium Beretricus, post Arnonem Ammilonius. 43) potius Ludowici; reliqua sumpsit ex privilegio Eugenii, edito in App. ad Iuvav. p. 80. 44) Consentit Necrologium cod. Sal. 311. 45) Anno 845 secundum Auctarium Garstense, Annales Admuntenses et S. Rudberti Salisburgenses; Ann. S. Emmerammi

peractis, sidereas conscendit sedes, anno nativitatis Christi 859[a].* Cui successor[b] quem 859. ipse nutrivit Adalwinus venerabilis praesul, pallio honoratus a Nicolao papa, ad praesens[c] enitet tempus, cum omni regens diligentia gregem divinitus sibi commissum. Quorum temporibus, Liuprammi videlicet[d] ac[e] Adalwini archiepiscoporum, Osbaldus episcopus Sclavorum regebat gentem[46], prout iam priscis temporibus iam dicti episcopi fecerunt, subiecti[f] 46 episcopis Iuvavensium**. Et[g] adhuc ipse Adalwinus archiepiscopus per semetipsum regere studet illam gentem in nomine Domini, sicut iam[h] multis in illis regionibus claret locis.

10. Enumeratis itaque episcopis Iuvavensium, conamur, prout veracius in chronicis imperatorum et regum Francorum et Bagoariorum scriptum repperimus[i], scire volentibus manifestare. Postquam ergo[k] Karolus imperator Hunis reiectis episcopatus dignitatem Iu- 796. vavensis ecclesiae rectori commendavit, Arnoni videlicet archiepiscopo et suis successoribus tenendi perpetualiter atque regendi perdonavit, coeperunt populi sive Sclavi vel Bagoarii inhabitare terram, unde illi expulsi sunt Huni, et multiplicari. Tunc primus ab imperatore constitutus est confinii comes Goterammus[l], secundus[m] Werinharius[n], tertius Albricus[o], quartus Gotafridus[p], quintus Geroldus[47]. Interim[q] vero dum praedicti comites orientalem procurabant plagam, aliqui duces habitaverunt in illis partibus ad iam dictam sedem pertinentibus. Qui comitibus praefatis subditi fuerunt ad servitium imperatoris; quorum nomina sunt Priwizlauga[r], Cemicas, Ztoimar[s], Etgar[t]. Post istos vero duces Bagoarii coeperunt praedictam terram dato regum habere in comitatum, nomine[u] Helmwinus[v], Albgarius et Pabo[48]. His ita peractis[49], Ratbodus[w] suscepit defensionem termini. In cuius spacio temporis quidam Priwina[x] exulatus a Moimaro[y] duce Maravorum supra Danubium venit ad Ratbodum. Qui statim illum praesentavit domno[z] regi nostro[*] Hludowico[a], et suo iussu fide instructus baptizatus est in ecclesia sancti Martini loco Treisma[b] nuncupato[c], curte videlicet pertinenti ad sedem Iuvavensem[50]. Qui et postea[d] Ratbodo commissus, aliquod cum illo fuit 50 tempus. Interim exorta est inter illos[e] aliqua dissensio, quam Priwina timens fugam iniit in regionem Vulgariam[f] cum suis, et Chozil filius eius cum illo[g]. Et non multo post de Vulgariis Ratimari ducis adiit regionem. Illoque[h] tempore Hludowicus rex Bagoariorum misit 838. Ratbodum cum exercitu multo ad exterminandum Ratimarum ducem[51]. Qui diffisus[i] se defendi posse, in fugam versus[k] est cum suis qui caedem evaserunt. Et praedictus Priwina[l]

* pridie Kalendas[52] Octobris *addit* B.

** Iuvavensibus. Eius anno tertio Ludwicus rex festum sancti Martini celebravit apud Iuvavum[53]. B. *ubi iam sequuntur „Breves notitiae.“* 53

a) dccc. l. viii. 5b. b) successit B. c) *deest* 5b. papa enituit cum B. d) *deest* 3. e) et 2. 3. 4. 5b. f) subiectis 5b. g) Et a. i. A. *desunt* 5b, *spatio relicto.* h) in *add.* 5b. i) reper. 2. 4. 5b. k) igitur 3. l) goteramnus 4. m) secundus et w. 5b. n) werenh. 4. wernharius 5b. o) albericus 3. albertus 5b. p) gotefridus 2. 4. gotfridus 3. goetfridus 5b. q) Iterum 5b. r) priwizlawga 4. primizl. 5b. s) ztoymar 4. zicimar 5b. t) etgâr 2. 3. u) *deest* 4. scil. 5b. v) helimunus 5b. w) radbodus 5b. x) priuina 5b. y) moymaro 4. z) *hic desinit* 2. *) *deest* 5b. a) lůdewico 3. *const.* b) treusma 5b. c) uocato 4. d) poste 1. postmodum 5b. e) eos 5b. f) uulgariam 1. 3. 4. fulgariam 5b. g) eo 4. 5b. h) Illo quoque 1. 5b. i) diffidens 5b. k) conversus 4. 5b. l) priuuinus 3. 4. 5b.

minores annum 844 tuentur. De translatione sancti Hermetis narratio extat quam Hansizius edidit Germ. sacr. II, 929. 46) Hinc frequens per Carinthiam et Carniolam Osbaldi nomen. Ad hunc »Osbaldum chorepiscopum Quadrantinum« exstant binae in Corpore iuris canonici Nicolai papae decretales (dist. 50, cap. 6 et 39), unde videas, maluisse illum papae proponere dubia, quam suo metropolitae. Hinc deinceps plerumque maluerint »in nomine Domini per semetipsos regere gentem illam« Salisburgenses. KOP. 47) Hos 5 comites simul eodem tempore diversis locis praefuisse existimabat Kopitarius. Quod mihi secus videtur. Goterhammus quidam a. 802 interfectus est ad castellum Guntionis (Güns?), Ann. S. Emm. min. SS. I, 93. Werinharius cum Adulfo a. 805 Bawariis praefectus erat, Chr. Moissiac. SS. I, 307; Warnarius ad Lauriacum, Audulfus ad Ragenisburg praevidebat, Mon. Leg. I, 133. Cotafrid a. 823 magnorum virorum placito praesedit, Meichelb. Hist. Fris. Instr. I, 434. Geroldum denique a. 826 cum Baldrico Avarici limitis custodem fuisse ex Einhardi Annalibus constat. 48) Pabonem a. 861 per Karlomannum expulsum memorant Annales S. Rudb. Salisb. cum Auctario Garstensi; cf. Ann. Fuldenses et Hincmari. 49) scil. cum Baioarii isti terram in comitatum recepissent; his enim comitibus Ratbodus praefuisse videtur, is scil. quem a. 859 tanquam infidelem depositum fuisse novimus. Mon. Boic. XXVIII, 50. 50) Traismauer, ubi Trasen fluvius Danubio miscetur. 51) Huc pertinere videntur verba: 838. *Exercitus Baioariorum contra Ratimarum colligitur*, in Auct. Garst. et Annalibus S. Rudb. Salisburgensibus. Ratimarum non recte a Th. Dolliner et Kopitario cum Crasimere Croatarum duce confusum esse docet Schafarikius Antt. Slav. II, 33, 3. 52) corr. *Idus;* v. Auctarium Garstense SS. IX, 565. 53) v. Auct. Garst. Ann. Adm. et Sal. a. 861.

substitit[a] et cum suis pertransivit fluvium Sawa[b], ibique susceptus a Salachone comite pacificatus est cum Ratbodo.

11. Aliqua vero interim[c] occasione percepta, rogantibus praedicti regis fidelibus praestavit[d] rex Priwinae aliquam inferioris[e] Pannoniae in beneficium partem circa fluvium qui dicitur Sala[f. 54]. Tunc coepit ibi ille[g] habitare et munimen aedificare[55] in quodam nemore et palude[h] Salae fluminis et circumquaque populos congregare ac multum ampliari in terra illa. Cui quondam[56] Adalrammus[i] archiepiscopus ultra Danubium in sua proprietate loco vocato Nitrava consecravit ecclesiam. Sed postquam praefatum munimen aedificavit, construxit infra primitus ecclesiam quam Liuprammus[k] archiepiscopus cum in illa regione ministerium sacerdotale potestative exercuit, in illud veniens castrum in honore sanctae Dei genitricis Mariae consecravit anno videlicet 850. Ibi fuerunt praesentes. Chezil, Unzat[l], Chotemir, Liutemir[m], Zcurben[n], Siliz, Wlkina[o], Witemir[p], Trebiz, Brisnuz, Zuemin[q], Zeska, Crimisin, Goimer[r], Zistilo, Amalrih[s], Altwart, Wellehelm[t], Fridepercht[u], Scrot, Gunther, item[v] Gunther, Arfrid, Nidrih[w], Isanpero[x], Rato, Deotrih[y], item Deotrih[z], Madalperht[*], Engilhast[a], Waltker[b], Deotpald[c]. Ipsi viderunt et audierunt complacitationem[d] illo die inter Liuprammum[e] et Privinonem[f] quo illa dedicata est ecclesia, id est 9. Kalendas Februarias. Tunc dedit Priwina presbyterum suum nomine Dominicum in manus et potestatem Liuprammi archiepiscopi, et Liuprammus illi presbytero licentiam concessit in sua diocesi missam canendi[g], commendans illi ecclesiam illam et populum procurandum sicut ordo presbyteratus exposcit. Indeque rediens idem pontifex et cum eo Chezil[h] consecravit ecclesiam Sandrati[i] presbyteri, ad quam Chezil[k] territorium et silvam ac prata[l] in praesentia praefatorum[m] virorum tradidit et circumduxit hoc ipsum[n] terminum[o]. Tunc quoque ad ęcclesiam Ermperhti[p] presbyteri quam memoratus praesul consecravit[q], tradidit Chezil[r] sicut Engildeo[s] et filii eius duo et Ermperht[t] presbyter ibi[u] habuerunt, et circumduxit praefatos[v] viros in ipsum terminum. Transactis namque[w] fere duorum aut[x] trium spatiis annorum[y] ad Salapiugin consecravit ecclesiam[z] in honore sancti Hrodberti; quam Priwina[**] cum omni supra[a] posito tradidit Deo et sancto Petro atque sancto Hrodberto perpetuo in[b] usum fructuarium viris Dei Salzburgensium[c] habendi. Postmodum vero roganti Priwinae[d] misit Liuprammus archiepiscopus magistros de[e] Salzpurc[f] murarios[g] et pictores, fabros et lignarios; qui infra[h] civitatem Priwinae honorabilem ecclesiam construxerunt, quam ipse Liuprammus aedificari fecit[i] officiumque ecclesiasticum ibidem colere peregit. In qua ecclesia Adrianus martyr humatus pausat. Item in eadem civitate ecclesia sancti Iohannis baptistae constat dedicata[k], et foris civitatem in Dudleipin[l], in Ussitin[m], ad Businiza[n], ad Bettobiam[o], ad Stepiliperc[p], ad Lindolveschirichun[q], ad[r] Keisi, ad Wiedhereschirichun[s], ad Isangrimeschirichun, ad Beatuseschirichun[t], ad Quinque basilicas[57] temporibus Liuprammi ecclesiae[u] dedicatae sunt; et ad Otachareschirichun[v] et ad Paldmunteschirichun[w], ceterisque locis ubi

850. Ian. 24.

a) subsistit 1. substit 5[b]. b) seuua 5[b]. c) iterum 4. d) prestitit 4. 5[b]. e) *hic deest fol.* 1. f) sana 4. g) ille ibi 4. h) paluselled fl. 4. *Hansiz. Kleinm.* palasellede *Freher.* i) Adalrammus *deest* 5[b] *spatio relicto.* k) lůprammus 3. liwpr. 4. *const.* leupraminus 5[b]. l) unsath 5[b]. m) li^v^temir 3. liwtemir 4. leuthmir 5[b]. n) kurben 5[b]. o) wulkma 4. p) withemir 5[b]. q) zwemin 4. zemin 5[b]. r) goymer 4. 5[b]. s) amelrich 4. 5[b]. t) wilhelm 3. wilhelmus 5[b]. u) frideberth 3. fridepreht 4. fridebrecht 5[b]. v) i. G. *desunt* 4. 5[b]. w) nidrid 4. nidrich 5[b]. x) isenpereo 5[b]. y) dietrich 5[b]. z) deotrich 4. dietrich 5[b]. *) madalpreht 4. madilprech 5[b]. a) engelhast 5[b]. b) waldker 5[b]. c) diepold 3. *deest* 5[b]. d) conplatacionem 4. e) lůipr. *hic et infra* 3. f) priwinam 4. g) celebrandi 5[b]. h) hezil *codd.* i) sandiati 3. k) ezil 3. hezil 4. 5[b]. l) pratam *corr.* prata 4. pratam in presentiam 5[b]. m) *hic iterum inc.* 5. n) *hinc pergit* 1. o) termino 4. p) ermberti 3. erenberti 4. erinperti 5. 5[b]. q) ad quam *add.* 1. r) ezil 3. hezil 4. 5. 5[b]. s) engeldich 3. engildich 4. hengeldich 5. hengildich 5[b]. t) ermperth 3. erenbertus 4. erenpcht 5. erinprecht 5[b]. u) *deest* 4. 5. 5[b]. v) prefectos 5. w) itaque 4. x) ul 5[b]. y) spatii rannorum 1. an. sp. 5. 5[b]. z) *post* Hrodberti *ponunt rell. praeter* 1. **) privuina *superscr.* pruno 3. a) super 5. 5[b]. b) in perpetuum usum 5. 5[b]. c) salzburgensibus 5. 5[b]. d) priwino 5. 5[b]. e) *deest* 5. f) salzburc 3. salzburch 4. 5. 5[b]. g) muratores 5. 5[b]. h) intra 3. 4. 5. 5[b]. i) cepit officium 5. 5[b]. k) dicata 1. l) dubleipin. in usenteyn ad b. 5. subleupin in usintein ad b. 5[b]. m) usitin 4. n) buziniza 5[b]. o) betobiam 5. 5[b]. p) stepiliperch 3. 4. 5. 5[b]. q) lindolueschirchen 4. 5. lindolueschirchin 5[b]. r) ad — Isangrimeschirichun *post* Beatuseschirichun *ponunt* 5. 5[b]. s) wieidhereschirchen 4. weiterschirchen 5. weitirskirchen 5[b]. w. disansgruneschirchen 5. 5[b]. t) beatuschirchen 4. beatuseschirchin 5. beatuseschirchen 5[b]. u) *post* sunt *ponunt* 3. 4. 5. v) ad deotachareschirichun 1. otachereschirichun 3. otacherschirchen 4. otacharschirchen 5. othacharschirchen 5[b]. w) paldmǒntes-chirichen 3. paldmunteschirchen 4. palmundeschirchen 5. palmundischirchen 5[b].

54) qui lacui Blatensi miscetur; v. infra cap. 13. 55) quod postea Mosapurc vocatum est. 56) scil. antequam a Moimario pulsus est. Adalrammus initio a. 836 obiit. Locus autem ille urbs Neitra esse videtur. 57) Si hoc loco *Fünfkirchen*, supra Bettobiam *Pettau* interpretari licet, magnum sane ditionis Priwinae ambitum habebimus. »Bettowe« a. 874 ad Gozwinum comitem pertine-

Priwina[a] et sui voluerunt populi. Quae omnes temporibus Priwinae constructae sunt et consecratae a praesulibus Iuvavensium[b].

12. Pervenit ergo[c] ad notitiam Hludowici piissimi regis quod Priwina[d] benivolus fuit erga Dei servitium et[e] suum; quibusdam[f] suis fidelibus saepius ammonentibus, concessit illi in proprium totum quod prius habuit in beneficium[58], exceptis illis rebus quae ad episcopatum Iuvavensis ęcclesiae pertinere videntur[g], scilicet ad sanctum Petrum principem apostolorum et beatissimum Hrodbertum ubi ipse corpore requiescit, ubi tunc ad praesens rector venerabilis[h] Liuphrammus[i] archiepiscopus praeesse dinoscitur[59]. Ea ratione diffinivit[k] domnus senior noster rex easdem rês quae tunc ad ipsum episcopum[l] in ipsis locis conquaesitae[m] sunt et quae inantea[n] Deo propitio augeri possunt, ut[o] sine ullius hominis contradictione et iudiciaria consignatione illibatae ad ipsa loca supra dictorum sanctorum[p] perpetualiter perseverare valeant[q]. Isti fiebant[r] praesentes, nomine[s] Liuphrammus[t] archiepiscopus, Erchanbertus[u] episcopus[60], Erchanfridus[v] episcopus[61], Hartwigus[w] episcopus[62], Karolomannus[x], Hludowicus, Ernust[y], Ratpot[z], Werinheri[*], Pabo, Fritilo[a], Tacholf, Deotrih[b], Waninc[c], Gerolt, Liutolt[d], Deotheri[e], Wolfregi, Iezi[f], Egilolf[g], Puopo[h], Adalperht[i], Megingoz[k], item Adalperht[l], Odalrih[m], Pernger[n], Managolt[o]. Actum loco publico[p] in Reganespurc[q], anno Domini 848[r], indictione 11, sub die 4. Idus Octobris[63]. Quamdiu enim ille vixit, nihil minuit ecclesiasticarum rerum, nec subtraxit de potestate praedictae sędis, sed ammonente archiepiscopo prout valuit augere studuit, quia ad augmentum servitii Dei primitus[s] post obitum Dominici presbyteri Swarnagal[t] presbyter ac[u] praeclarus doctor illuc missus est cum diaconis[v] et clericis. Post illum vero Altfridum[w] presbyterum et magistrum cuiusque[x] artis Liuphrammus[y] direxit; quem Adalwinus[z] successor Liuphrammi[y] archipresbyterum ibi constituit, commendans illi claves ecclesiae curamque post illum totius populi gerendam. Similiterque[**] eo defuncto Rihpaldum[a] constituit archipresbyterum. Qui multum tempus ibi demoratus[b] est, exercens suum potestative officium sicut illi licuit[c] archiepiscopus suus, usque dum quidam Graecus Methodius nomine noviter inventis Sclavinis litteris linguam Latinam doctrinamque Romanam atque litteras auctorales[d]

848? Oct. 12.

a) priuina i. pruno 4. primo 5. 5b. b) iuvavensibus 5. 5b. c) igitur 5. 5b. d) priwinus 3. p. piissimus fuit ac ben. erga 5. 5b. e) *deest* 5. 5b. f) *ita* 1. f. suis q. *rell.* — *Post* suum *in codd. nulla interpunctio est.* g) e. videretur p. 5. 5b. h) uerabilis 1. i) lůipr. 3. liupr. 4. leupr. 5. 5b. k) definivit 3. l) *deest* 4. m) conquisite 4. 5b. n) in amplius *add.* 4. o) *deest* 1. p) *deest* 5. 5b. q) perp. v. pers. 5. 5b. r) fuerunt 4. s) *deest* 4. 5. 5b. t) lůipr. 3. leupr. 5. 5b. u) erchenb. 3. 4. erchenfridus episcopus. erchenbertus ep. 5. ernkefridus ep. erchenbertus e. 5b. v) erchenfr. 3. 4. w) hartwicus 3. 4. warwicus 5. 5b. x) kar. episcopus 5b. y) ernst 3. 4. erenst 5. 5b. z) rapot 3. 4. 5. 5b. *) wernher 3. werenher 4. 5. werinher 5b. a) fritel 4. b) dietrich 3. 4. deotrich 5. 5b. c) waninch 4. d) lůit. 3. liwtolt 4. e) diether 4. deutheri 5b. f) iezo 1. iesi 5b. g) egillolf 4. egelof 5. 5b. h) puobo 3. 4. 5. 5b. i) adelpreht 3. adelbreht 4. adelpercht 5. adilpercht 5b. k) meingoz 3. 5. 5b. l) adelpreht 3. 4. adelprecht 5. adilprecht 5b. m) ődalrich 3. 4. 5. odalrich 5b. n) perenger 4. 5. 5b. o) mangolt 4. manegolt 5. 5b. p) publice 5. 5b. q) regengenburch 3. regespurch 4. regenspurch 5. 5b. r) dccc. xl. viiii. 5. dccc. lx. viii. 5b. s) p. illuc post 3. 5. 5b. t) swarnagel 4. 5. 5b. u) p. aut p. 5b. v) diač 1. 3. w) alfridum 5. 5b. x) cuiuscunque 3. y) lůipr. 3. liupr. 4. 5. leupr. 5b. z) adelwinus 5. 5b. **) similiter 5. 5b. a) richpaldum 5. 5b. b) commoratus 5. 5b. c) iniunxit 4. 5. 5b. d) actorabiles 4.

bat. Auct. Garst. SS. IX, 565. 58) Egregie hoc confirmatur privilegio Ludowici II. d. 860 Feb. 20, Mon. Boic. XI, 119, quo monasterio Altahensi confirmat donationem quam »Briwinus fecerat de sua proprietate in suo ducatu« apud Salapiugin. »Briwinus, ait, fidelis dux noster veniens in procerum nostrorum praesentiam, postulavit serenitatem nostram, ut de rebus proprietatis suae quas ei in proprietatem concessimus liceret ei partem aliquam« etc. V. C. Kopp, Palaeogr. I[a], 431 hoc diploma ficticium esse contendit. Esto, sed ex copia redintegratum, fortasse interpolatum; sed illa de Briwino postea a falsario excogitata quis credat? Sequenti anno 861 (sed ind. 8. quum nona esse debeat) 12. Kal. Apr. in loco regali publico Ratispona »quidam comes de Sclavis nomine Chezul« S. Corbiniano bona quaedam dedit, Meichelb. Hist. Fris. Instr. I, 353. Quem occiso a Maravis patre Briwino et Karlomanno cum Resticio foederato tunc exulem ad Ludowicum regem venisse, sententia est V. D. Iulii de Iasmund. 59) Servatis privilegii verbis auctor vocem *tunc* satis inepte inseruit. 60) Frisingensis. 61) Ratisponensis hoc ipso anno mortuo 2. Idus Ian. Baturico ordinatus secundum Ann. S. Emm. minores, SS. I, 93. 62) Pataviensis; deinde sequuntur filii regis, Ernust dux inter amicos regis primus (Ann. Fuld. a. 849), Ratpot Avarici, Tacholf Sorabici limitis dux, et multi partium illarum comites. 63) Hludowicus rex teste Annalista Fuldensi a. 848 circa Kal. Oct. generale placitum Moguntiae habuit, ubi legatos Sclavorum audivit. Ibidem 4. Id. Nov. Osnabrugensi ecclesiae privilegium concessit. Anni incarnationis in privilegiis ipsius non indicantur, qua re minuitur auctoritas numeri 848, qui tantum computationi auctoris nostri debeatur. Equidem indictionem, quae mense Sept. a. 847 incipiebat, observans, anno 847 haec tribuere malim, etsi reclamante Erchanfrido episcopo. Sed frequentes in Annalibus sunt eius generis errores.

64 Latinas philosophicę superducens vilescere[a] fecit cuncto populo ex parte[64] missas et euangelia ecclesiasticumque officium illorum qui hoc Latine celebraverunt. Quod ille ferre non valens sedem repetivit Iuvavensem.

864. Dec. 25. 13. Anno igitur 865.[b] venerabilis archiepiscopus Iuvavensium Adalwinus[c] nativitatem Christi celebravit in castro Chezilonis[d] noviter Mosapurc[e] vocato[65], quod illi successit moriente patre suo Priwina[f] quem Maravi occiderunt. Ibique[g] illo die officium celebravit ecclesiasticum, sequentique die in proprietate Wittimaris[h] dedicavit ecclesiam in honore sancti Stephani[i] protomartyris. 865. Ian. 1. Die vero Kal. Ian. ad Ortahu consecravit ecclesiam in honore sancti Michaelis archangeli in proprietate Chezilonis[k]. Item eodem anno ad[l] Weride[m] in honore sancti Pauli apostoli Id.[n] Ianuar.[o] dedicavit ecclesiam. Item in eodem anno 19.[p] Ian. 14. Kalendas Febr. ad Spizzun[q] in honore sanctae Margaretae virginis ecclesiam dedicavit. Ad 66 Termperhc[r] dedicavit ęcclesiam in honore sancti Laurentii[66]. Ad Fizkere[s] eodem anno dedicavit ecclesiam. Et singulis proprium dedit[t] presbyterum ecclesiis. Sequenti quoque tempore veniens iterum in illam partem causa confirmationis et praedicationis contigit illum venisse[u] in locum qui dicitur Cella, proprium[v] videlicet Unzatonis, ibique apta fuit ecclesia consecrandi. Quam dedicavit in honore sancti Petri principis apostolorum, constituitque ibi[w] proprium presbyterum[x]. Ecclesiam vero[y] Ztradach[z] dedicavit in honore sancti Stephani. Item[*] in Weridę[a] ecclesia[b] dedicata floret in honore sancti Petri principis apostolorum. Postea vero tres consecravit ecclesias, unam ad Quartinaha[c] in honore sancti Iohannis euangelistae, alteram ad Muzziliheschirichun[d], tertiam ad Ablánza[e], quibus constituit proprios presbyteros[f].

14. A[g] tempore igitur quo dato et praecepto domni Karoli imperatoris orientalis Pannoniae populus a Iuvavensibus regi coepit praesulibus usque in[h] praesens tempus sunt anni 75[i], quod nullus episcopus alicubi veniens potestatem habuit ecclesiasticam in illo confinio nisi Salzburgenses[k] rectores, neque presbyter aliunde veniens plus tribus mensibus ibi suum[l] ausus est colere officium, priusquam suam[m] dimissoriam[n] episcopo praesentavit[o] epistolam. Hoc enim ibi observatum fuit usque dum nova orta est[p] doctrina Methodii philosophi.

EXCERPTUM DE KARENTANIS.

De Conv. c. 5. c. 8. c. 9. Karentanis primo predicavit Modestus episcopus missus et consecratus a beato Virgilio sub Pippino Francorum rege. Post hunc missus et consecratus est Theodoricus episcopus in presentia Karoli imperatoris ab Arnone archiepiscopo. Post hunc Otto episcopus consecratus ab Adelrammo archiepiscopo. Post hunc Hosbaldus episcopus sub Liuprammo et Adel-

a) uiliscere 4. b) dccc.lxx.v. 5. 5[b]. c) adelw. 4. d) hezilonis 3. 4. hezelonis 5. 5[b]. e) moseburch 3. 4. 5. 5[b]. f) priwino 5. 5[b]. g) illoque die ibi 3. 4. illo quoque die ibi 5. 5[b]. h) uuitimaris 1. witeimari 4. i) Stephani — sancti *desunt* 4. 5. 5[b]. k) *ita* 1. hezil. *rell.* l) in werd. 5. 5[b]. m) werde 4. n) II. idus 5. 5[b]. o) nou. 5. 5[b]. p) XVIII. 1. q) spizhun 5. 5[b]. r) tremperch 4. terinperch 5. 5[b]. s) fiskere 5. 5[b]. t) *deest* 5. 5[b]. u) venire 5. 5[b]. v) cellapum uid. 5. 5[b]. w) *deest* 3. x) sacerdotem 4. y) *deest* 3. 4. 5. 5[b]. z) *ita* 1. *ubi* zt.— apostolorum *manu eadem in marg. addita sunt.* ztradachi 3. 4. stradach 5. 5[b]. *) Iterum 3. 5. 5[b]. a) werde 4. werd 5. 5[b]. b) *hucusque* 5. c) quarthinaha 5[b]. d) muzziliheschychin 3. muzziliheschirchen 4. muzzilischirchin 5[b]. e) alansa 5[b]. f) sacerdotes 5[b]. est summa ecclesiarum . XXX . II . et amplius *manu coaeva in marg. cod.* 2. g) *deest* 4. 5[b]. h) usque tempus in anni LXXXV. 5[b] i) LXXX . V. 1. 3. *Sed hoc nullo modo cum Adalwini temporibus conciliari potest.* k) salzpurc gensi 1. salzburgensi 3. l) *deest* 3. m) *deest* 3. 5[b]. n) dimissariam 5[b]. o) presentaverit 3. 4. 5[b]. p) fuit 5[b].

64) Bene interpretatus est summus Dobrovius: ex parte scil. Slavorum, nam Bawariorum quidem, qui Nostro auctore »cum Slavis inhabitabant has terras«, quorumque Bawarica ecclesiarum nomina ad Isangrimeschirichun et similium satis indicant parochias, vix quidquam intererat, sive Latine sive Slavinice sacra fierent. At intererat Salisburgensium ne latius serperet exemplum. KOP. 65) Minus accurate Dobrovius, fretus adverbio *noviter*, credidit prius nomen fuisse Salaburg. Imo unicus huius historiae fons Anonymus Salisburgensis, primo eam civitatem Privinae vocat, tum noviter Moseburg. Salaburg nonnisi corruptae lectioni debetur loci *ad Salapiugin* (i. e. Salae flexum), diversi a Salavár (Moseburg). Ipsumque Salae vocabulum rivum denotat lente labentem Germanis; aut vel stagnantem; ut fere idem sit ac Moos (palus). Hinc Latinum civitatis Moseburg nomen, urbis scil. Paludarum barbare. Slavicum Blatensk aeque est a blato (lutum) unde Hungari Balaton fecere. Adde idem Salae vocabulum occurrere pro limite Austriae et Bawariae a. 1156 *(Rôten Sala)* explicarique pro Rubea Palude, hodieque vocari *das Salet* (silvam nempe paludosam). Haec Bavarica vox Salet (etiam *Salät* scribunt) ab Oeni ostiis perlata fuerit a colonis Bavaris ad lacum Balaton, comitatus hinc vocati Saladiensis. Imo eodem ipsissimo nomine in Salät populus appellat agrum a Mura ad lacum usque Blatensem extensum. KOPITAR. Glag. p. LXX. 66) Commemoratur in Auctario Garst. SS. IX, 565.

wino archiepiscopis. Huic Osbaldo scripsit Nicolaus papa duos canones qui in corpore decretorum inveniuntur. Post hunc interiecto aliquo tempore supervenit quidam Sclavus ab Hystrie et Dalmatie[a] partibus nomine Methodius qui adinvenit Sclavicas literas et Sclavice celebravit divinum officium et vilescere fecit Latinum; tandem fugatus a Karentanis partibus intravit Moraviam ibique quiescit. De Conv. c. 12.

Tempore Dagoberti regis Francorum preerant Karentanis dux Samo, post quem Boruch, post quem Karastus et post hunc Chenmarus, et post hunc Waltunc. Item sub Karolo et eius successoribus Priwizlauga, Cemicas, Zpoimar, Etgar. c. 4. c. 10.

In orientali etiam parte Bawarie expulsis Hunis hii comites ab imperatore Karolo et eius successoribus sunt constituti: Geroldus, Goterammus secundus, Wereharius tertius, Albricus quartus, Gotfridus quintus, Geroldus, et post hos[b] duces Helmwinus, Albarius, Pado, et duces Carentanorum supra scripti sub istis comitibus et ducibus erant.

COMPUTATIONES SAECULI XII. DE TEMPORE S. RUDBERTI.

Inscriptio illa capitis secundi qua Rudberto a. 693 *adscribitur, in unico saec. XII. codice servata est; eodem fere tempore nescio quis primo codicis Salisb.* 311 *folio inscripsit:* Anno incarnationis Domini DCXCIII sanctus Ruotbertus obiit. *Sed in universum omnis eius temporis memoria defecerat, et quaerentibus post turbida Heinricorum IV et V tempora Salisburgensibus de sedis huius primordiis, quum „diffinite scriptum" nihil reperirent, doctus quidam clericus a.* 1129 *secundum Childeberti annum computandum suscepit; praeter textum vitae sancti Rudberti, qui diserte dominica paschali eum obiisse diceret, solo Reginonis chronico usus, cuius errores imprudentem traxerunt. Quod quum postea quidam animadvertisset, anno* 1186 *novam computationem instituit, et Herimanni chronico usus inter duos priores Childebertos distinguit et utriusque tempora computat; sub utro eorum Rudbertus vixerit, incertum relinquit. Tertium Childebertum neuter novisse videtur. Horum igitur lucubrationes proponimus ex codicibus, quos omnes iam supra commemoravimus,*

A 1) *Salisb.* 311 *et*

A 2) *Salisb.* 79, *qui terminum dant a.* 1129.

A 3) *Hist. eccles.* 148, *qui a.* 1132 *substitit. Ex hoc excerpta proposuit Hansizius Germ. sacr. II,* 50.

B. editionis emendatae a. 1186.

1) *S. Petri H. fol.* 26, *quem expressit Canisius VI,* 1171. 1221 *et ed. Basn. III,* 2, 431. 475, *nec non auctor Chronici novissimi Sancti Petri p.* 25.

2) *Lunaelac. fol.* 186, *ap. Canis. II,* 253. *III,* 2, 284.

Haec igitur computatio latuisse videtur magistrum Rudolfum, qui a. 1165 *de temporibus Rudberti, de translatione eius et de pallii acquisitione scripsit, fortasse praepositus ille Chiemensis, qui resignato munere „elegit sibi requiem Salzburch in maiori ecclesia unde ad nos assumptus erat in praepositum" (M. Boica II,* 348*). Sed et hic nihil fundamenti habuit, praeter mentionem Childeberti, quem pro secundo indubitanter habet, tempora eius magna cum doctrina computans. Nam ad manus habuit vitam Gregorii Magni, cronicas Karoli nescio quas, martyrologium antiquissimum, vitam Columbani, decretum Gratiani. Meminit scripti eius Th. de Kleimayrn in Iuvavia p.* 111; *nos integrum damus ex cod. Salisb.* 79.

Cod. A 1. 2. 3.

Numerum annorum a transitu sancti Roudperti, pro[c] quo interrogastis, diffinite scriptum non repperi[d]; coniectura tamen horum fieri[e] potest ex consideratione temporum in quibus fuisse legitur. De temporibus eius legitur sic: *Tempori-*

Cod. B 1. 2.

Numerum annorum a transitu sancti Ruodberti diffinite scriptum non reperimus, coniectura tamen horum potest fieri ex consideratione temporum in quibus fuisse legitur. De temporibus eius legitur sic: *Temporibus igitur Hildiberti regis Francorum,*

a) almatic *c.* b) chos *c.* c) pro q. i. *desunt* A 2. d) reperimus A 2. e) potest fieri A 2. 3.

Cod. A 1. 2. 3.

bus igitur Hildiberti regis Francorum, anno scilicet regni eius secundo, venerabilis confessor Christi Roudbertus in Wormatia civitate episcopus habebatur. De die obitus eius, qui in sexto Kalendas Aprilis celebratur, ita legitur: *Die orto resurrectionis Christi missarum sollemnia laetus persolvit, et munitus dominici corporis*[a] *sacramento inter verba fratres confirmantia exivit hominem.* Et alibi: *Sic suum contigit phase sacro paschae tempore.* Inventa autem tempora regis invenire docent[b] tempora episcopi. Temporibus igitur[c] Iustini iunioris et Tyberii Constantini et Mauricii imperatorum Romanorum Hildibertus rex Francorum, filius Sigiberti et Brunihildis, extitisse legitur. Anno dominicae incarnationis 498 Iustinus regnavit. Anno dominicae incarnationis 538[d] Focas regnavit, qui post Mauricium factus est imperator. Circa haec tempora sanctum Roudbertum vixisse patet. Requirat nunc qui vult, ubi ante annum 538[d] dominicae incarnationis aut post eundem annum dies[e] dominicus paschae in 6. Kalendas Aprilis evenerit, ita tamen[f] ut hoc nec ante nec post illum terminum longius quaerat quam mensura[g] humanae vitae id sinit. Si quis hoc caute[h] invenerit, invenire mox[i] poterit quot anni sint a transitu sancti Roudberti. Si autem alieno invento credulus esse maluerit quam[k] semet ad huiusce[l] indaginis labores[m] accingere[n], sciat quod[o] 533[p] anno incarnationis dominicae ante supra notatum annum et post eundem 544[q] anno dies dominicus[r] paschae[s] 6. Kal. Apr. evenerit; in quo e duobus anno ipse de quo sermo est sanctus obierit non legi. Considerata tamen superiori temporum conscriptione dubium non est eum in uno eorum obisse. Et quamvis certum non sit si supervixerit 533 annum dominicae incarnationis quando dominicus dies paschae in 6. Kal. Aprilis venit, certum tamen est eum non supervixisse 544 annum dominicae incarnationis, in quo similiter dies dominicus paschae[t] 6. Kal. Apr. evenerat. Ideo quod inter duo dubia certius est eligamus et computemus annos de transitu sancti Roudberti ab anno 544 dominicae incarnationis. Sunt autem[u] a transitu eius usque in[v] praesentem annum[w] 585 anni[x].

Lotharii quartus est regis Saxonis annus.

Cod. B 1. 2.

anno scilicet regni eius secundo, venerabilis confessor Christi Ruodbertus in Wormacia civitate episcopus habebatur. De die obitus eius, qui in sexto Kalendas Aprilis celebratur, sic legitur: *Die orto resurrectionis Christi missarum sollempnia letus persolvit, et munitus corporis et sanguinis sacramento inter verba fratres confirmantia tradidit spiritum.* Et alibi: *Sic suum contigit phase sacro pasche tempore.* Inventa autem tempora regis invenire docent tempora episcopi. Temporibus igitur Tyberii Constantini et Mauricii imperatorum Romanorum Hildibertus rex Francorum, filius Sigiberti et Brunhildis, extitisse legitur. Anno dominice incarnationis 575 Tyberius Constantinus regnavit. Anno incarnationis dominice 588 Hildibertus, 582[y] Mauricius regnavit. Item anno incarnationis dominice 588 Hildibertus filius Sigiberti super Francos regnavit. Anno incarnationis dominice 603[z] Focas regnavit qui post Mauricium factus est imperator. Circa hec tempora sanctum Ruodbertum vixisse patet. Requirat autem nunc qui vult, ubi ante annum 624[*] dominice incarnationis aut post eundem annum dies[a] dominicus pasche in 6. Kalendas Aprilis evenerit, ut hoc nec ante nec post illum terminum longius quam humane vite mensura id sinit[b]. Si quis hoc ante invenerit, invenire poterit quot anni sunt a transitu sancti Ruodberti. Si autem alieno invento credulus esse maluerit, qui semet ad huiusce[c] indaginis labores desperet attingere, sciat quod 623[d] anno incarnationis dominice[e] ante supra notatum annum et post eundem 628 dies pasche 6. Kal. Aprilis evenerit[f]; in quo e duobus anno ipse de quo sermo est sanctus obierit non legi. Considerata tamen superiori temporum conscriptione dubium non est eum in uno eorum obisse. Et quamvis certum non sit si supervixerit 623[g].... dies dominicus pasche in 6. Kal. April. venit, certum tamen est eum non supervixisse 628 annum dominice incarnationis in quo similiter dies[h] dominicus in 6. Kal. April. evenerat. Si autem annum dominice incarnationis in quo similiter dies[i] dominicus pasche in 6. Kal. April. evenit, si altius repetere voluerimus, ut videlicet sub primo Hildiberto Francorum rege, Chlodovei seu Ludewici[k] filio, qui temporibus Iustiniani magni et primi regnabat, sanctum Ruodbertum claruisse contendamus, tunc in altero subscriptorum anno eum obisse constat, sive 534 anno dominice incarnationis sive 544 anno, in quibus ambobus dies dominicus pasche 6. Kal. Aprilis evenit. Ideo quod inter duo dubia certius est eligamus et computemus annos de transitu sancti Ruodberti ab anno 623 dominice incarnationis. Sunt autem a transitu eius usque ad presentem annum, qui est dominice incarnationis annus 1186[us], anni 563. Ipse est annus 36[us] regni Friderici imperatoris.

a) et sanguinis *add.* A 2. b) doceret A 2. 3. c) autem A 2. d) D.XXX.VII. A 2. e) *deest* A 2. f) i. t. *desunt* A 3. g) hum. v. m. A 2. 3. h) ante A 3. i) *deest* A 3. k) qui A 2. 3. l) huiuscę A 3. m) *deest* A 2. n) attingere A 3. o) *deest* A 1. p) D°.XXX°. A 3. q) D.XL.III. A 3. r) *deest* A 3. s) *deest* A 2. t) in *add.* A 3. u) *deest* A 2. v) ad A 2. w) a. dom. inc. annus mill. centesimus, id est quingenti octoginta octo anni. Ipse est annus VII. Lotharii regis. Altitudo crucis Christi est. Spes. longitudo. Perseverantia. latitudo. Karitas. A 3. x) *ibi desinit* A 2. y) *ita legendum cum Ann. S. Rudberti;* XXII° *cod. uterque.* z) *ita Ann. S. Rudberti;* D.XXX.III. B 1. D.XX.III. B 2. *) DC.XX.IIII. (VIII. *above*) *uterque.* a) *deest* B 2. b) s̄ *uterque.* c) huiuscemodi B 2. d) *hic uterque male interponit* dies. e) *deest* B 1. f) *supplevi ex* A; *nam in utroque deest.* g) DC.XXV. (.III. *above*) *uterque; post numerum in* B 1. *spatium vacuum relictum est.* h) dom. dies B 1. i) dom. dies in B 1. k) Ludowici B 2.

COLLECTIO DE TEMPORE ET DE TRANSLACIONE BEATI RUDBERTI.

De tempore beati Rudberti et de translacione eius de ecclesia sancti Petri ad principalem sui nominis ecclesiam in qua nunc requiescit, atque de pallii prerogativa quando et quomodo eam eadem ecclesia meruerit, breviter hic annotare curavi quod sparsim repperi. In hystoria beati Rudberti legi-
5 tur quod ipse tempore Hildeberti regis Francorum in Wormatia civitate episcopus haberetur. De hoc vero Hildeberto, Sigiberti et Brunhildis filio, in chronicis invenitur quod tempore Iustini et Tyberii Constantini et Mauricii imperatorum fuerit. Huius autem Mauricii magnus Gregorius papa familiaris amicus et compater fuit, unde in vita eius sic legitur: *Beatus Gregorius cum in apostolicam sedem esset electus, ad Mauricium imperatorem, cuius filium de lavacro sancto susceperat, nuncium cum litteris dire-*
10 *xit multa prece postulans ne huic facto acquiesceret.* Inde colligitur beatum Rudbertum et beatum Gregorium contemporaneos fuisse; uter eorum vero prius obierit incertum est. Transacti itaque sunt ab obitu sancti Gregorii fere 565 anni. Nam circa 600. annum ab incarnatione Domini colligitur de hoc mundo transisse. Scripsit enim sicut invenitur in cronicis libros exposicionis in Iob ab incarnatione Domini 580. anno ante papatum; postea in papatu 13 annis vixit et amplius. Qui anni, id est 13, additi
15 ad priorem numerum, id est ad 580. annum, fere perficiunt 600 annos. Hec eadem tempora et annos scilicet 565 qui transacti sunt ab obitu beati Gregorii vel plures, beatum Rudbertum habere non irrationabiliter ex predictis conicitur. De translacione eius in cronicis Karoli indubitanter scriptum est quod facta sit sub Karolo anno eius regni septimo a Virgilio Saltzpurgensi episcopo, post beatum Rudbertum octavo episcopo, ab incarnatione Domini anno 774. De quo eciam in antiquissimo quodam
20 martyrologio inveni ita scriptum: *Virgilius Iuvavensis episcopus de Scotia natus maiorem ecclesiam construxit et illuc beatum Rudbertum transtulit. Translati sunt cum eo discipuli beati Rudberti Chunialdus et Gisilarius reliquiis illorum sub altari quod in honore ipsius consecratum est reconditis.* De pallio vero in eisdem cronicis sic invenitur: *Anno ab incarnatione Domini* 799 *Arno Saltzpurgensis a beato Rudberto decimus per consilium domini Karoli a domino Leone papa primus archiepiscopus factus est super*
25 *Babariam et in presentia regis Rome pallium suscepit.* Et statim ibidem subiungitur: *Hunc Leonem Romani martyrizaverunt qui postea iubente Karulo per Hildibaldum et Arnonem archiepiscopos restitutus est in locum suum; ab eodem Leone Karolus imperator primus inter reges Francorum consecratus est.* Hec collegit magister Rudolfus anno ab incarnatione Domini 1165.

Ego Rudolfus qui superiora de beato Rudberto notavi, postquam hec scripsi, adhuc amplius inve-
30 stigavi et indubitanter non coniecturaliter repperi, non contrarium sed consentaneum et certius supradictis. Hoc enim inveni quod beatus Rudbertus apostolus factus est Babarie sub Pelagio papa proximo predecessore magni Gregorii pape, secundo anno Hildeberti regis Francorum. Item secundo anno Tyberii Constantini, post quem Mauricius imperator; a quo Hildeberto et a quo Tyberio Constantino, et a quo Pelagio papa, usque ad primum annum Friderici imperatoris conputantur anni 610 conpu-
35 tatione facta per singulos imperatores sicut invenitur in cronicis.

Amplius. In vita sanctorum Columbani et Galli inveni sicut scriptum est: *Cumque vir Dei ad Sigebertum regem Francorum pervenisset* etc. et infra: *Beati sanctitas Columbani laudabatur ab omnibus adeo ut Theodericus rex, filius Hildeberti, nepos Sigeberti et Brunhildis, sepe veniret ad eum.* Et paulo post: *Ad Theobertum Austrasiorum regem pervenit.* Qui Theobertus filius erat Theodonis ducis Bawa-
40 riorum, qui primo suscepit beatum Rudbertum. Et iterum: *Cumque ad Agilolfum regem Longabardorum*[a] *per Alamanniam duceretur* etc. Ex hiis omnibus supradicta confirmantur et alia quedam cognitione digna colliguntur: hos omnes circa eadem tempora fuisse, videlicet sanctum Gregorium, sanctum Rudbertum, sanctum Columbanum, sanctum Gallum. Nam omnes tempore Sigeberti et Brunhildis et tempore Hildeberti regis fuerunt. De beato Gregorio inde dicimus quia ipse frequenter ad eandem
45 Brunhildem scripsit et ad Agilolfum regem Longabardorum, ad quem etiam sanctus Columbanus venire voluit sicut hystoria docet. De beato Rudberto ideo dicimus quia hystoria eius ita scribitur: *Anno secundo Hildeberti regis Francorum* etc. De beato Columbano et Gallo manifeste docet hystoria; lege et invenies. Inveni quoque in Gratiano 25ª causa questione prima epistolam Pelagii pape ad Hildebertum regem que sic incipit: *Satagendum est*[1]. 1

50
VITA GEBEHARDI ARCHIEPISCOPI SALISBURGENSIS AUCTORE MONACHO ADMUNTENSI.

CUM VERSIBUS DE SUCCESSIONE ARCHIEPISCOPORUM SALISBURGENSIUM ET THIEMONIS PASSIONE METRICA.

Gebehardi archiepiscopi in nobili quod fundavit Admuntensi coenobio viguit
55 *semper atque etiamnum viget grata recordatio. Servatur ibi in splendidissima*

a) Longabardum c.

1) Eadem citatur in Annalibus Salisb. Monum. SS. I, 89. quo efficitur eos saec. XII. non esse antiquiores. Neque enim, docente Bethmanno, ulla manuum diversitas in codice apparet, sed omnia eodem calami ductu exarata sunt, quem saec. XI. attribuendum merito putaremus, nisi Gratiani mentio obstaret.

optimisque libris referta bibliotheca codex quidam saec. XII. membranaceus in quarto n. 497, ex quo mense Septembri anni 1847, quum a monachis Admuntensibus humanissime exceptus essem, opus iam edendum exscripsi. Praecedunt Consuetudines Cluniacenses iubente Wilhelmo abbate Hirsaugiensi conscriptae[1].

Vitam ibi invenies Gebehardi, altera quae hucusque sola innotuerat multo antiquiorem, a monacho quodam Admuntensi conscriptam (cap. 3.) quae subiuncta est versibus illis de archiepiscopis Salisburgensibus, quos in aliis quoque multis codicibus reperimus. Hos igitur Salisburgi editos ab auctore nostro in rem suam versos esse arbitror, sed ne opus eius capite truncaretur, hoc loco imprimendos existimavi, additis continuationibus quas alibi inveni. Praesto fuerunt codices

1) *Capituli Salisburgensis n. 311, nunc bibl. caes. 2090, memb. fol. (Arch. X, 552.), scriptus tempore ipsius nostri Gebehardi, ut ex annalibus*[2] *patet qui cum aliis quibusdam ibi Regulae Canonicorum sunt praemissi. Versus in prima statim pagina scripti sunt, manu continua usque ad Gebehardum, sed temporum iniuria ita attriti ut nonnulla prorsus evanuerint. Alia deinde manus duos versus de Gebehardo addidit, et tertia de Tiemone quatuor, quos praeterea solus cod. 4. habet. Ad hunc proxime accedit*

1$_b$) *Codex S. Petri Salisburgensis (Archiv X, 617.), in archivo monasterii sub littera* M *servatus. Is merito summi semper aestimatus fol. 2 versus eosdem, inclusis duobus qui in cod. 1. ab alio additi videntur, manu saec. XI. exeuntis scriptos exhibet.*

2) *Admunt. 497. qui cum Gebehardo desinit. Cum hoc ita consentit*

2^b) *Cod. bibl. Univ. Pragensis VIII. H. 7. memb. saec. XII. fol. (Archiv X, 666.), ubi versus illi post collectionem canonum scripti sunt, ut vel inscriptionem „Noticia eiusdem Gebehardi" referat. Eum ex monasterio sancti Lamberti in Styria Pragam devenisse suspicor. Sed illum exscripsit*

3) *Admunt. 1. (Archiv X, 631.) in folio ingenti bibliorum volumini saec. XI. praefixo, cui saec. XV. versus nostri cum continuatione usque ad a. 1427 inscripti sunt, cum abbatum Admuntensium serie metrica. Quae post a. 1343 sequuntur, hic solus exhibet.*

4) *Cod. Univ. Grazensis in folio 42, 64. saec. XII. olim Sancti Lamberti in Styria (Archiv X, 624.), ad cod. 1. prope accedit, sed post versus illos de Tiemone alios addit 18, quorum priores 12 reperiuntur etiam in cod.*

5) *bibl. caesareae 3358, olim inter Recentes 3087. saec. XV. chart. in folio (Archiv X, 537.), cui fol. 11. excerpta quaedam ex vita altera insunt et fol. 112'. versus illi, quos prima manus iam in Virgilio finivit, quod casu quodam factum arbitror, etsi versus hic varie additi opinioni favent, ibi quondam finem operis fuisse. Certe tantae antiquitatis esse non videntur quae praecedunt, ut Virgilii tempore scripta existimes. — De Gebehardo cum 2. consentit, insertis versibus quos ceterorum nullus habet, deinde cum 4, sed a. 1164 desinit.*

6) *Salisb. 76, nunc bibl. caesareae 1524, memb. fol. saec. XIV. (Archiv X, 548.) post Regulam Canonicorum, Conversionem Bagoariorum et Carantanorum, et Vitam Chunradi archiepiscopi, manu mutata. Desinit in a. 1343.*

7) *Lunaelacensis in fol. 190, nunc bibl. caes. 3745. (Archiv X, 495.) chart. saec. XV. ubi ultimis foliis voluminis secundi postillae Roberti Holtgot*

1) Archiv X, 641. Scripturae specimen tabula exhibet. 2) editis SS. IX, 757.

inscripti sunt. Post a. 1343 *sequitur continuatio usque ad a.* 1429, *quae non spernenda videbatur, sed praeter versuum horridam barbariem verborum obscuritate ita tenebrosa, ut auctoris sententiam vix assequaris. Eandem praebet*
8) *Lunaelacensis in quarto* 182, *nunc bibl. caes.* 4010. *chart. saec. XV.*
5 *nec tamen ex illo descriptus esse videtur.*

Editi sunt Salisburgi a. 1646 *ab Alberto abbate Sancti Petri in Catalogo abbatum Sancti Petri p.* 21, *et iterum a V. D. Hansiz in Germaniae sacrae vol. II, p.* 66. *sed utroque loco tantum usque ad Tiemonem v.* 59. *ex codice* 1^b.

Vitam Gebehardi sequitur Tiemonis vita et passio metrica, cuius se-
10 *cunda pars passioni mox edendae ita similis est, ut ex ea hausta videri possit, nisi utraque eundem fontem sapit, relationem scilicet cuiusdam e comitibus Tiemonis vel scriptam vel ore prolatam, cuius utroque loco mentio fit (v.* 303. *Pass. c.* 15.*). Etiam Otto Frisingensis, qui iam perspexit quam fabulosa haec essent*[3], *Chron. VII,* 7. *ait:* Quam historiam miserabiliter ac luculen-
15 ter in modum tragoediae quidam ex his qui se eidem expeditioni interfuisse testatur exsecutus est. *Ea igitur, quae etiam Paulo Bernriedensi innotuerat*[4], *postea periit, quod facile ferendum est, de anteacta autem Tiemonis vita noster quaedam habet quae apud alterum frustra quaeras. De tempore quo scripsit nihil constat; exeunte saeculo XII. auctori alterius vitae sancti Gebehardi ad*
20 *manus fuit.*

CATALOGUS PRESULUM IUVAVENSIUM[a].

Urbs Iuvavensis fuit olim splendida muris,
Aggeribus magnis munitaque[b] turribus altis.
Sedes hic regum fuerant ac templa deorum
Gente sub antiqua fulgenti marmore structa,
5 Sed veluti legimus multis inculta diebus
Culmine de summo cecidit prolapsa Iuvavo
Ac tegitur silvis teritur lustrisque ferinis,
Urbeque de tanta[c] remanent vix ultima signa.
Haec loca Ruodbertus[d] sibi delegit pater almus
10 Primus et hic sedem construxit pontificalem,
Ac sedis primae regimen susceperat ipse
Conducens late populos ad pascua vitae.

Codd. 1. 2. 3. 4. 5.

Qui successorem sibi fecerat esse Vitalem
Pastorem verum caelesti nectare plenum.

Cod. 6.

Annis sexcentis transactis terque novenis
Pastor primus obit, Vitali sedes obedit[e].

15 Hinc tres abbates adeunt hoc ordine sedes[f]:
Anzogolus[g], Savolus, post hos Ezius venerandus.
Inde Flobargisus pastoris nomen adeptus
Doctrinis vitae sanctum[h] pascebat ovile.
Iohannes post quem sedem possedit eandem.
20 Virgilius[i] exul post hunc meruit fore presul. — Obiit 5. Kal. Dec. Obiit 784 a. inc. Domini.

Codd. 2. 3. *et* 5 *manu secunda.*

[Transtulit[k] hic sedem fundatorem quoque sedis
Esset ut una domus fuit ut prius huius et eius
Et capitale foret templum caput hoc quod haberet.]

Codd. 5. 7. 8.

Nos meritis horum clementer ducat ad ethra
Sanctus sanctorum noceant ne crimina tetra.
Amen[l].

a) *ita* 1. Nomina hic sunt episcoporum sive archyepiscoporum Iuvavensis sedis 2. Hic nota versus de urbe Iuvavensi que nunc Salczburga dicitur ac de nominibus ac gestis eorundem 7. ac g. pontificum eorundem 8. *desunt rell.* b) murorum 4. munita 5. 7. 8. c) detenta 1. 5—8. detrita 4. d) Rŏdbertus 1^b. 2. e) *hos versus post* plenum *praebent* 7. 8. f) sedem 2^b. 3. g) Anzologus 4. 5. 7. 8. h) semen 7. 8. i) Exul V. p. 2. 3. *Notas marginales solus* 2 *praebet, manu paullo recentiore scriptas.* k) *in* 5. *manus altera haec cum reliquis post* presul *addidit.* l) *deest* 7. 8.

3) Idem senserunt editores Actorum SS. Sept. VIII, 596. qui hanc ob causam Thiemonem praetermiserunt. 4) etsi hic sua etiam ex sola hominum fama haurire potuit, V. Greg. VII, c. 13.

Abbas Bertricus post quem[a] stat in ordine scriptus.
25 Arn cui successit qui fortiter omnia gessit, — Obiit 9. Kal. Febr. Obiit 822. anno inc. Dom.
Archipotestatem qui primus habebat eandem.
Abbas Ammiloni[b] successit episcopus illi.
Hunc Adalrammus sequitur pastor memorandus. — Obiit 836. anno inc. Dom.
Iuxta quem mitis curam suscepit ovilis
30 Presul Liuprammus[c] meritorum laude decorus. — Obiit 859. anno dom. inc.
[Istanc ad sedem qui sanctum transtulit Hermen
Susceptum Rome papa tradente Leone[d]. *Codd.* 2. 3. 5.]
Huic Adalwinus monitor successit opimus. — Obiit 2. Idus Mai. Obiit 873. anno.
Adalbert[e] dictus tunc est in sede receptus.
35 Post illum sedi Dietmarus prefuit ipsi[f]. — Occiditur in bello 906. anno.
Doctor divinus successit cui[g] Piligrimus. — Obiit 8. Idus Oct. Obiit 923. anno.
Oudalpreht[h] similem post hunc[i] conscendit honorem[k]. — Obiit 935. anno.
Inde Dei servus prefertur mox Egilolfus. — Obiit 939. anno.
Accepit dominum tunc sancta Iuvavo Heroldum. — Excecatur 956. anno.
40 Cui rector[l] fidus succedebat[m] Fridaricus[n]. — Obiit Kal. Mai. Obiit 990. anno.
Post hunc Hartwicus divinae laudis[o] amicus — Non. Dec. Obiit 1023. anno.
Pavit oves Domini regno famosus in omni
[Quem placitum Domino signorum iam probat ordo. *Codd.* 2. 3. 5.]
Guntherius tali numero meruit sociari, — Obiit Kal. Nov. Obiit 1025. anno.
45 Natos ecclesiae bene qui defendit ab hoste.
Post hunc Dietmarus suscepit in ordine clarus — Obiit 5. Kal. Aug. Obiit 1041. anno.
Huius ius sedis, miserae spes maxima plebis.
Hinc sub Balduino[p] pollebat presule digno — Obiit 6. Idus Apr. Obiit 1060. anno inc. Dom.
Donis[q] et rebus urbs eius adaucta diebus.
50 Lux et forma boni post hunc successit[r] honori
Ingens vir proavis[s] Gebehart, ingentior actis[t]. — Obiit 17. Kal. Iul. Obiit 1088. anno.

[Nobiliter natus fuit ex Suevis Gebehardus,
Fundator sedis Gurcensis et hic Adamantis[u].
Legatus papae fuit his in finibus ille.
55 Archycapellanum sibi fecerat hunc quoque regnum[v].
Salzpurhc pontificem sibi post suscepit eundem. *Codd.* 2. 5.]
Qui[w] primus decimas constrinxit[x] reddere iustas
Sclavorum gentem tanti[y] doctoris egentem[z].

Codd. 3. 6. 7. 8.

Inde Tiemo rexit quem martyrii nova vexit
60 Gloria, sanguis eum laureat ante Deum.
Dum sacer hic presul hinc est pulsus vagus exul,
Tandem quod meruit victima sacra fuit.
Post quam magnorum de sanguine cretus avorum,
Quem[*] sua nobilitas extulit et pietas,
65 Cunrat[a] successit vir virtutis quia gessit
Hic opus hic animum non levis in vicium.
Iusticie cultor, districtus criminis ultor,
Quando fidem coluit spes sibi firma fuit.

Codd. 1 *mutata manu.* 4. 5.

Abbas hinc Tiemo solio succedit opimo,
Electus presul, patriis[b] post finibus exul,
Tantum pro Christo solio proscriptus ab isto,
Membratim caesus martyr Babilone sepultus.

Desinit 1. *pergunt* 4. 5.

Inde sacram sedem rexit vir dignus eandem
Chuonradus proavis inclitus ille gravis.
Voce lupo terror, ovibus tutela nec error,
Fecit quod docuit, cui stola mucro fuit.
Is regni cleri decus obtinuit renovare[c]
Canonicam fratrum fert uti norma patrum.

a) hunc 2. 3. 5. b) Amilion 5. Ammilon 7. 8. c) Lutprammus 2. 3. Luprammus 4. Luitpramus 5. d) Hic S. Hermen adduxit de Roma 7. 8. e) Udalbreht 2. 3. Adalbreht 2b. Adalbertus 4. Adalbrecht 5. f) illi 2. 3. 5. g) cui succ. 4. s. ei 5. h) Oudalbreht 2. 3. Adalbreht 2b. Oudalbertus 4. Ludbertus 5. i) quem 5. k) ad edem 5. l) Corrector 2. 3. 5. m) successit tunc 7. succedit tunc 8. n) Fridericus 2—8. o) legis 2. 3. 5. 6. p) Beldingo 2b. Baldwico 4. q) Bonis 4. r) succensit 4. conscendit 5. *Versus deest* 7. s) pactis 5. panis 7. 8. t) istis 4. u) *ita* 5, *qui solus hunc versum habet.* v) dignum 5. w) Hic 2. 2b. 5. *In* 1. *hinc manus secunda pergit.* x) construxit 3. 6 7. 8. y) g. sub se rectore manentem 2b. 5. g. sub se r. m. vel diocese sua habitantem 2. *ubi iam vita Gebehardi sequitur.* z) *ibi desinit* 1b. *) nunc *addit* 3. a) Chunrat 6. 7. 8. b) paternis f. 5. c) renovari 5.

Lex et forma bonis fuit auctor religionis
70 Et pater ecclesie subveniendo pie.
Tali sorte bonus decessit morte patronus,
Aspera condicio non nocitura viro.
Isto privata sub sorte Iuvavo beata,
Spes tibi magna redit, lux duplicata venit.
75 Nam sacer antistes Eberhardus tergere tristes
Destinat hinc lacrimas quo iubilare queas.
Qui tibi prelatus aurum velut igne probatus
Celitus emicuit, lux sua vita fuit.
Hic ubi[a] transivit, sedem Chunradus adivit[b] 1164.
80 Semine regali qui natus et imperiali
Extulit omne genus preclarior ipse racemus.
Nam presul factus verbum transformat in actus,
Implens vivendo quod personat ore docendo.
Post Alberte tuo titulo redimita Iuvavo 1168.
85 Fessa labore iacet, nam tibi iusta placet
Pars, dum quilibet hunc papam sibi vendicat aut hunc,
Pelleris ergo loco iusticie merito.
Scismatis errore perplexa labore Iuvavo
Ut folium nunc huc vento nunc pellitur illuc.
90 Fluctuat, artatur, iam iam casum minitatur.
Fit Chunradus ei tandem portus requiei, 1177.
Imperio carus, vir prudens, sanguine clarus.
Scismate cessante mundum Domino moderante
Cepit aboleri pars impia, recta teneri,
95 Redditur unde sua Chunrado iure Magunta, 1183.
Corde nec[h] ignavo convenit tota Iuvavo,
Extranei, cives, pauper, vir, femina, dives,
Primas et clerus clamans suus est quia verus
Albertus presul, revocatur dum pater exul
100 A Christoque datum possedit pontificatum.
Hinc liquit tutus hec terrea carne solutus
Et fruitur palma iam sede locatus in alma. 1200.
Post successit ei vir magne progeniei
Presul Brixensis Eberhardus, gloria gentis
105 Flosque sacerdotum, vas sacro flamine fotum.
Huius ut hinc flatum celi rapuere beatum, 1246.
Purchart inde datus qui de Zigenhagen vocitatus
Privatur vita non visa sede petita.
Plebs sibi tunc tota divino numine mota
110 Optat et hortatur, petit ut sibi preficiatur
Dogmate non lippus sed clarus in arte Philippus,
Princeps Sclavorum, patrie flos dux et eorum[5]. 5
Hic nondum functus vice pontificis vel inunctus
Pellitur a clero rationis tramite vero.
115 Sekkowensis eum presul retinendo tropheum 1256.
Ulricus sequitur et sedis honore potitur.
Cui restat dictus magna virtute Philippus
Fitque gravis terre dissensio turbine[i] guerre.
Vir meritis clarus successit eis Eberhardus,
Pastor egenorum, vivendi forma[c] piorum.
Hic dum vivebat hec[d] sedes pace vigebat.
Nec[e] regni terror nec movit scismatis error.
Vixit forma gregis, iustissima semita legis.
Pacis terra bono caruit migrante patrono[f].
Pro quo Chuorradus ex regum stemmate clarus
Fortis agonista dum cogeret undique scisma,
Gloria carnalis spes seu timor imperialis
Si temptaverunt sed nunquam prevaluerunt.
Huius morte patris libertas pontificalis
Non sic digna premi gemuit[g] sub pondere regni.

———

a) tibi 7. 8. b) Chunradus. hic tumulatus 3. *in marg.* c) norma 5. d) sedes hic p. 5. e) Vixit — legis. Non regni t. m. n. s. error. 5. f) *hic desinit* 5. g) genuit *cod.* h) ne *codd.* i) turbinis *codd.*

5) Filius erat Bernhardi ducis Karinthiae.

Bis quinis annis cessant divina, tyrannis
120 Terra replebatur et clerus ubique vagatur.
1265. Pax optata redit, liti pars utraque cedit.
Hinc Wlodizlaus[a] princeps et gente Polonus,
Indolis egregie, prepollens arte sophie,
Pastor succedit, cum milite clerus obedit.
1270. 125 Post hunc ius huius sedis rexit Fridericus,
Iusticie lator Fridericus, pacis amator.
1284. Cui[b] natu[c] Suevus Rudolfus menteque sevus
Mox ut successit in primis strennua gessit.
Qui patris ossa locat conciliumque vocat,
1288. 130 Virgilium transfert, Bawaris quoque paucula dans fert
Quod Salzpurga luis plurima dona suis.
1290. Ertfurt[d] mors tandem rapit illum corpore grandem.
Post datur a sede Chunradus alumpnus in ede
Ecclesie pollens, se mox ad forcia tollens.
135 Hostes convellens et ab obsidione repellens
Terminat invicta cura sibi bella relicta.
Arces vallavit, firmavit et amplificavit.
Correxit mores, superauxit res et honores.
Quo leto leta stant presule cuncta quieta.
140 Cui cum sit sensus, virtus et copia census,
Que faciet plura describent metra futura[e].

1312. Post hos Wichardus successit in omnibus argus,
Austria quem genuit, quem Pollenhaim[f] vocitavit.
Causa subest, propriis virtutum luxit habenis.
145 Huic[g] tribus et semi connexis cursibus anni
Sedes recture fuerat subiuncta quiete.
Sanctis conclusis nec multum certificatis
Antiqua requie tumbam construxit in ede
Luci propositam gratis novitatibus aptam,
150 Ut cunctis sancti templo presente patroni
1315. Lucis fortunam tribuant deleantque ruinam[h]. —
1338. Mart. 30. Anno milleno trecentenoque trideno
Octavo quibus appendas trinoque[i] Kalendas
Aprilis mensis decus ecclesie Iuvavensis
155 De Leybnicz[k] Fridericus[l] obiit virtutis amicus,
Sub pallii pannis qui viginti tribus annis
Metropolim dictam rexit, protexit amictam
Virgineo flore, vitam clausit sub honore.
Tecum sit, Christe, Fridericus tercius iste.
160 Post hunc Heinricus de Pyrnprunn[m] quasi ficus
Florens processit, grossos fructus bene gessit.
Concors electus confirmatur cito rectus.
Recta regens recte, concrescunt cuncta provecte.
Parisius dye summorum philosophie
165 Culta fuit palma doctorum mens patris alma.
Heinricus primus fuit hic virtutis opimus
Auctor, flos morum[n], cleri pater, hospes honorum.
Que post hec agat hic melior me versificans dic[o].

---

a) Blodizlaus 3. Vladisl. 7. Blodisl. 8. b) Qui 3. c) natus 7. 8. d) Erdfurt 3. e) *hic cum folio manus mutatur* 6. f) Pollenhaym 3. Polhaim 7. Polenhaim 8. g) Hinc 7. 8. h) Anno 1315. *adscripsit manus coaeva in* 6. i) ternoque 6. k) Leynicz 3. 6. l) Fridricus 6. 7. m) Pirn̄prūn 7. Pyrn̄prūn 8. n) florum 3. o) *hic desinit* 6. *Postea successorum* 12 *nomina subscripta sunt.*

Codd. 7. 8.

Ortolfus.

De Weyssenegk exit Ortolfus qui bene rexit
170 Annis bis denis quasi quatuor; hic homo lenis,
Constans, sincerus, prudens, humilis quoque, verus,
Dapsilis et mundus, devotus eratque iocundus.
Hostibus hic durus obsistebat quasi murus,
Tradidit armatis stipendia larga vocatis.
175 Dorenberg destruxit, Tetelhaym nactus bene struxit.
Tann duo vastavit, sed Liechtentann reparavit,
Muris firmavit, Rayn et Bischacz superavit.
Ecclesiam ditans cruce pulchra, crimina vitans,
Auxit divina nactus iudicia trina.
180 Predia collegit, vineta domosque subegit
Ecclesie. Cristum rogo quod salvificet istum.
Annis M ter C decies sex iungito quinque
In festo Clare migravit ad ethera clare.

Pilgrimus.

Post hunc Pilgrimus non in virtutibus ymus,
185 De Puechaim natus, feliciter iniciatus.
Curia Romana sibi fecerat omnia plana,
Qua bene susceptus est que querebat adeptus,
Ad partes letus rediens agilisque facetus.
Cesar honoravit hunc[6] ex auro quia favit
190 Quod possit summos florenos cudere nummos,
Quodque sui iuris hominem quicumque futuris
Temporibus poscat ad pugnandum cito noscat,
Quod Salczburgensem petat aulam qua pugil ensem
Porrigat ad bellum sibi perficiendum duellum,
195 Et quod dampnandi pro crimine sunt superandi
Iuratis tantum trinis delicta probantum.
Ecclesiam suam iusta virtute defendit,
Viriliter terras Bavarorum igne succendit.
Per plures gwerras potenter adiit terras
200 Bavari Fridrici ducis sui non amici,
Quem destruxisset si nondum captus fuisset — 1387.
Per Bell[a] tractatum ducis Stephani male datum
Sub suo conductu quod deplangat suo luctu.
Sed virtute Dei Pilgreim datur bone spei
205 Et liberatur magneque potencie datur.
Duces diffidat eosdem, rite formidat
Armis, balistis potentum sciens in istis
Vim expugnandi Abtsee sibi prestandi, — 1388.
Quod Dei fretus habuit auxilio letus;
210 Possessione sua nunc gaudet ecclesia.
In Utter latum castrum emit nominatum,
Altentann totum sue basilice notum,
Et castrum Matsee[b] tunc emens protulit ad se, — 1390.

Cod. 3.

Post hunc fit rector Salczburge fortis ut Hector — 1343.
Egregie gentis Weyssenekger vocitatus
Ortolf qui terras pace conservans, quoque guerras
Funditus extinxit, tyrannica bella restrinxit.
Nec non arte suos vicit varios inimicos.
Pilgrimus sequitur et huic similis reperitur
Firme tuendo suos bello prior ut Machabeus,
De Puchaim factus, decorat quem nobilis actus.
Ipse timoratus non erat sed ad ardua ratus
Nemo ducumque minis hunc leserat, ymmo ruinis
Se dare captivis vult sit fraudacio quamvis,
Sed perit hic nexus utriusque precamine sexus.
Gregorium vigilem clerus prefecit herilem.
Is velut alter Abel non sensit nequicie fel,
Osterwicz natus populo pincerna vocatus, — 1365. Aug. 12.
Simplex ac verus, ast corpore valde procerus.
Largus erat nec desierat dare munera parvis,
Iure peritus et ad bona tritus struxit in arvis
Montanis castra, tandem spero tendit ad astra.
Hinc et pacificus Salomonicus est Eberhardus
Sede locatus, strennue natus, corpore pardus,
Providus et constans, Newnhauser nomine prestans. — 6
Discordes novit concordes reddere multos,
Divinos cultus multiplicare novit[c].
In Frisingensem vibravit fortiter ensem,
Funda cum lapide prevalet in Davide.
Castra devoravit urbesque munimine pavit,
Principibus iunctus confederat undique cunctos,
Crescere nec linquit lites pastor pius inquit,
Pauperie pleni ne deficiant vel egeni.
Quem velit ad gremium rex locitare suum.

---

a) *ita uterque.* b) Matzsee 7. c) rouit *c.*

6) Diploma dedit Senkenberg Visionum p. 194.

Et schefrecht iura subiecit mente secura,
215 Et pluribus bonis multifariis quoque[a] donis
Prefuit ecclesie tempore longo sue.
Res multas emit multa castraque redemit.
Potentes stravit, magnos gladiis superavit,
Ecclesie flores relinquens res et honores.
220 Post hoc fundavit capellam quamque dotavit
Sex capellanis et redditibus bene sanis
In Salisburgo, medelam cuius assurgo
Me petiturum ac sperans exauditurum
Ut anima Cristi sui in Abrahe sisti
225 Sinu locetur et celice glorie detur.
Hoc deus munus concedat trinus et unus.

Gregorius.

1396. Capitulum tandem sibi prefert corpore grandem
In Osterwitz natum Schenkch Gregorium vocitatum.
Undecima vocat Aprilis et sede locat.
230 Presul Romanus Bonifacius non bene sanus
Hunc cito confirmat quia munera plurima donat.
Annos septenos dies novemque vigenos
Ecclesiam regit, vitam cum pace peregit.
1403. Mai. 9. Post M bis duo C annos ac tres superadde
235 Domini, natalis mensis Maii die nona.

Eberhardus.

Mille post annos nec non Domini quadringentos
Terno secunda prefectus die vicena
Mai. 22. Electus digne regine festis Helene
Est Eberhardus ille sapiens pre ceteris mille,
240 Nobilis vere nunc en est generis de Neunhausen[b].
1406. Ian. 13. Tandem bis trino confirmatur iste sub anno.
Septimus hoc voluit Innocencius papa quod fecit
Die tredecima mensis Ianuarii recta
Et confessoris Hilari die decoris.
245 Postea die mensis consecratur quarta Aprilis.
Hoc signum datur: Ambrosius tunc laudabatur.
Fit Salczburgensis, quem dive Secoviensis
Nomine Fridricus[c] virtuosus atque pudicus
Digne laudavit, sacre dignum consecravit,
250 Archipresulem dominum Salczburgensem Eberhardum,
Quem sibi Rudbertus voluit, nam erat expertus.
Regit prudenter, gubernat ac sapienter,
Terras pacificat, adversa singula sedat.
Principum is pacifex et pacificandi magister,
255 Annam amavit minas per quam superavit.
7 Hic papa nonus, Frisingensis alter insanus[7].
Cunctipotens statuit nobis Eberhardum donavit.
Verax, pudicus fuit hic, inimicis amicus,
In moribus gravis, mitis et ore suavis,
260 Pauperibus clemens, sobrius ac denique prudens
Et vulgo gratus, acceptus, glorificatus.
Clerum amavit, duo concilia celebravit.
Ynnberck construxit, Lawffen, Berffen bene, Radstat[d],

a) que 8. b) Newenhausen 8. c) Fridericus 7. d) rastat 7.

7) Scil. Bonifacius IX. papa Bertholdo episcopo Frisingensi sedem Salisburgensem dederat, qui tandem a. 1406 pecunia suasus cessit.

Saxenburck, Frisacum, Gmunden repperis reparatum
265 Et renovavit veterum plura, restauravit,
Edificat strennua post plura plurima multa.
Repparat[a] vastata, redemit inpignorata.
Redditus adauxit, prediis predia cumulavit
Ecclesie, rexit quam et in pace protexit
270 Annis vigenis tribus et mensibus novem.
Inde transactis Domini mille quadringentis — 1427.
Viginti septem Februo quindeno Kalendas — Ian. 18.
Caro petit humum spiritus locumque quietum.

Eberhardus[b].

Invenies annum nunc ecce tunc Eberhardum
275 Brid[c]. el. Fe. Nonas et ter. con.[d] Ydus Aprilis[7], — 7
Intrat Urbani, Sec. consecrat Iuni die prima;
Lavent. Kyemensis assistunt et Salonensis.
Presedit annis binis quinisque diebus.
Terra suum corpus hic accipe quinto Feb. Ydus, — Febr. 9.
280 Et quia decessit cito nescio que minima gessit. — 1429.

Iohannes[e].

Bis cedit sedi Iohannes pontificali.
Idem vocatur Petrus postquam kathedratur, — Febr. 22.
Quem si diligeret ter vocat ut sibi pascat
Agnos, sic illi se Cristus ter manifestat.
285 Hunc Maii denis confirmat papa Kalendis. — Apr. 22.
Martinus dictus est huius nomine quintus,
Et Marcellini cappellum[f] mittitur illi. — Iun. 2.
Ulricus gnarus hic doctor mente preclarus
Secovis ecclesie, cui presul presidet ipse,
290 Consecrat, inungit, duos astantes sibi iungit
Et Ebser gratum Iohannem pontificatum
Kyemensem crismat archos ecclesie quem dat
Festo Basilidis Nazar Cirini Naboris. — Iun. 12.
Pallio baptiste Iohannes utitur iste. — Iun. 24.
295 Versibus hic stetur quid postea nunc operetur[g].

NOTICIA EIUSDEM ARCHYEPISCOPI GEBEHARDI[h].

Nobiliter natus fuit ex Suevis Gebehardus.
Legatus papae fuit his in finibus ille,
Archycapellanum sibi fecerat hunc quoque regnum.
5 Salzpurhc pontificem sibi post suscepit eundem.
Hic primus decimas constrinxit reddere iustas[8] — 8
Sclavorum gentem sub se rectore manentem
vel diocese sua habitantem.

Is autem statuit et edificavit monasterium in valle Admunte, quod et dedicavit anno in-
10 carnationis Domini 1074, indict. 13, 3. Kal. Octobris, anno ordinationis suae 15, in honore — 1074. Sept. 29.
sanctae Dei genitricis Mariae et multorum aliorum sanctorum, nominatim autem et excellenter
sancti Blasii episcopi et martiris. In quo ad serviendum Deo monachos collocavit et ordina-
vit. Ad quorum stipendia et vestes vel etiam ad quorumcunque advenientium egenorum
sustentationes donavit predia et optulit, maxime illa quae sui episcopatus tempore in ius

15 a) Reperit 6. b) Starhenberg *addit manus* 2. *in* 6. c) Bril. 8. *an* Pridie? d) cau. 8. e) Reisperger *add.* 7. *manu* 2. f) capellum 8. g) *manus* 2. *in* 7. *addit:* Fridericus drugsecz de Buerberg. Sigismundus de Volkenstorffe. Purckardus Weispriacher. Wernhardus de Rôr. h) *haec damus ex solo cod.* 2; *v. supra v.* 58.

7) Ni fallor significat eum 2. Non. Febr. electum, 3. Id. Apr. confirmatum, Kal. Iun. ab ep. Secowensi
20 esse consecratum. 8) scil. *secundum iura canonum* quibus minorem fuisse *solitam decimam quam ante secundum consuetudinem Sclavorum dederat* legimus in Cod. Trad. Baldw. App. ad Iuvaviam p. 251.

ecclesiae Iuvavensis cui prefuit ex diversis commutationibus et complacitationibus accesserunt. Dedit ad haec decimas complures suis exactionibus acquisitas[9].

2. Ante quoque anno incarnationis Domini 1072 constituit sedem episcopalem intra Karinthiam in loco Gûrca dicto[10], cui prefecit et consecravit episcopum Guntherium 2. Non. Mai, presentibus et conbenedicentibus episcopis Altwino Brihsinensi, Ellenhardo Frisingensi, Candiano de Ystria, caeteris comprovincialibus episcopis, Ottone scilicet Ratisponensi, Altmanno Pataviensi, per epistolas suum in hanc ipsam ordinationem prebentibus assensum. Prolata est ibi tunc et epistola domni Alexandri papae et ad confirmationem huius constitutionis in auribus populi lecta et interpretata. Sed et litterae regis Heinrici suum in hanc consensum pronuntiantes similiter sunt recitatae. Quae utraeque destinatae sunt servari in ecclesia Iuvavensi[11]. Iuvit ad hanc novam constitutionem et quidam veterum noticiarum codex. Repertus enim erat talis in camera librorum Salzpurhc, et in eo repertum qui episcopi sub quibus archyepiscopis Salzpurgensis ecclesiae vices et ante gessissent in prenominata regione. Repertae sunt in eodem libro crebrae discordiarum causae inter ipsos archyepiscopos et subepiscopos illos, propter quas conicitur et estimatur vicem illam tunc cessavisse et morientibus aliis alios non fuisse substitutos. Et quia huiusce stabilitatis anchoras non habebant, sedem videlicet episcopalem et clerum ac plebem in separatis sibi parrochiae terminis cum qualibus supradicta restauratio renovata est et stabilita.

3. Deinde post aliquantos annos excommunicabatur rex Heinricus in synodo Romana, et episcopi singuli missis a papa Gregorio epistolis premoniti sunt ętiam obsecrati pro observanda sancto Petro et eius vicario obędientia, inbanniti quoque et sub optentu officii sui sunt astricti ne regi anathematizato et eius consiliariis nominatis communicarent. Hoc novum sive rarum in regem anathema utrum ex venditione episcopiorum et abbatiarum an ex alia infamia causas sumpserit penes earum conscios sit et iudices: nobis sententia pastoris timenda est sive iusta sive iniusta et potius nobis Admuntensibus monachis commemorandi sunt actus et eventus illius antistitis, de cuius stipendiis nos contigit vegetari et de presentia sepulchri eius gloriari. Hic itaque cum domno apostolico tanquam magistro obediret et nollet cum nonnullis sui ordinis ad hoc consentire ut in abiectionem illius papae subscriberet eique obedientiam abdicaret, multa tunc suae personae et ordini indigna a fautoribus regis excepit. Qui et mox ecclesiae suae bona diripiebant, unusquisque vicina sibi quasi ex permissione regis vendicans et bannos domni papae ipsiusque nostri ob hanc direptionem illi factos parvipendens. Sub publica tandem fide etiam dato a rege ducatu Ratisponam veniens[12], expurgare se in quibus a rege culpabatur recusavit nisi prius omnia quae ei ablata fuerant iuxta statuta canonum emendarentur. Inde prolixa inter eum et inter prelocutores regis coram rege agitata est questio.

4. Postremo infecta re utrimque et indefinita exivit ab urbe Ratispona, ad urbem suae sedis eo comitatu quo venerat reducendus, sed a media via divertit et ad partes secum facientes secessit modo cum Suevis modo cum Saxonibus tempus educens. Post haec nono exulationis suae anno ab Engilberto comite[13] et ab aliis quibusdam ecclesiae suae militibus, etiam a compluribus servitoribus suis reductus est in episcopium suum, et a clero pene toto cum commitantibus se episcopis, Pataviensi scilicet Altmanno et Meginwardo Frisingensi, in sedem suam est receptus. Ubi confestim hunc qui in locum suum priore anno subintravit[14], simulque illos qui in loca illorum episcoporum qui secum revenerant, sicut invasores alieni iuris anathematizavit ipse et coepiscopi sui qui cum ipso aderant, presbiteris et caeteris qui presto erant respondentibus *Fiat* aut *Amen*. Sicque deinceps in parrochiae suae terminis curam exercens episcopalem duobus fere vixit annis. Anno igitur incarnationis Domini 1088,

9) V. indicem donationum eius apud Kleimayrn, Iuvavia p. 260. 10) Chartam fundationis dat. 2. Non. Mart. a. 1072. v. apud Ambr. Eichhorn, Beiträge zur Geschichte von Kärnten I, 194; de consecratione Guntheri de Chraphelt alteram d. 2. Non. Mai. ib. II, 111. 11) Ceterae in Gurcensi ecclesia servabantur cum duobus Heinrici IV. privilegiis d. 9. Ian. 1072, editis in Actis SS. Iun. V, 519. et a V. D. Eichhorn l. l. I, 202. Quae rei gestae ordinem egregie illustrant. 12) auctumno a. 1077. Bertholdi annales, SS. V, p. 301. 13) de Ortenburg ut videtur, patre Engilberti marchionis Istriae. 14) Perhtoldum, qui intrusus esse videtur quum post synodum Moguntinam a. 1085 episcopis imperatori renitentibus depositis alii eorum loco ordinarentur, teste Ekkehardo et Waltramo. In synodo Quedlinburgensi mense Aprili a. 1085 habita inter invasores sedium episcopalium Perhtoldus nondum commemoratur. Hic *dictus Prunzagel oriundus de Mosburch castello Bawarie* vocatur in Chron. Gurcensi.

transactis ab ordinatione sua annis 27, mensibus 10, ebdomadibus 2, diebus duobus[15], 17. Kal. Iulii obiit et in monasterio quod ipse construxit sepultus est.

5. Hic a sancto Roudberto primo Iuvavensis sedis episcopo vicesimus sextus fuit, ab Arn primo eiusdem sedis archyepiscopo sextus decimus. Vir hic erat ingeniosus satis et litteratus, orationibus studens et lectionibus, canonum maxime scrutator, elemosynarum largus, in contemptores et contumaces ultor irrevocabilis erat, sive banno sive alterius potestatis exercitiis uti in illis voluit. Dictavit idem de illa dissensione quae suo tempore in ecclesia fuit libellum quo et semet excusaret et quantos ex contraria parte posset huic cui ille favebat parti sociaret[16].

Iam manifestetur post illum quid sequeretur.
Dietmar laudatur dum Perhtolt hic reprobatur,
Vivi pontificis non sacrae regula legis
Fungi cui virga tribuit, sed principis ira.
5 Dietmar seu Tiemo hunc ordine movit ab isto.
Narratis supra dat res superaddere plura,
Et requies strictae fit opus variabile vite.
Rumpitur et nervus si semper tenditur arcus.

Quid fles Admuntis Gebehardi funere tristis?
10 Restet post fletus quod tibi cerne decus.
Est tibi pontificis corpus non gloria vilis,
Cui locus hic tumuli prae tot episcopii.
In te divinos qui fecit iugiter ymnos
Et decantari cantica psalmigrafi.
15 Fecit et hoc in te sint ut solatia cuique,
Plurima nam tribuit de quibus hoc statuit,
Esuriens victum petat in te, nudus amictum
Et vagus hospitium, vallis es en nivium.
Propter iusticiam toleravit et ipse rapinam,
20 Regis ob hanc odium fugit in exilium.
Malens ille miser quam scismatis esse minister
Transiit ad partes lite sibi similes.
Complicibus banni studuit se dissociari
Servans Roma tuo debita iudicio.
25 Post in episcopium plebs hunc nonnulla receptum
Gaudebat cura post ut et ante sua.
Hic pro lege Dei nescivit cedere regi
Vel cuiquam forti vel quoque dedecori.

Nomine de claro quid habes exusta Iuvavo?
30 Et cinis et carbo fullonibus aptaque fabro.
Qui tibi tale dabat nomen, sors illa iuvabat
Hunc, sed res aliae te sic iuvere vocare.
Adiumenta dabas inter montes quia stabas,
Contra visibiles, invisibiles simul hostes.
35 Pugnantes Christi pugnantes bellaque mundi
Quesivisse tui munimina iuvit asyli.
Hic pro divitiis suffecit gratia pacis,
Non fur non raptor fuit hactenus hic habitator.
Talis Roudberto placuit habitatio sancto,
40 Secretae vitae quia congruit angulus iste.
Monte sub hoc templum quasi quoddam fecerat antrum,
Quo mansere viri secum procul et prope lecti.

15) Ordinatus est 3. Kal. Aug. 1060. 16) ad Herim. ep. Metensem. Primus edidit Seb. Tengnagel a. 1612. Servatur etiam in bibl. Admuntensi, n. 352. saec. XII.

Ipse duas cellas[a] antistes rexit et abbas.
Quin potius multas si vis foris addere villas.
45 Norica gens illi, gens Pannonis imputet ipsi,
Usque quod errores non ad se progenitores
Perduxere sui, his hoc doctore redempti.
Condidit ille duas potes hic quas cernere cellas;
Hac nonnos statuit, nonnas sed in arce locavit.
50 Hoc Erindrudem coniunxit in ordine, neptem
Quam sibi progenies, sed fecit adoptio natam;
Secum de patria quam duxit ad haec peregrina.
Luna velut stellas sic vicerat ista puellas,
Inter quas vixit, potuit quae non mala fecit.
55 Ocia contempsit haec, os ad inania clausit,
A vanis vertens aures oculosque retorquens,
Se ieiunando et mortificans vigilando,
Spiritus ut carni potuisset sic dominari.
Sed quantum potuit celavit quae bona gessit,
60 Ardentique suo venit cum lampade sponso,
Et iam cum castis est intromissa puellis,
Quod probat ipse suus nunc per miracula sponsus,
Quae contemplari poteris super ostia templi
Haec quo virgo iacet, varia sub imagine pendent
65 Formae de lignis simulantes dona salutis
Ad tumbam sanctae percepit qualia quisque.

HIC RERUM CARDO SUCCEDEBAT GEBEHARDO.

1090. Abba fit presul Tiemo post martyr et exul,
Quem vita mirum fert pia fama virum.
70 Nempe sibi clarum genus, et super omnia carum
Celitus ingenium splenduit egregium.
Non erat ars talis nec machina materialis,
Cuius si cuperet, hunc modus effugeret.
Dum quid scribebat, sic mentis acumen habebat,
75 Pluribus et variis ut sub epistoliis
Quicquid dixisset mox perpetuo meminisset.
Corpore prevalidus, iusticia rigidus,
Stultis horrori fuit iste, probis sed honori,
Errantum lumen, ecclesiae columen.
80 Sedis Romanae ius non reputabat inane,
Ostendit fidei nobile pignus ei,
Contempnens regis pacem pro federe legis,
Atque minas sceptri pro pietate Petri.
1097. Infertur bellum, fidei tenet illę duellum;
85 Occubuere sui lucę merendo frui.
Ipsum non fregit res haec nec molliter egit,
Obsequium Domini iure negans homini.
Legatum misit cui papa, petita remisit,
Cladeque condoluit, stare virum monuit.
90 Hinc excandescit furor armis, pax requiescit,
Urbe, negata viis, crux fit ubique piis.
Tum pastor captus perfert ergastula tractus
His nunc presidiis indeque nunc aliis.
Dum sic transfertur sed non ad iniqua refertur,
95 Mandatur perimi robur ob hoc animi.
Cervicem vitat ferrum quam vox pia ditat.

a) caulas *superscr.* cellas *cod.*

Frangitur et medius tensus item gladius;
Tantum summa cutis signum tulit integra, cunctis
Fraudis ut indubium proderet indicium:
100 Nec minus esse notam non temporis orbe remotam
Iudico, quam ferrum non secuisse virum.
Exin perteso custode pudore pereso,
Cum metuenda Dei dextra resistit ei,
Solvitur acceptis denis quater ille talentis.
105 Tendit Bawariam, postque Ierosolimam. 1101.
Welfo
Dux catulus socius sibi forte viae fuit huius,
Liupoldi
Cum tenuis pueri matre[17] potentis heri. 17
Ad patriam Domini dum venerunt peregrini,
Quae comitata ruit plurima turba fuit.
110 Alter erat sancta tunc annus ab urbe recepta,
In qua spem lucis mors dedit alma crucis.
Barbara gens igitur quia clade recente feritur,
Ulcisci statuit, prelia conseruit.
Eheu nil clarum manus egit Christicolarum
115 Ni quod dum cecidit pro Domino cecidit,
Quique relinquuntur vite victi capiuntur,
Acti ludibriis thurificare diis.
In quibus artatus rapitur pater ille beatus,
Palmam martyrii qui tulit eximii.
120 Proh dolor! e reliquis multi subduntur iniquis
Cultibus, et minime prospiciunt animae.
Pars captivorum vendenda fuit meliorum,
Mandant pontificem hanc tolerare vicem.
Sic venundandus religatur vir venerandus,
125 At credens agmen prodit amore tamen,
Quis foret aut qualis pater isdem spiritualis,
Illi suspirans, semper eum venerans.
Pagani querunt, concaptivi retulerunt
Nomen et officium atque viri pretium.
130 Hec lictor statim regi memorat seriatim;
Aulica se renovat fama, relator ovat.
Vultu rex hilari iubet hunc ad se revocari:
Ars michi dic, inquit, *cognita quae tibi sit.*
Voce sub arguta: *Novi renovare vetusta,*
135 Dixit; hic ingeminat, quid renovare sciat.
Post vitae priscae discrimen, ait, *nova disce*
Munera perpetuae quae scio precipuę.
Quam nosti fabricam? Respondit: *Et hoc tibi dicam,*
Ingenti studio qualia templa struo.
140 *Pono credenti fidei fundamina menti,*
Argentum, gemmas, huic superedificans:
Aureolum supra culmen quoque transiet astra,
Eterno rutilans sole, Deum iubilans.
Profer, ait, *vere, qua noris in arte placere,*
145 *Ex qua dum placeas, utilis esse queas.*
Argentum nosti procudere, seu didicisti
Ex auro rutilas ducere bratteolas,
Quandoquidem iactas tibi res opus esse per istas?
Presul ad haec: *Fidei ars michi summa Dei,*

17) Ita marchionissa Austriae, matre S. Liutpoldi marchionis, quae et ipsa incerto vitae exitu fabulis ansam dedit; nam teste auctore chronici Weingart. postea pro matre Sanguinei (Emadeddin Zenki) habita est.

150 *Ars ea quo crescit, tua sed mens perfida nescit.*
Queris corporeum nunc opus inde meum:
Non nego me gnarum studiis rerum variarum,
Usus pingendi sunt michi multimodi.
Auri sum nec iners faber, argenti quoque sollers.
155 Rex infit: *Patriis gratia magna diis,*
Qui providerunt nobis tandemque dederunt
Prestantem famulum artibus his sciolum.
En, opifex bone, dixit, *habes laus unde tibi sit,*
Si reparare meum scis fabricando deum;
160 *Nam deformatus manet ac manibus mutilatus.*
Is michi propicius integer est melius.
Vir prudens ipsam statuam petit affore scissam;
Monstrum defertur, malleus expetitur
Maior, et ille datur; tenet hunc tandemque profatur,
165 Ac iubet eloquium promere demonium.
Illud respondit per cuncta nec ulla recondit,
Ex his que voluit vir sacer et monuit.
Multa ferens eque referensque serebat uterque;
Auscultat patiens omnia barbaries.
170 Numinis expectat responsa, silentia prestat:
Voce sed hic patria conserit alloquia,
Hostem cuncta pari cogens sermone profari.
Plurima dum recitant verbaque sic agitant,
Iste vocat Christum, huic ille iacit maledictum:
175 Presulis hoc zelus plectit et ira scelus.
Insiliit truncum zabulique iugale petulcum,
Et quod grande fuit sculptile comminuit.
Vix trocleis nixum plebs illo duxerat ipsum
Cippum quem spacio temporis exiguo
180 Malleus ut tetigit minuens in frusta redegit:
Hic tibi, Christe, vigor, tantus in hoste timor!
Stringitur interea martyr post capta trophea.
Gentilis strepitus personat et fremitus.
Clamant audacem gladium meruisse minacem,
185 Milleque mortis eum cedibus esse reum.
Rex aliquod magnum meditans infligere damnum
Pro facti modulo huic Domini famulo,
Querit fumifera vicini demonis ara
Consulta, quid agat, qualiter hunc adigat
190 In vanum cultum, tam miro robore fultum;
Ultio quaeve dei sit repetenda sui.
Demon ait: *Nolo cita mors agitetur in illo;*
Longa reum sumat pena, diu perimat.
Iamque flagellatus prius et vinclis oneratus,
195 *Claudatur tetris carceris in tenebris;*
Post diversorum sub ludo suppliciorum
Formam Christicolis profer eum populis.
Nec sibi parcatur penis donec moriatur,
Vivo quique favent in nece forte pavent.
200 Omnia quae suadet demon rex barbarus implet;
Precones celeres dirigit, haec referens:
Christicolae cuncti seu nobis federe iuncti,
Seu capti gladiis, aut famuli preciis:
Omnes omnino patriotaque cum peregrino,

205 *Passim conveniant et simul aspiciant,*
Quid tormentorum patiatur presul eorum,
Ut casum primi pertimeant minimi.
Hec dum vulgantur, penis adhibenda parantur,
Que furor admonuit, demon et edocuit.
210 Ipse flagellatur felix, ferro religatur,
Carcereaque domo nocte tenetur homo.
Hic quidam veterum referebant ordine rerum,
Arte venenatum tale fuisse flagrum,
Quo dolor inmensus prodiret in intima tensus:
215 Idque virum clarum sustinuisse flagrum.
Tempus nocturnum fluxit, redit inde diurnum;
Rex surgit nimiis rem celerans furiis.
Totius turbae vim secum traxit ab urbe,
Et campi medio considet in solio.
220 Pontificem Christi precepit ibi sibi sisti,
Lictorum trucibus expositum manibus.
Cetus credentum stat prima corona videntum,
Quem circumcludens undique barbaries
Funditur in campo congesta velut brucus amplo.
225 Rex iubet ergo suis hunc dare thura diis;
Iste reluctatur, constanter vera profatur.
Perstans suppliciis adteritur variis.
Causa tibi, o Cicero, satis hec esset vel Homero,
Carmine quam claro Pindarus atque Maro
230 Pro rerum meritis vix possent edere scriptis.
Non diros illos cedis in arte dolos,
Orphea si canerent digne modulamina flerent.
Quae genus hoc scelerum musa canit veterum?
Quisve Latinarum liber id notat hystoriarum?
235 Tamque malum validum quis docet Eolidum?
Hoc Siculi dampni non invenere tyranni,
Non atrox Decius, Nero vel Antiochus.
Vinclis in sella fixus martyr, sua bella,
Psalmos dum pangit, suscipit et peragit.
240 Omnis menbrorum flexura vel articulorum
Est incisa sibi, ceu caro cocta cibi.
A manibus sursum cepit pedibusque deorsum
Sectio feralis; his superaucta malis:
Non artus cuncti sunt uno tempore secti,
245 Ne fieret brevior inde minorque dolor;
Sed primi digiti currente cruore recenti,
Dum pars quae radit ungue nociva cadit,
Poscunt effari, cupiatne deos venerari.
Ille negat, ferrum sevit in hunc iterum.
250 Sic quoque limphantes et caetera menbra secantes,
Quot cum vulneribus tot simul et vicibus,
Hunc cogunt arae pollutae sacrificare:
Nec deterreri mens valet alta viri.
Quisquis[a] sectorum numerum notet articulorum,
255 Et sectum quotiens esse videt, totiens
Norit ad infaustum ritum renuisse coactum[b].
Flebilis astabat cetus Dominumque rogabat,
Athletae proprio esset ut auxilio.
Martyr eos flentes cernens, sua dampna gementes,

a) quis c. b) *pentameter excidisse videtur.*

260 Inter que patitur letior his loquitur:
Non contristati sitis pro clade beati,
Vos, precor, altithroni regia stirps Domini,
Vos, populus sanctus regnis celestibus aptus:
Vos quoque, magnifici stemma sacerdocii.
265 *Dedecet esse meo vobis lamenta tropheo,*
Quod gerit alma fides, perficiet sacra spes.
Immo congaudete, Deum laudare studete,
His qui temporibus fert sua dona pius;
In me dignatur sibi victima quo tribuatur,
270 *Quam rogo perficiat ipseque suscipiat.*
Vulnera cesorum miles bonus articulorum
Iocunda facie pertulit egregie,
Sed cum tortor utrumque genu torquens cubitumque
Frangeret, hinc demum pallor habebat eum.
275 Ultra quid restat? iam truncus debilis extat,
Illic barbaries seva quid invenies,
Quo tormentorum verses commenta novorum?
Exsatiata tuis esse potes furiis.
Non michi dum vivit plectendus sufficit, inquit,
280 *Ad mortis plagam inveniam quid agam.*
Pena subest maior quia restat portio maior
Corporis: hanc alia discruciabo via.
Prima secans extra dilusit questio membra,
Sed quae nunc fiet viscera conficiet.
285 *Ventris adhuc tuta vitali sede, soluta*
Non erit exterius pena, sed interius.
Ergo lanista ferum convertit ad intima ferrum;
Panditur arte nova mortis imago nova.
Venter ubi concreta cuti religantur operta
290 Viscera concisus, protulit exterius
Circumplexorum sibimet caput interiorum.
Ah scelus! id solus edocuit zabulus.
Sacra furens extra sensim lictor trahit exta,
Et circa fustem tracta revolvit item.
295 Vectis erat ligni seu machina facta maligni
Ad curas operis, supplicio miseris.
Dum martyr sensit quia mors vicinior assit,
Sursum luminibus tendit in his precibus:
Summe pater, commendo meum tibi quem modo reddo
300 *Vitalem flatum; oro resume datum.*
Hec cum perdixit, de corpore spiritus exit,
Ethera presidio qui subit angelico.
Quidam tunc presens ibi, post hec cuncta recensens,
Dixit cum populis se propriis oculis
305 Aspexisse choros venientes aethre canoros,
Qui gaudendo piam susciperent animam,
Ac complectentes ferrent super astra canentes.
Hec sibi visa quidem vir dabat ille fidem,
Dum non firmaret si cetera turba videret.
310 Qui super his dubitat, mira secuta legat.
Martyris invicti corpus iussu maledicti
Principis auferri debuit atque seri
Menbratim pariter quo ducit equos via semper.
Rex ferus hoc voluit, sed Deus id vetuit.
315 Nulla manus gentilis humo virtutis herilis

Corpus dimovit, bestia nec tetigit,
Nec vaga turba canum volucrumque cohors variarum.
Multiplici studio prorsus et ingenio
Res adtemptatur, nec celica vis superatur;
320 Non homo commovit quem Dominus tenuit.
Parva minutorum pars quelibet articulorum
Ut mons fixa manet, mors ita sacra valet.
Barbara gens plebi sociatur multa fideli,
Qua potuit sacrum percipiens lavacrum.
325 Mira Dei mirata pio pro funere facta,
Officiis fidei sedula servit ei.
Invidus hinc hostis furit ut spoliis leo raptis,
Quosque Deo rapuit vivere condoluit.
Rex ubi poscebat, demon responsa ferebat;
330 Quod nil proficeret, victus et ipse refert.
Suadet permitti populo te, Christe, colenti,
Pacis ad hoc grata conditione data,
Ut corpus tollant et digno funere condant:
Ne talis pateat gloria sed lateat,
335 Nec tumulo conclusa vagetur ubique profusa,
Quo facilis falli turba cadat populi.
Vi superans semper ruit, inquit, *pace frequenter,*
Invictus gladiis vincitur obsequiis.
Demon mandavit, sibi que prodesse putavit;
340 Non aliter potuit quam Dominus voluit
Reddere responsum, famulans virtutis ad usum,
Impius ille pio numinis arbitrio.
At sibi quam gessit spes in contraria cessit;
Martyris evehitur gloria dum tegitur.
345 Denique nostrates corpus victoris ovantes
Collegere, Deum mirificant per eum.
Mirificant inquam, cum gentem cogit iniquam
Mortuus, officiis reddat ut hunc propriis.
Quos vivens vicit, defunctus denuo vicit,
350 Hostibus elusis gaudia datque suis.
Credentum cetus canit hinc sibi cantica letus;
Hinc clerus cantat, hinc populus reboat.
Antiphonae psalmi pro nomine martyris almi
Coniubilant, celos tangit herile melos.
355 Thus redolet, crux alta nitet cum lampade multa;
Sicque frequens illum plebs vehit ad tumulum.
Traditur excultum post hec magis esse sepultum,
Signorum variis crebrius indiciis;
Aeger nullus ibi defleta sibi mala morbi,
360 Que patitur veniens, inde refert rediens,
Tamque fidelis eum gens quam pagana tremendum
Scit: Deus, hoc carmen laus tua firmet. Amen.

VITA GEBEHARDI, THIEMONIS, CHUNRADI, EBERHARDI, CHUNRADI II ARCHIEPISCOPORUM CUM CHRONICO ADMUNTENSI.

Centum fere post Gebehardum annis elapsis, monachus quidam Admuntensis quum vitam eius antiquam nimis brevem esse neque omnia eius gesta

complecti doleret, aliam scribendam suscepit, et cum fundatore coniunxit successores eius qui pari erga monasterium suum benivolentia fuerant. Verum nec copia fontium, quorum verba non mutata ad musivi operis instar composuit, nec felici ingenio excellens, praecipue res Admuntenses retulit, quae „ex membranis vel ex veracium seniorum dictis" compererat; postrema ipse testis vidisse potest. Initio usus est vita Gebehardi antiquiore et passione Thiemonis; praeterea (c. 6.) libello de conversione Bagoariorum et Carantanorum et c. 12. chronico Ottonis Frisingensis, c. 24. Gestis Friderici. Annales Admuntenses demum post eum conscriptos esse, scilicet ex eius opere notitiis quibusdam adiectis ad exemplar Annalium S. Rudberti, eo probatur quod ibi quae ipsis nostri verbis referuntur plerumque annis aperte falsis adscripta sunt[1]. *Scripsit post a.* 1181, *quo „creberrima" illa ad Eberhardi tumulum miracula evenerunt, quae cap.* 21. *commemorat. Autographum mox in fine truncatum esse videtur, quum codex S. Petri iam a.* 1176. *desinat, et in exemplari Admuntensi anno sequenti narratio abrupte terminetur. Ibi ergo autographum desiisse apparet, quum c. a.* 1235. *Chunradus abbas*

1) *Registrum Admuntense cod. n.* 475. *in folio minore scribendum curaret. Scriptor eius medium tempus supplevit ex Annalibus Admuntensibus, quos ad verbum exscripsit; deinde spatio relicto privilegia monasterii aliasque chartas a pontificibus Romanis, archiepiscopis Salisburgensibus, abbatibus, tum ab imperatoribus aliisque laicis factas exemplavit. Postea alius quidam continuationem brevem usque ad a.* 1242, *tertius aliam usque ad a.* 1259 *subiunxit. Specimina scripturae tabula ostendit.*

2) *Cod. S. Petri H, exeunte saec. XIII. scriptus, vitam cum chronico usque ad finem anni* 1176 *subiungit vitis aliorum archiepiscoporum Salisburgensium.*

3) *Iohannis Lambacensis abbatis editio Aug. Vind.* 1619 *textum exhibet multis in locis ex arbitrio editoris mutatum, at sola servavit prologum a ceteris omissum. Desinit finito cap.* 20. *Ex hoc libro iam tunc raro descriptus est cod. Gotwic.* 602, *prius O* 27, *a.* 1659.

4) *Cod. Lunaelacensis in fol.* 186. *nunc bibl. caes.* 3663. *ch. s. XV. vitae Gebehardi capita* 1 *et* 4. *post Rudberti, Virgilii, Eberhardi, Hartwici vitas exhibet, ex* 2 *ni fallor descripta.*

Excerpta etiam cod. bibl. caes. 3358, *inter Recentes* 3087. *ch. fol. s. XV. habet f.* 11. *sed pauca; in fine scriptum est: „Plura de isto archiepiscopo require in eodem monasterio (scil Admuntensi), historiam pulcerrimam invenies hic brevitatis causa omissam."*

Canisius in Antiquis Lectionibus II, 320. *ed. Basn. Vol. III,* 2. *p.* 314. *ea edidit quae cod. Lunaelacensis habet; VI,* 1227 *vel p.* 434—448. *ed. Basn. vitam integram usque ad a.* 1177, *ex cod. S. Petri*[2] *melius descriptam quam cetera pleraque quae edidit; continuationem ex codice Admuntensi sumptam Bernardus Pez in Thesauri sui vol. II. Diss. isagog. p. LIV. Nos cod.* 1. *secuti menda eius nonnulla ex aliis correximus*[3], *in capitum divisione rubra eiusdem codicis exprimentes.*

INCIPIT PREFATIO.

Studiis quorumlibet tam prisci quam moderni temporis scriptorum inducti, qui vel prout excellentia gestorum vel privata ipsorum erga personas affectio suggerebat, diversa scripsisse et posteris notitiam clarorum sive etiam sanctorum virorum reliquisse dignoscuntur, indignum

1) e. g. ad a. 1106. Mon. SS. IX, 577. 2) repetitam in Actis SS. Iun. VI, 151. 3) diphthongum quoque pro simplici *e* iis in locis reponendam rati, ubi exeunte saec. XII usu veniebat.

duximus unici patris et domini nostri sanctae recordationis Gebehardi Salzburgensis archiepiscopi piam memoriam scriptis non innotescere, cuius preclara monumenta et in nostrae Admuntensis ecclesiae fundatione et in Gurcensis sedis institutione nunc et deinceps perspicua sunt cernere, licet ex priorum nostrorum incuria multa sint illius gesta silentio preterita. Nos tamen quae vel ex membranis vel ex veracium seniorum dictis potuimus colligere in unum compilavimus, dilectione magis tanti pastoris quam scientiae merito animati; illud quoque poeticum presumentes, scilicet: cupidus studiorum est quisque suorum. Preterea quatuor successorum eius, Tyemonis, Chunradi, Eberhardi, itemque Chunradi gesta quaeque preclariora et specialiter erga nostrum Admuntense monasterium larga et multiplicia illorum beneficia huic opusculo inseruimus, ut non solum qui plantavit, sed et qui rigaverunt, simul in scripto presentis paginae resplendeant. Ad haec ordinem seu successionem et laudabilem conversationem abbatum eiusdem coenobii nostri a predictis archipresulibus institutorum, copiosam quoque eorundem exemplo et opere in coetu spiritualium et religiosorum virorum ac feminarum fructificationem superaddidimus, ut in tot egregiis patribus Deus qui dignis eorum laboribus incrementum dedit, merito debeat honorificari.

INCIPIT VITA BEATI GEBEHARDI ARCHIEPISCOPI[a].

1. Gloriosus[b] igitur Gebehardus alto Suevorum stemmate, patre Chadoldo[4], matre Azala[5] progenitus, in primaeva aetate[c] liberalibus studiis traditur imbuendus. Ubi cum docilis puer non tam aetatis incremento quam litteralis scientiae succresceret[d] fastigio, emensa demum puericia partimque adolescentia, ingenuitatem generis morum nobilitate ac sapientiae iubare transcendit. Evacuatis enim quae erant parvuli, divinis se mancipabat obsequiis et lectionibus, quamvis in seculari pomposo scemate forinsecus splenderet ornatus. Per singulos itaque gradus sacris ordinibus insignitus, ad sacerdotii dein[e] gradum quia dignus est inventus, quarto Nonas Marcii, anno incarnationis Domini 1055 a venerabili[f] Baldwino, sanctae Salzpurgensis ecclesiae archiepiscopo, sub sancto Leone papa, est promotus[6]: predicti Deo digni archiepiscopi futurus[g] successor, ac Christi et ecclesiae indefessus propugnator. Huius ergo[h] celebri fama illectus imperator Heinricus III cognomento Pius, Heinrici Babenbergensis successor, eum ad se ascitum regiae aulae summum[i] prefecit cappellanum[k]. Quo post paucos annos rebus humanis exempto, et Heinrico IV filio prioris in sceptra regni succedente, Gebehardus item primus inter primos palacii habebatur[7]. Et quamvis in terreno conversaretur palacio, caelestis tamen regis famulatui summopere inherebat. Anno deinde[l] incarnationis Domini 1060, qui sextus sacerdocii ipsius Gebehardi fuerat annus, post dormitionem prescripti venerabilis Baldwini archiepiscopi[8], concordi et alacri tocius cleri ac ministerialium electione in Salzpurgensem metropolitanum divino nutu est sublimatus, utpote virtutum omnium gratia adornatus. Igitur Deo dignus metropolita Gebehardus tertio Idus Iunii in loco Eschinwanch[9] dicto accepto a rege Heinrico et castae desponsationis sacrosanctae matris ecclesiae anulo et reverendae pastoralitatis baculo, sanctae Iuvavensis ecclesiae sedi ab Adalberone[m] Wirzpurgensi episcopo 12. Kalend. Augusti iuxta sancita canonum intronizatur. Nec longo post convenientibus Ratisponae Gebehardo eiusdem urbis episcopo, Engelberto Pataviensi presule, Ellinhardo Frisingensi pontifice, Altwino Sabionensi antistite, Adilberone Wirzpurgensi preside, Gunzone Ehihstetensi[n] episcopo[10], in gradum episcopalis honoris per laeta popularium suffragia 3. Kalend. Augusti feliciter est provectus. Abhinc uno et semis anno pallii insignibus et privilegio singularis pre ceteris coepiscopis principatus ab Alexandro Romanae sedis episcopo per Wezilinum prepositum 8. Kalend. Marcii gloriosissime persplenduit honoratus. Hiis ille honoribus nesciebat superbire, sed magis humilia de se ipso[o] noverat sentire. Diviciis etiam affluentibus

a) fundatoris ecclesie Admuontensis *add.* 2. b) loriosus *deest* 1. c) sua *add.* 2. 4. d) succrescere 2. 4. e) deinde 2. 4. f) venerabilibus 2. g) f. episcopus s. 2. 4. h) igitur 1. i) *deest* 1. k) capellarium 1. 2. l) dein 1. m) Adilberone 2. n) *ita* 1. 2. Eichst. 3. o) *deest* 1.

4) *III. Non. Febr. Chadolt laicus pater domni Gebehardi episcopi.* Necr. Adm. *Chadolth pater Gebehardi archiep.* N. Salzb. cod. 311. 5) *XV. Kal. Dec. Azala mater Geb. archiep.* N. Salzb. 6) Ita etiam Annales SS. IX, 567. 757; sed Leonem IX noster inconsulte apposuit. 7) A Kal. Oct. 1058 usque ad Dec. 1059 diplomata regia tanquam cancellarius recognovit. 8) *VI. Idus Apr. Beldingus Iuvavensis archiepiscopus anno mill. LX°.* N. Salzb. 9) i. e. Eschwege ad fl. Werra. 10) cuius libro pontificali *Peldinc Iuvavensis* inscriptus est, SS. VII, 249.

cor non apposuit, sed hiis tripliciter usus aut in augmentum et[a] proficuum ecclesiae suae expendit, aut monasteria et basilicas ex eis construxit, vel pauperibus erogavit. Preterea tam regno quam Romanae sedi accommodatissimus existens, dilatabat[b] gloriam populo suo et ecclesiae, quousque inimicus superveniens zizania discordiae inter regnum et sacerdotium prohdolor seminavit. Presul ergo egregius cum instar lucernae candelabro superpositae omnibus qui in domo Dei erant scientiae et vitae merito luceret, eum sancta Romana ecclesia quasi specialem filium[c] suum, quasi verum katholicum iudicavit esse dignum cui legationem suam super omnes Teutonici regni ecclesias committeret. Sic itaque ex archicappellano regni archiepiscopus Iuvavensis et legatus apostolicae sedis provectus, immobilis ecclesiae columpna enituit[d].

V. Geb ant. 1. 1074. Sept 29.

2. Anno ergo[e] incarnationis Domini 1074, ordinationis autem[f] suae 15, in honore sanctae Dei genitricis Mariae sanctique Blasii episcopi et martyris monasterium in valle Admuntensi construxit, quod et ipso anno[11] 3. Kalendas Octobris, indictione 13. dedicavit[f], tempore Gregorii papae VII, anno secundo ordinationis illius[g], imperii vero Heinrici imperatoris quarti huius nominis anno 17. In quo nimirum monasterio duodecim monachos sacerdotes ad serviendum Deo ordinavit, ad quorum stipendia et vestes necnon et hospitum et pauperum sustentaciones[h] predia tradidit, inprimis quae matrona quaedam nobilis Hemma comitissa de Frisaco[i] et de Truhsen[k. 12], post mortem mariti sui Willihalmi comitis et filiorum suorum Hartwici[l] et Willihalmi, tempore Baldwini archiepiscopi sancto Rudperto dedit in valle Admuntina, cum aliis prediis ad coenobium ibidem fundandum, et preterea maxime illa quae ipse sui episcopatus tempore in ius ecclesiae Iuvavensis cui auctore Deo prefuit ex diversis commutacionibus et complacitationibus conquisivit.

Dominicalia quippe[m] episcopii attingere noluit, sed ut diximus prediis quae fidelium donatione vel pro banni absolutione seu emptionis comparatione conquirere potuit, monasterium ipsum dotavit. Fideles quoque suos tam nobiles quam ministeriales rogavit ut predia sua vel beneficia ipsi monasterio contraderent. E quibus specialiter tres nobiles, Liupoldus, Maganus et Anzo[13], plurima quae possederant beneficia resignantes monasterio tradi impetrarunt. Ottakarus[n] quoque marchio[14], proavus marchionis O. de Stiere[o], intuitu dilectionis ipsius Deo digni archiepiscopi et pro salute animae suae tradit villam Eichdorf[15] eidem Admuntensi monasterio. Adilbero etiam germanus eiusdem[p] marchionis, qui diutinam cum fratre guerram habuit, pro absolutione banni et multimodis iniuriis coenobio in persecutione Heinrici IV imperatoris illatis tradidit per manus itidem archipresulis super altare sancti Blasii villas duas Adarnich[16] cum omnibus[q] suis pertinentiis et predium Huzenpuhel[r. 17]. Ad haec complures decimas suis exactionibus acquisitas[s] dedit, quia gens Sclavonica in eius episcopii terminis posita ante ipsius tempora aut[t] nullas aut paucissimas reddere[u] consuevit. Dedit etiam ornamenta complura auro, argento et serico valde preciosa, vestimenta scilicet sacerdotalia, libros, calices et quaeque divinis ministeriis necessaria. Inter cetera quoque[v] bona sanctorum egregiis pignoribus locum nobilitavit, inter quae brachium sancti confessoris Paterniani cum coherente sibi manu. Sed et sancti Chrisanti martyris calvariam et conmilitonis eius sanctae Dariae virginis mentum[w] integrum et pariter brachium sancti Hermetis, nec non et sancti Vincentii cum multis aliis sanctorum reliquiis eidem donavit ecclesiae.

P. Thiem 5.

3. Locus hic inter montana Bawariae iuxta Anesum[x] fluvium in valle situs est. Aditum difficilem viantibus prebet, adeo ipsa natura munitus per girum ut altissimorum montium ambitu caelo proxime dicas circummuratum. Prospectus[y] nisi in montes aut sursum versus[z] non est. Hoc monasticae conclusioni prestruente natura idoneum, hoc unum de ceteris quare locus a strennuis longe lateque amatur[*], expetitur, ab aliis horretur, fugitur. Necesse est fortia diversas mentes aut provocare aut revocare. In hoc igitur loco monasterium beatus presul fundare desiderans, dum esset ibi constitutus, quia fiscus episcopalis erat, triduum continuum perstitit, non manducans neque bibens, adeo aestuans discerpebatur cogitationibus suis, dum quid definiret eligere non poterat. Mulcebat partim facies[a] loci, quod invius convictui

a) a. eccl. sue et pr. 1. b) dilatavit 2. c) sp. suum f. 1. d) *cap.* 2. 3. *desunt* 4. e) igitur 2. f) *deest* 2. g) sue 2. h) sustentationem 1. i) friesaco 2. k) truhssen 2. l) hertwici 1. m) namque 2. 3. n) otaherus 2. o) styre 2. p) eius 2. q) *deest* 1. r) huzenpuhele 2. s) conquisitas 2. t) *deest* 1. u) p. c. r. 1. v) denique 2. w) mentum — Hermetis *desunt* 2. x) anasum 2. y) profectus 2. z) *deest* 2. 3. *) amatus 2. a) loci f. 1.

11) In vita ant. non dicitur quando monasterium aedificare coeperit. 12) De ea disserentem v. Albertum Muchar Admuntensem apud V. C. Hormayr, Archiv f. Geogr. a. 1828. Elenchum donationum a Gebehardo factarum habes ap. Kleimayrn, Iuv. App. p. 260. 13) Maganus et Anzo commemorantur l. l. p. 262; Anzo etiam in charta Chunradi I. ap. Pez. Thes. III, 3, p. 687. 14) Obitus eius in necrol. Admunt. et Seon. 4. Kal. Apr. notatur; avus an pater Liupoldi Fortis fuerit ambigitur. 15) in pago Chrowat. Commemoratur Iuvavia p. 262. 16) nunc Ardning. Iuvavia p. 261. Situm in pago Enstal. 17) Hauzenbüchel in pago Chrowat aliquanto post tradidisse videtur.

hominum tamen nullius idoneae rei materiam in venis montium negaret. Angebat econtra non carpento neque[a] trahea, verum solis saugmariis necessaria posse inferri. Hiis animum distrahentibus post tridie etiam tum cunctanti subito surdus et mutus quidam in medio exurgens divino nutu coram omnibus haec verba in Teutonico eleganter concinnavit episcopo inquiens: *Tu debes inchoare, Deus debet consummare.* Qui homo nec postea nec ante[b] ullas edidit voces, donec post 5 multos annos in depositione ipsius episcopi ad sepulchrum eius pleniter aurium et linguae est restitutus officio. Mirantur itaque universi, stupor et gaudium replent episcopum. Mox quasi divinitus accepto oraculo, intrepida mente pronissimo studio monasterium cepit construere, sacris vestibus et marmore copioso ornare, redditibus ditare, Arnoldo monacho de monasterio sancti Petri ad provisionem ipsius loci ascito, favente domno Reginwardo venerabili abbate Sancti Petri. Sed predicto Arnoldo propter paupertatem loci non diu hic 10 durante, Isingrimus ab eodem archiepiscopo est substitutus[18].

4. Operae precium est hic[c] inserere qualiter prefatus et sepe nominandus pater et dominus noster Gebehardus[d] archiepiscopus ab ineunti aetate in proposito habuerit, ut si ex voluntate Dei facultas sibi posthac suppeteret, monasterium aliquod ubi divinae laudes iugiter ymnizarentur construeret[e], quod ex subsequenti relatione potest perpendi[19]. Dum 15 enim aliquando in puericiae flore constitutus cum collegis suis, Altmanno postea Pataviensi[f] et Adalberone[g] postea Wirzpurgensi episcopo, studiis liberalibus imbueretur, contigit ut cum hiis quos prediximus fidissimis sodalibus timore puerili fugam iniret. In via igitur ad quendam fontem diverterunt, et ibi de sistarciolis suis panem quantulumcunque proferentes corpuscula recreabant. Et licet puerili affectione Dei tamen magis ut post patuit inspiratione 20 presago[h] virtutis suae spiritu inter cetera quae confabulabantur, episcopos se futuros predixerunt, et monasteria se ad Dei servitium fundaturos voverunt, quod postea efficaciter compleverunt. Primus igitur Altmannus subintulit se Pataviensis ecclesiae presulatum velle conscendere, quo adepto monasterium se constructurum, ibique novissimam tubam ad resurgendum exspectaturum. Tum Adalbero: *Ego vero Wirzpurgensis ecclesiae pontificatum* 25 *suscipiam, et coenobium Christi servorum instituam, ubi et ego recondar communem omnium prestolaturus resurrectionem.* At[i] Gebehardus: *Ego amborum vestrum magister futurus ero, quia volente Deo Salzpurgensis ecclesiae metropolatu sublimabor, et monasterio quod regulari institutioni ordinavero, ultimum examinis diem prestolabor.* Haec ideo hic interserere dignum duximus, ut ostenderemus quam grata Deo simplicitas istorum fuerit, et cordis mundicia, 30 quorum dicta[k] puerili quodammodo ioco prolata tam mirabiliter ad effectum perduxit. Nam Gebehardus in Salzpurgensi metropoli postea sublimatus[l], Admuntense coenobium ut prediximus fundavit. Altmannus Pataviensis episcopus factus Chotwicense monasterium instituit. Adalbero similiter ante ambos Wirzpurgensem sedem adeptus Lambacense coenobium construxit[m].

35 5. Prefatus quoque archiepiscopus priusquam Admuntense fundaret monasterium anno incarnationis Domini 1072 constituit[n] sedem episcopalem intra Karinthiam in loco Gurca dicto, ubi prius fuerat coenobium sanctimonialium, cui prefecit et consecravit episcopum Guntherum, pridie Nonas Maii, presentibus et benedicentibus episcopis Altwino Brihssinensi[o], Ellenhardo Frisingensi, Candiano de Istria[p], ceteris comprovincialibus episcopis, Ottone scilicet Ratisponensi, Altmanno Pataviensi per epistolas suum in hanc ipsam ordinationem prebentibus assensum. Prolata est ibi 40 tunc et epistola domni Alexandri papae et ad confirmationem huius constitutionis in auribus populi lecta et interpretata. Sed et litterae regis Heinrici suum in hanc consensum pronunciantes similiter sunt recitatae, quarum tenorem infra posuimus.

V. Gebeh. ant. c. 2. 1072. Mai. 6.

Alexander episcopus servus servorum Dei, Gebehardo Salzpurgensi archiepiscopo suisque successoribus inperpetuum. Quociens ea a nobis petuntur quae religioni conveniunt, prompta 45 *debemus concessione annuere et favoris nostri gratanter prebere assensum, quoniam ex consideratione nostri officii cogimur ecclesiarum utilitatibus etiam si minime exigantur sollicite invigilare et animarum saluti sollerti studio providere. Quapropter, dilectissime frater, quia postulasti a nobis, quatinus apostolica auctoritate concederemus tibi unum episcopatum in tua parrochia constituere, quia ecclesia tua tam ample diffusa est quod per te solum non possis* 50 *eam[q] in chrismate aliisque[r] pluribus quibus[s] episcopali officio indiget decenter ac rationabiliter regere: piis precibus tuis inclinati libenter annuimus et ut etiam impleatur satagimus.*

1070. Mart. 21.

a) non 1. b) nec antea nec postea 1. c) *deest* 1. d) gebhardus 1. *saepius.* e) construere 2. 4. f) episcopo *add.* 2. 4. g) adilberone 2. *et hic et infra.* h) presagio 2. i) At·b·monasterio—prestolabor.·a·Tunc Geb.—sublimabor 2. At tunc G. 4. k) *deest* 4. l) subl Admuntense cenobium construxit in honore s. Dei genitricis Marie vir- 55 ginis, sanctique Blasii ep. et martiris 4. m) etc. 4. *qui ibi desinit.* n) instituit 2. o) brihsigensi 1. *ex corr. aequali.* p) hystria 2. q) *deest* 1. r) et in aliis 1. s) que c. o. indigent 1. *ex corr.*

18) *VII. Idus Iun. Isingrimus abbas nostrae congregationis. X. Kal. Mai. Isinricus mon. n. c. pater domni nostri primi abbatis. VIII. Kal. Mai. Rich-* 60 *kart monacha mater domni primi abbatis.* Necr. Adm. Ex hoc loco Ann. Salisb. SS. IX, 773 interpolati esse videntur. 19) Similis narratio est in V. Altmanni c. 5, paullo diversa in V. Adalberonis.

1070. Mart. 21.

Apostolica igitur auctoritate, venerande frater, religioni tuae concedimus, volumus et confirmamus[a], *atque auctoritate beati Petri apostolorum principis in quocumque loco tibi melius visum*[b] *fuerit episcopatum in tua parrochia constituere*[c] *et ad procurandum salutem animarum adiutorem tibi tua consideratione ibi preponere. Ita tamen, ut episcopatus ille ecclesiae tuae tibique vel tuis successoribus numquam subtrahatur et nullus ibi episcopus quandoque sive per investituram ut dici assolet vel quocumque pacto inibi constituatur, nisi quem tu vel tui successores prompta voluntate elegerint, ordinaverint et consecraverint. Indignum enim atque detestabile est, ut hoc quod studio pietatis a nobis quesitum apostolica est*[d] *auctoritate firmatum, ad detrimentum ecclesiae tuae quolibet modo vertatur. Si quis autem temerario ausu huius*[e] *nostrae sanctionis privilegium infregerit, noverit se apostolicae excommunicationis atque anathematis vinculo innodatum. At vero qui pio intuitu custos et observator exstiterit, perpetuae benedictionis habundantia repleatur. Dat.*[f] *Lateranis* 12. *Kalendas Aprilis per manus Petri clerici, fungentis vice Petri sanctae Romanae ecclesiae cardinalis ac bibliotekarii, anno incarnationis Domini* 1070, *pontificatus vero domni Alexandri papae II nono, indictione* 8.

1072. Febr. 4.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis Heinricus divina favente clementia rex. Quociens ea a[g] *nobis petuntur quae religioni conveniunt, prompta debemus concessione annuere et favoris nostri gratanter prebere assensum. Ergo quia fidelis noster Gebehardus Iuvavensis archiepiscopus de commissarum sibi animarum periculis dolens conquestus est quod episcopatum suum in montanis situm pre nimia barrochiae amplitudine et viarum difficultate per se solum regere non sufficeret, consultu fidelium nostrorum pro necessitate ecclesiae decrevimus et annuimus, ut infra barrochiam suam adiutorem sui operis episcopum et sedem episcopalem constitueret*[h]. *Igitur in loco qui dicitur Gurca apud ecclesiam sanctae Mariae, ubi prius erat congregatio sanctimonialium, placuit nobis ut cathedram*[i] *episcopalem faceret et eidem novae sedi partem barrochiae suae et de prediis et decimis quantum sibi conveniens videretur attribueret, et ad eandem sedem episcopum ex sua consideratione ordinaret; ea videlicet ratione ut episcopatus ille ecclesiae Iuvavensi et predicto archiepiscopo suisque successoribus numquam subtrahatur, et nullus ibi episcopus quandoque sive per investituram sive quocumque modo constituatur nisi quem predictus archiepiscopus suique successores elegerint, ordinaverint, consecraverint. Et ut hoc nostrum regale preceptum stabile et inconvulsum omni permaneat aevo, hanc cartam inde conscribi manuque propria corroborantes sigilli nostri inpressione iussimus insigniri. Ego Albero cancellarius vice Sigefridi archicancellarii recognovi. Data* 2. *Nonas Februarii, anno dominicae incarnationis* 1072, *anno*[k] *ordinationis domni Heinrici regis* 18, *regni vero*[l] 16, *indictione* 10. *Actum est Ratisponae in Dei nomine feliciter amen.*

V. Geb. ant. c. 2.

6. Hae igitur utraeque epistolae destinatae sunt servari in ecclesia Iuvavensi. Iuvit ad hanc novam constitutionem et quidam veterum noticiarum codex. Repertus enim erat talis in camera librorum Salzpurch[m], et in eo repertum, qui episcopi sub quibus archiepiscopis Salzpurgensis ecclesiae vices et ante gessissent in prenominata regione. Beatus[20] enim Virgilius episcopus octavus a beato Rudperto gentem Karentanam tempore Tassilonis ducis Bawariae quibusdam occasionibus ad fidem Christi convertit, et episcopum illic Modestum dictum in loco Lyburnia dicto instituit, per quem[n] et per cuius successorum instantiam eadem gens Sclavonica[o] a ritibus ydolatriae revocaretur. Item ab Arnone primo archiepiscopo Theodericus episcopus, ab Adilrammo[p] secundo archiepiscopo Otto episcopus, a Liuprammo tertio archiepiscopo Oswaldus episcopus prelati sunt Karentanis. Repertae sunt in eodem libello crebrae discordiarum causae inter ipsos archiepiscopos et subepiscopos illos, propter quas conicitur et estimatur vicem illam tunc cessavisse[q], et morientibus aliis alios non fuisse substitutos. Et quia huiusce[r] stabilitatis anchoras non habebant sedem videlicet episcopalem et clerum ac plebem in separatis sibi barrochiae terminis cum qualibus supradicta restauratio renovata est et stabilita.

ibid. c. 3. 1076 Fbr.

Deinde post aliquantos annos excommunicabatur rex Heinricus in sinodo Romana, et episcopi singuli missis a papa Gregorio epistolis premoniti sunt etiam obsecrati pro observanda sancto Petro et eius vicario obedientia, inbanniti quoque et sub obtentu sui officii sunt astricti ne regi anathematizato et eius consiliariis nominatis communicarent. Hoc novum sive rarum in regem anathema utrum ex venditione episcopiorum et[s] abbatiarum an ex alia infamia causas sumpserit penes earum conscios sit et iudices, nobis[t] sententia pastoris timenda est sive iusta[u] sive iniusta. Predictus enim piae memoriae papa Gregorius velud alter Helias spiritu Dei plenus et zelo iusticiae et veritatis accensus sacerdotes Baal non quadringentos sed infinita milia trucidaverat, quia vel eos qui per symoniam episcopatus, abbacias, preposituras, prebendas vel ecclesias obtinuerant vel qui in sacerdotio aut diaconatu uxores habuerant vel qui a symoniacis vel scismaticis ordinati

a) firmamus 2. b) f. v. 1. c) construe 2. *Verbum hic deesse videtur, sed eadem ex autogr. dedit Kleimayrn in App. ad Iuvaviam p.* 257. d) *deest* 2. e) n. h. 1. f) Data 2. g) ea que a 1. h) constituere 2. i) *ita* 2 *et* 3 *cum autographo quod in archivo caesareo servatur.* sedem 1. k) a. autem o. 2. l) *ita* 2. 3. *et autogr.* autem 1. m) salzburgensi 2. n) que 1. o) sclauica 2. p) adildrammo 1. q) cessasse 1. r) huiuscemodi 1. s) sive 1. t) n. tamen s. 1. u) i. est s. 1.

20) *Beatus — Karentanis* ex libello de conversione Karant. inseruit, sed ibi de discordiarum causis nihil invenimus.

fuerant, gladio Petri omnes simul truncaverat. Proinde istorum instinctu Heinricus imperator Wicpertum[a] Ravennatem heresyarcham expulso prefato papa[b] Gregorio Romae intronizavit, quem una cum rege et suis complicibus et fautoribus iam dictus papa anathematizavit. Videres tunc naviculam beati[c] Petri quasi dormiente interim Iesu propemodum mergi et tempestatum procella vexari dum omnes veritatem et fidem beato Petro eiusque vicario servantes aut in undas mortis dirum fremens ac fervens[d] salum trahebat aut in longum exilium patria, honoribus, rebus exsortes[e] iactabat. Tempora nimirum tunc valde periculosa instabant cum preter Christi athletam nostrum domnum Gebehardum archiepiscopum Salzpurgensem, Altmannum Pataviensem, Adalberonem Wirzburgensem, Hermannum Metensem et[f] Meginwardum Frisingensem[21], preter hos solos quinque in toto regno Teutonico episcopus katholicus inveniri non poterat.

P. Thiem. 4.

7. Ea ergo tempestate iste noster domnus sepefatus archiepiscopus fidelis Romanae ecclesiae et veritatis katholicae propugnator eminebat qui velud alter Machabeus loricam se fidei succinxerat et gladio verbi sui castra ecclesiae in toto regno Teutonico protegebat. Proinde aure cordis audiens illam vocem[g] Domini in euangelio clamantis: *Qui non est mecum contra me est, et qui non colligit mecum dispergit*, quia Christum pro redemptione ecclesiae ad crucis brachia pendentem[h] sincera fide sequi studuit, multa tunc suae personae et ordini indigna nimis a fautoribus regis excepit. Qui mox et ecclesiae suae bona diripiebant unusquisque vicina sibi quasi ex permissione regis vendicans et bannos domini papae ipsiusque nostri ob hanc direptionem illi factos parvipendens. Tunc etiam magna pars Ungaricae terrae quondam ecclesiae sancti Ruodperti traditae ab episcopo defecisse dicitur. Hac etiam necessitate ob munimen ecclesiae suae inposterum castella duo munitissima Christi archimandrita edificavit, scilicet in monte Salzpurch et Werven, sed et unum castellorum apud Frisacum. Sub publica tandem fide etiam dato a rege ducatu Ratisponam veniens expurgare se in[i] quibus a rege culpabatur recusavit nisi prius omnia quae ei ablata fuerant iuxta statuta emendarentur. Inde prolixa inter eum et inter[k] prolocutores regis coram rege agitata est questio. Postremo infecta re utrimque et indefinita exivit ab urbe Ratispona ad urbem suae sedis eo comitatu quo venerat reducendus, sed a media via divertit et ad partes secum facientes secessit. Quia denique inimicis Christi et ecclesiae resistere non potuit, relicta sindone nudus ab eis profugit quia relicta sede sua in exilium 2. Idus Octobris recessit, anno incarnationis Domini 1078[22], et novem annos nunc in Sueviam, nunc in Saxoniam transmigrando cum suis similibus katholicae veritatis confessoribus in exilio transegit.

Luc. 11, 23. — V. Geb. ant. c. 3. — 1077. — c. 4.

8. Rex Heinricus Perhtoldum quendam sui erroris consentaneum in cubile Salzpurgensis ecclesiae ingessit, qui et eiusdem ecclesiae thesaurum ditissimum dissipavit, et multa nostrae Admuntensis ecclesiae ornamenta cum nonnullis sanctorum pignoribus diripuit, ipsum vero locum nostrum fere[l] ad solitudinem redegit. Inter cetera preciosa quae tunc temporis idem intrusus seu exepiscopus nobis abstulit, rationale unum ex auro et gemmis preciosissimis intextum, aureis catenulis dependens, pene mille marcarum precio estimatum, quod imperator Greciae fundatori nostro Gebehardo archiepiscopo, dum legatione cesaris illo functus filium eius baptizasset, pro munere donaverat, iussit prefatus Perhtoldus exponi militibus suis hoc largiturus. Duodecim igitur milites ceteris prestantiores avariciae siti furentes pro rapiendo illo in litem versi ante atrium basilicae certamen ineunt et mutuis se vulneribus[m] concidentes octo ex his ibi ceciderunt. Quidam ergo[n] ex fratribus Nordwinus presbyter sacristae seu custodis functus officio ad tantum facinus perhorrescens, et aliorum quatuor qui adhuc supererant simili caede iam perituris[o] vitae consulens, arreptum rationale in quatuor[p] frusta confregit, cuique illorum suam partem tribuens. Qui monachus eodem anno diem clausit extremum. Predictus quoque Perhtoldus duas patellas salis ad Paierhalle nobis abstulit et comiti Gebehardo de Purchousen has in beneficio tradidit.

1085.

9. Tandem miseratione divina inardescente zelo fidelium anno exulationis suae nono, prefatus noster domnus Gebehardus ab Engilberto comite et ab aliis quibusdam ecclesiae ministerialibus et conpluribus militibus reductus est in episcopium suum comitantibus se suffraganeis suis episcopis Altmanno scilicet Pataviensi et Meginwardo Frisingensi, et a clero et toto pene populo in sedem suam est receptus. Ubi confestim tam eum qui suam sedem invaserat, quam et eos qui loca predictorum suorum suffraganeorum occupaverant anathematizavit ipse et coepiscopi sui. Sicque duobus fere annis curam exercens episcopalem supervixit. Anno igitur incarnationis Domini 1088, transactis ab ordinatione sua annis 27[q], mensibus 10, ebdomadibus duabus, diebus duobus, exacto felicis agonis cursu ad palmam supernam vocatus 16. Kalendas Iulii[23] in castro suo quod Werven dicitur huius vitae terminum

c. 4. 1086. — 1088. Iun. 15.

a) wichpertum 2. b) pr. G. p. 1. c) *deest* 1. d) fremens 1. 3. e) extorres 3. f) *deest* 2. g) i. d. v. 2. h) tendentem 1. dententem 2. i) a 1. k) *deest* 1. 3. l) ad s. fere 2. m) conc. vuln. 2. n) vero 2. o) *deest* 1. p) fr. q. 1. q) XXVIII. 1.

21) Eius loco Bernoldus a. 1089. Constantiensem ponit. 22) imo 1077 teste Bertholdo SS. V. p. 301, quod et cum 9 exilii annis (quos ex vita ant. sumpsit) consentit. Ann. Admuntenses et Salisb. cum Auctario Garstensi hoc anno 1079 adsignant. 23) Ita et Passio Thiemonis cum Chron. Gurcensi; 17. Kal. Iul. Vita altera cum necrologiis.

P. Thiem. 5. beato fine sortitur, et inde translatus in nostro monasterio debita veneratione sepelitur, ipso die depositionis surdum et mutum quem prediximus ad sepulchrum proprium curavit. Quo primo aliisque deinceps miraculis vivere V. Geb. ant. c. 5. se in celestibus regnis testatur. Hic a sancto Rudperto primo Iuvavensis sedis episcopo vicesimus sextus fuit, ab Arn primo eiusdem sedis archiepiscopo sextus decimus. Vir hic erat ingeniosus satis et litteratus, orationibus studens et lectionibus, canonum maxime scrutator, elemosinarum largus, in contemptores et contumaces ultor irrevocabilis erat, sive banno sive alterius potestatis exerciciis uti in illis voluit. Dictavit idem de illa dissensione quae suo tempore in ecclesia fuit libellum ad Hermannum Metensem episcopum, quo et semet excusaret, et quantos ex contraria parte posset huic cui ille favebat parti sociaret.

Erat eidem domino et patri nostro Gebehardo germana uterina nomine Diepurch quae cuidam nobili et libero baroni Bawariae Werenhero[a] in matrimonio erat sociata. Qui ambo 1084. post mortem filii sui Gebehardi pari devotione monasterium canonicorum Richersperge fundaverunt, et Christum sibi inibi heredem instituerunt.

Pass. Thiem. metr. v. 9.

10. Quid fles Admuntis Gebehardi funere tristis?
Restet post fletus quod tibi cerne decus.
Est tibi pontificis corpus non gloria vilis,
Cui locus hic tumuli pre tot episcopii.
In te divinos qui fecit iugiter imnos
Et decantari cantica psalmigrafi.
Fecit et hoc in te sint ut[b] solatia cuique.
Plurima nam tribuit de quibus hoc statuit,
Esuriens victum petat in te, nudus amictum,
Et vagus hospicium, vallis es en nivium[c].
Propter iusticiam toleravit et ipse rapinam.
Regis ob hanc odium fugit in exilium.
Malens ille[d] miser quam scismatis esse minister
Transiit ad partes lite sibi similes.
Complicibus banni studuit se dissociari,
Servans, Roma, tuo debita iudicio.
Post in episcopium plebs hunc nonnulla receptum,
Gaudebat cura post ut et[e] ante sua.
Hic pro lege Dei nescivit cedere regi,
Vel cuiquam forti vel quoque dedecori.

Pastore igitur tali subtracto de presentibus quo dignus non erat mundus, scriptura illa Matth. 26, 31. impletur propheticae veritatis: *Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis.* Mox enim Perhtoldus invasor prefatus favore prefati[f] Heinrici regis metropolitanam sedem occupat, et more lupi caulas ovesque Christi et ecclesiae atrociter laniat, locum nostrum fortiter devastat. Sed Christus dominus recolens promissionem suam Petro et ecclesiae suae a se factam: Matth. 16, 18. *Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam, et portae inferi non prevalebunt adversus eam*, contra eundem Perhtoldum suum et ecclesiae inimicum per Spiritus sui gratiam suorum fidelium excitavit constantiam. Qui in unum convenientes electione canonica 1090. venerabilem Tyemonem Sancti Petri abbatem in archiepiscopum constituerunt eique ad defensionem ecclesiae castra et munitiones episcopii tradentes prefatum invasorem de finibus P. Thiem. 1. Salzpurgensis parrochiae expulerunt. Hic igitur Tyemo ingenuis parentibus alto Baioariorum genere oriundus, in primaeva aetate Altensi monasterio tam regularibus quam scolaribus disciplinis traditus[g] est imbuendus, Huic ab adolescentia sanctitas, innocentia, humilitas, prudentia omnisque scientiae genus oblectacioni fuit, ibique iuventutem suam exercuit. Cumque esset non solum in eis artibus quas liberales appellant[h], sed et in mechanicis universis simul, pictoria[i], fusoria, sculptoria omnibusque huiuscemodi[k] generibus et speciebus subtilissimus, ut in quibusdam monasteriis et nostro specialiter in eius sculpturis et picturis perspicuum est cernere, conversationis quoque[l] et vitae c. 3. merito elimatissimus: abbate Sancti Petri pro nimia[m] et[n] diutina debilitate a provisione monasterii sui absoluto, ascitus c. 4. est communi electione in abbatem, et investitus ab eximio Gebehardo archiepiscopo. Non multo post prefato archiepiscopo propter scisma a sua sede[o] expulso religiosus abbas Tyemo execrans communionem invasoris Perhtoldi concessit[p] c. 5. in Sueviam et in Hirsawiense[q] monasterium se recepit, privatum et communem se[r] fratribus gerens. Post triennium ad ovile suum rediens iterumque contagionem leprae predicti Perhtoldi pertimescens in vicinam heremum Admuntensis coenobii se contulit.

11. Postmodum defuncto piae memoriae Gebehardo archiepiscopo ad metropolitanum ut diximus est provectus et ordinatus, anno incarnationis Domini 1090. Venerabilis ergo Tyemo archiepiscopus sicut in Hirsawiensi coenobio sub reverentissimo abbate Willihelmo monasticae religionis institutione fundatus, predecessoris sui vestigia in defensione veritatis katholicae et propagatione religionis divinae omnimodis sequi studuit, per quod Deo Deique[s] 1091. fidelibus valde complacuit. Qui inveniens[t] locum nostrum valde desolatum quasi pastor bonus religioni monasticae quae tota iam apud nos periit paterna pietate condoluit et de Saxonia Gisilbertum abbatem valde religiosum adduxit qui in Hirsaugiensi[u] coenobio secum quondam

a) Wernhero 1. b) et 2. c) enivium 2. d) ipse 1. e) *deest* 1. f) *deest* 2. 3. g) *deest* 1. h) vocant 1. i) pictura 2. k) huiusce 2. l) conversationisque 1. m) n. quoque et 1. n) et pro d. 2. o) exp. sede 1. p) secessit 1. q) hyrsowense 1. *bis*. r) ger. se fr. 1. s) suisque 1. t) ueniens 2. u) hyrsaugiensi 1.

Christo militaverat et ob evitanda anathematis contagia assignatam sibi in Thuringia abbatiam scilicet apud Reinersprunnen[a. 24] zelo katholicae communionis reliquerat[b]. Hunc ergo nostro monasterio abbatem prefecit et tam pro Christi quam pro eius amore proque animae suae salute monasterii nostri terminos qui usque ad id tempus nimis erant angusti suis donationibus copiose dilatavit. Totam namque in valle parrochiam cum omni iure suo et alia plura nobis contulit. Sed quia omnes qui pie vivere volunt in Christo Iesu persecutionem paciuntur, predictus Christi famulus reverentissimus archiepiscopus hinc a rege Heinrico hinc a prefato invasore Perhtoldo[c] multas insidias patitur, capitur[d] et multis cladibus afficitur. Nullum genus erumpnarum, quod turpe quod miserum esset in quinquenni captivitate expertus non est, dum etiam karissimi cognati sui in conspectu eius capite truncati sunt. De qua demum captivitate per quendam fratrem in cappa constitutum Chunradum nomine datis ab eo custodi 40 talentis liberatur. Sic igitur 13 annis quibus prefuit, bellis, obsidione, gladiis, captivitate, omnia extrema perpesso, instar beati Athanasii Alexandrini episcopi numquam pene liberum corpus nedum libera auctoritas fuit. Tandem comitante secum eodem monasterii nostri abbate Gisilberto cum Welfone duce Bawariae et Ita marchionissa Austriae aliisque multis Ierosolimam proficiscitur et a paganis captus atque in Corrozaim urbem deportatus multisque pro fide Christi suppliciis laniatus tandem martirio consummatur.

Tunc etiam predictus abbas Gisilbertus Kal. Octobris apud Ierusalem obiit.

12. Post huius ergo excessum sepe fatus[e] invasor Perhtoldus metropolitanam sedem incubat, donec visitacio emissa ab Altissimo Chunradum, genere, scientia ac moribus egregium, desolatae ecclesiae pastorem et archiepiscopum ydoneum condonat. Hic namque 7. Ydus Ianuarii archiepiscopus constitutus, postmodum eodem anno, scilicet 12. Kal. Novembris a Pascali papa ordinatus[25], et pallio honoratus est, anno incarnationis Domini 1106. Qui tanta morum probitate et religionis auctoritate coepit eminere, ut omnibus in Teutonico regno institucioni et exemplo fuerit. Cuius quanta erga Deum fides et sanctam ecclesiam zelus viguerit, in facto subter notato declaratur. Rex Heinricus V cum exercitu copioso circiter 30 milia equitum electorum Italiam ingrediens, habens in comitatu suo prenotatum archiepiscopum Chunradum, Romam usque accessit, benedictionem inperialem a domno Pascali[f] papa suscepturus. A quo nimirum apostolico cum clero et populo Romano summo cum honore ac tripudio est exceptus. Sed rex continuo quorumdam sceleratorum consilio ipsum domnum apostolicum captivavit, pro electionibus videlicet et investituris episcoporum[g]. Videns haec venerabilis Iuvavensis ecclesiae[h] archiepiscopus Chunradus, zelo equitatis vicem Dei dolens factum hoc improbavit. Cui dum quidam ex ministris regis Heinrici, cognomento Caput, evaginato gladio mortem interminaretur, tanquam pro iusticia mori optans iugulum prebuit, malens si minas ille ad effectum perducere voluisset, temporalem vitam finire, quam tanti piaculi scelus dissimulare.

13. Exinde odium imperatoris et eius fautorum in tantum incurrit, ut in eius persecutione, sicut de beato quondam Athanasio legimus, totum pene coniuraverit regnum, et commoti sunt principes terrae, nec ei ullus locus tutus supererat ad latendum, dum ad investigandum eum omnes moverentur. Infra vallem Admuntensem in cuiusdam spelunca montis dimidium pene annum est occultatus. Rursus infra[i] eiusdem monasterii cellulae ambitum in cellario subterraneo 16 ebdomadas latitavit. In cuiusdam gurgite amnis usque ad mentum inmersus diem integrum exegit. Inde clandestino discessu Saxoniam petens a Magdeburgensi archiepiscopo venerabili, Adilgoz nomine, officiosissime susceptus est et retentus. Qui etiam quotquot ad ipsum patrem nostrum Chunradum ex Salzpurgensi episcopatu occulte ob metum cesarianorum pedites veniebant, multis muneribus honoratos equites remittebat. Miseratione demum[k] divina pace redintegrata ecclesiae, a Liupoldo Stirensi marchione in manu forti requisitus, ad suam honorifice post novem annos reductus est sedem[26]. Rursum ecclesiae propriae strennue invigilavit, et inter ceteros eiusdem Salzpurgensis ecclesiae dignos per ipsum provectus, maioris ecclesiae clericorum vitam in melius informavit, et communem vitam canonicorum sancti Augustini ibi iniciavit, anno incarnationis dominicae 1121.

14. Hic[l] ergo Deo dignus archiepiscopus nostrum monasterium adiens, idque penitus desolatum inveniens, interius quidem spiritalis vitae religione, exterius vero rerum possessione, funditus indoluit, et instar beati Martini caelitus sibi reservatum pauperem nostrum locum, omnimoda nuditate despectum, religione ac possessione[m] vestire deliberavit, quo ante creatoris sui conspectum aeternae gloriae amictum comparavit. Prefecerat autem eidem loco secundo suae ordinationis anno[27] venerabilem abbatem Wecilonem, qui etiam

a) reinhersprunen 2. b) reliquit 1. c) Perhtolfo 1. d) *deest* 1. e) s. f. *desunt* 2. f) Paschali 2. g) episcopiorum 2. h) *deest* 1. i) eiusdem infra 2. k) div. dem. 1. l) Sic 1. m) possessionibus 2.

24) fund. a. 1085. Ibi a. 1103 Ernest abbas commemoratur. Gisilbertum a. 1091 coenobio Admuntensi praefectum esse, asseritur in Auctario Garstensi SS. IX, 568. 25) in concilio Guastallensi; v. Ekkehardi Chron. SS. VI, p. 240. Ceterum cf. Auct. Garst. et Ann. Sancti Rudberti. 26) Haec minus accurate narrata sunt; vide infra Vitam Chuonradi. 27) Si hoc verum est, post Heinricum collocandus erit, nec diversus a Becemanno qui post cessionem Ekkeberti monasterio Lamba-

apud Lambacense monasterium iam dudum primus abbas claruerat, et ob virtutum probitatisque exercicia eius iussu Admuntensis quoque monasterii curam administrabat. Quo post aliquos annos apud Lambach rebus humanis exempto ibique sepulto, domnus Heinricus ex coenobio Chremsmunstir[a] in abbatem est electus. Hic a sanctae recordationis Pascali papa privilegium apostolicae defensionis et donationum sanctorum archiepiscoporum Gebehardi et Tyemonis perpetuae confirmationis monasterio nostro conquisivit, anno incarnationis Domini 1105, quod in sacrario ecclesiae debita veneratione[b] conservatur repositum[28]. Qui post paucos annos iter faciens in Enstall[c] in amne Wizinpach[29] est submersus, et ad monasterium relatus in atrio basilicae sanctae Dei genitricis Mariae sepultus est, ubi et Isingrimus primus loci abbas est tumulatus. Sicque locus abbate quatuor fere annis carebat, Ottone priore, postea Milstatensi abbate[30], ipsius loci provisionem administrante. Interim status religionis et monasticae disciplinae[d] plurimum apud nos vacillabat. Proinde prefatus archiepiscopus legatum cum litteris in Sueviam ad reverentissimum abbatem monasterii sancti Georgii[31] nomine Theogerum destinavit, cuius tunc temporis in toto regno Teutonico fama celebris fuit, qui in fine vitae suae pro incomparabili[e] sanctitate precepto sedis apostolicae cathedram Metensis ecclesiae coactus suscepit, eiusque ordinationi ipse archiepiscopus piae memoriae domnus Chunradus in Corbeia Saxoniae cooperator interfuit, ubi eundem legatus apostolicae sedis domnus Chuno Prenestinae ecclesiae cardinalis episcopus, venerabiliter consecravit. Hunc ergo per legatum suum nomine Udalricum[f] de Elsindorf, postea monasterii nostri monachum, missis litteris suppliciter exoravit, ut sibi venerabilem virum Wolvoldum sui monasterii professum transmitteret, quem nostrae ecclesiae abbatem preficeret. Qui videlicet Wolvoldus quondam Frisingensis ecclesiae canonicus, postea monasticae religionis professus, monasterio Husenhoven, quod postea Schiram translatum fuit, est prelatus[32], sed persecutionem advocati sui[g] ferre non valens, ac per hoc fructum sibi in commissa vinea non esse videns, suae saluti providit, relictoque infructuoso habitacionis suae[h] agro ad monasterium sancti Georii sub obedientia prefati domni Theogeri se contulit. Qui super eum peticioni domni archiepiscopi devotus annuit, et quia spiritu Dei plenus fuit, prophetiam quondam super eum assignavit, quam postea rerum eventus manifeste comprobavit. Dixit enim fratri Udalrico[i] prefato archiepiscopi legato: *Ducite eum in gaudio, et scitote pro certo, quia per eum in divino servicio*[k] *tota vestra proficiet regio.* Hunc ergo quasi caelitus a Deo sibi transmissum domnus archiepiscopus summa veneratione suscepit, et ei ad monasterii nostri reparationem et sublimationem tam in interioribus quam in exterioribus tota cordis sui devotione astitit[33].

15. Traditiones sane predecessorum suorum in menbranis descriptas[l] inveniens, possessiones[m] ecclesiae nostrae quacumque distractas in forti et potenti manu requisivit, et eas aut per excommunicationis sententiam aut per datam pecuniam liberatas loco nostro restituit, ipsasque suis donationibus pie augmentavit. Nam preter eas possessiones quas vel a predecessoribus suis ecclesiae nostrae traditas, sed iniuste ablatas liberavit, vel quas ipse sua liberalitate donavit, multorum etiam fidelium donationes nobis ablatas tum officii sui auctoritate tum pecuniae suae largitate ecclesiae nostrae reparavit. Traditiones sane sive suas sive predecessorum suorum sui privilegii auctoritate nobis confirmavit[34], quod sui sigilli inpressione corroboravit. Cuius auxilio et misericordia predictus abbas noster domnus[n] Wolvoldus in omnibus suffultus et quasi muro a dextris et a sinistris undique vallatus, copiosam messem fidelium tam virorum quam mulierum colligere coepit, quia congregatis monachis ac fratribus plurimis, eius obtentu sororibus quoque quas primus hic adunavit undecumque advenientibus[o] monasterium instituit apud nos. Cuius sollertiam atque[p] prudentiam

a) Chremsmůnster 2. b) observatione 2. c) Enstal 2. d) *deest* 2. e) incomparabile 1. f) Oud. de Elsendorf 2. g) *deest* 1. h) *deest* 2. i) Oudalr. 2. *constanter*. k) officio 2. l) scriptas 2. m) possessionis 1. 2. n) *deest* 1. o) venientibus 1. p) et 2.

censi praefuit, et adhuc anno 1103 ibi commemoratur, teste charta apud V. D. Kurz, Beiträge zur Geschichte etc. II, 438. Necrologia Admuntensia saec. XI ex. diem eius emortualem indicant: *VIII. Kal. Ian. Wecil abbas n. c.* 28) Adhuc ibi incolume servatur; ed. in Pezii Thes. III, 3, 659. Datum est 8. Kal. Nov. a. 1105, nobis 1104, ind. 13, pontificatus a. 6; scriptum littera Beneventana. Heinricus abbas, qui in eo diserte nominatur, obiit die 11. Aprilis. 29) Anesum influit aliquanto supra Lietzen. 30) obiit d. 22. Oct. 31) in Silva nigra, prope Villingam. 32) In monumentis Schirensibus hunc non inveni. 33) Annus 1115 ex Auctario Garstensi constat. 34) Datum est *in castro nostro Friesach* a. 1139. Oct. 10. Ed. in Pezii Thes. III, 3. p. 684.

cernens memoratus archipresul, eum in partem sollicitudinis suae ascivit, et archidiaconum ordinatum ceteris ecclesiae archidiaconibus prefecit. Coenobium quoque sanctimonialium apud Sanctum Georium[35] eius curae ac regimini commendavit, anno incarnationis Domini 1122, quod et ipse ad spiritalis[a] apicem religionis decenter reformavit.

16. Sub huius patris magisterio claruerunt in coenobio[b] nostro quaedam monasticae professionis lumina: Reimbertus[c] prior, postea monasterii sancti Petri abbas[36], indeque in episcopum Brixinensem provectus; et Rabanus post eum prioris functus officio; Dietmarus qui postmodum abbas apud Ozziach claruit[37], patruus Ekiberti[d] senioris comitis de Puotene; Engilscalcus[e] postea Buorensis abbas[38], et tres illitterati secundum seculum quondam nobiles, sed secundum Deum prestantiores, Udalricus de Elsindorf qui prediis suis monasterium[f] nostrum non minimum locupletavit. Item alius Udalricus longus. Maganus[39], qui cum filio et uxore sua conversionis habitum apud nos expetens, predia regalia nobis contulit; sed et Witilo quidam religiosus. Horum denique et aliorum plurimorum spiritali fervore religio monasticae observantiae in Admuntensi monasterio egregie florebat.

17. Igitur prefato patre nostro Wolvoldo post multos tandem monasticae religionis fructus feliciter ex hac luce Kalendis Novembris[40] subtracto, anno incarnationis Domini 1137, regiminis vero sui anno 23, communi fratres electione domnum Gotefridum, priorem monasterii ante sancti Georii, sibi in abbatem elegerunt, et per monachos nostros Udalricum prefatum et Witilonem, pro ipso a congregatione directos, per domnum Theodwinum Sanctae Rufinae cardinalem episcopum[41] illum impetraverunt. Qui videlicet domnus Gotefridus prius in locum qui dicitur Wingart fuerat in abbatem datus, sed quia vineae illius cultus erat infructuosus, interventu domni Theodwini a domno papa Innocentio canonice inde est absolutus, et nostrae ecclesiae procurationi libere dimissus. Hic ergo pastoris nomen factis sollerter adimplens, gregi sibi commisso diligenter invigilavit, in tantum ut divino munere illiusque providentia, necnon et sepedicti piae memoriae domni Chunradi archiepiscopi opera et laboribus, quasi novum denuo inicium accipiens locus, tum variis modis, tum principaliter famae gloria, observantiarum rigore, oblationibus seu donationibus fidelium, nobilissima monachorum atque sororum multitudine, nescio an super omnia Germaniarum monasteria non invaluerit. Denique inter cetera ipsius patris Gotefridi egregie gestorum monimenta, et magnorum monasterii proficuorum suo tempore emolumenta, privilegia Romanae sedis a duobus apostolicis Innocentio[42] et Lucio[43] obtinuit, apostolicae videlicet tuitionis, sed et beatorum pontificum Gebehardi, Tyemonis et ipsius domini Chunradi traditionum perpetuae confirmationis.

18. Incitabant et cooperabantur tunc temporis ad studium religionis quidam spiritalis vitae boni[g] emulatores, qui fama sui et exemplo plures alios attrahebant: Rabanus prior supradictus, et quatuor illi quorum supra mentionem fecimus illiterati, sed et Wernherus secundi prioris et armarii functus officio, qui postea Bruolense coenobium strennue rexit; Perhtoldus[h] coenobii sancti Emmerammi postmodum abbas, sed et alii plures qui ob meritorum insignia diversis sunt postea prelati coenobiis. Tredecim namque abbates illo in tempore de nostro monasterio[i] sunt ad alia coenobia assumpti. Preter hos et aliae apud nos religiosae personae tunc[k] enituerunt: Udalricus sacerdos et sacrista; Perhtoldus scriba egregius, qui librorum multitudinem non parvam monasterio nostro propria manu descripsit; Lambertus[l] quoque sollertissimus scriptor, sed et Gotscalcus[m], tam sub Gotefrido patre, quam sub trium subsequentium abbatum magisterio precentor, idemque scriptor egregius; Salmannus etiam curam plebani administrans. Item tres illiterati, seculo quondam nobiles, Reinherus[n] videlicet, qui cum coniuge sua aeque nobili et filio Liutoldo[44], bonae indolis puero,

a) uite *add.* 1. b) monasterio 1. c) Reinbertus 2. d) Ekberti 2. e) Engilschalcus 2. f) locum 1. g) *deest* 1. h) Pertoldus 1. i) sunt m. ad 2. k) p. apud nos en. 1. l) Lamp. q. scr. sol. 2. m) Gotschalcus 2. n) Reginherus 2.

35) in Karinthia, ad lacum Längsee. Cf. chartam archiep. Chunradi a. 1134 apud Hormayr, Archiv für Geographie 1820 p. 377. 36) a. 1116, episcopus a. 1125. 37) a Megisero omissus. 38) De eo videsis Mon. SS. IX, 236; ib. p. 235 Udalricus de Elsendorf commemoratur qui Engelschalcum secutus esse videtur. 39) Necrol. Sept. 18. *Maganus laicus. Predium.* 40) 2. die Nov. necrol. utrumque Admunt. et necrol. Sancti Mich. Babenbergensis, Sancti Emmerammi et Runense. In necr. Adm. cod. 184. *institutor istius congregationis* vocatur, scil. sanctimonialium. 41) *XIV. Kal. Dec. Tietwinus card. episcopus.* Necr. Adm. Cf. de his Hess. Prodr. Mon. Guelf. p. 50. 42) Id. April. a. 1139. Pez III, 3, 161. 43) 12. Kal. Apr. anno 1143, nobis 1144, ind. 7. pontif. a. 1. l. l. p. 663. Utriusque autographum illaesum Admunte vidi. 44) In necrol. solam materteram eius Chunigunt inveni, d. 18. Febr.

postea monasterii nostri abbate, ad conversionem veniens, predia non minima nobis contulit; Arbo de Biburch; Wernhardus de Urle; Isinricus quoque qui cellerarii functus officio, providentia tam sui quam et aliorum religiosorum fratrum cooperantium, res monasterii plurimum melioravit. Tunc etiam Heinricus de Nazzawe[a] ministerialis sancti Ruodperti cum uxore et quatuor filiis ad conversionem veniens, predia et beneficia quae plurima possederat, monasterio cum manu domni archiepiscopi Chunradi obtulit.

19. Per idem tempus Sophia Ungarorum regis Belae filia, a filio Chunradi regis Romanorum desponsata, et regaliter ipsi cum inestimabili pecunia transmissa, mundo quod suum est diligente, scilicet bona temporalia, et fidem et veritatem negligente, predicta regina secus quam regiam dignitatem decuit habita, regnum caeleste pro terrestri commutavit. Consilio namque et auxilio comitissae Ratisponensis Liukardis Admuntense monasterium expeciit, et cum sacris Dei virginibus humillima conversatione caelibem vitam deinceps duxit[45]. Nonnulli etiam principum seu comitum, sed et plures nobilium, filias suas Deo ibidem sub regulari serrituras institucione offerentes, coenobium ipsum cunctis pene, ut superius diximus, in Germania sanctimonialium monasteriis celebrius reddiderunt[46].

20. Memoratus autem piae memoriae domnus Chunradus archiepiscopus, ab inicio ordinationis suae usque in finem vitae ecclesiam nostram misericorditer fovens et protegens, preciosumque ac preclarum opus monasterii, quod heu postea incendio periit, marmoreis columpnis apud nos instituens, quadragesimo secundo episcopii sui anno, senex et plenus dierum 5. Ydus Aprilis felici fine quievit, anno incarnationis Domini 1147; dignus utique qui cum Neemia Deo dicere possit: *Memento mei, Deus, in bono, et ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei et in cerimoniis eius.* Exceptis enim duobus monasteriis sanctimonialium Chyemsse[b] et Gosse, quae illum audire noluerunt, et ipsi obedire[c] contempserunt, nulla ecclesia vel monachorum vel clericorum aut sanctimonialium in toto eius episcopio fuit, quae non aut sub ipso constructa, aut per eum in rebus interioribus et[d] exterioribus meliorata et augmentata fuerit. Ipse ergo accipiat benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo. Ipse nempe dilectus est Deo[e] et hominibus, cuius memoria in benedictione est. Hic est divinitus directus in expiationem provinciae Salzpurgensis, qui[f] tulit abhominationes impietatis, et erexit nobis cornu salutis et tocius religionis. Fuit autem nobilissimis ortus natalibus, patruus videlicet duorum[g] comitum de Ambinberch, Ottonis et Rapotonis[h].

1147. Apr. 9. Nehem. 13, 14.

21. Defuncto beatae recordationis domno Chunrado archiepiscopo, clerus et populus Salzpurgensis ecclesiae, divina ut non ambiguum est inspiratione, et precipue interventu domni Gotfridi abbatis Admuntensis, unanimi electione et voto domnum Eberhardum Biburgensem abbatem in archiepiscopum elegerunt, anno incarnationis Domini 1148, sub Chunrado rege, anno regni eius decimo[47]. Hic ergo Eberhardus, dilectus Deo et ab[i] hominibus glorificandus, ex nobilibus ac religiosis patribus[k] oriundus, prius canonicus Babenbergensis, postmodum monachus Pruovingensis, indeque in abbatem Biburgensem fuerat assumptus; quod etiam coenobium ipse et sui germani auxilio et cooperatione felicis memoriae Ottonis Babenbergensis episcopi fundaverant. Divina itaque gratia et virtutum suffragantibus meritis archiepiscopus ordinatus, gregi sibi commisso non solum verbo eruditionis, sed et exemplo sanctissimae conversationis studuit preesse. Inter ceteras namque virtutes his specialiter[l] Spiritus sancti donis refulgebat, mira erga omnes humilitate, pacientia et[m] mansuetudine. Ad haec misericordiae ac elemosinarum operibus in tantum erat deditus, ut raro aut numquam nostra aetate similem eius in compassione afflictorum, consolatione lapsorum, sustentacione miserorum viderimus, vel fama perceperimus, qui sic inquam[n] omnibus omnia factus esset. Preterea sanctae Dei genitricis Mariae sedulum die ac nocte exhibebat obsequium, ut merito eius cognominaretur capellanus. De quo non amplius dicendum arbitror, quia qualis fuerit, luce clarius toti iam mundo Deus innotuit creberrimis ad sepulchrum eius miraculis.

22. Hic pre ceteris episcopii sui locis et ecclesiis Admuntense coenobium more predecessorum suorum familiarius diligebat, fovebat et amplificabat; cui etiam incendio misera-

a) Nazzowe 1. b) Chimesse 2. c) *deest* 2. d) aut 2. e) a Domino 1. f) que 2. g) *deest* 1. h) *hic desinit* 3. i) et h. ex nob. et rel. 2. k) *ita* 1. 2. l) specialis 1. 2. m) *deest* 1. n) *deest* 1.

45) v. Jaffé Conrad III. p. 83. Obiit 17. Kal. Octobres. 46) Cf. V. Chunr. c. 4. 47) Hoc quidem verum est, sed a. D. 1147.

biliter collapso annuatim quousque repararetur[a], 30 libras argenti inpendebat, et de reditibus suis plus quam 16 marcarum estimatione paterne subveniebat[48]. 1152. Mart. 11. Possessiones quoque eiusdem monasterii suis donationibus et precipue decimarum collationibus large adauxit et privilegiis communivit. Cuius temporibus quidam Christi fidelis, conversatione laicus, 5 predives opibus, Gotfridus de Wetervelt[b], Christum diviciarum suarum habere cupiens heredem, Admuntensi coenobio pecunias suas in auro et argento contulit, cum quibus predia nonnulla coempta sunt, maxima vero pars in aedificio monasterii sororum expensa est. Quod monasterium prius ex alia parte fluminis[49] iuxta ecclesiam sancti Amandi[50] situm, domnus abbas Gotfridus in alium locum transtulit, et anno incarnationis Domini 1144 consummavit. 10 Preterea prenotati patris Gotfridi sapientia et religione, sed et universae Admuntensis congregationis districtae conversationis rigore inductus, domnus Eberhardus Babenbergensis episcopus, vir tam litterali scientia quam seculari sapientia cluentissimus, interventu domni Adriani papae licet laboriose obtinuit, ut monasterium sanctimonialium ad Bergin[c] dictum[51], suae sedis dominio adiunctum[d], predicti abbatis Gotfridi et fratrum suorum opera ad spiri- 15 tualis vitae servantiae[e] meliorem statum informaretur. Voti ergo sui compos est effectus, et iam dictum coenobium Admuntensibus fratribus est assignatum, anno incarnationis Domini 1156; 1156. quod deinceps tam in interioribus quam in exterioribus, sicut in presenti cernitur, felix sumpsit incrementum.

23. In diebus quoque archiepiscopatus Deo digni antistitis Eberhardi scismate perni- 20 cioso ecclesia coepit laborare, dum ex parte ecclesiae Alexander apostolicus habebatur, ex parte vero Friderici imperatoris et eius sequacium Octavianus, qui et Victor, apostolici nomine falso extollebatur. Qua tempestate iste beatus antistes nutantem ecclesiam in Teutonicis partibus ad unitatem et fidem sanctae[f] Romanae ecclesiae revocabat et roborabat. Tandem bono certamine decertato, Domino vocante apud Runa coenobium naturae concessit 25 debitum[f], 10. Kalendas Iulii, anno incarnationis Domini 1164, 1164. Iun. 22. indeque Iuvavum deportatus, debita veneratione est sepultus. Ad cuius tumbam divinitus ostensa miracula eum vivere in caelestibus attestantur.

24. Post cuius decessum prelati cum clero et ministerialibus ecclesiae consilio habito, elegerunt domnum Chunradum Pataviensem episcopum ad Salzpurgensem metropolitanum 30 anno quo supra, scilicet[f] incarnationis Domini 1164, 3. Kal. Iulii, Iun. 29. virum sane regio genere, scientia quoque et[g] morum probitate nobilissimum. Gesta Frid. IV, 11. Patre namque bonae memoriae clarissimo regni principe Liupoldo marchione Austriae, ac matre Agnete filia Heinrici IV imperatoris progenitus fuerat, germanus etiam Chunradi regis Romanorum, sed et duorum ducum illustrium[h], Liupoldi et Heinrici; Friderici vero imperatoris[i] patruus, sororius autem Heinrici[k] quinti imperatoris; habens sorores Gerdrudem ducissam Boemiae, et Berhtam ducis- 35 sam Polanorum, ac Itam marchionissam de Monte Ferrato, et consobrinam imperatricem Hispaniae Gerdrudem. De tam inquam illustri parentela proles ipse nobilissima traxit originem. Sed tantae predictus antistes Chunradus nobilitatis lineam moribus extulit, probis actibus decoravit. De Pataviensi namque ecclesia, cui 16 annis prefuit, ad Salzpurgensem ut diximus sedem translatus, quicquid prius in se notabile reprehendebat[l], nunc quasi novum hominem indutus coepit corrigere, et formam[m] 40 gregi sibi commisso se non solum nomine, sed et re et opere non segniter exhibere. Eo tempore Octaviano scismatico mortuo, Apr. 20. cum iam finem illius execrandi scismatis ecclesia prestolaretur, alter prohdolor pro iam dicto Octaviano, Wido dictus, a fautoribus cesaris intruditur pocius quam intronizatur, Apr. 22. et novissimus error peior effectus est priore. Itaque omnibus pene Germaniae et Italiae prelatis tali scismate sese tum timore, tum etiam favore principis 45 commaculantibus, et quod dictu horrendum est, sacramento, ut postea dicetur, ne ab hoc recederent se obligantibus, pretaxatus presul inmobilis columpna veritatis, sed et aequivocus eius Chunradus Mogontinae sedis archiepiscopus preclarissimus, nec non et Hartmannus Brixinensis ecclesiae sanctissimus episcopus, murum se pro domo Israel opponebant, et pro conservanda fide beato Petro et eius vicario viriliter agonizabant. Predictus tamen beatus 50 Hartmannus mensibus sex archipresulatus ipsius domni Chunradi evolutis, postquam tam ei quam predecessori eius sancto Eberhardo fidelissime commilitaverat, 10. Kal. Ianuarii migravit ad Dominum. Dec. 23. Chunradus denique Deo dignus pontifex primo constitutionis suae anno ad Sept. 1.

a) repararet 1. b) Wetrfeld 1. c) Pergin 2. d) deunctum 1. e) sp. observatione 2. f) *deest* 1. g) ac 2. h) Austrie *add.* 1. i) cesaris 2; *cf. Ann. Adm. a.* 1168. k) a. q. i. H. 1. l) reprehenderat 2. m) forma 2.

55 48) Eodem anno d. 20—25. Sept. in monasterio egit teste brevi relatione apud Pezium, Thes. III, 3. p. 698. 49) sc. Admuntensis. 50) parochialem vici Admunt. 51) dioec. Eichstet. prope Neuburg.

domnum imperatorem Papiae positum accedens regalia requisivit, sed obtinere non potuit quia scismati communicare noluit.

1165. Mai. 23. 25. Anno deinde[a] tercio[52], scilicet incarnationis Domini 1166, curia Wirzpurch ab imperatore et cunctis pene regni principibus est celebrata, ubi Widoni scismatico tam episcopi 1166. Mart. 29. quam abbates Germaniae iuraverunt, paucissimis se ab hac contagione subtrahentibus. Eodem anno curia Loufe vico Iuvavensis sedis est habita, ubi ab imperatore bona eiusdem Salzpurgensis ecclesiae sunt publicata, et omnes regni fideles in persecutionem archiepiscopi et eius ecclesiae sunt illecti. His ille malis inperterritus sollempnes ordines clericorum eodem anno 15. Kal. Oct. in Salzpurgensi civitate celebravit, ubi 78[b] sacerdotes, centum et octo diacones, centum subdiacones et unum, ducentos acolitos consecravit. Hac igitur tempestate inexplicabilibus persecutionum turbinibus Dei agonitheta circumvallatus, in Bawaria videlicet Plagiensibus[c] et palatinis comitibus cum aliis illorum complicibus, in Karinthia vero duce Karinthiae[53] et Stirensibus ministerialibus rapinis ipsum et incendiis ac multimodis insidiis infestantibus, immobilis in templo Domini columpna persistebat, et tam ecclesiastica censura, id est excommunicationis iaculo illos feriebat, quam et[d] materiali ministerialium et aliorum ecclesiae suae fidelium gladio omnes[e] revincebat. Et licet in talibus erumpnis positus militari manu ad munimen ecclesiae numquam carere potuisset[f], nullatenus tamen possessiones ecclesiae pro hoc dilapidabat, scilicet quia[g] nec prediis, nec decimis ecclesiae suae, ut plerisque in tali necessitate moris est, milites quantumcumque sibi necessarios inbeneficiabat, sed mobilibus quibusque rebus benivolos illos sibi reddebat. Accessit preterea super dolorem vulnerum eius, quod divina permissione[h], quorumdam ut traditur sceleratorum factione, maior ecclesia sancti Rudperti in[g] Salzpurch admodum venusta, et omnis civitas igne con- 1167. Apr. 5. sumpta est, Non. Aprilis[54], anno incarnationis Domini 1167. Hoc itaque illi pro defensione veritatis irrogatum et ad purgationem eius a Domino permissum quis dubitet? Multa tunc generi suo et ordini contraria prefatus pontifex, tum in propria persona, tum in subiectis suis quibusque religiosis, necnon et in patrimonio ecclesiae sustinuit, et tamen a veritatis tramite nec terrore concutiebatur, nec suasionibus imperatoris et consanguineorum seducebatur. His tribulationum pressuris illum circumquaque quatientibus, in Admuntense monasterium sese continue privatim et familiariter recipiebat, ibique a tumultibus secularibus quantumcumque respirabat; cui etiam loco tam consilio quam omnimodo auxilio in dies succurrere ac promotioni eius intendere non desistebat. Ad sustentacionem quoque pauperum cottidie supervenientium decimas nonnullas hospitali est largitus. Cuius pontificatus anno 1165. Iun. 25. secundo, qui ab incarnatione Domini est[i] 1165, reverendus abbas[k] Gotfridus, vir magnae in ecclesia Christi gloriae et auctoritatis ac multorum pater monasteriorum, post multiplices fructus quos Domino et in propria conversatione et in aliorum copiosa aedificatione fructificaverat, anno regiminis sui 28. in bona senectute 7. Kal. Iulii diem clausit extremum[55], et lacrimosa filiorum et filiarum suarum querimonia in festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli debita veneratione corpus eius terrae est commendatum.

Iun. 30. 26. Eius ergo morte orbata congregatio Admuntensis unanimi et Deo acceptabili electione domnum Liutoldum alumpnum suum in patrem et dominum primo die Kal. Iulii elegit; qui videlicet Liutoldus ab ineunti aetate probabili conversatione in eodem educatus monasterio, simplicem ac coram Deo et hominibus sine querela duxerat vitam. Nam et admodum parvulus a patre suo et matre ingenuis et nobilibus Domino ibidem fuerat oblatus, ipsis nichilominus parentibus cum unico pignere ad conversionem venientibus, et predia magnifica coenobio conferentibus[56]. Non multo post igitur a memorato archiepiscopo investituram 1166. Apr. 17. eiusdem monasterii[l] suscipiens, proximo dein[m] anno benedictione pontificali in abbatem est legitime consecratus, 15. Kal. Maii, in die videlicet palmarum. Hic itaque oculis mentis anteponens ad quid vocatus esset, accinxit ut vir lumbos suos, et per omnia predecessoris sui vestigiis inherens, animarum profectibus spiritualibus et monasterii successibus temporalibus pervigili cura insudabat, et inter cetera prediorum coemptionibus possessiones monasterii

a) dein 1. b) LXX 2. c) Plagensibus 2. d) *deest* 2. e) eos *add.* 2. f) potuissem 1. g) *deest* 2. h) d. miseratione permissione 1. i) *deest* 2. k) Admuntensis *add.* 2. l) cenobii 2. m) deinde 2.

52) a. 1165; idem error est in Ann. Admuntensibus. Fuse de his agit Chron. Reicherspergense. 53) Herimanno. 54) pridie Non. secundum Necrol. Salisb. v. Monum. SS. IX, 776. 55) *fundator istius coenobii.* Necr. cod. 184. Idem dies Necr. S. Mich. Babenb., S. Emmerammi et Salisb. notatur; Runense d. 6. Kal. Iul. adscribit. Homilias eius B. Pez edidit a. 1725. 56) v. supra cap. 18.

non minimum augmentavit. Sed quoniam, ut ait beatus Augustinus, nemo Dei servus est sine persecutione, tempestas persecutionis, quae domno Chunrado archiepiscopo tunc temporis acrius incubuit, eum etiam et totum[a] Admuntense monasterium vehementer involvit, in tantum quod et abbati et fratribus res monasterii dispensantibus per aliquot annos nusquam pene securus patebat egressus et regressus propter predonum insidias, quoadusque divina miseratione ipsa persecutio hac occasione fuit sedata. Imperator Fridericus monasterium monialium ad Niwenburch dictum, quod regiam ditionem specialiter attinebat[57], volens ad meliorem statum tam in spiritualis[b] ordinis religione quam in clausurae districtione perducere, consilio super hoc cum familiaribus principibus habito, per Admuntensem abbatem et eius fratres id potissimum digno effectui mancipare deliberavit. Proinde missa legatione ad Admuntensem congregationem, petivit instantius domnam Agnetem, magistram inibi virginum Christi, filiam Ottonis comitis de Diezen et Wolfrathuosen, predicto loco in abbatissam destinari, ad instituendam ibi Admuntensis ordinis observantiam; pollicens si[c] quod petebat obtineret, pacem deinceps et omnimodam tranquillitatem loco Admuntensi affuturam. Sed et litterae principum regni illustrium, pro hoc ipso supplicantium, plures cum scriptis imperatoriis supervenerunt. Communi igitur tocius congregationis consilio ac favore, predicta domna Agnes cum quibusdam religiosis sororibus a domno Liutoldo abbate, tum pro animarum aedificatione, tum pro pacis apud nos forinsecus recuperatione, per venerabilem domnum Rabanum priorem ad Niwenburgensem est locum honorifice transmissa; deputatis ei nichilominus et sacerdotibus et ceteris ydoneis fratribus ad exteriorum administrationem. Quo facto ingruentium malorum utcumque cessavit quassatio. Post haec religiosissimus prior domnus Rabanus, postquam 50 annis prioratus officium strennue administraverat, videns se pre nimia senectutis debilitate ad regimen animarum minus sufficere, absolvi se ab huiusmodi cura instantissime postulavit, et necessitate cogente[d] impetravit[58]. In cuius locum unanimi congregationis applausu domnus Isinricus, vir tam vitae quam scientiae merito commendandus, et eiusdem loci alumpnus, litteratus, professus et consecratus, a domno Liutoldo abbate regulariter est substitutus; qui etiam eodem anno nondum expleto in abbatem Biburgensem cum ingenti tristicia omnium Admuntensium est promotus, anno incarnationis Domini 1169.

27. Reverentissimus autem[e] et Deo dignus archimandrita Iuvavensis Chunradus, postquam bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit, quinto archipresulatus sui anno, tunsionibus variis lapis preciosissimus Christo politus, apud Admuntense monasterium, quod semper unico ac paterno coluit affectu, 4. Kalendas Octobris obdormivit in Domino, anno incarnationis Domini 1168, ibique debita veneratione est sepultus. (1168. Sept. 28.)

Igitur post obitum virtuosissimi archiepiscopi Chunradi clerus et populus apud metropolim Iuvavum coadunati, elegerunt unanimi voto in archiepiscopum domnum Adilbertum, filium regis Boemiae Ladizlai[f] et Gerdrudis, sororis prenotati Chunradi archiepiscopi et Heinrici ducis Austriae, qui et ipse pro fide Romanae ecclesiae multis persecutionibus ut aurum in fornace est probatus.

Post haec piae[g] recordationis Admuntensis abbas Liutoldus septimo regiminis sui anno, postquam utiliter, sed admodum laboriose, in vinea Domini desudavit, anno incarnationis Domini 1171, 3. Nonas Septembris Domino vocante diem clausit extremum[59]. Quo etiam anno beatus Thomas archiepiscopus Cantuariae in Anglia glorioso martirio est coronatus. (1171. Sept. 3. 1170. Dec. 29.)

Post cuius decessum in eligendo patrem fratres aliquamdiu dissidentes, quidam domnum Isinricum prenominatum abbatem Biburgensem, quidam domnum Heinricum abbatem Milstatensem, Popponis comitis filium, et a puero similiter in Admuntensi educatum coenobio, coeperunt expetere in patrem et dominum. Obtinuit tamen pars quae domnum Heinricum elegerat, et altera pars huic coepit assentire. Electus ergo domnus Heinricus venire ad nos penitus abnuit, licet multis et episcoporum et principum litteris pro hoc esset sollicitatus, tum quieti suae consulens, tum priorem vocationem sui et electionem in locum Milstatensem

a) per t. 2. b) spiritualibus 2. c) p. quod si quid p. 2. d) exigente 2. e) *deest* 2. f) Ladizlay 1. g) felicis 2.

57) quippe ab Heinrico II. a. 1007. fundatum in civitate olim episcopali ad Danubium sita. 58) Obiit pridie Non. Ianuarii. Antea a. 1160 a Chremesmonasteriensibus in abbatem electus fuerat, ut docent epistolae apud Ludewig, SS. Bamberg. I, 847. 59) postquam privilegium d. 4. Idus Febr. eiusdem anni ab Alexandro III. papa obtinuit. Pezii Thes. III, 3, 666. Obitus etiam in Necrol. Sancti Mich. Babenbergensis, Salisburgensi et Sancti Emmerammi notatus est.

obtendens, insufficientiam quoque[a] suam ad regimen nostri monasterii sepenumero proponens. Rursus igitur dum in electione[b] patris vota eligentium scinderentur, et ob hoc dissensionum scandalis tota confunderetur Ierusalem, tandem utcumque concordia facta, Rudolfus quidam prior Sancti Lamberti est electus, cum item domnus Isinricus a pluribus religiosis eligeretur, et tamen ab aliis ne illa electio effectum haberet impediretur. Predictus denique Rudolfus Admunti veniens, rigore observantiarum ordinis nostri sibi hactenus insolito et inusitato, fratrum quoque exteriorum seu cappatorum rebellione pusillanimis redditus, post 12 ebdomadas loco cessit, et ab obedientia sua fratres omnes absolvit[60].

[1172.] Unanimi deinde[c] electione domnus Irimbertus[d] abbas Sancti Michahelis in Babenberch[61], noster autem professus, germanus domni Gotfridi abbatis, vir in sacra scriptura adprime eruditus, aetate pene decrepitus, electus in Admuntensem abbatem et missis nunciis evocatus, per quinquennium et dimidium[62] annum in sancta[e] conversatione loco prefuit, ac postea in nativitate Domini 7.[f] Kalend. Ianuarii, Christo vocante, in senectute bona [1176. Dec. 26.] migravit a[g] seculo, anno incarnationis Domini 1177. Scripsit hic in libros Regum quatuor[63] opus arduum ac luculentissimum, similiter in librum Iudicum et Ruth egregie commentatus est[h].

28. Cum itaque sanior pars fratrum domnum item Ysinricum abbatem Biburgensem expeterent, pervigili studio et consilio domni Romani Gurcensis episcopi qui tunc forte et in decessu prenotati patris et in electione alterius aderat, abbas Sancti Lamberti[64] in Admuntensem abbatem est electus; sed cum monasterium cui preerat ad beati Petri et apostolicae sedis dominium speciali iure spectaret, non absque apostolicae sedis auctoritate de loco illo ad nostrum transire poterat. Proinde missus est nuncius cum litteris supplicatoriis [1177.] congregationis ad apostolicum Alexandrum qui tunc Venetiae ob concilium pro unitate ecclesiae reformanda inibi celebrandum morabatur. Is denique nulla ratione ut electioni huiuscemodi assensum preberet inflecti potuit, dicens se de spoliis proprii altaris quodlibet Salzpurgensis ecclesiae altare nolle investire. Apostolicae igitur sedis mandato electione cassata, [Apr.] fratres omnes in pascali ebdomada convenientes unanimi electione quendam e congregatione Rudolfum elegerunt, qui de longinquis regionibus adveniens per sex annos bona et probabili conversatione religiosam inibi duxerat vitam. Quidam autem fratrum simplici, quidam vero non simplici, ut in fine claruit, in personam illam convenerunt intentione, scilicet aliis sanctimonia vitae illius[i], aliis remissiorem suimet posthac vitam pro eius pia mansuetudine affectantibus. Interea idem[i] anno incarnationis dominicae 1177, indictione 10, domino Deo ex alto prospiciente et naviculam beati Petri sanctam ecclesiam videlicet a scismatis procellosis turbinibus, quibus per decem et novem annos laborando fluctuaverat, ad portum

a) *deest* 2. b) electionem 1. c) dein 1. d) Irmbertus 1. e) sacra 1. f) XVII. 1. VII. *Necr. Adm. et S. Michaelis.* g) e 2. h) *hic desinit* 2. i) *ita codex.*

60) Obiit d. 10. Sept. 61) electus a. 1160 quum paullo ante etiam in abbatem Chremsmon. postulatus esset; v. epistolas ap. Ludewig SS. Bamberg. I, 837 ss. 62) imo quatuor annos cum dimidio. 63) Et huius et aliorum eius operum, quorum partem B. Pez in Thes. Vol. II et VI. edidit, codices elegantissime scripti in bibl. Adm. servantur. Ex cod. 17. s. XII. partem praefationis in Iosue apponimus: *Ego igitur qui licet a consortio magnorum doctorum vel expositorum tam vitae quam scientiae merito sim extraneus, tamen pro paupertatis meae viribus opto in conspectu Dei non apparere vacuus; cum in Admuntensis monasterii quieta habitatione, velut in Thabor montis delectarer contemplatione, post utcunque digestum librum Regum, intendi animum ad indagandum profundum libri Iosue mysterium, magis de cohabitantium vel fratrum vel sororum fidelium praesumens adiutorio, quam aliquo propriae scientiae innitens solatio. Cum enim in extrema parte libri Regum desudarem, omnes eiusdem monasterii officinas in media XL[a] caelestis permissu patris nocturno tempore flamma consumpsit, quas omnes excepta sola templi fabrica, quod dictu mirum esse possit, et quod soli Deo asscribi iure debeat, una tantum estate in priorem statum reformari contigit* etc. Et ex praefatione in Iudicum: *Quoniam ergo opitulante gratia Christi in monasterio Admuntensi librum Iosue utcumque digessi, fretus confidentia divini auxilii huius quoque libri explanationem attemptare disposui, positus in Carinthia, in aecclesia b. Georgii, ubi et primas partes libri Regum primitus explanavi. Ante annos autem aliquot quia hystoriam de concubina quae in 12 partes est secta necnon hystoriam Ruth sororibus Admuntensibus disserueram, duae ex ipsis studii sui impenderunt diligentiam ad conservandam interpretationis meae memoriam, ideoque huic opusculo adnectere duxi earundem hystoriarum, sicut ab ipsis sororibus digesta est, explanatiunculam.* In fine scriptum est: *Explanatio huius hystoriae descripta a sorore Regilinde.* Et in fine libri Ruth: *Explanatio huius hystoriae descripta a sorore Irmingarde.* 64) Werenherus, qui a. 1176 synodo lauriensi interfuit.

1177.

tranquillitatis et pacis educente, religiosis mediantibus personis, concilium apud Venetias est habitum ubi magna et celebri frequentia prelatorum ecclesiae et aliorum principum coadunata domnus apostolicus Alexander et domnus imperator Fridericus sunt conciliati; ipso domno imperatore et omnibus suis fautoribus scismati renunciantibus et apostolicae sedis precepto sese humiliter inclinantibus. Ibi ergo domnus Adilbertus Salzpurgensis arciepiscopus, quia domnum imperatorem valde offensum habebat, pro bono pacis et concordiae Salzpurgensem episcopatum consilio et mandato domni apostolici resignavit; cui domnus Chunradus qui Mogontinam prius rexerat ecclesiam ab apostolico et imperatore consensu et voto[a] eiusdem ecclesiae qui ibi aderant substituitur. Quibus etiam prelatis sese comitantibus Salzpurgensis ecclesiae provinciam ingreditur et apud Frisacum conventu prelatorum et ministerialium ecclesiae sollempniter suscipitur. Antea vero quam eundem locum ingrederetur, legatos Admuntensis congregationis pro electo suo domno Rudolfo missos audivit. Quibus auditis per eosdem nuncios et per scripta sua tam electum quam et seniores ac meliores congregationis Frisacum evocavit, ubi et plures e prelatis adesse precepit. Quibus omnibus Frisaci adunatis cepit de persona electa et presente discutere coram ipsis prelatis et melioribus congregationis, quorum etiam relatione compererat ipsum electum tam in interiorum quam in exteriorum administratione minus sufficientem. Fratribus igitur qui aderant tam pro se quam pro omni conventu bonam personae illius per sex annos secum conversationem et unanimitatem electionis plurimum commendantibus, episcopus haec quidem sibi admodum placere respondit, sed de anteactae illius conversationis testimonio et sacrorum ordinum susceptione seu promotione se ac prelatos scire debere affirmavit. Quia ergo nemo aderat qui pro his capitulis ei preberet testimonium, archiepiscopus ipsum electum in virtute obedientiae cepit contestari ut simpliciter de suimet in sacris ordinibus promotione palam aperiret. Confessus est igitur se ab Hermanno Constantiense episcopo sacerdotii gradum suscepisse[b].

CONTINUATIO.

Ann. Adm. 1199. Oct. 23. — 1200. Apr. 8.

29. Idem[c] domnus Rudolfus pie memorie abbas iam secundo factus, anno dominice incarnationis 1199 quievit in Domino[65]. Pro quo domnus Iohannes abbas Biburgensis qui antea prioratum Admuntensem per multos annos tenuerat eligitur et a domno Alberto archiepiscopo investitur. Item anno 1200 domnus Albertus Salzpurgensis archiepiscopus 33. archipresulatus sui anno post multa gravamina que passus est a domno Friderico imperatore ob defensionem sancte ecclesie, et post plurimas infestationes iniquorum hominum contra eum et sanctam ecclesiam pro iussu et voluntate imperatoris sevientium, tandem adiutorio Dei eiusque nobili providentia ac industria sopitis omnibus maioribus ac minoribus qui adversus eum arma tulerant, cum iam diviciis et honoribus omnes Iuvavenses archiepiscopos transcendisset, 7. Idus Aprilis diem clausit extremum in sede archiepiscopatus sui, ibique debita cum honestate sepultus est. Erat autem sororius domni Chunradi II archiepiscopi, cuius mentio est in antecedentibus. Tunc communi electione cleri ac ministerialium electus est domnus Eberhardus Brixinensis episcopus in archiepiscopum Salzpurgensem, et in ecclesia kathedrali intronizatus.

1201. Mai. 4. — 1202. Sept. 3. — 1205. Mai. 18. — 1206. — 1207.

30. Anno dominice incarnationis 1201. terremotus magnus factus est per dimidiam fere horam 4. Nonas Mai ....[d] ac deinceps frequenter, adeo fortis, ut nonnullas ecclesias subverteret ac domos muratas, in quibus longe lateque magna strages hominum facta est. Inter que in castro Wizzenstain turris corruens hospitem domus Hartrodum ministerialem ducis Stirensis cum 7 viris interemit; sed et castrum archiepiscopi Chaets dirutum, fere omnes habitatores suos morti dedit. Domnus Iohannes abbas Admuntensis obiit anno incarnationis Domini 1202; pro quo domnus Rudigerus ibidem nutritus et professus, prioris ac sacriste officium tenens, canonice eligitur. Qui quarto regiminis sui anno dum forte in lapidicina laborantibus interesset, petra quadam in preceps decurrente percussus et mortuus est[66]. Pro quo domnus Wolframmus Durigena, qui de monasterio Reinersprunn ad nos veniens per decem fere annos nobiscum fuerat demoratus eligitur, anno Domini 1205. Item domnus Gotfridus frater noster, Alberone Ozziacensi abbate defuncto pro eo inibi substituitur. Item anno incarnationis Domini 1207. domnus Wolframmus Admuntensis abbas paralisi dissolutus cure pastorali cessit et ei domnus Gotfridus abbas Ozziacensis subrogatur.

1226. Dec. 6. — 1229. Nov. 20. — 1231. Apr. 16.

31. Qui viginti prope annis gregem sibi commissum fideliter gubernans, ad ultimum quieti et saluti sue consulens, abbatiam spontanea voluntate resignavit, anno dominice incarnationis 1226, 8. Idus Decembris, et tertia die domnus Wihpoto electus subrogatur. Qui obiit anno regiminis sui quarto, dominice vero incarnationis 1229. Pro quo domnus Perhtoldus Pűrensis abbas eligitur. Idem ad Sanctum Petrum in Salzpurch electus Admuntensi abbatie cessit. Pro quo domnus Chunradus ibidem nutritus et professus unanimi voto tocius congregationis 16. Kalendas Mai. eligitur[e].

Qui possessiones ecclesie augmentare studens, que invenit fideliter conservavit, alienata sive obligationibus seu alio quocumque modo recuperare non cessavit; ad hoc etiam emendo reditus, construendo edificia non pauca, honorem domus Domini ampliavit. In hoc opere laudabili et proposito maiora faciendi a Domino est vocatus ex hac vita, per Dei gratiam premia perpetua adepturus, anno Domini 1242, habens annos regiminis sui 11 et 3 menses[f].

1242. Iul. 14.

a) *verbum excidisse videtur.* b) *lacunam hic in autographo fuisse apparet.* c) *i. e.* Item. d) *ita codex.* e) *hucusque manus prima.* f) *hinc alia manus pergit.*

65) *X. Kal. Nov. Ruodolfus abbas n. c.* Necr. Adm. 66) litteris rubris scriptus in necrol. c. 184.

32. Igitur domno abbate Chunrado defuncto, domnus Perhtoldus et abbas, loci nostri frater et professus, cum iam duarum ecclesiarum, primo Biburgensis, secundo Sewensis, pastor et rector exstitisset, unanimi fratrum electione pro ipso subrogatur. Hic vere simplex et rectus, pius quoque ac timens Deum, bona ecclesie fideliter dispensando minime dissipavit. Ipse etiam structuram duorum sacrariorum, cum basilica illis annexa, domno Friderico tunc sacrista sibi in eodem opere plenissime amminiculante fabricavit. Insuper hospitum coquinam carnifariam, que actenus lignea et domus humilis ac frequentius incensibilis extiterat, propter urgentem necessitatis cautelam satis laudabiliter muratam exstruxit. Eodem tempore, multa turbinum ac bellorum orta tempestate, Fridericus Austriae Styriaeque dux illustris in bello regis Ungariae dolose prostratus occubuit, 17. Kalendas Iulii. (1246. Iun. 15.) Ipso etiam eodem anno domnus Eberhardus piissimae memoriae archiepiscopus Iuvavensis, pacis amator precipuus, 4. Kalendarum Decembrium[67] (Nov. 28.) de vitae medio evocatus, migravit ad Dominum. Quos gloriosos principes ideo memoriae commendandos dignum duxerimus, quia ipsis defunctis, pax et securitas totius terrae unâ cum ipsis funditus exspiravit. Ea propter, cum ecclesia nostra tam seculari quam spiritali patronatu orbata, multigenis hinc inde pressurarum ac tribulationum procellis crebro agitata fluctuaret, hanc Dominus gratiam predicto abbati Perhtoldo conferre dignatus est, ut omnium malignantium corda, eius benignitatis ac mansuetudinis, simul et bonae conversationis ipsius opinio, multo plus a lesione ecclesiae compesceret, quam alicuius iudiciariae potestatis asperitas eos absterrere potuisset. Habens autem annos 16 et menses 8 regiminis sui, infirmitate gravi aliquantisper laborans, contigit ut infra sollempnes dies paschae omne habitaculum sororum conversarum irrefrenabili incendio totaliter cremaretur; quas in domo sua statim receptas, diligenter recludi et custodiri fecit. Ipse vero pre nimia molestia cordis, sumens augmentum doloris, uno posthac evoluto mense, viam universe carnis ingressus requievit in Christo 8. Kalendas Maii, anno Domini 1259. (1259. Apr. 24.) Pro quo domnus Fridericus, ibidem nutritus et professus, officium sacristae gerens, canonica electione substituitur.

Luctus quo mors Friderici ducis Austriam Styriamque afflixit testes producimus carmina, quae vacuis codicum foliis inscripta hic illic invenimus. Eorum par primum, iam olim a Pezio SS. II, 398 *editum, ultimo folio cod. Admunt.* 94. *manu coaeva inscriptum et notis musicis instructum est, tertium bibl. caes.* 398 *scil. codici Udalrici, quartum codici Lycei Linz. Cc V* 7 *olim Subensi.*

Organa leticie quondam resonabant,
Et felicem hominis vitam predicabant,
Cum ludebant pueri, senes opem dabant,
Elementa singula suo iure stabant.
Totus in contrarium mundus est mutatus,
Musicam conpescuit meror et ploratus.
Longa vita displicet, ludus est ingratus,
Reversionem in chaos minatur rerum status.
Pars de toto labitur, et in parte totum.
Atlans quia cecidit seculum est motum,
Mundus vultum retinet tristem et illotum,
Novam mortem Hectoris deplorat omne votum.
Coma nostri capitis pedibus calcatur,
Clara forma Paridis luto maculatur,
Princeps quasi solus sit, solus immolatur,
Friderico perdito dolosa mors culpatur.
Ecce manus brachia gladiis utuntur,
Ecce membra singula regem persecuntur,
Tamen postquam ordine suo revertuntur,
Nostrum caput ubi est? pedes conqueruntur.
Ante tuos oculos, Deus, ista pone,
Discute victoriam stricta ratione,
Sique[a] Ioab affuit ut in Absalone
Tua cito vindica, Deus, ultione.

Austria diviciis omnibus fecunda
Sola iam in pulvere sedet gemebunda.
Parvipendit Styria quelibet iocunda
Quamvis in militibus nulli sit secunda.
In diversa spargitur terre dominatus,
Propriis in sedibus regnat incolatus,
Agnus ovem devorat, lupus est beatus,
Cattis atque muribus par est principatus.
Corda disconveniunt, proscribuntur iura.
Fides exul abiit ad extrema rura.
Non est amicicia sine gravi cura.
Per aves, feras, sompnia vidimus futura.
De supernis respice, Deus angelorum,
Tibi derelictus est clamor miserorum.
Muta terre faciem, verte cor illorum
Qui conantur rodere vitam orphanorum.

Voce tristi causam tristicie
Plange genus regalis Grecie[b]
Ducem clarum Fridricum Austrie
Decus et presidium Styrie.
In Egyptum a suis venditus
Ioseph tandem suis est redditus.

a) sicque *c.* b) *superscr.* glorie.

67) *IV. Nonas Dec. Depositio Eberhardi arch. Iuvavensis.* Necr. Adm. ap. Pezium. Obitus eius in aliis diei 2. Kal. vel Kal. Dec. adscribitur.

Hic pro suis est morti deditus
Et post mortem nullus est reditus.
Machabei ducis victoria
Timebatur regna per omnia.
5 Austri ducis Fridrici prelia
Terruerunt corda regalia.
Gladius invidie messuit
Florem militie, et aruit.
Fortis terre defensor corruit;
10 Vox omnis leticie siluit.
Pulchritudo virginum palluit;
Fortitudo iuvenum languit.
Reges mundi fraus mortis terruit
Per quam tantus victor occubuit.
15 Cave tibi, rea Ungaria,
Ne quandoque perferas talia.
Contra fraudem non est custodia
Nisi tantum divina gracia.
Iam si possent lapides plangerent
Et arborum folia caderent,
Tristi melo volucres canerent
Si tam grande nefas discernerent.
Gedeonis gladius flectitur
Et Sansonis caput opprimitur,
Absalonis forma conteritur,
Salemonis tronus deponitur.
Gemma iacet sepulta cinere
Quam in auro sperabam cernere.
Reddens reis vicem pro scelere
Parce, Deus, anime misere.

EPITAPHIUM DUCIS FRIDERICI AUSTRIE ET STIRIE.

Forma iacet Paridis, tumor Hectorianus, Achillis
Robur, Alexandri fortuna, subacta favillis.
Inmo Samsonis vis, cor David, os Salomonis,
20 Dos Mordochei, sors Iudit, mors Machabei.
Ecclesie fax, pax patrie, decus orbis, abegit
Rure, foro scelus, urbe, choro famosa peregit.
Iam probat omnia, sint nisi sompnia, subdita soli.
Ceu rosa decidit, et merito dedit omnia soli.
25 Unde Dei sors aufer ei culpas prece prona,
Sit ne sibi locus ater ibi, sed vera corona.
Da lacrimas Stirie genus, Austria lugeat alma.
Victaque barbarie cecidit lapso duce palma.
XPE tibi vivatque sibi princeps crucis iste.

30 Hoc epitaphium scripsit quidam monachus Cisterciensis Chunradus nomine genere Saxo.
Litterae initiales nomen Friderici ducis efficiunt. Sequitur ultimum, cuius versus singulis alphabeti litteris ex ordine incipiunt:

Accipe fortuna quicquid mortale dedisti
Belligerum quia morte ducem subito rapuisti.
35 Claude manum, nil das, recipis tibi stulta fuisti.
Dando laborabas, sumendo metipsa ruisti.
Ecce sibi dederas quicquid melius potuisti,
Fraude tamen veniens hunc et sua cuncta tulisti.
Gaudia que tribuis concludis funere tristi.
40 Hoc per opus patuit satis infeliciter isti.
In mundo tibi miles erat quem plus habuisti.
Kartago gaudere deo duce displicuisti
Lumine deposito quod ei vivo tribuisti.
Mars trahit hunc, capit hunc, rapit hunc, set gratia
45 Christi,
Noxia tu poteras avertere si voluisti.
O Deus ô solum Fridericum deseruisti,
Pro multis aliis nimis illum corripuisti.
Quis bone dux tibi trux, tibi crux fuit, unde luisti
Rem patrie pacisque tue, per quid meruisti
Sic recipi quod non redimi, tu gratis obisti.
Terra fuit tua, pace tenens sua, set minuisti
Vitam corporis, arcem federis, atque subisti
XPI iudicium, cui te nimis implicuisti.
Ymnus abest, ve planctus adest, male disposuisti.
Zelus amor patitur, premitur, quia tu cecidisti.

PASSIO THIEMONIS ARCHIEPISCOPI.

Praeter metrica illa Thiemonis gesta etiam huius vitae exemplar servatur in celebri bibliotheca monasterii Admuntensis, cuius magnum et amplum refectorium Thiemonis, Gebehardi, Hemmae ceterorumque loci benefactorum 50 statuae deauratae adornant, cuius porticibus Deiparae virginis imagines continentur quae Thiemonis artificio ex lapide liquefacto fusae esse feruntur[1].

Ea vita medio saeculo XII. scripta est, nam c. 16. *grandaevus quidam presbyter commemoratur, qui circa tempus passionis eius praesens fuit; praeterea auctor tempora Conradi I archiepiscopi c.* 5. *„nostrae iam memoriae"*

55 1) sed erronee quum ad summum saec. XIII. esse videantur. Cf. Gab. Strasser, Kremsmünster I, 257.

appellat, et verbis c. 2. 8. „usque hodie“ c. 5. „fertur subisse“ tempore a Thiemone satis remoto se scripsisse significat. In fabulosa de passione eius narratione eundem cum ceteris testem „qui omnem postea eius passionis historiam nostris partibus retexuit“ exprimit, sed in priore libri parte quaedam scitu digna refert, etsi non omnia recte narrasse videtur, utpote de rebus satis remotis et sola hominum memoria servatis scribens. Sermonem flosculis ex Horatio, Virgilio, Lucano, Statio, Salustio et auctoribus sacris desumptis ornavit. Multum eo usus est qui versus finem saeculi vitam Gebehardi alteram concinnavit; praeterea auctor chronici Reicherspergensis a Gretsero editi[2] *ad a.* 1088.

Codices manuscripti quorum duos suis in monasteriis, alteros duos huc benigne nobis transmissos contuli, sunt

1) *Admuntensis* 410 *mb. in oct. s. XII ex. in quo manus alia sed coaeva tum menda aperta correxit, tum vero quaedam ad arbitrium suum refinxit, ita tamen ut priora plurimis locis adhuc discernere possis.*

1[b]) *Altahensis, iam bibl. Senatus Lipsiensis II,* 58, *saec. XII. in folio, descriptus a V. D. Naumann sub n. CXCV. pag.* 59. *Inscriptionem fert: „Iste liber est Sancti Mauricii in Altach Inferiori.“ Ibi quaecunque in codice Admuntensi manu* 2. *corrigendo et auctoris verba mutando scripta invenimus, in ipsum verborum contextum recepta sunt.*

2) *Halesbrunnensis, iam bibl. Academiae Erlangensis* 298, *oct. s. XII, de quo v. A. F. Pfeiffer, Beiträge zur Kenntniss alter Bücher und Handschriften II,* 208. *Et hic censorem nactus est eiusdem temporis, qui radendo et rescribendo textum effecit, quem praebet codex*

2[b]) *Vorowensis* 12, *saec. XII exeunte in folio iussu Bernhardi praepositi scriptus, quem descripsi Archiv* X, 627.

Extitit praeterea codex Sancti Petri Salisburgensis, cuius apographum admodum mendosum sibi transmissum excudit Canisius Antiquarum Lectionum T. IV, 2, *p.* 666. *edit. novae III,* 2, *p.* 103; *repetiit Hundius in Metrop. Salisb. p.* 58. *Hunc igitur codicem frustra quaesivi, sed facile eo carere possumus quum ex libris manuscriptis supra descriptis auctoris narrationem puram et incorruptam proponere liceat.*

Praeter hanc Thiemonis vitam alia extat, quam Tengnagelius edidit[3], *quae incipit „Insignem“. Codices eius vidi in bibliotheca caesarea* 1420. *inter Salisb.* 25. *s. XII.*[4] *et* 602. *Hist. eccl.* 152. *s. XIII inc., Gottwicensem O.* 27. *a.* 1659 *qui ex editione descriptus est. Eadem in magno illo passionali recepta est, bibl. S. Crucis n.* 13. *in Campo Liliorum et in mon. Mellicensi obvio, sed tota ex nostra hausta est, resectis multis quae ad historiam pertinent, quorum loco ampullosa locorum communium moles accessit.*

PASSIO TIEMONIS ARCHYEPISCOPI IUVAVENSIS.[a]

Gloriosam martyris Christi Tiemonis seu Theodamari[b] *passionem venerabiliter ecclesia suscipiat, amplectatur et celebret, quam nos ultimi servorum eius ardenter colentes, equidem merito, utpote signis in morte et post mortem illustratam, nostro etiam scripto posteros eam ex parte agnoscere laboravimus, ne tantum sydus ignorantia obnubilante, minus in terris quam sursum coruscaret in coelis.*

a) Iuv. archyep. et martyris 2. Inc. prologus in uita S. Tyem. ep. 1[b]. b) *ita* 1. *sed manus* 2. *correxit:* m. Tiemonis passionem; Theodomari 2.

2) nam in ceteris codicibus manuscriptis haec desunt, excepto Vorowensi, ubi largiore manu ex Pass. Thiem. hausta narratio annalibus inserta est, sed immunis a mutationibus codicis Vorowensis. 3) Vetera Monumenta contra Schismaticos. Ingolst. 1612. 4. p. 70—82. 4) Ex hoc specimen scripturae damus, siculi etiam ex 4 codicibus supra descriptis.

1. Magnitudine, diuturnitate passio huius beati inter agones martyrum adeo mira,
adeo[a] eximia, ut nichil supra. Periculis ex genere, periculis in falsis fratribus, periculis ex 2Cor.11,26.
gentibus, cum Paulo apostolo omne quo prefuit tempus exegit. Imitabile hinc miseris mor-
talibus in se procuravit exemplum hoc presertim tempore, quando homines sunt se ipsos
5 amantes, turpis lucri sectatores, quando in foribus regum corruit iudicium et iustitia in-
gredi nequit, cum ipsi Dei pontifices, alius per ambitionis et invasionis assultus, alius per
conspirationis et factionis cuniculos dignitatem arripiunt, trahunt, dilacerant; sedem am-
biunt, ante cuius onus succumbere, ad cuius rationem contremere et subterfugere nisi
dementes magis debuerant. Sed profecto, ut ait quidam, imbecilla est natura mortalium
10 ad contempnendam potentiam. Verum tamen ve illis per quos scandalum venit, et con- Matth.18,7.
tagium quasi pestilentia ab alio in alium per universum vadens grassatur. Sed iam beatis-
sima passio martyris et vitae eius sub oculis pingatur religio[b]. Hic igitur ingenuis parentibus
alto Baioariorum genere oriundus, in primeva aetate Altensi[c] monasterio tam regularibus
quam scolaribus disciplinis traditus est imbuendus. Huic ab adolescentia sanctitas, inno-
15 centia, humilitas, prudentia omnisque scientiae genus oblectationi fuit, ibique iuventutem
suam exercuit. Quapropter et bonae indolis viro divina unctione indultum est, ut non modo
eas artes quas liberales appellant, sed et mechanicas universas simul, pictoriam, fusoriam,
sculptoriam, carpentariam omniaque huiusce[d] genera et species in modis et in formis, in-
star mollis cerae quam ducere artifex manus et fingere milleformiter queat, docili ingenio
20 assequeretur et facili usu. Extant[e] mira huiusmodi operum eius usque hodie, quae nemo
umquam artificum se confessus est posse equare. Inter haec cum strennuis virtute, cum Sal.Cat. 54.
modestis pudore, cum innocentibus abstinentia certabat, et esse bonus quam videri malebat.

2. Quantae autem districtionis zelo vicia sua reprimens et triumphans ea in semet ipso,
divinis perinde obtutibus et tum privatus, et post in pontificii culmine, ac deinceps in san-
25 guinis effusione placuerit, superna revelatio et ipsi et nobis, qui usque hodie et in reliquum
legimus vel lecturi sumus, indicio infra scripto innotescere voluit. Cum adhuc in Altensi[f]
monasterio regulariter demoraretur, res incidit quodam tempore et humanum passus est,
ut iracundia forte commotus et oneri imparem interim animum gerens, statim de claustro
impetuose recederet. Iamque iuxta silvam contiguam culpatum iter tenebat, cum ilico Dei
30 miseratione stimulus angelus[g] satanae ab eo recedens, salvum virum[h] reliquit. Tum ad se
ipsum rediens, mirari factum et displicere ipse sibi cepit, erigensque se contra se, bene[i]
indignando torvos oculos super vias suas posuit, et melius iter reversus[k] qua venerat ocius
relegere cepit. Et post pusillum sacerdotem[l] obvium habuit, equo sedentem, a quo sine
mora, quoniam obscura persona non fuit, agnitus et salutatus est. Moveri autem is apud se
35 cepit et quidem[m] haud indigne, et his eum adorsus est verbis: *Unde versum aut quorsum
domnus meus tam insolite, tam preceps rapitur? Quid rerum est?* Ille humiliter velut mente
languidus et rancido vultu infelicitatis suae hystoriam retexuit,

Et tamen afflicto spirat reverentia vultu[n]. Stat. Theb. V,27.

Qua motus etiam sacerdos equo proprio desilire et ad cellam usque commodare velle coepit,
40 talibus verbis insistens: *Noli, domne mi, hanc iniuriam tibi facere, non eas quia temet ipsum
degeneras, persona tua vilescit. Indulge honori ante homines, in iumento meo redire consenti,
et ero comes itineris tui.* Non frangitur, non mulcetur blandientibus verbis beati viri con-
stantia, set immoto pectore virtus dura respondit: *Sine modo. Non equitas solacium patitur,
contra ius bonumque suggeritur, melius mentem subiit consilium. Reducat pedibus submissa
45 humilitas, unde superbia furiosa exploserat.* Dixit haec, et ad monasterium suum tam per-
nici gressu quam prono affectu se rapuit. Letissimis[o] animis excipitur, salutatur, pal-
pantium studiis etiam mente gravatur. Impunitate oblata intrare simpliciter et misceri inter
ipsos oratur. Abnuit vir[p] spiritu Dei tactus momentaneum hoc et preter[q] inane nomen
ceterum inutile honoris specimen, elegit quod in aeternum conduceret, quod angelis in
50 coelo gaudium faceret, et ut par erat, iuxta rigorem non[r] monachicae tantum, verum etiam

a) est *superscr.* 1. b) *hic demum prologum terminat* 1b, *pergens:* Vita eiusdem. Beatissimus ig. martyr et pontifex
Tiemo. c) althahensi 1b. altaha *Vita altera.* d) huiuscemodi 1b. *Canisius.* e) Extant — equare *desunt ap. Canisium;
in 2. locus rasus est, manuque 2. inscriptum:* Extant usque hodie in quibusdam monasteriis de sculpturis eius et pictura
que nemo artificum adequare iudicatur. f) altahensi 1b. g) ille 1. *ex corr.* h) illum 1. *ex corr.* i) *deest* 1.
55 k) versus 2. l) plebanum 2. *ex corr.* m) cepit equidem 2. n) Stāc 2. *in marg.* o) *in cod.* 1. *manus* 2. *add.*
fratrum. p) sanctus *ib. additum est.* q) *his erasis in cod.* 1. *manus* 2. *scripsit* et velut inutile. r) rig. mon. et
canonicę disc. 1. *celeris erasis.*

canonicae, imo[a] ecclesiasticae generaliter disciplinae ad satisfactionem nudus processit, emulans factis auctoritatem Christi dicentis: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum.* Proxima hinc nocte cum more sibi semper consueto matutina hora ad ecclesiam omnes preveniret, preteriens capitolium quendam[b] ignotum venerabili omnimodis forma et habitu contra se assistentem corporeis oculis vidit. Qui ipsum et episcopatus apice sublimandum et deinceps martyrio consummandum signis apud monachos usitatis evidenter edocuit. Quo facto, ab oculis eius evanuit.

Matth. 18,3.

3. Ea tempestate apud Iuvavum monasterii sancti Petri abbatem[c. 5] diutinae egritudinis ita confecit molestia, ut nomine officii fungentem, administratione officii penitus feriantem relinqueret. Quocirca euangelicam pertimescens sententiam: *Cui plus committitur, plus ab eo exigitur,* nec infirmitati satis confidens ad excusandas excusationes in iudicio, prudenti humilitate et humili prudentia onus recusare, cuius opus excusare intutum foret, sacius duxit. Adiens itaque[d] reverentissimum et vere apostolicum virum Gebehardum, in diebus illis sanctae Salzpurgensis ecclesiae archyepiscopum et apostolicae sedis legatum, id quod in re erat aperuit, et absolvi ab officio impossibili precibus institit. Nec inani apud pium, apud misericordem instantia laboratum est, ubi ratio necessitatem, fas iuvit veritatem. Quid nisi mortua vita fuit? Absolutionem[e] igitur obtinuit, et in locum illius divina ordinatione et libera fratrum electione de Altensi[f] monasterio ascitus est venerabilis Tiemo, genere, industria, conversatione atque scientia elimatissimus. Tum investitus ab eximio episcopo suo Gebehardo[g], iniuncto operi omni advigilavit[h] instantia, omnia bona et sancta factis amplius quam verbis secundum regulae scita ingerens[i], inculcans, indulcans.

Luc. 12, 48.

4. Per idem tempus naviculam beati Petri, quasi dormiente interim Iesu, propemodum[k] mergens tempestatum procella vexabat, omnesque veritatem et fidem beato Petro servantes eiusque vicario tunc apostolicae sedis presuli Gregorio VII, aut in undas mortis dirum fremens ac fervens salum trahebat, aut in longum exilium patria, honoribus, rebus exsortes iactabat. Inter quos Gebehardus archyepiscopus, singularis pro certo et principalis columna cui inniteretur nutans et languens, paulum etiam[l] adhuc spirans mater ecclesia, ab impiis fautoribus Heinrici IV imperatoris expellitur, aliusque exepiscopus eo ipso indignior quo indignis habitus dignior, regia auctoritate et investitura intruditur verius quam intronizatur, execratione pro benedictione potitur. Cuius convictu venerandus et circumspectus abbas Tiemo impiari formidans, ne communicaret peccatis alienis concessit in Sueviam[6], ardore sancta monasteria visendi, Hirsawiense atque Scafhusense, quorum utrumque tunc temporis tantae districtionis fulgore enituit, ut passim quaquaversum relucens, catervas fidelium lumine suo attraheret et dulcis theoriae[m] disciplinis in scola spiritali adprime imbueret. In alterum horum, id est Hirsawiense, cuius etiam augustius nomen mansit ac manet, totis animis vir Dei se recepit, privatumque in sancta conversatione et communem se fratribus gerens, infausti temporis exitum operiebatur, degens in illis[n] quasi unus ex illis.

5. Post exactum inibi hoc modo triennium, errantis patriae laborinthum suique regiminis locum repetere coepit. Predictus invasor episcopii sperans harundinem vento agitatam ad suam perversitatem inclinare velle, aut inclinari posse, delusum[o] animum erigitur, exhilaratur, dilatatur, blandiens simulatione, satagens beneficiis, indulgens honoribus. Sed enim inacta re vir Dei contagionem leprae eius pertimescens, in vicinam heremum se contulit, ubi Admuntense[p] cenobium fertur subiisse, a prefato Gebehardo episcopo[q] nuper fundatum, non sine divino oraculo. Quod qualiter factum sit, et situm loci, quoniam res

a) *ita ed. Canisii;* can. imo *desunt* 2. *ubi verba* etiam — ad *a correctore in loco raso scripta sunt; idem post* disciplinę *inseruit* cum virgis. b) ecce quendam celestem ven. valde forma et h. intra limen hostii contra se ass. aspexit. qui ipsum episcopum et martyrem futurum. signis *etc.* 2. *ex corr.* c) Hyrmbertum *in marg. adscripsit manus subaequalis* 1b. d) ita 1. e) cessionem 2. *ex corr.* f) altahensi 1b. *ubi in margine additum est:* quod dominus abbas Waltkerus vir venerandus tunc regebat. anno ab incarn. domini M. LXX. IX. g) suo G. *erasa sunt* 1. h) prefuit 1. *ex corr.* i) gerens et predicans 1. *ex corr. erasis verbis* inc. ind. k) temp. proc. prop. m. *Can. et Chr. Reich.* l) l. et vix a. 1. *ex corr.* m) dulci studio discipline in 1. *ex corr.* n) inter illos 1. *ex corr.* o) deluso animo 1. *ex corr.* p) admūtense 1b. admōnt. 2. q) tunc *add.* 2.

5) Irmpertum. Hunc a. 1079 abbatiam resignasse, in Annalium Salisb. cod. S. Petri manu 2. adscriptum est, scil. ad verba de exilio Gebehardi quod revera iam a. 1077 accidit. Interpolator Annalium ex hoc nostro loco sua hausisse videtur. 6) a. 1081 secundum eundem Annalium Sal. interpolatorem; sed Perhtoldum anno demum 1085 constitutum vidimus V. Gebeh. I. c. 4. Eius mentionem hic anticipatam, Thiemonem revera c. a. 1081 vel prius fugisse existimo.

obtulit, breviter pandere ignorantibus libuit. Locus hic inter montana Bawariae iuxta Anesum fluvium in valle situs est. Aditum difficilem viantibus prebet, adeo ipsa natura munitus per girum, ut altissimorum montium ambitu coelo proxime dicas circummuratum. Prospectus nisi in montes aut sursum versus non est. Hoc monasticae conclusioni prestruente natura idoneum, hoc unum de ceteris quare locus a strennuis longe lateque amatur, expetitur, ab aliis horretur[a], fugitur. Necesse est fortia diversas mentes aut provocare aut revocare. In hoc igitur loco monasterium beatus presul fundare desiderans, dum esset ibi constitutus quia fiscus episcopalis erat, triduum continuum perstitit non manducans neque bibens, adeo estuans discerpebatur cogitationibus suis, dum quid definiret eligere non poterat. Mulcebat partim facies loci, quod invius convictui[b] hominum, tamen nullius idoneae rei materiam in venis montium negaret; angebat econtra non carpento neque trahea, verum solis saugmariis necessaria posse inferri. His animum distrahentibus, post tridie etiam tum cunctanti subito surdus et mutus quidam in medio exurgens, divino nutu coram omnibus haec verba in Teutonico eleganter concinnavit episcopo inquiens: *Tu debes inchoare, Deus debet consummare.* Qui homo nec postea nec ante ullas edidit voces, donec post multos annos in depositione ipsius episcopi ad sepulchrum eius pleniter aurium et linguae est restitutus officio. Mirantur itaque universi, stupor et gaudium replent episcopum. Mox quasi divinitus accepto oraculo, intrepida mente, pronissimo[c] studio monasterium coepit construere, sacris vestibus et marmore copioso ornare, reditibus ditare. Porro successores eius, ipse videlicet Tiemo cui hic[d] stilus famulatur, deinde Chunradus, vir magnae auctoritatis ac potens in opere et sermone, familiari convictu locum colentes[e], quantum supererogaverint breviter dici non potest. Habet Deus maiora retribuere illis. Huius Chounradi temporibus, nostra iam memoria, quasi novum et melius inicium accipiens locus, tum variis modis tum principaliter famae gloria, observantiarum[f] rigore, nobilissima monachorum atque sororum multitudine nescio an super omnia Teutonicae[g] terrae monasteria non invaluerit. In hoc itaque cenobium Iuvavensis abbas sese interim recipere oportunum perspexit. Non multo post invictus Christi athleta Gebehardus exacto felici agonis cursu ad palmam supernam vocatus 16. Kalendas Iulii[7] naturae concessit, sepultusque apud Admuntense cenobium, ipso die depositionis surdum et mutum quem predileximus ad sepulchrum proprium curavit. Quo primo aliisque deinceps miraculis vivere se in celestibus regnis[h] testatur.

6. Verum proh dolor hisdem diebus, ut ait olim quidam,

Perdita dampnato nocuerunt tempora mundo.

Etenim mala habundabant in terra. De quibus omnibus ut taceam, is quem viventi Gebehardo superpositum ante retulimus, arrepto tempore quasi vacuam sedem occupare post eum liberius coepit. Quod videntes ad quos pertinebat, ineunt prout res monebat consilium[8], ordinare dignum gubernatorem matrici ecclesiae. In partes primo discedunt, ut in tali negotio assolet; uti[i] cuiusque natura et mores erant, alii bene alii secus consulentes, unusquisque in suo sensu non[k] habundat. A spiritalibus[l] et divino sensu super ceteros homines[h] vigentibus venerabilis abbas Tiemo, dictante in eis Spiritu, honestissima suffragatione creatur episcopus; alii quendam Adelberonem, Frisingensis ecclesiae decanum, asciscunt antistitem. At supernus arbiter medium se partibus interponens, qualiter huius posterioris electionem approbaret, celeris animadversionis sorte aperuit. Dies enim colloquio decernitur, ubi exhibita electi utriusque presentia, in unum ex his quoquo pacto consentiretur ab omnibus. Conveniunt eo Pataviensis episcopus Altmannus apostolicae sedis legatus, dux[9], comites, simul de utroque ordine grandis ecclesia. Quo dum simul navigio predictus decanus pergeret, medio amne sub oculis admirantium paventiumque immergitur, taleque omnis controversia compendium iudicio Dei sortitur. Continuo enim concordatis partibus ab universis quasi divinitus declaratus Tiemo in kathedram pontificalem laudatur, consecratur, omnique plenitudine metropolitani iuris firmatur[m].

7. Satis agebat pro principatu suo ipse philochristus, quantum in ipso fuit, providens

a) et *in cod.* 1. *addit m.* 2. b) commeatui 1. *ex corr.* c) promptissimo 1. *ex corr.* d) stilus hic 1. *ex corr.* e) excol. 1. *ex corr.* f) et spiritualis observantię 1. *ex corr.* g) germaniarum m. 2. *ex corr.* h) *erasit corrector in cod.* 1. i) et ut 1. *ex corr.* k) *deest* 1. mox *ed. Canisii.* l) vero *addit m.* 2. *in cod.* 1. m) anno d. i. mill. XC. *addit* 1[b]. *in margine.*

7) Ita etiam Chron. Gurcense; *XVII. Kal.* Vita Geb. I. cum necrologiis. 8) a. 1090. teste Bernoldo cum Annalibus S. Rudberti. 9) Welf.

bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Verum omnes qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem paciuntur. Tredecim namque annis quibus prefuit[10], bellis, obsidione, gladiis, captivitate omnia extrema perpesso, instar beatissimi Athanasii Alexandrini episcopi numquam pene liberum corpus, ne dum libera auctoritas fuit. Gravius eadem res, eadem causa, quae et predecessorem suum urgebat. Divisum enim inter se ea tempestate regnum et summum sacerdocium, divisa cum his iniusticia atque iusticia, fasque nefasque, mediam inter se ecclesiam trahebant convulsam et dilaceratam, varie aliis alii[a] morem gerentibus. Plane cum pluribus divinioris consilii sacer hic presul in reverentia et obedientia sanctae Romanae sedis permansit usque ad finem fidelis. Propterea pre participibus suis haec omnia quae premisimus mala eum apprehenderunt. Denique et emulam sedem contra eum tenebat ille ipse, quem superpositum viventi Gebehardo ante latis[b] docuimus, spectabilis plane persona et tantae dignitati idonea, nisi aliunde quam per ostium ascendens, teste Veritate fur esset et latro. (Ioh. 10, 1.) Bertholdus hic erat, infelicitatis suae satis notus elogio. Cuius intrusi, magis vero Heinrici IV imperatoris, qui per Italiam et Alemanniam heu tocius mali materia videbatur et forma, huius inquam conspiratores eo usque venerabilem virum persequendo deducti sunt, ut grege facto bellum adorientes, sanguinem eius quam omnia mallent.

8. Aderat is per se cum quibus poterat copiis; pugnatum est a duobus propinquis suis eque nobilibus atque magnificis viris. Quos adiuvabant sanctae ecclesiae ministeriales plena fide, igneo studio, si quo modo voluntas divina annueret ecclesiam ab invasoribus eripi, iniurias ultum iri. At vero placet sapientiae Dei electos proprios hic interim premi a reprobis. Vincitur ab adversa parte acies presulis; fusi sui partim, alii fugati, spolia direpta simul cum pallio suo, intactus ipse fuga evasit[11]. Non multo post cum per Thaurum montem in Karinthiam iter legeret[c], ecce Oudalricus comes partium cesaris, dum vult malam virtutem secula futura narrare, ausus est manum sacrilegam mittere in christum Domini, et in ipso monte nil minus suspicantem circumvenit dominum suum et cepit. Nullum genus erumpnarum quod turpe, quod miserum esset, in ea captivitate per quinquennium expertus non est. De quibus omnibus singillatim si parem disserere, incertum habeo piget[d] magis an pudet[e]. Nam et maximus locorum episcopio subiacentium, scilicet Frisacensis, uti cum ipso antistite vel deleretur funditus vel in fiscum publicum redigeretur, quinquennali obsidione temptatus est atque vexatus. Affuit loco quoddam divinum presidium, ne per tantum temporis subici posset. Cumque inceptum tardius procederet, reverendum pontificem cum predictis cognatis eo deducentes, primitus eum ligaverunt proh pudor ad machinam extructam, quam vulgo mangónem appellant. *Non sit*, inquiunt, *manus nostra super eum, sed manus oppidanorum ut occidatur.* Verum quam nequiter tam inaniter tantum flagicii intenderant. Agnoverunt enim oves pastorem suum. Tum proximos eius quos supra cum eo captos adduxerant, ante ora statuentes, sub interminatione optionem dederunt, aut loco mox tradito obsidionem solvere, aut inminenti gladio cognata colla exponere. Respondit episcopus: *Res ecclesiae sunt, res sancti Ruoperti, de quibus agitur, quas in cautione mea tutandas ad tempus et fideliter dispensandas suscepi. Non michi contingat earum distractione fluxam et fragilem vitam seu cognatorum seu meam suspendere. Non facio animam meam preciosiorem quam fidem.* Innocenter itaque ambo hi capite truncati sunt. Quod in pectus antistitis alto dolore ascendit, dixitque obsidionis principibus, Oudalrico scilicet comiti, quem ante latis[f] commemoravimus, cum germanis suis duobus[12]: *Quoniam*[g], inquit, *viros iustos et sine querela pro ecclesiae tantum defensione interemistis, maledicti eritis super terram, nec peccatum vestrum a facie Domini delebitur, sed infelices ex hoc in reliquum et decrescentes vivetis, donec dignas animas inferno reddatis, eterno igni pascendas.* Perhiberi usque hodie solet omnium pro-

a) aliis et aliis 1. *ex corr.* b) satis 1^{b}. latius *Can.* ante latis *noster etiam c.* 8. c) ageret 1. *ex corr.* d) piet *corr.* pieat 1. pigeat 1^{b}. e) pudeat 1. *ex corr.* f) latius 1^{b}. g) Quomodo *Can. et Chr. Reich.*

10) scil. calculo ducto ab anno 1088 quo Gebehardus obiit. 11) Apud Saldorf hoc accidisse dicitur in Vita Chunradi I. c. 7. et Ann. S. Rudberti a. 1097: *Chuno advocatus cum multis aliis apud Saldorf occiditur* 8. *Id. Decembris.* Necrol. cod. Sal. 311. saec. XI ex.: *VIII. Id. Dec. Chûono advocatus et filius eius Aribo et Adalman prepositus et Adalman occisi sunt.* Quod si annus recte notatus est, minus 5 annis in captivitate fuit; nam non statim post proelium eum captum esse discimus ex Vita metr. v. 86—91. Mense Martio a. 1095. synodo Placentinae interfuit. 12) Starchando marchione de Soune et Werigando. Cf. Vitam Chunradi I. c. 7.

vincialium famine, scelestos comites numquam deinceps prosperatos, in adversis dedecorem vitam, in erumpnis duram mortem luisse. Insuper[a] quod magis paveatur, auctores cum fautoribus quotquot pontificem inpugnaverant[b], variis omnes puniti sunt cladibus: ut fieret sicut scriptum est: *Et requisivit Dominus de manu omnium inimicorum David.* (1Reg. 20, 16.) A comitibus autem sanctus episcopus post haec in aliam municionem translatus, militi cuidam deputatur custodiendus, ubi pro regno Dei et iusticia eius tam dura angaria quam diutina agonizabat.

9. Iamque multum temporis fluxerat, nec flecti a rectitudine statuti sui tenax animus quibat. Qua re tedium cesarianis faciente, gladio finiendum decreverunt. Ad quod piaculum custos pro se alium militem conducere maluit, quasi per alterum non ipse rem agens inmunior foret. Sed mentita est iniquitas sibi. Spiculator igitur ingrediens ubi fortis agonista Dei servabatur, rem prius pro qua venerat aperuit[c]. Respondit intrepidus episcopus: *Domini voluntas fiat.* Surgensque dicto symbolo cum oratione procubuit, cervicem super lignum extendit. Accedens lictor totis viribus fulmineum ensem adegit, sacram vero cervicem ac si ferrum aut lapidem secare non potuit; tantum[d] summa cutis vix tenuem velut lineam ictus, et qua solum ictus agnosceretur accepit. Quod signum obduci ulterius aut coire, quam diu in corpore vixit, non potuit. Relinquere per hoc voluit omnibus audituris Dei omnipotentia et suae virtutis indicium et humani flagicii. Quo semel cepto, minister diaboli frustratum ictum sibi imputans, quod negligenter fecisset, denuo cum cura et enixius ferire parabat. Age, cernere erat vim viribus exire conantem. Tum in altum vibrans gladium ut ab alto gravior mergeretur in gulam, trabem supra[e] verticem dum non providet, valido prius ictu signavit, erat enim in estuario, fractusque continuo ensis in partes dissiliit. Indicium fuit pontifici, quia nondum venerat hora eius. Non in tenebris neque sub tecto, verum inter confertissimos hostes apud Corozaim triumphus illum manebat. Equidem et armiger satanae non casu credens rem factam, sed manifestam Dei manum expavescens, tum virtute tum auctoritate viri permotus, flexit animum suum, et huiusmodi preces effudit coram sancto prostratus: *Confiteor, pater domine, omnipotenti Deo, quia infelix ego homo peccavi multipliciter in sanctum et honorabile caput tuum, non uniformiter: sed per illum qui te salvavit obtestor et flagito, ut veniam reo indulgeas per tuam clementiam.* Ad haec tam pia facilitate quam prudenti discretione in hunc modum respondisse accepimus episcopum: *Quoniam penitet delicti in nos admissi, ex parte mea cordetenus illud indulgeo; si quid vero in Deum perinde constat flagiciose commissum, notum a seculo est Domino opus suum, quid reddere oporteat. De hoc aliter videas convenit.* Sed vim dicti etiam atque etiam mente versantibus, quam prudenter in re una eademque inter nostram discreverit et Dei iusticiam, certo certius erit. Etenim accipere iniuriam, reddere bona pro malis, iusticia christiani est, rependere mala pro malis iusticia Dei est. Igitur ex parte Dei dimittere non hominis quandoque est, aut sine effectu est. Per[f] se homo vel ex sui parte ignoscat gratuito; neglectum iri apud Conditorem impia ausa non poterunt. Noluit ergo verus doctor nisi quae vera, quae sana, etiam reo huic innotescere; quod suum erat fecit ei, et egressus est homo. Nec defuerunt inter haec monstra quam plurimi longe lateque, quorum corda Deus tetigerat, mixtim potentes et inopes, qui miserandos casus antistitis profunde dolentes, subveniendi animos avidos gererent, sed horum alios vis factionis, alios alia impedimenta repulerant. Principes conducere potuissent? Sed eos partim similis erumpna hisdem de causis vexabat, alii cum rege talia faciendi principes erant. Pauperes contra violentiam assisterent? Sed pauperes erant, paupertas indiga opis, inops auxilii est. Patrem apostolicum appellasset? Sed hic exemplum calamitatis hiis tempestatibus erat. Proscribebatur, cedebatur, exterminabatur, humanarum rerum spectaculum prebens. Adeo implacida urgebant et deformia tempora.

10. Attamen fuit tunc secundum genus seculi honesto loco natus quidam religiosus ex illis qui apud canonicos et monachos exteriores fratres in cappa vocantur, cuius scema ordinis et habitus is etiam Noricae regioni omnium primus intulisse narratur. Equidem ab abbate[g] reverentissimo Willihalmo per idem tempus humili officio, humili institutione illud

a) luisse iuxta viri dei sententiam. Qui ab eisdem post haec *ed. Canisii cum Chron. Reicherspergensi.* b) afflixerunt infelicitate deinceps contriti sunt omnes ut fieret 2 *ex corr.* c) aperit 2. *Can. Chr. Reich.* d) Res mira. t. s. c. vix aliquantulum libata. vestigium plagę supremum accepit. quod ita permanens sanari quamdiu 2 *ex corr.* e) t. ergastuli desuper caput resupino ictu attigit. erat 2 *ex corr.* f) Ex parte tua gratis ignosce. dominus teste Gregorio peccatum sine ultione non deserit. Aut enim hoc penitens punit aut deus. Hic presul quantum ad se indulsit. quantum ad deum satisfactionem admonuit. et egressus 2 *ex corr.* g) Hirsawensi *inserit ed. Canisii cum Chron. Reich.*

genus ortum susceperat. Predicti autem fratris nomen Cuonradus ferebatur. Hic solus dignus inventus est, cui prestaret in fructum perennem Omnipotens liberare famulum suum de manu potentiae. Et oportunam rem videns quia pecuniae obediunt omnia, sumptibus componere negocium parat. Itaque inter cognatos et notos communes collatione facta, militem custodem 40 talentis corrupit, et presulem de captivitate salvum secum abduxit. Erat autem vir Dei ingenti etiam fortitudine preditus, adeo ut militem cum omnibus armis de ponte fluminis una manu sustolleret, et sine onere pendulum in aere palpitantemque teneret. Et ut breviter concludamus, omni gratia, omnibus bonis, longe super alios mortales insignis enituit, preter pacem mundi, si bene haec quidem dicenda pax est. Verum ipsa media est, nec fugere omnes bonos nec omnes amplecti videtur, quam nemo bonus bene umquam concupivit, dum premere magis bonitatem nonnunquam consuevit. Quantum vero ad presens attinet, werra, sanguis, iniquitas sic tempora illa fedaverat, ut quietum nichil, tranquillum nil esse merito posset; pacem vero bonis fore nec saltem deceret. Unde minus mirandum de nostro antistite. Qui post captivitatem ut dixi solutam in terra sua iam fructum sibi non sperans, in Sueviam se contulit, et cum venerabili Gebehardo Constantiensi episcopo tempus redimens, sanctis[a] Deo servientium monasteriis, quae in circuitu erant, suam commansionem indulsit[13].

1101. 11. Secundus autem venerat annus post eum quo sancta civitas Hierusalem desub iugo gentium cervicem erexerat, nec dum tamen aut bella omnia patrata, aut armis parta pax et securitas fuerat. Inicium illud misericordiae stillavit Deus sub duce Gotefrido[b], qui cum aliis quos idem spiritus repleverat primoribus 70 milia expeditorum adduxerat, adeptaque victoria rex Hierusalem creatus ex sententia omnium et unctus est. Horum opus adiuvare pro nomine Christi conflagraverunt ex Alamannia Bawari[c], Suevi, tam proceres nonnulli quam populares, tradentes in hoc mundo animas suas, ut in resurrectione[d] vitae sumerent eas[14]. Caput horum et sidus, ut ita dicam, quo cuncti regerentur per mare, sacer Tiemo factus, simul cum duce Welffone[e] Hierosolimitanae peregrinationis iter invadit, presertim quia non fructus in agricultura sua, sed feda omnia evenerant atque acerba. Sic mala res, peior spes, procul et iam usque in Sueviam cultorem de vinea sua eiecerat. Veniunt igitur cum eo omnes constantes corde usque ad terram repromissionis; cum subito, antequam urbem sanctam attingerent, innumera ethnicorum multitudine circumfusi et constricti sunt. Etenim in civitate Corozaim[f] tres fratres principabantur, sevicia quam cultu[g] paganiores, Decio tyranniores, qui adventu nostrorum comperto, ante quidem pro recenti amissione Hierusalem et victoria Christi nimium venenum vix continentes, et tum evomere totum in peregrinos aventes, instructi pro tempore copiis quam maximis, intentissime obviam ruunt. Cerneres[h] vim viribus exisse pugnantes. Hinc lata strage nostrorum facta, paucis elapsis qui ad desiderata loca tandem pervenerunt, reliquos omnes in captivitatem duxerunt. Dux Welffo apud Paphum seculo excesserat[15], episcopus autem inter conchristianos, permittente Deo qui capi propter nos et ipse non rennuit, capitur, trahitur; nec repugnavit, sed indignos pedes ferrea boga[i] religatus subigitur. Eo quippe modo quaqua[k] versum illic pagani christianos, christiani paganos vinctis pedibus angariare ad servicia cottidiana consuerunt, ligna, lapides, aquam de procul baiolare. Cumque postmodum inter se predicti fratres dividerent spolia rerum et hominum, precipuus ipsorum proprio episcopum peculio vendicans, venundare quasi vile mancipium cum aliis venalibus statuit, infelici mercimonio suum cupiens sarcinare[l] saccellum. Veruntamen concaptivi christicolae qui merita felicia et ordinem viri minime nesciebant, omni reverentia nichil remissum, nichil tardum obsequentes agebant. Ut patrem obibant, ut sancto humiliabantur.

12. Nec preterit[m] paganos quod agitur, inspectant, quae persona aut quid in terra sua fuisset nostros sciscitantur. Respondetur condicione illustris, vita purissimus, dignitate epi-

a) et *inserunt* 2 *et Canisius*. b) gotefrigo 1. *Nomini superscriptum est:* duce teutonicorum 2. c) bawarii 1 *e corr.* d) resurrectionem 2. e) welfone 2, *infra autem* welffo. f) corrózaim 1b. g) s. Diocletiano pag. *Canis.* h) Cerneres — pugnantes *erasa sunt* 1. i) boga genus vinculorum 1b *in marg.* k) quaquam 1. quamquam 1b. l) ditare 1 *ex corr.* m) latuit *Can.*

13) Exeunte a. 1099 eum in Suevia fuisse probatur charta fundationis monasterii Ochsenhusani apud Gerbert. Hist. Silvae Nigrae III, 39; cf. Chron. Petershus. ed. Usserm. p. 354. Wirtemb. Urkundenbuch I, 321. 370. 14) Abhinc fabulosa omnia. De hac expeditione egit V. C. Wilken in Vol. II. operis sui. Petebant »civitatem Baldach quae est caput regni Corrozan« (i. e. Chorasan), quod nomen fictioni illi de civitate Corozaim ansam dedit. 15) scil. in reditu, 6. vel 5. Idus Novembris.

scopus esse. Hi venientes regi suo quae audierant intimare non differunt. Ille accersiri pontificem et suis aspectibus sisti precepit. Quem huiusmodi alloquio adorsus est: *Quis es aut cuius artis peritus?* Ad haec episcopum talibus verbis locutum accepimus: *Deo meo*[a] *largiente diversarum quidem artium disciplinam profiteor, sed precipue ut sapiens architectus fundamentum fidei firmum in cordibus hominum ponere scio, super quod si quis bona opera edificaverit, neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus subruent hominem fundatum supra petram, quae est Christus.* Clericum autem se et predicatorem Christi significabat. Respondit ei rex: *De aedificio huiusmodi nichil mea interest, sed fabrilem artem si nosti seu pictoriam, vel aliam nostrae utilitati accommodam.* — *Si artificem,* inquit, *nosse desideras, optime vetusta renovare et scio et possum.* Ille non capiens quae Dei sunt, cum indignatione respondit: *Quid ambagibus garrulis circumscribendo lacessis?* Ait ad eum episcopus: *Vere ut dixi nutantia et vetera renovandi disciplinam accepi, quia legem veterem in novam Christo Deo meo auctore commutare novi; insuper et operatorias artes quas quaeris, scilicet aurariam et huiusmodi omnes profiteor.* His auditis in gaudium magnum et vocem erumpens rex ait: *Gratias diis nostris uberrimas ago, qui servum cunctis usibus dignati sunt destinare idoneum.* Et conversus ad episcopum: *Age nunc, artificum optime*, inquit, *da operam deum meum manus truncatum aut nova effigie ex integro aut novis manibus restaurare, ut propicium divina providentia pensius*[b] *tuo beneficio mereamur sentire.* At ille gentilem intra se et miserans et irridens errorem ait: *Iube truncum deum huc afferri ad me.* Accelerant servientes regis, et ecce inter manus presentatur larvare[c] simulacrum, vere larvare[c], cuius alia forma exterius, alius habitator interius, scilicet diabolus, quem in eodem dementia paganorum divino adorabat ritu et coluit. Intuitu eo subiunxit episcopus: *Malleo,* inquit, *opus est; ni fallor emendare potero deum vestrum.* Credunt deludenti, gratulantur, malleus[d] grandis defertur sicut preceperat. Quem manu arripiens accessit ad simulacrum. Cumque stetisset super illud, hoc sermone exorsus est: *Immunde spiritus, qui in ista effigie habitas ad deludendos miseros homines qui non credunt Deum vivum et verum, loquens et seducens sicut per serpentem seduxisti Evam, tibi precipio in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ut de omnibus quae voluero accipias*[e] *verba et reddas.* Confestim verba contulit ad divini nominis obtestationem diabolus. Cumque diutius sermocinarentur, demon in Christum quandam blasphemiam proferre ausus est, qua concussus aures[f] vir Dei sustinere contumaciam noluit, sed blasphemum monstrum insiliens, solotenus illud prostravit, et malleo quem manu tenebat, cum vires etiam bonus furor incitasset, particulatim ingentem statuam Dei virtute in brevi comminuit. Quid plura? videntes pagani qui circumstabant rem gestam, mutuo semet hortari et quadam quasi frenesi capti sacrilegum clamitare coeperunt, et impetu facto in eum nichil aliud mox quam nece[f] mortis vindictam anhelaverunt. Verum rex aliis insanis ipse insanior, peiori consilio suspendere interim lęti celeritatem malebat, et prolocutus est dicens: *Nolo hercle, nolo uno sed multimodis tormentis contumacem laniatum finiri. Per me insuper id nec volo nec possum, par est deos consulere, eorumque placito etiam posteris digna decernere. Vinculis ferreis interim et carceri infernali dampnetur.* Amplectuntur sententiam iniquam satellites, fitque uti ille censuerat, et catenatus ad carcerem presul importune impellitur. Ibat autem exultans et laudans Deum in ymnis et canticis, agonemque suum Omnipotenti commendans. Rex autem contrito simulacro nesciens diabolum suum unde ubive requireret, ad aliud vicinum ydolum statim missos suos cum hostiis direxit, dans in mandatis uti sacrificantes velociter de agendis consulta referrent. Sed quemadmodum dispensatione divina beato Iob olim satan volentissimus quidem in facultate et in carne eius pugnam inflixit, sed nolentissimus de pugna occasionem victricis gloriae prebuit, pari modo et nunc adversarius noster diabolus dictare potuit, quot quibusve modis homo Dei laniatus enecaretur, non autem providit quem fructum pacienti pro constantia operaretur. Nobis satis constat haec sicut et precedentia ideo cuncta fieri in eum permissa, quatenus titulis eius nec martyrii triumphus deesset, et conchristianis captivis robur eius aemulatione accresceret. Sacrificantibus igitur missis regis et consultantibus demon articulata quidem voce emugire auditus est dicens: *Ei michi fratre et collega amisso, miseriis cuius deiectus vix edere voces sufficio. Quid dignum super temeritate consulam? aut quae pena respondebit tanti sceleris reo? Illi merito*[g] *eveniet quicquid eveniet. Ite igitur domino vestro ver-* Sal. Cat. 51.

a) medio 1. b) *ita omnes; in* 2 propensius *scriptum erat, sed* pro *erasum est.* c) larvale *Can.* d) martellus 2. e) et *inserit* 1; *deest* 1[b]. f) *erasum* 1. g) non satis *Can.*

bis meis dicentes ut flagellatum primo sacrilegum in spaciosum pertrahi campum precipiat, ibique nisi sacrilegium corrigendo[a] *deum vestrum reparare numina simul adorans voluerit, variis et sevissimis actus poenis de viventibus auferatur. Ad hoc vero spectaculum omnis globus christianorum velit nolit conveniat, ut unius poena magistra, cultum diis terror*[b]*, reverentiam dominis timor incuciat.* Accepto huiusmodi oraculo ex sententia animi sui alacer et letabundus cuncta rex uti doctus erat mandavit effectui.

13. Solet vero nefanda confici arte ungenti quaedam species contusa viperae ac lacertae arvina cum aliis eiusmodi pestibus, eoque ungento impii homines ad pessima opera, pagani vero ad supplicia nostrorum uti consuerunt. Talis enim naturae est, ut oblitam cutem desuper ossibus et carne statim avellat. Hac igitur letifera specie contra sanctum die postera efferati, primo soleam inde perlinierunt: quam baculo appendentes, nudum pre se martyrem super asino in campum agebant, infectaque tali solea verberantes, cutem corporis ubicunque tacta fuisset detrahebant. Sic in campum agitur venerabilis archiepiscopus[c], et in eundo ad Deum ex imo corde huiusmodi preces effudit: *Domine Iesu Christe qui pro nobis passus es, nobis relinquens exemplum, cui servio ab infantia mea, cum sis iusticia et veritas, pro te omnibus erumpnarum generibus usque in exilium deveni, et ecce ad mortem pertrahor, ut compleam ea quae desunt passionum tuarum in corpore meo.* (Col. 1, 24.) *Hic dies aut victoris omnes calamitates feliciter consummabit, aut victo perpetuae miseriae inicium cumulabit. Presta igitur servo tuo viriliter agere, ne timeam tyrannum hunc et quae ab eo inferuntur tormenta, fortiterque pro te sanguinem fundens, liber deinde a peccatis et doloribus tecum exultem in secula.* Cumque ad aream certaminis venisset, iubentur spectatum adesse omnes nostrae professionis, et in modum circuli auctorem suum circumstare, ut de prope videntes et audientes recogitent et timeant, et exemplo disciplinam accipiant. Levatur impio regi tribunal in medio campi, assunt prospectum cum oppidanis omnibus funesti satellites et de proximis castellis magna frequentia. Iudicium sedit tyrannus, et iussit exhiberi episcopum. Quem intrepidum et alacri vultu accedentem ut vidit, hoc sermone adorsus est: *Tune es ille contumax qui in deum meum*[d] *mittere impias manus non timuisti, nec nostri respectum nec deorum reverentiam habere voluisti?* Respondit Tiemo[e] episcopus: *Turpis est deus et sine deitatis virtute qui conteri potuit, prohibere non potuit. At non est revera lignum Deus, sed miro modo rationabiles homines sine ratione sunt, sine cerebro et vere frenetici, qui nesciunt quid dicant vel faciant, qui de rebus putant contra quam est, deos fore lapides, ligna, Saturnum exsectum*[f]*, Iovem, ut expresse loquar, ipsum scelus et crimen mundi, Priapum*[g] *obscenum, et caetera risui digna. Ego autem unum Deum habeo, unum Regem coelis atque terris imperantem, visibilium et invisibilium creatorem, hunc adoro, huic deservio, a quo donec superest in me halitus avelli non potero. Unde*[h] *tanta,* inquit rex, *tibi audacia? Christi,* ait, *karitas foras misit timorem.* Dixit ei rex: *Depone, miser, insanam*[i] *audaciam, quia nisi acquiescens deos adoraveris, Christus tuus non te salvare poterit de poenis paratis.* At ille non respondit ei verbum, sciens studio[k] secus viam semen non esse perdendum, ubi diabolus tollit de corde ne fidem fructificet. Tum rex animis accensis imperans militibus ait: *Accedite nunc, omniumque digitorum utriusque manus summos articulos secantes precidite.* Inicium dolorum haec, factumque est ita. Deinde rex funestus dixit episcopo: *Adhuc per te tibi consulere expedit, ut sacrificans reliqua mortium supervadas et vitam reserves.* Respondit episcopus: *Tua doctrina non est tua sed diaboli, operam eius non habeo, per me salubrius sapio. Qui enim vitam offenso Christo volet servare, hoc est plane perdere illam.*

14. Ad haec tyrannus commotior militibus suis: *Etiam nunc,* inquit, *ut prius digitorum omnium qui secuntur supremos articulos truncate atrociter. Placet pertinacem pertinaciter per singula membra concidi.* Fecerunt ut iusserat, omnique flexura digitorum sensim resecta, tum ipsas manus, postremo brachia detruncantes insultaverunt. Tunc omnes nostrae professionis tam captivi quam incolae regionis — mos enim in partibus illis optinuit christianos cum[l] plures cum pacis condicione inter paganos pariter habitare[m] pariter negociari, qui cuncti spectaculo horrendo astantes, quod solum poterant questibus et lacrimarum undis modum exierant. Ad quos in ipsis doloribus martyr conversus, blanda consolatione allocutus illos est dicens: *Nolite, boni commilitones et cives supernae Hierusalem, si fidem usque*

a) corrigiendo 1. b) *erasum* 1. c) episcopus 2b. *Can.* d) *deest* 1. e) *deest Can.* f) Vulcanum claudum *Can.* g) m. abominandum et *Can.* h) Unde — timorem *desunt Can.* i) insaniam tuam et a. *Can.* k) *erasum* 1. l) *erasum* 1. conplures 2. m) par. h. ac neg. qui 1 *ex corr.*

ad finem firmam teneatis, nolite super me flere, nolite non dolendum dolere; ipse enim ego tametsi corpore in presentiarum deficiens, sublimiter spiritus robore gaudeo, quem elevandum iam iam ab imis ad superos per gratiam Christi confido. In quo magis etiam gloriae nostrae congaudere vos decet simul et gratias agere Deo, qui vestris diebus, vestris finibus me sibi eligere dignatus est in hostiam suavitatis, vobis in formam beati certaminis. Eniti enim omni virtute post obitum meum vos hortor ac moneo, ut fide invicta, conversatione perfecta, gentibus irreprehensibiles, Christo accepti perstetis; et si paupertas, pressurae, exilium inminent[a], *memineritis vos in manibus palmam, regnum*[b], *gloriam portare. Deus remunerator ea omnia victoribus premia posuit. Quanta cuique fuerit virtus in merito, tanta erit recepturus in premio. Seviat tyrannus quoad potest, moriar, mors ultima linea rerum. Alia vita, alia gloria subsequetur.* (Hor. Ep. I, 16, 79.)

Talia perstabat memorans, fixusque manebat (Virg. Aen. VI, 50.)
in agone felici. Quo viso, ad pedes secandos iussit rex impius converti carnifices. Iamque per ordinem iunctura ab iunctura sensim decisa, tunc demum ipsa crura detruncare insanientes coeperunt. Quid amplius facias, o insaciabilis semper crudelitas? Erat beatus presul iam iam spectaculo fedo, miserabili, horroris pleno, nisi quod insanis mentibus semper crudelitas suavis, impietas iocunda, sanguis voluptas, sevicia stimulus est. Rex enim scelestissimus sanguinem bibens in siti sanguinis permanebat, et similis ydrae illi famosae, cui numerosa capita pro uno surgebant, sic cepta semel rabie crescebat magis ac magis, non minuebatur. Iussit denique post predicta omnia sancti umbilicum ferro aperiri, et intestina illius inde inhumaniter extrahere[c], et[c] extractâ circa lignum uti fila quaelibet tenuata in fusum glomerari. Cumque diu sancta viscera tali modo extraherentur, dolor extremus vitalia cordis pulsavit. Iamque in ultimo spiritu constitutus, suspiria quanta poterat oculosque in morte natantes, sursum elevans ait: *In manus tuas, Domine*[c], *commendo spiritum meum.* (Lucan. II, 26.) Quae verba simul cum vita finiens, beatum spiritum reddidit, vere bono certamine certato, cursu consummato, fide servata, repositam sibi coronam iusticiae Dominus reddidit in die illo, quemadmodum subiecto probatur indicio.

15. Quidam namque christianorum, qui omnem postea eius passionis hystoriam nostris partibus retexuit, testabatur se sub ipsa hora transitus martyris de corpore vidisse angelicum chorum cum ymnis coelestibus venientem, et assumptam animam ad superos cum exultatione visibiliter ferentem. Ubi quanta gloria triumphans communi supercoelestium spirituum favore suscepta sit, in corpore etiam extincto super terram declarare divinitas voluit. Particulas quippe membrorum negligenter hinc inde disiectas decrevit barbarica sevicia equorum pedibus conculcandas proicere, ne quod futurum erat sibi eum christiana devocio posset martyrem facere. Accedentes igitur et tollere ubivis sparsa nitentes, quod mirum dictu est, nec minimum aliquod eorum valebant quamlibet multi a terra movere. Pondus sanctitatis molibus graviora membra reddebat, magnitudo meritorum maior erat quam ut ferret iniuriam, quae digna, quae honoris, quae obsequii exigens. Multa cura multisque modis opus temptatur, frustra inceptum Deo resistente ostenditur. Neque enim vel canum quilibet aut avium seu bestia de saltu accedere propius et contingere de corpore sacro presumpsit. Mirati omnes, tunc demum quid cui fecissent ponere super cor et pavere coeperunt. Super omnes ipse rex quid ageret dubius, quidve consilii caperet, vultu, colore, motu corporis pariter et animo varius agitabatur. Ad vicinum tamen ydolum Machmit[d] nuncupatum quod et supra consuluerat misit propere, qui acta indicantes oraculum quantocius de agendis referrent. Quibus demonium hoc modo locutum accepimus: *Fateor magnus est et fortis potentiae Deus christianorum, qui prestat diligentibus se omnia cooperari in bonum. Ecce quem morti atroci addiximus, quia fidelis in modico perstitit, super omnia bona domini sui constitutus est. Sua pacientia, crudelitate nostra id lucratus est vivens, ut in mortuum nichil possimus. Verumtamen quoquo pacto desuper terra auferatur, necesse est. Sepeliatur vel ab ipsis suae sectae hominibus. Non diutius spectetur sub aere feris avibusque vitabundus quasi sacrum aliquod maximum, unde gloria contra nos in dies crescat, unde fama in populos longe lateque se porrigat. Erepto aspectibus corpore, valet sensim et mentibus elabi memoria. Permitti ergo pastoris sui corpus christianis censemus.* Postquam loqui cessavit demonium, reversi ab eo legati, quae audierant quaeque in mandatis acceperant perferre ad dominum suum non differunt. Acquievit ille placito, et datis dextris securitatis, cunctos christiani

a) inminet 2. b) et *addit m. 2. in cod.* 1. c) *deest* 1. d) Machmût 1b.

tituli in unum confluere, et patrem suum uti vellent sepelire precepit. Quae Creatori gratiarum actio, quanta exultatio dimersos prius animos universorum erexerit, nos dicere insufficientes, legentium sensibus meciendum relinquimus.

16. Cumque convenisset copiosa multitudo nostrorum, levantes sanctissima membra Christi martyris cum ymnis et laudibus devotissimis in ecclesiam deportaverunt, tribusque diebus ac noctibus sacras impendentes excubias, ita demum gloriosae sepulturae tradiderunt. Continuo autem christicolae provinciales ipsius tytulo ac nomini aliam in honore Christi super corpus eius condere coeperunt ecclesiam, magnifico opere, digna amplitudine, augusto decore, quam adeo merita eius incontaminatam conservant, ut ydolum aliquod intro ferri aut poni in ea numquam permittant. Aut enim profanator sub ipsis liminibus demone exagitante repellitur, aut simulacrum in frusta comminutum terratenus uti Dagon olim ante arkam deicitur. Eodem vero die depositionis suae ac deinceps multa Deus omnipotens signa et mirabilia ostendere dignatus est non solum in katholicis verum etiam in ipsis paganis, sicut grandevo quodam et religioso valde presbytero referente didicimus, in presentia sua cecorum, claudorum, leprosorum, demoniacorum tot in brevi curatos, ut numerum computare, celeritatem vero nisi oculis testibus credere non posset. Ea propter impensissimi amoris affectu omnis paganorum grex martyrem amplecti non cessat. Urget frequenter obnitentes necessitas, compellunt eos experta pericula. Si quis enim ethnicorum aliquando aut presumptuosior aut virtutum eius expertior effringere sepulchrum martyris aut violare aliquatenus presumpserit, sine mora aut spiritu pessimo repletus punitur, aut morte repentina extinguitur. His sepius comprobatis tanta dudum reverentia gentiles cuncti martyrium eius honorant, ut omnes christianos ad sepulchrum eius de longe vel prope tendentes, in eundo ac redeundo pacis inmunitate salvos dimittant. Videat nunc primo ipsa mater Romana pro cuius fide et karitate omnia extrema percucurrit, viderit haec inquam quae proprio athletae premia debeat; sua item ipsius propria ęcclesia Iuvavensis in pectus alte dimittat, qui cultus, quod studium tanti patris ac propugnatoris natalicia deceat, tanto cercius, tanto impensius, quanto signis continuis dempta dubietas, commendata merita, addita gloria est. Videri potest non mediocri intus gloria preditus, cuius tanta miracula foris coruscant. Passus est autem egregius Christi martyr 4. Kalendas Octobris, adiuvante et coronante domino nostro Iesu Christo, qui vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

VITA CHUNRADI ARCHIEPISCOPI SALISBURGENSIS.

Chunradus I. qui archiepiscopatum Salisburgensem quem penitus desolatum invenerat, post quadragenariam administrationem florentissimum reliquit, vitae scriptorem nactus est incepto suo non imparem, et qui rerum quas memoriae tradidit magnam partem ipse viderit. Nam quum de Thiemone et de ipsius Chunradi initiis tantum quae ab aliis accepit referat[1]*, et de his minus accurate agat, postea ad Chunradi familiaritatem pervenit*[2]*, et ab hoc a.* 1131. *nuntius in Ungariam missus est*[3]. *Superstes illi, a.* 1149. *Chunradum regem Salisburgi vidit*[4]*, et demum post* 20 *annos vitam magni archiepiscopi scribendam suscepit, intra annos c.* 1170 *et* 1177[5]. *Itaque non mirum est, si temporum ordinem minus accurate servavit, nunquam certo annorum numero descripto; at res ipsas bene et quantum iudicare licet veraciter adumbravit; ea praesertim quae intra episcopatus fines evenerunt, nam cetera raro tetigit. Extrema pars operis periit; quae tempus tulerunt, emendatiora hic proponimus quam*

1) c. 7. *sicut accepimus* de Thiemone; c. 12. *ut creditur* de secundo Chunradi exilio. 2) c. 1. *sicut ab ipso frequenter audivi.* 3) c. 18. 4) c. 17. 5) scil. sedente, et iam plurima mala perpesso Adalberto qui 17. Kalend. Apr. a. 1169 ordinatus est, durante adhuc schismate, c. 14; vivente Heinrico duce Austriae qui Id. Ian. 1177 obiit, c. 16; praeterea viventibus Heinrico de Lechesgemund, c. 1, et Chunone de Meglingen, c. 7.

Bernardus Pez, qui primus ea edidit ex cod. S. Petri Salisburgensis[6], *quem non vidi; sed eo meliorem nactus sum*

1) *Salisb.* 79. *iam bibl. caesareae* 434; *olim capituli S. Rudberti, mb. fol. min. qui f.* 141. *partem libelli de conversione Bagoariorum et Carantanorum continet, deinde vitam Chunradi eadem saec. XIII. ex. vel XIV. manu scriptam, sed multa in medio folia excisa sunt, ut initium vitae perierit. Folii paenultimi pars avulsa est, et in media pagina sequenti scriptor subito calamum sistit, fortasse quia iam exemplar quod describebat mancum erat. Attamen plura praebet quam codex ille S. Petri, eaque forte fortuna olim per V. D. I. B. Schlachtner, bibliothecae capituli praefectum, Hansizio transmissa, ab hoc in Corollariis ad Germaniae sacrae vol. II. p.* 943 *edita sunt, quum nondum manus temeraria codicem violasset.*

2) *Salisb.* 76. *iam bibl. caes.* 1524. *s. XIV. mb. fol. vitam post eundem illum libellum exhibet f.* 46, *tantum littera miniata distinctum. Hic cum codice Peziano plerumque convenit et eundem cum illo finem habet, nisi quod illic aliena quaedam narratio assuta est.*

Ex antiquioribus solus quod sciam Aventinus pretioso hoc libello usus est. Capitum divisioni quam institui Pezii numeros uncis inclusos apposui.

INCIPIT VITA CHUONRADI ARCHIEPISCOPI.

1. Chuonradus itaque ex illustri principum Bawariae provinciae stemmate[a] originem duxit, utpote frater virorum clarissimorum, id est comitum Ottonis et Wolframmi. Quorum alter sine liberis mortuus est, alter comitem Rapotonem de Abinperch, advocatum Babenbergensis episcopatus, ex sorore marchionis Dietpaldi[7] heredem reliquit. Heinricus quoque de Lechesgemunde, pater illius Heinrici qui adhuc superest, ex matertera eius nepos extitit. Prefectus quoque Ratisponensis Otto senior avunculi eius filius fuit. Preter hanc nobilissimam genealogiam aliam humiliorem quidem, veruntamen claram et splendidam cognationis seriem habuit, quae numerositate sua non solum Bawariam et Carinthiam, verum etiam orientalem et Reni Franciam occupavit. Quae unde surrexerit, lectoris curiositati[b] satisfaciendo non ab re videtur, sicut[c] ab ipso frequenter audivi exponere. Avum habuit Babonem nomine, de cuius lumbis exierunt triginta filii et octo filiae, omnes ex liberis matribus[d] progeniti. Et non mirum si de tam multiplici semine copiosa seges succrevit, per multas terras et provincias disseminata. His ergo filiis iam adultis, imperator Heinricus misso nuntio patrem eorum ad se vocavit, quatinus cum paucis veniens, in exercitio ac ludo venandi secum iocundaretur. Hinc ille idoneam oportunitatem invenisse se ratus, quatinus predictos pueros, corporis elegantia satis aptos, principis aspectui et gratiae offerret et munificentiae commendaret, sibi atque unicuique puerorum militem unum et servientem distribuit, sicque ei obviam processit. Qui cum vidisset tantam turbam, arguit comitem, modeste tamen, cur venire cum paucis iussus, tantam multitudinem aggregasset. Respondit ille, unum tantum se militem et servum habere. Cumque ille requireret blanda facie et verbis placidis, quinam essent alii: *Servi,* inquit, *tui sunt, domine mi imperator, filii mei, quos tuis aspectibus et gratiae offero, quandoque idoneos, ut de Dei misericordia spero, et utiles tuis ac regni obsequiis futuros, si tantum te propitium et in oculis tuis gratiam invenerint.* Gratanter igitur atque hilariter imperator munus sibi oblatum tam fecundae prolis suscipiens, singulos adolescentum benigne amplexatus et exosculans, secum habuit, quousque eos honestis sedibus et beneficiis exaltaret secundum quod se oportunitas obtulit liberalitati principis. Quis itaque dubitet, de tanto prolis semine pullulasse ac generasse infinitam cognationis messem, unde, sicut supra diximus, tot replerentur provinciae?[8]

a) *deest* 2. b) curiositate 2. c) sic 2. d) matris progenite 2.

6) Thes. II, 3. p. 221. 7) de Vohburg. 8) Memoriam eius ad sua usque tempora in Abensberg viguisse refert Aventinus. Necrol. Weltenburg. Mon. Boica XIII, 477: *III. Non. Martii Pabo comes cum 30 filiis, 7 filiabus.*

[2.] 2. Cum itaque predictus archiepiscopus tanta progenie cognationis et affinitatis suffultus esset, ut si in armis spem ponere voluisset, totum posset regnum turbare, in episcopatu tamen multa mala atque adversa perpessus, nunquam bellum aggressus est, militaris virtutis presidium nunquam quesivit, gubernante cor eius qui in eo habitabat Christo. Sciebat enim vir ille prudentissimus, gravissimam esse belli necessitatem, quia in bello maiora sunt amicorum quam hostium discrimina. Isti siquidem ad nocendum non semper[a] presto sunt; illi autem nulla re contenti, non pretio militiae, non rapina, quidquid obvenerit diripiunt, in tantum ut magis onerosi sint hiis ad quorum defensionem venerunt quam hiis contra quos arma sumpserunt. Idcirco imminente persecutionis articulo quam contra eum[b] suscitavit imperator Heinricus, videlicet tam filius quam pater, fugere potius quam repugnandi presidium querens, ad mulierem tam potentia quam pietate clarissimam in Tusciam se contulit, quinque ferme annis apud eam commoratus et in magna reverentia habitus. Rediens tandem et in episcopatu aliquanto tempore vivens, eo quod nullam se pacem et prosperitatem invenisse cognosceret, ministris et hominibus suis, canonicis quoque et prelatis ecclesiae paucis exceptis vel manifeste contra se furentibus vel occulte insidiantibus, cum magno periculo corporis Saxoniam ....[c]. Imperator quippe omnes vias omnesque semitas custodiis dispositis obstruxerat, ut nisi protegente Deo nulla ei pateret securitas.

3. Occasio[d] nunc congrua data videtur exponere, quare tanto odio eum persecuti sunt[e] imperatores uterque Heinricus. Ut autem haec causa melius elucescat, repetendum nobis[f] videtur superius, et dicendum qualiter ad episcopatum venerit, cum episcopatus adipiscendi nulla adhuc ei voluntas extiterit et[f] nullum desiderium eum adhuc titillaverit, nulla ambitio sollicitaverit. Non quia adolescens et iuvenis secularem gloriam et iactantiam fugere adhuc didicerit, cuius vanitatem studio vestium in tantum secutus est, ut palliatus appellaretur Chuonradus. Fratres eius quos supra commemoravimus, eo quod clericus esset[g], eumque in ecclesia magno honore sublimandum non dubitarent, tam paterna quam materna inter se bona dividentes, ab hereditate eum excludere temptabant. Hac necessitate cogente in curiam imperatoris se contulit, serviens ei iure et officio capellani, quatinus eius patrocinio partem hereditatis quae ei competebat adipisceretur. Sed cum eandem curiam ab omni honestate divina et humana alienam inveniret, plenamque sordibus et turpitudinibus videret, in tantum ut primum locum gratiae apud imperatorem haberent nobiles ac speciosae abbatissae ac moniales, nec non et aliae mulieres forma et genere clarissimae, quae idcirco curiam sequebantur, eo quod venalis eis esset pudicitia et decus formae, et ad earum favorem et intercessionem darentur episcopatus, abbatiae, prepositurae et ceteri ecclesiastici honores: coepit, intentionis pro qua venerat oblitus, detestari quae cottidie videbat et arguere, et impudentiam imperatoris impudenter[h] predicare. Unde imperator zelo nimio contra eum inflammatus, indesinenter ei causas exitii moliebatur et clandestinas insidias, quia publice nec[i] audebat nec poterat, partim quia divina gratia famulum suum protegebat, partim quia viri illustres et Deum timentes gaudebant argui ab illo turpitudines, quas videbant et detestabantur, sed ipsi arguere non presumebant.

[3.] 4. Circa haec tempora Thimo Salzpurgensis episcopus[k], vir utique sanctissimus, in terra paganorum in civitate quae vocatur Corozaim, iussu regis Babylonici glorioso martyrio feliciter consummatus migravit ad Dominum. (1101. Sept.) Qui venerabili Gebehardo aeque sanctissimo successerat. Qui ambo sicut et Chuonradus, imperatoris furore afflicti, pro eo quod communicare illi in scismate quod suscitaverat contra ecclesiam Dei nolebant[l], collocato quodam Burdino in sede beati Petri[9], exilii erumnas patiebantur[m]; foris habentes pugnas, intus, hoc est inter suos, iuges timores. Sed Gebehardus post aliqua tempora ab hac luce transivit ad Dominum, (1088. Iun. 15.) virtutis et providentiae suae pulcherrimam memoriam posteris derelinquens. Siquidem in Karinthia in ecclesia Gurcensi — ubi mulier nobilissima et ditissima, Hemma nomine, abbatiam monialium construxerat: quibus ut dicitur post aliqua tempora propter vitae et ordinis regularis sterilitatem et ex ordinatione[n] deletis canonici successerunt — sedem episcopalem constituit; (1072.) videlicet ut ipso diversis negotiis occupato, Gurcensis episcopus vices[o] suas impleret. Cui tamen episcopatui terminos dedit longe postea memo-

a) ad nocendum *iterat* 2. b) eos 2. c) *verbum deesse apparet cuius nullum in codd. vestigium.* d) *hic incipit* 1. e) sint 1 *ex corr.* f) *deest* 1. g) *deest* 2. h) *an* imprudenter? i) non 2. k) archiepiscopus 1. l) et *add.* 2. m) ponebantur 2. n) *an* exordinationem? o) vicem suam 1.

9) immo Wiberto.

ratus archiepiscopus Chuonradus[10], implens videlicet quod minus ille fecerat. Constituit etiam in valle Admuntensi abbatiam, disposititis et ordinatis ibi monachis Deo servientibus, [1074.] datisque eis possessionibus necessariis, partim de episcopalibus redditibus partim collectis undecunque poterat vel emptione vel bonorum virorum largitate, secundum quod placuit Deo bonum opus famuli sui promovere cottidie ad laudem et gloriam nominis sui. Cuius utique dono idem monasterium tam in religione quam in possessionibus maximeque numero Deo servientium virorum et sanctarum mulierum in tantum crevit ut nomen eius non solum per totum occidentem se dilataverit, verum etiam usque in orientem fama cucurrerit. Vix enim creditur esse locus vel citra vel ultra mare, ubi Admuntensium nomen sit incognitum; faciente hoc qui omnino mentiri nescit, et implente quod fidelibus suis promisit dicens: *Qui michi ministraverit, honorificabit eum pater meus, qui est in caelis.* [Ioh. 12, 26.] Impletum indubitanter videtur, quod in apocalipsi perhibuit Iohannes, audisse se vocem de throno [Apoc. 21, 3.] dicentem: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis: et ipsi populus eius erunt; et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Unde quis dubitet, quis neget veniens in locum et videns religionem et caritatem universorum ac singulorum curamque et sollicitudinem circa omnes advenientes, divites et pauperes, spirituales et seculares; in tantum ut maiorem videantur diligentiam habere omnes circa obsequium et necessitatem, nec non et refectionem undecunque venientium, quam circa se ipsos, ac nisi copiose ministratum fuerit, nichil factum arbitrentur[11] — quis inquam, haec omnia videns et considerans[a], et in corde suo diligenter ponens tantae caritatis virtutem et gratiam, non dicat beatum veraciter populum Admuntensem, qui inhabitatorem in se habens Deum et plantatorem bonorum germinum, sicut[b] palma floret, et sicut cedrus Libani multiplicabitur? Ubi cum infinita sit turba monachorum et monialium, ut in loco montibus undique clauso vix unde pascantur cum innumera familia[c] adduci possit, quis non miretur, quis non obstupescat, quis non mirabilem Deum in sanctis suis glorificet, videns nullum audiri murmur a quoquam pro confluentia diversorum hospitum, spiritualium et secularium, virorum et mulierum, sive in circuitu commorantium sive ex aliis terris prope vel longe positis venientium? Quapropter gaude, vir Dei beate Gebeharde, Salzpurgensis ecclesiae presul sanctissime, cuius devotio circa Deum, cuius fecundissima plantatio, adiuncta rigatione nobilium virorum Thimonis et Chuonradi, tuorum videlicet successorum, felici fructificatione talem tantumque successum habuit, Deo incrementum subministrante, ut post tanta curricula annorum, inter tanta volumina temporum malorum, deficere vel senescere non videatur; quamvis diabolus bonorum hominum inimicus, malleo suo, id est membris et ministris suis, ferire non cessat idem monasterium. Cuius tamen conatus nichil contra domum Dei, quae supra petram fundata est, prevalere poterit, quamdiu medulla cedri, id est caritas Dei et fraterna, integra permanserit. Haec est enim quae facit iustum germinare sicut lilium, et florere in eternum ante Dominum[d]. Hanc quamdiu servat, sicut coepit, sicut a patribus suis imbutus est populus Admuntensium, beatus est, Deum utique habens dum caritatem habet, quia Deus caritas est; qua utique intus manente, nichil erit quod foris timeat. His per excessum dictis, ne preterisse videremur opus tam gloriosum gloriosissimorum virorum Gebehardi et Thimonis et eius cui hic libellus ascribitur, ad incepta redeamus.

[4.] 5. Consummato per passionem martyrii Thimone archiepiscopo, [1101.] Chuonradus in palatio eligitur in episcopum[12]. [1106. Ian. 7.] Forma vero electionis quae tunc fiebat episcoporum et regalium abbatum, talis erat. Defuncto ecclesiae cuiuslibet episcopo vel monasterii abbate, mox ad palatium proficisci non differunt prepositus, decanus, magister scolarium et prior monasterii, et cum eis maiores et sanioris consilii personae de civitate, anulum episcopalem secum portantes et baculum, communicatoque consilio cum his quos in palatio circa imperatorem invenerint[e] episcopis, cancellario et capellanis, secundum beneplacitum et favorem imperatoris, qui sustinendus erat, eligebatur. Iuxta hanc formam etiam his[f] de quo sermo agitur in palatio electus est, et ab imperatore continuo concessione episcopatus confirmatus. Ea res postea dolorem cordis perpetuum ei peperit. Abhorrebat siquidem vir ille

a) et in c. s. cons. dil. p. 2. b) sicut ut 1. 2. c) vix *add.* 1. 2. d) deum 1. e) *deest* 2. f) h *erasum est* 1. 2.

10) 1131. Iul. 16. Charta eius edita et explicata est in Rev. Ambrosii Eichhorn libro: Beiträge zur ältern Gesch. von Kärnten I, 207—217. 11) quod hodieque verum manet. 12) Ann. S. Rudberti cum Ott. Fris. VII, 13. et Vita Geb. II. c. 12 consentiunt in a. 1106; itaque non ab Heinrico IV. Perhtoldo quem ipse constituerat oppositus est, sed per filium.

venerabilis, et medullitus detestabatur hominii et iuramenti prestationem, quam regibus exhibebant episcopi et abbates vel quisquam ex clero pro ecclesiasticis dignitatibus, eo quod nefas et instar sacrilegii reputaret ac predicaret occulte et publice, manus chrismatis unctione consecratas sanguineis manibus, ut ipse solebat dicere, subici et hominii exhibitione pollui. Inde est quod mortuo imperatore Heinrico, cum ei successisset Lotharius, 5 nunquam ei consensit hominium facere vel sacramentum fidelitatis offerre. Lothario quoque mortuo, cum Chuonradus paucorum favore regiae dignitatis honorem rapuisset, considerans archiepiscopus, si ipse ut coeperat exaltationi illius obsistere pertinaciter voluisset, quanta inter illum et ducem Bawariae Heinricum, generum Lotharii, virum tunc potentia et divitiis prestantissimum, qui coronam ceteraque insignia imperialis dignitatis apud se 10 habebat, per universum regnum mala fierent, eorumque caput et causa ab omnibus ipse

1138. Iun. esse argueretur: cum regi Ratisponae occurrisset, duci de Zaringen[13] viro clarissimo dicenti sibi coram rege cunctisque principibus, quod hominium domino suo regi facere deberet, intrepide respondit: *Video, domine dux, quia si plaustrum essetis, boves precurrere non dubitaretis; inter me enim et dominum nostrum regem sic causa determinabitur, ut nullam vestri in* 15 *hac causa curam haberi sentiatis.* Unde rex, ne archiepiscopus indignatione motus in verbum asperum amplius erumperet et negotium omne turbaret, aversa manu os ducis compressit, et ab omni responsione compescuit, dicens, se ab archiepiscopo nichil prorsus expetere, nisi bonam voluntatem ipsius.

[5.] 6. His paulisper interpositis ut impavidae mentis constantiam ostenderemus, ad pro- 20 14 positum redeamus, ostendentes cur imperator Heinricus senior[14] consenserit in episcopatum Salzpurgensem promoveri, quem in palatio positum omnibus actibus suis adversantem, sicut superius diximus, clandestino odio pertinaciter persequebatur, potiusque per mortem interire quam ad honorem provehi malebat. Salzpurgenses eo tempore gens indomita esse ferebatur et modicae fidei, semperque episcopos suos persequens, ideoque illorum perfidia se 25 ultionem de illo capere sperabat. Sed aliter Deus, cogitationes hominum videns quoniam

1106. Ian. 25. vanae sunt, de egregio suo milite ordinavit. Adeptus namque episcopatum, in conversione beati Pauli Salzpurg venit, in comitatu suo habens secum duos fratres suos, Ottonem et Wolframmum, nobilissimos comites, ac ferme mille milites. Cumque tantam multitudinem domus nulla caperet in civitate, et in episcopali atrio curiae sedilia essent disposita, mini- 30 steriales qui in castro desuper imminente ad custodiam se recluserant, archiepiscopo intra ambitum ecclesiae cum clero negotiis episcopalibus intento, subito egressi sedilia et mensas et quaecunque ad cibum preparata invenerunt evertentes, cum festinatione se in munitionem receperunt. Sed archiepiscopus nequaquam pro hac re turbatus, missis nuntiis vocavit illos ad suscipienda beneficia sua: vel prorsus venire recusantes, per sententiam interdicta 35 prorsus sibi in futurum cognoscerent. Qua legatione quidam eorum exterriti descenderunt, seseque archiepiscopo presentaverunt, fidelitatem iurantes et beneficia sua suscipientes. Quae ille ne fraude aliqua deciperetur, rationabili distinctione iusta beneficia ab usurpatis sequestrans, sub his verbis concessit: *Beneficium tibi concedo, quod ab antecessoribus meis iustis et catholicis suscepisti, nec violenter invasum nec fraudulenter usurpatum* Si qui autem 40 in pertinacia sua persistentes sub hac lege distinctionis beneficia sua suscipere spreverunt, compariorum suorum iudicio proscripti sunt, et vel nullam apud illum gratiam deinceps invenerunt, vel cum magna difficultate ac discrimine rerum suarum seu etiam honoris adepti sunt. Dici autem non potest, quantum ei profuerit postmodum concedendorum beneficiorum distinctio quam prediximus. Multi siquidem beneficia quae male possederant, vel in scis- 45 mate archiepiscopis imperatorum persecutione a sedibus suis pulsis invasa seu de manu superpositi cuiusdam Perhtoldi suscepta fuerant, aut funditus perdiderunt illo in episcopatu confirmato, aut vix partem impetraverunt, non solum ministri, sed et nobiles ac[a] principes.

[6.] 7. De hoc Perhtoldo cuius modo meminimus res exigit aliqua dicere. Nos curiositati lectoris satisfacere cupientes, de Mosburch hunc fuisse, fratrem nobilissimi principis Purc- 50

1085. hardi nomine accepimus. Hic ab imperatore Heinrico seniore superpositus Gebehardo archiepiscopo, multa in episcopatu mala commisit, faventibus sibi[b] et cooperantibus tam principibus atque inferioris ordinis nobilibus hominibus ecclesiae, quam etiam ministerialibus et

a) et 2. b) *deest* 2.

13) Conrado. Cf. Jaffé, die Geschichte des Deutschen Reichs unter Conrad III. p. 13. 14) Is iam 55 regno cesserat; v. supra n. 12.

canonicis de choro. Nam sacrarium maioris ecclesiae in quo rerum pretiosissimarum, librorum videlicet et calicum aureorum, gemmis mirifice decoratorum, variaeque supellectilis pretiosae tanta fuisse copia ab antiquo recondita narratur, ut per totam Bawariam in nulla ecclesia nec maior nec similis inveniri posse tunc temporis diceretur, iste ita evertit, ita dissipavit, ita evacuavit, ut vix reliquias iste de quo nunc sermo est Chuonradus invenerit. Redditus quoque episcopales, quos non militibus concessit, pro vanitatibus suis impignoravit. Nec Deum timens, nec hominem reveritus, dummodo nobilissimum episcopatum, quem sine aemulo nec imperiali auctoritate nec[a] omnium nobilium et ministrorum suae[b] tyrannidi adstipulantium[a*] potenter tenere poterat, subvertere tiustisque atque legitimis episcopis inutilem redderet, expulit et in exilium coegit virum strennuum et catholicum, Gebehardum videlicet archiepiscopum[15]; Thimoni quoque viro sanctissimo bellum intulit, contra quem collecto exercitu iuxta civitatem in loco Saldorf congressus, cruenta atque infami victoria potitus est. Occubuerunt in eo prelio duo fratres Chunonis senioris de Meglingen, eius qui nunc superest patrui[16], qui omnes incunctanter et fideliter in obsequio catholicorum episcoporum Salzpurgensium permansisse semper noscuntur. Victus itaque catholicus et per omnia in sanctitate insignis episcopus, occulto sed nunquam iniusto iudicio Dei, mox sicut accepimus Salzpurgensem civitatem transiens, potu sibi ministrato, Turum[17] transivit, ibique a quibusdam principibus captus est, marchione[18] videlicet, et Starchando et fratre eius Werigando[19], nec non et comite de Celsach Poppone. Verum postquam archiepiscopus de hac captivitate liberatus est, ultio divina istos ita percussit, ut cum duo illi fratres tota Karinthia potentissima dominatione potirentur, nullius mortalis hominis contradictionem habentes, subito per comitem Pernhardum[20], qui cum paucissimis militibus Karinthiam intravit, funditus contriti sunt et ad nichilum redacti, omni pristina potentia perdita. Poppo quoque validissima paralysi percussus est, in tantum ut cum multis annis vixisset, non dubitaretur[c] ... et singulis noctibus lotio se et uxorem suam perfundens, mane semper propter foetorem mutare vestes compulsus sit, ac nonnunquam[d] expergefactus de somno, versus in rabiem, uxorem suam iugulare voluerit. Archiepiscopus vero sicut diximus liberatus, post expeditionem Ierosolimitanam ducis Gotefridi Ierosolimam contendens, a paganis captus et regi Babylonico presentatus, post multos agones gloriosa passione occubuit.

8. O quam magnum bonum de quam magno malo perditi hominis, id est trium catholicorum episcoporum aemuli, operata est Dei sapientia, terribilis in consiliis super filios hominum! Haec enim mirabiliter discernens inter vasa irae et vasa misericordiae, Perhtoldum superpositum, filium utique gehennae, permisit exaltari ut in aeternum caderet; illos autem fecit hic humiliari et temptationibus probari, quatinus postmodum sicut palma florerent, et sicut cedrus Libani multiplicarentur in domo Domini. Permansit autem idem Perhtoldus persequens ecclesiam Salzpurgensem usque ad tempora Chuonradi archiepiscopi, a quo excommunicatus in tantam[e] decidit iniuriam, ut cum duobus clericis miseram vitam ducens Mosburch, christiana communione careret annis[f] ferme triginta, uno predictorum clericorum in fine vitae penitentiam desiderante et absoluto, altero impenitente et in excommunicatione mortuo. Sane ipse Perhtoldus imminente sibi iam termino vitae per abbatem Seunensem[21] Guntherum penitentiam offerens, reconciliari ecclesiae[g] petiit, iussuque archiepiscopi ab eodem abbate communioni restitutus, vix duabus septimanis supervixit. Videat

a) *deest* 2. a*) *vel* auxilio *supplendum vel* potentia *legendum videtur*. b) suorum 2. c) dubitetur 2. dubitaret .... *Pez*. d) non unquam 1. non inquam 2. e) intantum 1.2. f) *deest in codd*. g) *deest* 2.

15) Hic potius iam ante Perhtoldi electionem fugam iniit, a. 1077; deinde Perhtoldum ipse eiecit a. 1086. 16) Iidem esse videntur qui V. Thiem. c. 8. post proelium decollati esse dicuntur. 17) i. e. Taurum montem. 18) Udalricum intelligere videtur qui teste V. Thiem. c. 8. illum captivavit. In charta a. 1103. Pez. Thes. VI, 1, 286. occurrit Udalrich frater Starchandi marchionis de Soune, et in charta Gebehardi a. 1072 de fundatione episcopatus Gurcensis Starchand marchio advocatus ecclesiae Gurcensis. In charta Chunradi I. a. 1139 Pez. Thes. III, 3. p. 684 inter benefactores coenobii Admuntensis commemoratur Rudolfus de Wittenwalt frater Weriandi; sed hunc a nostro diversum esse, demonstravit Er. Frölich in Genealogia Sounekiorum comitum Celeiae. 19) Chuonradus I. archiepiscopus Admuntensibus tradidit bona »qualia ei Weriandus comes ad Radelach sita pro absolutione peccati quo in venerabilem archiepiscopum Tymonem peccavit, tradidit«. Iuvavia p. 282. Hunc Max. Fischer et M. Filz pro comite Plagensi primo habent, nescio an recte. 20) ex comitibus de Sponheim, fratrem Heinrici et Engelberti qui postea ducatum Karinthiae tenuerunt. 21) Sancti Lamberti in Seon vel Sewn, in Bawaria.

Hebr. 4, 12. itaque qui vult, et intelligat, quam verus sit sermo apostoli dicentis: *Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Nam huius verbi gladio succisus ille vir reprobus et excommunicatus, repente aruit, nichil sibi opitulante imperatoris potentia et cunctorum principum qui favore illius ecclesiam conterere moliebantur.

[7.] 9. His per digressionem dictis ad propositum redeamus. Heinricus iunior, postquam, 5 1106. Aug. 7. patre expulso et extincto apud Leodium, regno potitus est, exercitu congregato cum valida 1110. manu Romam proficiscitur, imperii nomen et dignitatem accepturus a papa Paschali. Interfuit huic expeditioni cum aliis principibus etiam Chuonradus Salzpurgensis archiepiscopus, longe tamen alia intentione et forma, quam quisquam aliorum principum. Illi siquidem, prout quisque poterat, militia et armis muniti regem sequebantur, voluntatem illius per omnia 10 promovere [a] parati. Iste vero militare sic regi terreno et mortali cupiebat, ut caelesti et Matth. 22, 21. sempiterno debitum fideliter prestaret obsequium, a quo preceptum noverat: *Reddite quae sunt cesaris, cesari, et quae sunt Dei, Deo.* Unde quamvis egregios secum haberet et strennuos milites, pacis tamen potius quam belli minister esse desiderans, omnibus suis interdicere curavit assultus ad castra et pugnandi audaciam; suum nequaquam esse dicens socium 15 et commilitonem, quisquis ibi sine publico congressu vulnus accepisset. Unde et contigit militem quendam opibus et viribus insignem, Meingodum nomine, pincernam videlicet suum, iuvenili ardore pugnandi egressum, vulnus accepisse in crure; sed propter comminationem domini cuius verba erant quasi fulguris iaculum percutiens et penetrans cor hominis, nulla die se subtraxisse a presentia illius et a consueto ministerio se excusasse: ut merito proba- 20 Eccl. 12, 11. res verum esse illud Salomonis: *Verba sapientis quasi aculei et quasi clavi in altum defixi.* Attendebat vir ille prudentissimus et timore Dei plenus, quod beatus Martinus pugnare detrectans dixisse fertur: *Christi miles sum, pugnare michi non licet.* Et ille quidem adhuc catechumenus propter mentis devotionem illicitum sibi credidit etiam contra hostes rei publicae et paganos bellum gerere: iste autem altius cogitans, arma corripere contra christianos 25 neque fidei neque legibus adversos aut proscriptos, et sacerdotalis ordinationis sacramentum 1111. Febr. contaminare, profanum arbitrabatur. Interea exercitu approquinquante ad Urbem, coeperunt paulatim denudari [b] et apparere [c] doli iniquissimi imperatoris, et per aures episcoporum currere consilia prius tractata occultissime per legatos paucissimis consciis, qui idonei putabantur ad rem nequissimam machinandam. Actum quippe fuerat et iuramentis atque obsidi- 30 bus [d] confirmatum, ut potestas constituendorum episcoporum per universum regnum tradere- 22 tur imperatori a domino papa Paschali [22]. Quae res odibilis Deo, quamque ecclesiae Dei adversa esset, quis sapiens et rectum iudicans non intelligat? Hoc verbum postquam coepit percutere aures religiosorum Deumque timentium et maxime episcoporum, etiam ad noti- Febr. 12. tiam archiepiscopi Chuonradi pervenit. Quapropter cum imperator venisset in ecclesiam 35 beati Petri, sedente apostolico iuxta altare, accedens propius cum episcopis cunctisque qui secum venerant principibus [e], commonuit papam pacti inter se et illum firmati. Respondit ille paratum se adimplere dictante iustitia, quod promisisset. Mox archiepiscopus Chuonra- Prov. 28, 1. dus, nequaquam reveritus imperatorem sibi assistentem, iuxta quod Salomon ait: *Iustus quasi leo confidens absque terrore erit,* respondit apostolico: *Pater, qualiter* [f] *te promittis fa-* 40 *cere iuste, quod est contra omnem iustitiam?* Illo vero insistente et iterante quod dixerat, iste quoque instituit verbo priori. Ilico quidam ex satellitibus regis Heinricus cognomento Caput, librato in cervicem archiepiscopi gladio, clamavit eum reum maiestatis et auctorem totius 23 mali, idque eum iam luiturum [23]. Ad hanc vocem subito mille ferme enses in caput illius pendebant. Respiciens itaque archiepiscopus, vidensque imminentem sibi mortem et enses 45 exemptos: declinans in terram vultum, arma decontra arripuit caelestia, symbolum videlicet et dominicam orationem, rexque expansis brachiis et protegens eum clamavit: *Noli, noli, Heinrice: nondum est tempus.* Nec mora, cardinales capiuntur, et custodes armati circa papam disponuntur servantes eum, ac deinde Udalrico patriarchae Aquileiensi custodiendus traditur. Quae res aeterni odii inter eundem patriarcham et archiepiscopum causa extitit, 50 quia dominum suum et magistrum in captivitate servandum receperat; cum tamen illum fecisse bono [g] potius quam malo [h] animo diceretur. Nec mora, Romani ad arma concurrunt,

a) prouere 2. provehere *Pez.* b) denudare 2. c) apperire 2. d) obsedis 2. e) participibus 2. f) quō 2. g) bona 1. 2. h) mala 1. 2.

22) Hoc quam falsum sit, patet, et ab ipso Hansizio iam demonstratum est. 23) Cf. Ott. Fris. Chron. 55 VII, 14. Chron. Reichersperg. a. 1111.

collecto exercitu factaque congressione ingens multitudo Romanorum occubuit vel ferro vel suffocatione Tyberis, et victoriam parvo sui exercitus discrimine[a] obtinuit. Iudicet qui velit, virum hunc, si tempora martyrii eum invenissent, pro Christo fundere sanguinem dubitasse, qui pro iustitia provocare contra se tam saevi regis indignationem tantique exercitus furorem non expavit. [1111 Febr. 13.]

10. Reversus de expeditione, multa in episcopatu mala maxime a domesticis pati coepit. [8.] Nam prepositus Salzpurgensis, quidam ex ministris, non tamen nobilioribus, Albwinus[b] nomine, elatus in superbiam conspiravit contra eum; et hortantibus qui eius honori insidiabantur, ad fodiendum ei foveam Romam profectus est. Qui postquam reversus est, nocte per Salzpurgam civitatem, timens archiepiscopum qui in castro tunc morabatur, transivit, pontem quoque transiturus. Castellanus hoc audiens Fridericus de Fluonsperch[c] descendit, et cum cepisset eum tanquam insidiatorem et rebellem domini sui, oculos ei continuo eruit. Eapropter ministeriales, insidiarum suarum capite perdito[d], materiam damnationis et petram scandali se invenisse contra dominum suum arbitrantes, ad imperatorem se contulerunt, accusantes illum et crimen sacrilegii illi imponentes. Vocatus ergo Maguntiam[24] [Aug.] venit, et stans coram imperatore in vestibus equitationi preparatis, baculum episcopalem tenens in manibus, statura eleganti et vultu gravi, ut omnia quae in eo videbantur virum venerabilem et auctoritate plenum ostenderent: cum de facto[e] pulsaretur, vertens se huc et illuc, et omnes in circuitu residentes diligenter considerans, ac deinde se vertens ad imperatorem, dixit neminem se in loco eodem videre, cuius accusationem vel sententiam vellet recipere super officio suo vel episcopali vel sacerdotali. Ad hanc vocem factum est silentium, et tam imperator quam universi adversarii eius conticuerunt, ignorantes prorsus quid responderent. Milites itaque qui cum eo venerant, et constantiam illius tam sibi quam illi occasionem certissimi interitus futuram prius suspicabantur, atque ideo formidine et anxietatibus pleni sequebantur eum, cum ingenti gaudio et exultatione domum reversi sunt.

11. Multis preterea sermonibus frequenter, iocolariter[f] maxime, vulnerabat iniquam quam adversum se portabat conscientiam imperatoris, ut nonnunquam plus ioco quam serio exasperaret. Idcirco tempore quodam, cum diebus multis detineret eum apud se in curia sub specie captivitatis, ut quem perdere non audebat causam non habens idoneam, saltim metu mortis terreret et torqueret, ille a se milites quos adduxerat secum, omnes dimisit et clericos, videns eos anxiari pro his quae videbant et audiebant, metuque gravissimo[g] tabescere, paucis servientibus retentis. Sed hoc ad iniuriam rex et ignominiam confusionemque suam convertebat: magisque ipse indignatione, quam vir constantissimus, timere nesciens, anxietate cruciabatur. Cumque ut moris est, aliis recedentibus alii venirent ad curiam, et ab archiepiscopo requirerent quae nova essent in curia, respondit: *Magna et insolita atque a seculis inaudita: quia strutio ferrum devorans et episcopus captivus hic ducuntur, puniendus videlicet episcopus, quia punienda nulla commisit, et moriturus quia innocens est.* Quod cum audisset rex, indignatione et dolore commotus misit ad eum, redire compellens; quia procul dubio ferre non valebat impavidi cordis audaciam, quam nec reprimere valebat, nec punire audebat. Nec tamen ad preceptum illius statim recessit, ne forte fraudem aliquam et insidias in itinere pateretur, quousque ad locum veniret cum illo, unde securitatem redeundi haberet. In his omnibus quis sapiens et intelligens non advertit et iniquissimi regis perversitatem, quia diligere non poterat iustum, in quo quid reprehenderet non invenit, et prudentissimi sacerdotis mirandam virtutem, quia tam potentis viri ferocitatem momentis omnibus sibi insidiantem non expavit, et tanta modestia portavit ut ioco gravius quam contumelia feriendo superaret? Unde hoc, nisi quia iuxta psalmistae vocem: *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion; non commovebitur in aeternum?* [Psal. 124, 1.]

12. Sane cum infinitis affligeretur pressuris, foris habens pugnas, intus timores, cogitare coepit qualiter inveniret requiem saltim ad tempus aliquod Spiritui sancto. [9.] Audiens itaque sicut supra per anticipationem breviter perstrinximus, de nobilissima, opulentissima quoque[h] et potentissima muliere Mathilda, cuius ditioni tota Tuscia serviebat, ad eam se con- [1112?]

a) rex *add. ed. Pez.* b) Albinus 2. c) flůnsberch 2. *Hansizius corr.* Hunsperch. d) predito 2. e) cum defuncto 2. f) iocularetur 2. g) gravissima 1. 2. h) q. et p. *desunt* 2.

24) Imperator ibi curiam habuit d. 15. Aug. a. 1111. Ann. Hild.

25 tulit, et apud eam quinque ferme annis[25] commoratus est. Deinde cum putaret[a] tempora in 1115. meliorem[b] commutata, rediit tamen paucis in episcopatu permanens diebus, eo quod regi propter scisma, quod fecerat investituras episcopatuum obtinere non valens, atque idcirco excommunicatus fuerat, communicare noluit. Multo itaque labore multisque anxietatibus per medium adversariorum suorum transiens, milite uno et serviente contentus, Saxoniam venit, 5 26 benigne receptus ab episcopis Hildinsheimensi[c] et Halberstatensi[d], Reginhardo et Algozo[26], sub duce Lothario qui solus cum terra sua, id est Saxonia, sanctae Romanae atque apostolicae ecclesiae servabat obedientiam. Ibi quatuor ut creditur annis commorans, a contagione scismatici erroris conscientiam servabat immunem.

1122. 13. Porro cum ecclesiae communioni restitutus fuisset, scismate deleto, archiepiscopus 10 quoque reconciliatus regi Saxonum interventu ad sedem suam revertitur[27], doctrina et operatione strennuissime regens ecclesiam suam. Quam enim divinarum pariter et humanarum rerum ignaram, quae ad pietatem spectant, religionem, nec non et honestatem, invenit, tanto studio excoluit, ut eam faceret omnibus virtutibus splendentem, usque in finem orbis terrarum radios suae lucis transmittere. Ubi enim per totum orbem angulus tam in oriente quam 15 occidente inveniri posse creditur, ubi nomen Chuonradi archiepiscopi et Salzpurgensis ecclesiae auditum non sit et celebri fama vulgatum? Quod utique inde evenisse dubium non est, quia omnia quae fecit, ad laudem et gloriam Dei convertit, totamque ecclesiam suam sic ordinavit, ut nichil in ea quisquam nisi quod iustitiae, pietatis, religionis atque honestatis esse videretur, quereret, diligeret vel predicaret. In ipsa denique sede, quod fieri unquam[e] 20 posse virtute vel potentia cuiusquam mortalis hominis vix aliquis crederet, vanitatem et 1121. iactantiam ac pompam secularem evertens, humilitatem Christi fundavit, eiectisque qui vulgo appellantur seculares clericis, professores vitae communis reposuit, et de toto seculo eiusdem professionis homines, clericos et laicos nec non et sorores, coadunavit. Unde contigit per universum episcopatum, ut in omnibus ecclesiis seu monasteriis nullus penitus nisi 25 regulares vel monachi inveniantur.

[10.] 14. Ipsi[f] quoque monachi vel moniales, qui a religione ordinis sui exorbitasse videbantur, ad normam rectitudinis per eundem virum ita reducti sunt, ut omnino nullus esset episcopatus qui ex integro sic in servitio Dei institutus esse conprobaretur, et regularis vitae 28 tramitem perfectione tam firma tenere posset ostendi. Episcopus quoque Gurcensis[28], huius 30 viri virtutem emulatus, dominum utique suum imitando — erat enim, antequam esset episcopus[g], capellanus illius — in ecclesia Gurcensi constituit communis vitae ordinem et professionem, sicut usque hodie perspicuum est et oculis cernitur. Et hic quidem parvam habuit contradictionem; in Salzpurgensi vero ecclesia supra humanam virtutem fuisse quod factum est credebatur, si non divina gratia atque potentia inspiratione sua prevenisset famulum 35 suum, ut rem tam arduam aggrederetur, et cooperatione adfuisset ut consummaretur. Nemo Matth. 17, 19. ergo dubitet omnia possibilia credentibus, quibus dictum est: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic transfer te, et transferetur.* Sed o utinam ordo ille tam bonus tam sanctus et vere apostolicus in loco eodem tanto vigore progressus esset et usque in finem perseverasset, quanto fervore in initio plantationis suae germinare visus est. Verum ne nos 40 videamur os in caelum ponere, et aliquorum contra nos furorem excitare, illorum iudicio committimus, qui modo consistunt in loco eodem et sub eadem professione videntur vivere, quid de ipsis testentur. Nostrum est intentionis nostrae propositum prosequi, et ostendere quantum in ecclesia Dei universorum ordinum nutare fecerit statum a rectitudine in qua stare videbantur, error scismatis, quod quartus a prefato imperatore, iste qui nunc superest, 45

a) mutaret 2. b) *verbum excidisse videtur.* c) Hildilsheimensi 2. d) Halberslatensi 2. e) nusquam 2. f) Ipse q. moniales v. monachi 2. g) *ita cum Pezio pro* archiepiscopus *legendum videtur.*

25) Hoc stare nequit, nam 1115. Iul. 24. Mathildis mortua est; a. 1115 apud Admuntenses fuisse videtur, et reditus cum Hildeboldo ep. Gurc. cambiavit (Archiv für Kunde Oestr. Gesch. Quellen 1850. II, 188); a. 1116 iam apud Adalgotum erat. Hansiz. Germ. Sacra II, 212. Exstant tamen chartae quae a. 1116 et 1117 in Karinthia eum fuisse ostendant, sed testium nomina eas multo tempore post scriptas esse probant; v. Ankershofen l. l. 26) Non Hildesh. sed Magdeburgensi. Hildesheimensis episcopus Bruningus, accepta a. 1115 ab imperatore investitura, a. 1119 depositus est, teste Annalista Saxone. 27) Iam a. 1121 ecclesiam Admuntensem dedicasse traditur, et eodem anno vitam canonicam in eccl. Salzburg. instituit, ut cum chron. Gurcensi Ann. coaevi Salzb. SS. IX, 758. referunt. Privilegium a Calixto II. canonicis concessum est d. 11. Kal. Mart. a. 1123. 28) Hildeboldus; v. chartam eius a. 1124 ap. Eichhorn, Beiträge II, 116.

excitavit. Iste siquidem secundum vaticinium Isaiae prophetae dicentis: *De radice colubri* Esa. 14, 29.
egredietur regulus, venenum quod a progenitoribus suis acceperat, tanto perniciosius effudit,
quanto serpentina prudentia prae ceteris mortalibus, qui vel precessisse in generationibus
pristinis vel adhuc superesse cognoscuntur, calluisse probatur. In hoc quidem scismate luce
5 clarius apparet, solem obscuratum esse, et lunam lumen amisisse, stellas quoque de caelo
cecidisse, quando episcopi, abbates quoque et prepositi, qui columnae ecclesiae esse putabantur,
contra rationem etiam[a] iuraverunt, et idolum Bethel Bithi[b] erexerunt, dicentes pinguibus
vaccis Samariae: *Hic est papa, huic obedite quem imperator, non Christus, constituit.*
Tunc veraciter impletum est quod de tam periculosis temporibus dominus noster Iesus
10 Christus predixit dicens: *Et quoniam habundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* Matth. 24, 12.
Nam quid aliud dici debet vel potest, quam iniquitatem habundasse et caritatem refriguisse,
cum totus occidens fermento malitiae et nequitiae tamquam convivio ingurgitatus, Deum
ipsum et ecclesiam Dei proscripsit, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et omni ferme clero,
ducibus et marchionibus atque comitibus iuramento firmantibus, se nunquam habituros
15 imperatorem usque in seculum, qui communicaret apostolico et Romanae ecclesiae, ubi
sedem constituit Petro principi apostolorum dominus noster Iesus Christus? O quam profunda
facta est abyssus humani cordis contra altitudinem divini consilii! Ubi est illa exclamatio
apostolica: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia* Rom. 11, 33.
sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius? Ubi est illud[c] Salomonis: *Non est[d] prudentia, non* Prov. 21, 30.
20 *est sapientia, non est consilium contra Dominum?* Porro ubi est ipsius Domini promissum
dicentis: *Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam; et portae inferi non* Matth. 16, 18.
prevalebunt adversus eam? Gaude et exulta, Chuonradi archiepiscopi[e] beata anima, quae
de hoc seculo transire meruisti, antequam videres mala ista et nefas tam crudele et horribile,
quale apparuit in diebus successorum tuorum, Eberhardi videlicet et Chuonradi atque
25 Adalberti[f]. Quamvis illi duo[g], Eberhardus et Chuonradus, vestigiis tuis fortiter inhaerentes,
etiam ipsi beati fuerint et immaculati in via, et in cathedra pestilentiae non sederint. Unde
quis nesciat de utroque dictum esse: *Qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere* Eccli. 31, 10.
mala, et non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino? Rapti sunt itaque, ne malitia
mutaret intellectum illorum, et properavit divina clementia educere eos[h] de medio iniquita-
30 tis. Porro tertius, qui adhuc superest, Adalbertus[i], filius regis Bohemorum, quanta mala
sustinuerit, vel quanta adhuc sustineat, in propatulo est videre et cognoscere. Sed quis
finis tribulationis illius sperandus sit, ille utique novit, qui solus scit quando vase ad gloriam
suam consummato caminum suum extinguere debeat et prunas auferre. Interim ille patienter
expectet, donec veniat Deo tempus miserendi eius, legatque diligenter et sollicite advertat
35 illud psalmistae: *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum, ut mi-* Psal. 93, 12.
tiges ei a diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea. Ab his diebus athletam suum Dominus
eripere curavit, cuius cor et omnem cordis intentionem ita fixam sciebat in his quae ad
Deum spectant, ut contravenientia impatientissimo animo abhominaretur; ita ut posset veraciter
dicere cum psalmista: *Zelus domus tuae comedit me, et opprobria exprobrantium tibi* Psal. 68, 10.
40 *ceciderunt super me.* Qui enim contra minima et cottidiana hominum delicta tam graviter
solebat stomachari et exclamare, si vidisset temporum nostrorum abhominationes, et inaudita
a seculis sacramentorum sacrilegia, quantum exclamaret, dicens singulis horis Deo:
Tolle animam meam?

15. Reversus de Saxonia, sicut supra diximus, reconciliato sibi imperatore eumque [11.]
45 persequi iam desistente, cum se crederet pacem habiturum, infinitas adversitates patiebatur
a duce Karinthiae Heinrico, fratre patriarchae Udalrici. Qui cum Salzburgensem ecclesiam
variis tribulationibus et pressuris afflixisset, omnia quae in Foro Iulii possidebat diripiens,
et in suos usus transferens, tandem collecto exercitu transire disponit Canalem, totam Karinthiam
invadere et suae ditioni subiugare desiderans. Huius tyrannidi episcopus Gurcensis
50 obsistens, potentia quidem et viribus longe impar, sed animositate et strennuitate, quam in cf. Sal. Cat. 1.
bello plurimum valere compertum est, prestantior, legato in Bawariam[k] directo, ubi tunc
archiepiscopus consistebat, hortatur eum, quantacunque posset copia militum coadunata duci

a) ecclesiam 1. b) rithi 2. *deest Pez. Cf. Regum III*, 12. c) *deest* 2. d) *deest* 1. 2. e) episcopi 2. f) Adelberti 1. g) *hic cod.* 1. *lacinia avulsa est, et desunt plurima verba usque ad* tribulationis. h) *deest* 2. i) Adalberti 2.
55 k) *iterum in* 1. *multa desunt usque ad* propter excommunicationem.

occurrere, ne desidia sua et illius pertinacia tota in perpetuum Karinthia ecclesiae periret, promittens se quingentos milites in auxilium eius adducere. Cuius exhortatione ille animatus, cum mille militibus Karinthiam ingreditur, et in loco qui Crapvelt appellatur, compositis castris ducis prestolatur[a] adventum. Quo comperto dux, qui totam terram circa Glanekke[29] quasi locustae exercitu suo operuerat, angustiari coepit, quidnam potissimum eligeret, congredi an terga dare. Quia alterum horum propter excommunicationem metuendum, alterum propter confusionem ignominiosum, utrumque vero propter hostium vicinitatem et audaciam, nec non et dubium pugnae eventum, periculosum videbat. Ut tamen pacem peteret, elegit. Quam ob rem nuntium dirigit, rogans archiepiscopum ab armis discedere et in gratiam ipsius se postera die venturum, quatinus ab excommunicatione absolveretur. Ilico episcopus[b] qui ut leo contra ducem fremebat: *Nequaquam*, inquit, *inermes, sed in armis milites eum domini mei prestolabuntur, ostendentes se paratos ad pugnam pro honore beati Ruodberti et domini sui.* Mittit secundo, ut signum deponeretur. *Nec hoc*, inquit episcopus, *fiet, sed potius sub signo erecto*[c] *humiliabitur ad*[d] *pedes archiepiscopi.* Misit et tertio, rogans ne in eum milites clamorem excitarent. Tunc primum archiepiscopus promisit se clamorem nullum excitaturum. Venit ergo humiliter dux nudis pedibus, laneis indutus, ut absolveretur postulans. Quis dubitat huic viro Christum adfuisse, ut eum a pugnae necessitate eriperet, ne sanguinis effusione oculi et conscientia eius polluerentur, qui etiam beato Martino adfuit, ne inermis obiceretur hostibus?

[12.] 16. Post hunc persecutores habuit alium Heinricum, qui iunior appellabatur[30], et priori Heinrico mortuo ducatum Karinthiae obtinuit, et fratres eius Engilbertum et Bernhardum comitem. Sed Heinricus festina morte sublatus, Engilberto fratri crudelitatem quam contra ecclesiam excitaverat prosequendam cum ducatu dereliquit. Quem tamen prefatus episcopus Gurcensis[31] parva ministrorum suorum, et magna virtute divina, fortiter depressit. Unde cum ab illo in castro Frisacensi clausus, primum obsidione militum teneretur, et usque ad extremam necessitatem deductus esset, adiuvante eum viriliter Engilscalco ministro ecclesiae Salzpurgensis, tanta virtute tantaque constantia castrum defendit, ut hostes illud capi ullo ingenio vel labore posse desperantes, obsidionem solverent. Prius tamen constructis[e], ne liberam haberent exeundi vel quoquam progrediendi facultatem, tribus vel quatuor castris, et militibus dispositis, adiuncta etiam villa Frisacensi, quae tunc non sicut modo sub castro, sed contra castrum ex altera parte fluvii in medio decurrentis posita erat, et cottidie trecentis ferme loricis vel clippeis instructos cives habebat[f]. Coactus tandem tam diuturna et crudeli afflictione marchionem de Austria Liupoldum, patrem Heinrici, qui adhuc superest et ducis nomine pollet, pecunia conduxit, seseque ab his quibus diu circumdatus erat pressuris auxilio illius liberavit, destructis castris quibus vallatus erat, et adversariis omnibus longe dispersis. Verum cum adhuc villa memorata Frisacensis incolumis maneret, et refugium inimicis prestaret, comitem de Siliwich convocat occulto, et cum militum non parva manu inter castrum Frisacense et proximum montem abscondit. Orto vero sole, exire fecit quosdam de castro quasi ad diripienda pecora, quae ad pastum sequentibus pastoribus egrediebantur. Civibus itaque cum furore magno super hos irruentibus, comes cum suis occurrit, et tanta caede contrivit ut ultra manum levare nec[g] auderent nec possent. Aperta itaque via episcopo et suis, ducem persecutorem suum tanta animositate et pertinacia persecuti sunt, ut abiurantes prorsus de praeda hostium nichil attingere, iuramento quoque firmarent se paratos, ubicunque occurrerent illis, nec pro sua paucitate nec pro illorum multitudine terga dare, sed aut mori fortiter, aut ulcisci mala quae in ecclesiam beati Ruodberti et sanctae Mariae commisissent. Unde factum est, ut frequenter egressi, et adversarios eminus

a) prestolantur 2. b) epo 1. 2. c) deest 2. d) ante 2. e) construentes 1. 2. f) habebant 2. g) non 2.

29) inter Feldkirch et Sancti Viti castrum quod viae a Foro Iulii Frisacum ducenti adiacet. 30) de Ortenburg, gener alterius, quem Megiserus d. 25. Martii 1127 obiisse ait; sed de Rubeis p. 556 eum 2. Non. Dec. mortuum probat ex necrol. Aquilegiensi, itemque Rev. Fr. Blumberger ex necrol. S. Lamberti, ubi a. 1122 additus est. — *IX. Kal. April. Heinricus dux Karinthiae iunior* Necr. Diess. Hoc mortuo Engelbertum iam a. 1124 ducem fuisse ostendit charta Hildeboldi episcopi Gurcensis apud A. Eichhorn, Beiträge II, p. 118. Cf. Fr. Blumberger, Beiträge zur Lösung der Preisfrage des Erzherzogs Iohann II, p. 219—223. Epistola apud Tengnagel p. 383 revera data est a P(aschali) papa, itaque totum quod ei superstructum est systema chronologicum corruit; cf Jaffé, Regesta pontificum Romanorum pag. 519. 31) Hildeboldus qui a. 1131 Oct. 8. obiit.

aspicientes, mox super eos irruerent, et caede ac mutilatione vulneribusque ita contererent, ut defendendi se ausu penitus amisso, spem omnem salutis in fuga ponerent. Quamobrem dux tam suorum ignavia quam istorum constantia consilio perdito, quid faceret, quo se converteret nesciebat, quia cottidie variis cladibus perire suos videbat; et tamen redditus
5 episcopales quos sibi vendicaverat remittere dolebat et erubescebat. Interea episcopus centum marcas obtulit duci, quatinus et ecclesiae parceret, et suos sibi redditus restitueret. Quo renuente, ministris suis eandem pecuniam obtulit, ut auxilio sibi essent ad recuperanda quae dux abstulisset. Idque cum se facturos firmissime promitterent, surgens episcopus, et ad singulas veniens curias, crucemque super portas ponens: *Haec,* inquit, *bona ex parte Dei omni-*
10 *potentis duci interdico. Quae si ultra invadere presumpserit, ultionem Dei et ministrorum ecclesiae sentiat.* Hoc facto dux consternatus animo, vellet nollet a presumptione sua quievit, et interdicta sibi bona ulterius non contigit. Cumque argueretur a suis, quod minas clerici expavesceret, ait: *Non hunc, sed potius eius milites pannosos provocare in perniciem vestram et dedecus meum erubesco, quia si iterum contra surrexerint, et rubiginosis gladiis vos fundi-*
15 *tus delebunt, et me de terra eicient.* Ex tunc inimicis contritis episcopus sua sine contradictione possedit, et quamdiu vixit archiepiscopus, ecclesia pacem habuit.

17. Cessante itaque tempestate, et occursu malo de toto archiepiscopatu[a] sublato, multis modis ecclesiam excoluit: primum disciplina et religione, deinde[b] etiam rebus temporalibus et latissimis possessionibus, in tantum ut quam pauperrimam suscepit, vix inveniens [13.]
20 centum mansos suis usibus servientes[c], opulentissimam faceret[d] bona seu per fraudem alienata seu per violentiam invasa recuperando et ecclesiae restituendo. Non solum autem circa se ipsum, id est circa dominicalia propaganda, sollicitudinem habuit; verum etiam omnibus claustris monachorum, canonicorum et monialium industriam suam sic impendit, ut quae prius obscura et misera et paupertate cooperta extiterant, clara fierent, et
25 tam persona quam opibus gloriosa, ac bonis omnibus exuberarent, ut veraciter secundum Salomonem cum muliere forti dicere posset[e]: *Videte quia non feci michi laborem, sed et*[f] *omnibus exquirentibus veritatem.* Quid dicam quod et ipsos sacerdotes per episcopatum constitutos, id est plebanos, continentia et hospitalitate famosos, vita et moribus claros, vestium decenti compositione ornatos fecit, ut quilibet per episcopatum transeuntes glori- Eccli.24,47.
30 ficarent Deum, et cultorem tantorum bonorum predicarent honore dignissimum? Mentior si non audivi ipsum regem Chuonradum post mortem illius curiam celebrantem in pentecosten Salzpurch dixisse, in pulpito coronam illius gestans inter missarum sollempnia, nusquam se vidisse clerum tonsura, vultu, habitu universaliter tam splendidum et oculis intuentium ita gratum. Qui etiam dum egrederetur terminos episcopatus, et requireret in 1149. Mai. 22.
35 quo esset episcopatu, dictumque esset: *In Ratispona,* respondisse fertur: *Apparet in episcopatu Salzpurgensi nos non esse modo, quia ipsae ecclesiae quas videmus non ita venustum nobis exhibent aspectum.* Nunquam etiam se vidisse civitatem testatus est, quae tota ita esset repleta bonis hominibus, quae servitio Dei ita ex integro esset dedita, et in laudibus Dei die ac nocte ita resultaret. Notum est omnibus qui adhuc superstites sunt, nec labo-
40 rare multum oportet ut ostendatur, quam sollicitus fuerit pacem et quietem ac tranquillitatem facere omnibus, sive sub regula in claustris, sive in regimine plebium positis. Si enim suadente diabolo quemquam horum vel in persona vel in rebus dehonestare aut lesionem aliquam inferre cognovisset, mox sine cunctatione indutus armatura Dei, precedentibus legitimis vocationibus, excommunicabat auctorem facinoris, nulli parcens, nullius potentiam seu
45 crudelitatem attendens aut extimescens; quousque et sibi et leso componeret et congruam penam susciperet.

18. Videns etiam marchiam Ungarorum excursione in solitudinem[g] redactam, pacem cum rege eorum[32] firmissimam fecit. Huius autem pacis primus omnium qui eandem marchiam inhabitabant, auctor extitit; optimo plane consilio et magna providentia, quia partibus [14.] 32
50 utrisque complacuit et ingens commodum contulit. Ante hanc siquidem confederationem non minus molestiae Ungari sustinebant quam Bawari, cum utrorumque excursionibus tam illorum quam istorum terra cottidie vastaretur: nisi quod Bawari vel Sclavi plus inde pate-

a) episcopatu 2. b) demum 2. c) ferventes 1. 2. d) fecerit 2. e) possit 2. f) *deest* 2. g) sollicitudinem 1. *et* 2. *ubi* ci *erasum est.*

55 32) Stephano II, cum haec ante a. 1127 facta oporteat; v. c. 19.

rentur calamitatis, quod tam homines quam pecora vel quaelibet bona in manus diripientium venientia auferebantur, et terra eorum funditus deserta remanebat. Quod post hanc pacem evenisse unquam vix quisquam docere poterit. Semel namque eruptione solita Ungarorum (1131.) id contigisse inde recordor, quia pro hac re nuntius in Ungariam factus, auxilio archiepiscopi Strigoniensis Feliciani in tantum profeci, ut iubente rege tam valida interminatione, ut si quis unum de captivis detineret, pro captivo ipse captivus fieret et in servitio maneret archiepiscopi perpetuus exul, captivi omnes redderentur, et terrae suae ac domino restituerentur. Sciendum autem huic rei non minimum opitulatum fuisse timorem archiepiscopi; quia cum in marchia eo tempore positus esset cum episcopis, Ratisponensi Chuonone[33], Ekeberto quoque Monasteriensi de Westfalia, nec non et Gurcensi Hildiboldo[34], aliisque nonnullis principibus, fama cucurrerat per totam Ungariam, et tam principes quam universum populum in timore maximo posuerat, eo quod cum exercitu infinito marchiam intrasse diceretur: ut totam terram Ungarorum invaderet, et usque Strigonium, quae metropolis regni est illius, nichil vivens relinqueret, in ultionem populi sui in captivitatem abducti atque ad iniuriam violati foederis, cum adversus Ungaros ipse nichil mali commisisset. Cum enim ad memoratam civitatem venissem, et tam archiepiscopum quam universum populum in tali anxietate invenissem, michique diceretur quomodo ausus fuissem intrare terram quam spoliaturus venisset dominus meus, nec illos omnino securos facere volens, nec dominum meum hoc quod timebant facturum omnino negans, respondi: *Non sic venit hoc tempore dominus meus*, sed potius adhuc[a] expectare eum disposuisse, si redditis captivis foedus initum servare vellent. Hoc responso audito, nuntius ad regem dirigitur, qui tunc in marchia Ruthenorum morabatur; et sub festinatione captivi omnes cum universa praeda terrae suae restituuntur. Sciendum quoque occasione et fiducia tantae concordiae inter regem et[b] archiepiscopum firmatae non solum terram episcopalem antiquo cultui redditam, verum etiam totam[c] marchiam villis, castris et cultoribus ita repletam, sicut in presentiarum cernitur, ut melior modo esse longe[d] credatur, quam antiquis temporibus fuerit; cum fertilitate et omni specie utilitatis non multum distare videatur ab Austria, et distractio ac venditio hominum utriusque sexus, quae antiquitus usitata extitit, nunc rarissima[e] imo inaudita sit.

(1127. Mai. 4.) 19. Nec pretereundum, cum exusta fuisset ecclesia beati Ruodberti, quantum profuerit ad restaurationem eius haec confederatio. Cum mox ut ad aures regis pervenit dolor et luctus archiepiscopi, regali munificentia delinire curaverit dolorem illius, nuntium usque Salzpurgam mittens oneratum auro et argento et palliis innumeris, quibus ditatum apparet adhuc eiusdem ecclesiae sacrarium. Experimentum virtutis et industriae eius de quo loquimur archiepiscopi qui vult ex hoc capere potest, quia cum haec eadem ecclesia exusta fuisset in die beati Floriani, in initio ferme Mai, in fine Septembris, id est in die beati Ruodberti, (Sept. 24.) consecrata est, dedicationis sollempnitate antiqua non mutata, et intra paucos annos multiformi venustatione decorata a laquearibus usque ad pavimentum[35]. Construxit etiam quae antea non fuerant turres altissimas, et campanis longe melioribus magnitudine ac sonoritate quam prius eas implevit; fenestris etiam et pictura auro rutilante parietes a fine usque ad finem opere mirabili ornavit.

[15.] 20. Sane quamvis in his atque in talibus videre et cognoscere possit lector studium et intentionem illius circa decorem domus Dei, longe tamen melius apparet in his quae eum fecisse oculi omnium intuentur, sive ad utilitatem sive ad munitionem episcopatus. Castrum siquidem quod civitati Salzpurgensi supereminet, ab archiepiscopo Gebehardo inceptum, ab isto ita consummatum est, ut si victualia et propugnatores habeat, inexpugnabile videatur. Similiter et castrum Werven et clusa, quae vel ad Karinthiam vel Bongowe seu Pinzgowe ire volentibus ipso situ et facie quasi loquuntur: *Hucusque transibis, et non procedes amplius.* Quid dicam de Frisacensi castro vel civitate? Quorum alterum, id est civitas, a fundamentis[f] precepto eius edificata est, alterum, id est castrum, ex maiori atque meliori parte con-

a) *deest* 2. b) r. archiepiscopi non s. epi terram ex ant. 2. c) *deest* 2. d) longior 2. e) karissima 2. f) fundamento 2.

33) el. a. 1126. Huius et Ekkeberti consilio Chunradus a. 1131 ecclesiam suam ordinavit, ut ipse refert in charta de terminis parochiae Gurcensis d. Salzburg 17. Kal. Aug. a. 1131 apud Ambr. Eichhorn, Beitr. I, 210. Ekkebertus scilicet, el. 1127, anno 1131 in Italiam missus, metu Conradi eo procedere non ausus est. Cosmae Prag. Cont. a. 1131.
34) Obiit 1131, Oct. 8.
35) Cf. Necr. Sal. ad d. 24. Sept. in Mon. Boicis XIV, 394. vel in nostris SS. IX, 774.

structum et munitum atque decoratum est ab illo, ut potius videatur esse domus imperatoris quam episcopi, undiqueversum intuentibus prebens gratissimum aspectum: quodque ceteris castris prestantius est, cum situ humile et ad capiendum non multum difficile videatur, omnino tamen inexpugnabile sit, multas habens in circuitu munitiones. Libnize[36] a fundamento edificare coepit, sed imperfectum dereliquit; ideoque plus in robore militum quam ex se firmitatis habet. Bethowe[37] antiquum extitit castrum, sed dirutum multis temporibus, atque ab illo, sicut hodie cernitur, reedificatum est. Richenburch[38] a novo edificavit. Haec tria castra super Ungaros edificavit post compositum inter se et illos foedus amicitiae, hac intentione et providentia, ut si forte contingeret illos iuxta naturalem inconstantiam fidem violare, marchia castris super loca congrua dispositis munita, repugnandi haberet ausum et copiam. Unde usque hodie a latrocinio et consuetis excursibus illorum libera floret, et bonis omnibus exuberare videtur. Castrum Hoinburch[39] ab episcopo nobilissimo Tridentinae ecclesiae Altmanno, qui ex hereditate hoc possidebat, impetravit; sicut et prepositura Subonensem[40] super Enum positam. In Bawaria etiam construxit castrum, quod a fluvio preterfluente Cilarn[a] nomen accepit, et hodie ecclesia possidet.

21. Preterea de parrochia preposituram Halle[41] constituit, et ecclesiam in die beati Martini consecravit, dans ad usus canonicorum regularium ibidem commorantium quartam partem decimarum salis, quas a populo eiusdem loci cum magno labore obtinuit. Tres etenim partes earundem decimarum canonicis Salzpurgensibus dedit, et iure perpetuo privilegio confirmavit[b].* Constituendae vero preposituraе Hallensis et decimarum exigendarum coadiutor fortissimus et quodammodo incentor extitit vir religiosus Deumque timens, parrochianus primum deinde prepositus eiusdem loci vel gentis, Lanzo nomine. Et quia decimarum mentionem fecimus, dicendum quod ante archiepiscopum Chuonradum vix aliquae decimae dari solebant per totum episcopatum; set eas dari labore[c] ingenti et industria coegit, quamvis eas in beneficio possideri a laicis nulla ratione prohibere valuerit[42]. Haec enim abusio tam firma radice convaluit ut nisi divina potentia, cui nichil est impossibile, sublata fuerit, nec apostolico mandato nec episcoporum strennuosissima pertinacia auferri posse credatur. Attamen ut de iure eas dandas sensibus laicorum hereret suoque exemplo docti

* Hic etiam Chunradus archiepiscopus memoratus ad instantiam petitionis Wolfheri de Tegernwanch uxorisque eius Hemme, nec non filiorum eorundem videlicet Wolfheri et Heinrici, ipsorum predia sita in Schuzing, iuxta fluvium qui dicitur Alzanno, iuxta fluvium qui dicitur Rota[43] Mosvogel, in suam provisionem et defensionem ad ordinem Cisterciensium monachorum per eosdem designata et collata eo tenore recepit: ut episcopali traditione omne ius cenobiorum collationibus liberorum hominum vel ministerialium Salzburgensis ecclesie irrefragabiliter communicet. Unde factum est, ut cum dictus vir nobilis Wolfherus de Tegernwanch et uxor eius Hemma anno Domini 1143, sexto Kalend. Novembris, hoc est in vigilia beatorum apostolorum Simonis et Iude, adhuc in hac vita beatissimo patre Bernardo abbate Claravallensi annis fere decem, hanc fundare cepissent abbatiam in proprio predio, dicto Schutzing, sepedictus dominus Chunradus eiusdem nominis primus sancte Salzburgensis ecclesie archiepiscopus, considerans hunc situm loci non esse aptum ad prefatum ordinem observandum, a. D. 1146, presidente in sede Romana sanctissimo papa Eugenio III ex filiis spiritualibus beati Bernardi ad apostolicam dignitatem assumpto, pontificatus sui anno primo; in ipso vero Romanorum imperio feliciter regnante Conrado II, anno imperii sui octavo, ad habitationem fratrum et situm cenobii alta consideratione consilii antiquam ecclesiam suam Raittenhaslach, in hoc loco sitam et constructam quondam sub patrocinio sancti Pangratii martiris ut tradit antiquitas, que tunc vacabat, cum decimis, dote et familia omnibusque necessariis, remota parrochia, fratrum usibus et potestati contradidit: ut et . . . . . .

a) Cylarn 2. b) *hic desinit* 2 *et cod. Petrensis a B. Pez expressus, assuta tamen relatione quam ex eius opere infra recudi fecimus.* c) *hic in cod.* 1. *incipit fol.* 152. *cuius pars dimidia avulsa est; lacunam beneficio Hansizii explevi.*

36) Leibnitz, ad Muram fluvium. 37) Pettau, ad Dravum. 38) Reichenburg, ad Savum. 39) Hochenburg in monte Weilhart, in pago Innviertel, ut asserit V. D. Kleimayrn, Iuvavia p. 363. t. 40) S. Lamberti, nunc Suben. Chunradus locum „ad instituendam ibi vitam apostolicam secundum regulam b. Augustini“ ab Altmanno suscepit a. 1142. Hansiz. Germ. sacr. II, 241. Mon. Boica IV, 523. 41) S. Zenonis, Reichenhall. Chartam qua novam fundationem confirmavit d. Non. Apr. 1136. vid. Mon. Boic. III, 528. 42) 1144 Sept. 6. conquestus est se decimam episcopo Gurcensi absolute dare non potuisse, »quia milites qui eam possidebant amittere nolebant«. Hormayr, Archiv f. Geogr. u. Gesch. 1821. p. 239. 43) Ita dicitur in charta Chuonradi d. Non. Iun. 1146, Mon. Boic. III, 105, quam cf. — *Gota* Pez.

1136? facilius dare assuescerent, cum in festo pentecostes Pilgrimum patriarcham[44] honoris pariter et fraternae caritatis gratia vocasset, quasi pro munere de omnibus possessionibus suis quas in patriarchatu habebat, ultro decimam dedit et privilegio confirmavit, et pacem atque amiciciam inter se et illum perpetuam constituit, cum ante id tempus nullam unquam cum antecessoribus illius pacem habere curaverit, maxime quia quasi alieni esse videbantur a communione et gratia apostolicae sedis, quam ipse summa devotione diligebat, firmissimam ei servans obedientiam. Porro in eodem festo imitatione archiepiscopi omnesque[a] qui aderant, de bonis suis decimas recognoverunt patriarchae, ita ut ad nonnulla milia modiorum decimae computarentur, multumque crevisse die illa gloriatus sit tam patriarcha quam omnes qui cum eo venerant. Brixinensem ecclesiam quae a metropolitana sede defecerat aliquanto tempore, ad o.........[b] deposito et eiecto qui episcopatum tenebat Hugone quodam nomine magis quam opere pontifice, in cuius locum et honorem subrogavit abbatem Salzburgensem Reimbertum, eumque in curia Mogontiensi consecravit, ubi rex constitutus est (1125. Aug.) Lotharius dux Saxonum, multum pro eo laborante Chuonrado archiepiscopo quia in scismate fideliter adheserat sanctae Romanae ecclesiae, cum in Fridericum ducem Sueviae fratrem Chuonradi regis[c] cecidissent vota fere omnium principum.

22. Frisingensi episcopo Heinrico usque ad mortem[45] nunquam reconciliari voluit, quamvis eum deponere propter parentelae magnitudinem et potentiam nullatenus potuerit, presertim quia adhuc ecclesia Frisingensis nobilissimo clero et literatissimo rutilabat, qui episcopum suum nisi rationabiliter pulsatum et in synodo iudicatum et dampnatum relinquere tutum atque honestum sibi esse non videbat. Episcopus[d] autem quia auxilio suffraganeorum destitutum esse se videbat, propterea quia feces recentis scismatis nondum plene digesserant, synodum convocare timebat, set aliis quibus poterat modis exorbitantium a fide et communione ecclesiastica errorem et denudabat et impugnabat. Unde et contigit, ut zelo domus Dei nimium eum comedente Frisingensem episcopatum iniret, episcopo in Austria constituto, sperans canonicos quos ipse sepe honoraverat, in depositionem sui episcopi favorem sibi et auxilium daturos. Cum itaque venisset Frisingiam et montem ascendisset, collectam contra se tam clericorum quam laicorum multitudinem invenit, ut vix eam caperet maior ecclesia. Sedente vero archiepiscopo sub campanis, omnis multitudo clericorum circa altare sanctae Crucis stabat ad disputationem preparata, ac primo per internuncios res agitur, ac deinde cominus ad causam coniunguntur. Ubi canonicis per prolocutorem sobria et modesta disputatione quod expedire videbatur causae proponentibus vel respondentibus, reliqua turba intenta erat, si forte occasio daretur clamorem movendi et insultandi archiepiscopo, et triumphandi de venerabili sene et omni seculo honorabili. Facto igitur ut volebant super illum clamore iniurioso nimis et irrationabili, sine causa discessum est. Paucis autem interiectis diebus legati utrimque Romam mittuntur, archiepiscopo iniuriarum suarum vindictam postulante eo quod lesus videretur, Frisingensibus querelam deponentibus et archiepiscopum de illicita invasione episcopatus accusantibus. Et ille quidem facilem habuit veniam, qui etsi aliquantulum excessisse et limitem iusticiae transgressum fuisse argui poterat, zelo bono in personam exarsisse in multis notabilem et reprehensibilem iudicatus est, maximeque quia in scismate electus est atque extra communionem et obedientiam apostolicae sedis consecratus omnino deponi merebatur, si non ad gratiam anno priori domini papae[46] per legatum venisset. Frisingensibus sane eo quod archiepiscopum suum male nullo sibi inpenso honore et servitio susceperant, et contumeliose a se eiecerant, congrua interminatione preceptum est, ut unanimiter omnes presentiae illius se offerentes, gratiam et veniam quererent. Quod et fecerunt, Lofe illi occurrentes, et post veniam devote et humi- (1129.)

a) *ita Hansizius.* b) *fort.* ad obedientiam revocavit; *ap. Hans. media inter* tempore *et* deposito *omissa sunt.* c) fratrem Ch. regis *ap. Hans. omissa; in cod. post* fratrem *lacuna est.* d) episcopus — videbat *propter homoeoteleuton omissa ap. Hansizium;* videbat *facili coniectura supplevi.*

44) a. 1132—1161. Eiusmodi pactum in castro Frisachi factum esse refert scriptor Aquileg. ap. Murat. SS. rer. It. XVI, 41. Conventionem quandam de decimis inter utrumque factam a. 1136 apud Villac continet charta a Rev. Eichhorn edita, Archiv f. Geographie etc. 1820. 381. Data est ad montes 4. Kal. Martias. 45) Obiit a. 1137. 46) Calixti, ut patet ex epistola Honorii II ap. Meichelb. I, 309. Hans. II, 221. qua Chunradi violentiam vituperat. Ibidem etiam Chunradi ad Frisingenses et supplicem ipsorum ad Chunradum epistolam invenies. Gerhohum tunc legatione Chunradi ad papam functum esse animadvertit Hansizius.

liter petitam, plenissime in gratiam recepti sunt. Ex illo tempore ab universis occupationibus et negociis maioribus alienum se facere cupiens, reliquum vitae suae quod adhuc supererat tempus in ocio transigere et soli Deo vacare et saluti animae invigilare disponebat. Eapropter missa[a] legatione ad dominum papam Innocentium, curam atque amministrationem totius episcopatus committi Romano episcopo postulavit et[47] impetravit; ipse si fieri posset et persona longe aliter instituta pati posse videretur, solitariam vitam expetens. Set ab hac intentione virorum religiosorum et prudentium consilio retractus, turbam[b] . . . .

VITA SANCTI EBERHARDI ARCHIEPISCOPI SALZBURGENSIS.

AUCTORE ANONYMO QUODAM EIUS DISCIPULO.

Vitam Eberhardi archiepiscopi scripsit quidam ex antiquis eius discipulis[1], *qui iam in Biburgensi monasterio sub illo abbate vixisse videtur*[2], *paucis post mortem eius annis elapsis*[3]. *Summo erga magistrum amore fervens, tamen veritati studuisse videtur et schismatis mentione facta c. 7. aliis multo se moderatiorem ostendit. Itaque non parvi faciendus est quum de rebus sui temporis quae vidit et audivit referat, etsi plurima et gravissima de gestis Eberhardi omissa aegre ferimus*[4]. *Sed ea praecipue tangit quae domi egit. Vitae huius textum genuinum hausimus ex*

1) *Cod. bibl. caesareae* 602. *hist. eccl.* 152. *mb. s. XIII inc. in oct. qui eam post vitam Altmanni alteram et passionem Tyemonis alteram, ante vitam Berhtoldi abbatis Gaerstensis exhibet. Hunc presse secuti, in capitum distinctione plerumque rubra eius expressimus. Eadem sed interpolata ex vita altera infra edenda occurrit*

B. in libro de Sanctis Iuvavensibus, de quo mox plura dicenda erunt, edito in Canisii Ant. Lect. III, 2. *p.* 282—315 *et* 395—431 *ed. II. in codicibus S. Crucis, Zwetlensi, S. Petri, et Lunaelac. in fol.* 186.

Hanc editionem repetierunt Surius, et G. Henschen in Actis SS Iun. IV, p. 261—269. *Ex antiquioribus Aventinus eam adhibuit ad scribendos Annales Boiorum.*

INCIPIT VITA BEATI EBERHARDI EPISCOPI.

Cum vitas multorum de privatis seu popularibus personis descriptas a suis attendimus, ita ut non tam dignitas gestorum seu copia, quam scriptorum benivolentia apicibus appareat, in respectu horum vitam gloriosi Eberhardi sanctae Salzpurgensis ęcclesiae archyepiscopi stilo satis superque suppetere vidimus, et hanc sub ignorantiae modio linquere dedecus nobis, illi iniuriam duximus. Unde omnium extremi, quibus aut proprie episcopus, aut notus tantum convictu, aut nutritor etiam et magister olim extitit, paginis patrem reponere aggredimur, non

a) *fol.* 153 *integrum incipit.* b) *hic in media pagina desinit* 1.

47) Apud Hansizium legitur *sed non*. Scil. Innocentius II epistola d. Laterani prid. Kalend. Mai. (1138) Chunrado vacationem muneris, quam petiverat, denegavit, sed hoc iam antea ei concessisse videtur, ut vices suas Romano committeret. Nam 1138, Febr. 22. chartam fundationis monasterii Runensis *Romanus Gurcensis ecclesiae episcopus vices generales archiepiscopi tenens* recognovit, et electio Wernheri primi praepositi canonicorum Sekoviensium a. 1141 acta esse dicitur *praesidente Salzburgensi metropoli Chounrado archiepiscopo, tenente vicem eius Romano Gurcensi episcopo*. Ankershofen, Urkundenregesten zur Geschichte Kaerntens, Archiv f. Kunde Oestr. Geschichtsquellen 1850, II, 216. 223.

1) c. 14. 2) c. 5. *Dicam quod vidi*. c. 8. *nobis audientibus*. 3) certe ante a. 1181. quo fama miraculorum eius totum archiepiscopatum replevit, sed tamen finito iam schismate, quod cap. 8. probari videtur, itaque post a. 1177. 4) Qui a lectione Gestorum Friderici et epistolarum quas olim Tengnagel et novissime Sudendorf ediderunt, ad vitam hanc Eberhardi accesserit, admodum ieiunam eam et sterilem experietur.

tam scientiae quam dilectionis presumptione inducti, hoc unum ne res[a] omitteretur timentes. Caritas omnia non sperat, de incertis veretur.

1. Igitur Eberhardi patria Norica, clarissimum genus, pater bene christianus[5], ceterum in seculi honoribus, mater[6] etiam optimis operibus extitit, quae elemosinis, orationibus, ieiuniis pene continuis se transigens, cibo quid preter legumina numquam[b] indulserat. Ferrea virtus. Cuius bene gesta hoc uno commendare sufficiat, quia ęcclesiam in honore sanctae Mariae semper virginis cum viro in curte propria statuens, dimidio ferme miliario lapides ad eam propriis humeris nudipes ferre solebat. Huiusmodi actis iam nobilitatem illam seculi abdicasse totam videbatur, nisi quod summa ingenuitas in servitute Christi comprobatur. Trahebat ibi cum pedissequis suis mulierum utriusque conditionis turbam non parvam saxa portantium. Ad ymaginem et similitudinem suam fecerat ceteras. Ita se natura habet, iuxta formam maiorum minores se gerunt. Cernere erat longius per circuitum unius imitatione femininum genus melioratum. Suum hoc opus fecit matrona. Hinc meruit filium, de quo nunc agitur, digna dignum, qui natus[c] in parasceue nullatenus sugere voluit, donec in sabbato paschae primum communicavit. Dein optimam puericiam ornatus disciplinis scolaribus consecratur, ubi docilis, attentus et benivolus auditor, quantum magistrae phylosophiae impenderit, tribus ex ea partibus, physica, ethyca, loyca, nactis ostendit. In his enim artibus vel suis speciebus nulli postmodum facile inveniebatur secundus. Successit deinde felix adolescentia, ubi Pitagoricae litterae proportio a stipite indiscretae pueri_ciae ceream aetatem vel dextro ramo ad beatam vitam convertit, aut levo ramo, qui et declivior, ad seculi[d] declivia flectit. Ibi vero honestissimus iuvenis in dextro ramo Mariae optimam partem elegit, et clam preposito, qui tutor eatenus fuerat, ad monasterium sancti Michahelis[7] convolans monachilem habitum peciit et accepit. Regnum coelorum etiam iuvenes diripiunt. Maior pars ad malum proni sunt ab adolescentia sua; sed Eberhardus regno coelorum vim fecit, et vim passus est. Quid enim prepositus ageret? Ad nutum eius campanae omnisonum consonae dissonant, procedit ipse per semet ipsum cum universo choro templi ad monasterium, fratrem reddi imperant magis quam rogant, eripiunt magis quam recipiunt. Verumtamen iuxta illud poetae:

Hor. Ep. I, 10, 24. *Naturam expelles furca, tamen usque recurret,*

animus adolescentis cum esset natura optimus, a proposito suo desuesci non potuit, donec factus quadragenarius, episcopi sui Ottonis et fratrum coniventia monasterium subiit, et directus est spiritus Domini in eum a die illa et deinceps, ut in omni religione fieret novissimus primus. Apposita cui inprimeretur forma, erat abbas suus[8] Erbo[e], quem laudare satis, nisi alterum pene Iohannem vel Helyam estimando nescimus.

2. Per idem tempus germanos suos seculares, genere, statu, rebus aequę spectabiles, cum quibusdam propinquis unus[f] spiritus invasit, in proprio fundo monasterium monachorum de suis hereditariis rebus construere[9]. (1125.) Delegatur in id operis absque mora Biburgensis locus, mundiburdio memorati reverentissimi episcopi, quo validius res effectum, effectus firmitatem haberet, fundaturque ab illo cenobium. (1133.) Destinatur eo dignissimus abbas Eberhardus, tam nolens, ut consecrationem quinque annis refutaret. Sola enim cogitatio inheserat, genus monachorum et monachorum ordinem creare, aedificia accelerare, moxque in monasterium vel in heremum semet privatum deponere. Numquam sibi satis facit humilitas, nec voto saciatur virtus; sicut nec vicium. Post quinquennium cum episcopo suo Babenbergensi Romam trahebatur[10]; (1139.) erat enim cui nil deerat, quod ydoneum, quod honestum ad curiam. Affuit in illo ipso comitatu serenissimus Eberhardus tunc prepositus, post paululum vero[11] in eadem Babenbergensi ęcclesia successor creatus. Hic Eberhardi nostri fidissimus semper et unum par fuerat. Qui diligit iustum in nomine iusti, non perdet mercedem

a) ab aliis *add.* B. b) raro B. c) natus — communicavit *desunt* B. d) terrena et B. e) ebro B 1. ęrbo B 2. f) *deest* 1.

5) *IIII. Idus Mai. Heinricus laicus pater Ebirhardi Salzb. archiepiscopi.* Necr. S. Mich. Babenb. Schannat, Vind. II. 6) *VIII. Id. Aug. Berhta laica mater domni Eberhardi archiepiscopi.* Necr. Admunt. Pez SS. II, 206. 7) in Babenberg; cf. de his vitam alteram. 8) Pruveningensis a. 1121—1162. 9) Hist. fund. v. Hund. Metrop. II, p. 200. Coeptum est a. 1125, finitum 1133 et d. 28. Oct. consecratum. 10) Egilberto quem ibi papa consecravit, quod ipse refert in privil. d. 20. Oct. 1139. ap. Usserm. Ep. Bamb. C. Prob. p. 91. Monasterio Biburgensi iam d. 7. Ian. 1139 privilegium concesserat, in quo nulladum consecrationis Eberhardi mentio fit, Hund. Metrop. p. 205. 11) a. 1146.

suam. Huic pergenti[a] negocium Biburgenses de consecratione abbatis iniungunt magnopere. Pollicetur operam suam, nec minus exequitur, donec ipse per se apostolicus Innocentius investivit abbatem et consecravit dicens: *Confortare et esto robustus, in omnibus tecum sum.*

5 3. Alio tempore Romam cum pergeret, Appenninum usque montem accessit, cuius altissimo dorso artissimo tramite vix transitus panditur. Illic sub ipsis radicibus mulierculam conspicatur martyrem inopia, plus quam martyrem egritudine, quae montem transmittere volens, voluntate et difficultate cruciabatur. Vidit interius abbas moribundam, et comitanti se fratri dixit: *Quid facimus pauperi Christo, ne in novissimo veniens suggillet nos?* At ille 10 idiota, utpote idiota, minus urebatur et dixit: *Nichil mulieribus et nobis in tali articulo.* Sed enim phylochristus runcino suo impositam innitens ipse manu retrorsum caudae equi transvexit. Felix qui diligit proximum plus quam se ipsum. Cumque transduxisset onus, pietate adhuc urebatur, et dixit fratri: *Quid tandem agimus?* Miratur rusticitas et ait: *Tempus tacendi, pater.* Tum suspirans quod solum poterat elemosina data afflictam sibi dimisit.

15 4. Iam tunc multorum bonorum preconio futurum se audiebat episcopum, quod in uno probatum iri sat erit. Prefuit in vicino abbas nomine Eppo[12], cuius vita magna, probitas maior, familiaritas maxima cum patre nostro pollebat. Hunc invenit Deus, cui de scismate futuro post multos annos contra papam Alexandrum prediceret, quamque firma anchora solius tunc Eberhardi ex omnibus Alemanniae episcopis staret. Ad horum formam vidit 20 per somnium predictus abbas, et ecce vidua quedam. Vidua videbatur: et viduam rex quidam impugnabat, et qui viduam adiuvaret non erat, nisi de Iuvavo monachus quidam. Hic Eberhardus videbatur. Hic obstare solus pro vidua videbatur. Lucta haec luctae ymago utrimque fervebat, donec mutatus est, et in calibem mutatus est monachus. Proportionaliter ferrum duriciam, duricia invincibilem signabat. Furebat autem non minus in illum 25 quam in viduam rex, donec et ipse in canem versus apparuit. Qui habet aures audiendi audiat argumentum a simili. Quod intelligens qui viderat, retulit in auribus abbatis et dixit: *In veritate Iuvavo presidebis, et erit tempus quo solus ęcclesiam cisalpinam sustentes.* Sufficit tempori illi malicia sua.

5. Inter haec ille parvus erat in oculis suis, et extra carnem in carne apparebat. Cer- 30 nere erat carnalibus et spiritalibus, novellum locum mirabiliter surgere, de nobilibus ac mediocribus, fratrum, sororum, monachorum, quibus nichil deesset in ulla gratia et probitate, subitum examen fervere. Quid de conversationis altitudine dicam? De abbatis haec omnia dignitate veniebant. Hic karitate, prudentia, discretione, misericordia omnibusque virtutum karismatibus cunctis admirationi, sed timori, sed amori, sed exemplo exstabat. 35 Timebatur, sed filiali timore, de servili[b] nichil sciebatur. Laboribus deliciabatur non requie, intelligens iam illud phylosophi: *Generosos animos labor nutrit.* Per se pauperum domum frequentius visitare nil prepediebatur. Illic inopum, maxime languentium, lavare capita et pectere in sinu suo[a], pedes eciam abluere ac deosculari, cibum ipse potumque ad os mandare solebat. Deus et pater domini nostri Iesu Christi scit quod non mentior quaecunque 40 conscribo. Immo plura transiliens indicendo et tacendo brevitati contendo. Dicam quod vidi, quod proprio experimento, quod multorum attestatione cognovi. Predicationis efficatia ei mira nimis aderat, cunctis auditoribus commotionem semper cordis, quamplurimis etiam fletum excutere, melius fabuloso illo Orpheo, qui modulationis dulcedine saxa, silvas et feras adtraxit, manes quoque inferni, mirum dictu, in lacrimas movit. Hospitalitatem 45 tantum sectabatur, quantum ostendit in milite, qui in cellam divertens, potum domino suo transeunti cum postulasset, monacho custode hospitum magis dominum interius vocante, recessit. Comperta culpa abbas monachum peditem vini cyphum Ratisponam ferre petitori precepit. Quid ageret monachus? Grandevus erat, et nudius terciano die venam minutus. Fratrem ergo comitem peciit pro testimonio, si forte obediens in via deficeret. Quo 50 dato vinum per tres leucas Frisingensi scolastico stupenti et lugenti, quod propter se accidit, ieiunus Imbripolim detulit. Quis non obstupesceret miraculum in terciana minutione? Plane obedientia signum fecisse visa est, et omnes qui audierunt simile illi plaudebant gentili[13]:

Quere quid est virtus, et posce exemplar honesti.

Et vocaverunt magistri in urbe potum illum potum obedientiae. Nemo autem haec audiens 55 crudeliorem estimet quam misericordiorem, nam miserationes eius super omnia opera eius,

a) *deest* 1. b) metu *add.* B. 12) Mallerstorfensis. 13) Lucano, Phassal, IX, 563.

utpote qui iam[a] labores, necessitates, frigora, famem, vigilias magis experientia noverat. Quae experientia in omnibus quoque rectoribus ad omnia maxime conduceret, nam bella qui nunquam pugnarunt, pacientiam qui pauca tulerunt, infelicitatem felices, quieti labores docere cum debent, parva res agitur. Ad summam ergo magisterii exempla sagittae, experientia ars est, iuxta illud etiam Dydonis apud Maronem: (Aen. I, 630.)

Non ignara mali, miseris succurrere disco.

Hinc predictum exemplum patris in milite, pocius de misericordia fuit. Alias implebat, quod ait Chrisostomus: *Vis apparere sanctus, circa tuam vitam esto austerus, circa aliorum autem benignus.* Hinc quod etiam[b] ipse scribens admiror, non loci sui novitatem considerabat, non antiqua et ditiora monasteria quid possent, quid non facerent, sed frumenta fratrum ad messem usque computari precipiens, reliquam mensuram pauperioribus monasteriis in vicino solebat transmittere. Ita in omnibus aliis ne quid nimis evitans, paupertatem tantum nimis amabat, adeo ut cogente sancto episcopo Ottone, decimas novalium in Tangrintile[c] ad necessaria fratrum nullatenus susciperet. Quare haec? Ubi onus penuriae, quanti vel quales victuri sunt? Bona ergo sufficientia propter plures salvandos. Si quo minus, teste Ieronimo, sicut divitiae ita paupertas sepe temptatio est, impacientiam aut solitudinem faciens. Haec generaliter dicta sint.

(1147. Apr. 9.) 6. Post 14 annos cum placuisset Deo dicere: *Amice, ascende superius*, Chuonrado Salzpurgensi archyepiscopo incomparabili de medio facto, prelatorum unanimitate clerique cum populo, circa paschalem sollempnitatem Biburgensis abbas matrici ęcclesiae ascitur episcopus. Specialis felicitas Iuvavensis matris, quod talibus numquam viduatur episcopis. Requiratur longe supra nostram aetatem, et prestantes suo tempore omnibus Alemanniae episcopis in Iuvavo, ut soles episcoporum videbis. De motu Biburgensium dicere nequeo. Non erat ille quem mulceret honor oblatus, quin perculsus nuncio, fugere et latere velle, ut non esset dominus, cepit[13]. Sed haec frustra temptata, cum venientibus primis ęcclesiae invenitur, transfertur, ungitur, et exosa cornua metropolitani frontem insignitur. Quanto tunc magnus, humiliabat se in omnibus. Vigiliis, orationibus, abstinentiae operam dabat, scripturae sanctae, preter in mensa et in equo, non diebus neque noctibus ex oculis migrabant et manibus. Contra morem Pharyseorum omnia opera sua facere studebat, ne videretur ab

a) etiam B 1. 2. b) *deest* 1. c) multas valde *add.* B.

13) Vera haec esse, sequentes testantur epistolae quas ex cod. bibl. caes. 2090, inter Salisburg. 311, f. 1. 2. descripsi, ubi altera post alteram coaevorum scriptorum manibus insertae sunt; secundam et tertiam iam prius Hansizius edidit Germ. sacr. II, 950.

H. gratia Dei Ratisponensis ęcclesiae vocatus episcopus E. dilecto in Domino abbati Biburgensi orationem et salutem. Memorem vos cupimus verborum Salemonis quibus ait nec prudentiam nec racionem seu consilium esse contra Dominum. Quod in fuga Ionae evidenter apparuit. Vocationi itaque divinae nolite obsistere, sed iugo illius humiliter humeros subponite. Salzburgensis siquidem ęcclesia orbata patre suo beatae memoriae C. personam vestram sibi in patrem elegit, tanta utique unanimitate et concordia ut contradictionis cuiusquam vox numquam ibi sonuerit. Cuius rei nuncios honestos in cena Domini (17. Apr.) *accepimus, id est prepositum maioris ęcclesiae* (Heinricum) *et abbatem eiusdem civitatis* (Heinricum), *abbatem quoque Admoutensem* (Gotefridum) *et prepositum de Chiemisse* (Chunonem) *cum ministris ęcclesiae; quos suspendere diuque protrahere, causa quae utique mutari non poterit, nec consilium nostrum est nec prudentiam vestram decet. Quapropter monemus vos et precipimus sub obedientia domini Dei omnipotentis et nostra, quatenus fugae deposita intencione ad obedienciam animum preparetis.*

Domino R(omano) *venerabili Dei gratia Gurcensi episcopo, et dominis ac fratribus suis in Christo plurimum dilectis, honestissimo clero et populo Salzeburgensi, R*(eginbertus) *Dei gratia Pataviensis episcopus, servicium et orationes. Gratias agimus Deo infinitas, quod in virtute Spiritus sancti, unanimes, uno ore, post subitam et gravem in discessu* (*discessū* cod.) *metropolitani nostri desolationem, maturam et laudabilem vobis adinvenistis consolationem. Nequaquam enim tam canonica de venerabili persona, tam repente fieri potuisset electio, nisi divina precessisset et subsecuta fuisset ordinatio. Cui quoniam obediendum est quantum ex nobis est, devoti assensum prebemus, et quod vos in unitate Spiritus sancti concorditer fecistis, nos opitulante Deo ratum tenemus.*

Venerabili domino R. Gurcensis ęcclesiae episcopo et universo sanctae Salzburgensis ęcclesiae clero et populo A. (Hartmannus) *Brixinensis ęcclesiae inutilis servus, devotas orationes et servicium. Quando per sanctitatis vestrae nuncium et litteras percepimus, quod Spiritus sanctus omnium vestrum tam obsequentium quam presidentium animos et voces in virum bonum, virum sapientem et valde religiosum coadunavit, ipsi qui operatur omnia in omnibus devote gratias egimus et merorem prius inconsolabilem de morte patris nostri aliquantulum temperavimus. Parati etiam sumus dominis et patribus nostris episcopis die quem ipsi una vobiscum statuerint occurrere et cum illis immo sub illis sicut merito minimus eorum omne debitum obsequium illi reverenter exhibere.*

hominibus. Perhibebant enim servientes eius, postea monachi facti, secretas venias in ęcclesia nudis cruribus eo terere solitum, ut defricata in pavimento cute cum carne, genua sanguine invenirent fluentia. Ita eis cum pre lassitudine interdum obdormisset, sors prodidit. Elemosinarum largitati omnes virtutes cesserunt. Iuxta euangelium sermo eius 5 erat quasi potestatem habentis super egros vel etiam demones, ita ut verbum in ęcclesia faciens, cum eiulatus demoniacorum omnia repleret, terreret, confunderet, uno tantum indignationis dicto statim vocem eis, insuper motum quoque omnem ibi auferret. Haec fuit nostro antistiti communis cum beatissimo papa Eugenio virtus, in cuius moveri presentia vel se insinuare non audebant demonia. Non minus obedire egritudines aliquando 10 auctoritati presulis et abire noverunt. Denique apud monasterium sancti Petri quandam sororum diutina egritudo confecerat, ita ut curari a nullo valeret. Hanc in conspectu suo cum multa spe et desiderio oblatam in nomine Domini benedixit, et recedenti extimplo perfecta incolomitas rediit. Quae post aliquot tempus denuo venienti ovanter se representans, cum gratias agere pro sanitate cepisset, ad primam vocem refutata et linguam obpressa est.

15 7. Profecto, sicut beatus asserit Gregorius, prelatos a subditis, subditos a prelatis iuvari vel ledi, felices manere discipulos huius quondam abbatis, manifestatum aliquando est. Adeo patris merita redundarunt in filios, ut morientes interdum sui salventur, quoniam sui fuerint, quod in uno monstrari opere precium est. Cum adhuc monasterio preesset, grandevus quidam quasi annorum centum, cum uxore et substantia non minima apud eum con- 20 versus, cappam induit, queque retro sunt obliviscens, nil iam pene preter ęcclesiam et orationes continuas noverat. Mirareris unde decrepito ea alacritas in studio, ad studium sensus. Taliter sub pio Eberhardo et successore eius circiter annos duodecim conversatus, mense Ianuario ad matutinum signum in stratu repertus est mortuus. Odiosum genus mortis, anceps, lubricum, attamen non potest male mori, qui bene vixerit. Ipsa enim nocte et hora 25 transitus predicti fratris, vidit per somnium quidam confratrum, demones more suo cellam infirmorum grege facto petentes, et aliis ad fores operientibus, alios intro ad suscipiendam animam irruentes. Post paululum ad collegas egressi, horrendum elatrantes concrepabant: *Ach dolor! virum amisimus: frater Eberhardi episcopi erat.* Tum infelix acies eiulans et blasphemans disparuit. Quidni ergo felices Eberhardi, Benedicti, Antonii discipuli!

30 8. Procedente tempore iuxta dictum gentilis: *Omnia mala exempla ex rebus bonis orta sunt*, cum ortum de apostolici electione scisma ineffabile ex bono malum fecit, divina et humana confudit. Ve quos involvit illud contagium. Ubi unctus legitimus? Ecce hic, ecce illic. Novit Petrus qui sint eius. Imperator refutato Alexandro, quem coniurasse prius contra rem publicam suam querebatur, alii emulo totis viribus cum adhereret, ex maiori parte 35 Italiam post se et Germaniam traxit, reliqua ęcclesia in obedientiam papae Alexandri concessit. Fuerunt quamplurimi aliquot annis neutrum papam suscipientes, tum odio partium, tum quod neuter sincere per omnia et simpliciter intrasse videretur. Inter haec videre erat triste, iusticiam et miseriam late simulari, intrudi, expelli, nec pacem nec bellum ex iure, et apostolicus noster interim fuit quasi non esset. Atqui Iuvavensem et Brixinensem episcopos, 40 cunctorum mortalium quos tunc novimus sanctissimos nemo cum nesciat, in tanta partium caligine questione et conquestione, in tanta omnium dubitatione, tantorum vestigia patrum tuto sequi nos posse credidimus. Post longam nempe considerationem metropolites noster, solus ex omnibus episcopis Alemanniae, prefatum Brixinensem episcopum Hartmannum reverentissimum post se trahens, Alexandrum papam laudavit. Unde nobis[a] audientibus inter mul- 45 tos aliam rationem non dedit, nisi: *Quoniam tota*, inquit, *ęcclesia cum his et his regnis in Alexandrum consensit, iustiorem hunc estimamus.* Quod quasi presagus futurorum dixerit, exitus post multos annos probavit. Set[b] et ipse per revelationem divinam hoc didicit. Nam in exordio scismatis nocte dormiens quadam visus est sibi per somnium cum prelatis quibusdam et magna frequentia aliorum quodam convenisse in templo. Cum ecce divinitus quidam 50 accedens ammonuit eum dicens: *Surge, fac sermonem ad populum.* Ipse pudibundus quid subito loqueretur nescire se, utpote nil premeditatum aiebat. Et ille: *Ascendens ut dixi ambonem annuntia mortuum papam, divisam ęcclesiam duos elegisse papas, unum Victorem, alium Alexandrum nomine, et ille Victor per contrarium, id est non quod vincat, sed quod vincatur, nomen accepit.* Vir Dei de nocte consurgens accitis qui aderant prelatis: *Hac nocte*, inquit, 55 *mirabile somnium vidi.* Cumque per ordinem indicasset, post paucos dies ab Italia rumor

Sal. Cat 51.
1159.

a) postmodum *add.* B. b) set — ei predictis *desunt* B.

Alemanniam venit, de duobus ęlectis, de nominibus ei predictis. Sic augusti tunc solus fata impediens, non tamen augusti in se manus commovit. Quam diverse, quantis adversis predecessores sui rem tantam in cesares Heinricos presumpserant! Et ecce plus Heinricis hic. Furebat bilem[a] et nunc in nostrum Eberhardum augustus, et suam ipsius animam pertransivit gladius, sed ubi in presentiam venisset, reverentia sanctitatis eius spiritum reprimebatur. Dignitas quedam angelica in vultu, et pondus tale oculos ac mentem obibant, ut nisi [14] timere plus quam mortalem, et contremere, et parcere, et venerari non posset[14]. Haec de semet ipso confiteri princeps solebat. Oderat nimis semper sanctissima anima prosperitatem suam temporalem et gloriam, ardebatque predicta, vel qualibet occasione, quelibet adversa, sive exilii, sive etiam mortis sustinere pro Domino; sed sic eum volebat manere donec veniret.

[1161.] 9. Interea more suo pacem reficere in Ratispona laborabat populosissima urbe; neque enim apud Germaniam populosiorem urbem tametsi latiorem, testantur qui norunt. Dux autem Bawarie, perspecta simplicitate Ymbripolensis episcopi, qui per subreptionem tunc [15] prefuit[15], insaciabili avaricia maximum fiscum episcopii, id est castrum quoddam cum omnibus pertinentiis suis, usurpabat. Episcopus primo furere, obstrepere, coelum turbare, nil pensi habere, ab utroque totus pene episcopatus cepit incendiis et rapinis vastari. Urbani inter alterutros divisi abierant. Haec pater patriae anxius cum animo suo trahens, tum pro pace, tum maxime pro urbe ne lederetur satagebat, quoniam quidem haec mater provinciae, et aspectus eius in universam terram, et fructus omnium foret in ea. Dux obedientiam promittebat in omnibus, episcopi stulticiam piget exponere, quomodo maximum dampnum et confusionem quam utilitatem maluerit. Pater tamen a duce vitam captivis, remissionem urbi, memoriam aeternam labori suo optinuit. Posthaec divinae revelationis gratia, obitum [1163.] suum longe ante prescivit, sicut subiecta declarant. In Frisingensi civitate mulier degebat inclusa, quae ante annum transitus episcopi, orationibus solito cum incumberet, rapta in spiritu ad contemplanda illa aeterna et invisibilia viventibus mortalibus est. Vidit itaque supplicia reproborum varia et horrenda, quae in cor hominis ascendere non possunt; vidit deinde mansiones beatorum, et gaudia quae impossibile est homini loqui. Inter quae[b] omnia contemplabatur apud superos gloriosam sedem, cuius opus ac species omni famine mirabiliora, sedique huiusmodi sanctum Petrum et sanctum Ruodpertum altrinsecus superstantes custodes. Cum miraretur super magnitudine horum, responsum a sanctis illis audivit: *Haec est sedes Eberhardi Salzpurgensis archyepiscopi, quam ad eius usque custodimus adventum; prope est ut veniat tempus eius, et dies eius non elongabuntur.* Haec mulier per familiarem nuntium mandat, et usque ad mortem pontificis in ore trium res latuit.

[1164.] 10. Appropinquante igitur vocationis suae tempore, cum iam pridem viribus corporis cepisset destitui, de pace itidem negocium habuit, bonam hanc virtutum suarum consummationem existimans, si pacem ęcclesiae redditam reliquisset. Dissidebant more suo tum inter se graviter dux orientalis Bawariae, necnon frater suus valde excellentissimus, tunc Pataviensis presul, mox autem Eberhardi nostri successor, Iuvavum translatus metropolim. Consulto ni fallimur hanc translationem arbiter ille temporum Deus indulsit, ita ut congruum magis et dignum, in quo solo tota procella temporis consumeretur, finis docuerit. Hic concordare fratrem invisum beatus presul non leviter, utpote in mortis vicinia laborabat. Quid frater? Quam infraterne, quam procul a constituto colloquio aberat. Sed adhuc longius sequens dominus homini suo deferebat, unde humiliter submonitus a suis, cum magna dulcedine allegabat dicens: *Scio, karissimi, qui de coelo descendit ad terras. Quid[c] nos? Et ad haec quis ydoneus?* Adiciensque aiebat suis: *Fateor, omni[d] spei prepono, si mori in negocio* [Matth. 5, 9.] *pacis, vel ante capere tanti boni saltem inicium quivero. Beati enim pacifici. Et quid sequitur?* [Prov. 10, 24.] *Quoniam filii Dei vocabuntur.* Iuxta Salomonem ergo desiderium suum iusto datum est; inter pacis actiones ad aeternam est pacem translatus. Unde omnium puncto notatus est Martino similis, pro eo vel maxime quod castrum episcopii vir clarissimus Otakar marchio eadem tempestate obsederat, ministerialem ęcclesiae prefectum oppidi persequens. Aliena res. Quam diutinum ęcclesiae, vel etiam perpetuum, capto oppido malum veniret, tragedía in

a) *deest* 1. b) Super haec B. c) Quid nos *desunt* 1. d) spem in hoc maximam habeo si B.

14) Burchardus tamen notarius imperatoris legatione ad Eberhardum functus, senem delirum eum appellat. Sudendorf Registrum II, 136. 15) Hartwicus. De hac re cf. Chr. Richersp. a. 1161. et Aventinum fol. 369 ed. Francof. a. 1580, qui castrum Donaustauf nominat.

ore omnium erat. Vix opus compulit advenire antistitem, sine opere precio tridie res 1164. agitur et non agitur, cum demum confirmatis animis presul proloquitur: *Iam ecce in castrum meum ascendam, quis obstet videbo.* Occupat serenissimus marchio, necessarios consulit, obsidionem sine ulla pactione solvit, dignum honorem cedit episcopo. Reddidit hoc 5 pater, ut ministerialem conditionibus satisfacere tandem persuaderet. Erantque haec opera eius novissima, cum iam morbo decumbens migraretur quatuor equis in tráhea. Faciebat autem haec ac si iam moriens patenter omnibus diceret: *Pacem relinquo vobis.* Perducitur inter haec ad sanctum Ruonense monasterium[16], ubi synocho, ut ceperat, aliquandiu laborans, post creticam diem sudore exundato magis defecit. Hinc paululum sustinens ait: 10 *Modo auditum amisi.* Quo sensu, scilicet auditus, ut ita dicam supra naturam hominis semper viguerat, sic ut longe susurrantes audiret et proderet. Sequenti die dominica ad vesperam, vocante Domino decima Kalend. Iulii[17] naturae concessit, anno episcopatus sui 18, Iun. 22. mense secundo. Mors eius pro tempore lamentabilior fuit. Languebat enim mater ęcclesia omnibus membris, et cum hic caput tocius extaret imperii sanctitate et gloria, sanum caput 15 interim infirma iuvabat. Quae spes temporis? quae spes futuri? Melius est habere quod cupias, quam desiderare quod nescias. Quid plura? Transferebatur defunctus longo et aspero itinere ad matricem ęcclesiam, et exequias eius mire pauperes celebrabant, genus illud Deo propinquius. Quid de ceteris dicam? Istud novum, hoc beatum gemens dixerim, coisse leprosos et elemosinis, orationibus, planctu, oblationibus suprema iusta ei fecisse. 20 Rarum genus. Inopes in coelum reboabant: *Patrem amisimus: o perniciem nostram.* Ipsi potentes alius dominum, pars amicum vel patrem se amisisse dolebant, exemplo precellentissimi et nostris temporibus eruditissimi Babenbergensis episcopi, cuius de hoc ipso epistolam lugubrem, quo illustriora tanti viri attestatione quae dicimus fiant, in presenti subnectimus:

25 11. *Eberhardus Dei gratia Babenbergensis ęcclesiae qualiscumque minister, venerabilibus et in Christo plurimum dilectis fratribus et amicis Hugoni Salzpurgensi, Oudalrico Kimissensi prepositis, coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu meroris. In commemoratione beatissimi patris ac domini nostri archiepiscopi iugiter in mentem venit, immo a memoria nostra non recedit, quod diviso a se domino suo et curru igneo subvecto, 30 vernaculus et individuus ille comes prophetae post eum clamavit dicens: „Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga eius.“ Numquid enim magnus iste sacerdos noster, qui in diebus suis placuit Deo et inventus est iustus, currus non fuit, dum necessitates et infirmitates alienas, presertim onera peccatorum et inopiam pauperum paterna consolatione et compassione sublevavit? Quasi diceret: „Quis infirmatur, et ego non infirmor?“ Vel numquid auriga non fuit, 35 qui creditos sibi rexit et direxit in viam veritatis, exemplis pariter et documentis? Oculus fuit ceco et pes claudo. Manus eius non est aversa ab ullo paupere, cum quo cordi erat iocari, conrixari, et tandem ab invalida manu exsuperari. Insuper ut omnibus omnia fieret, etiam supra legem, non contra legem, halitum leprosi et tactum leprae non abhorruit. Quid ultra? Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Sed con- 40 summatus in brevi explevit tempora multa Equidem sicut scriptum est, malicia remanentium meretur, ut hii qui prodesse poterant festine subtrahantur. Atqui memorabilis ille assecla prophetae, magnificam duplicis spiritus habuit consolationem, nobis autem in transitu viri sanctissimi, preter luctum nichil amplius derelictum est, nisi forte digni essemus apud Deum tanto sublevari patrocinio. Talis decebat ut nobis esset pontifex, cui vivere Christus et mori 45 esset lucrum. Propositum quidem nobis erat festinare ad videndum eum, sed prohdolor peccatis nostris exigentibus extremum hoc beneficium percipiendae ab eo benedictionis, nobis divinitus denegatum esse lamentabiliter et inconsolabiliter conquerimur.* Deinde in fine epistolae: *Consolemur invicem, pater noster piissimus intravit in gaudium Domini sui. Ipse autem pater misericordiarum et Deus tocius consolationis consoletur vos, et abstergat omnem lacrimam 50 ab oculis vestris.* Haec serenissimus Babenbergensis episcopus. Sed redeamus ad propria: sepulti enim merita Dominus declarare non distulit.

12. Mulier ydropica, quam suo more beatus vivens aluerat, ad sepulchrum defuncti tanto afflictior quanto coactior fusa, coelos vexare lamentis non desiit. *Ut quid me*, ait, *pa-*

16) Rein, in Stiria prope Graze. 17) Consentiunt Necrologia quam plurima, praeter Mellicense, quod 55 d. XI. Kal. Iulii praebet, quae eo anno dominica erat.

ter, desolatam relinquis? Aut cui amantissimum gregem pauperum pastor commisisti? An pocius quasi orphanos dereliquisti, et dixisti: quod moritur moriatur, et quod succiditur succidatur? Sed nunc peto per illum qui te assumpsit, ut miseriis meis quomodo hactenus corpore, ita nunc per spiritum digneris concurrere. Haec deprecata, exaudita sanata egressa est.

13. Preterea reverendi cuiusdam de cenobio Iuvavensi memoratu digna visio existimata est. Videbatur hic sibi per somnium, dum siti urente circumageretur, ęcclesiam miri decoris errabundus intrare. Illic beatam Dei genitricem Mariam, vultu ut est dulcissimo eminus considentem, et puerum in sinu caris amplexibus conspicatur tenentem. Agnovit Dominam, de pueri persona vel gloria hesitans erat atque admirans. Cui mater misericordiae paucis dignata est haec ad verbum proferre: *Hic est filius meus Eberhardus, qui nil mihi umquam negavit.* Huius rei tot testes, quot decuriones antistitis sunt. Omni petenti tribuere solebat, quod sanctae Marie nomine petitus fuisset. Ecce qualis mater, talis filius, sibi fieri quae propter se fiunt testantur. Post haec aspiciebat senior, et minister calicem mysticum poculum geniminis coelestis propinans ingrediebatur. Libavit regina, dein puer, qui videbatur puer, Domina prebente ut vino indulsit. Ultimus senior dum ad se ventum fallitur, prepropere subiens ut acciperet, Dei genitricis audivit sententiam: *Non potes adhuc interim de tali poculo percipere.* Videtis quam districta vox. Beatiores ergo mortui, qui in Domino moriuntur. Post id locorum excitatus a somno senior tam ipse quam omnes qui audierunt congratulari visioni ceperunt.

14. Plura memorare huiusmodi copia non deerat, sed commendationi patris nostri pauca haec pauca non erunt. Breviloquium semper amavimus et modum in rebus. Si cui ad noticiam saltem beatissimi domini nostri haec suavia erunt, hoc est totum pro quo laboravimus. Si quis exsufflat, fortasse illi aut omnia scripturarum insuavia erunt, aut scriptoris indignitas acceptione hic caruit. Atqui sicut scriptum est, cognationem inter se maximam habent amor et potestas. Utraque enim principaliter presunt, utraque per auctoritatem semper locuntur. Non potestate igitur, sed amore peculiari, cum venia aliorum, forsitan merito utpote ex discipulis eius antiquis carissimi licet infimi, istud scribendi ministerium vendicaverimus. Quid plura? Restat suspirare post tantum celibem, et convictores suos super eum iam minus velle hoc seculum. Hii nempe vel sola eius forma sciunt, quid sit bonum et coelum et virtus et in terra ambulantes conversari in coelis, ubi Christus est in dextera Dei sedens et regnans per omnia seculorum. Amen.

EXPLICIT VITA BEATI EBERHARDI EPISCOPI.

VITAE ET MIRACULA SANCTORUM IUVAVENSIUM VIRGILII, HARTWICI, EBERHARDI.

Anno Domini 1181 *Salzburgi inventum est sepulchrum S. Virgilii et mox fama miraculorum eius successorumque eius Hartwici et Eberhardi intercessione factorum omnem Bawariam replevit, supplicumque catervae Salzburgum concurrere coeperunt. Ea causa fuit ut clericus quidam Salzburgensis ut videtur — nam plus semel praesentem se affuisse testatur — vitas eorum et miracula scribendi munus susciperet. Eadem enim in omnibus est scribendi ratio, ut uni omnia tribuere non dubitem, praesertim quum et tempus congruat. Nam et Virgilii et Eberhardi miracula scripta sunt sedente Chunrado III archiepiscopo*[1], *qui mox mortuo Christiano archiepiscopo Moguntino d.* 25. *Aug. a.* 1183 *ad priorem sedem rediit. Auctor Virgilii vitam fere totam ex libello de conversione Bagoariorum et Carantanorum hausit, de Hartwico paene nihil compertum habuit, et de Eberhardo paucissima sed ea scitu digna tradit; tanta autem omnia sententiarum et locorum communium mole obruit, ut iam aequales eius pro vita Eberhardi alteram supra editam substituerent, auctam quibusdam*

1) Inventio S. Virgilii. V. Eberh. c. 8. 9.

sententiis ex nostra desumptis. Inter miracula vero multa sunt quibus et ad nomina locorum cognoscenda et ad mores temporum illorum perspiciendos uti possis.

Opusculum hoc integrum exstat in

1) Cod. capituli Salisburg. n. 11. *nunc bibl. caes. n.* 339 *(Archiv X,* 542*) pag.* 291—336, *manu s. XII exeuntis; sed initium p.* 291—296 *alia manu forte recentiore scriptum est, et quod sequitur p.* 297—300 *saec. demum XIII exeuntis esse videtur. Pag.* 313—317 *vita alia sancti Virgilii stilo admodum tumido conscripta manu s. XIII inserta est. In hoc codice solo vita Virgilii antiquior in lectiones divisa est; sequentia codicis rubra secutus in capita divisi.*

1) Cod. Sancti Floriani, iam bibl. caes.* 547. *hist. eccl.* 126 *mbr. in quarto s. XV (Archiv X,* 457*), eandem Virgilii vitam continet, ex nostro* 1 *ut videtur descriptam, additis versibus de sancto Virgilio:* Pangens chorus dulce melos *etc. Hunc obiter tantum contuli, nec varias lectiones notavi.*

2) Inderstorfensis 192, *iam Monac. Lat.* 7592, *chart. fol. saec. XV, qui solita benignitate Berolinum nobis transmissus fuit, post legendam sancti Rudberti eandem Virgilii vitam cum miraculis continet, nonnullis tamen mutatis vel prorsus omissis. Sed tota variarum lectionum vel huius vel sequentium codicum mole textum onerare noluimus.*

B. Alteram recensionem editam in Canisii Antiquis Lectt. VI, 1139 *ss. ed. Basn. III,* 2 *p.* 395—431 *exhibent*

1) Cod. Sanctae Crucis n. 14 *s. XII exeuntis, qui est tomus quartus ingentis illius legendarii cuius iam saepe meminimus. Ibi miracula sancti Virgilii excipit vita Eberhardi interpolata cum miraculis, deinde vita et miracula sancti Hartwici, tum translatio sancti Martini*[2]*, annales breves*[3]*, postremo catalogus archiepiscoporum*[4].

2) Zwettlensis n. 15 *s. XIII incipientis priori simillimus.*

3) Sancti Petri litt. H. saec. XIII ex. is ipse est quem Canisius expressit. Hinc manavisse videtur

2) ap. Canis. p. 423. *Accepimus a patribus nostris quod Otto imperator Hyspaniam cum multo apparatu profectus in civitatem Turonicorum hospitandi gratia ingressus est.* Ibi corpus S. Martini latenter comparasse et Herolfo servandum dedisse traditur. Quo restitutionem recusante *Heinricus dux frater imperatoris et quidam milites Plagenses scilicet regi placere volentes, quia et ipsi Salzpurgensis ecclesiae inimici fuerunt, ipsum persecuntur ut feriant, quem sevientes arripiunt et excecant.* Hartwicus deinde invenisse eum et elevasse dicitur. At iam vetus censor s. XIII in libro Sancrucensi haec scripsit: *Et quomodo in ecclesia Salzburgensi est corpus b. Martini magni illius confessoris? Nonne Turonis inpresenti servatur in sarcofago gloriosum? Numquid duo habuit corpora? Non credunt hoc cristiani; sed illud quod Turonis est verum est. Istud autem quod Salzburge habetur, alterius cuiuspiam est, venditum deceptorie pro vero, cum sit alterius.*

3) *Anno ab i. D.* 614 *(vigesimo tercio 3) ab ordinatione (Bonifacii V* addit 3*) papae secundo (tercio 3), et regni Heraclii imperatoris octavo (decimo tercio 3), post obitum magni Gregorii tredecim (viginti 3) annis et quinque mensibus evolutis, die dominicae resurrectionis, ut legimus, beatus Ruodbertus primus Iuvavensis episcopus migravit ad Dominum. — A. i. D.* 767 *(sexto 1) Virgilius episcopus cepit ęcclesiam aedificare mirae magnitudinis apud Salzburch, indictione septima. — A. i. D.* 773 *dedicata est primo ęcclesia S. Ruodberti a S. Virgilio episcopo, anno* 26. *regni Tassilonis ducis. Eodem anno transtulit idem episcopus S. Ruodbertum et duos eius capellanos b. Kunialdum atque Gisilarium. — A. i. D.* 782, *ind. quinta consecrata est basilica in insula Kiemse stagno et monasterium constructum, die prima Septembris.* Conf. supra p. 8.

4) ubi Bertricus Virgilium praecedit. Post Adelbertum († 1200), sed in cod. 2 post Eberhardum II, sequitur: *In katalogo isto episcoporum quinque abbates continentur qui absque pontificali ordine et dignitate regebant episcopatum Iuvavensem. Hii sunt Anzogolus, Savolus, Ezzius, Bertricus, Ammiloni. Qui si de katalogo secludantur,* 25 *(viginti sex 2) tantum connumerantur episcopi usque ad presentem domnum A. (E. 2); sed eis adiunctis* 30 *(et unus 2) computantur.* Cod. 3 catalogum deducit usque ad Rudolfum (1284—1290), quo non obstante paulo post legimus: *Qui si de catalogo secludantur,* 25 *tantum connumerantur episcopi usque ad presentem dominum A.* scil. Adalbertum. Deinde subiungit computationem de tempore sancti Rudberti iam supra pag. 15 editam.

4) *Lunaelacensis in fol.* 186, *iam bibl. caes*, 3663, *similis eius quem II*, 248 *ss. (III*, 2, 282—315 *ed. Basn.) Canisius expressit. Ibi vita Rudberti praecedit et post translationem sancti Martini claudit agmen vita Gebehardi sed excerpta tantum.*

Praeterea vita sancti Virgilii qualem cod. 4 *habet etiam in cod. bibl. caesareae* 3825 *exstat, inter Lunaelacenses in quarto* 4. *ch. s. XV; pars eius ibidem in cod.* 4222. *Salisb.* 27. *ch. fol. s. XV ex. fol.* 474.

Miracula sancti Virgilii habet cod. Lambac. post vitam Adalberonis et cod. Lycei in Linz C c V 7. *s. XIII, quem „Romanus scripsit Sancto Lamperto in Suben". Haec incipiunt: „Quadam die in muro — tumulum recepit."*

Vitam Virgilii cum miraculis ex Canisii editione iterum edidit Ioh. Mabillon Act. SS. O. S. B. III, 2, 308; *Hartwici C. Ianning Act. SS. Iun. VI*, 1, 131.

DE SANCTO VIRGILIO.

Ad presentem beatissimi patris nostri Virgilii memoriam superna beatorum spirituum curia et coelestis mater nostra congratulatur[a] *ecclesia, quae dum tantae prolis felici*[b] *feliciter assumptione donatur, multorum multo felicius per eam filiorum cottidie acquisitione multiplicatur. Exultet et supernae civitatis filia, in huius adhuc peregrinationis exercenda militia, quae patronum sibi iam videt in coelis, quem pastorem habebat in terris, quem sicut in via ducem sociumque laboris*[b] *acceperat, sic per eius suffragia particeps ipsius consolationis in patria fieri non desperat; precipua vero ac singulari laetitia ad tanti viri preconia ipsa*[c] *specialiter concurrat Salzpurgensis ecclesia, quam ab ydolatriae nuper purgatam erroribus, primus ipse in Karinthia verbo predicationis excoluit, sanctitatis exemplo fecundavit, et miraculorum insignibus mirabiliter adornavit. Ecce summi patris agricola, sicut oliva in domo Domini fructifera, quod seminavit in lacrimis, in gaudio recepit, qui*[d] *quot spiritales Domino filios verbo salutis peperit, quasi tot animarum manipulos veniens in resurrectionis exultatione portabit. Ecce fidelis ille dominicae pecuniae dispensator et prudens, in gaudium domini sui intromissus feliciter exultat, quia suscepta verbi mensura familiam domini fideliter*[e] *aluit et sapienter instruxit, qui collatum sibi divinae gratiae talentum in aliorum aedificatione multiplicatum Domino restituit. Ad cuius vitam temporalem investigandam, miracula quae per eum Dominus operatur, nos diligentius hortantur.*

LECTIO I. Beatissimus[5] igitur Virgilius in Hybernia insula de nobili ortus prosapia, litterarum studiis ita animum applicuit, ut inter doctos sui temporis atque clymatis doctissimus haberi potuisset. Morum etiam honestate[f] nichilominus clarescere studuit, ut tamen non virtute relicta invidiam quorumlibet placando dictum illud exoptabile in se digne meruisset transferri: *Dilectus Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est, cuius nomen exquiretur a generatione in generationem.* (Eccli. 45, 1.) Ut itaque Dominus misericordiam suam a progenie in progeniem ostenderet, servum suum Virgilium strennuum utique dominicae plantatorem vineae, et futurum Karinthiae apostolum de natali solo Hyberniae in Franciam misit. Ubi ab illustri Francorum rege Pippino qui maior domus dicebatur, apud Karisiacum honeste exceptus fuit. Et quia litterarum scientia cum morum honestate in ipso exuberavit, rex eum sicut tubam euangelicae predicationis libenter audiebat et secum fere duobus annis propter Dei amorem retinuit.

LECTIO II. Temporibus vero[g] Otilonis ducis Bawariorum, qui tunc cum tota Norica provincia subiectus fuit predicto regi Francorum, Salzpurgensis ecclesia quae ab antiquo vocabulo a iuvando dicta fuit Iuvavia, proprio carebat episcopo; sed rex Pippinus princeps per omnia christianissimus, ad incrementum ecclesiae Dei non modico suspirans desiderio, episcopatum Salzpurgensem pro debito regiae magnificentiae sancto concessit Virgilio, eumque prenominato duci Noricorum utpote amico karissimo transmisit summo cum honore excipiendum[h]. Vir itaque Domini dissimulata ordinatione ferme duorum annorum spaciis, habuit secum laboris et coronae participem episcopum comitantem de patria, nomine Dobda, ad persolvendum episcopale officium. Postea ad instantiam populi, nec non assidua coepiscoporum suorum exhortatione inductus, ab ipsis unctionem episcopalem suscipere consensit, ordinatusque est[i] anno nativitatis Domini 767, 17. Kalend. Iulii. Deinde prout commissae dispensationis auctoritas exigebat, quod ore die noctuque docuit, operis exhibitione implere non cessavit, in vigiliis, in ieiuniis et in karitate demum non ficta. Ea etiam quae ad exterioris pertinebant utilitatem provisionis, tanto sollertius[k] studuit promovere, quanto status Salzpurgensis ecclesiae tunc nuper initiatus et exiguus, postea Deo cooperante ut liquido apparet religione et possessionibus famosissimus, id expostulare videbatur.

a) congratuletur A 2. B. b) *deest* A 3. c) nostra B. *deest* A 2. d) quia A 2. e) feliciter A 2. B 3. 4. f) h. coram hominibus n. c. s. ita ut cum deo placente virt. non rel. A 2. g) siquidem A 2. h) *hic inserit* A: Anno dominicae incarnationis 764 Virgilius a Stephano II papa et a Pippino rege Francorum ad Iuvavensem ecclesiam mittitur. A 2 *emendavit:* A. igitur d. i. i) a provincialibus presulibus *add.* B 3. 4. k) sollicicius A 2. B 3. 4.

5) Sequentia ex libello de Convers. Bag. et Car. desumpta sunt et more legendarum amplificata.

Quippe[a] fabricam monasterii immenso opere et egregia dispositione a fundamento construxit, corpusque beatissimi Ruodberti, quod post obitum suum in ecclesia beati Petri principis apostolorum requievit, una cum sede episcopali, quae in pretaxata ecclesia similiter per aliquot annos extiterat, divina commonitus inspiratione, transtulit[b] in eum videlicet locum, in quo usque ad presentia tempora perduravit.

LECTIO III. Temporibus vero gloriosi regis Francorum Dagoberti[c] Samo nomine quidam Sclavus manens in Quarantanis, fuit dux gentis illius. Qui venientes negociatores Dagoberti[c] regis interficere iussit, et regia exspoliavit pecunia. Quod dum[d] comperit rex, misso exercitu suo, damnum quod ei idem Samo contumaciter intulerat iusta precepit ultione puniri, et[e] sic demum regis servitio subacti sunt. Non multo post tempore coeperunt Huoni eosdem Quarantanos hostili seditione graviter affligere, fuitque tunc dux eorum Borůth nomine, qui Huonorum exercitum contra eos iturum[f] Bawaris nuntiari fecit, rogans eos sibi in auxilium venire. At illi cum magna festinatione venientes expugnaverunt Huonos, et obfirmaverunt Quarantanos, servitutique[g] eos regum subiecerunt, similiter et confines[h] eorum. Duxeruntque secum inde obsides in Bawariam, inter quos erat filius Borůth nomine Karastus, quem pater eius more christiano nutriri et baptizari postulavit, quod ita factum est. Similiter de Chethmaro[i] filio fratris sui fieri rogavit. Mortuo autem Borůth iussu Francorum Bawari Karastum christianum factum petentibus eisdem Sclavis remiserunt, et illi eum ducem fecerunt, sed postea ille tertio anno defunctus est. Iterum autem permissione domini Pippini regis, ipsis populis item[k] petentibus, Chethmarus[l] ducatum suscepit. Suggerente vero quodam presbytero nomine Maiorano, qui a sancto Virgilio in[m] Iuvavensi monasterio manus impositionem acceperat, quem secum propter doctrinam christianae religionis detinuit, ad Iuvavense monasterium specialiter caput suum in servitium Dei declinavit, singulis annis quo dum vixit in signum subiectionis suae aliquod obsequium illuc persolvendo.

LECTIO IV. Peractis autem aliquantis temporibus, prenominatus[n] dux Quarantanorum[o] petiit sanctum[p] Virgilium episcopum visitare populum gentis illius, eosque in fide firmiter[q] confortare. Quod tunc[r] ille minime implere valuit[s], sed sua vice misso suo episcopo nomine Modesto ad docendam illam plebem, et cum eo Watonem[t], Reinbertum[u], Gozarium atque Latinum presbyteros suos, et Ekkehardum[v] diaconum cum aliis clericis, dansque ei[w] licentiam ecclesias consecrare, clericos ordinare iuxta canonum diffinitionem, nichilque sibi usurpare, quod decretis sanctorum patrum contrairet. Qui venientes Karantanis[x], dedicaverunt ibi ecclesiam sanctae Mariae, et[y] aliam[y] in Liburnia[z] civitate[*] et in aliis quam plurimis locis, ibique Modestus episcopus permansit usque ad vitae suae finem. Eo[a] igitur defuncto episcopo, postulavit iterum Chetmar dux Virgilium episcopum, si fieri potuisset, ad se veniret; quod ille rennuit, orta seditione quod carmula dicimus, sed inito consilio dimisit ibidem Latinum presbyterum. Et non multo post orta alia seditione, exivit inde ipse Latinus presbyter. Ea vero sedata, misit iterum Virgilius episcopus Madelhohum presbyterum et post eum Warmannum presbyterum. Mortuo autem Ketmaro[b], et orta tertia seditione, aliquot annis nullus presbyter ibi erat, usque dum Waltunc[c] dux eorum misit iterum ad Virgilium episcopum, et intente postulavit, ut ad confortandam in fide predictam terram aliquos destinaret presbyteros. Petitioni igitur memorati ducis satisfaciens[d], incremento etiam sanctae ecclesiae consulens, misit Heimonem et Reginbaldum presbyteros atque Maioranum diaconum cum aliis clericis viris utique religiosis et honestae conversationis. Et non multo post misit iterum ibidem eundem Heimonem et Dupliterum[e] ac Maioranum presbyteros aliosque clericos cum eis. Iterum[f] misit eis Gozarium presbyterum, Maioranum presbyterum, Erchenbertum[g]. Post eos Reginbaldum et Reinharium[h] presbyteros. Item Reinbaldum et Guntharium.

LECTIO V. His ita gestis, ad exstirpandam funditus et eliminandam si qua vigere visa est barbaricae[i] superstitionis ydolatriam, atque confortandam penitus in fide frequenti predicatorum diligentia plantatam suae dyocesis ecclesiam, prudens ac provida circumspecti pastoris vigilantia per villas ac provincias verbum vitae ubertim seminando, diu desiderabiliter optatam ovibus suis propriae visitationis presentiam[k] exhibuit. O quanta principum cuiusque religionis obviam illi cum pompa precedentium exultatio, quam laudabilis spiritalium virorum vicissim stipatim, immo certatim dominum et patrem suum invitantium devotio! Quorum profecto petitionibus vir ille[k] sanctitatis et gratiae plenus, omnibus omnia factus ut omnes lucri faceret, zelo pietatis obediens ecclesias consecrabat, et per Karinthiam sensim transeundo ad fines Huonorum ubi Trabus influit Danubium, quo etiam postea[l] tempore Arnonis primi archiepiscopi territorii Salzpurgensis[m] termini chronicis attestantibus extendebantur, saluberrimae visitationis usus officio pertransiit, palmitesque coelestis vineae propagando clericis ad sacros ordines promovendis, ut singulos

a) *hic* A *inserit:* eodem anno quo consecratus est cepit. *Glossema manifestum, sumptum ex codd.* B. *libelli de Conversione, supra p.* 8. A 2. *omittit* cepit. b) a. D. 764 *add.* A; *sed* A 2. septing. septuagesimo. c) dagaberti A 1. 2. d) cum A 1. e) et — sunt *desunt* A. B 1. 2. f) *ita* A 2. iterum 1. B 1. 2. interim B 3. 4. g) que *deest* A 1. et serv. A 2. h) fines A. B 1. 2. i) cothmaro A 1. cethmaro A 2. B 1. cethimaro B 2. chetthimaro B 3. chetthunaro B 4. k) iterum A 2. l) cethmarus A 2. cetimarus B 1. cethmarus B 2. chetthimarus B 3. chettimarus B 4. m) *deest* A 1. n) *deest* A. o) karinthorum A 1. karinthiorum A 2. karantan. B 1. karanten. B 3. 4. p) beatum A. q) fortiter A 1. *deest* A 2. r) dum A 1. s) voluit A. t) waionem A 2. wattonem B. u) reginb. B 3. 4. v) ekih. B 3. 4. w) eis A 1. *deest* A 2. x) karintanis A 1. y) *deest* A. z) libzolurnia B 1. 2. *) sua adundrina civitate *add. Can. loco priore.* a) Eo — presbyterum *desunt* 1. B 1. 2. b) cethimaro A 2. kettimaro B 1. 3. cethmaro B 2. kettmaro B 4. c) walthunc A 1. waltunch A 2. d) *deest* B. e) dupliterium A 1. duplicium A 2. f) item A 1. Iterum quoque misit post eos Reginbaldum et Guntharium A 2. g) et Augustinum presbiteros *add.* B 3. 4. h) reinhardum A 1. R. p. i. R. et *desunt* B 1. pr. i. R. *desunt* A 1. i) bauarice A 2. k) *deest* A 1. l) *deest* A. m) salzpurch A 1.

arbitrabatur dignos, benedictionis suae manum imposuit.

LECTIO VI. Inaestimabilis igitur sanctitatis et meriti, beatus Dei presul Virgilius feliciter et strennue laboris sui cursu consummato, post emensas pelagi mundani tempestates[a], ad metam huius peregrinationis et ad portum salutis Iesum Christum declinans, dissolutionem sui corporis iuxta necessitatem conditionis humanae imminentem divinitus sibi revelatam longe ante prescivit. Quem euangelicae dominus vineae sub persona patris familias ex conventione diurni denarii corona immortalitatis remuneraturus, pro temporalibus aeterna, pro terrenis felici commercio tribuens coelestia, de carnis [6] ergastulo liberandum, huiusmodi vocibus creditur invitasse: *Virgili, servus meus es tu, quia in te complacuit animae meae, ingredere iam in locum exultationis et leticiae sodalium tuorum.* Quam vero mira et ineffabilis divinae dispensationis effulget providentia, quae dum sanctum suum Iuvavensi cathedrae preficiendum, olim ab ultimis occidentalis Hesperiae partibus advexerat, ibidem pariter depositionis ei mausoleum de mediis Pan- 5 noniae finibus revertenti preparabat. Rediens itaque celerius et memoratam civitatem suam intuitus, amarissimas fundendo lacrimas, hunc visus est decantare versiculum: *Haec requies mea* etc. Celebrato denique divini sacramenti mysterio, leni 10 morbo correptus, anno dominicae incarnationis 784, 5. Kalendas Decembris obdormivit in Domino, cuius corpus in latere meridiano monasterii, cuius ipse 12 annis fabricator et in tertio decimo consecrator extiterat[6], prout tantum decuit pontificem, 15 honorifice fuit repositum, sacer autem spiritus eius civium consortio gaudet supernorum.

Anno vero dominicae incarnationis 1181, 14. indictione[b], 14. Kalendas Martii, sub Alexandro papa III, apostolatus ipsius 21. et ultimo, regnante serenissimo principe Friderico 20 Romanorum imperatore augusto, anno regni eius 28, conregnante sibi filio suo Heinrico Romanorum[c] rege gloriosissimo, Ottone de Witelinspach[d] inclito duce Bawariorum duca- [7] tum tenente, supra memorati fabrica[e] monasterii[7], quae scismatis persecutione conflagrante ante aliquot annos diruta et diruenda deperierat[f], sumptibus et iussu preclarissimi pastoris Chuonradi Salzburgensis[g] archiepiscopi, apostolicae sedis tunc legati in Alemannia, cardi- 25 nalis presbyteri Sancti Marcelli, Sabinensis episcopi, quandoque[h] etiam Moguntiensis archiepiscopi, dum a fundamento cepit reaedificari, sancti Spiritus cooperante gratia et divinae maiestatis suffragante clementia corpus beati Virgilii quod ob immensi temporis antiquitatem ab omnibus ignorabatur, contigit revelari. Quadam ergo die factum est, ut lapides muro elapsi aliquantulum intro spectandi aditum transeuntibus prebuissent; diligentius aliquibus 30 hoc ipsum considerantibus concavitatis patuerunt indicia et picturae vetustioris deaurata illic visa sunt scemata. Porro canonicis huius rei novitatem perquirentibus, et latius eiusdem muri[i] aperturas patefacientibus, inventa est beati Virgilii octavi post sanctum Ruodbertum Salzburgensis episcopi tumba et depicta imago, eiusdemque[k] imaginis huiuscemodi epigramma: 35

Virgilius templum construxit scemate pulchro.

Et preterea dies obitus eius, 5. Kalendas Decembris. Isdem vero dignus Deo pontifex, ut in annalibus nostris reperimus, maioris ecclesiae, in qua et sepultus fuit, primus extitit fundator, et beati Rudberti ac sedis episcopalis in ipsam ecclesiam, qua nunc est, pius translator. Tempus etiam, quo dictus pontifex obierat, annum incarnationis Domini septin- 40 [8] gentesimum octogesimum quartum[l] in eisdem annalibus invenimus[8].

1. Ad tantae igitur rei spectaculum plurimis novarum rerum cupidis ut fieri solet confluentibus, non pauci a doloribus diversis sunt allevati. Cunctis autem qui accurrerant viri Dei reliquias venerantibus, iuvenis quidam diaconus et ecclesiae eiusdem canonicus inter caeteros dictum locum patefacientes, ille vana curiositate magis quam pia devotione accedens, presumptuose effossa humo manum sinistram venerandis ossibus iniecit, omnibus eum redarguentibus et prohibentibus, et in prosperum ei hoc ipsum, sicut rei probavit eventus, successurum non fore asserentibus. Verum ille haec omnia corde obstinato parvipendens, nichil de sanctarum violatione[m] reliquiarum, quae tot annis intactae ac decenti veneratione absconsae latuerant, curabat. Interea fama inventionis sancti 45 presulis crebrescente, mulier de civitate Salzburch, cum in partu multis diebus laborans periclitaretur, per revelationem nocturnam admonita, candelam ad mensuram sui corporis super famuli Dei sepulchrum transmisit, candelaque incensa, statim 50 puerum enixa convaluit. Quaedam autem ipsius mulieris convicanea cum irremediabili et diuturno viscerum dolore torqueretur, fidem eius secuta,

a) potestates A1. b) XIV. ind. *desunt* A. c) *deest* A; rege et gloriosissimo O. de Witelspach A3. d) witelinispach B1. witelinesbach B2. e) *deest* A1. f) reperierat A1. annos duratura perierat A2. g) tunc *add.* B. 55 h) modo autem M. a. presulis B. i) *hic in media pagina* 296 *cod.* 1. *desinit prima manus, pergitque alia saec. XIII ex.* k) que *deest* A1. l) *ita solus* A2; *reliqui* DCCLXXX. m) veneratione A. B1. 2.

6) Hoc ex veteri fama accepisse videtur. 7) scil. canonicorum S. Ruperti, quod a. 1167 incendio perierat; v. supra p. 46. 8) Utrumque invenies in Ann. maioribus Iuvavensibus, Mon.SS. I, 87. III, 122.

eodem modo candelam transmisit, et subito curata est. Tertio quoque miraculo mulier quae manuum contractione detinebatur, ad sepulchrum viri Dei candelam[a] deferens, in itinere sanata est. Post[b] haec infans caecus quinque ab ortu habens ebdomadas a parentibus illo delatus, visum recepit. Item mulier quaedam a lippidine oculorum curata est ibi.

2. Sane diaconus ille quem premisimus, horum miraculorum incredulus, oblationes fidelium quae iam[c] pia devotione a plurimis illuc deferebantur rapere et usibus suis attrahere non timuit, nec ea temeritate contentus, mulierculam ibidem orantem ipse sanctas reliquias subsannans irreverenter presumpsit repellere. Iuste igitur divina ultione statim correptus a demone, oculis terribilibus ore hianti circumquaque discurrens sacrarium introivit, primamque vexationis suae et vesaniae notam in quodam presbytero ecclesiae thesaurario, quem tunc forte solum illic reppererat ostentans, ipsum presbyterum pugnis alapis caesum, unguibus quoque diutissime laniavit. Superveniente autem uno ex mansionariis ecclesiae, cum presbyter[d] prefatus e manibus arrepticii sublatus, in interius sacrarii cubiculum ostio post se clauso confugisset, ipse arrepticius demone plenus ad sui ipsius internitionem cepit armari, et cum iam alium non videret, in quem furorem suum effunderet, vestibus omnibus exutus, utpote nullum vulneribus habens obstaculum, rasorium corripuit, plurimisque ictibus valido conatu pectus[e] transfodere temptavit[f], presbytero et mansionario predicto intuentibus et pre pavore nimio accedere aut inhibere eum non audentibus. Verum cum pectus et manus vulneribus multis cruentasset, nec tamen usquequaque, Deo ipsum ad maiorem et evidentiorem famuli sui Virgilii ostentationem reservante, precordia perforasset, collapsus ad terram toto conatu collum et guttur incidere temptabat. Tunc itaque presbyter et mansionarius, qui prius ab eo refugerant, collapsum et in terra volutantem videntes, audacter erumpentes super ipsum irruunt, ferrumque de manu eius eripiunt. Iam vero plurimi clamore excitati, ad ipsum iuvenem concurrere ceperant; sed ipse elapsus in tenebris, quia erat crepusculum, cursu velocissimo turrim conscendit, et negocio perambulante in tenebris[g] eum ad alia necis suae convertitur argumenta, funemque campanae laquei vice collo circumdans, de fenestra turris exilivit. Duo autem e pueris e vestigio ipsum insecuti, ubi turrim ascenderunt, pendentem eum et palpitantem invenerunt, retractumque Dei gratia iuvenem a laqueo absolvunt, et inter manus trahentes ad inferiora deducunt. Porro cum ad viciniam sepulchri beati Virgilii esset adductus, intra semet ipsum frendens cepit obniti, et retrorsum labi et corruere, manumque oculis ne sanctum videret sepulchrum admovere. Reportatur igitur in sacrarium, concurrit clerus universus, psalmi, exorcismi, lętaniae sine intermissione dicuntur. Cum in ipsis lętaniae precibus nomen sancti Virgilii inculcaretur, malignus ille inhabitator qui vas illud possederat, auditum sancti nominis non sustinens, fremens et dentibus horribiliter stridens, rugitum deterrimum emittebat, iuvenemque miserrimum crudeliter discerpebat. Evidenter itaque cunctis qui aderant quod ob illatam sanctis ossibus iniuriam ita vexaretur conicientibus, ad tumulum prefati caput et membra terribiliter quatiens spumamque eiectans refertur, sonantibusque campanis plebs totius civitatis convenit. Admotus autem sepulchro, ipsum sepulchrum conspuebat, demonque iam aperte incendium quod a sancto Virgilio pateretur proclamans, ac manum sepulchri violatricem temptans et gestiens dentibus corrodere, nisi ipsa manus abscideretur, se non exiturum testabatur. Tum vero tantus ab utroque sexu clamor exortus est, ut vox continuata cum lacrimis non posse finiri videretur. Effertur deinde ab ecclesia, et in lectulo reponitur; ubi demon a sacerdotibus per tremendum iudicium et his similia adiuratus, cur vas Dei in suam redegisset potestatem, in haec verba prorupit: *Ego non sponte sed coactus veni*[h], *candelas et alias oblationes a viri Dei sepulchro ego*[i] *abstuli, et nisi quantocius heae*[k] *restituantur, magister meus cum septem nequioribus intrabit spiritibus, et in perpetuum hic manebit.* Cum vero candelae[k] diu quesitae rursum ad demonis indicium inventae essent et allatae, addidit idem demon corpus miserabile scopis numero parificatis[l] candelarum cedendum, ipsique iuveni post redditam sanitatem diebus 20 ieiunandum. Poterat autem in afflicto iuvene, in quo regnabat et dominabatur iniquitas, videri miseria[m], et unde non solum presentes[n] sed etiam absentes non parvum percipere potuissent terrorem[o]. Scopis enim allatis, candelis etiam relatis et incensis in ecclesia, iuvenis prememoratus ad sepulchrum beati presulis totius multitudinis precibus et lacrimis comitatus refertur. Ubi dum scopis, sicut ostensum fuit, diutius cederetur, adstantesque universi auxilium et misericordiam beatae Dei genitricis Mariae, nec non et sanctorum Nicolai, Rudberti et[p] Virgilii precipue suspiriis intimis exposcerent, spiritus ille nequam cum strepitu et sibilo non modico aufugit, multis circumstantium discessum eius et impetum sentientibus.

3. Liberatus ille a demonio et refectus sacramento vivifico, ad lectulum semianimis[q] reportatur. Ibi per triduum mutus permanens, indiciis manuum et scriptis intentionem animi exposuit, quod[r] lingua non potuit; quia taciturnitas haec, sicut postmodum patuit, incredulitatis poena fuit. Ammonitus enim a reverendis sacerdotibus, ut fidem bene circa se gestis adhiberet, et sanctum Virgilium miraculis clarescere crederet, manu et scripto rennuit, et quam diu rennuit, usum loquendi non recepit. Tandem cum mutus et animo et corpore deficiens in proximo moriturus crederetur,

a) *deest* A1. B. b) Post—ibi *desunt* A2. c) causa A1. *deest* A2. d) *deest* A1. cum prefato manibus arrepticiis sublato A2. e) cepit *add.* B3. 4. f) temptavit *add. m. rec.* A1. *deest* B. g) inte. eum B1. inpellente *inter ponit manus recentior;* cum ad ..... funem A2, *ubi multa ex arbitrio mutata sunt.* h) inueni A1. i) *deest* A1. raptas A2. k) *deest* A. l) purificatis A1. m) miseria et non solum presentes et A2. misera *reliqui.* n) *deest* A1. B1. 2. solum *deest* B3. 4. o) *ita* A2. errorem *rell.* p) *deest* A2. B3. 4. q) semivivus A2. B3. 4. r) q. l. n. p. *desunt* A. B1. 2.

rursusque dominico sacramento communicasset, et sacerdos subintulisset: *Si credis Virgilium Dei famulum, aperiat os tuum qui aperuit os Zachariae prophetae,* subito gutture et lingua resoluta, *Credo,* exclamavit, statimque loquendi usum cum sanitate pristina recepit. Cum autem eo modo sanatus respirasset, monasteria etiam et ecclesias singulas, gratias Deo et sanctis agens, circuisset, quia fex eius nondum fuerat exinanita, ad pristinum reversus est reatum, sanctique illius meritis sine intermissione in vicinia sepulchri et in conspectu populi exprobrans, iterato meruit castigari, quia castigatus noluit emendari. Interrogatus enim, si circa se gestorum meminisset, contumeliose subiunxit se sepulchrum sancti pontificis, si non ab interrogatione quiescerent, prophanaturum et omnimodis eversurum. Nec mora quasi percussus ad terram decidit, et ab assistentibus elevatus aliquantulum convaluit. Nec contentus eo, cum unus ex canonicis infirmus ad sepulchrum ipsa nocte fuisset delatus, ipse iuvenis cum reliquis canonicis pro infirmi salute illo oraturus occurrit, virum Dei temerarie et cum subsannatione ut infirmum sanaret oravit, alioquin se non crediturum aliquos meritis ipsius sancti liberari. Sed et his similia adiciens non orando sed subsannando opem allato infirmo flagitabat. Confestim igitur tumulo supereminens tectum cum fragore maximo ita intremuit, ut lapidibus grandinis concussum esse videretur. Iuvenis etiam ille, qui a demonio liberatus, et pro sua quoque frequenter presumptione castigatus, adhuc in sua pertinacia permanebat, iam denuo percussus et cum omni plebis multitudine prostratus, se incendio conflagrare[a] et mori proclamabat. Deportatus itaque ab ecclesia, tam diu intolerabili dolore est detentus, donec se in sanctum Dei peccasse confitens ad plenum credidit, et ad plenum liberatus est. Curatus autem demum ea quae prius celaverat, vexationis scilicet suae ordinem exposuit; quod nimirum tempore illo, quo, sicut predictum est, mulierem a sepulchro sancti[b] repulit, spiritus ille inmundus cum vento vehementi in specie vespertilionis os eius introiverit. Deinde cum tempus curationis eius adesset, beatum Nicolaum, quem ipse specialiter venerabatur, et preterea sanctum Virgilium advenisse, velumque nigerrimum et longissimum utrosque ab ore eius protraxisse, sanctumque Nicolaum subintulisse: *In fratrem nostrum graviter peccasti, verumtamen pro tua apud Deum intercessimus sanitate.*

[9] 4. Istis[c] admirandis et plura admiranda sunt addita, quod mulier de Loufen caeca et clauda ad sepulchrum viri Dei et visum recepit et gressum. Item mulier de civitate Salzburch nervis crurium longo tempore contractis, gressum retinere non valens, noctu divinitus admonita, ad tumbam sancti presulis venit, et curata est. Alius quidam de ipsa civitate dorsum habens inclinatum et omnino sursum non valens aspicere, manus etiam et pedes habens debiles, hocque tormento annis 12 detentus, ad sepulchrum iam dictum repente sanatus est. Item alius civis Loufensis ex quadam nervorum dissolutione carens gressu, ad tumulum reptans manibus devenit, et aliquamdiu viri Dei auxilium implorans, plantis[d] consolidatis sanus effectus est. Item homo quidam de Prunningen eodem modo laborans morbo, ad sepulchrum pretextatum[e] effectus est incolomis. Mulier quoque de villa Gretich manibus et pedibus contracta, ad tumulum eundem deducta, cum magno omnium gaudio et admiratione sana recessit. Duae preterea mulieres convenerunt, una de civitate Salzburch, altera de Aneva villa, ambae oculorum lumine, prior quidem annis 20, subsequens autem tribus orbatae, et ad sepulchrum cum pia devotione accedentes, visum repente utraeque receperunt. Alio item tempore mulier Pongowensis[f] tribus annis contracta et plurimis infirmitatibus detenta, ad iam dictum locum magno labore deducta, sanata est. Ipso tempore infans quidam Hallensis pedibus contractus erectus est. Item homo quidam Salzburgensis notus persona, pluribus annis caecus, ibidem illuminatus est. Quatuor deinde mulieres caecae, singulae plurimis adstantium notissimae, visum ibi receperunt, quarum una de civitate Salzburch, reliquae de viculis adiacentibus advenerant, de Vischahe[g] et Glâes[h] et Alben, inter quas quae de Alben advenerat, 20 annis caeca fuerat. Subsequenti item tempore duae mulieres, una caeca, altera dorsum ad genua habens inclinatum, curatae sunt. Ipso tempore puella cruribus contracta, et mulier surda et muta sanatae sunt. Dehinc alia mulier caeca ibi visum recepit.

5. Nec reticendum putamus, quae Deus in remotis partibus per merita sancti Virgilii eodem tempore operari dignatus est. Sicut enim ex veracium testimonio audivimus virorum, frater quidam apud Raitenhaslach[i] amplius annis 40 in habitu monachico religiosissime conversatus, herniosus et circa intestina ruptus multo fuerat tempore, eaque passione vires suas excedente, humano destitutus auxilio defecerat; cum interim fama signorum beati presulis Virgilii ad aures ipsius venit, cepitque Dominum intimis suspiriis deprecari devotissime, ut per merita famuli sui Virgilii pristinae sanitati mereretur restitui. Haec eo orante, intestina ceperunt ad superiora et ad locum antiquum paulatim relabi, ut triduo vix expleto totus factus incolomis, modum suae curationis omnibus advenientibus predicaret. Simili[k] modo ex viri venerabilis Isinrici Admuntensis abbatis[10] relatione monachum eiusdem loci curatum agnovimus; qui dum morbo paralysis triennio detentus, nec sedendi nec ambulandi fungeretur officio, cepit abbati obnixius supplicare, ut ad sepulchrum beati Virgilii aut in karro aut aliquolibet[l] modo veniendi sibi copiam tribueret, qualinus per sacri contactum sepulchri sanitatem recuperaret. Inter ipsa itaque supplicationis verba, fidei et devotionis suae sortitus effectum, a lectulo curatus surrexit. Alio[m] item tempore pa-

a) conflagrari A. b) *deest* A. c) *cap.* 4. *deest* A2. d) *hic in cod.* 1. *cum novo folio* 301 *incipit manus alia ceteris antiquior, saec. XII. exeuntis.* e) pretaxatum B1. f) pôngŏensis B2. g) uischascahe B1. h) glês B1. 2. i) raitensahaselach B1. raitenhasalach B2. rottenhaslach B3. k) Simili — surrexit *desunt* B. l) alio quolibet A2. m) Alio — mali curationem *desunt* A2.

9) anno 1178—1189.

ralyticae duae mulieres ad tumulum sancti viri delatae, mulier scilicet aetatis provectae de Sechirchen[a] et puella duodennis de Wálwes, sanitatem pristinam receperunt. Quidam de pago Khiemkou[b] caecus dum ad ipsum tumulum veniens devotissime viro sancto se commendasset, domum rediens in media itineris sui via visum recepit. Quaedam etiam puella de Matsê[c] curvam a nativitate habens manum, ibidem in presentia cleri et totius multitudinis curata est. Item puella de Perndorf manum habens aridam et curvam, sanata est. Item puer de Tuosendorf annos quatuor habens ab ortu, et adhuc prorsus incedere non valens, a patre delatus est ad tumulum, et pro debito naturae et aetatis ambulare cepit. Puer quinquennis de Vochenberge[d] mutus et cruribus contractus a nativitate, deportatus ad tumulum a matre, et usum loquendi recepit et gressum. Quidam puer de Fuohten mutus et paralyticum habens brachium ut nec ori commode posset applicare, optabilem recepit utriusque mali curationem. Clericus quidam diaconus de Priene meritis beati Virgilii derogare presumens, dicebat nulla Dominum pro eo vel per eum operari miracula; statimque correptus a demonio, tam diu castigatus est quousque ad sepulchrum viri Dei tractus, divina miseratione et instanti fidelium supplicatione meruit liberari.

6. Adolescens[e] quidam filius Heinrici de Laimingen[f] idemque Chunonis ex sorore nepos, a nativitate surdus, ad sepulchrum beati Virgilii auditum recepit. Item infans de Tuosendorf[g] contractis pedibus[h], a matre sua sepulchro superpositus, gressu recuperato surrexit curatus. Puer quidam de Winheringen[i] curvus, distantia locorum venire prepeditus, ad tumbam beati Virgilii per itinerantes misit candelam ad mensuram sui corporis factam, qua allata et incensa, sospitatis ille consecutus est beneficia. Quidam civis Hallensis cambiendos ferens denarios, dum equo vectus ad civitatem Salzburgensem tenderet, sepulchrum sancti Virgilii visitare, et pro facultate sua oblationem ponere secum tacitus proposuit. Veniens autem, vel negotii occupatione aut oblivione distractus, insalutatis reliquiis domum redire cepit. Dum igitur ab urbe longius paululum[k] processisset, equus licet calcaribus urgeretur, non tantum progredi recusavit, sed et restitit, quin immo ad civitatem regressus, hospitium unde exierat subiit. Hospita vero domus illum[k] quanam causa rediisset interrogante, cuiusdam negotii agendi gratia se reversum confessus est. Rursus iter arripiens domumque tendens, non longe progressus ab urbe, sicut antea denuo[k] factus retrogradus hospitium suum iterato petiit. Hospita iterum sciscitante causam sui reditus et satis mirante, finxit aliud sibi superfuisse negocium; simili reditu dispensatione divina in tercia vice facto, indicavit denique rei veritatem, quod accepta[l] via tociens revocatus fuisset, quoniam iuxta propositum suum beato Virgilio votivam precum hostiam offerre neglexisset. Quo facto, recto calle domum perrexit. Item[m] duo milites sepulchrum pretexatum[n] visitaturi, clientulum quendam auditu carentem currus moderatorem et aurigam ducebant. Quibus ad sancti Virgilii tumulum oblationes suas presentantibus et preces Domino fundentibus, ille dictus minister eorum simul cum illis orans[k] adstabat; et quia non est personarum acceptor Deus, ipse pre dominis exaudiri meruit. Auditum enim sine mora recepit.

7. Quidam civis Hallensis puerum habens calculosum, medico advocato rogavit eum, ut ferro lapidem excideret, sicque dolorem filii sui finire temptaret. Qui dum cultrum et caetera instrumenta applicare cepisset, dictus puer lacrimabiliter clamans, utpote difficultatem medicinae sustinere non valens, ad fletus quoque patrem commovit. Miseriae igitur pueri dolentis affectu paterno compatiens, amoto medico et infecto adhuc negotio sanctum Virgilium obnixe et humiliter cepit invocare, ut cuius meritis innumerabiles per Dei clementiam essent curati, suus quoque filius pristinae redderetur sanitati. Nec mora inter ipsa precantis verba calculus a puero elapsus, in manibus patris apparuit. Quidam[o] puer de Chraiburch[p] a demonio vexatus, et a matre sua ad sepulchrum sancti delatus, precibus fidelium et maternis fletibus meruit liberari.

8. Serviens Ratisponensis episcopi[10] in die paschali communione dominici corporis suscepta, eadem die videlicet dominica tabernam presumpsit intrare, ubi potationibus et ebrietati deditus, lasciviae potatorum interfuit. Meritam ergo pro factis poenam recipiens, in tantam versus est amentiam ut octo continuis diebus nec cibum caperet nec mentis vesaniam deponeret. In visu denique noctis a beato Virgilio salubriter commonitus, modum reformandae sanitatis edidicit, eo videlicet tenore quatinus tumbam iam dicti presulis humili prece visitaret, sicque aspirante Dei clementia sanitate pristina restitui non desperaret. Qua visione quibusdam exposita, iussu domini sui Ratisponensis episcopi custodibus sibi deputatis, ad sepulchrum beati ductus est pontificis. Cui superincumbens et preces quas poterat Domino effundens, simul[q] etiam lacrimis fidelium adstantium adiutus, omnimodae sospitati panem ibidem oblatum nichil haesitans comedit, et sensus vigorem recepit.

9. Quaedam mulier de Selhuoben[r] gravissimo dolore preventa, tanto languore correpta est, ut omnibus de vita ipsius desperatis, in extremo mortis articulo agonizaret. Quae cum pro se Deum implorare utpote rationis vocisque beneficio destituta minime suffecisset, adstantium multitudo fidelium Domini ac Salvatoris nostri coepit pro ipsa invocare auxilium, facta quoque commemoratione beati Virgilii cum summa devotione: Unde factum est ut in ipso momento mulier illa de lecto surgeret, et pristina sospitate recuperata, sequenti statim die sepulchrum beati Virgilii cum laudibus et gratiarum actione visitaret.

a) sichirchen B1. sêkirchen B2. b) kiemgou B1. 2. c) mathsé B2. d) vocheberg B1. vochenburg B3. 4. e) Adolescens — recepit *desunt* A1. *ubi 4 versus erasi sunt.* Adolescens — beneficia *desunt* A2. f) lamingen B1. g) tusedorf B1. h) et *add.* A1. i) willeheringen B1. k) *deest* B. l) *i. e.* a coepta *ut e. g. pag.* 92 *n.* f. m) Item — recepit *desunt* A2. n) b. Virgilii B. o) Quidam — liberari *desunt* A2. p) kraiburch B. q) similiter A. r) selehuben B. de S. *desunt* A2.

10) Conradi a. 1167 — 1185.

10. Cum infinita christianae professionis turba ad tumbam viri Dei de longinquis partibus confluerct, ut a variis animae vel corporis curarentur languoribus, quidam homo de Meglinge[a] dives et notissimus, incolis de vicinia regionis ad sepulchrum beati Virgilii tendentibus, solus ipse neglexit venire; hoc videlicet in animo retractans, quod nullis premeretur adversis, utpote suis rebus domesticis in summa prosperitate compositis. Haec eo cogitante, unicum quem habebat filium 8 annorum, vis tanta paralysis subito corripuit, ut ipsum voce et gressu privaret. Vir ergo prefatus flebilis heu moestos cogitur inire modos[11], et licet nimio dolore pre inopinato malo pene deficeret, ex ratione sibi consulens, doctorem suum plebanum advocavit, et inter verba confessionis ei totam seriem rei gestae veraciter exposuit, ubi digna Deo satisfactione promissa, et suscepta poenitentia, consilio plebani ad sepulchrum predictum una cum puero iter arripuit, atque dum irent, languidus ille infirmitatis invenit remedium. Homo[b] quidem de Owê paralyticum habens filium, vovit eum ad tumbam beati Virgilii perducendum, et continuo in eodem loco sanitati pristinae meruit restitui. Quidam puer de Vohendorf quinquennis caecus et contractus, secus tumulum viri Dei utriusque incommodi beneficium recepit. Quidam homo de Erlach curvus, invocato nomine sancti Virgilii in eodem loco redditus est sanitati.

11. His predictis omnibus et hoc memoratu dignum aestimamus, qualiter homo quidam grandevus de villa Sancti Ypoliti ad visitandum beati viri sepulchrum iter arripuit, et voti compos effectus, dum inter verba sacerdotalis exhortationis ad populum assisteret, habitu privationem secuto caecitatis oculorum tenebras amisit. Mulier quaedam audiens quantas Dominus virtutes operatus sit per famulum suum Virgilium, secus tumbam eius divinum implorans auxilium, per intercessionem viri Dei in redeundo domum visus recuperavit beneficium. Item femina quaedam de Aquileia[c] a viro suo minus cauto quacumque irae causa in cubito non mediocriter cultro sauciata, sectisque nervis manum habens curvam et contractam, a multis eiusdem regionis incolis comitata, beati pontificis tumulum cum debita reverentia supliciter accessit; sed quia tempus miserendi eius nondum advenit, omnipotens Deus admirationem distulit, infectoque negocio domum repedare cepit. Iter autem ceptum peragens, dum in villa quadam secus Taurum montem pernoctaret, devotissime nomen beati Virgilii cum fletu uberrimo invocavit, et in eodem loco curvitate manus deposita, pristinae sanitatis vigorem consequi meruit.

12. Puer quidam de Linceharde contractis cruribus officio gressus destitutus, aminiculo parentum ad sepulchrum beati pontificis deportatus est, cui etiam superpositus in somnum salutiferae dormitionis corruit, a quo evigilans usu gressibilitatis restituto, cum magna ammiratione astantium ambulavit. Item femina quaedam de Matsê dorsum habens incredibili curvitate tortuosum, divinam clementiam flagitavit, quatinus meritis beati Virgilii, cuius tumbae accubuerat, speratae curationis inveniret remedium, statimque fidei suae commodum sortita est effectum. Quidam puer de Rospach crurium contractione ambulationis carens beneficio, basibus communi more solidatis aptissime precibus fidelium pro ipso beati Virgilii nomen invocantium perfectae sospitati restitutus est.

13. Et quoniam omnibus se invocantibus consuetae pietatis opem beatus Dei famulus singulis pro necessitatibus suis semper exhibuit, quoddam mirabile et satis memorabile subnectendum est, quod monachus quidam de Raitenhaslach[d] diutino languore scapulae laborans, dum in comitatu abbatis sui quodam tempore iter ageret, pretexata[e] passione graviter correptus, accepta[f] via defecit, viribus corporis destitutus. Ceterum iuxta monachicae regulae rigorem forte diem in quo flagella carnis monachi de more suscipiunt, adesse contigit, et cum ceteris qui tunc aderant, etiam ille morbidus coram domino abbate prosternitur castigandus, partemque dorsi videlicet saniorem plagis exponens, cum bene exaratam sensisset, alteram quoque, cui ante pepercerat, in honore beati Virgilii flagellari supliciter postulavit; post cuius petitionis effectum plenariae salutis adeptus est presidium. O[g] predicanda et laudanda Christi pietas, quae tanta celebritate merita beati Virgilii longe lateque declaravit, ut eorum fama omnes cismarinas nationes impleverit. Si ergo fidei constantia vel recuperandae salutis gratia Saxones atque Boemi ad tumbam viri Dei de longe invitantur, mirari non oportet, quod mulier quaedam de Graze[h] sicut lumine corporis exterius orbata, ita piae devotionis lampade corde tenus irradiata, longo itinere laboriose consumato, sepulchro beati presulis humiliter advoluta est, et inter ipsas suplicationis lacrimas illuminata cecitatis tenebras deposuit. Plebanum de Theraz aetate grandevum, bonae conversationis virum et honorabilem, paralyticae passionis morbus adeo depresserat incurabilis, ut dextri lateris pes atque manus corpori debitum non possent impendere servicium, immo quod erat gravius lingua continuum perurgebat silentium. Consolationis igitur divinae fiducia roboratus, reliquias beati Virgilii visitavit, quibus decenti veneratione salutatis, pedis officium gradiendo, vocis autem magnalia Dei predicando recepit, manus etiam languorem in bona parte alleviatum, omnibus evidenti veritate innotuit.

14. Vir quidam de Vansdorf[i] parvum habens filium, tanta egritudinis mole gravatum, ut sine sublevante nequaquam loco moveri potuisset, audito quanta Deus omnipotens per beatum Virgilium operatur miracula, votum vovit ut ad tumbam beati presulis puerum deferret. Nec mora iter arripiens, inclinata iam die villam hospitandi gratia intravit, ubi parvulum illum pre nimia debilitate deficientem et quasi moribundum relinquere proposuit.

a) meglingen B1. megelingen B2. 3. 4. b) *sequentia usque ad cap.* 13. *desunt* A2. c) aquilegia B. d) reitenhaslach A1. raitenhaselach B1. raitenhaselha B2. rotenhaslach B3. 4. e) pretaxata A2. B1. f) *i. e.* a coepta *ut supra.* g) O — restitutum invenit *desunt* A2. h) græce B1. grace B2. 3. 4. i) fonstdorf B3. 4.

11) Cf. Boeth. de Consol. 1.

Eadem igitur nocte candelam staturae pueri comparem fecit, quatinus ceptam viam constanter emensurus eam pro salute filii sui viventis vel morientis ad tumbam beati pontificis deportaret; quem mane facto discessurus omnimodae sospitati restitutum invenit. Sacerdos quidam cum inter sacramenta missae plebem ammoneret, ut die placito[a] ad visitandas servorum Dei reliquias[b] unanimiter convenirent, a voto consentientis populi quaedam dives et honorata femina non solum dissensit, sed prorumpens se nullatenus sepulchra servorum Dei visitaturam proclamavit. Huius autem presumptionis contumaciam Dei pacientia non statim repressit, sed postquam a liminibus exclusa est ęcclesiae, in amentiam conversa, domum suam deducitur, ubi inusitata et mirabili insania correpta, facie humo tenus bruti animalis instar humiliata, gestus et proprietates porci simillimos expressit, ut iam non humana ratione, sed pecuali sensibilitate uteretur. Omnibus autem qui aderant vehementi stupore repletis, a quibusdam altioris consilii viris sacerdos nomine Ioseph advocatur, per cuius largas psalmorum lectiones et efficaces benedictiones quantulamcumque rationis partem recuperavit, ut et verba confessionis recitaret, et in sanctum Virgilium se peccasse recognosceret; plenariam exinde satisfactionem Deo pollicens, tumbam memorati presulis visitare celebri voto proposuit, statimque dominica communione percepta, pristinae mentis redintegrato vigore, se cum omnibus suis et prefatum sacerdotem largis refecit epulis. Quidam[c] puer de ęcclesia sanctae Mariae manum curvam habens, presente magna hominum frequentia ad tumulum beati presulis delatus, omnibus pro sanitate eius ad Deum orantibus, carne rupta et nervis crepantibus incolomitati[d] redditus est.

15. Et quomodo cesset lingua carnis magnificentiam Salvatoris extollere, qui de lapidibus Abrahae filios procreavit? Innovando enim signa et inmutando mirabilia, prophetam nobis et archiatrum divina bonitas suscitavit, cuius virtutum potentia de lapidibus filios Abrahae, id est de incredulis fideles, de perversis conpunctos, reformavit. Quis autem videntium prodigia quae fiunt in populo, veteris fermenti vicia non exuat? quis penitentiae fructus dignos per fontem lacrimarum et contricionem cordis non faciat? Cum puero cuidam de Hartspech[e] in articulis manuum contracto intercessio beati Virgilii in ipsa monumenti sui presentia sospitatem pristinam conpensat? Caeci ergo accedite ad eum et illuminamini, et qui in grabattis paralytici iacetis, ipso confortante glutinamini; quia ne longe exempla petantur, puerum[f] quendam de Milstat 11 annorum, curvum et cecum a nativitate, nec non de Celle in Zylarn[g] puellam 15 annorum paralyticam, plenarie curatos oculata fide conspeximus. Quantus vero nostra opinione reputandus, quam tronis et dominationibus proximus est existimandus, per cuius invocationem femina quaedam de Aspach manibus contracta et alia mulier de Suben[h] in uno brachiorum simili morbo debilitata, coelestis remedii senserunt efficaciam! Nunc etiam omne genus humanum domini Iesu Christi predicet clementiam, de cuius munere venit, ut beatus pontifex Virgilius omnibus sibi devotis assit propicius. Nam ex tumba eius oleum sanitatis cuidam puellae manibus et pedibus et cruribus contractae largiter emanavit, et eiusdem salutiferae unctionis gratia, quidam parvulus de pago Chiemkou[i] mutus a nativitate vocis organum recuperavit. Adolescens quidam de Tiernsteine[k] in vicinia Frisaci[l] manum habens aridam et inutilem, exoratam et optatam a sancto Virgilio accepit valitudinem.

16. De civitate Ratispona institores ad nundinas per alveum Danubii in locum qui dicitur Ardacher[m] cum nave maxima mercibus onusta descendentes periculum illud excitatione fluctuum assidua Spilberch[n] vocatum inciderunt; nec mora procellarum impetuosissima vertigine involuti, multociens gyrando aquarum violentia scopulum[o] in medio gurgitis eminentem, a quo causa tempestatis illius procedit, vellent nollent statim passuri naufragium accesserunt; ubi demum tanta fluminis inportunitas estuantis miseris illis incubuit, ut turbo voraginis proram carinae aqua semiplenae sorbendo puppim in sublime attolleret, omnesque universaliter tam nautas quam ceteros adeo de[p] vita desperatos redderet, ut et armamenta remigandi, tamquam nil penitus conferentia proicerent, et quod solum restabat, in articulo mortis constituti Dominum redemptorem mundi pro salute animarum suarum intentissime flagitarent. Tum vero gens illa inter confusos naufragii tumultus clementissima Domini ac Salvatoris nostri dignatione commonita mitissimi confessoris et antistitis sancti Virgilii, de cuius miraculis et virtutibus plurimis ante non pauca didicerant, omnes unanimi ore cordeque suppliciter invocabant auxilium, quatinus ille coelestis atque supremus humani generis instaurator, qui omnium beati pontificis nomen implorantium velox et copiosus est propiciator, per merita famuli sui solitam et necessariam tribulatis exhiberet suae consolationis presentiam. Ad cuius suplicationis suffragium memorata navis submersione sua mortis exicium breviter cunctis impositura, super undas altius elevata sustollitur, et contra ictum fluvii decurrentis veluti funibus alligata traheretur, sine detrimento rerum vel hominum secreto quodam et potenti nauclero ad ripam usque perducitur.

17. Miles[q] quidam de Pilstein[r] ab alio milite captivatus filium suum bonae indolis iuvenem obsidem pro se posuit, qui per 20 ebdomadas et amplius durissimis catenis in carcere compeditus, laboriosam et miserabilem vitam exegit. Memoratus autem iuvenis videns se parentum adiutorio desolatum, in commemoratione[s] beati Virgilii confessoris Christi mitissimi cepit divinum subnixius implorare auxilium; de cuius miseratione confestim post expletam orationem a vinculis absolutus, sine mora dilationis urbem Salzburgensem adiit, reli-

a) placido A1. b) Virgilii Eberhardi Hartwici *add. manus coaeva* A1. Virg. Hertwici Eb. A2. c) Quidam — redditus est *desunt* A2. d) inbecillitati A1. e) hartperch B2. de H. *desunt* A2. f) puerum — valitudinem *desunt* A2. g) cylarn B. h) subne B2. i) kiengǒ B1. kiemkou B2. kienkǒ B3. 4. k) dirnstaine B2. dirnstein B3. 4. l) friesaci B. m) artacher A2. ardakker B1. n) spilberc B1. o) scrupulum A. p) desp. a vita A. q) Miles — cecitate sua *desunt* A2. r) pilstal A1. pilestein B1. pŷlsteine B2. s) incommemorabile A1.

quias sanctorum visitaturus et condignas Deo liberatori suo sanctisque omnibus, precipuas vero[a] sancto Virgilio referens gratias, rem gestam nobis exposuit veracius. Diffuso itaque rumore, hoc virtutum odore placantur audientes ut balsamo, accurrunt fide sitientes ad domum gratiae, et secundum multitudinem dolorum suorum consolatione percepta, refecti sunt in saturitate. Regna multa provocant, quae per sanctum Virgilium fiunt magnalia, et velut Bethsaide aquis, sic eius beneficiis sanitatis causa se inmergit multitudo copiosa.

18. Unde et quaedam in Ungariae finibus nobilis matrona, cum iam diu oculis obtenebrata non videret, duos filios suos ad sanctum direxit, ut viam complerent quam ipsa non potuit, et sub eorum oratione impetraret quod credidit. At illi continuo iniunctum consumant obsequium; iter arripiunt, et itinere properantes Iuvavum cicius pervenerunt. O quam commendabile miraculum! Quadam sexta feria cum iam opus fieret divinum, obtulerunt filii[b] oblationem, et eadem hora lux reddita est matri. Mirum in modum una et eadem hora sanctus Dei presentem suscepit hostiam, et absentem illuminavit cecam. Huius rei nescii discedunt confestim filii. At illis in obviam nunciatur, quod lux reddita sit matri. Hora vero inquisita et cognita, Deum laudant et benedicunt, mirabilem et gloriosum in virtute sua. Vere laude dignus in Domino consistit, qui ubique presens affuit, ut hic filiorum susciperet munera, et ibi matrem illuminaret a cecitate sua. Sed et quod referam[c], in Austria per sanctum Dei patratum fuisse multorum relatione cognovi. Quidam a iudicibus patriae[d] captus est, in quadriga ligatus distenditur, et sic in civitatem quandam plectendus ducitur. At ille pre timore penitens infeliciter lamentatur, ad beatum Virgilium vertit suspiria, ab illo petit protegi, a cuius ope nullum credidit refutari. Vice igitur Iesu Christi latroni crucifixo miseretur et relevat, distentum solvit et liberat, fugientem ne capiatur confortat. Vere laudandus est Christi confessor, qui mortis reum a morte salvat. Noluit enim mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Qui taliter ovili dominico hominem restaurat ne pereat, quomodo etiam ovem suam esuriente lupo illesam custodierit fidelis[e] attendat. In confinio quippe nostro in villa quae dicitur Quantele, populus inter se beato Virgilio collectam fecit, et ille vitulum, ille agnum, quilibet prout potuit attribuit. Ex quibus arietem quodam die lupus arripuit, et concito fugiens secum ad silvam famelicus provexit. Unde non modicum doluit cuius animal[f] fuit; hinc se ipsum indignum iudicat, se simul et sua sancto displicere formidat. A filio igitur suo agnum expeciit ut reddat. At ille patris dampna subsannans negat. Sed ecce mirabile, cum iam crastina dies illuxit, coram oculis astantium in medium gregis lupum aries traxit. Quo relicto, agnum arripuit filii qui sanctis oblata reprobans non condoluit patri. Patet ideo quod leviter ab hostili manu defensat hominem, qui sic esurienti lupo illesam cohabitare fecit ovem. Huic miraculo concordat illa prophetia quae dicit: *Habitabit lupus cum agno*[g] etc.

19. Item quidam de Sancto Ypolito per duos annos fere et dimidium cecitate percussus, cum iam audisset quae fiebant per sanctum, lumen petiturus accessit, sed quia adhuc forte indignus erat, quod volebat non obtinuit. Unde non modice dolens, penitentia ductus mente cepit conpungi, penam quam patitur suis commissis imputat, et confestim Deo et sacerdoti se ipsum devotus accusat. Penitentem itaque inflixit, penam indicens emeritam. At ille altius se ipsum iudicans, ab ęsu carnium annilem petit abstinentiam, ut eo purior factus, meritis sancti salutem mereretur consequi optatam. Humanam vero fragilitatem confessor considerans, vix rogatus concessit. At ille libens suscepit, inchoavit et feliciter consummavit. Evoluto itaque fermé anno cecus petit Iuvavum, sed ecce in via veniens, sancto prestante Virgilio lumen recepit optatum[h].

20. Quidam miles de villa quae dicitur Dienge, cum esset cecus, audita fama viri Dei spe simul et fide preventus, sanctum petit Virgilium, quo dum iter arripuit, ecce via veniens optabile lumen recepit. Cum itaque sancti Virgilii fama longe lateque diffusa crebresceret, ex diversis nationibus confluxerunt languidi, et ex eius consolatione finem dabant merori. Inter quos unus de Erpesforde accessit, utraque contractus in tybia, sed ab ipso quem fide portat, ut iam in via melius haberet veniendo portatur, et in die sancti Virgilii adveniens, plene sanatus est. Revertitur saliens qui claudicabat adveniens, et qui antea infirmus fuerat, iam sanus glorificabat Deum in omnibus quae audierat et viderat. Sicut ille de occidente, sic alter de Austria, quae est in oriente, cecus advenit, sed sancti meritis illuminatus videns abscessit. Simile huic cito contigit, quia in inventione beati Virgilii quaedam Ratisponensis ceca lumen recepit. Et pulchrę in die inventionis sancti illuminatur, ut quanta meritorum luce resplendeat qui inventus est, in hoc miraculo testificetur.

21. Item[i] duo milites in castro de Charnarebrunne manicis simul et compedibus ferreis constricti, in carcere tenebroso sub custodia tenebantur captivi. Ubi cum iam iudiciales ut plecterentur appropiare viderent angustias, iam in desperatione vitae penę demersi, intus experiuntur futurae mortis exicium, quibus de carcere in mortem dies crastina minabatur egressum. Iam intra conscientiam accusantur sibi tamquam iudici, et quia culpabiles sic inter cogitacionum fluctus naufragantur, velud in mari dolore transverberantur ut gladio; sed ecce dolentibus vel ut potius dicam penitentibus, haud longe fuit divina miseratio. Unus enim illorum ita intulit: *Clamemus ad Dominum; voceamus illi melioris vitae profectum, rogemus illum ut per merita sanctorum suorum Virgilii, Hartwici, Eberhardi et ceterorum simul electorum suorum nos liberet, et sicut latronem salvavit in cruce pendentem nos salvet.* His itaque precibus socium aliquatenus

a) uiro sancto redderet gratias . qui rem A 1. b) *deest* A 1. c) *hic cum novo folio* 309 *alia manus pergit, priori coaeva* 1. d) turbans pacem A 2. e) *deest* A. f) annona A. g) *reliqua desunt* A 2. h) *deest* A 1. i) *cap.* 21. *deest* B.

obstinatum ad orationes incitabat; at ipse cum magna fide sanctos Dei supradictos invocare non cessabat. Cum igitur aliquamdiu divinum lacrimando postularet auxilium, velud comminutas manus de manicis extrahit; et iam fide robustior, lapillo ne audiretur vestibus involuto, catenas et compedes percussit: at illae more crepitantis uteri concito disruptae sunt. Exurgentes ergo et alternatim se ipsos allevantes, a superficie domus in qua iacuerant, murum transcendunt; et ab alto maceriae subveniente Deo cum sanctis suis, in profundum magnae vallis sine lesione dissiliunt. Excitantur interea custodes, et cum iam eos fugisse compererant, cum clamore et armis insecuntur. Capitur et manu trahitur, qui nec solutus evadere credidit; qui vero et cito credidit, et alium ad gratiam provocavit, securus et intrepidus et sine detrimento suae salutis evasit. Manicam quoque ferream cum compede ad tumbam beati Virgili detulit, Deoque cum sanctis suis exultanter cum omni populo gracias egit. Signo itaque facto ex ruptis vinculis ferreis, liquet quam promptus sit Dominus peccata solvere penitentis. Quia enim interius per bonam fidem solvuntur peccati ligamina, corpore simul liberatur et anima; quoniam si interius non meruisset, exterius liberatus non fuisset. Haec tamen non tantum ad meritum illius liberati sunt facta, set ut omnibus nobis reveletur, quanta sint sancti Virgilii et reliquorum Iuvavensium sanctorum merita.

22. Item quidam civis Frisacensis Ruozo[a] nomine ministerialem quendam marchionis[b] de Styre, Ottonem scilicet de Gràzen[c], nescio quatenus offenderat; a quo vindictae causa insidiis circumventus, quid faceret nesciebat. Cum ecce humanum desperat auxilium, velat se scuto fidei, et ad beatum Virgilium peregrinando confugiens, sua petit virtute defensari. Unde mirum in modum redeunti obviat adversarius, sed ecce per sanctum compescitur; nudum pertimescit armatus, in tantum ut ita deficeret quasi continuo moriturus. Vocato igitur sacerdoti confessus penituit, pacis foedus cum civi miles pepigit; et sic sanctum Virgilium petens convaluit. Sicque contigit quod metuens securus, et qui fortior, factus est timidus, pauperi subdidit divitem, et principi preposuit impotentem[d].

INCIPIT VITA ET MIRACULA SANCTI HAERTWICI ARCHIEPISCOPI.

Consideranti michi lylia agri quo honore quove decore candidata vestiantur et pullulent, multa virtutum varietate purpurati rosarum flores apparent. Hinc in lylio miror quod est niveum, hinc in rosa colorem intendo purpureum. Tria tamen amplius in ipsis intendo, colorem scilicet et odorem, et utriusque allectionem. Flos est anima iusti, color religio catholicae fidei, odor amor Dei et proximi, allectio est promissio coelestis regni. Unde est illud in Canticis canticorum: „Descendi in ortum nucum ut viderem poma convallium, et inspicerem si floruissent vineae". Et de eodem in subsequenti: „Vineae florentes odorem dederunt." Et illud: „Odor inestimabilis erat nimis." Ortus est sancta ęcclesia, de quo Sapientia clamat: „Rigabo ortum meum." Nuces sunt animae iustorum, testa nucis vas humani corporis, corium mundani livoris amaritudo, et in nucleo iusticiae designatur habitudo. Tunc ergo in ortum nucum sapientia Dei descendit, quando quid in nucibus, id est in iustis, quid in convallibus, id est in humilibus, speciosius sit consideravit. Quae sunt vineae nisi oves dominicae? Qui sunt earum flores, nisi passionum meritis purpuratae virtutum varietates? Unde est illud Sapientiae: „Flores mei fructus honoris et honestatis." Floret enim vinea dominica per opus bonum, sed odorem dat aliis bene vivendi proponens exemplum. Flore vitis decoratur in se, sed odore fructificat in aliis. Huic simile est quod legitur: „Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris." In agro igitur rosa vel lilium, in orto nux, et in convalle lignum pomiferum, et in vinea palmes beatus Hartwicus est. Hic[e] enim est castitate candidus, hinc diverso virtutum colore purpureus, hinc licet in carne divinitatis saciatus nucleo, hinc ut lignum fructiferum ymbre roratur temporaneo. Palmes est in vite non aridus, non ad ignem ut comburatur excidendus, sed florem cum fructu germinans, ut doctrinae vina ministret, in Christo qui vera vitis est exuberans. Unde est illud in ęuangelio: „Omnem palmitem in me ferentem fructum, purgabit eum ut fructum plus afferat." Palmes vero iste non sterilis sed fecundus, satis in Christo tulit sibi, sed purgatus, id est carne solutus, plus attulit et plus recepit. Hic quidem collegit, sed ibi cum exultatione manipulos reportavit. Super pauca fidelis humanitus, super multa coelitus constitutus est. Hic ut paterfamilias pervigil, furi comminatur ut fugiat, hinc ut pastor bonus lupum confundit et fugat[f]. Hinc etiam oves pascit et potat, ieiunantes non spernit, et manducantes non iudicat. O quantum luxit in carne positus, qui nichil remisse pretermittens, fuit in omni bona actione strennuus, ad docendum egregius, et omni morum claritate fuit conspicuus. Orphanorum adiutor, viduarum deffensor, mestorum consolator, et in regenerandis animabus magnus erat propagator.

Cant. 6, 10. — ib. 2, 13. — Eccli. 24, 42. — ib. v. 23. — ibid. — Ioh. 15, 2.

1. Hic itaque post obitum bonae memoriae Friderici antistitis ęcclesiae Iuvavensis suscepit kathedram, anno incarnationis Domini 991[g]; consecratur enim 6. Idus Novembris[12], regnante serenissimo

a) ruze B1. ruoze B3. b) ducis B. c) grazen B1. 3. gr̊ace B2. d) *cod.* A1. *pergit:* Accidit quod quidam homo de villa quae dicitur Wartenberch apud Anesum fluvium *etc.* Sinite puellam hanc mortuam. Beato Virgilio suscitandam committite, annuale quoque mancipium, denarios scilicet quinque pro ipsa vos daturos esse promittite *etc.* In episcopatu itaque Pataviensi, in parrochia Wizchirchen *etc.* — Quidam puer filius Etichonis de Sneitsê cecidit in quoddam flumen, et nunciatum est matri. Quae continuo cum servis et ancillis ad flumen veniens, cum fletu et ululatu beati viri auxilium devotissime cum lugubri lamentatione invocavit. Quid plura? Tandem puer elevatus est de flumine, ita quod nulla signa vitae in eo apparebant. Matre vero cum reliquis precibus et lacrimis insistente, puer cepit oscitare et revixit. Quem statim ad tumbam beati Virgilii deportatum, omnes vidimus sanum. *Manus aliquanto recentior addidit:* Item anno inc. dom. 1208 quidam de Scelberch *etc.* Item filia militis cuiusdam de Chozenperg demoniaca *etc.* *Sed etiam* A2. *habet miraculum de* „Weirnkirchen" *et ultima sed anno* 1213 *adscripta; ibi scribitur* Stelburch, Chorempergc.
e) Hinc B. f) fugit B. g) DCCCCXC sexto I. N. Sed B.

12) ita etiam Ann. breves SS. IX, 757.

imperatore Ottone, filio Ottonis, anno regni eius 7. Sed ecce cum predecessore suo gaudet regnum sortitus et gloriam. Ex regali legitur oriundus prosapia, unde ampliori virtute vitam in se nobilitavit et opera.

Ut radius sole prodit, de flumine rivus,
Hic stetit et fluxit regum de sanguine vivus.

Iste ergo participat in eo quod scriptum est: *Fecit nos Deus sibi regnum et sacerdotes.* Recte quidem agenti se ipsum et actus suos regenti, bene convenit hoc nomen rex, quia de regali secundum carnem egressus linea, cum rege Christo decorabitur in gloria, ut recte dicatur ei per prophetam: *Regem in decore suo videbit.* Et illud in psalmo: *Domine, in virtute tua letabitur rex, et super salutare tuum exultavit vehementer.* Fuit enim ad opera misericordiae vehemens, in tribulatione paciens, primus ad indulgentiam et tardus ad iram, fide firmus ut impetret, spe certus ut capiat, karitate perfectus ut sine fine permaneat. Ut etiam ordo docendi postulat, multa erubuit docere, quae tamen studuit facere; viam monstravit digito, quam ipse precessit in opere suo. Cogitavit enim non esse sicut aes sonans, aut cymbalum tinniens, ne cum aliis predicaret, ipse reprobus fieret. Detractionibus aures non adibuit, aliud in corde quam in ore non habuit, munera super innocentem non accepit. Penitentes hortabatur ad melius, iustos fovebat ut iustus, minores tuebatur ut fortis, et omnibus exhibuit opera karitatis. In meridie quippe karitatis cum sole iusticiae statum fixit ut luceat, ut sicut mundus solari radio, sic credentium populus suo resplendeat beneficio. Interim enim virtutis ęius fama percrebruit, quod ad ipsum causa doctrinae sugendae vice apum circumquaque omnis turba confluxit. Eia quantos nube infidelitatis obductos, mente cecos, fidei luce perfudit, quantis etiam malicia surdis verbi Dei auditum inseruit, et ex insolentia mutis per confessionem Christum laudare fecit. Omnes corporis et animae curavit egritudines, verbi gratia errore contractos veritatis cognitione fecit erectos. Hinc peccati mundavit lepram, et de facie gregis sui omnem abstersit maculam. Hinc gladio prevaricationis occisos vipereoque temptationum veneno premortuos ad virtutum opera restituit vivos. Bene igitur convenit illi, quod de Helyseo Sapientia clamat: *In vita sua fecit monstra.* Quid enim maius monstrum, quam de peccatore iustum, de egro sanum, de obstinato credulum, vel de mortuo reddere vivum? Sed nec hoc silere dignum iudico, quod plurimorum fidelium didici testimonio.

2. Contigit enim quod ad ęcclesiam quae Tale[a] dicitur, in festo sancti Andreae[b] ipsam dedicaturus exiret, silvamque[c] pertransiens, ramusculum ex arbore frangens arripuit. Quem cum non diu manu tulisset, flores peperit, et in signum sanctitatis eius a quibusdam fidelibus diu custoditus fuit. O signum mirabile, et plus quam dici possit commendabile! O novitas ab antiquo non discrepans! O Hartwici virga virgae Aaron sub figura concordans! Sed illa in arca, haec in manu floruit, nec tamen inter se dissentiunt, quia utriusque possessor arcam Domini rexit, et arca Domini fuit. Quod tamen in ipso materialiter fuisse, si quis obstinate contradixerit, spiritaliter tamen completum ut credat, ratum sit. Quid enim signat eius via, qua vadit ut ęcclesiam dedicet, nisi Christum in quo moraliter graditur, ut in mente sua Deo sacrificium paret? Quid est arbor de qua ramum fregit, nisi quilibet legis doctor, de quo disciplinae formam sumpsit? Ex hac virga scriptum est: *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Vel aliter: *Disciplina tua ipsa me docebit.* Vel etiam haec virga pastoralis est, quae in medio sub typo disciplinae est rigida, subtus causa severitatis ferrea: superius quasi floret, quia penitentes attrahit cum misericordia. De parte ferrea scriptum est: *In virga ferrea confringes eos.* De medio virgae psalmista dicit: *Disciplina tua correxit me in finem.* Superior pars virgae typum tenet misericordiae. Tria quidem doctori conveniunt. Ut scilicet impios districtus feriat, in bono stabiles non flecti moneat, conpungentibus misericorditer consulat. Hanc virgam beatus Hartwicus habuit, et ipse virga aequitatis fuit. Ut de ipso dici possit ęcclesiae per prophetam: *Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Syon.* Quid enim nisi virtutis extitit, in quo omnium virtutum scola fuit? Quomodo etiam non sit plenus omni virtute, quem ecce prevenit Dominus in dulcedinis benedictione? Ipse autem ęcclesiasticae virtutis est virga, cuius doctrina vel fide legalium mandatorum in populo connectuntur laquearia. Ex Syon vero emittitur, dum speculatio fidei per ipsum ęcclesiae amministratur. Omnia autem opera sua quae fecit fuerunt signifera, quia virtutum quas Deus in ipso facit, fuerunt signativa. Consummato igitur felici vitae suae cursu, exuta humanitatis tunica, indutus est inmortalitatis stola. Migravit autem sanctus Hartwicus ad Dominum anno ab incarnatione Domini 1023. None[d] Decemb. regnante serenissimo imperatore Heinrico fundatore Pabenbergensis ęcclesiae, anno regni eius 21.

3. Mirificavit igitur Dominus sanctum suum Hartwicum, et beatificavit illum in gloria. Vere mirificavit, quem adhuc in carne spiritualem fecit, ut[e] qui corporaliter fuit in terris, iam mente conversaretur in coelis. Huic ergo cum suis consimilibus dicitur per apostolum: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* Vas inquam electum, preelectum a Deo, electum a populo, quod certo conprobatur in sua electione miraculo. Predecessoris quidem sui transitum cum iam clerus ingemuit, et de pastore certantibus, beatus Hartwicus supervenit. Intrat igitur pontificatum nescius, a clero suscipitur, a Deo preelectus. Mirum in modum a Spiritu sancto ducitur ut agnus ad pascua, sed in ipso transsumitur arietis forma. Fit agnus ut obędiat, aries ut premineat. Agnus ad sacrificium, aries ut custodiat gregem suum. Fit signorum virtute mirabilis, caritate conspicuus, et in consortio stabilis: fecit mirabilia in vita sua. Tunc fecit illis, sed

a) tâl B2. q. T. d. *desunt* 1. b) zilaren *superscr. manus coaeva* 1. c) in pluepach *addit manus saec. XV. vel XVI. in cod. S. Petri. Rivus hodie Bluhnbach dictus, qui valli nomen dedit, paullo infra Werfen Salzahae miscetur.* d) episcopatus autem sui 34, Heinrico imperatore II huius nominis regnante, ind. 14. regnante domino nostro I. C. qui v. et r. cum Deo p. et Sp. s. unus Deus per o. s. s. Amen. B. e) *ita correxi pro* et.

modo plus facit istis; velut enim in nocte seculi luna fuit in vivis, sed ecce in coelestis gloriae firmamento velut sol lucet mortuus. Ut bene conveniat illi quod scriptum est: *Iusti fulgebunt sicut* 5 *sol.* Quid ergo mirabilius, caro in lunam, et anima mutatur in solem? Recte igitur convenit illi illud Sapientiae: *In morte mirabilia opera ipsius.* O quam gloriosus Deus in sanctis suis, qui quos dilexit in mundo, post mortem plus dilectos esse 10 signorum declarat beneficio. Opus tamen erat vel potius decus, ut quod ex incuria scribere neglexerunt antiqui, ut posteris declaretur beneficio Dei. Nos igitur non meliores primis, sed cautius agentes, sic scribamus posteris, ut ad laudem Dei excitentur 15 operibus nostris. Siquidem tantum virum tantaque in ipso facta magnalia nullus situs obliteret, nulla oblivio decoloret, hoc memoriae tradatur in scripto, quod fidelium comprobatur testimonio. Laudem Dei lingua loquatur ut calamus, ut voci concordet 20 ipsa manus. Iam ad miracula convertatur stilus.

4. Ad laudem et ad gloriam nominis Domini cum quadam die populus in capella sanctae Dei genitricis devotus astaret, cereus in altari extinguitur, sed ut accendatur a quodam iuvene quanto-25 cius accurritur. Cereum festinus arripuit, et ad tumbam beati Hartwici accensurus accedit, sed cum iam tumbae appropiat, iam cereum sancti virtus inflammat. Mirum in modum per se luminare succenditur, ut lucerna ęcclesiae fuisse beatus Hart-30 wicus approbetur. Flamma etenim rubedine parebat ut sanguis, sed in illo reor aliquid mysticae fuisse significationis. Verumtamen populus in admirationem vertitur, et flammam huic similem numquam vidisse profitetur. O mirabile, ex eius 35 virtute accenditur cereus, cuius beneficiorum claritate illustratur fidelium populus! Fama igitur tantae rei universam patriam transvolat, sanctumque Dei in populo virtus patrata magnificat. Accurrunt subito debiles, sed sanitati[a] citius[b] fiunt efficaces. Sani currunt et languidi, et in sancto glorificant nomen Domini, signis ad fidem provocantur increduli, spem concipiunt desperati, karitate solidantur qui fuerant odiosi.

5. Accedit interea puella quaedam paralytica, quae dum sepulchro advolvitur, optatae sanitati letabunda restituitur. Quidam etiam iuvenis trans Oenum[c] genitus, annos circiter 30 agens, cecus adducitur, sed sancti provolutus sepulchro, visu perfunditur desiderato. Item quaedam puella decennis ad prefatum sanctum contracta defertur, sed ilico ad plenum erigitur, ut eo miraculo sancti virtus commendetur. Simili quoque modo mulier quaedam, iam diu omnium membrorum virtute privata, per alios adducitur, statimque sanitati restituta, cum gaudio sola revertitur. Puer itaque de Pinzgôwe[d] eatenus infirmans ut mulier, pari modo defertur ad sanctum, parique vice Dei gratiam salutarem experitur et fructum. Nec non et puer quidam de Olhûsen affertur contractus, sed Deo operante sanctique meritis refertur erectus. Alter etiam puer in tantum manibus contractus fuit, quod iam amplius posse sanari populus desperavit; beati Hartwici allatus tumbae, plenissima restauratur sanitate. Quidam homo de Eringen[e] puerum suum cecum reliquiis sancti superposuit, genuque flexo largissime lacrimans, visum puero felix obtinuit. Vir quidam de Iûlbach[f] miserabiliter flexis reptans poblitibus, sed sancti nomine sepius invocato, plantis et basibus solidatis, donum recepit optatae sanitatis.

VITA ET MIRACULA BEATI EBERHARDI ARCHIEPISCOPI.

1. Beatus[g] Eberhardus natione Bawarus, ex illustri prosapia fuit oriundus. Hic itaque evo tener, in tantum generis sui nobilitatem morum virtute transcendit, ut iam non puer sed senex, non levis ut in tali aetate assolet, sed morum gravitate sapiens diceretur et canus. 40 Et si aliquando carnalibus deliciis est temptatus, Dei mediante gratia non est abstractus neque illectus. Quia enim nemo sine peccato est, cuius etiam vita est unius diei super terram: hic si aliquando peccando decidit, eo citius resurgens fortius stetit. Quod de se ipso considerans psalmista dicit: *Priusquam ego humiliarer, deliqui; propterea eloquium tuum custodivi.* Ps. 118, 67. Sed quid in ipso tamquam in fructu miremur, quem de arbore bona processisse speculamur? 45 Bonos quippe fructus arbor mala non facit, set nec malos arbor bona producit. Decet igitur ut bonis parentum moribus filius patrisset, ut quorum doctrina fovebatur ut rore, eorum vitae fructum spiret in virtute. Talibus itaque ac tam iustis parentibus editus, in Babenbergensi ęcclesia liberalibus rudimentis traditur imbuendus. At puer bonae indolis libens didicit; ingenio pollens, doctores letus audivit, audita sagaci memoriae commendavit. Puer inquam 50 docibilis, cunctis amabilis, ludicris non intentus, disciplinae totus deditus, in consortio stabilis, et in sermone affabilis erat. Verum tamen prope timentes Deum salutare ipsius est. Quia enim regnum Dei primo quesivit, omnia illi deinde habundantissimę adiecta sunt. Fuit quippe facie elegans, sed formae facta virtutis equiperans. Tandem quia dignus conspicitur, canonicam prebendam in eadem episcopali sede sortitur. Ubi ita se egit, ut esset inter pro-55 spera humilis, inter adversa mitis, in virtute castus, in paupertate largus; et ut ita dixerim est omnibus omnia factus, ut de illo dici possit quod scriptum est: *Potuit transgredi et non* Eccli. 31, 10.

a) *ita codices;* sanitatis *Canisius.* b) *deest* A. c) ęnum 1. henum B 2. enum B 1. 3. 4. d) pinzgowe B 1. pinzzegŏe B 2. pinzgŏ B 3. 4. e) eringe B 2. f) Lulbach B 1. Iûlbach B 2. Iulbach B 3. 4. g) *vitam hanc ex solo cod.* A 1. *damus, in codd.* B. *altera substituta est, paucis sententiis ex nostra desumptis interpolata.*

est transgressus; facere mala et non fecit. Quia vero omnibus suis adoptabatur ut unicus, duplici custodiae est deputatus, ut scilicet infra septa claustri erudiatur a clerico, et extra ne fugeret, custodiretur a laico. Quadam igitur die ex tanta constrictione magistrique sui comminatione perterritus, ad monachos plagas fugiendo diffugit, et se monachum fieri instantissime postulavit. At monachi devote postulantem gaudenter excipiunt, sibique ne subtrahatur ianuis clausis tonsura simul et habitu conformare properanter intendunt. Comperit interea ex doctoris requisitione puerum pedagogus abesse; quo vertisset ignorans circumquaque querendo discurrit. Cum itaque per singula claustra cucurrisset, ad montem etiam monachorum[13] querendi causa divertit. Ubi cum nullus pateret introitus, fenestram disrupit intrare conatus; intra ęcclesiam se totus inmittit, quia in conventu stare quem querebat aspexit. Gladio arrepto psallentes invasit, dominumque suum ita deformatum cum fletu et clamore ad maiorem ęcclesiam usque reduxit. Quo viso et cognito in monachos clerus effunditur incendiis, iniurias illatas conqueritur, divinis officiis silentium indicitur; set non diu perstitit, quoniam dictante ratione pacantur.

2. Quia igitur chorum clericalem monastice tonsus non decuit, sumptibus datis in Franciam discendi causa cum magistro suo directus est. Ubi in tantum profecit, quod sibi seniores suos sensu crescente subegit. Deinde cum iam corpore simul et virtute magnus excreverat, in patriam reducitur: ut qui parentum fuit adoptio, fieret etiam consolatio. O quam felix exivit, sed multo felicior rediit; immo et future felicitatis sue signum iam reversus[a] videre meruit, et aliis premonstravit. Cum etenim quadam die post reversionem parentibus suis in domo consedit, gallina adveniens, sub vestimento ipsius ovum magnum posuit; et quasi quid in ipso sperari posset populo declarans, exeundo ut assolet vociferavit. Crastina quoque die in conspectu omnium, indumento ipsius ovum, set priore grossius, reposuit. In quo bis facto, quod primo abbatis, et postea episcopi vice fungeretur, ut credi potest, significavit. Post haec beatus Eberhardus licentia Babenbergensium canonicorum licet vix impetrata, ad claustrum redit spontaneus unde aliquando recessit invitus; quia videns mundi labentis faciem, ne forte et ipse laberetur ab illo retraxit pedem. Et qui adhuc in mundo positus, cum Martha Christum suscipere studuit sollicitus, in claustro cum Maria Christi pedibus assidens, iam cogitavit fieri contemplativus. Legit siquidem scripturam dicentem: (Luc. 14, 33.) *Nisi renunciaveris omnibus quae possides, non potes meus esse discipulus.* Hoc sepius mente retractans, tandem consummat propositum; possessa reliquit et seculum, canonicus mutatur in monachum, et in Proveningensi cenobio suae fecit professionis votum. Mollia mutantur in asperum, pro dulcibus fuit obprobrium, amictusque est cilicio super nudum, quo usus est usque ad obitum suum. Merito quidem plus delectatur quam veste: maluit significari quam significare. Ibi sub regula preceptori subditur, ibi contra nequicias in caelestibus, ut miles fortis inparatur, ibi lumbos succinxit et opera, ibi lampadem virtutis portat cum lucerna. Proprias voluntates abdicat, diabolo et pompis eius abrenunciat; ibi crucem Christi tollit et baiolat, et in eadem cruce se ipsum cum viciis et concupiscentiis mortificat. Corpus suum ieiuniis macerat, orationibus protractis invigilat, divinis officiis totus inhiat; non murmurare superfluus, set pocius cum paupere Christo pauper esse desudat. O hominem humilissimum, ad ocia tardum, ad alta novissimum, ad ministeria primum! Super omnes fere nostri temporis preminet, qui sicut stella matutina virtutum radiis lucet. Ad sacerdotium igitur promovetur ut dignus, cui sacrificium cottidie fuit spiritus contribulatus. In carne quidem set preter carnem vivens, de die in diem et de virtute profecit in virtutem, ut videret Deum in Syon. Iam ecce probat quod fecit, iam quem cupiebat intendit, et quem velud per speculum hic vidit sub enigmate, en carne solutus speculatur in sede gloriae. In isto videtur michi (Psal. 75, 2.) compleri quod scriptum est: *Notus in Iudea Deus, et in Israhel magnum nomen eius.* Deum etenim adhuc in seculo positus per confessionem novit; set iam in claustro conversans, vice Israhelis, Deum perspicue vidit. In ipso quippe per Spiritum sanctum fuit, qui puro mentis (ibid. 3.) oculo celi secreta penetravit. Unde est illud quod sequitur: *In pace factus est locus eius, et* (Psal. 77, 5.) *habitatio eius in Syon.* De ipso quoque legi potest, quod in alio psalmo dicitur: *Suscitavit Dominus testimonium in Iacob, et legem posuit in Israhel.* Quasi ergo Iacob beatus Eberhardus fuit, dum carnis vicia morum virtute subplantavit, set velud in ipso tunc Deus suscitavit

a) *ita* B. reuersurus 1.

13) Monasterium S. Michahelis in monte.

testimonium, quando hunc veritatis suae fecit testem suum. Legem in ipso tamquam in Israhel posuit, cum in eo opera legis quibus Deus videtur stabilivit. Mirum in modum carne claustris includitur, sed virtutum spiritu toto mundo dilatatur, et qui uno tenetur loco, eius laudibus non sufficit mundi latitudo. Quem etiam vestis monastica denigrat, hunc apud 5 Deum et apud homines virtutum fama dealbat, ut conveniat illi quod scriptum est: *Dilectus* Eccli. 45, 1. *Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est.*

3. Cum igitur iam tantae perfectionis culmen attigerat, deliberavit apud se non amodo sibi soli, sed multis debere se militari. Ad honorem ergo Dei et ad multorum profectum una cum fratribus suis ex patrimonio suo Biburgense construxit cenobium; ibique ad ser-10 viendum Deo pulchrum collegit conventum. Tunc beatus Eberhardus tam quia loci huius 1133. primus erat fundator, quam pro scientia vel potius pro sanctitate in pastorem eligitur, monastice proponitur, et abbas efficitur. Ubi a religionis assueto nihil remittens, pie sevit in subditos, et districtius examinans fovit actus suos. Studuit equidem ut decet timeri laetus, amari districtius, et subditis non alter esse quam socius; maluit sanctus esse quam dici, 15 maluit obedire quam magistrari. Quod manu potestatis ligavit in grege, hoc digito movit in oratione. Dixit et statuit, custodiri iudicia Domini. Dixit ergo et fecit; ore docuit, et opere complevit.

4. Ea igitur tempestate beati Eberhardi conversionis non multis annis evolutis, Iuva- 1147. vensis ęcclesia felicis memoriae Chunrado pontifice destituitur. Qui quoniam ęcclesiam Christi 20 iam diu in carcere laicae subiugationis captivatam, apostolica auctoritate et imperiali nutu liberaverat, velud stella nube mortis obducta deplangitur; set in successoris officio quod in illius morte remissum fuit suscitatur. Canonica enim mediante electione populique acclamatione, vel potius sancti Spiritus invocatione, beatus Eberhardus subrogatur anno ab incarnatione Domini 1147; et ipso anno consecratur in Iuvavensi civitate sua, 7. Kal. Maii, a venera- Apr. 25. 25 bili Ottone Frisingensi episcopo, cooperantibus sibi Heinrico Ratisponensi episcopo, et Hartmanno Brixinensi episcopo, et Reginberto Pataviensi episcopo, et Romano Gurcensi episcopo[14]; et ab Eugenio papa 5. Idus Maii pallio honoratur, et a serenissimo Romanorum 11 rege Chunrado regalibus honorifice investitur. Ubi quasi vir alter in virum alterum de die in diem proficit, de perfecto in perfectissimum satagit, et aliena non querens, quae propria 30 habere potuit, cunctis communia fecit.

Nil proprium dixit, quod puncto mobilis horae, Hor. Ep. II, 2, 172.
Nunc prece nunc precio, nunc vi nunc morte suprema
Permutet dominos, et cedat in altera iura.

O magnum divinae potestatis indicium! qui sic egenum de pulvere suscitat, ut cum principe 35 sedeat; et qui pro nobis pauper factus est in mundo, spiritu pauperem locat in solio gloriae. Pauperem bene dico spiritu, non pauperem ortu; vestium vilitate despectum, set virtute superbum. *Est siquidem sancta superbia*, inquit Ieronimus, *qua quis male facere dedignatur.* Et Sapientia clamat: *Mecum sunt superbae opes et gloria.* Quis non miretur hominem in Prov. 8, 18. veste lugubri morum ornamentis purpurari? Qui enim torcular calcavit, vestimenta inqui-40 nans, stola vestitur ipsam in sanguine agni dealbans. Martyrium siquidem fit sine gladio, et sine morte potiuntur multi palmae triumpho. Dum enim caro et spiritus invicem congrediuntur, carne succumbente spiritus triumphat. Quid ergo non sit martyr in mente, qui totiens est afflictus carnis temptacione? Qui enim non est temptatus, non est probatus. Quia igitur iste sanctus per multas tribulationes introivit in regnum Dei, recte confessor predice-45 tur et martyr; qui corpus castigans, et carnem servituti subiciens, cogitavit esse quod dictus et in ipso stare ad quod fuit promotus. Frequenter enim recolebat illud apostoli: *Oportet* 1 Tim. 3, 2. *episcopum esse irreprehensibilem, castum, pudicum, sobrium, unius uxoris virum, hospitalem, non vinolentum, non symbolis intentum, non luxuriosum* et cetera. Vere irreprehensibilis fuit, in quo nullius macule nota exstitit. Castus quia mente mundus, pudicus quia pudore bono 50 plenus, sobrius id est impiger fuit. Bene quoque unius uxoris vir erat, qui ęcclesiam ex multis animabus sibi subditis fide collectam cottidiano sacrificio Deo et sibi copulabat. Non enim fecit ut quidam scripturam pervertentes faciunt, ex apostolicis verbis cavillantur in suis cul-

14) Idem in Necrol. cod. Sal. 311. saec. XII. (Mon. SS. IX, 775.) traditur, sed ad diem 11. Maii, addito: 55 *qui archiep. eodem anno ab Eugenio pallio honoratur.* Dies 11. Maii erat dominica, sed electum eum fuisse ante d. 25. Apr. constat ex epistolis ad alterius vitae c. 6. editis. Itaque 25. Apr. inthronizatum, 11. Maii consecratum esse existimo; cf. Gebeh. vitam recent. c. 1.

1 Cor. 7, 2. pis. Apostolus enim dicit: *Unusquisque suam habeat propter fornicationem.* Set quia sacerdoti vel pontifici fornicari non licet, liquet quod sacerdoti ecclesia coniungi debeat. Hic vere fuit ęcclesiae sponsus, ęcclesie pater et filius, omnium filiorum ęcclesiae doctor, et ecclesiasticarum institutionum assiduus operator. Super omnes quoque nostri temporis hospitalis et Prov. 22, 9. largus, et super afflictos pietatis visceribus affluxit totus cogitans illud Sapientiae: *Qui pro-* 5 Matth. 5, 7. *nus est ad misericordiam, benedicetur.* Et idem in euangelio: *Beati misericordes, quoniam* Prov. 22, 2. *ipsi misericordiam consequentur.* Huic mihi videtur bene convenire quod scriptum est: *Dives et pauper obviaverunt sibi, et utriusque eorum operator est Dominus.* Dives inquam fuit dignitate, pauper voluntate; pauper in rebus, dives in virtutibus; dives cum divite, pauper cum paupere: denuo conpassus utrisque. O mirandum in divite! sepe remittit proprium ne cupere 10 videatur alienum; ridet ut tribuat, timet ut teneat. Nulli pulsanti clauditur, omni petenti 2 Cor. 9, 7. totus aperitur; ut de ipso dici possit: *Hilarem datorem diligit Deus.* Et alibi: *Quasi duo dona dat qui libenter dat.* O persona laudabilis! statura procerus, etate provectus, capillis canus, morum honestate maturus, vultu ilaris, in commisso fidelis, in consilio providus, sermone facundus, opere pollens et discretus. Ecclesiam quoque Christi pie protexit, clerum 15 diligentissime corripuit, laicos cum omni mansuetudine fovit, iustos perseverare monuit, rebelles vero baculo Petri percutiens districte coercuit. Quippe quia in ovile ovium non aliunde quam per ostium quod Christus est intravit, talem se cunctis exhibuit quales omnes homines esse voluit. Simoniam autem et omnes hereses cum suis complicibus[a] ac si pestem fugit; feneratores simul et falsos iudices anathematis sententia constrinxit, et quos emendare 20 non potuit, a grege dominico ne cum ipsis contraheret maculam segregavit.

1159. Sept. 1. 5. In diebus vero suis dormiente bone memoriae papa Adriano, omnis Alemannica ecclesia cismate Octaviani conmaculata est. Gregem ergo suum cismatico fermento corrumpi grave ducens, genu suum ante Baal flectere noluit, set iniusticiae legibus obsistens, iusticie totus acclinis fuit. Iusiurandis sibi alligavit principes, cismati resistere, et canonica 25 servare suos coegit pontifices; pro patria obtinenda pati parvi pendens exilium, pro celestibus terrenum abiuravit imperium. Quid per singula? Ex adverso stetit ad prelium, murum Eccli. 44, 20. pro domo Israhel opposuit semet ipsum ut recte dicatur de illo: *Non est inventus similis illi qui conservaret legem Excelsi.* Hic itaque regie maiestatis refraganeus, et apostolicae institutionis operator fidelissimus, cismatice persecutionis decreta ad unguem obliterat, set sanctitatis 30 suae gratia ipsum offendere inperator ipse formidat. Quid plura? Sic suae mansuetudinis funiculo omnium scismaticorum feritas constringitur, ac si aliquando virginis loro rinoceros astringatur. Omni diligentia greges suos intendit, et eorum vultus iuxta librum sapientiae diligenter inspexit, ut peccati abstergat scabiem et oleo misericordie fovens in earum facie depingat pietatem. Eia quanta in ipso virtus est: qui rem publicam recte dispensat, ius ci- 35 vile defendit, ecclesias et ecclesie personas corrigere satagit, restaurat perdita, custodit inventa. Fregit esurienti panem suum, et egenos vagosque induxit in domum suam, nudos quos vidit operuit, et carnem suam non despexit. Pupillos enim ut pater aluit, et viduas de Iac. 1, 27. tribulatione eripuit, attendens illud apostoli: *Hec est religio munda et inmaculata apud Deum, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum.* Pro istis et pro his similibus stabilita sunt 40 bona illius in Domino, et elemosinas illius enarrabit omnis ecclesia sanctorum. Digne de Psal. 111, 9. ipso legi potest illud psalmistae: *Dispersit, dedit pauperibus; iusticia eius manet in seculum* Matth. 25, 29. *seculi.* Et illud in ewangelio: *Omni habenti dabitur.* Vel illud: *Date et dabitur vobis.* Hic Luc. 6, 38. enim quo amplius dedit, non pauperatus est; set plus habundare, vel plus recepisse visus est. Et quid suscepit? Credo quod centuplum: quia pro temporalibus eterna, et pro terrenis re- 45 Prov. 27, 9. cepit celestia. Recte igitur de ipso Sapientia clamat: *Ungentis et variis odoribus delectatur cor.* Suis equidem virtutibus ac si ungentis sanantur languidi, respirant miseri; et eius exemplis quodammodo refecti, odores virtutum spirant, qui prius fuerant infecundi. In vinea Domini Sabaoth operarius et custos, cum singulis operatoribus accepit et dedit singulos denarios. Accepit ipse a Christo, dedit se ipsum pro Christo. Accepit pro pondere alleviamen- 50 tum, pro estu refrigerium, colligitur qui collegit; pro decalogo, quem tenuit, eternae retributionis denarium accepit. Laborem operando sustinuit, set quia labores manuum suarum manducavit, beatus est, et bene sibi erit. Qui operatus est cum novissimis, in regno suscipitur cum primis, exemplum relinquens posteris suis. Omnibus enim tam sapientibus quam etiam discolis quam pie potuit se ipsum totus exhibuit. Et quos percutere potuit in gladio, 55

a) suis *add.* c.

ne et ipse gladio periret, de mortis redemit periculo, attendens illud propheticum: *Eos qui ducuntur ad mortem eruere ne cesses.* Hoc fecit materialiter, hoc fecit et spiritaliter: istos ne iugulentur in causis, illos ne condemnentur in culpis.

Prov. 24, 11.

6. Quis ergo non credat istum patriarchis consimilem, prophetis consortem, apostolis cum ceteris Christi martyribus confessoribus et virginibus esse concivem? Noe quidem octo animas in arca cum ceteris animantibus pascit et servat, beatus vero Eberhardus in arca testamenti oves dominicas, octo beatitudinibus recensentes[a] pane verbi Dei cibat, et ne peccando naufragentur precum suarum remige salvat. Abraham quoque ut legitur pro filio mactat arietem; beatus vero Eberhardus se ipsum immolat, hostiam adhuc in carne viventem. Moyses trina percussione virge aquam eduxit de silice; sanctus vero iste ut populus credentium potetur, triplex doctrine misterium exponendo[b] aperuit de duricia legalis litterae. Davit cum ceteris de Christo futura prophetat; hic vero conpleta predicat, et que futura sunt complenda confirmat. Est igitur cum Petro pastor, cum Paulo doctor, cum Iohanne ewangelista veritatis assertor, hereticorum fortis oppugnator, et dominice veritatis catholicus predicator. Tunc beatus Eberhardus tot virtutum canis provectus, quod dies habebat in annis, de mundo profecturus vigilat; et quasi Domino vocanti responsurus paratus esse properat. Cum ecce dies advenit ut transeat, carne infirmus, set spiritu sanus de mundo migrat, et inter angelicos choros suscipiendus felix exspirat. De mundo suscipitur, ut diximus, eger in carne; set in astris colligitur indutus fortitudine et precinctus virtute. Ubi quem lamentis vel suspiriis vocabat continuus, iam suscipit et videt in celestibus regnis. Qui hic velud aurum in fornace inter temptamenta carnis probatus est, felicem animam caelo inferens, regalibus thesauris repositus est. Mortuus est autem, vel potius cum Christo vivit felicis memoriae antistes Eberhardus anno ab incarnatione Domini 1164, ab ordinatione pape Alexandri anno 6, et imperatoris Fridrici 13, decima Kal. Iulii regnante domino nostro Iesu Christo, cui cum Deo Patre et Spiritu sancto honor est et inperium per omnia saecula saeculorum. Amen.

1164. Iun. 22.

7. Post obitum igitur Deo dilecti antistitis Eberhardi tot miraculorum Christi ęcclesia clarere cepit insignibus, quod sanctus adhuc vivens virtutum habundabat operibus. Et qui mundo tunc latêre disposuit, signis quae iam per ipsum fiunt adprobatur quis fuerit. Qui enim tunc dixit cum Esaia: *Secretum meum michi, secretum meum michi*[c], ne elatione temptaretur quesivit latibulum, ad angelorum ecce et hominum deductus est commune spectaculum. Quod etiam in occulto mentis secretario factum est, iam super tecta predicatum est[d]. Huic sancto acclamat ipsa Veritas in ęuangelio: *Nichil opertum quod non reveletur, et occultum quod non sciatur.* Qui etenim tunc abscondit elemosinam in sinu pauperis, nunc per ipsam habetur excusatus in conspectu summi iudicis. Decebat[e] ideo, ut quem honore ditavit in coelis, signorum vel magis beneficiorum claritate Dominus magnificaret in terris. Quaenam fecerit vivens, nonne haec scripta sunt in noticia singulorum? Nisi tamen preteritorum scriptura commemoret, non est in futuro qui Deum in sanctis suis glorificet. Unde est illud: *Cito fecerunt et*[f] *obliti sunt.* Quae enim scripserunt scimus, et que pretermiserunt nescimus. Non equidem legimus in tota veteris testamenti serie, quis fuerit ille Zacharias, qui occisus est inter templum et altare. Si sciretur quis esset, Deum in ipso plebs glorificaret. Necessarium igitur est ut ab initio propositiones loquamur, quanta audivimus et cognovimus ea, et fideles narraverunt nobis. Signis quidem fides populi fundatur. Unde est illud: *Signa sunt infidelibus, et non fidelibus.* Ideo ergo fiunt, ne aliqui infidelitatis errore seducti, dicant sicut illi dixerunt: *Signa nostra non vidimus, iam non est propheta, et nos non cognoscet amplius.* Ut ergo sciant omnes, quia beatus Eberhardus cum Christo regnat, beneficio Dominus declarat in mortuo, in quo sibi complacuit adhuc vivo. Igitur o lector, quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, si humanum negaveris testimonium, miraculis saltem quae fiunt fidelem prebeas assensum. Probant quidem sanctum miracula, et populo sanctitatem eius revelant Domini beneficia. Inprimis enim manifestavit eum Dominus sic:

8. Homo quidam diabolo instigante ęcclesiae maioris seras temerario ausu irrupit, et detestabile furtum in ea commissurus intravit, et scrinium cuiusdam canonici securi violenter confregit; ex quo[g] duas casulas cum reliquis sacerdotalibus ceterisque bonis surripuit, saccoque delaturus inposuit, sed exiturus virum aetate canum, veste candida circumamictum sibi cominus assistere conspexit. Unde quidem non mediocriter territus, sed nequiciam suam nec dum persolvere veritus, cum onere processit in medium, sed prope sepulchrum beati Eberhardi duobus passibus distans inmobilem fixit statum. Sanctus enim ut creditur, qui ęcclesiastica protexit vivus, iam cum Christo melius valens, ęcclesiae damna non passus est mortuus. Tamdiu igitur nutu Dei stetit inconcussus, donec a populo cum sarcina captus, rem gestam publice[h] profite-

a) *ita codex.* b) i. allegoriam anagoge et tropoloyam *superscr. manus subaequalis.* c) s. m. m. *desunt* 1. d) *deest* 1. *ubi ex corr.* predicatur. e) dicebat 1. B 1. 2. f) *deest* 1. g) qua 1. B 3. 4. h) bublice 1.

retur confusus[15]. Accidit autem ut quidam puer de Matse[a], nutu divinae predestinationis a nativitate caecus, ad limina beati Ruodberti deferretur, sed sancti Eberhardi tumbae superpositus, prece omnium qui aderant, oculorum perfusus est luce. Puella quoque quaedam de Gruscharn[b] duodennis, surdum et mutum habens spiritum, beati viri sepulchro advolvitur, sed fidelium interpellatione auditu simul et voce reparatur. Item miles quidam domini Chunradi[c] Iuvavensis ęcclesiae archiepiscopi III[16] nomine[d] Rudigerus[d], filiam habuit paralysi uno brachio destitutam immo premortuam, pro cuius sanitate mater sepe frustrabatur in medicis, sed ecce ad melius conversa, beati pontificis gratiam experitur et dona. Christum compuncta petit et sanctum, luminare parans metitur ut brachium, tumbae sancti[d] preponit ut ardeat, domumque reversa sospitem[e] filiam invenit, Deumque in sancto suo glorificat. Mirum in modum mulier in templo, sanctus in domo, illa accendit candelam, iste sanat filiam, cera liquendo decrescit, sed virgo meliorans invalescit. Similiter et quaedam sanctimonialis femina, ex calculorum longa egritudine feré consumpta, ante sepulchrum sancti viri prostrata[f] compungitur, et dum pie supplicat, meritis sancti calculus dilabitur, et ipsa sanitate percepta gratulatur. Dignum quippe erat ut qui duros hominum actus emollivit[g] ut saxa, sic quoque in prosperum supplex ipse supplicum commutaret adversa. In coena quoque Domini quaedam[h] demoniaca iam diu obsessa adducitur, supra quam cum exorcismus legeretur, spiritus nequam qui inerat, variis linguis fabulatur. Dum vero fit illi comminatio a clero per beatum Virgilium, demon clerum subsannat, et se Virgilium magistrum suum iam tercia die in inferno reliquisse clamat. Queritur ergo, quis vel cuias ille Virgilius sit? At ille Mantuanum poetam fuisse respondit. Tunc interrogatur ubi vel per quem sit exiturus; dixit quod cum ad patrem[i] pauperum venerit, iam amplius illi remanendi locus non sit. Tandem summo diluculo cum antiphona *Traditor autem* diceretur, sub specie vespertilionis egredi visus est; set ex eius fetore archiepiscopus Chunradus[k] qui aderat cum Ratisponense episcopo Chunone de sede sua propulsus est. O mirae virtutis vel potius piae paternitatis indicium, die qua se ipsum Dominus panem salutarem discipulis proposuit, tunc et beatus Eberhardus mortem effugans, vitam condonat ovibus suis. Non diu post haec miles quidam de nemore sancti Leonhardi uxorem suam sepulchro pii patris applicuit, quam nutu Dei et sancti meritis, licet diu contractam, cito erectam laetus obtinuit.

9. Simili quoque modo mulier quaedam de Strazburch seu humorum ariditate seu nervorum contractione manuum officio destituta, invocato nomine sancti pristinam sanitatem est adepta. Subsequenti tempore puella quaedam de Niwenburg marchionis caeca, patre comitante advenit, sed sancti sepulchro advoluta, astantium supplicatione visum felix obtinuit. Item femina quaedam de Engelbrehtesheim pluribus annis obsessa, a devotis fidelibus monumento memorati presulis adiungitur, sed demon sancti virtutem non sustinens, Deo vero honorem prebens, vas diu obsessum celeri fuga deseruit. Quidam etiam adolescens de Heresingen in Trungou[l] et ipse mutus, sanctum confitetur corde, quem non potuit ore, sed virtute sancti instruitur quid loquatur et voce. Miles quidam calculosus diu languens et pallidus, tamen nomine patris invocato sic calculum digerit, quod nullam molestiam amplius sensit. Similiter et mulier quedam de Chiense[m] arrepticia adducitur, sed meritis supradicti pontificis de potestate demonis celeriter emancipatur. Post haec paucis mensibus decursis, in presentia archiepiscopi Chunradi III et Brixiensis episcopi Heinrici, marchio minor Theobaldus[n] de Vohenburg[o], sancti Eberhardi aliquando nutricius, mulierem per decem et octo annos energuminam adduxit, et pro ipsa nocte tota vigilans, quam sanandam in sancti sui glorifi-

a) Mathsé B2. Mathese B3. b) Grůscharn B2. 3. 4. c) C. I. e. *et* III. *desunt* B. d) *deest* 1. e) suam *add.* B1. 2. f) *deest* 1. g) emolluit 1. h) quidam demoniacus i. d. obsessus s. quem 1. *ex corr.* i) pauperem 1. B1. k) *nomina desunt* B. l) Tungou 1. B1. m) *ita* 1. Kimse B1. Kiemse B2. Kymese B3. 4. n) Diepoldus B1. Dietbaldus B2. 4. Dietboldus B3. o) Voheburch B2. 3. 4.

15) Apponimus etiam relationem antiquiorem et simpliciorem ex cod. Univ. Graz. fol. 42, 64. saec. XII. Ibi post archiepiscoporum seriem rythmicam haec sequuntur: *Gesta miraculorum sancti Eberhardi prout oculis nostris vidimus cunctorum viventium aurem revelamus. Homo quidam scelestissimus ecclesiam nostram latenter ingressus scrinium cuiusdam sacerdotis et canonici casulam et cetera eiusdem cappelle utensilia servantis securi infregit omnibusque sublatis sepulchrum sancti Eberhardi transire volebat. Et ecce quasi a Deo infelix percussus obstupuit nulloque modo a tumulo ipso recedere valuit. Populis tandem undique concurrentibus conprehenditur cunctisque receptis correptus abire sinitur. Item femina quedam nobilis Salzburgensis civis filiam habens unicam que nec manum ori suo umquam applicare valebat, candelam accensam ad tumbam viri Dei detulit, conpletisque precibus domum rediens filiam incolomen reperit. Mulier altera calculosa sepulchro sancti Eberhardi se superposuit, statimque calculo elapso convaluit. Arepticii duo illo adducti preter moram ab infestante sunt liberati. Miles quidam de nemore sancti Leonhardi uxorem suam sepulchro ipsius superflexit, moxque a menbrorum contraccione liberata est. Femina quaedam de Strazburch paralitica secus tumbam viri Dei convaluit. Puer triennis cecus de matre ad eandem memoriam adductus, visum recepit, parvoque quasi* 3 *horarum spatio super eandem tumbam caput reclinans, animam Deo reddidit. Item puella de Nuwburc iuxta Vorenbach ceca ibidem illuminata est. Item mulier de Engelprehteshim demoniaca ibi salvata est. Puer* 8 *annorum de Moshenheim iuxta cecus illo adductus lumen recepit obtatum. Item puella de domo sancti Floriani Austrie manibus et pedibus contracta ibidem salvata est.* Sequuntur nomina archiepiscoporum quae desinunt in Chuorado II. 16) scil. Moguntini qui ann. 1177—1183 ecclesiae Iuvavensi praefuit.

catione usque adhuc Deus distulit, a domino suo curatam obtinuit. Mulier quaedam de Muldorf a spiritu nequam vexata adducta est, sed sanitatis gratiam, quam quesivit, fidelium prece ab ipso patre citius nacta est.

10. Audita igitur fama miraculorum beati Eberhardi ceterorumque Iuvavensium sanctorum, vehementi tonitruo ab incredulitatis somno citius velut excitatur karitate tepentium multitudo. A remotis accedunt provinciis et ab alienis adveniunt regnis, et miraculorum surgunt exciti fulgure, hoc Iuvavum quaerere, quod fides non obtinuit aput se. Inter illos videlicet quaedam mulier venit de Herbipolim[a] luminis causa, caeca petit merita pii patris experiri. Dum ergo Iuvavum iam diutius moraretur, salutis cupida, tandem ex improbitate pietatis ei aperitur ianua, triplicis fidei percepit alimenta, sic pascitur per fidem, quod corporis et animae recepit sanitatem. Mirum in modum oculis carnis experitur ut videat, et oculis cordis expeditur quod credat. Dixit quidem: *Vidi eum in carne manentem, sed nunc experiar in coelo regnantis virtutem.* Feliciter experta est, quia quod petiit adepta est. Accessit enim ducta per alterum, sed ecce regreditur sibi premonstrans iter suum, et quae accessit contristans, laeta revertitur, Deum in sanctis suis glorificans. Post haec non diu duo venerunt milites ducentes contractum per singula, experiri cupientes si beati Eberhardi virtus esset ut fama. Eger itaque ille iam pridem miles et predo nequissimus, et ex incestu cum uxore scilicet fratris sui fornicando per predictum antistitem erat excommunicatus. Cum ergo usque post mortem sancti ita perseveraret inpenitens, qui potuit voluntarius, infirmitate poenitere coactus est nolens. Corpus quidem suum usquequaque contrahitur, et velut ex lepra sicca quadam scabie sordidatur. Audita igitur pii patris virtute, accessit confiteri mortuo, fide tactus ut placeat cui noluit vivo. Cum ecce iam tumbae appositus devotionis offert precium, at sanctus solvit peccati vinculum, et contractum erigens reddidit sanum. Vox ecce populi[b] in laude sustollitur, Christus in sancto, et sanctus in Christo benedicitur, qui egre peccanti tam mirifice propitiatur. Socii vero sui sanato applaudunt, sed ab eius mensa quia adhuc livida scabie maculoso se subtrahunt, ipsi tamen memoriam sancti Eberhardi celebrandam commendare non sinunt. At ille infeliciter inquit: *Mallem ut primo contrahi, quam sic a vobis erectus despici, quoniam si plene sanasset applauderem, sed iam despectus doleo*[c] *propter hanc erectionem.* O quam terribile inquam dictu, in crastino mentum contrahitur usque ad genu, ut qui sanari doluit, iam solito infirmior sit. O mira pastoris sententia, mortuus mortalia solvit vincula, solvit anima nexu corporis, virtutem pastoris experitur ovis. Pastorem igitur non irritare discat subiecta ovis, discat non irretiri peccati vinculo, ne si mors premineat, absit omnis propitiatio. Mulier quaedam de Eneso[d], virum relinquens legitimum, ioculatori se iungit ad vitium, insaciabilem fovere cupiens appetitum. Iuvavum igitur veniens lascivitur ut stolida, garrit et ioculatur ut ganea, legitimi federis adulteratur oblita. Tandem ad sepulchrum beati Eberhardi accedit inconposita, cum cyrothecis offert ęlata. Sed ultione divina percutitur, et fit arrepticia. Solita rimatur ludicra, iusticiae blasphemat ut garrula, huc et illuc se revolvit in aera, quoniam sic a demone vexabatur obsessa. Educitur ergo et trahitur in templum, et a clero circumstante exorcizatur demonium, at mulier delicta confitetur ne pereat, et emendare promittens, Deum liberata glorificat.

11. Laudetur ergo Christus in sancto, laudetur sanctus in Christo, qui sic dispensat ut laborent infirmi, ut sanitatem eis redditam sanctorum suorum ascribat meritis et suae virtuti. Quicquid enim fit per sanctos, Deus facit in ipsis. Unde est illud: *Sine me nichil potestis.* Operatur enim omnia in omnibus, dividens singulis prout vult. Omnium etenim potens est Dominus, et haec fecit ut sanctum suum glorificet, et notam faciat nobis potentiam suam, dicens per prophetam: *Videte quod ego sim solus, et non est alius Deus preter me.* Excutit enim Pharaonem et virtutem eius in mari rubro. Quis est iste Pharao nisi diabolus, qui est Egipti id est tenebrarum rex? Ipse quidem quos potest exterminat, id est extra terminos patriae ducit et necat. Quae est eius virtus, nisi temptationum suarum fortis tumultus? Quid est mare rubrum, nisi martyrium? vel Christi passionis sacramentum? Quasi enim Pharao cum exercitu suo in mari rubro submergitur, cum diabolus et vicia sua Christi et sanctorum suorum passione convincuntur. Ideoque gloriosus Deus in sanctis suis, mirabilis in maiestate sua, terribilis et laudabilis, et faciens mirabilia solus. Et haec facit ad laudem et ad gloriam nominis sui, qui est Deus benedictus in secula. Amen[e].

a) Wirziburch B. b) *deest* 1. c) *deest* 1. d) Ense B. e) *sequitur in* 1. B 1. 2. *declamatio quaedam de S. Eberhardo quam ut nullius pretii omisi. Edita est hoc loco a Canisio III*, 2, 417 *ed. Basnagianae.*

VITA MEINWERCI

EPISCOPI PATHERBRUNNENSIS.

Inter libros qui res saeculi XI. Saxonicas tractaverunt, haud ultimum locum obtinet vita Meinwerci[1] *episcopi, viri genere et ingenio clari, magnaeque apud Heinricum II et Chuonradum II imperatores auctoritatis. Qui quum inter alia beneficia in ecclesiam Paderbornensem collata monasterium novum Abdinghofense construxisset, centum et viginti amplius annis post obitum episcopi elapsis quum Bernhardus episcopus meritis in ecclesiam suam Meinwercum quodammodo referret, beneficii illius memor monachus quidam*[2] *vitam et res gestas fundatoris scribendas suscepit, magnaeque cum laude assiduitatis exegit. Vir litteris sacris et profanis bene eruditus plurima operi subsidia cura indefessa collegit; nec rebus quas de vita episcopi comperire poterat contentus, tabularium Paderbornense excussit et magnam chartarum ibi adservatarum vim excerptam ad posteritatis monimentum et Patherbrunnensis ecclesiae stabile praesidium et firmamentum operi suo inseruit. Historias etiam diligenter evolvit, et quum in ecclesia sua annales Hildesheimenses*[3] *reperisset, iis aeque ac vita Bernwardi et vita Godehardi episcoporum Hildesheimensium, vita Heinrici II imperatoris, vita Heriberti archiepiscopi Coloniensis auctore Ruperto Tuitiensi, Thietmaro, Adamo Bremensi et translatione sancti Liborii ad concinnandum librum usus est. Quod quum studio et sedulitate haud vulgari exegerit, nomen eius intercidisse dolemus. De tempore tamen quo scripserit, minime ambigimus*[4]. *Adest enim*

1) *Codex ab ipsius auctoris manu profectus, et scriptura teste saeculo XII. medio exaratus, manu saeculi XIV inscriptus:* Liber sanctorum Petri et Pauli in Paderborne *seu* Abdynchoff; *et quum excerpta ab eo vita Heinrici II Friderico I rege ideoque intra annos* 1152 *et mensem Iunium anni* 1155 *conscripta sit, vita Meinwerci autem certe combustionem monasterii Abdinghofensis quae anno* 1165 *contigit praecesserit, eum intra annos* 1155 *et* 1160, *scilicet ultimis Bernhardi episcopi*[5] *annis, compositum fuisse persuasum habeo. Ceterum libri facies auctorem per aliquantum tempus operi concinnando retractandoque insudasse arguit, et nonnulla ei subsidia textu iam absoluto ad manus venisse, quae ex*

1) Scribitur in chartis eius temporis Meginwerk, Meinwerk, Meginwarc, Meginwarcus, Meginwarchus, Mechinwerchus. 2) Abdinghofensis v. cap. 180 »monasterium nostrum« et 215 »monasterium hoc« vocat. 3) Eos Paderbornae continuatione annorum 1109—1137 auctos fuisse docui SS. T. III. 4) Mentionem facit c. 163 incendii Paderbornensis a. 1058, c. 157 et 160 episcoporum Paderbornensium Rothonis († 1051) et Imadi († 1077), c. 179 synodi Romanae sub Gregorio VII. a. 1078, et c. 192 illius temporis episcopos hodiernis opponit. 5) Obiit a. 1160, 17. Kal. Augusti.

Vita Thiemonis archiepiscopi.

1. C. Admunt. 410.

p̄mo discedunt at in tali negotio assolet. & ut cuiq;
nata & mores erant. alii bene. alii secus sentientes. un
q̄sq; in suo sensu habundat. Aspiritalib; & diuino
sensu sup ceteros ... surgentib. uenerabilis abbas

2. C. Lipsiensis f. 73.

ab impiis fautorib; Heinrici q̄rti im
patoris expellit. aliq; excepati eo ipso
indignior. q̄ indignus habitus digni
or regia auctoritate & inuestitura in
truditur ueri q̄m intrutzat. excectio
ne p benedictione potitur. Cui con

3. C. Erlang. f. 3.

ceret q' tanglis in celo gaudiū facit. & ut par
erat iuxta rigorē n̄ monachice tantū. uerū & eta
ecclesiastice q̄ qualiter disciplinę cū uirgis ad
satisfactionē nudus p̄cessit. emulans factis

4. C. Vorowiensis.

molib' grauiora m̄bra reddebāt. magnitudo
meritor maior erat q̄m ut ferret iniuriam.
quę digna q̄ honoris obsequi exigens. Ad ulta ē

5 Passio Tiemonis altera C. Vindoben. 1420. Sal. 25 fol. 167.

at. atq; sic ē pollicit' ē cū suis xp̄s cęq; rectorib' innocentia candidis sapi
entia splendidis usq; in finē secli manere senciat. Cōpleuit & in eternū cōple
re n̄ desinit. huic beato redeptor nr̄ iocunde illi sponsionis eloquii. Qui
cerit faciā illū colūpnā in tēplo meo. Sic n. serpentis antiq suggestiones in

W. Wattenbach scripsit.

Vita Meinwerci episcopi.

C. autographus f. 6'.

de
in octaua Pent
... rege nat
Laurentii eci
... tate Patherbru
nensi celebrari
e. d. C.

defuncti principis occupatus fuit. Magontię & sim
a Willigiso ei decimitatem archiepō ordinat.
Eodē anno dōna Chunigunda ... ipsi ut puta
bat uxor re autē uera castitatis emulatione soror.
a p̄dicto W. mag. archiepō in
regię consecrationis dōnum adueniens. Eadē
ecclię in augmentū honoris & puectū magni
decoris & diuinia puenit. Ipso anno

G. Waitz scripsit.

Adamo Bremensi, Thietmaro et chartis quibusdam in margine vel paginis addita supplevit produnt, prout etiam nonnulla ex vita Bernwardi textui absoluto adiecit. Autographum librum esse nemini dubium esse potest, qui manum ubique eandem sed diverso tempore operi intentam, spatia vacua relicta et postea demum expleta, voces et sententias multas immo paginas integras textui absoluto additas, et ordinem narrationis a foliorum serie sub finem libri diversum ultimaque auctoris opus suum recognoscentis manu restitutum animadverterit. Quae quidem omnia nonnisi auctori, eodem tempore quo liber exaratus est in ipso monasterio sanctorum Petri et Pauli degenti, convenire facile intelligitur. Notae margini passim adscriptae testantur, folia tria saeculo XVII iam defuisse librumque saeculis XIII. XIV et XV. a diversis evolutum esse; quos inter Gobelinum scriptorem Paderbornensem fuisse, quae ipse in opere inde exscripsit[6] *fidem faciunt.*

Liber membranaceus in 4to *foliis* 73 *constat, quorum tamen* 57. 61. *et* 62. *exciderunt. Subiicitur ei codex vitae sancti Meynulfi auctore Sigewardo aeque saeculi XII, quocum anno* 1773 *in bibliothecam Casselanam transiit, unde eum V. Cl. Christianus de Rommel, museo electorali praefectus, petenti mihi benignissime transmisit. Quo ita usus sum, ut textum fidelissime exprimerem, indicatis etiam numero* 2. *apposito quae auctor postea mutanda addendave esse censuit, ita ut lectoribus nostris faciem libri quantum fieri poterat ante oculos ponerem. Scripturae specimen tabula adiecta praebet.*

Praeterea usus sum

2*) *Codice bibliothecae cathedralis Trevirensis numero* 37 *signato, qui antea numerum LXV praetulit. Est membranaceus in* 4to *saeculo XIII exeunte vel XIV. exaratus. Inscriptio antiqua habet:* „Liber beatorum apostolorum Petri et Pauli in Paderborne. Tollenti maledictio. Servanti benedictio". *Recens manus addidit:* „Liber sanctorum Petri et Pauli apostolorum in monasterio Abdynghoff". *Waitzius noster, qui eum in usus nostros evolvit, ad litteram fere ex originali transscriptum memorat, omissis tamen traditionibus capp.* 30—131 *et textu synodi Seligenstadiensis c.* 178, *et additis passim initio capitum rubricis vel vocibus nonnullis quibus connexio sententiarum adiuvaretur. Urbem Mimigardevordensem ubique fere recentiorum more Monasterium scripsit. Complectitur* 71 *folia.*

3) *Codex anno* 1612 *collegio societatis Iesu Paderbornensi donatus, ab eodem autem societati Iesu Antwerpiensi oblatus, membranaceus saeculi XV ineuntis in folio, nunc iterum Bruxellis evolutus et de eo in annalibus nostris est relatum*[7]. *Aeque ac Treverensis traditiones et synodum Seligenstadiensem omittit. Tria folia quae in autographo desiderantur, Bethmannus noster cum editis contulit.*

Iisdem tamen subsidiis et ante nos editores passim usos fuisse constat. Siquidem

a) Christophorus Brower, primus libri editor inter Sidera illustrium et sanctorum virorum qui Germaniam olim gestis rebus ornarunt Moguntiae a. 1616 *in* 4to, *apographum vitiosum sibi transmissum ope manuscripti Paderbornensis vetustioris et manuscripti Paderbornensis autographi*[8] *correctum publici iuris fecit, paucis tamen in locis pendenti orationi se consuluisse profitetur. Editioni pag.* 89—117 *scholia subiecit, in quibus de fontibus libri compluribus disseruit et singula loca adhibitis scriptoribus illustrare conatus est.*

6) Cosmodromii aetas VI, cap. 52. 53. apud Meibom. Tom. I. 7) Archiv VII, 426. 427. 8) igitur codicum 1 et 3.

b) Textum eius Carthusienses Colonienses in editione tertia Surii anno 1618 transscripserunt.

c) Adolfus Overham monachus Werthinensis, iubente Ferdinando de Fürstenberg episcopo Paderbornensi et Monasteriensi, librum ad fidem autographi castigatum una cum vitis Meinulphi et Heimeradi recensuit notisque doctis amplissimis illustravit; ea editio, prima omnium integra, in curia episcopi Neuhusii a. 1681 imprimente Ioanne Todt in 8vo prodiit.

d) Anno 1695 Daniel Papebroch in Actis Sanctorum Antwerpiensibus Tomo I. Iunii pag. 508—553 ad Broweri praecipue exemplum editionem novam paravit, usus codice Bruxellensi, quum codicem Overhami autographum esse sibi non persuaderet. Omisit igitur recensum donationum et synodum Seligenstadiensem, solitoque suo more locos quosdam explicandos illustrandosve sibi sumpsit, sed menda anteriorum haud sustulit, et librum utpote cuius auctor chronographo Saxone usus sit ad saeculum XIII. relegandum censuit.

e) Leibnitius a. 1707 Tomo I. Scriptorum Brunsvicensium pag. 517—564 Overhami editionem secutus textum expressit, bis emendationem indicavit, et nonnunquam Broweri lectionem adnotavit.

Quorum editorum quum nullus locis plurimis qui in libro nominantur investigandis explicandisve immoratus sit, pro instituti nostri ratione id saltem praestare conatus sum, ut situm locorum a scriptoribus rerum Saxonicarum recentioribus Falke, Wedekind, Wersebe, Lüntzel, Seibertz, Erhard tractatorum, ubi certi aliquid elici posse videbatur, breviter indicarem.

fol. 1. **1.** *Postea [a] quam mediator Dei et hominum carnem sumere et crucem subire pro salute dignatus est omnium, disciouli ab ipso electi et dilecti, post eius gloriosam ascensionem Spiritus sancti visitatione et consolatione confortati, et omni scientia veritatis sunt imbuti, secundum ipsius promissionem, ut per eos salvarentur ante mundi consummationem, qui salvandi per gratiam praeordinati erant ante mundi constitutionem. Quorum praedicationis instantia conversa sunt ad Deum innumerabilia multorum hominum milia, agnitaque fide christianae religionis, respuerunt cultum antiquae superstitionis. In cuius unitatem fidei cum diversarum terrarum et linguarum alacriter et salubriter convenirent populi, convenit quoque magna clementis Salvatoris clementia sedulaque magni Karoli multimodi laboris instantia gens Saxonica, quam ad credendum eo compulit difficilius, quo id genus hominum natura animi erat ferocius. Subiecta autem iugo fidei, facta est sacerdotibus tributaria, quae tributa aliorum exegerat temeraria, cepitque sua pro Christi amore conchristianis tribuere, quae raptu aliorum solebat vivere. Destruuntur hinc fana idolorum, et exstruuntur oratoria sanctorum; designantur parrochiarum termini; constituuntur episcopalium sedium in locis congruis tituli, in quibus rudis adhuc in fide populus, ne ad perfidiam pristinam relaberetur, salutaribus monitis imbueretur, et servientium Deo multitudo numero et merito cotidie augeretur. Inter [9] omnia vero loca principalibus ecclesiis constituendis destinata speciali quadam dignitate Patherbrunnensis sedes praeminebat; quae semper magnorum titulis signata virorum, prae caeteris terris undique secus circumiacentibus frequenti et varia nemorum diversitate, agrorum ubertate, cum omnium frugum fertilitate, saluberrimorum fontium in unum locum inibi latitudine et amenitate incomparabili confluentium, aliorumque multorum per quasque vicinias id locorum concurrentium numerositate excellebat. Cuius iocunda amenitate placidaque áeris temperie rex delectatus, pro publicis disponendis negotiis inibi sepius est moratus; positisque regali magnificentia principalis ecclesiae fundamentis, magno erga Deum suae dilectionis indicio, talem locum iure belli acquisitum, magis ecclesiastico quam proprio deputavit servitio. Cum autem noviter factae conversionis messis multa, novellae vero plantationis operarii essent pauci, locum eundem tuicioni praesulum Wircibur-

a) *liber manu saeculi XV. inscribitur:* INCIPIT VITA MEYNWERCI EPISCOPI PADERBORNENSIS.

9) Quae sequuntur omnia ex translatione sancti Liborii, quam etiam antea secutus est auctor, fluxerunt.

gensis ecclesiae commisit; sub quorum regimine status ipsius nec profecit, nec longa viae intercapedine[a] publicaque variorum negotiorum necessitudine proficere potuit. Unde rex cum suis habito et inito consilio, eundem locum proprii pastoris vigilantia tuendum et gubernandum adiudicavit, praeposuitque ei anno

Salvator mundi postquam de Virgine nasci

dignatus est septingentesimo nonagesimo quinto, praefatae Wirciburgensis ecclesiae canonicum, rus rudis in fide adhuc populi exculturum Hathumarum. Cuius pontificatus anno quarto, dominicae vero incarnationis septingentesimo nonagesimo nono, beati Petri apostoli vicarius Leo, eiusdem nominis tercius, iniusta civium suorum perpessus odia, in Patherbrunna regem Karolum adiit, susceptusque, ut par erat, cum ingenti honore et gloria, religiosum ac salutare christianitatis dilatandae studium nobiliter inchoatum, apostolica auctoritate* firmavit, atque in cripta ibidem noviter constructa quoddam altare consecrans, adorandas in eo protomartiris Stephani reliquias, quas Roma secum detulerat, in privilegium apostolicae consecrationis collocavit. Tale fundationis Patherbrunnensis ecclesiae tam apostolica benedictione quam imperatoria sanctione incrementum per seculorum secula virtutum omnium cum dilectione Dei et proximi accipiat augmentum; sitque ei Petrus, petra ecclesiae, contra portas errorum omnium firmamentum, ut in templum sanctum in Domino crescat edificatio constructa super ipsius fundamentum. Beato vero Hathumaro nono episcopatus sui anno, dominicae incarnationis octingentesimo quarto, ex hac luce subtracto, atque ad perennem, ut credimus, vitam assumpto, successit ei vir egregius nomine Baduradus, qui ex nobili Saxonum prosapia ortus, ex praedictae Wirciburgensis ecclesiae[b] clero fuerat electus. Qui praeclarae morum[c], nobilitatis, magnanimitatis et industriae merito familiaritatem Karoli regis intime consecutus, tantae dignitatis et dilectionis apud eum locum promeruit, ut ei non minor facultas quam voluntas amplificandae provehendae atque adornandae ecclesiae sibi commissae suppeteret. Unde nihil laboris studiique sui substraxit ab acquirendis ac procurandis omnibus quae ibidem ad laudis divinae augmentum atque utilitatem christiani populi pertinere agnovit, ecclesias videlicet per omnem parrochiam suam sub celeritate construere, principalem basilicam ingenti decore et grandi opere extollere, res omnes ad eam pertinentes modis variis adornare, augmentare clerum, disciplinam monasterialem instituere, pueros tam nobiles quam inferioris conditionis in scolam congregatos, in divinae legis eruditione nutrire[d]. Eius pontificatus anno decimo, dominicae incarnationis octingentesimo decimo quarto, gloriosus imperator Karolus, pater patriae, apostolus gentis Saxonicae, anno regni sui quadragesimo sexto, ab urbe Roma condita millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, ab hac luce migravit; eternae vitae gloriam et perpetuam futurorum habiturus memoriam pro multimodis indefessi laboris studiis, quibus fines christianae religionis promovit et dilatavit. Baduradus autem venerabilis pontifex, virtutum imitabilis artifex, utiliter cepta feliciter consummans, anno episcopatus sui quadragesimo octavo migravit ad Dominum, rexitque post eum annis viginti sex Liuthardus iam dictae dicendaeque civitatis populum. Cui succedens Biso nomine, praefuit viginti tribus annis ipsi ecclesiae; rexitque eandem post eum Thiedericus annis novem. Sexto loco succedens Unuwanus, fuit novem et decem annis episcopus, septimoque Dudo nomine, annis viginti quinque. Virtutes octo beatitudinum docturus populum, octavo loco viginti septem annis praefuit Folcmarus; successitque annis viginti octo, consilii sui excellentia dispersa collecturus, Retharius. Decimo loco magnorum operum auctor et patrator sibi suisque Mainwercus successit utiliter; qui decalogi legalis vel gratiae spiritualis perfectionem, per Dei et proximi dilectionem adeptus est feliciter. Huius laudum et meritorum praeconia cum aliis et prae aliis suscipiat ecclesia, eius amori insistens et devotioni, cuius ille honori institit et promotioni. Hec ergo veraciter posteris intimari, animosque fidelium exemplis priorum decet excitari, ut qui virtutum culmina adipisci desiderant, gradus felicissimae asscensionis agnoscant.

2.[e] *Germania post Scitiam inferiorem[f], sumens initium a flumine Danubio, desinit in Reno; terra dives et populosa, questuosa pariter et bellicosa. Haec maiorum sollertia, divisione distincta bifaria, superiorem habet terminum iuxta septentrionalem oceanum, inferiorem circa Renum, finem sui faciens in mari quod Galliae Brittanniaeque praetenditur[g] litoribus, ex quo quaque versus omnium terrarum patet exitus. Ad huius inferioris Germaniae

a) intercapide 1. b) eclesiae 1. c) modum 1. 2*. *et ita iam transl. S. Liborii.* d) mittere 1. 2*. e) Vita beati Meinwerci episcopi *rubricam add.* 2*. f) *ita distinguit* 1. g) praetendit 1. 2*.

septentrionalem tractum Traiectensis diocesis est terminus, locus navium et vectigalium commeatibus questuosus, magnorum et nobilium virorum gloria, quam in defensione gentis suae et patriae magnanimiter[a] adepti sunt, insignis et famosus. De quorum nobili prosapia ortus est Imed[10] in eádem provintia; qui virtutis et probitatis maiorum suorum factus heres legitimus et strennuus, comitatum suo tempore in eiusdem provinciae amministravit partibus. Qui tantae nobilitatis lineam propagari, nominisque sui memoriam et posteritatis gloriam cupiens nobilitari, cum multiplici divitiarum apparatu ac possessionum praediorumque reditu nobilem duxit uxorem de terra Saxoniae, Athelam nomine; de qua processu temporis genuit Thiedericum et Meinwercum, Glismod et Azelam. Thiedericus autem paternae dignitatis et facultatis heres designatus, Meinwercus in ecclesia beati Stephani protomartiris in civitate Halverstadensi ad clericatus officium a parentibus est oblatus; Azela vero castitatis emulatione agnum secutura, sanctimonialium cetui in ecclesia preciosi martiris Viti Eltene associatur; Glismod autem tricesimum fructum pudiciciae matronalis adeptura, cuiusdam nobilis principis in Baioaria matrimonio copulatur.

3.[b] Meinwercus igitur liberalibus studiis et spiritualibus imbuendus disciplinis, in praefata Halverstadensi ecclesia tenerioris etatis rudimenta, provectioris vero in ecclesia Hildenesheimensi peregit; ubi Heinricus, filius ducis Baioariae Heinrici, cum aliis plurimis honori et decori ecclesiae Christi suo tempore profuturis secum theoriae studiis continuam operam dedit. Quam liber autem et integer a vitiis et in puerili et in iuvenili etate vixerit, qualis quantusve inter coevulos vitae sinceritate morumque probabilitate conversatus fuerit, variis hinc inde quesitis laudationum fucis eum colorare non convenit, cum indiciis operum evidenter postmodum claruerit, quale fundamentum domus suae in eo sapientia Dei collocaverit. Acceptus autem de scolis, vixit in praedicta Halverstadensi ecclesia sub proposito canonicae legis, omnibus carus et amabilis, aspectu et colloquio affabilis, actu et eloquio irreprehensibilis.

[5.] 4. Eo tempore monarchiam Romani imperii Otto eiusdem nominis secundus strennue gubernabat, armis strennuus, fide catholicus, non minus divinis quam humanis rebus deditus. Qui postquam Idus[c] Iulii contra Sarracenos in Calabria periculosissime dimicans, multis suorum amissis, ipse vivus vix evasit, 7. Idus Decembris sequentis anni, dominicae incarnationis videlicet nongentesimo octogesimo tercio, regni sui decimo, indictione duodecima, obiit, et filium suum eiusdem nominis successorem dereliquit, Heinrico duce Baioariae, qui priori anno mortuo patre suo Ottone duce ducatum optinuerat, regnum invadente, set victo desistente. *Rex autem puer in proximo natali Domini, ipsa sancta die, unctione Iohannis Ravennatis archiepiscopi Aquisgrani rex consecratus, paternae virtutis et industriae vestigia per omnia est imitatus; non minus christianae religioni humiliter inserviens, quam regni negotiis sollerter insistens.

[6.] 5.[d] Meinwercus autem, regia stirpe genitus[11], regio obsequio morum elegantia[e] idoneus adiudicatur, evocatusque ad palatium regius capellanus[12] efficitur, ut Deo ordinante longius innotesceret qui longius expetendus erat, fieretque in negotiis tam spiritualibus quam saecularibus etate doctior, usu tritior, processu temporis sapientior. In quo cum inreprehensibiliter conversaretur, et regalis celsitudo et procerum multitudo eum reverebatur, utpote cuius benivolentiae ancillabatur humilitas, gravitatem temperabat affabilitas, in cuius ore veritas et dulcedo, in cuius corde pietas et mansuetudo, in cuius moribus et scientia verborum et operum regnabat concordia. Omittantur extrinseca; licet enim in consideratione singularitatis praeterire communia. Pre participibus[f] suis in domo Domini exaltandus, participio sancti Spiritus erat primitus exornandus, ut videlicet esset discretione providus, actione praecipuus, moribus approbatus, virtute perfectus, humilitate communis, compassione singularis, mansuetudine lenis, auctoritate gravis, patientia amabilis, vindicta pro zelo iusticie terribilis; qui pectus haberet consilii, acumen vivacis ingenii, Atticos flores vernantis ingenii, praeter alia innumera his similia, quibus immorari non convenit, ne quid praeter veritatem mera veritatis assertio intendisse videri possit. Rex autem huiusmodi virtutum insignia sapienter ani-

a) magnamiter 1. b) De adolescentia eius *rubricam add.* 2*. c) III. idus *editi, perperam, contra fidem codicis.* d) Quam laudabilis et sancte vite fuerit *rubricam add.* 2*. e) elegentia 1. f) participus *corr.* particibus 1.

10) Memoriam eius, sicut Overham refert, necrologium Abdinghofense servavit: *IV. Kal. Febr. obiit IMMETH comes pater Meinwerci episcopi;* Athelae item d. 8. Idus Augusti, Thiderici d. 7. Idus Aprilis, Glismodis Nonis Februarii. 11) paterno genere a Thiedrico Mathildis reginae fratre, materno a Wichmanno, Herimanni ducis nepote, propinquo Ottonis I. Widukind. l. III. c. 69. 12) In charta Ottonis III. a. 1001. 15. Kal. Apr. Dammoni concessa Meginwark capellanus memoratur.

madvertens, et eum regia liberalitate honorare dignum ducens[13], interventu Geptae venerabilis abbatissae[14] duos mansos regales in Lutterun, in pago Wentsgoi dicto[a], in burwardio quoque Daleheim, in comitatu Herieldi comitis[b], ei donavit, de quibus sibi regiae concessionis et confirmationis praeceptum conscribi et contradi mandavit[c]; suae sincerae dilectioni perhibens testimonium relatu dignum, quod videlicet suam vitam diligeret ut propriam.

6.[d] Eo tempore Retharius Patherbrunnensis ecclesiae venerabilis episcopus, inter alios quam plures, qui scientia praediti, moribus adornati, secundas partes regni strennue adiuvabant, enituit; qui nomen episcopi officio tenuit, moribus implevit. Denique cura pervigili intendens commisso gregi, in collectione dispersorum, in conservatione congregatorum operam continuam dedit; et ab eodem Ottone rege aliisque fidelibus donaria non modica diversis temporibus acquisivit. Volens autem ecclesiam suam, super apostolicam petram fundatam, apostolicae tuicionis praesidio artius communire, privilegium apostolicae confirmationis super bona et iura ecclesiae suae a Iohanne papa eiusdem nominis octavo decimo, anno dominicae incarnationis nongentesimo nonagesimo, episcopatus illius tercio, indictione quarta, petiit et obtinuit: ut si aliquando mundanae turbulentiae eam cornibus suis impeteret aries, tantae auctoritatis reiectus fortitudine, dissiliret ut glaties. Electionem quoque episcoporum inter eiusdem et ab eiusdem ecclesiae filiis faciendam, quam eis diversi reges diversis temporibus liberaliter et legaliter concesserunt, — Karolus videlicet Calvus[15], interventu Bisonis Patherbrunnensis episcopi, sexta Idus Decembris, anno dominicae incarnationis octingentesimo octogesimo quinto, indictione quarta, anno ex quo patre suo Luthuwico eiusdem nominis secundo mortuo, cum fratribus suis Karlmanno et Hlodowico de regno altercari ceperat nono, ex quo Karlmanno mortuo, a Iohanne papa in imperatorem unctus fuerat, quinto, ex quo fratre suo Hlodowico, 13. Kal. Febr. mortuo, tocius regni monarchiam nullo resistente suscepit, quarto: Otto eiusdem nominis secundus, 15. Kal. Febr. rogatu Folcmari eiusdem civitatis episcopi, anno dominicae incarnationis nongentesimo septuagesimo quarto, electionis suae decimo quarto, imperii primo[e], regni septimo, indictione quarta — idem papa eodem privilegio confirmavit, ut si umquam aliquis in ovile ovium aliunde quam per ostium introiret, excommunicationi subiaceret.

7. Qualis autem in huiusmodi studiis episcopi intentio fuerit, adversitas probavit; quae non segnius, immo multo instantius, in adversis quam prosperis ecclesiae eum commissae in omnibus fideliter et utiliter prospicere, veraciter demonstravit. Denique quocumque Dei iudicio, sive malicia inhabitantium exigente, sive saluti mortalium Deo per id consulente, anno dominicae incarnationis millesimo, ordinationis ipsius Retharii episcopi nono decimo, regni Ottonis tercii decimo septimo, imperii quarto, indictione 13. civitas Patherbrunnensis primum incendio vastatur, nobileque principalis ecclesiae monasterium praecipui operis et decoris a Karolo magno fundatum, a beatae vero memoriae Badurado episcopo consummatum et 14. Kal. Novembr. dedicatum, cum libris, privilegiis, plenariis aliisque ecclesiae ornamentis propemodum conflagratur. Ipso anno imperator tempore quadragesimali orationis causa ad sanctum Athelbertum Slaviam intravit, ibique coadunata sinodo septem episcopia disposuit, et Gaudentium monachum, fratrem beati Athelberti archiepiscopi qui ante triennium a Prucis martirizatus fuerat in Prago, archiepiscopum ibidem constituit. Inde Italiam pertransiens, Romam intravit, ibique natale Domini condecenter celebravit. Retharius ergo episcopus capta loci et temporis oportunitate, quo tam apud apostolicae sedis auctoritatem quam apud imperialem maiestatem ecclesiae suae calamitates defleret, missis nunciis, utrisque quae acciderant innotuit, et ut antecessorum suorum constituta super immunitatem ecclesiae eiusdem renovarent, et renovata praeceptorum suorum auctoritate confirmarent, expetiit. Qui incendio ecclesiae et civitatis audito, intime condoluerunt, et roganti benignissime annuentes, omnia quae eidem ecclesiae eatenus honori vel usui servierant, confirmaverunt[16];

a) dicta 1. 2*. b) i. c. h. c. *adiecta manu* 2. *desunt* 2*. *a manu recenti saec. XVIII, deleto vocabulo* burdardioque *(sic), addita.* c) *quae sequuntur, adiecta sunt manu* 2. d) De Rethario episcopo Paderb. *rubricam add.* 2*. e) i. septimo regni primo 1.

13) Litteras sine loco et a. vide apud Erhard Regesta Westphaliae dipl. n. 74. »i. ac petitione Geppae . . in pago Ventsgoi in burgwardio quoque Dalehem atque c. Harialdi c. sitos.« Lutter am Barenberge et Dalheim noti sunt, sed pagus obscurus; cf. Wersebe Gaue etc. pag. 199—201. 14) Gandersheimensis, Gerburgis II. 15) Crassum in animo habuit auctor. 16) Chartam inde confectam v. in Monumentis Paderborn. et in Falkii Tradd. Corb. p. 669. 670. dubiae tamen auctoritatis, licet nonnulla a Falkio contra monita minime locum habeant. Aga, Threveresga, Sorethfeld ignorantur.

videlicet de episcopatus statu, de tuicione atque mundiburdio sanctae Dei ecclesiae et perpetuae virginis Mariae, de decimis, de omni proprietate ad eandem ecclesiam pertinente, de electione episcoporum inter clericos eiusdem ecclesiae facienda, de eius hominibus tam liberis quam et servis nulla iudiciaria persona constringendis nisi[a] eorum advocato quem ipse episcopus elegerit, de proprietate clericorum si quis illorum sine herede obierit, eidem ecclesiae concessa, de comitatibus super pagos Patherga[17], Aga, Threveresga, Auga[18], Sorethfeld, datos pro decimis novae Corbeiae ad monasterium pertinentibus, de tribus mansis in Thiusburg[19, b] et in Trutmannia[20], de foresto quod incipit de Delchana flumine, et tendit per Ardennam — id est Osnig — et Sinethi[21] usque ad viam quae ducit ad Herisi; haec ergo et alia omnia, quae ecclesia illa die quando combusta est habuit, vel deinceps habitura erit, confirmantes, confirmata per manus notariorum suorum et cancellariorum sub firma astipulatione sigillorumque suorum impressione roboraverunt, et Romae data Kalendis Ianuarii episcopo suaeque ecclesiae, anno dominicae incarnationis 1001, pontificatus Silvestri papae secundo, regni Ottonis III. decimo octavo, imperii quinto, indictione 14. transmiserunt. Anno illo rex in partibus Italiae commoratus, mortis periculo est praeventus; quo profecto illo tempore caruisset, si beati Heriberti Coloniensis archiepiscopi monitis obtemperare voluisset. Mortis autem illius occasio haec fuit. Ante[22] quinquennium, dominicae incarnationis videlicet annum nongentesimum nonagesimum sextum, rex ad mitigandam sevitiam Crescentii Romam venit, et tumultu oborto decenter sedato, Brunone papa defuncto, Brunonem cognominatum Gregorium, Ottonis ducis filium, in sedem eius locavit, et ab eo imperialem unctionem accepit. Imperatore autem Romam egresso, proximo anno, consiliante Crescentio, Iohannes Placentinus episcopus contra velle imperatoris sedem apostolicam invasit. Unde iterum imperator Romam veniens, proximo anno praedictum Iohannem invasorem cecatum et nasu truncatum deposuit, et Crescentium cum duodecim suis decollatum ante Urbem suspendi iussit. Bruno autem, qui et Gregorius, ab eo restituitur, set post discessum eius a Romanis expulsus ac deinde veneno peremptus, postquam annos ferme duos et menses novem Romanam ecclesiam rexerat, quarta Idus Martii moritur, eique Gerbertus, qui et Silvester dictus est, successor eligitur. Rex ergo cum isto Silvestro papa natali Domini Tudertine celebrato, cum confusionem tam in beati Petri ecclesia quam in re publica factam decenter composuisset, incidit in insidias mulieris malae, eius videlicet cuius virum Crescentium sibi rebellantem captum iusserat capitalem subire sententiam; quam formae elegantissimae nimis insipienter thoro suo socians, ab ea non praecavens, quamvis a sancto viro Heriberto sepius esset ammonitus, veneno intra cubiculum dormiens infectus est. Et sequenti die beato Heriberto pestem quam perceperat confessus, cum se mori sensisset, ut corpus suum Aquisgrani sepeliendum transferret, petiit; et sic Paternum ingressus, cum generali omnium dolore 9.[c] Kal. Februarii obiit. Ante successionem autem futuri principis confusum est regnum nimis, insonuitque inter principes tempestas validae commotionis propter ambitionem inanis dominationis. De quibus Ekkihardus marchio usurpator regni Palithi interfectus occubuit, et Counradus unus de primoribus regno expulsus, aliquamdiu ab eo exulavit. Herimannus quoque dux Sueviae non expers fuit tantae discordiae; qui dum ipse regnare voluit, electioni generali impedimento fuit. Quidam[d] etiam princeps, Bruno nomine, regni fastigium optinere voluit; set effectu carens, multis votis eius non faventibus, et praecipue beatae memoriae Berenwardo Hildinesheimensis ecclesiae episcopo, in hominibus et bonis eius multa mala intulit. Set serenante Altissimo et mediante Willigiso Magontiensi archiepiscopo, Heinricus dux Baioaricus secundum seculi dignitatem locupletissimus, et litterarum studiis non tenuiter instructus, et quod his maius est, vir in omni perfectione ecclesiastica praecipuus, eligitur; et redditis regalibus a sancto Heriberto Coloniensi archiepiscopo, qui ideo electioni non interfuit quoniam in humando corpore defuncti principis occupatus fuit, Magontiae[e] dominica octava pentecostes a Willigiso eiusdem[f] civitatis archiepiscopo ordinatur.

8. Eodem[23] anno, novo[g] rege natalem sancti[h] Laurentii in civitate Patherbrunnensi

a) *sequitur, rasura; 3 aut 4 litterae exciderunt* 1. b) Diusburg *corr.* Thiusburg 1. Tuisburog 2*. c) 10. *Ann. Hildesh.* d) Quidam *usque* intulit *in margine, manu* 2, *sumta ex Vita Bernwardi c.* e) M. d. o. p. a. *in loco raso* 2. f) e. c. a. *in loco raso* 2. *ex Vita Bernwardi addita.* g) n. r. *usque* celebrante *in margine* 2. h) *vox iam abscisa* 1.

17) in quo Paderborn. 18) in quo Corbeia. 19) Duisburg. 20) Dortmund. 21) *die Senne.* 22) Sequentia ex Ann. Hildesheimensibus a. 996—1002 fluxerunt. 23) ex Ann. Hildesh.

celebrante, domna Chunigunda, ipsius ut putabatur uxor, re autem vera castitatis emulatione soror, a praedicto Willigiso Magontiensi archiepiscopo inibi[a] regiae consecrationis dominium adinvenit; quod eidem ecclesiae in augmentum honoris et provectum magni decoris Dei[b] misericordia provenit[c].

9. *Meinwercus autem novo regi tam carnis propinquitate quam vitae sinceritate iam dudum notissimus, de karo fit karissimus, factusque est ei in negotiis publicis et privatis comes inremotissimus. Rex autem non habens nec habere disponens liberos, ecclesiarum Dei exaltationi continue invigilavit, et eternitatis flagrans desiderio, temporalia bona pro acquirendis eternis liberali manu eis erogavit. Quo regni sui partes solerter circuiente et necessaria et utilia queque ubique sapienter disponente, occurrit ei 17. Kalendas Octobris Retharius episcopus in loco qui Bochbardun[24] dicitur, et ecclesiae suae ruinas innotescens, forestim quae incipit de Delchana[25] flumine, et tendit per Osninge et Sinithe usque in viam quae ducit ad Horhusen, et[d] de hominibus ecclesiae commissae, tam liberis quam et servis, nulla iudiciaria persona constringendis, nisi advocato ab episcopo electo, regiae tuicionis defensionem, ipso primo anno regni eius, dominicae incarnationis 1002, indictione 15. optinuit[26]. Sequenti dehinc anno dominicae incarnationis 1003, indictione prima, veniente rege Quidilingaburg[27], obvius fuit iterum episcopus; et ecclesiae suae incendium lamentabiliter conquerens, quae domnus apostolicus ac praedecessor eius confirmaverant, confirmari, et confirmata praeceptali pagina roborari obnixe petiit et obtinuit. Quia ergo Domino placuerunt viae eius, convertit ad gratiam inimicos ipsius; de[28] quibus Herimannus dux Sueviae se ei subdidit, et interventu principum in suo honore permansit; et plures alii qui non consenserant eius electioni. Ducatum autem Baioariae dans Heinrico, fratri domnae Chunigundae contectalis suae, incurrit offensam fratris sui Brunonis; qui inde plus iusto commotus, cum Heinrico filio Bertoldi comitis cum ambobus Bolizlavonibus, Polianico scilicet ac Boemico, a rege infideliter defecit. Set Heinricus ad regem refugiens, in Gevikanstein custodiae datur; Bruno[29] vero proximo anno, interventu domnae Gislae matris suae, regi reconciliatur.

10. Anno post haec secundo, dominicae incarnationis 1005, indictione 3, octava Kalendas Novembris venit episcopus ad regem in loco qui dicitur Corbeia, et ecclesiae penuriam nimiam conquerens, et regii solatii opem suppliciter deposcens. Rege autem in promtu quod daret non habente, Meinwercus capellanus eius, iam flammas dilectionis intimae operum exhibitione demonstrans, praedium situm in villa Bochinevordi[e. 30] in comitatu Liudolfi comitis regi contulit, quod ipse rex[f] episcopo suaeque ecclesiae in proprium donavit, ea[g] ratione, ut praedictus episcopus, quam diu viveret, in sua potestate atque servitute hoc possideret, finitis vero suis temporibus, ad stipendia fratrum in Patherbrunnensi ecclesia Deo sanctoque Liborio famulantium pertineret. Cum igitur his et talibus misericordiae instaret operibus venerabilis episcopus, anno dominicae incarnationis millesimo nono, episcopatus sui 28°, Heinrici regis septimo, pridie nonas Martii[31], quae illo anno extitit sabbatum ante Invocavit, eductus est de ergastulo carnis, et de valle huius miseriae et tribulationis assumptus, ut credimus, ad gaudium sempiternae consolationis.

11.[h] Eo tempore rege consistente in Goslaria, ilico legatos suos ad eum direxit eccle-

a) *in loco raso, ubi 4 voces iam exciderunt.* b) d. m. *manu* 2. c) provenit. Ipso anno Wothelolfus[i] Osneburgensis episcopus obiit, eique Thetmarus, vir bonus et iustus, fortis, pius et moderatus, successit.

Hic presul factus implevit presulis actus,
Ut patet in factis ipsius ibi quoque scriptis.
Denique baptiste fundans in honore Iohannis
Ecclesiam quandam, supplex dedicavit eandem,
Anno milleno[k] bis quino desuper uno,
Ex quo[l] sermo Patris sumpsit preputia carnis.
Osneburgensi que scitur proxima sedi
Continuis horis tribuens sibi pignus honoris.
Hic apud ecclesiam per se tam sedule factam
Constituit cunctis post hec instantibus annis,
Adveniente sui sacro natale patroni
Leticie sacre fraternum[m] fedus haberi,
Ac in amore Dei miseros inibi recreari,
Et de collata de fratrum munere cera
Candelam fieri Baptiste in honore beati.

Meinwercus *ita* 2*. 3. *Quae saeculo XIII. addita fuisse, voces* Ipso anno *manu saec. XIII. exeuntis scriptae et in codice* 1. *additae indigitant.* d) et *usque* defensionem *manu* 2. *addita.* e) Bokenvorde *manu saec. XV. additum.* f) *manu* 2. g) ea *usque* pertineret 2. *in marg.* h) De ordinatione b. Meinwerci episcopi *rubricam add.* 2*. i) uuotelolfus 3. k) millesimo 2*. l) quo summi s. 2*. m) supernum 2*.

24) Boppard. 25) vulgo Dalcke. 26) v. Erhard Regesta Westfaliae dipl. n. 78. 27) cf. Ann. Hildesh. 28) ex Ann. Hildesh. 29) ex Ann. Hildesh. a. 1004. 30) hodie Bökenvörde. Cf. Erhard l. c. Falke p. 636. Seibertz in Wigand Archiv VI, 144. 31) Idem dies in Necrologio Paderbornensi indicatur teste Erhardo, Regesta Westfaliae p. 149.

1009. sia, qui et obitum episcopi denunciarent, et clementiae eius solatium de successore idoneo suppliciter implorarent. Qua lugubri rex audita legatione, talem tantumque virum condigno merore deflevit, et missarum elemosinarumque debita commemoratione animam eius divinae pietati commendavit. Post haec ascitis episcopis et principibus qui aderant, de successore tali loco et tempore idoneo consilium habuit; et diu scrutatis perspectisque plurimis, Meinwercum tam nobilium natalium magnitudine, quam rerum et facultatum temporalium multitudine idoneum perhibuit. Ilico faventibus et congratulantibus omnibus, Meinwercum advocavit, et consueta benivolentia ei arridens, sumpta cirotheca: *Accipe*, ait. Quo, quid esset accepturus, [fol. 8.] *percontante: *Episcopatum*, inquid rex, *Patherbrunnensis ecclesiae.* Illo autem dicente, quid sibi episcopatus ille deberet, qui de bonis propriis excellentiorem construere valeret: *Quia hoc*, inquit rex, *veraciter considero, ideo te inopiae illius misericorditer subvenire desidero, ut illius in celo coheres fieri merearis, cuius piam matrem in terris heredem tuum feceris.* At ille hilariter: *Ego, inquam, ea spe et conditione episcopatum suscipiam;* ostendens liquido, se non despectu paupertatis vel appetitu eminencioris sedis aut dignitatis, set affectu maioris utilitatis simpliciter contradixisse. Ibidem ergo in Goslaria proxima [Mart. 13.] dominica a Willigiso Magontino archiepiscopo et ceteris episcopis qui aderant consecratur, electioni eius et consecrationi congruente officio, quod eidem dominicae intitulatur. Ea namque est dominica quadragesimae secunda, quae in ordine et ratione septem dominicarum, septem mundi aetates significantium, quinta extat, et pulchra rationabilique dispositione vacat, significans quintam mundi etatem, quando templo Dei diruto et populo eius in Babiloniam abducto, sacerdote, duce, altari legitimo carens, a laude Domini vacabat, non habens quae vel quibus aut ubi verba canticorum Domini decantaret. Cui captivitati in euangelio ipsius dominicae aptissime congruit a demonio vexata filia mulieris Chananeae; quia sicut Nabuchodonosor tipum tenens diaboli, templum Dei spoliavit et populum eius captivavit, ita diabolus per se filiam Chananeae, templum utique Dei, captivavit, et suo atrocissimo dominio et ludibrio mancipavit. Interveniebat fides patriarcharum et meritum Danielis ac sociorum eius, ut populus ille a captivitate Babilonica solveretur; clamabat fide et voce magna mulier Chananea, intervenientibus sanctis apostolis, ut filia eius a demonio liberaretur. Tam captivitatis ergo Babilonicae quam mulieris ewangelicae per totum officium missae illius formam rectissimę repraesentavit ecclesia, quae incendio vastata, sollicitudine pii pastoris viduata, in necessitatibus suis pro successore idoneo fideliter clamavit, et instanter clamando eum qui se secundum voluntatem Dei a fornicatione abstinens, vas suum in sanctificatione et honore possederat, interventu et consultu principum feliciter impetravit; per quem non tantum de micis quae cadunt de mensa dominorum recrearetur, verum etiam largissimis epularum deliciis habundantissime reficeretur. Sollempniter ergo consecratus, condigno honore Patherbrunno concursu et occursu omnis etatis et dignitatis deducitur et excipitur; et vere via regia in ovile ovium per hostium ingressus, episcopali sede intronizatur. Pontificatus itaque decoratus infulis, continue invigilavit curae commissae gregis; timensque notam mali servi et pigri qui reposuit in sudario pecuniam domini sui, nihil remissi faciebat cordi suo et corpori. Forinsecus pro generali cleri et populi gubernatione episcopali speculatione sollerter insudavit[a]; intrinsecus autem pro omnium salute vigiliis et ieiuniis precumque hostiis Deo indesinenter supplicavit. Lucerna namque in domo Domini supra candelabrum posita, arsit in se Dei et proximi dilectione, luxit aliis eiusdem lucis sedula exhibitione. Denique pro adipiscenda immortalitatis corona contulit ecclesiis, quae hereditario iure possederat vel multimodo iugis servitutis labore optinuerat, temporalia bona; quae sicut alios usu malo a salute praepediunt, ita alios usu bono ad salutem promovent.

[fol. 9. [17.]] 12. *Principalem ecclesiam sumptu ingenti et magnificentia singulari construxit; quam tercia die adventus sui deiecto opere modico a praedecessore suo inchoato, et usque ad fenestras neglegenter consummato, a fundamentis celeriter atque alacriter erexit. Operariis autem sollerter operi instantibus, quadam die advenit quidam vir incognitus, qui episcopum astantem salutavit suppliciter, suumque servitium obtulit ei humiliter. Quem episcopo, quam sciret servitii artem, percontante, et cementarium et carpentarium se profitetur; et mox ab episcopo clavum tunc fortuitu lignis compingendis necessarium facere iubetur. Quo celeri velocitate velocique[b] corporis agilitate decenter et convenienter facto, cooperaturus

a) *cod. habet* invigilavit *superscripto* sud; *itaque* insudavit *edidimus.* b) mirabilique *corr.* uelocique *c.*

operantibus apponitur, artisque suae scientia, probatus et approbatus omni experientia, ab episcopo omni operi praeponitur. Quo non multo post mortuo, advenam suum episcopus digno sepulturae commendavit officio, fieri mandans ei in cripta iuxta murum monumentum, ponens ad capud eius trullam eius et malleum ad posteritatis monimentum, per tantae humilitatis et pietatis excellentiam magnam sibi acquirens operantium sibique famulantium benivolentiam. Prepositis autem operi singulis magistris, ipse ad reliqua episcopii negotia disponenda convertitur, suae videlicet dioceseos[a] terminos frequenter lustrare; si fidelium fides spei, si spes concordaret rei sollerter investigare; bene acta confirmare, neglecta reformare, bene agentes, ut in melius proficerent, ammonere; negligentibus, ut resipiscerent, oportune importune instare. Denique omnibus omnia factus, pro cunctis animae et corpori eorum necessariis erat sollicitus; primoribus et maioribus exhibens se formidini et honori, subditis secundum uniuscuiusque meritum timori pariter et amori. Oculatus autem ante et retro ut sic internorum et spiritualium sollicitudinem gereret, ut tamen exteriorum providentiam pro subiectorum necessitatibus supplendis non negligeret, regni negotiis, ut compellebatur, inservire cepit; ubi reddens Deo quae sunt Dei, et cesari quae sunt cesaris, ecclesiae commissae prodesset, ubi se oportunitas optulisset loci et temporis. Continue autem regi insistens, ut ecclesiae sibi commissae, lamentabiliter incendium passae, secundum sponsionem qua sibi eam commiserat succurreret, rex misericorditer annuit, et praefatae ecclesiae miseratus paupertatem, multa ei bona tam in praediis quam facultatibus aliis larga manu et plena karitate pro Dei amore dilectique sibi episcopi assiduo et devotissimo obsequio contulit. Sepius autem in civitate Patherbrunnensi commoratus, operum et studiorum eius adiutor et cooperator extitit, favente et instante per omnia venerabili Chunigunda regina, cui non minor voluntas quam facultas in ecclesiis Dei amplificandis et meliorandis semper fuit. Quodam[b] itaque tempore inibi commorante, beatus Heimeradus[c] de Suevia oriundus, voluntaria paupertate pro Christo exul et peregrinus, eo advenit; eumque lurida facie et procéri[32] corporis macie ac vestium vilitate deformem episcopus ut vidit, unde ille diabolus emergeret inquisivit. Ille autem cum, se diabolum non esse, humiliter et patienter dixisset, quesivit episcopus, an presbiter esset. Ubi autem eo die divina misteria eum celebrasse cognovit, protinus sibi libros in quibus cantaverat deferri mandavit. Quos incomptos et neglectos et nullius ponderis aut precii aspiciens, eodem momento in ignem proici fecit, eumque iussu reginae, episcopi iusto zelo ut videbatur compatientis, verberibus cedi praecepit.

13. Post haec quidam comes Doudiche nomine, de monte qui Wartberge[33] appellatur, superveniente festivitate sancti Andreae apostoli episcopum ad convivium invitavit. Cum autem comes beatum Heimeradum quoque invitasset, et in vigilia ipsius apostoli eum ad cenam episcopo oppositum sedere fecisset, commotus episcopus, quid vir tantae prudentiae sibi in illius praesentia vel consortio vellet, interrogavit; et multis iniuriis verborum adversus illum exardescens, delirum et apostatam eum appellavit. Beato vero Heimerado pro Dei amore cuncta patienter et silenter ferente, respondit comes, se nescisse, quicquam eum adversus illum controversiae habuisse; cepitque verbis lenibus et humilibus animum episcopi mitigare, et viro Dei, quoniam pro vitae suae merito eum valde venerabatur, veniam obnixius postulare. Set perstitit in sua sententia episcopus, placari non valens ullis precibus; quatenus tantae nimietatis pertinatia fieret ei postmodum humilitatis custodia, et in tantae nobilitatis et dignitatis viro satisfactio inferiori voluntarie exhibita, ad exemplum humilitatis a discretis commendaretur, quae vix maioribus a subditis iure subiectionis exhibenda imitabilis videretur. Denique quoniam ab hominibus sanctus putaretur, experiri se velle sanctitatem illius dixit; statimque coram omnibus, ut altero die Alleluia ad missam cantaret, sub interminatione plagarum ei iniunxit[d]. Cumque comes pro eo obnixius supplicando, et ei huius actionis remissionem petendo, nihil ageret nisi quod oleum camino adiceret, nocte finitis matutinis laudibus, assumpsit hominem Dei secretius, et consolans eum, obsecrabat, ut temptamenta, sanctorum virorum purgamenta, non refugeret, set saltem in nomine sanctae Trinitatis incipiens, cetera Deo committeret. Qui multum renitens, et se dimitti ad hospiciolum flagitans, multis precibus victus, tandem adquievit; et veniente hora cum episcopus

a) dioceos 1. 2*. b) *in marg. add. rubricam:* De beato Heimerado presbitero et Meinwerco episcopo 2*. c) heimaradus *corr.* heimeradus *c.* d) iniuxit *c.*

32) Ex Ekkeberti Vita Heimeradi. 33) Warburg.

nullo modo a propositi posset[a] abduci sententia, processit, inchoavit, sollempniter et iucunde percantavit, adeo ut omnes qui aderant mirarentur, et se ex nullius umquam hominis ore suaviorem modulationem audisse faterentur. Episcopus autem finita missa virum Dei secretius tulit, et ad pedes eius ruit; et veniam pro commissis in eum humiliter postulans et [19.] celeriter impetrans, perpetuus ac fidelis ei postmodum amicus fuit. Episcopus autem ipsum castrum, sui munimine vastum, ecclesiae Patherbrunnensi, in cuius diocesi consistit, ornamento et munimento utile, situ vero loci in aquis lignis pascuis omnimodis habile, considerans, pro venditione sui vel voluntaria traditione variis modis comiti[b] instabat; set ille filium de pelice quam duxerat natum heredem facere disponens, monitis salutaribus non obaudiebat.

[20.] 14. Pontificatus eius itaque anno secundo, dominicae incarnationis 1010[c], indictione 8, fol. 11. *Ansfridus[34] venerabilis Traiectensis episcopus, cuius mira laudum praeconia in gestis suis 1011. inveniuntur, ad celestem vitam sustollitur, eique Adelboldus subrogatur. Sequenti anno fol. 10' iterum. 7. Kalend. Martii, *Willigisus[35] Magontiensis archiepiscopus omni memoria dignissimus, episcopatus sui anno trigesimo sexto, post incendium monasterii Magontiensis[d] honorifice ab eo constructi, quod 3. Kalendas Septembris accidit, secundo, ad Christum migravit, et in lo-36 cum eius Erkinbaldus abbas Fuldensis subintravit. Quinta[36] dehinc proxima Iduum Februarii Bernhardus pius dux Saxonicus, filius[e] Herimanni ducis, obiit; et filius eius Bernhardus fa- fol. 12. vente[37] sibi Meinwerco episcopo amicisque suis ducatum optinuit, *et homo episcopi factus, 38 iuge obsequium in omni fidelitate sibi exhibuit. Frater[f. 38] quoque praefati ducis Bernhardi, comes Liutderus, proxima quarta Kalendas Aprilis obiit, qui cum uxore sua Emma, senatrice christianissima, multa bona ecclesiae Bremensi contulit.

[21.] Apr. 10. 15. Post haec 4. Idus Aprilis in[g] festo beati Gregorii, cum rege in villam regiam, quae Tribura dicitur, episcopus[h] devenit, ubi[i] comitatum quem Haold, dum vixit, tenuit, situm in locis Haverga, Limga[39], Thiatmalli[40], Aga, Patherga, Treveresga[41], Langaneka[42], Er-43 pesfeld[43], Silbiki, Matfeld, Nihterga, Sinatfeld, Ballevan, prope Sppriada, Gambeke, Gession, Siwardeshus[k], cum omni legalitate rex ei[l] in proprium dedit[44].

16.[m] Post pentecoste Helmwardeshusen[45] venit, et monasterium, quod Ekkihardus co- Iun. 5. mes[n] in proprietatis suae fundo construxerat, in honore sanctae et individuae Trinitatis sanctique Salvatoris et victoriosissimae crucis et sanctae Mariae perpetuae virginis sanctique fol. 11'. Petri apostolorum principis et omnium apostolorum omniumque sanctorum, *Nonas Iunii dedicavit.

[22.] 1012. Ian. 4. 17.[o] Sequenti anno[46], pridie[p] Nonas Ianuarii, Libentius Bremensis archiepiscopus obiit, eique Unuwanus Patherbrunnensis ecclesiae canonicus, favente Meinwerco episcopo, successit. Hic omnibus hominibus acceptus, et clero adprime benivolus, inter innumera pie recordationis monimenta, canonicis ecclesiae beati Petri, eo loci patroni, curtem quandam 47 Borengun[47], ut eius servitium per natalitia esset apostolorum, contulit; in australi parte chori altare in honore sancti Liborii patroni sui construxit et dedicavit; primus omnium congregationes, quae antea quidem mixta ex monachis vel canonicis conversatione degebant, ad canonicam regulam traxit; lucos in episcopatu suo, in quibus paludicolae regionis illius errore veteri cum professione falsa christianitatis immolabant, succidit; multos gentilium in Dania et vicinis borealibus partibus ad Christum convertit; plures in diocesi sua ecclesias fundavit et dedicavit; et pro optinendis eternae vitae gaudiis omni vigilantia et instantia in-48 sudavit, quamdiu in hoc fragilitatis corpore militavit[48].

a) possit *corr.* posset *c.* b) *adscriptum c.* c) *scriptum erat primo* MXI. ind. IX. VII. Kal. Mar. Willigisus *etc. deinde ita ut iam legitur ampliatum.* d) *adiectum.* e) f. h. d. *adiecta.* f) Frater — contulit *adiecta.* g) i. f. b. G. *adiecta.* h) *adiectum.* i) et *corr.* ubi. k) siwardeshuhus *c.* l) r. e. *adiecta.* m) De Helwardeshusen *rubricam add.* 2. n) *in marg.* Ekkihardus construxit helmvardeshusen. o) De Unvano episcopo *add. rubricam* 2. p) pridie *usque* Mulinhusun devenit *in scedula adiecta, quum primo* Sequenti anno XVIII. Kal. Febr. rex Mulinhusun deuenit *legeretur.*

34) ex Ann. Hildesh. 35) ex Ann. Hildesh. 36) ex Ann. Hildesh. sed mutata. 37) Haec desunt in Ann. Hildesh. 38) ex Adamo Bremensi II, 44. addita tamen die emortuali. 39) Lemgo. 40) Detmold. 41) meridionalis pars praefecturae Rüden. 42) meridionalis pars praefecturae Geseka; Seibertz in Wigand Archiv VI, 133. 43) in septentrionali parte praefecturae Rüden; ib. p. 134. 44) V. diploma in Monumentis Paderborn. p. 44 et apud Schaten Ann. Paderb. I, p. 394. 45) ad Wisaram superiorem. 46) ex Adamo Bremensi II, 44. 45. 46. 47) Botegun Adamo, est Baden in districtu Achim; v. Lappenberg Hamburg. Urkundenbuch p. 64. 48) obiit a. 1029. d. 6. Kal. Februarii.

[23.] 1013. fol. 12. contin.

18. Octava decima Kalend. Februarii praefati anni dominicae incarnationis 1013. rex Mulinhusun devenit; 'ubi interventu Chunigundae reginae, Everhardi Bavenbergensis episcopi, Egilberti Frisingensis, praedium Hoenstide[49] situm in pago Rittiga, in comitatu Bernhardi comitis, Meinwerco episcopo tribuit[50], cum[a] omnibus utilitatibus et appenditiis, quibus eam Unuwanus Bremensis archiepiscopus possederat, eique legaliter dederat.

19.[b] Inde rex Bavenberge[c] iter divertit, ubi Everhardus primus eiusdem sedis episcopus venerabile monasterium, nobile ac speciale regiae devotionis studium, cum conventu et suffragio omnium Cisalpinorum pontificum, 2. Nonas May dedicavit. Rex[50*] autem eundem episcopatum, quem ex integro in suo domate fundavit, terminis eius ab adiacentibus episcopatibus legitimo concambio commutatis, principibus apostolorum Petro et Paulo, et preciosissimo martiri Georgio adtitulatum, speciali iure Romanae ecclesiae tradidit, ut et primae sedi debitum honorem divinitus impenderet, et suam plantationem tanto patrocinio firmius communiret.

[24.] fol. 11. contin.

20.[e] 'Eodem anno Suitgerus, sanctae Mimigardevordensis ecclesiae antistes egregius, 13. Kalend. Decembris obiit, sepeliturque in loco quo deguit. Hic genere Saxonicus, in Halverstad et Magatheburg a puero est educatus, a tercio vero Ottone praefatae civitati praelatus. Quam cum divino munere fultus regeret cum omni diligentia, pollebat diversarum virtutum excellentia. E quibus hic duae tantum referantur, per quas aliae veraciter connoscantur. Camerarius suus pilleum quendam furto substractum caelare volens, diligenter a pio seniore interrogatus, nihil fatetur; set cultellum supra mensam positum, et ex animo benedictum sumere coactus, quasi ignitum celeriter proiciens, reum se nimis esse coram profitetur. Quidam maligno spiritu arreptus, vi magna est captus, et in praesentiam praedicti patris adductus. Quem solvi protinus iubens, baculo se solum irrumpentem viriliter amovit; et facto sanctae crucis signo, divina potestate hostem exire imperavit. Tantus vir haec non suis meritis set divinae virtuti asscribens, vixit in Christo dies huius vitae sibi concessos, ministrans illi fidelis servus omni studio. Sedit autem in episcopatu 16 annis, magna infirmitate, quae omnigenam virtutem perficit, gravatus, et Thiedericus, connomen habens Bonus a re[f. 51], pro eo est subrogatus.

[25.] fol. 12' iterum. Apr. 24.

21. 'Proximo anno expeditionem in Italiam rex iturus, ut cesaris consecrationem a domno apostolico perciperet, in castello, quod Grouna dicitur, convenire principes mandavit, et 8. Kalend. May de statu regni inibi cum eis necessaria tractavit. Episcopus autem Meinwercus cum rege expeditionem[g] iturus, ecclesiae sue penuria conquesta, itineris expensam labori suo congruam instanter petiit, et interventu Chunigundae reginae, Heriberti Coloniensis archiepiscopi, Athalbaldi Traiectensis, Thiderici Mimigardevordensis[h], Wicgeri[i] Verdensis, Thiederici Metensis, Berenwardi Hildenesheimensis, Thietmari Osnebrucgensis, Herici Havelbergensis, Berneshusun[52], situm in pago Lisga[k] in comitatu Udonis[k] comitis, optinuit; tali praecepto sibi ecclesiaeque suae cum eo et de eo dato, ut quicumque ipsum episcopum vel aliquem successorum eius super eo molestare inquietare aut divestire praesumeret, perpetuo anathemate condemnatus[l], 100 libras componeret, 50 regiae camerae, 50 eidem ecclesiae.

22. Eadem quoque die loco et anno, interventu sepenumero dictae et cum omni merito dicendae regine Chunigunde[m], in id ipsum etiam fraterna karitate collaborantibus Erchanbaldo Magontiensi archiepiscopo, Bernwardo Hildenesheimensi, Arnoldo Halverstadensi, Heinrico Wirciburgensi, Thiederico Mimigardevordensi, Hildiwardo Citicensi episcopis et sacerdotibus Christi, quandam regiam curtem Moranga[53] dictam, in pago Morangano in comitatu Bernhardi comitis sitam, obtinuit, quam Unuwanus Bremensis archiepiscopus cum manu advocati sui Udonis ipsi regi, omnium 'hominum contradictione remota, tradidit; fol. 13.

a) cum *usque* legaliter dederat *adiecta*. b) De episcopatu Bavenbergensi *rubricam add.* 2. c) bauerberge *c*. e) *totum hoc caput in margine alia manu scribitur; iisdem fere verbis ex Thietmari lib. VIII. cap.* 12. *exscriptum est*. f) c. h. b. a re *omittit Brower, reliqui scribunt* Bonus Are, *cuius loco Papebroch* domnus Are *i. e. comes Arensis legere vult*. g) *hic vox erasa*. h) id est monasteriensis *adscriptum*. i) W. V. *adscripta*. k) *voces* lisga *et* udonis *spatio vacuo manu* 2. *inscriptae*. l) p. a. c. *superscripta*. m) r. C. *addita*.

49) Hohnstedt inter Nordheim et Eimbeck; v. Erhart Regesta dipl. N. 85. 50) Schaten l. l. p. 402. 50*) *Rex* usque *communiret* ex Vita Heinrici c. 6. 51) i. e. ob rem, propter bonitatem suam; v. infra cap. 136. 52) Chartam vide apud Erhard Regesta p. 62. 63. Bernshausen ad lacum situm est. Lisga pagus est in quo Osterode, Herzberg, Duderstadt. 53) Moringen, ab occidente urbis Nordheim.

1013. quamque ipse rex pro remedio animae sui praedecessoris tercii Ottonis divae memoriae imperatoris augusti, et incolumitate suae vitae ac spe futurae, cum omnibus attinentiis suis tali conditione Meinwerco episcopo concessit, ut eandem curtem quamdiu viveret in proprios usus potestative possideret, post finem vero vitae suae ad vestitum canonicorum in Patherbrunnensi sede Deo sanctaeque eius genitrici Mariae nec non beatis Kiliano ac Liborio servientium, annuatim meliorandum pertineret: et si quis hanc donationem infringeret, 100 libras auri persolveret, 50 Patherbrunnensi ecclesiae, 50 camerae regiae. O quantae dilectionis inditium, simul et semel hec tribuentis! O quam sincerae devotionis servitium, talia et similia accipere merentis!

Posteritas dantem commendet et accipientem
Per pia vota patrem placans his omnipotentem.

[26.] 23.[a] Episcopus itaque, quae desideraverat, impetratis, Patherbrunnam revertitur; et rebus domesticis dispositis, et magistris idoneis operibus praepositis, tempore autumpnali cum rege proficiscitur. Rex[54] autem subiectis omnibus, et in dedicionem redactis quae rebellare temptaverant urbibus, proximum natale Domini Papiae celebravit; indeque[b] profectus, Apuleam[55] a Graecis diu possessam Romano imperio recuperavit, eidemque provinciae Ismahelem ducem praefecit. Cum autem civitates Apuleae pertransisset, et quae ad honorem et utilitatem regni pertinebant ubique prudentissime disposuisset, infirmatus morbo calculi, nulla poterat medicorum arte curari. Remedio autem cessante humano, corde et animo se commisit divino; ascendensque montem Cassinum, patrocinium sancti Benedicti et beatae Scolasticae sororis eius pro sanitatis suae adeptione suppliciter imploravit, et mirabiliter impetravit. Denique completa oratione ad hospicium se contulit, et lassatus ac debilitatus in lectulo se collocavit. Quo obdormiente, sanctus Benedictus ei apparuit, et a Deo, in quem speravisset, eum exauditum asseruit. Et ferro medicinali, quod tenebat, partem illam, ubi calculus herebat, aperiens, evulsum eum in manu regis posuit, et hiatu vulneris subita redintegratione sanato disparuit. Rex autem evigilans, et calculum in manu sua considerans, advocatis episcopis et principibus, ostendit eis in se facta Dei magnalia, et cum eis Deum digne collaudans, contulit fratribus inibi Deo sub regula sancti Benedicti famulantibus in praediis, ornamentis plurimis dona regalia. Ab eo tempore et deinceps rex[c] quadam speciali veneratione et devotione sancto Benedicto et omnibus monasticae religionis cultoribus studuit deservire, et in amplificandis et protegendis rebus ecclesiasticis benignus [27.] et devotus pater existere. Valedicto ergo fratribus, letus et hylaris inde discedens, Romam cum domna Chunigunda cum triumpho magno intravit; ubi a beato Benedicto papa benigne et honorifice susceptus, quantas miserationes et beneficia per servum suum Benedictum Dominus ei contulisset, enarravit. Papa autem Deo pro omnibus beneficiis suis gratias agens, pro salute regis et tocius populi christiani sacrificium laudis Deo immolavit, *et sollempni benedictione cum universi populi inestimabili exultatione regem in cesarem et imperatorem consecravit.

1014. Dec. 25. — fol. 14. Febr. 14.

24. Eodem ergo tempore Bavenbergensem fundum rex cum omnibus pertinentiis suis beato Petro contradens, apostolico praesuli iugiter defendendum commendavit, et in commemorationem huius pactionis album ambulatorem[56] cum faleris singulis annis Romano praesuli dari constituit. Optinuit autem magnis humilitatis et suae devotionis precibus apud domnum apostolicum, ut tempore oportuno ad Alamanniam accederet, et Bavenbergensis fundi novellam plantationem visitaret. Ibi domnus apostolicus Meinwercum episcopum praeconio virtutis et pietatis eximiae ubique karum et praeclarum habitum benigne suscepit, et eius ardentissimae in Deum dilectioni et devotioni congaudens et congratulans, de omnibus quae ab eo petiit parata et devota karitatis benivolentia satisfecit. Denique desiderium eius de reliquiis sanctorum ad constructionem monasteriorum audiens, tercium dimidium corpus septem fratrum filiorum sanctae Felicitatis, qui sub Antonino imperatore passi sunt, Philippi videlicet Iuvenalis et Felicis, et craneum sancti Blasii, qui sub Licinio anno dominicae incarnationis 322. gloriosa passione migravit ad celos, brachium quoque sancti Miniatis, qui sub Diocletiano 8. Kalend. Novembris passus est, cum aliorum plurimorum sanctorum reliquiis ei tribuit; et privilegium de bonis ecclesiae suae concessis vel concedendis aposto-

a) De imperatore Heinrico qualiter curatus sit a calculo *rubricam add.* 2*. b) que *additum.* c) *vox adiecta.*

54) Cf. Ann. Hildesh. 55) Quae sequuntur usque *laudis Deo immolavit* ex Vita Heinrici c. 22—25. 56) theutonice *Zelter.*

1014. lica auctoritate contulit. Quod ad posteritatis monimentum et Patherbrunnensis ecclesiae stabile praesidium et firmamentum hic inseratur, ut ipsa exemplis tantae devotionis ad augmentum suae securitatis et utilitatis instruatur, raptorum vero quisque ad cumulum suae dampnationis videat et audiat, ut confundatur:

[28.] 25. *Benedictus*[a] *episcopus servus servorum Dei, dilecto in Domino filio Meinwerco venerabili episcopo Patherbrunnensis ecclesiae suisque successoribus in perpetuum. Desiderium, quod ad religiosum propositum et sanctorum locorum stabilitatem pertinere monstratur, sine aliqua nostra, Deo auctore, dilatione perficiendum; et quotiens in quibusdam eius utilitatibus commodis nostrorum assensum, et solitae apostolicae auctoritatis exposcit*[b] *praesidium, id nostro benignitatis intuitu nos convenit subvenire, et rati pro integra securitate ex ratione solidare, ut ex hoc ipsis venerabilibus locis salus et indempnitas profligetur, et nobis quoque lucri potissimum praemium a conditore omnium Deo in sideriis arcibus proscribatur. Igitur, quia postulastis a nobis, quatenus confirmaremus, et apostolica auctoritate corroboraremus, tuae ecclesiae tibique et successoribus tuis*[c] *in perpetuum, quaeque pro redemptione animarum suarum ab imperatoribus sive regibus, ducibus, comitibus, vel ab omnibus magnis parvisque personis oblata sunt sive commutata, seu omnia quae tu, ductus amore Dei, de propriis tuis hereditatibus eidem tuae venerabili sponsae contulisti, perpetualiter, inclinati precibus tuis, per huius privilegii seriem confirmamus, et corroboramus ecclesiae tuae tibi tuisque successoribus*[c] *omnia praedia culta vel inculta, nec non omnia quae ei pro redemptione animarum suarum ab imperatoribus, maximeque a christianissimo et serenissimo filio nostro dilectissimo ac sanctissimo imperatore Heinrico oblata sunt, sive in comitatibus, seu ubicumque fuerint; nec non omnia, quae a regibus, ducibus, comitibus, magnis parvisque personis iam dictae ecclesiae oblata sunt. Similique modo confirmamus* [fol. 15.] *ea omnia loca, quae tu ipse pro redemptione animae tuae et parentum tuorum iam dictae tuae sponsae de propriis hereditatibus contulisti, nec non ea quae ab aliquibus commutata sunt; statuentes apostolica censura, sub anathematis interdictione, ut nulli umquam magnae parvaeque personae liceat contra hunc*[d] *nostrum apostolicum privilegium insurgere vel contraire. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra huius nostrae apostolicae praeceptionis seriem pie a nobis promulgatam venire agereve temptaverit, sciat se domini nostri apostolorum principis Petri anathematis vinculo innodatum, et cum diabolo et eius atrocissimis pompis, atque cum Iuda traditore domini nostri Iesu Christi, in eternum igne cremandum, simulque et in voragine tartareoque chaos demersus cum impiis deficiat. Qui vero pio intuitu custodes et observatores huius nostrae salutiferae praeceptionis extiterint, benedictionis gratiam celestesque retributiones ac eterna gaudia, ab ipso iudice domino Deo nostro consequi mereantur. Scriptum per manus Benedicti notarii et scriniarii sanctae Romanae ecclesiae, in mense Martio, indictione 12.*[e] *anno dominicae incarnationis* 1014.

[29.] 26. Cum autem episcopus inibi cum rege aliquamdiu moratus, de lue gravissimae mortalitatis, quae immanissime exercitum depopulabatur, mestus esset, accessit ad eum quidam Romanorum, consilians ei ut pro suorum incolumitate aliquam se venerationem in terra sua facturum sancto Alexi voveret. Qui ilico sublatis ad celum manibus et oculis, se monasterium honori et amori eius congruum facturum, si suis precibus suorum incolumitatem a Deo optineret, sinceriter vovit; et se eius meritis a Deo exauditum, suorum omnium iumentorum et hominum incolumitatis receptione et conservatione veraciter probavit. [30.] Novus autem imperator, omnia quae volebat a domno apostolico impetrans, consolatione eius et benedictione in Domino confortatus, Alpes[57] Penninas[58] transcendit, et Papiam rediens, sanctum pascha ibidem feriavit. Apr. 25.

27.[f] Venerabilis autem episcopus, tam materiali quam spirituali gladio ecclesiam commissam muniri et tueri desiderans, imperatorem inibi cum amicis suis et regni magnatibus adiit, et ut talia bona imperiali auctoritate confirmaret, qualia domnus apostolicus sua canonica confirmaverat, suppliciter expetiit. Imperator autem eius ardui itineris laborem, quem suae dilectionis intuitu ad apostolorum limina secum arripuerat, reminiscens, rationabili peticioni solita benignitate promtissime favit, et omnia ab eo de bonis haereditariis Pa-

a) *bulla haec manu coaeva in cod. cathedralis Trevirensis N.* 123 *exarata est.* b) exposcitur *c.* 123. c) *voces* in perpetuum *codex* 123 *hic omissa infra scribit.* d) *ita* 1. *Codex Trev.* 123 *legit* hunc *suprascripto* hoc. e) XII. ⁜ Bene valete. *codex* 123, *reliqua desunt.* f) *totum hoc caput in margine sed manu scriptoris* 1.

57) *A. P. t.* ex Vita Heinrici c. 28. 58) i. e. Apenninum.

therbrunnensi ecclesiae collata vel deinceps conferenda, vel alia qualibet sua instantia et industria a quibuscumque fidelibus acquisita seu acquirenda, commutata vel commutanda, regiae auctoritatis praecepto aureo sigillo bullato confirmavit et corroboravit[59].

28. Dimisso autem imperator[a] exercitu in terram suam, regni negotiis ubique prudenter dispositis, per omnia virtutis et pietatis vestigia dereliquit; et ubicumque servorum Dei[b] habitacula invenisset, eorum res adaugens et amplificans, omnium se orationibus commendavit. Cluniacum[60] quoque, inter alia ubique terrarum pro suae religionis fervore et situ loci nominatum, cum domno Meinwerco episcopo et paucis familiaribus suis adiit, et multa sanctitatis et religionis inditia quae audierat vera esse comprobans, coronam auream preciosissimis gemmis adornatam, ad missam quae de cathedra sancti Petri celebratur optulit; et fraternitate monachorum humiliter petita et accepta, cum maxima contricione cordis omnium se orationibus commendavit, et in supplementum necessariarum rerum optima praedia in Alsatia eidem congregationi testamentaria auctoritate delegavit. Ibi imperatore favente et suum in omnibus auxilium spondente, episcopus Meinwercus ab abbate et congregatione 13 fratres ad construendum monasticae vitae cenobium petiit et impetravit; cum quibus assumpta libra panis et potus, et regula, et anthiphonario uno et ymnario, festinanter repatrians, capellam in honore sancti Benedicti in occidentali parte Patherbrunnensis civitatis fundavit, et celeriter consummavit. [1015.] Monachorum autem emulis adventum eorum causantibus, [fol. 16.] eisque utilius secundum nominis sui ethimologiam a turba et civitate remotos fore, civitati vero honestius in eo loco clericos vel moniales degere affirmantibus, venerabilis episcopus humiliter rationem reddidit, dicens femineum sexum naturae suae qualitate fragilem esse, et infirmorum animas per eas scandalizare et scandalizari facile[c] posse; monachos vero convenientius vicinos et coniunctos esse clericis quam clericos, ut in variis lubricae vitae excessibus et eventibus, in divinis et humanis, fraterna karitate et unitate invicem succurrerent et consulerent, et ceteris regendis norma et forma facti, episcopo, sub cuius umbra alarum requiescerent, in utriusque vitae provisione et dispositione auxilio et consilio forent; adiciens, id decere et debere fieri, ut ad servitium laici et ad consilium[d] admitterentur clerici. Qua ratione data et audita, quique boni et discreti dicta eius et facta approbantes, rationabiliter cepta feliciter prosperari et consummari optaverunt; similia autem similibus congaudentes, dissimilibus et melioribus invidere et derogare non cessaverunt.

[31.] 29. Edificio ergo principalis ecclesiae magnifice consummato, frequentia et praesentia [Sept. 15.] utriusque sexus et habitus, etatis et dignitatis, sollempniter eam 17. Kalend. Octobris[e] dedicavit, et apostolici privilegio coram populo recitato et interpretato, in eiusdem soliditatis munimine suum edificium collocavit et stabilivit. Episcopus autem sperans, se ab imperatore Ervete[61] impetraturum, eum dedicationi interesse postulaverat; set ille[62] Polianiam contra [Iul.] Bolizavum tempore estatis ingressus cum valida suorum manu, interesse non poterat. Idem namque Bolizavo cum Udelrico duce Boemiae ad imperatorem in Meresburg venturus fuerat determinatus; sed ipse venire contempnens et rebellare disponens, ab imperatore Dei misericordia per sanctorum patrocinia, quibus se suumque populum intime commendaverat, est [32.] cum suis omnibus superatus. Episcopus autem de bonis hereditariis in Saxonia positis urbem sitam in loco qui Plesse[63] dicitur, cum undecies centum mansis iam ante ecclesiae traditis, ipso die recognoscendo et reiterando ecclesiae delegavit et confirmavit; quibusdam bonis ecclesiis construendis designatis, tali conditione exceptis, ut si eo morte praevento ecclesiae imperfectae manerent, post obitum matris suae, cui ad temporis vitae subsidia haec concesserat, ecclesiae ipsi attinerent. Cuius exemplum utriusque sexus conditionis et ordinis sequi ceperunt: et pro posse suae facultatis, pro optinendo bravio perpetuae felicitatis, salutaribus episcopi monitis instructi, bona sua ecclesiae contulerunt[f].

30.[g] Rationabile itaque videtur ex parte quorundam devotionem intimare, non solum ad declaranda eorum beneficia, verum etiam ad profectum illorum qui exemplis bonis edificari merentur, pariterque ad confusionem illorum qui licet optima queque sciant, videant,

a) *manu scriptoris, inserto capitulo praecedenti, additum* 1. b) *adscriptum* 1. c) *adiectum* 1. d) seruitium *corr.* consilium 1. e) XVII. Kal. Oct. *addita* 1. f) *in margine haec rubra saeculo XIII scripta leguntur:* quere XVII folio ad tale signum (L.S.). Quia ergo aliquibus tediosum et onerosum. g) *quae sequuntur omisit Brower usque ad cap.* 131.

59) v. Erhard l. c. dipl. 84. 60) *Cluniacum ... cum paucis fam. — delegavit* ex Vita Heinrici c. 28. 61) Erwitte. 62) *ille — determinatus* ex Ann. Hildesh. 63) castellum prope Nörten, e septentrione Gottingae.

audiant, in[a] malitia tamen eorum perseverant, ore Deum confitentes, factis autem negantes. Operae precium est etiam episcopi diligentiam in singulis annectere et benivolentiam, quomodo nec fraude aliquem circumvenerit, et quod omnium saluti et devotioni se congaudere et congratulari beneficiis competentibus demonstraverit. [1015.]

31. *Ipso[64] igitur anno dedicationis ecclesiae, millesimo quintodecimo incarnationis dominicae, quidam miles Mainheri dictus, divina ammonitione compunctus, ut se eternae hereditati associaret, atque inextinguibiles gehennae ignis flammas evaderet, quicquid habuit proprietatis in Burgnon et in Balhornon[65] et Scarheim, ad noviter ab episcopo constructum et dedicatum monasterium, et ad fratrum ibidem Deo famulantium utilitatem et ministerium tradidit, ea ratione, ut quisque fratrum ipsius ecclesiae per anniversarios eiusdem dies unum panem et unam carnem et eminam mediam acciperet, et animae eius salutari commemoratione memor esset; Amulungo advocato ecclesiae astante et hanc traditionem omni contradictione et altercatione postposita coram multis testibus suscipiente. Hac traditione peracta, venerabilis Meinwercus episcopus, ut omnibus quibus hoc foret compertum, ad divini cultus augmentationem cor promtius attraheret, suaeque voluntati animum uniuscuiusque devotiorem subnecteret, unam curtem Sutheim nominatam cum omnibus utilitatibus ad eam pertinentibus et 30 aratrorum decimas non in beneficium set ad vitae suae terminum concessit; hoc scripto decernens, ut si aliquis suorum successorum ista infringeret, ille sua reciperet. Initia bonorum haec[c]. [fol. 17.]

32. Quidam[66] alius nobilis[d], ad distinctionem alterius iunior Meinheri dictus, humanae fragilitatis memor quoddam praedium Hengeldere dictum, cum consensu uxoris suae Huninnae et filiae eius Odae heredis iustissimae, pro remedio animae suae ecclesiae dedit, et ab episcopo Meinwerco 30 aratra et 100 maldros annonae, quamdiu ipse viveret, accepit, et uxori eius ad consentiendum 4 libras denariorum detulit, quas in praesentia Ekkihardi et Liudulfi comitum in Assiereshusun episcopus ei dedit cum 30 solidis.

33. Quidam canonicus ipsius ecclesiae, Wirin nomine, omne praedium quod habuit in Osdaghusun[67] et in Rastherpe[68], cum omnibus attinentiis et utriusque sexus mancipiis, cum consensu et voluntate iustissimorum heredum suorum, Eizan, Irinches, Reinheri, ecclesiae in proprium tradidit, eumque Meinwercus pia misericordia motus praepositum constituit, hoc decernens, ut si per infirmitatem praepositi seu per aliam fortuitu accidentem causam constitutio eius infringeretur, de episcopatu una curtis cum 30 familiis usque ad exitum vitae suae ei concederetur. Heredibus[e] autem eius uxorem Hoian cuiusdam villici et filios eius pro mercede dedit.

34. Quidam subdiaconus ipsius ecclesiae canonicus, eiusdem nominis et devotionis cuius praescriptus, quicquid habuit proprietatis in Sneyn[69], per suum advocatum Eilbrehtum cum consensu sororum suarum heredum iustissimarum Aevae, Bavikae, Ieppae, omni contradictione remota ad dominium ecclesiae in proprium dedit, et pro hoc benefacto ab episcopo 40 aratra et unam decaniam accepit, Udone, Herimanno, Bennone comitibus et aliis multis astantibus, et episcopi de hac traditione mandatum taliter institutum audientibus, ut si aliquis successorum suorum concessa sibi infringeret, sua reciperet.

35. Alius ex eiusdem ecclesiae fratribus nomine Folcmarus, sancti Spiritus instinctu ammonitus, cum consensu et voluntate iustissimae heredis suae Siburg nomine, per advocatum suum Amulongum omne praedium, quod in marcha Sturmethi[70], Gesike[71] et Stockeim habuit, cum omnibus attinentiis ad altare sanctae Mariae sanctorumque Kiliani et Liborii in proprium dedit. Excellentissimus autem Meinwercus episcopus hoc pie accipiens, quatuor familias, quamdiu viveret, ei concessit, et omni anno unum lineum pannum sibi dari constituit, *et super hoc ex parte confratrum curtim quandam Bekinanvorde[f] vocatam cum duobus litis usque ad exitum vitae suae ei tribuit; ea videlicet ratione, ut ipse quamdiu viveret, vel si quis confratrum eandem curtem teneret, anniversarium Volcdagi faceret, Amulungo comite et multis aliis huic rei testimonium perhibente. [fol. 18.]

36. Alius[72] ecclesiae eiusdem canonicus nomine Volcmarus, cum assensu fratrum duo-

a) m. t. e. *supplevi; iam erasa sunt. in* 2* *haec omnia omissa sunt; pergit:* Quia *etc.* b) *haec erasa sunt.* c) I. b. h. *addita.* d) *additum.* e) H. *usque* dedit *in marg. adiecta.* f) d *eraso, iam* bekinanuo.

64) v. Erhard dipl. 86, p. 64. 65) Balhorn. 66) v. Erhard dipl. 87. 67) Osdagessen in comitatu Dassel. 68) Rostorf? 69) Grossen Schneen. 70) ad Lippiam superiorem. 71) Geseke et Stockum. 72) v. Erhard l. c.

rum Nithingi et Wirinhardi, duo praedia Holtheim et Aslan in die sancti Lanberti in quodam loco qui dicitur Ringhelmi[73], dedit Patherbrunnensi ecclesiae; Eilberto in praesentia Liudulfi, Erponis, Benne, Ekkiconis, Liudulfi[a] comitum et aliorum multorum, omni contradictione remota, id accipiente.

37. Nithingus[74] praescriptus sepe dictae ecclesiae canonicus, memor humanae fragilitatis, quaedam loca Holtheim et Burgnan cum appendiciis omnibus et mancipiis utriusque sexus, pro remedio animae suae parentumque suorum per advocatum suum nomine Wirinhardum, ecclesiae contulit, et a venerabili episcopo Meinwerco bannum super Horohusun et quendam locum Waveri[75] nominatum, atque Bokinavordi usque ad exitum vitae suae ea ratione suscepit, ut si Heinricum imperatorem superviveret, anniversarium eius sicut unius episcopi Patherbrunnensis de sola curte Bokinavordi faceret, et 300 elemosinas pro anima eius daret; et in eadem die exitus eius et anniversarii unum pauperem cum una camisia, cum una braca, uno cotte, una tunica, duabus caligis, et untiunculis et calciamentis, et cirothecis, pilleo et cingulo vestiret; et in natale sancti Kiliani martyris plenum convivium fratribus, sicut in natale sancti Liborii, de praenominata curte Bokinavordi similiter persolveret: et si quis confratrum post mortem domni Nithingi eandem curtim teneret, anniversarium Heinrici imperatoris, et convivium in natale sancti Kiliani, sicut praenominatus Nithingus pleniter faceret; hoc testamento etiam decernens, ut si ipsi Nithingo aliquid de concessis a quolibet suorum successorum infringeretur, de episcopatu unum vorwerc cum 20 litis et 12 aratris ei concederetur. Super haec omnia Werinhardo[b] suo heredi pelles martherinas et tres[c] uncias auri pro mercede tribuens.

38. Quidam presbyter nomine Waldier cum assensu Haoldi heredis sui iustissimi, quicquid in Winnithi[76] praedii habuit cum omnibus attinentibus, pro remedio animae suae parentumque suorum, Hildiwardo advocato id accipiente, in proprium dedit ecclesiae, accepitque ab episcopo Meinwerco ecclesiam in Thietmelli cum sex aratris, et unum equum pro uno talento usque ad vitae suae terminum; coram Counrado et Thiederico comitibus et aliis pluribus hac conditione facta, ut si aliquis sibi auferret concessa, reciperet sua.

39. Alius[77] quidam presbyter sanctae vitae Vulfdagus nomine, quicquid proprietatis in Baddunhusun[d, 78] habuit, Meinwerco episcopo ad dominium Patherbrunnensis ecclesiae per suum tutorum cum voluntate heredum suorum, Ymmido Patherbrunnensis ecclesiae advocato id accipiente, in proprium tradidit[e], ea videlicet ratione, ut a domno Meinwerco episcopo quaedam ecclesia in oppido Pumissun[f] sita cum omnibus ad eam pertinentibus, et pars ecclesiae in villa Baldereshusun[g] sitae, quae ad episcopatum Patherbrunnensem pertinet, ei ad vitae suae terminum concederetur; et post obitum eius, matri suae ex parte episcopi omnibus diebus vitae suae in Pumissun annona daretur; et si istud beneficium aliquis infringeret vel minueret, sua reciperet.

40. Quidam presbyter bonae memoriae de Rothun Wecil nomine, per advocatum suum Hiddin, et voluntate ac desiderio sui heredis Liutbrannes, quicquid habuit in villa et in marcha Holthusun, in proprietatem Patherbrunnensis ecclesiae ad altare sanctae Mariae sanctorumque Kiliani et Liborii dedit cum omnibus attinentiis, et ab episcopo Meinwerco hanc traditionem pie accipiente unam familiam in Riccwardessun usque ad terminum vitae suae in praesentia Amulungi comitis accepit.

41. Quedam sanctimonialis Haburg nomine, quoddam praedium Bridi vocatum, cum omnibus attinentiis, et utriusque sexus mancipiis, per advocatum suum nomine Hamaka cum consensu iustissimae heredis suae Ekkikae ad dominium Patherbrunnensis ecclesiae in proprium dedit, omni postposita contradictione, et a domno Meinwerco episcopo eius devotionem clementer attendenti 4 talenta et unum vorewerc Hunwercushusun et 4 mansos ac 30 aratra usque ad ultimum vitae suae terminum accepit; potestate sibi data recipiendi sua, si aliquis auferret concessa.

42. Item quedam sanctimonialis Ibikę nomine, ammonitione et peticione Meinwerci venerabilis episcopi cum consensu fratris sui Wegonis iustissimi heredis, quicquid proprietatis in Spurca[79] et in Adana et Bocla, Liudunburin, Rokinchusun habuit, cum omnibus attinentibus,

a) liudusfi *c.* b) Werrinhardo *c.* c) IIII. *corr.* III. 1. d) baddinhusun *c.* e) tradit *c.* f) rommessen *addit manus saeculi XV.* g) baldersen *addit manus saeculi XV.*

73) Rigelstein Falkio p. 449. 74) v. Erhard l. c. 75) Wever prope Paderborn. 76) Weende prope Gottingam. 77) v. Erhard l. c. p. 66. 78) Badenhausen prope Niheim. 79) fortasse Spork in districtu Detmold.

Patherbrunnensi ecclesiae in proprium tradidit; eique episcopus duas uncias auri et unum talentum denariorum dedit, et 12 aratra ad vitae temporalis necessaria concessit, heredi eius unum talentum tribuens.

43. Alia quedam sanctimonialis de Gesike, Odae nomine, pro remedio animae suae parentumque suorum, quicquid hereditariae proprietatis habuit in villis ac marca Colstidi, Astanholte, atque in Lanchel[79] vel in omni Patherga, cum consensu ac peticione fratris sui iustissimi heredis Richardi cum omnibus appendiciis ecclesiae Patherbrunnensi in proprium tradidit. Unde Meinwercus episcopus misericordia motus, in finitimis locis ad vitam eius 10 aratra decimationis ei concessit, et insuper unam libram inter aurum et argentum et 1 poledrum, ac 5 victimas[a], fratri vero eius unum equum dedit, Hosado praeposito, Ecilino imperatoris capellano, Amulungo comite et aliis multis astantibus.

44. Eiusdem quoque professionis et conversationis Cabuke[b] nomine, cum assentatu Tiazonis heredis sui quoddam praedium in Thietmeressun, et in Cherdinun, et in Sidessun[79'] per peticionem episcopi Meinwerci ecclesiae dedit; eique episcopus omnibus annis de episcopali substantia 20 maldros frumenti et 60 modios brasii, et 3 bacones cum totis minutiis, dari constituit, heredi eius dans griseas pelles et pernam unam.

45. Altera quedam sanctimonialis Atte nomine, accepit a venerabili episcopo Meinwerco 5 talenta auri et argenti, et unum pallium, et coopertorium vulpinum, et unum pelliceum martherinum pro aliis 7 talentis, ut quicquid praedii in Wesiga possideret, ad dominium Patherbrunnensis ecclesiae traderet. Super haec 12 talenta dedit episcopus heredi, qui et eius advocatus fuit, 2 talenta, ut suum consensum adhiberet, et traditionem ex parte eius perpetraret, et Hibilinae 3 solidos, Acelinae pullum unum equae, Manican 3 solidos, amicis illius, ut ei apud eam fideles auxiliatores essent, donavit. A quibus domna Atta ammonita suo heredi Abban in mallo Amulongi comitis suum praedium, ut per manus eius ad dominium sanctorum daretur, in proprium reddidit; idemque Abbo in mallo eodem comitis eiusdem curtem quae est in villa quae dicitur Haspa, et quicquid ipsa habuerat in villis inter Suntal et Asnig, *ecclesiae coram testibus in proprium dedit. Venerabilis autem episcopus in eodem mallo per suum advocatum Amulungum totum praedium eidem sanctimoniali in beneficium eo pacto prestitit, ut omni anno in festo sancti Liborii ad altare eius 2 denarios ad tributum de eodem praedio redderet. Quae beneficium accipiens, tributum devote persolvit. Precavens autem episcopus, ne ulla postmodum eam anxietas vel molestia paupertatis gravaret, omni anno 108 modios brasii, 3 pernas cum omnibus intestinis, 3 amphoras mellis, nonaginta caseos, 5 porcos, 5 oves, 20 malder dari constituit.

fol. 20.

46. Quedam item sanctimonialis Attule nomine, cum consensu heredis suae iustissimae Glismod nomine, quicquid hereditatis iure suscepit de suis heredibus Sicca et Vertherun nominatis, in exercitu Angariorum et in exercitu Orientalium[80], cum omnibus appendiciis et utriusque sexus mancipiis, Thiadrico advocato hoc confirmante, Patherbrunnensi ecclesiae in proprium dedit. Venerabilis autem episcopus quendam locum nomine Crammo cum 10 litis attinentibus, ad temporalis vitae subsidia ei tribuit, et 2 talenta omni anno dari constituit; decernens eam recipere sua, si auferrentur ei concessa.

47. Alia quedam sanctimonialis Liudburg nomine, quicquid in marca Astheim hereditatis possedit, per suum advocatum nomine Brun ad dominium Patherbrunnensis ecclesiae in proprium tradidit, eo pacto, ut ab episcopo vel suo vicedomno omni anno darentur ei 36 modii silae[c], 24 modii brasii, 60 casei, 4 arietes, una perna, duae camisiae, unum corium hirci, una tunica lanea, pelliceum ovinum duobus annis quamdiu viveret.

48. Quedam[81] sanctimoniales carne et spiritu sorores, Imikae et Imukae nominatae, per suum advocatum praedium, quod habebant in Karalasthorp, cum omnibus attinentiis dederunt in proprietatem Patherbrunnensis ecclesiae. Hac traditione legitimę peracta, venerabilis Meinwercus episcopus pia misericordia motus, duo talenta eis dedit; et insuper omni anno 10 malder frumenti, 36 modios brasii, unam pernam cum intestinis, vel porcum unum saginatum, se illis daturum promisit; ea conditione facta, ut reciperent sua, si quis eis umquam minueret vel infringeret concessa[d].

49. Comes[e, 82] Doudica de monte Wartberch, ut predictum est, pelicem duxerat, non

a) id est friskinga *glossa manus* 2. c) silę *c.* d) *spatium 9 linearum vacat in c.* e) *in marg.* de wartberch *et* primum *legitur* 1.

79) cf. Falke Tradd. Corb. p. 596. 79') Sidessen prope Sababurg; v. Landau, hist. topogr. Beschr. der wüsten Ortschaften im Kurf. Hessen pag. 16. 80) Ostfalaha. 81) v. Erhard l. c. p. 66. 82) v. Erhard Regesta p. 154 et dipl. 95.

1015. quam de mala bonam, de fornicaria castam faceret cum propheta Osee, set quam de sanctimoniali adulteram et filiam gehennae duplo faceret quam se. Horum filius annos pubertatis attingens, arma sumere disposuit, et ascenso equo[a] repente dorso eius deiectus, et morsibus eius attrectatus et calcibus contusus, miserabiliter expiravit. Comes autem de solario hoc prospectans, pellicem ilico advocavit; et quoniam litteris adprime imbuta fuit, quae virtu- fol. 21. tum omnium excellentior *ceteris esset, ab ea inquisivit. Qua veluti sterquilinium preciosam reddente margaritam, cum in omnium multimoda assertione et laudabili prosecutione et commendatione patientiae virtutem per[b] perseverantis constantiae magnanimitatem dignis praeconiis imitabilem affirmasset: *Eam*, inquit comes, *virtutem, quam imitabilem dignitatis suae merito adeo commendas, tu primitus serva; et accedens foras prospecta!* Qua prospectante, filium suum obisse vidit[c]. — Tandem comes divina inspiratione et assidua episcopi ammonitione[d] compunctus, pro remedio et commemoratione animae suae tempore accepto, ad altare sanctae Dei genitricis Mariae et sancti Kiliani martyris sanctique Liborii confessoris, cum consensu matris suae Hildigundae heredis suae primitivae, fratrisque sui Sigobodonis assensu, suae proprietatis praedia[e] sita in his locis Wartberge[83], Rainlefessun[83*], Erungun, Radi, Radi in superiori Wurlahun, Rothen, Garametti, Rotwardeshusun, Illandehusun, Silihem[f], cum omnibus eorum appenditiis, et octo molendinis, cum cunctis, quae nominari queunt vel nequeunt, et tamen in eis sunt vel fieri possunt utilitatibus, exceptis ministerialibus eius hominibus Eilbreth, Rantwinhg, Acelin, Gela, Doda, Hoika, Isi, Ainza, Tamma, Ibuke, Hizulae, ceterisque mulieribus ad geniceum eius tunc assumptis, non ulterius assumendis, in proprium dedit; ea ratione et pactione interposita, ut quousque Patherbrunnense monasterium maneret incolume, pro eodem Dodicone sacerdoti, diacono atque subdiacono cotidie missam publicam celebrantibus, stipendialis refocilatio, quae convenit uni fratri constipendiali eiusdem ecclesiae dari, daretur; si autem ab episcopo vel praeposito missa publica celebraretur, eadem stipendialis refocilatio pro animae eius remedio inter 12 egenos divideretur. Cum vero idem Dodico comes obisset, in omnigena recommemoratione, quam pro eiusdem ecclesiae episcopo agere consuetudo est, pro eo celebraretur, in missarum et spalmorum celebrationibus, luminorumque incendiis, eulogiarumque donationibus, centenorumque pauperum refocilationibus, et in omnibus quae in eiusdem loci episcopi annuali depositionis die convenit agere. Hac traditione et pactione peracta coram altari sanctae Dei genitricis Mariae, domnus Meinwercus episcopus cum advocato suo Amulongo pro eodem praedio eidem Dodiconi in praecariam praestitit quicquid in Desburg, Astnedere, Westnedere, Dalpanhusun, Dueriun[84], Uflahun[84], Rasbike, Silihem, Weplethi, ad Patherbrunnensis ecclesiae proprietatem pertinebat: atque eandem traditionem quam ad altare dederat concessit, ut utrumque, dum ipse viveret, traditionis et precariae usu fructus uteretur; eo autem mortuo, traditio et precaria ecclesiae similiter restitueretur, exceptis tribus ministerialibus viris Tiazone, Bennone, Mainzone, ac duabus familiis in Weplithi habitantibus et ad Heristelle pertinentibus, quas ei in precariam non concessit[84*]. Haec autem traditio tali tenore facta est, ut si aliquis ei de concessis aliquid infringeret, sua reciperet.

Meinwerc egregie, praesulum[g] eximie,
Queso vivas hodie in eterna requie.
Iudex orbis cum veneris mercedem dare famulis,
Cum ovibus in dextera, non cum hedis hunc colloca.
Talis tui in tuis affectus, sit Christe tibi acceptus,
Qui eos dilexit propter te, per eos non aliud adipisci sperans, quam te.

fol. 22. 50. *Comes quoque Sigobodo, frater ipsius Dodiconis comitis, cum sua contectali Weldilmod[h] pro remedio et commemoratione animarum suarum cum consensu heredis suae Hildigundae, unam curtem quae nominatur Liudulfingaroth*cum omnibus attinentiis, ecclesiae Patherbrunnensi in praesentia imperatoris Heinrici tradiderunt, atque ante altare sanctae genitricis Mariae eandem traditionem[i] cognoscendo reiteraverunt. Episcopus autem Meinwercus cum suo advocato Amulungo, quoddam praedium quod nominatur Curbike[85] cum 17

a) *dimidium lineae vacat* 1. b) *vox adiecta manu* 2. c) *linea vacua.* d) anmitione *c.* e) *voces tres erasae.* f) *in marg. manu saeculi XV:* De Wartberg, Rotlewessen, Eringen, Wormelen, Roden, Germete, Rotwardessen, Selheim. g) praesusum *c.* h) *ita c. lege* Wendilmod. i) *e. t. manu* 2.

83) De his locis cf. Falke l. c. p. 172. 83*) v. Landau l. c. p. 175. 84) Zwergen et Westuffeln. 84*) V. chartam ap. Schaten I, p. 441. 85) Corbach in principatu Waldeck.

familiis et uno molendino eis[a] in precariam[b] praestitit, ut quamdiu uterque viveret, precariae usu fructus uteretur, illis autem obeuntibus, in integrum ad altare praenominatum restitueretur, reciperentque sua, si aliquis umquam infringeret concessa.

51. Quidam nobilis homo Northinc nomine, quoddam praedium in Biveran[86] cum omnibus appenditiis, annuente matre sua herede iustissima Eilican dicta, in proprium Patherbrunnensi ecclesiae dedit, et a venerabili Meinwerco episcopo hoc pie perpendente decimationem in Warpessun pro suo servitio in beneficium accepit, Conrado, Amulungo comitibus cum aliis multis astantibus.

52. Alius quidam nobilis Liuthardus nomine, quicquid habuit in villa et in marca Irixlevu[87] in exercitu Asterliudi[88], et in pago Herthega[89], cum utriusque sexus mancipiis et omnibus attinentiis pro remedio animae suae parentumque suorum ecclesiae dedit, eique episcopus Meinwercus pro dono pallium unum pro 4 libris, unam unciam auri, et 10 libras denariorum tribuit, in praesentia Udonis, Bennonis, Amulungi, Herimanni comitum et aliorum multorum.

53. Item quidam nobilis Hemuca nomine quoddam praedium in Curbike pro spe suae salutis et incolumitatis ecclesiae contulit. Post obitum vero eius Reinhardus et Humburga, heredes eius legitimi, traditionem factam infringere et infirmare voluerunt; sed acceptis ab episcopo tribus talentis denariorum in vigilia sancti Bonifacii in Wartberge, quod factum fuerat, ratum dimiserunt et fecerunt.

54. Alius itidem[c] secundum seculi dignitatem nobilissimus Esic nomine de Mesheri, cum consensu ac peticione patris sui heredis iustissimi Thiatmari, quicquid hereditatis vel proprietatis habuit in villa Nederi ac marcha cum omnibus attinentibus, in edificiis, molendinis, mancipiis, exceptis his 4 Wicil, Sicca, Beva, Asake, ecclesiae Patherbrunnensi in proprium tradidit. Episcopus autem ad tantam devotionem misericordia motus, in finitimis locis ad vitam tam filii quam patris 20 familias inter Essiberg et Duergian[90] donavit; omneque etiam illorum beneficium, videlicet nummorum 33 talenta in decimatione et aratris comparata, sine servitio concessit. Atque omni anno de foresti Reinherishusun duos porcos silvaticos et duos cervos et duas cervas dari constituit; et insuper 20 libras denariorum ei dans, patrem eius in fraternitatem Patherbrunnensis ecclesiae suscepit, coram Amulungo, Herimanno, Thiadrico comitibus et aliis multis, potestate sibi data recipiendi sua, si aliquis auferret concessa.

55. *Quidam nobilis item Wicbran dictus, cum voluntate ac desiderio uxoris suae Tettan eiusque iustissimae heredis Eican, pro remedio animae suae parentumque suorum, quicquid proprietatis habuit in villa ac marca Thiatwardessun[d. 91] ad ecclesiam dedit; episcopusque solita benignitatis suae gratia praefatae domnae Tettae duas martherinas manicas cum pallio ornatas, unum lineum pannum, et unum equum pro dono tribuit.

56. Eiusdem nobilitatis fidei et carnis quidam Ridund nomine, cum assensu contectalis suae Siburg fratrisque eius Rimisis, quicquid proprietatis habuit in Steinnem, in pago Hessiun, cum omnibus utilitatibus ad eundem locum pertinentibus, omni contradictione remota ad dominium Patherbrunnensis ecclesiae tradidit; episcopus autem in annuntiatione sanctae Mariae, testimonio Herimanni de Werla, Ekkika de Aslan, Bennonis, Tammonis, Herimanni minoris, Liutgeri, Sifridi, Bernhardi comitum in Mulinhusun unum equum, unum coccineum dorsale, et pelles griseas pro 7 talentis eisdem dedit; et postea in Goslaria 2. Idus May in ascensione Domini[e] duas uncias auri, duo pellicia grisea pro duobus talentis[f], 3 marcas et 2 talenta.

57. Item nobilis quidam Volcwardus nomine, consensu uxoris suae Verthewi, duos mansos in Westnederi pro remedio animae suae Patherbrunnensi ecclesiae Erphone et Ekkika comitibus cum multis astantibus in proprium dedit, et in natali sancti Magni martyris in Wartberge 33 solidos denariorum et 5 denarios aureos et unam pernam ab episcopo accepit.

58. Quidam alius nobilis Isier nomine, in praesentia Bernhardi ducis ecclesiae contulit, quicquid proprietatis in Bennanhus habuit; et pelles rufas ac 35 solidos denariorum episcopo largiente accepit.

a) *manu 2.* b) precarium *corr.* precariam *c.* c) ititem *c.* d) Depmersen *manu saec. XV in marg.* e) *manu 2.* f) p. d. t. *manu 2.*

86) Bevern in ducatu Brunsvicensi. 87) Erxleben. 88) i. e. in Ostfalahis, ut supra c. 46 et infra c. 69. scribitur: *in exercitu Angariorum et in orientali exercitu.* 89) Hardego. 90) Escheberg et Zwergen; v. Landau l. c. p. 44 et 27. 91) Dietwardessen; Landau l. c. p. 37.

1015. 59. Quidam miles[a][89] domnus Brun nominatus, cum sua nepte Idae nomine, sua praedia in Sutdesburg[b], et Betanun[c], Wallenstide cum omnibus appendiciis dedit quoque[d] ecclesiae spe remunerationis eternae, et[e] pro remedio animae fratris sui Thiatmari, eo videlicet[f] pacto, ut quamdiu viveret, beneficium quod ei episcopus concessit, hoc est Boffesun[90] et Hemmedesun cum omnibus appendiciis possideret, hac conditione Ymmidi, Dodike, Volchardi comitum testimonio interposita, ut si aliquis sibi concessa auferret, sua reciperet.

60. Quidam liber homo Roddech nomine[g], dedit episcopo sueque ecclesiae Patherbrunnensi quoddam praedium in Othihem; et accepit ab eo equum unum pro 1 talento, 30 solidos denariorum, pelles, et scutum unum.

61. Item[91] quidam liber Alfric nomine, dedit episcopo 20 agros et aream in Aldenthorpe; et ob hoc dati sunt ei et uxori suae caballus unus, 12 solidi denariorum, 2 lanei panni, 2 pernae, 6 malder frumenti.

62. Miles quidam Wigo nomine, quoddam praedium in marca quae vocatur Alieressun[91*], in proprietatem Patherbrunnensi ecclesie[h] tradidit, et ab episcopo in eo solo anno 10 aratra decimationis et 10 siclos denariorum in praesentia Winonis Helmwardeshusensis abbatis, Hosadi praepositi, Amulungi, Erphonis comitum, et aliorum multorum accepit.

63. Alius[92] quidam miles Bruno vocatus, divina inspiratione instinctus consensu Wendelburgis suae coniugis, quicquid habuit in marcha quae vocatur Ananroth, in mancipiis utriusque sexus et attinentiis omnibus, ad dominium et proprietatem Patherbrùnnensis eclesiae tradidit; et ab episcopo hanc traditionem benigne suscipiente 4 aratra in praesentia Hosadi praepositi et aliorum multorum in beneficium accepit.

fol. 24. 64. 'Vir[93] quidam Bevo nomine cum consensu uxoris suae et filiorum suorum, Meinhardi, Liutgeri, Rodulfi heredum eius iustissimorum, quoddam praedium Patherbrunnensi ecclesiae in proprium dedit; et ab episcopo pro hoc benefacto misericordia moto 5 talenta accepit. Postea domnus episcopus per nuncium suum Thrudbertum eidem Bevoni unam libram denariorum misit, Bennone, Amulungo comitibus cum multis aliis huic rei testimonium legitimum perhibentibus.

65. Item vir quidam Hola nominatus, divina inspiratione praeventus pro requie animae fratris sui Gerberti mortui[i], et pro memoria filii sui Rainoldi, qui tunc in ecclesia Patherbrunnensi litteralibus studiis operam dabat, quicquid ipse Gerbertus vivens possederat, in his locis, Ammohusun, et in Thurnithi, et in Langal, et in Maresvelde, et in Salminghusun, Patherbrunnensi ecclesiae dedit; episcopus vero eidem Rainoldo pro suo servitio Dudo[i*] in beneficium postmodum praestitit.

66. Quidam[94] nobilis Ecilin nomine, cum filio suo Meinhardo herede iustissimo, quicquid habuit hereditatis et proprietatis in Harun cum 8 mancipiis et omnibus attinentiis, ad dominium Patherbrunnensis ecclesiae tradidit. Episcopus autem praenominato Ecelino omni anno 40 malder frumenti, 4 pernas sine minutiis[k], 5 oves de episcopali substantia dari constituit, et filio eius unum caballum, unum lineum pannum, 10 malder frumenti, 2 pernas dedit, potestate[l] sibi data recipiendi sua, si aliquis sibi umquam auferret concessa.

67. Homo quidam nobilis Walberth nomine, 44 agros et unam aream in loco Bilisti consensu heredis suae Adalgart, ecclesiae tradidit; episcopus autem cum suo advocato Amulungo, cuidam libero homini Wizo nomine, et suae uxori filiae Walberti, et si ipsi filios vel filias genuissent, eisdem sub mundiburdio praefati episcopi vel successoris eius permanentibus, ipsum praedium et ad hoc omne beneficium, quod idem Wizo habebat, concessit; hac conditione facta, ut si quis illorum sub mundiburdio episcopi vel successoris eius servire noluerit, episcopus vel successor eius praedium eum beneficio recipiat, et insuper, quisquis illorum alium supervixerit, omni anno 2 denarios episcopo ad tributum persolvat.

68. Item nobilis vir nomine Wilheim, pro remedio animae suae parentumque suorum quoddam praedium in Leuardishusun[94*] ecclesiae dedit, et ab episcopo equum 1 pro 30 solidis, 2 talenta et insuper 10 solidos in praesentia Udonis, Sifridi, Amulungi comitum accepit.

69. 'Alius[95] itidem nobilis nomine Richardus, pro animae suae parentumque suorum re-

a) miles *addit* 2. b) sutdesburch 2. c) betunun *corr.* betanun *cod.* d) *manu* 2. e) et p. r. a. f. s. th. *add. manu* 2. f) pacto — reciperet *eadem manu in media pagina subiiciuntur.* g) *manu* 2. h) cenobii 1. ecclesie 2. i) *manu* 2. i*) *ita c.* k) s. m. *in margine.* l) p. *usque* concessa *in margine.*

89) v. Erhard l. c. p. 66. 90) Bofzen prope Fürstenberg. 91) v. Erhard l. c. p. 66. 91*) Allersheim prope Bevern. 92) v. Erhard p. 66. 93) cf. Erhard l. c. p. 67. 94) v. Erhard l. c. p. 67. 94*) Luthardessen, hodie Lüthorst in praefectura Erichsburg. 95) v. Erhard p. 67.

medio, quicquid hereditatis vel proprietatis habuit in villis ac merchan Gledabiki[96], Hiridechessun[96], Hemmamhus, Heristi[96], Perranhus[96], Daillanhus[a.96], aut in omni Orientali exercitu[97], cum consensu ac peticione sui iustissimi heredis[b] Wiris, cum omnibus appenditiis dedit ecclesiae; et episcopus hoc pie perpendens, astante Bernhardo duce, Counrado, Amulungo, Thiadrico comitibus, et aliis multis, unam curtem quae vecatur Betanun, cum 16 familiis et 20 aratra decimationis ei[b] concessit omnibus diebus vitae suae, recipiendi sua dans ei potestatem, si quis ei cum attinentiis praefatam auferret curtem. 1015.

70. Alius quoque nobilis quidam Liudulfus nomine, cum consensu fratris sui Wickeri[c] et coniugis suae Suanehildis, quoddam praedium dictum Welmithe Patherbrunnensi ecclesiae tradidit; et ab episcopo pie hoc accipiente 15 talenta argenti et 20 aratra in pago Wessiga[98] cum uxore sua accepit. Postea episcopus eum ad militem suscipiens, 30 aratra in praedicto pago * in beneficium dedit, ea ratione, ut in expeditionem 4 scuta transmitteret, et si a servitio se umquam alienaret, 30 aratra redderet. fol. 25.

71. Item nobilis quidam Liuthardus nomine, et uxor sua Norhsuit, consensu Elfdaches et Badon, Wicballes, heredem suorum, quicquid hereditatis propriae habuit in Brochusen[99] in pago Thietmelli, ecclesiae contulerunt, et ab episcopo ipsum praedium cum 4 aratris in Smithessun[1] in beneficium ad terminum vitae suae eo pacto receperunt, ut quamdiu aliquis illorum viveret, 2 denarios pro censu daret[d].

72. Vir[2] quidam Ricmarus nomine, consensu fratris sui atque heredis iustissimi Hrchtward, quicquid hereditatis in Volkiereshusun habuit, cum omnibus attinentibus pro remedio animae suae ecclesiae tribuit; et ab episcopo quendam locum cum 4 mansis Niganbrunnun[3] vocitatum, et decimationem super villa nomine Dodanhusun[4], excepta curte, quamdiu viveret, accepit, et 1 caballum et 1 unciam auri, et 1 scutum et 1 lanceam, illi et fratri suo super hoc dedit, scripto decernens eum recipere sua, si quis ei auferret concessa.

73. Alter quidam christianae religionis cultor et amator mansum unum et[e] quicquid proprietatis in Silan habuit, annuente Bennone comite et filia sua, ad dominium Patherbrunnensis ecclesiae tradidit; episcopus autem misericordia motus eidem de Heristelli[5] mansum unum et 2 aratra ad terminum vitae suae concessit, et insuper unam pernam et polédrum unum, in praesentia Amulungi comitis et aliorum multorum tribuit.

74. Quidam vir Erp nominatus, devotioni aliorum est annumeratus, qui consensu uxoris suae Tettae et matris suae Ewsae, quicquid hereditatis in Esikessun possederat, pro spe suae salutis et incolumitatis ecclesiae optulit; et ab episcopo 30 aratra in Elieressun et finitimis locis in beneficium suscepit, gratuito sibi ab episcopo datis uno caballo et 60 maldris, uxori vero suae duobus talentis, in praesentia et testimonio Amulungi comitis et aliorum multorum hoc decernens, ut sua reciperet, si quis ab eo concessa sibi abstraheret.

75. Alius[6] vir quidam Bennaka consentientibus hereditatis suae legitimis heredibus, fratre suo videlicet[f] Godica et filio Godiscalco, quoddam praedium in villa Wiriesi[7] situm in pago Auga in comitatu Bennonis comitis, pro remedio animae suae parentumque suorum ad Patherbrunnensis ecclesiae dominium delegavit. Unde episcopus dedit ei ad temporalis vitae subsidium 11 aratra in Baddanhusun[7*], in Ahus 9, in Heleckieressun[7*] 10 aratra, in Baduellun 5 aratra et dimidium, in Bodekerithorpe 8, in Cuadian 10, in Geradessun[7*] 7, insuper 2 talenta denariorum, 3 cervisias, 4 pernas, 20 maldros avenae, comite Erp in Wartberge cum multis praesente, et his rebus testimonium perhibente.

76. Item quidam Imuca nomine, consensu et voluntate filiae suae Heresuithae, quicquid hereditatis in villa et in marcha Asthem[8] et Ecla habuit cum omnibus attinentibus, ecclesiae contulit; et ab episcopo cum praefata filia 4 familias in beneficium accepit, et omni anno de episcopali substantia unam plenam cervisiam, 6 maldros, unam pernam. De hac autem traditione talis conditio coram Hosado praeposito, Hecelino capellano, Amulungo comite et advocato, aliisque multis facta est, ut si filia eius superviveret, * praedium ecclesiae fol. 26.

a) B *corr.* D *c.* b) *manu* 2. c) c *manu* 2. d) 5 *lineae vacant.* e) vel *corr.* et *c.* f) *manu* 2.

96) marchis Gladebeck, Hardegsen, ... Harste, Parensen, Delliehausen prope Uslar, in pago Logne. 97) id est in Ostfalahis. 98) in quo Herford. 99) Brokhausen. 1) Schmedessen inter Detmold et Horn. 2) Erhard p. 67. 3) Negenborn in districtu Salzderhelden. 4) Dohnsen? 5) Herstelle ad Wiseram.

6) v. Erhard p. 67. XIII, ubi *Bernuuardus* vocatur. 7) Wirjesen ad Wiseram prope Corbeiam. 7*) Bodenhausen, ... Elkershausen, ... Gerwardshausen in praef. Friedland. Vaterländ. Archiv 1833 p. 89 sqq. 115 sqq. 8) in Wetereiba.

1015. recognosceret et dimitteret, et 4 familias cum praedio et 6 maldris optineret usque ad terminum vitae suae; et si aliquis hoc infringeret, illa sua reciperet.

77. Quidam[9] vir Ranward cum laudatione fratrum suorum Volckieres et Ekkionis quoddam praedium in Bikihusun ecclesiae tradidit; et ob hoc illis episcopus equum unum, 2 boves, 4 solidos denariorum[a], in praesentia Amulungi, Gerberti, Ekkicae comitum donavit.

78. Duo fratres Wiza et Hemuca nominati, consensu et voluntate parentum suorum mansum unum in Stenlari cum uno viro cuius nomen est Buna, ad ecclesiam tradiderunt, et ab episcopo cappam martherinam, 2 equos, 22 solidos denariorum, multorum testimonio acceperunt.

79. Vir[9] quidam Ethilier nomine, cum voluntate uxoris suae Wicsuithae, quicquid proprietatis in Diesna habuit cum omnibus attinentiis, in proprietatem Patherbrunnensis ecclesiae tradidit; et episcopus misericordia motus eisdem pallium unum pro 7 libris, et 6 uncias auri, 17 libras argenti, 4 solidos denariorum, astante Amulungo comite et aliis multis in Ekwardinchusun pro mercede illis tribuit.

80. Quidam bonus laicus Tidierus nomine, quicquid proprietatis habuit in Bulihem in pago Soratvelde, cum omnibus attinentiis, pro remedio suae animae parentumque suorum, sine omni contradictione cum assensu et voluntate heredum suorum dedit ecclesiae; accepitque ab episcopo in beneficium in praesentia Hosadi praepositi, Amulungi, Thiedrici comitum 6 aratra decimationis in praedicta villa Bulihem et Vurmessun usque ad terminum vitae suae.

81. Duo[9] fratres Liudric et Becelin nominati, cum Wicilino quicquid proprietatis in Halogokircan[9*] habuerunt[a], cum voluntate domnae Helmburgae heredis iustissimae ad ecclesiam dederunt; et 4 libras denariorum a venerabili episcopo pro mercede acceperunt.

82. Vir quidam Tiedi nomine, 70 agros in Bilivelde[10] hereditario iure possedit, quos cum duabus areis assensu et voluntate matris suae Wilburgae[b] in proprietatem Patherbrunnensi ecclesiae contulit. Episcopus autem propter illam traditionem ipsum Tiedi ad nutriendum in suum mundiburdium suscepit, et matri suae omni anno unam laneam tunicam, unam camisiam, 1 pernam, 1 malder caseorum, 7 maldros frumenti, 30 modios brasii, et in quarto anno unum pellicium ovinum, in festivitate sancti Andreae se daturum promisit, in praesentia Amulungi, Ekkica comitum, et aliorum multorum.

83. Alius vir quidam devotionis eiusdem Radulf nomine, pro remedio animae suae parentumque suorum cum consensu et affirmatione Ricbrechtes heredis iustissimi, quendam litum Burghardum nomine cum omni sua familia, et manso uno in loco qui Weni dicitur, in pago Almunga[11], in comitatu Ekkiconis, in proprium dedit ecclesiae. Episcopus autem pro eterna remuneratione concubinae praedicti Radulfi, quae Atholloch dicebatur, omni anno in die circumcisionis Domini 5 solidos denariorum dari eo tenore constituit, ut si ipse vel aliquis successorum suorum praefatam pecuniam non persolveret, ipsi Atholoch praedictum mansum restitueret, et si nec censum ei solveret nec familiam restitueret, in extremo examine eternis gehennae ignibus cruciandus perpetuae dampnationi subiaceret.

84. Quidam[12] bonus christianus nomine Verthumundus, cum voluntate filii sui Alfdeches heredis legitimi, 23 agros et 1 aream in marcha Calriki[13] ecclesiae tradidit; eisque episcopus ad vitam amborum 1 mansum in Ovorandvergian[13*] ea ratione concessit, quatenus in natali sancti Liborii 3 denarios inde persolverent, Amulungo comite cum aliis huic rei testimonium perhibente.

fol. 27. 85. *Quidam item vir nomine Hathamarus divina inspiratione commonitus, quicquid proprietatis habuit in Erpessun[14] in pago Lachni et in comitatu Herimanni comitis, cum favore matris suae Bezzulan heredis iustissimae, eo tenore in proprietatem ecclesiae tradidit, ut sibi soli, quamdiu superstes esset, omni anno de episcopali substantia 3 talenta darentur; et si quis episcoporum Patherbrunnensis sedis hoc pactum rennueret, eidem Hathamaro praedium suum restitueret. Episcopus autem dedit illi ad conductionem 1 equum, 1 cuspidem, 1 clipeum, vulpinas pelles, griseas pelles, 51 solidos denariorum, matri vero eius domnae Bezzulan in cathedra sancti Petri unum talentum ut laudaret, Udone, Herimanno, Benna, Sifrido, Ekkica comitibus, et aliis multis astantibus.

86. Vir quidam Hidda nomine, quoddam praedium in Burchusun[15] dedit ecclesiae; et ob

a) *manu* 2. b) wilburgis *corr.* wilburgae *c.*

9) Erhard p. 68. 9*) Heiligenkirchen in praef. Falkenberg. 10) Bielefeld. 11) e meridie pagi Patherga, ad Almam fluvium. 12) Erhard p. 68. 13) Keller Falkio auctore. 13*) Oberzwergen; v. Landau l. c. p. 27. 14) Erbsen in banno Adelepsen. 15) Borkhusen prope Blomberg, in pago Wettigau. Falke.

hoc dati sunt ei et uxori eius 2 caballi, 2 boves, duo lanei panni, 3 pernae, pelles griseae, 8 solidi denariorum, 3 solidi, 12 modii frumenti, solidus unus. 1015.

87. Alius vir quidam de loco quodam qui vocatur Wittisungan nomine Wicil, dedit episcopo Meinwerco praedium quoddam in Othihem, et ob hoc accepit ab eo 1 martherinam tunicam pro 50 solidis et 4 talenta denariorum et 10 solidos.

88. Vir quidam Herimannus nomine de Holthusun, accepit in Patherbrun 30 solidos, quos dedit cuidam viro nomine Tada pro domo una, quam dederat ecclesiae.

89. Alius[16] vir quidam nomine Amulung accepit de episcopo Meinwerco 10 solidos et unam mulierem, ad deferendum cuidam sanctimoniali in Meschethi[17] pro duobus pueris, quos ab ea optinuit.

90. Item Adalward in Hechti[18], et Rumold in Heingahusun, et Benna sua praedia in Immedeshusun[19] episcopo tradiderunt, et hanc traditionem testimonio Herimanni comitis et aliorum multorum legitimam et firmam fecerunt.

91. Vir item quidam Wicbrandus nomine, consensu contectalis suae Tettae quoddam praedium in loco qui dicitur Hemmicanhusun cum omnibus attinentiis, ut deleret peccata sua, 2. Nonas Nov. ecclesiae Patherbrunnensi dedit; eique episcopus pelles martherinas, et unum pallium pro 8 talentis tribuit, et quamdiu viveret, 15 aratra sub tali conditione dari constituit, ut si aliquis sibi concessa infringeret, sua reciperet.

92. Quidam fidelis Godescalcus nomine, cum consensu heredis suae Hemmedessun nomine, Patherbrunnensi ecclesiae 7 mansos in proprium dedit[a]; accepitque ab episcopo unam cappam griseam, 12 talenta, 100 maldros, 8 pernas, Thiedrico, Ekkica comitibus cum aliis multis in Nihem, ubi haec traditio facta est, in vigilia sanctae Gertrudis virginis astantibus.

93. Item[20] fidelis quidam Aethelhardus nomine, cum sui heredis iustissimi Liucican assensu et voluntate, 1 mansum in marcha Listungun[21] cum omnibus attinentibus dedit ecclesiae; eique episcopus misericordia motus 6 marcas cum 4 libris in praesentia Hosadi praepositi, Amulungi comitis, et aliorum multorum pro mercede restituit

94. Quidam[22] item fidelis Hildelin nomine, per consensum suae contectalis Odae et heredis iustissimi ipsius Arnoldi, unam aream et 40 iugera cum omnibus appendiciis in pago Nihterga[23] in villa quae dicitur Holthuson, et Arnoldus cum consensu suae matris eiusdem Odae et praedicti Hildelini unum litum in pago Almunga in villa quae vocatur Barghusun, et sua uxore et filio, et cum omnibus quae tunc habuit, in area quoque et praedio, et omnibus eiusdem praedii appenditiis, *pro acquirenda decimatione super villam Emiggarothun ecclesiae in proprium tradidit. Quod episcopus pie accipiens, praedicto Hildelino et suae contectali Odae et Arnaldo omnibusque posteris eius eandem decimationem pro praedicto praedio per suum advocatum Amulungum dedit. Haec traditio 3. Nonas Nov. primum facta, 4. Non. Ian. iterata et confirmata est, consedentibus ibidem archiepiscopo Hunfrido, Siberto, Hildiwardo atque Liuzone episcopis, et astantibus Fritherico, Gerberto et Thiadrico comitibus[24]. (*fol. 28.)

95. Item quidam fidelis christianus nomine Araca de Corbeia fuit, qui cum voluntate filii sui Titballes heredis iustissimi, unum agrum in orientali littore fluvii Wisare prope Huxeri[25] omni contradictione remota ecclesiae dedit[b].

96. Quidam[26] vir nomine Vulfheri 15 agros, quos cum uxore sua in loco qui Vulfereshusun[27] dicitur, proprietario[c] iure possedit, nimia paupertate constrictus cum consilio et voluntate uxoris suae et heredum suorum ecclesiae contulit; eisque episcopus pro amore Christi pro illis 15 agris unam libram denariorum persolvit.

97. Quidam vir Thiadold nomine, unam aream et 18 agros in quodam oppido quod dicitur Wicberneshusun habuit, et nimia egestate compulsus, propter inopiam ipsam aream cum edificiis et ipsis 18 agris cum omni utilitate attinente, cum consensu et voluntate uxoris suae Redmodae, et filii sui Athalwardi iustissimi heredis, ecclesiae in proprium tradidit; et episcopus pro amore Dei praenominatis 30 solidos et 1 pernam cum totis minutiis dedit.

98. Quidam pauper vir de Halogokircun cum sua contectali 1 aream et 20 agros epi-

a) d. ecclesiae *c.* b) 5 *lineae vacant.* c) proprieatirio *c.*

16) v. Erhard l. c. pag. 66. 17) Meschede. Netham supra Corbeiam. 24) v. chartam apud
18) Echte in pago Lisgau. 19) Imbshausen. Schaten I. p. 487. 25) Höxter. 26) Erhard p. 69.
20) v. Erhard p. 68. 21) Listingen in Hassia. 27) Wulferdessen haud procul a Brilon teste Falke,
22) v. Falke l. c. p. 531. 23) ad Wiseram et in districtu Sababurg teste Landau l. c. p. 17.

1015. scopo Meinwerco dedit; et ob hoc ab episcopo aream 1, pernam 1, talentum 1 denariorum, 5 malder frumenti, et 2 laneos pannos accepit.

99. Quidam vir Alfdagus nomine, nimia penuria coactus, quicquid hereditatis in marcha Hodanhusun possederat, cum voluntate filii sui Liudulfi ecclesiae tali tenore tradidit, ut quamdiu viverent ambo, de episcopi elemosina alerentur; episcopus autem hoc pie rependens, constituit eis dari cotidie 2 panes, 2 bicarios de cervisia, sabbato dimidium caseum, dominica et aliis festis diebus 2 carnes, et omni anno 2 laneos pannos, unum siclum denariorum[a].

fol. 29. 100. 'Thietmarus[28] senior, frater Bernhardi ducis Saxonie, vir in hoc mundo valde idoneus fuit, set tantum vitiis plenus quamtum[b] rebus, superbia tumidus, in acquirendis rebus avariciae facibus accensus. Denique contra ius et fas ubique fidelium res invadens et diripiens, inter cetera tirannidis suae opera, quodam tempore iter suum ad monasterium Herivordiae direxit; faciensque ibi magnam munitatem[29], sanctorum ibidem requiescentium et suae sorori[b] abbatissae nomine Godesti, et congregationis sanctae Mariae thesaurum confregit, et inde plus iusto pecuniae detraxit. Postea ad sinodum secundum canonicam constitutionem ab episcopo Meinwerco vocatus, ad corrigendum commissa est ammonitus. Quo salubriter compuncto et utiliter correcto, constitutum est, eum episcopo dare 30 talenta denariorum. Illo autem pecuniae pondus tantum non habente, omne praedium quod habuit in Bruninctliorpe cum omnibus appendiciis, cum consensu et voluntate sui heredis Bernhardi ducis atque fratris sui, ad dominium Patherbrunnensis ecclesiae pro reconciliatione illius pecuniae in proprium dedit. Hanc traditionem episcopus banni sui munimine firmavit, Udone, Herimanno, Bernhardo, Liudero comitibus, et aliis multis assistentibus.

101. Quidam viri de Scerve[30] Aethelbern, Ecilin, Heriward nominati, hominem quendam pertinentem Herisi, casu fortuitu occiderunt, et ne publice proscriberentur[c] et res eorum diriperentur, se cum omni substantia sua ad dominium Patherbrunnensis ecclesiae in proprium tradiderunt Venerabilis autem episcopus, factus eis turris fortitudinis a facie inimici, dissidentes legitime pacificavit, et homicidium factum ad ecclesiam Herisiensen cum octo libris persolvit.

102. Vir item quidam Sigibodo nomine, adversus ecclesiam fortuitu plus iusto excessit, set Dei favente gratia conpunctus et correptus, pro emendatione legitima cum assensu et voluntate uxoris suae Embilan et heredum suorum, quaedam praedia Vilisi, Vesperdun, Hoddingahusun in proprietatem eiusdem ecclesiae contulit.

103. Retharius venerabilis episcopus, praesulis venerandi Meinwerci praedecessor, quendam mansum cuidam viro nomine Isica in beneficium dederat. Quem quamdiu vixit in quieta mansione et legitima possessione tenuit, filiusque eius Ecelinus nomine, post eum quasi hereditarium accepit, quousque peccatis exigentibus de sacrilegio quodam convictus, fugam iniit. Quo comperto episcopus Meinwercus a filio Ecelini et uxore eius Demoda atque cognatis supradictam hereditatem ecclesiae requisivit. Quibus, prout possibilitas eorum fuit, diu resistentibus, et ad ultimum convictis, iuste et spontanee quod per multa tempora iniuste tenebant reddiderunt, et insuper 8 agros, quos hereditario iure possederant, ecclesiae dederunt; episcopus autem consueta sibi benivolentia devotioni eorum congaudens, unam cappam martherinam, 1 pannum lineum, et 7 solidos denariorum in praesentia Amulungi comitis et aliorum multorum eis tribuit.

104. Ekkibrath quoque miles marchionis Bernhardi quoddam praedium iuri suo vendicavit, quod coram duce Bernhardo, marchione Bernhardo, Thiatmaro, 'Thiedrico, itemque Thiedrico, Liudulfo, item Liudolfo, Tancmaro, Sifrido, Esico, Liudero, Heinrico, item Heinrico, Vertherico comitibus, Thiedrico quoque comite milite episcopi, in Mersburg curte regali episcopo Meinwerco remisit. fol. 30.

105. Quidam ititem[b] vir Ibo nomine, cum uxore sua quoddam praedium dedit ecclesiae; recepitque ab episcopo post assumptionem sanctae Mariae 2 familias, 2 equos, 2 boves, 2 vaccas, 10 oves, 2 pellicea, pelles vulpinas[d], 13 denarios auri, 3 pernas, unum pannum lineum ac 2 familias.

106. Vir[31] quidam nomine Reinhardus et sua contectalis Ricmod traditionem de quo-

a) *9 lineae vacant.* b) *ita c.* c) proscibercntur *c.* d) uulpinas . XIII. den^a auri . III . pernas *c.*

28) v. Erhard p. 69. 29) munitionem? 30) Scherbe, in pago Hessi Saxonico. 31) v. Erhard p. 69.

dam praedio in Sidiginchusun infringere voluerunt; sed acceptis ab episcopo in reconciliationem 3 libris denariorum et una familia in Suinvellun, omni contradictione postposita pacati quieverunt.

107. Suprema quoque reconciliatio praedii, de quo diutissime rixati sunt episcopus et Godebold et uxor sua Liutrud, facta est 17. Kal. Octobr. in Withem[32]; ubi episcopus unum clericum nomine Redbern et unam mulierem eis in reconciliationem dedit, ipsique cum voluntate filii eorum Godoboldi, coram Amulungo, Gerberto, Thiadrico comitibus, praedio omnimodis renunciaverunt[a].

108. Quaedam nobilis mulier[b] Idike nominata, praedium in Essiki et Liutburgamh, quod ei quidam vir nobilis nomine Thiedericus in proprium delegavit, per consensum iustissimi heredis sui Roddaches filii eius, omni contradictione remota cum omnibus illuc pertinentibus in proprietatem Patherbrunnensis ecclesiae tradidit. Episcopus autem Meinwercus misericordia pro hoc benefacto motus, praedictae Idikan 3 talenta pro karitate dedit, et per interventum eius et petitionem praefato Thiederico Liutburgam in beneficium ad terminum vitae suae concessit; insuper omnibus annis 3 talenta dari constituit.

109. Alia quaedam nobilis femina Vizuca nomine, in villa quae vocatur Haldugon[32*] suum praedium cum consensu suae heredis unicae, videlicet filiae suae, ad monasterium Patherbrunnensis ecclesiae dedit; quod domnus Meinwercus episcopus absque ulla contradictione, illa superstite, possedit. Illa autem ex hac vita subtracta, Godoboldus, ipsius episcopi miles, eandem traditionem irritam fieri cupiens, sine generali legum placito et iuditii contradixit. Reliqui vero milites episcopi inter utrumque paci et karitati providentes, ad hoc usque episcopum consiliis deduxerunt, ut daret ei placando pallium unum, pelles martherinas, 4 uncias auri, 7 libras argenti, equum unum, aratra quoque quedam. Quod in natali sanctae Agathae in Herisi[33] coram idoneis testibus fecit, sicque traditio illa deinceps inconcussa permansit.

110. Quedam item nobilis mulier Reinike nomine, divino ut credimus ammonita instinctu, cum consensu fratris sui Haaldes heredis iustissimi, et uterque cum alterius laudatione, pro remedio animarum suarum parentumque suorum, quicquid proprietatis in Dodanhusun[34] et in Thincherdinchusun[35] habuit, cum omnibus appenditiis, edificiis, molendinis, et mancipiis, quorum nomina haec sunt, Wecil, Doda, Becelin, Reinbald, Azulae, Gerburg, item Azulae, Wanikin, Weldelburg, Engize, Thiecike, Eile, Ode, Ikike, ad dominium Patherbrunnensis ecclesiae in proprium delegavit. Episcopus autem Meinwercus hanc traditionem pie accipiens, praefatae Reinikan illam curtem in Thincherdinchusun, et omnem decimationem in Thinkilburg[35*], et in Lellebiki, et in Rian, et 6 familias usque ad exitum vitae suae, et insuper 7 talenta donavit, et fratri eius Haoldo ad conductionem 2 talenta dedit; hac conditione in praesentia Hosadi praepositi, Amulungi, Gerberti comitum, et aliorum multorum canonicorum et laicorum facta, ut si aliquis constituta infringeret, domna Reinike data reciperet. Quidam vero nobilis Wega nomine, quicquid contradictionis in hac traditione habuit, coram episcopo Gozmaro[36] ad ultimum voluntarie dimisit, et acceptis ab episcopo per presbyterum de Gesmeri[36*], nomine Unuca, 2 talentis denariorum in praesentia Amulungi, Benne comitum, quae facta et data fuerant, stabilivit atque firmavit.

111. Nobilis item quedam mulier Godruna nomine, praedium quoddam Gelanthorp dictum, in comitatu Bernhardi ducis et in pago Thilithi[37] situm, hereditario iure possedit, quod cum omnibus suis appendiciis, 18 videlicet mansis et utriusque sexus mancipiis, ceterisque lignorum aquarumque utilitatibus, pro spe suae salutis et incolumitatis, pro optinendo gaudio sempiternae iocunditatis ecclesiae contulit. Cum autem haec traditio sine voluntate filii eius, nomine Hoda, facta[c] fuisset, episcopus 12. Kal. Aprilis in Mulinhusun placitum cum eo habuit, et adiuvantibus sibi Sifrido, Amulungo, Ekkico, Thiederico, Tancmaro, item Ekkico, Tamma, Liudolfo, Hamuke, Wiza comitibus, Eizone praeposito, Geza, Haiza villicis, Geza pincerna, Tamma advocato de Hildinesheim, domna Sophia[38] et aliis multis, quae data fuerant ab eo renovari et stabiliri optinuit, et ei pro mercede pelles bonas et 7 talenta tribuit[39].

a) *4 lineae vacant.* b) *manu 2.* c) *manu 2.*

32) in pago Auga. 32*) Haldungen; v. Landau p. 19. 33) Heerse monasterium. 34) Todtenhausen; Landau pag. 176. 35) in pago Hessi Saxonico. 35*) Dinkelberg. 36) Osnabrugensi. 36*) Geismar? 37) in quo Hameln. 38) Gandersheimensi. 39) Charta ea de re conscripta in codice cathedralis Trevirensis Nro. 123 saeculo XI. exarata exstat, quam ope Waitzii nostri hic sistimus: »In nomine domini nostri Ihesu Christi Meginwercus Paterbrunnensis sedis Dei gratia presul.

1018. 112. Episcopatus autem eius anno nono, dominicae vero incarnationis 1018, quedam vidua nomine Fretherun, pro gravedine suorum peccaminum et pro remedio animae filii sui Widikini, per advocatum suum Thiatmarum cum consensu heredis suae Anciae, curtem Nederi[40], et curtem Assiberg, et curtem Haldugun et ecclesiam, et quicquid in his tribus locis possedit in villis, areis, aquis, piscationibus, agris, pascuis, silvis, et in omnibus appenditiis, et mancipiis, in Nederi videlicet novem, in Assiberge 19, in Haldugun 10, ad dominium et proprietatem Patherbrunnensis ecclesiae contulit. Ista traditione peracta, episcopus Meinwercus eidem viduae curtem Haldugun cum omnibus suis appendiciis, et curtem Heristalli cum 5 equis, et 6 bubus, et 30 ovibus cum pullis, et 30 porcis, et cum 20 litis, et 20 aratris concessit; et ad hoc 12 pernas, et 20 maldros tritici, et 30 urnas vini ei dedit; et omni anno haec eadem in pascha se daturum illi promisit, et insuper dimidium talentum auri, et vulpinum coopertorium, et canum pelliceum donavit; et ad haec Anciae filiae suae 5 litos ad terminum vitae suae dedit.

fol. 32. 113. *Alia quedam matrona nomine Fretherun, cum assensu filiae suae Annae, per advocatum suum Thietmarum quandam curtem Haldungun, et in Essiberge, et in Nederi, cum omnibus appenditiis, pro remedio animae suae parentumque suorum ecclesiae Patherbrunnensi omni contradictione procul remota in proprium tradidit. Episcopus autem tantae benivolentiae et devotioni congaudens, solae domnae Fretherun omni anno in nativitate sancti Georgii martyris 6 pernas cum minutiis, 6 pernas sine minutiis, 20 maldros[a] tritici, 20 maldros alterius frumenti, 5 cervisias, unam carradam vini, 10 agnas cum agnellis, 5 oves sine agnellis, 5 porcos, 10 solidos denariorum, ad victum dari constituit, et insuper totam decimationem in Astnederi, et unam optimam familiam in oppido eodem, et in aliis locis 16[b] aratra, usque ad exitum vitae suae ei permisit; filiae vero eius Annae totam decimationem in Ovoronbeverungen, quatenus traditionem firmaret, concessit. Hec 3. Kal. Febr. in Wiriesi tali tenore facta sunt, ut, si praedictae decimationes cum concessis ab aliquo umquam auferrentur, tam matri quam filiae praedia sua restituerentur, et qui violenter his contrairet, divinae ultioni in examine extremo subiaceret.

114. Quedam domna nomine Dudica, nimio dolore affecta pro morte viri sui, quicquid proprietatis habuit in Dorstedi et in Lanwardeshusun et in Ebanhusun, cum omnibus illuc pertinentibus exceptis 30 agris et una area, filiis suis heredibus iustissimis Thiadrico et Widuloni in proprium dedit. Quo facto, illi praedicti pueri, Dei ammonitione instincti, pro salute corporum et pro remedio animarum suarum ipsa praedia cum utriusque sexus mancipiis, et ceteris omnibus attinentiis, in praesentia Gerberti comitis et aliorum multorum, ad dominium Patherbrunnensis ecclesiae in proprium tradiderunt.

115. Alia quedam domna Aldun nomine, dedit episcopo 2 mansos; eique episcopus in nativitate sanctae Mariae perpetuae virginis per Ethelredum presbyterum de Gudulmun[41] unam libram argenti ad 4 annos dedit, postea vero 10 quoque solidos, ut omnino praediis datis absisteret; per omnia dans ei 2 libras argenti, auri unciam unam.

116. Item[42] domna quedam Geppe nomine de Halthorpe, quicquid hereditatis in Forsti[42*] habuit, cum omnibus suis appenditiis, consensu[c] heredum suorum sine omni contradictione ecclesiae dedit; eique episcopus Meinwercus misericordia motus, 25 libras denariorum pro mercede tribuit.

117. Alia domna quedam nomine Luiza, spe retributionis eternae praedium quoddam dedit ecclesiae; et episcopus Meinwercus dedit Amulungo et Erphoni comitibus 4 libras inter

a) *manu* 2. b) X *addit manus* 2. c) c. h. s. s. o. c. *manu* 2.

Omnibus presentibus et futuris volumus notum fieri, qualiter quidam nobilis nomine Hoda quoddam praedium Gelanthorp, in comitatu Bernhardi ducis et in pago Tilithi cum omnibus illuc pertinentibus, cum consensu matris suae Godrunae, quod ipsa potius sine voluntate filii dedit ad dominium sanctae Dei genitricis Mariae et Kiliani martiris Liboriique confessoris in proprium tradidit. Episcopus autem Meinwercus ob illam reconciliationem praenominato Hodan 7 talenta ad mercedem dedit, et insuper unam crusinam, 12. Kalend. April. Actum in Mulinhuson. Huius traditionis sunt testes, comes Sigifridus et comes Amulung, et comes Ekkico, et comes Thiederic, et comes Thancmar, Ekkica, Thiamma, Volcward, et comes Liudolf, Heriman, Noncilin, Conradus, Cristin, Regil, Wichard, Tamma, Wlfheri, Eppo, Wicheri, Eica praepositus, Haica villicus, Liudier, Azzaca, Geza villicus, Geza pincerna, Maza, Hemuza comes, Vizza comes, domna Sophia, Tamma advocatus de Hildenesheim.«

40) Neder, Escheberg, Haldungen.
41) Falkio est Golen ad Wiseram in pago Nithega.
42) Erhard p. 69. 42*) Forste; v. Landau p. 44.

aurum et argentum, et 7 solidos denariorum, ut ipsi haec darent Liudbronno et Ekkican, et Haican, et Rothwerco heredibus illius, ut traditionem factam laudarent et firmarent.

118. In Hemmedessun praedium quoddam dedit Evike Patherbrunnensi ecclesiae; pro quo dedit episcopus domnae Becelan et filiabus eius in Herivordi in praesentia Bernhardi ducis, Amulungi, Bernhardi, Ekkiconis comitum, et aliorum multorum, 4 uncias auri, ut omni contradictione deposita, facta sinerent esse rata.

119. De Embriki[43] domnae Ibican dedit episcopus 10 malder decimationum, 24 modios brasii, 2 pernas, et duo aratra decimationum.

120. Mulier[44] quedam Mirihilt nomine, quicquid hereditatis in Heringi possedit, per suum advocatum et heredem nomine Avican episcopo et suo advocato in proprium tradidit; et ab episcopo in praesentia Dodiconis, Ymmidi, Brun comitum, 12 siclos nummorum et unam libram, quod est talentum, accepit.

121. Alia quedam mulier Enike nomine, praedium unum in Hardincthorpa* per suum advocatum Widikindum ecclesiae contulit, et ipsum praedium in beneficium tali tenore, ut omni anno unum denarium inde solveret, ab episcopo[a] recepit, et insuper 5 aratra ab eo accepit.

122. Item[45] quedam mulier Oda nomine, quicquid hereditatis in Siwardessun habuit, ecclesiae contulit, et ab episcopo in praesentia Conradi, Amulungi, Erp, Thiedrici comitum 20 solidos denariorum accepit.

123. Quedam[46] sorores Bosan, Cristina, Ebbican nominatae, praedia sua in Thesli[47], Sidessun, Uffanhusun, Essiberch, Ananroth, Walieressun[47*], Suthem, Erpessun[48], quae hereditario iure possederunt, per manum Bernhardi ducis ad altare sanctae Mariae sanctorumque Kiliani et Liborii pro remedio animarum suarum dederunt; et ab episcopo astantibus Nithingo, Ramwardo praepositis, Haica decano, Amulungo, Bernhardo, Ekkica, Tiamma, Benna, Uda, Herimanno comitibus, et canonicis ac laicis quam pluribus unum martherinum pelliceum pro 6 talentis, unam[b] zebelinam tunicam pro aliis 6 talentis, et insuper inter aurum et argentum inter caballos 18 talenta pro mercede acceperunt.

124. Item[49] mulier una Wennikin nomine, assensu matris suae Hamodae et advocati earum Tadican, 14 agros et aream unam in Hilimeri, ecclesiae dedit, eisque episcopus 2 boves, 1 vaccam, 2 libras lanae, unum caballum tribuit.

125. Quedam[50] item mulier Oda, cum consensu matris suae Bechtilde[c], et filiorum suorum Gerhardi et Thietbaldi, unam familiam et 60 agros in Asopo[51] ecclesiae tradidit; eique episcopus Meinwercus 2 talenta et dimidium tribuit, et ad finem vitae suae filiorumque eius G. et T. unam domum cum 30 agris in Patherbrunno distribuit[c], et ad hec omnia ei in inventione sancti Stephani 30 denarios auri, et unum talentum denariorum dedit.

126. Alia[52] quedam mulier Hathaburgis nomine, omnem hereditatem suam contulit ecclesiae; quam Atholfus miles Coloniensis archiepiscopi cum uxore sua nomine[d] Hicila infringere et infirmare laborans, ab episcopo pro negotio proprio Romam ituro, 15 talenta et 4 mansos cum 20 mancipiis, quorum unusquisque 5 siclos argenti solvebat, dedit[d*], episcopo autem Roma reverso, praedictis in reconciliationem pelles martherinas tribuit, et sic traditionem factam pleniter et legaliter stabiliri optinuit[e].

127. Vir quidam de Rangun nomine Alvericus, duo praedia in Ufflan et Ricwardessun[52*] proprietario iure possedit, quae venerabilis episcopus gravi pecunia ab eo[f] acquisivit[g].

128. Comparavit[53] quoque apud Thiedricum et suam uxorem Geppan in Goslaria duas familias in Lanchel[53*] per advocatum suum Amulungun, qui praesente Benna, Udone comitibus et Hecelino Calvo, 7 uncias auri, et 3 libras denariorum eis pro eis dedit.

129. Hec quoque praedia, sua instantia, precando, comparando, a subscriptis acquisivit[h], et ecclesiae utilitatibus addidit: unum in Anansiae de Thiethardo diacono; in Nedere et Lammerthrun de Volchardo; in Scetbeke de Bandan et suo servo Brummanno; in Holthuson

a) ab e. *manu* 2. b) unum *c.* c) Bechtilde *usque* distribuit *in margine.* d) *manu* 2. d*) *potius* accepit. e) 5 *lineae vacant.* f) ab eo *manu* 2. g) 2 *lineae vacant.* h) a. s. a. *manu* 2.

43) Emmerich? 44) Erhard p. 69. 45) vide Erhard p. 69. 46) v. Erhard p. 70. 47) Falkio p. 157 sunt Deissel, Siddessen, Uenhusen, Escheberch, Wulmerssen. 47*) Wellrissen, Sutheim. Landau p. 25. 34. 48) Erbsen. 49) v. Erhard p. 70. 50) v. Erhard p. 70. 51) aut Aspe aut Espel in alterutra ripa Wiserae. Falke p. 539. 52) cf. Erhard diplom. 113. 52*) v. Landau p. 183. 53) Erhard p. 70. 53*) v. Landau p. 173.

1015. de Waltberto et Etheldago; in Ethelerdinchusun et Weni de Tiaza; in Atfritheshem et Hosissim de Ekkican; in Rotbrachtessun de Bunican; in Heinthorpe de Bechitiero; in Hodanhusun de Brendeke; in Ettidessun et Hippanhusun et Nederi a domna Hian; in[a] Hoithuson et Emingarothe de Hillino; in Ricwardessun de Eilican; et alia nonnulla, per quae pastoris idonei sollicitudinem debitam liquido declaravit, memoriamque sui dignissimam posteris dereliquit. 5

fol. 34. 130. *Quia ergo aliquibus tediosum et onerosum, non autem Patherbrunnensi ecclesiae ociosum esset aut infructuosum, singulorum beneficia describere particulariter, qualis populi vovendi et offerendi integritate actionis, simplicitate intentionis, tranquillitate devotionis fuerit puritas; quanta episcopi rectitudine actionis, affectu mutuae dilectionis, effectu congruae retributionis, et in omnes et ad omnes extiterit liberalitas, quae in haeredum rationabili approbatione, testium probabili astipulatione, advocatorum legali executione, fuerit servata equitas et auctoritas, perpendatur universaliter; quia, quo vicaria dilectionis relatione in alterutrum letarentur affectu, quantum utrimque de ecclesiae gratularentur profectu, facilius a sapiente eiusmodi indiciis poterit sufficienter estimari, quam alicuius ore vel stilo convenienter narrari. 15

[33.] 131. Cum ergo, ut praedictum est, anno dominicae incarnationis 1015 capellam in honore sancti Benedicti episcopus inchoasset, tanto cicius quanto devotius eam consummavit, 1016. et in capite ieiunii proximi anni, 16. Kal. Martii sollempniter eam consecrans, in dotem eius Febr. 15. domum unam in Nortburgnon cum decima delegavit, de qua eidem ecclesiolae provideri luminaria, et infirmorum usibus amministrari necessaria ordinavit. Domus autem infirmorum postea ita constructa est, ut unus murus utrumque, capellam et domum coniungeret, et sacerdos assistens altari per fenestram muri infirmum communicaret. Ipsa autem die dedicationis eius, per salutarem confessionis penitentiam, generalem absolutionis episcopus populo tribuit indulgentiam, proponens eis in sermone ad exemplum penitentiae, vitam penitentium et pauperum voluntarie. De fratribus autem quos adduxerat, unum Sigehardum nomine in abbatem consecrans, aliis praeposuit; et quosdam pueros ministerialium et civium suorum regulari norma inbuendos inibi contradidit, qui cum mundi contemptu et virtutum appetitu regulariter incederent, et odorem bonae opinionis et sanctae conversationis longe lateque in populos spargerent. De conversione eorum et conversatione non modice episcopus letabatur, illum prosequens gratiarum actione, de cuius munere venit, ut ei a fidelibus suis digne et laudabiliter serviatur. Unde monasterii fundamentis positis, et claustralibus officinis congrue dispositis, inchoata consummari accelerabat, eo instantius quo ad alia inchoanda ferventius anhelabat. Terminum autem claustralem quieti et utilitati monasteriali congruum, late praefixit; et quicquid in giro per circuitum monasterii a via publica qua in urbem iter 54 est rectum, usque in coquinam episcopi adiacet[b], iuri ipsius ecclesiae[54] addixit. Areas autem versus occidentem ex utraque parte Patherae contiguas, diversis curiae servitoribus et artificibus et ad mandatum pauperum in cena Domini deputavit, et in cotidiani ministerii necessitatibus, in alimentorum vestimentorumque utilitatibus, non minus decenter quam utiliter filiis suis prospicere curavit. Quoties autem claustrum introisset, relictis foris popularibus, assumptis gravibus et religiosis personis, qui sciebant et sua tegere et aliena non puplicare, fol. 35. *claustrum introivit; et hoc deinceps[b] faciendum, tam canonum traditione quam sua institutione mandavit.

[34.] 132. Inter hec opus Creatoris ammirabile, in episcopo quidem in honore, in eius matre vero in contumeliam factum contemplemur, et ineffabiles divitias bonitatis eius[c] pro modulo humanae valitudinis ammiremur et veneremur; qui sicut peccata patrum in filiis et nepotibus, peccata eorum propriis cumulantibus, et longanimi patientia Dei ad augmentum suae perditionis abutentibus, in terciam et quartam generationem reddit, ita maliciae paternae expertes tamquam ex sterquilinio preciosam margaritam producit. Deum itaque episcopus in omnibus et super omnia diligens, proximo eandem dilectionem exemplis et monitis exhibuit, et ad viam salutis unumquemque informare, quantum temporum qualitati et personarum utilitati congruebat, non destitit. Unde patre suo mortuo, matrem, ut secunda recusans matrimonia, sexagesimum vidualis continentiae fructum assequi niteretur, sedule ammonuit; exemplum sui ei proponens, qui carnem suam crucifigens cum vitiis et concupiscentiis sponso celesti, mente actu et habitu applicari maluit. Illa autem, quae carnis sunt sapiens, salutis

a) in h. et e. de h. *in margine manu* 2. b) *manu* 2. c) e. cum condigna gratiarum actione p. *deleta*. 55
54) Abdinghof.

suae monita contempnebat, et ingressa latam et spaciosam viam quae ducit ad mortem, eo infelicius quo voluptuosius eam incedebat. Infamia denique suae maliciae et nequitiae ubique nota et abhominata, ad filium suum episcopum in Patherbrunnon venit, et oblatis ei bonis ad temporalis vitae subsidia sibi delegatis, Novam domum[55] cum attinentiis eius, quamdiu viveret, sibi ab eo concedi petiit. Ille autem veluti colubrum intra sinum pietatis intuitu suscipere renuens, et ne tacta pice ab ea inquinaretur praecavens, consortium eius vel commercium omnimodis recusavit, et se bonis eius non indigere vel curare protestans, Deum vero, cui se suaque omnia devovisset, ampliora daturum affirmans, ab omni suo episcopio vel allodio eam quantocius recedere mandavit. Quae repulsa cum ignominia, maiori adversus eum exarsit invidia, ad eius interitum omnem femineo furore querens aditum. Ad eius itaque contumeliam et maiorem invidiam Baldericum comitem, licet hominem fortem divitem et potentem, non tamen eius matrimonio congruentem, maritum accepit; et eius consilio filium proprium, comitem Thiedericum, episcopo quasi animam suam dilectum, eo in Longobardia cum rege Heinrico manente, 7. Idus Aprilis Uplage[56] urbe munitissima iuxta Eltene sita[a], ab hominibus eius[b] occidi praecepit; et multa nefanda dictu et relatu horrenda, quae ullo modo potuit excogitare et investigare, non erubuit probare et perpetrare. Igitur fama malum, quo non aliud velocius ullum mobilitate viget, volat per populos; pavore et horrore pro innocentis nece concutit universos; tinniunt audientium prae immanitate sceleris aures; stupent omnes, a remotis et ignotis innocentia et modestia occisi auditur, in communi ab omnibus de parricida ultio expetitur. Amplius autem episcopo post reditum imperatoris cum principibus, non nimietate doloris set sinceritate Dei amoris et canonici rigoris instante, illa maledicta per legales inducias cum suis fautoribus Drotmanniam[57] vocatur, et maiestatis rea filiique proprii parricida morti adiudicatur. *Quibusdam autem inhumanitatem episcopi erga matrem suam falsa compassione causantibus, et pro correctione culpae veniam et vitam postulantibus, episcopus diu multumque restitit, et carnem quae peccaverat temporaliter puniendam, ut spiritus salvaretur in die Domini, asseruit. Tandem victus instantia postulantium vix acquievit, et accedens ad imperatorem, eius iudicio et arbitrio quomodo terminaretur, secundum quod honori imperii congrueret et animae eius expediret, commisit. Consulentibus ergo qui aderant, praedia quedam in Saxonia, quae haereditario iure possederat, queque ei ad temporalis vitae subsidia post mortem patris sui episcopus concesserat, inter quae principales sortes sunt istae: Immedeshusen, Walmontheim, Hawrlon, Hukelhem, Mandelbike, Golthbiki, Dodonhuson, Hokisneslevo, Wakereslevo[58], cum manu Balderici comitis mariti sui et advocati, cum consensu heredum suorum imperatori potestative contradidit; et sic interventu omnium vitam carnis[c] obtinuit, et eternam mortem anime[c] incurrit. Imperator autem prece et devotione ammonitus episcopi venerabilis, dilecti sui nepotis, quem se suaque omnia divino servitio mancipare cognovit[d], eadem praedia cum suis appenditiis, quae dari solent vel nominari valent, utilitatum omnium attinentiis, ei suaeque ecclesiae, omnium hominum contradictione remota, 4. Idus Ianuarii anno dominicae incarnationis 1016, indictione 13, in Drotmannia tribuit; regali auctoritate decernens, ut nulla persona aliqua iudiciaria potestate in eisdem praediis se intromitteret, nisi advocatus quem ipse episcopus vel suorum quilibet successorum elegisset; et si quis hoc praeceptum infringeret, 100 libras auri persolveret, 50 regiae camerae, 50 Patherbrunnensi ecclesiae. De his praediis Dodonhusun et Golthbeke ecclesiae novae, quam summo studio construxit episcopus[e], contulit, cetera sibi ad maioris ecclesiae dominium retinuit.

133.[f] Plurimorum autem negotiorum gratia ibi demoratus, multis suis in vinea Domini cooperariis tam ad constructionem novorum, quam ad reparationem collapsorum apud imperatorem interventu[g] fuit; ipseque aliorum optentu videlicet Erchanbaldi Magontinensis archiepiscopi, episcoporum quoque Heinrici Wirciburgensis, Wicgeri Verdensis, Arnoldi Halverstadensis, Berenwardi Hildenesheimensis, Thiederici Mimigardevordensis, Hildiwardi Citicensis, Gregorii atque Azzonis Romanorum, aliorumque multorum, Berneshusun, ab

a) *manu* 2. b) e. et Balderici comitis *erasa*. c) *manu* 2. d) connouit *c.* curauit 2*. e) *manu* 2. f) *totum hoc caput manu* 2. *in margine scriptum est*. g) *i. e.* interventui.

55) Nihusen prope Paderborn. 56) Upladen; cf. Alpertum lib. 2. c. 13. SS. IV, 715. 57) Dortmund. 58) Imshausen, Walmoden, Haverlah prope Ringelheim, Höckelheim ad Leinam, Mandelbeck, in principatibus Hildesheim Grubenhagen et Göttingen, Goldbeck et Todenhausen in principatu Mindensi, Hötensleben et Wackersleben in ducatu Magdeburgensi. Wedekind Noten I, 270. 271.

1016. Unuwano Bremense archiepiscopo imperatori legaliter traditum, et comitatum in Haverga locisque praedictis situm, et ab eodem imperatore, pro remedio animae suae parentumque suorum, nec non tercii Ottonis bonae memoriae imperatoris, dilectaeque contectalis suae Cunigundae imperatricis augustae, eidem episcopo Meinwerco suaeque ecclesiae ante quinquennium datum, quae invasione quorundam erant turbata, eis manentibus in Longobardía, 19. Kal. Febr. ibidem in Drotmannia renovari et confirmari optinuit[59].

[36.] 134. Baldericus quoque comes praedictus, per consensum suae contectalis Athelae, petente Meinwerco episcopo, in praesentia Heinrici imperatoris, archiepiscoporum quoque Meingoz Treverensis, Heriberti Coloniensis, episcoporum etiam Athalbaldi Traiectensis, Thiederici Mimigardefordensis, Thietmari Osnebrugensis, Arnoldi Halverstadensis, laicorum quoque Bernhardi ducis, Liudolfi, Thiederici, Wicmanni comitum, et aliorum multorum, praedium quoddam in comitatu Udonis praesidis in Himmerveldun[60] ei in proprium tradidit; quod eiusdem episcopi advocatus nomine Herimannus ad Patherbrunnensis ecclesiae proprietatem suscepit. [37.] Eodem[61] anno magnae molis grando venit, et plurimi fulmine interierunt. Episcopus vero, secundum quod scriptum est, flagellato pestilente sapiens sapientior erit (Prov. 21, 11), aliorum interitum suae correptionis estimavit profectum, eo intentius anhelans ad eterna, quo sui cursus mutabilitate perpendit non subsistere terrena.

135. Mater autem episcopi, existens ingrata de misericordia collata, iniquitati apposuit iniquitatem, modis omnibus querens alienare filio omnem haereditatem. Qua mentis vesania femineo furore debachata, 10 mansos in monte Lare iuxta Heimmeberg in inferiori terra[61*], ecclesiae sancti Viti in Eltene quasi sub specie religionis contulit, et alia alias conferre disposuit, quae saecularium, (fol. 37.) *timore imperatoris et episcopi quibus cor unum et animam unam esse omnes sciebant, accipere nemo ausus fuit. Quo celeri nuncio episcopus comperto, velociter partes terrae inferioris[a] adiit, eamque in monte Lare deprehendens, volentem fuga evadere, ad aquam Emme de monte salientem[b] comprehendit, et deteriorem qualibet creatura[c] protestans, quae filios uterinos non solum occideret, verum etiam exheredare disponeret, capi eam fecit. Hominibus autem matris eius, parti dominae suae faventibus, et 10 mansos, quos sancto Vito dederat, licite eam dedisse et dare potuisse asserentibus, episcopus nihil preter iusticiam se exigere dixit; et eis ad suae iusticiae ostensionem reliquias sanctorum expetentibus, ipse non renuit. Ilico allatis reliquiis de ecclesia vicina Rene[62], constructa in honore sanctae Cunerae, in quibus iurare consueverant, episcopus eas abiecit; et prolatis de apothecis suis reliquiis sanctorum apostolorum Petri et Pauli et sancti Blasii, super eas eos iurare fecit. Qui votis dominae suae temerariis satisfacere volentes, 7 viri ad reliquias accesserunt, et manus ut iurarent apponentes, mox celesti plaga percussi, quatuor ex eis oculos amiserunt, aliis tribus erectae manus obriguerunt, et omnibus diebus vitae eorum tali plaga multati permanserunt. Manifestam ergo virtutem Dei, matri proponens, tandem aliquando eam resipiscere hortabatur; et se bonis beati Viti non indigere dicens, quae ei dederat, rata fecit, ne ullam occasionem pereundi matri dedisse videretur. [38.] Quia ergo Deum intime dilexit, plures ad eum exemplo suo attraxit, qui de bonis sibi temporaliter collatis providere sibi studuerunt[d] mansionem perpetuae claritatis.

136. Quidam denique liber homo, nomine Couno, lignorum suorum proprietatem in loco qui a re[e] nomen habens usque hodie Cononbusc[63] dicitur, ei contulit; quoniam omnia quae agebat a Deo prosperari, et ab eo omnia ad divini cultus augmentum fieri veraciter intellexit.

137. Item alius quidam in Helessem molendini[f] aquam, et alii alia, fideliter[f] sperantes, ea in futuro sibi[f] reddi centuplicia.

[39.] 138.[g] Divertens inde episcopus Radincheim, quoddam dorsale in cubiculo matris suae suspensum deici, et suum pallium suspendi mandavit; et pie violentus ipsum dorsale occulte caballo impositum, novo suo monasterio Patherbrunno[h] quantocius deferri imperavit. Ipsum autem dorsale ad nominis sui memoriam pariterque in honorem Balderici comitis, quem duxerat mater[h] eius[h], fieri fecerat, picto in eo ob insigne virtutis ad monimentum posteritatis, quod draconem in loco quodam interfecerat.

a) *manu* 2. b) saliente *c.* 2*. c) c. eam *erasum.* d) *manu* 2. e) qui Are n. h. *edd.* f) *manu* 2. g) De dorsali quod matri sue abstulit *rubricam add.* 2*. h) *manu* 2.

59) V. diploma ap. Schaten I, p. 417. 60) in praefectura Hassiae Zierenberg. Falke 327. 61) ex Ann. Hildesh. 61*) i. e. Niederland. 62) Renen. 63) i. e. Cononis silva; *busch* silva est.

139. Post[a] discessum igitur episcopi mater eius; unde proficere debuit, deterior efficitur, et femineo possessa furore, quicquid in praediis vel rebus aliis habuit, distrahere[b] non moratur. Denique villam in Reinwic cum attinentiis eius, itemque ecclesiam et villam in Wic cum ipsius appenditiis, beato Heriberto Coloniensi archiepiscopo ad monasterium quod in Tuiciensi castro in honore sanctae Mariae perpetuae virginis construxit, vendidit; et manutergium altaris preciosum, serico contextum, ei tradidit, et principali ecclesiae beati Petri apostoli emporium in Resse[64] cum sibi adiacentiis, ut ibi sepeliretur, dedit; quae episcopus non solum non requisivit, verum facta grata habens[c], fratrum amator, devotionis eorum adiutor et cooperator factus, ea laudavit et stabilivit.

140.[d] 'Baldericus autem comes, cum se quasi innocentem de nece innocentis humana fefellisset sapientia, coepit quasi potens de inani gloriari potentia, cecatusque mundi divitiis et captus amore nefariae mulieris, sprevit mentis suae fastu Deum altissimum, largitorem divitiarum suarum et virium. Denique quadam die in Radincheim de solario eminentiori quaqua versus prospectans, et loci qualitatem situsque sui multiplicem utilitatem considerans, *Cum*, inquid, *Deus omnia posse dicatur, quomodo me in tanta seculari gloria, in tanta omnigenarum rerum copia, ad inopiam redigere posse credatur? Nam Renus praeteriens habundanter visui et usui delectabilia, saltus adiacens volucrum et bestiarum sufficienter necessaria amministrat; et de tantis divitiis subici posse inopiis opinari, frivolum constat.* Quam bene et congrue par convénit pari, dum vir talis mulieri iungitur tali! Cum igitur talibus et similibus voluptatibus et vanitatibus inservirent, et in sordibus positi, merito suae iniquitatis amplius sorderent, directis ad eos ab imperatore duobus nobilibus viris, discedentes ex insidiis peremerunt; et sanguine innocentum vindictam a Deo expetente, iusto iudicio publicis[e] legibus dampnati et proscripti, ius legemque omnem perdiderunt. Nam, qui Deum impotentem ut ad inopiam eum redigeret estimabat, profugus et nec servorum propriorum consortio vel colloquio usus, in aliena terra mendicando stipem petebat; et illa Coloniam divertens, habensque aliquamdiu de ecclesia principali, itemque de ecclesia Tuiciensi praebendam, ibidem moritur, et ante ecclesiam beati Petri sepelitur; set tempestate ádeo seviente ut tocius civitatis interitum minitaretur, effossa in Renum proicitur, ipseque Renus sui inundatione et fluctuum collisione plurimis diebus ita efferbuit, quasi se maledictam illam non posse ferre manifeste[f] protestaretur[g].

141. Mortua itaque matre sua hoc modo, episcopus cum sorore sua bona hereditaria in inferiori terra divisit; et illa partem suam sancto Vito in Eltene conferente, ipse suam cenobio, quod in civitate Patherbrunnensi, ut praedictum est, inchoaverat, delegavit.

142.[h] Anno autem dominicae incarnationis 1017 Meingoz[65] Trevirensis archiepiscopus obiit[i] [et Athelbero praepositus monasterii sancti Paulini Treveris, ortus de Lucelingeburg, vir potens et dives valde, habens inter alia bona hereditaria castella hec, Sarburg, Berencasdel, Rudiche, ea spe et fiducia, qua soror eius Cunigunda regi nupta fuit, episcopalis cathedrae dignitatem affectavit et usurpavit. Imperator autem christianissimus pro multorum salute, spreta illius affinitate, ausibus temerariis nulla ratione acquievit, et variis modis per episcopatum debachantem compescere non valens, episcopatum Popponi viro venerabili, secundum carnem nobili, contulit, Athelberonique dixit: *Talem virum debeo dirigere, qui tuae vesaniae valeat resistere.* Poppo autem episcopatum adeptus, Berencasdel castellum, a praedonibus Athelberonis defensum, destruxit; et aliud castellum cuiusdam tyranni Athelberti, quod dicitur Sisitra, ad terram similiter[k] deiecit. Qui videlicet Athelbertus castellum Treveris quondam in honore sanctae crucis constructum possidebat, unde frequenter cum multitudine militum erumpens ad curiam episcopi, quicquid ibi ad eius obsequium parabatur, violenter auferens abducebat. Cuius rei ignominia confusus episcopus, videlicet quod hostem cotidianum sibi tam proximum ob munitionem castelli non posset debellare, multis ad amicos suos habitis querimoniis, ad huiuscemodi infamiam depellendam consilium et auxilium cepit inquirere. Erat autem in exercitu eius eo tempore vir potens divitiis et viribus

a) Qualiter ipsa se vindicaverit *rubricam add.* 2*. b) distra:ere *c.* c) *manu* 2. d) De proscriptione Balderici et morte impie mulieris *rubricam add.* 2*. e) plublicis *c.* 2*. f) *manu* 2. g) 4 *lineae vacuae.* h) De Poppone archiepiscopo et quid apud Treuerim sub ipso factum sit *rubricam add.* 2*. i) cui Poppo successit *et alia nonnulla erasa, atque tum in folio adiecto quae uncis inclusi inserta sunt ex Gestis archiepiscoporum Trevirensium sumta.* k) *manu* 2.

64) Rees. 65) ex Ann. Hildesheimensibus.

1017. fortis, Sicko nomine, qui promisit, se temptaturum, si quo modo posset invenire huius mali medicamentum. Episcopo sibi satis congratulanti, egreditur ille occasionem nacturus, quomodo subveniret periclitanti. Quadam ergo die pergit ad portam castelli, pulsansque fores, rogat sibi ab Athelberto ad refocilandum poculum mitti. Quod cum celeriter allatum ebibisset, tamquam nimium sitis fervorem[a] patiens, pincernam alloquitur, dicens: *Domino tuo*, ait, *ex parte mea magnas gratiarum actiones nuntiato, pariter et haec verba narrare curato, quod vita sospite hoc poculum rependam sibi citissime grata voluntate.* Et his dictis abiit. Captato deinde oportuno tempore triginta hamas praeparat, singulos milites electos, loricatos et galeatos, ensibusque precinctos in singulis collocat, et desuper linteis opertos, funes, quibus vectes ad portandum insererentur, aptat. Deinde 60 viros nihilominus electos, et plebeia veste amictos, ensibus eorum in hamis reconditis gestatores constituit, nulloque hominum huius fraudis, praeter praedictos, conscio, ipse Sicko cum his et aliis paucis militibus vallatus, ad castellum tetendit, fores pulsavit. Servo sciscitante, quis sit, et quid velit? *Dic domino tuo*, ait, *me sibi vinum magnae dilectionis gratia olim promissum deferre, quando ipsum non piguit mihi sitienti poculum dirigere.* Iussu ergo Athelberti illi sunt intromissi, et Sicko post alios intrans, iubet auferri linteorum velamina, rogat Athelbertum suscipere dilectionis munera. Portitores sicut erant docti, uno pariter momento omnia hamarum velamina deicientes, gladios suos arripiunt, insidiae de hamis exilientes gladios stringunt, fortiter undique ferientes, ipsum Athelbertum occidunt, ceteros edituos crudeliter mactantes, castellum in solitudinem redigunt. Sic Dei misericordia episcopus a tirannide Athelberti mirifice est liberatus, et Sicko pro victoria ab episcopo beneficiis magnifice est illustratus. Simili modo per alios principes suos multa castella partim vi partim dolo cepit, tirannorumque insaniam diu impune bachantem ex parte maxima refrenavit. Monasteriis sane, eorum violentia pene exhaustis, prout potuit misericorditer succurrit, quibusdam non habita dando, quibusdam ablata restituendo.] *Hic audiens prophetam de Christo dicentem: *Et erit sepulgrum eius gloriosum*, orationis causa Ierosolimam ivit; et monachum quendam in ecclesia beati Maximini sub abbate Richardo peregrinum et advenam, nomine Simeonem, comitem viae assumpsit. Reversus autem episcopus eundem monachum in turri, quae antea Porta Nigra appellabatur, in festivitate sancti Andreae apostoli reclusit; ubi postmodum gloriose mortuus et sepultus, multimoda signorum frequentia, magna fidelium veneratione est habitus. [*Hic rogatus a quodam Danorum comite Ottone, Daniam venit, gentemque Danorum adhuc idolis servientem ad Christum convertit. Ubi incredulis repugnantibus, cirotecam ferream iussit fieri eamque igniri; qua manu sua vestita nec lesa, lineoque panno cera infuso ad carnem indutus, fornacem candentem intravit, indeque panno combusto illesus exiens, Christum Dei filium verum esse Deum hoc inditio declaravit. Hoc usque hodie apud Danos celebri fama vulgatur, a quibus et Anscharius vocatur; quo nomine eius memoria ab eis 5. Idus Septembris celebratur; sepulchrumque eius Treberi a Danis frequentatur.]

(fol. 38' iterum. Esa. 11, 10. fol. 39' iterum.)

143. *Anno praedicto[b] factus est celebris principum conventus in loco qui dicitur Liezgo[66], praesente imperatore Heinrico *cum archiepiscopis[67] Erchanbaldo Magontiense, Poppone Trevirense, Gerone Magetheburgense, Unvano Bremense; episcopis quoque Arnoldo Halverstadense, Eppone Bavenbergense, Thiederico Metense, Heinrico Wirciburgense, Thiederico Mimigardevordense[c], Heinrico Parmense, Thiederico Mindense, Thiemmone Merseburgense, Herico Havelbergense, Meinwerco Patherbrunnense; laicis etiam Bernhardo duce, Sigifrido atque Ezicone comitibus, cum aliis multis nobilibus, ad honorem et dignitatem imperii plura necessaria[d] disponentibus. Ibi imperator a domno Meinwerco episcopo fundationem novi monasterii, singularis quodammodo eius studii, audiens, et devotioni eius congaudens, gratiarum actiones ei retulit, et praedium quoddam situm in pago Hesse Saxonico, in comitatu Herimanni comitis, in villa Nedere nominata, cum mancipiis utriusque sexus, et omnibus quae ullo modo inde provenire possent utensilibus, quod quidam Redialdus nomine ad manus imperiales legaliter et capitulariter hereditaverat, fratribus in eodem monasterio Christo servituris 6. Idus Iulii contulit[68].

(fol. 38' iterum. fol. 40. — 68)

a) vorem p. p. a. *fere omnia abscisa*. b) Anno dominice incarnationis M.XVII° factus 2*. c) id est monasteriense *manu* 2. d) *manu* 2.

66) Liezkau inter Magdeburg et Zerbst; cf. Thietmar. VI, 14. VII, 43. 67) Nomina excepto Meinwerco in charta Heinrici II. d. 11. Iul. 1017 occurrunt. Schaten I, 426. 68) Schaten I, p. 426.

144.[a] Sequenti die ibidem ab heredibus Ekkihardi comitis de abbatia Helmwardeshusun querela[b] habita et diu multumque inter principes ventilata, tandem regno est adiudicata; et quia nec in facultatibus nec ministerialibus regno servitio esse potuit, interventu et consultu episcoporum et principum praedictorum episcopo Meinwerco suisque successoribus a Patherbrunnensi sede episcopaliter secundum regulam sancti Benedicti regenda et possidenda est collata[69]. 1017. 69

145.[c] Ipso[70] quoque anno imperator rursus Polianiam cum exercitu intravit, et Dei clementia ea ac Boemia Moraviaque subiecta, pro intuitu misericordiae et pietatis, conculcationem et destructionem Merseburgensis ecclesiae miseratus, ob reverentiam sancti Laurentii in edificiis, in ministerialibus, in secularibus possessionibus, in ecclesiasticis ornamentis, in pristinum gradum pontificalis dignitatis eam[d] restauravit. [e]Inter haec cum episcopus tam regni necessitatibus quam ecclesiae commissae utilitatibus sollerter insisteret, fortuitu Corbeiam transivit, et recordatus sancti Stephani protomartyris eó loci patroni, pro se suisque omnibus in memoriam eius hostiam salutarem domino Deo immolare eó divertit. Eadem autem ecclesia in ripa fluvii Wiserae sita, a Luthewico filio Karoli imperatoris magni constructa, a beato vero Badurado Patherbrunnensi episcopo est dedicata, temporum incrementis tam religionis quam temporalis possessionis proficiens et succrescens augmentis. Set cum deliciae rigorem exolvissent disciplinae, Meinwercus episcopus factus ad eam venerat, ut secundum canonicam auctoritatem corrigeret, quod irregulare inibi animadverterat. Set expulsus cum grandi sua suorumque iniuria, regem Heinricum adiit, et ut abbate Wal nomine deposito alius nomine Druthmarus, per quem religio claustralis reformaretur, succederet, optinuit. Quod, ut religiosis eum commendabilem, ita irreligiosis eum reddidit odibilem; adeo ut durante odii et invidiae[f] livore, eiusdem ecclesiae custos nomine Boso, praeparato altari stomachando accurrens praeparaturam deiceret, et secundum auctoritatem eiusdem loci et libertatem, divina celebrari nisi sua permissione' interdiceret. Quod episcopus audiens conventum intravit, et habito ad fratres verbo de praelatorum reverentia, de subiectorum obedientia, ad satisfactionem et iniuriam facientem et consentientes provocare humiliter curavit, dicens debere et decere eos honorem deferre sedi, in cuius consisterent diocesi, cuius praesides, etsi non caute interdum incederent, eorum enormitas devitanda, pervicatia esset arguenda, non autem potestas cathedrae, quae non sacris locis propter personas, set propter sacra loca personis conceditur, constaret evertenda. Qui cum ad eum audiendum segniores haberentur, pulpitum ascendit, et pauca pro re et tempore ad populum locutus, omnibus quae facta fuerant innotuit, eumque qui iniuriam irrogaverat ad satisfactionem publice coram omnibus vocavit. Qui cum tercio vocatus non venisset, non vindictae voto set prophetiae praeconio ei praecepit, ut quacumque die ipse de corpore exiret, ille secum ad tribunal Christi responsurus sibi[g] de illata iniuria migraret. O sancta anima! O pura conscientia! quae adhuc carnis adamicta velamine, animas ligabat coram divino examine. Episcopo autem taliter discedente, abbas cum fratribus eum in civitatem Patherbrunnensem prosecutus, plenariam reconciliationem optinuit; set pro eo qui contumeliam fecerat sepe et[g] multum rogatus, decretum Dei non posse immutari perhibuit. [43.] fol. 41.

146. Quia ergo constantiam eius, qua in iusticia sua ut leo confisus est, audivimus, humilitatis pietatisque eius insignia breviter audiamus. Curtes dominicales episcopii sui circumiens frequenter, collapsa reparabat, reparata munimine sui firmabat sollerter; sicut in acquirendis utilis, sic in conservandis fidelis. Duram antiquae servitutis litonum iusticiam, per novam paternae pietatis relevavit gratiam; constituens, a villicis amminiculari eis in cibi potusque necessariis, quod antea non fiebat, tempore messis. [44.]

147. Quodam autem tempore ad curtem suam Barghusun[h] venit, et experiri volens fidelitatem et dilectionem famulorum erga villicum, praecepit comitibus viae suae, ut super frumentum, quod in domo tribulabatur, equos propellerent, dicens, servos, si fideles essent, eos repellere; si non, quasi defectui villici congratulantes, eos sinere. Servis autem quasi ad obsequium episcopi discurrentibus, equi frumentum tribulandum consumere et conculcare ceperunt; unde servi infidelitatis et incuriositatis vicio multum incusati, iussu eius gravissime virgis sunt flagellati; quos postmodum ciborum copiis habundantissime reficiens, de

a) De Helwardeshusen *rubricam add.* 2*. b) *manu* 2. c) De episcopatu Merseburgensi *rubricam add.* 2*. d) *manu* 2. e) De Corbeia *rubricam add.* 2*. f) inuidii *c.* 2*. g) *manu* 2. h) h *manu* 2.

69) Schaten I, p. 125. 70) ex Ann. Hildesh.

servanda villico suo fidelitate paterne ammonuit. Veniensque sequenti anno, et exclusus ab introitu, gratias quasi de contemptu suo egit; et intrans occulte per superius hostium, matremfamilias, quod operarii modica farinae sorbitiuncula alerentur, submurmurare audivit; et ut servitoribus eiusdem curiae duae pernae annuatim darentur, exceptis his quae a villico dabantur, misericordia paternae pietatis constituit.

148. Nihem[71] quoque veniens, ortum[a] urtica et eruca aliisque herbis adopertum noxiis, excepto modico spatio in medio, invenit; et mox uxorem villici auditoris suis[b] vestibus spoliari praecipiens, donec germen noxium, quod in altum excreverat, terrae coequaretur, per totum hortum eam trahi mandavit. Quam tristem compluris blanditiis consolans, solita liberalitate exhilaravit; sequentique anno[c] omni diligentia et habundantia totum ortum excultum inveniens, maiori gratiarum actione et munerum largitione eam remuneravit.

149. Ad aliam curtem quandam veniens, matrem familias, cur pullis et gallinis careret, culpavit; et penuriam pastus ea conquerente, mandavit ei, ut fieri faceret quod ad pastum pullorum de loco ad locum per curiam moveri per temporum intervalla provideret. Quo facto, veniente iterum ad eandem curtem episcopo, habundantibus pullis, qui creverant de pastu minutorum vermiculorum, gratias egit, et de cetero devotiorem eam obsecrans fieri, laboris eius studium donis et bonis suis recompensavit.

150. Quodam tempore in adventu Domini, quando porcos dare solent villici, stans in solio domus episcopalis, mulierem quandam cum filio suo unico porcum sequentem et amarissime vidit flentem; et mox accersita ea, causas tanti fletus ab ea studiose inquisivit. Illa autem viro suo mortuo se humano adiutorio destitutam conquerente, et porcum illum de pane, quem filius suus mendicando petisset, violentia villici de Enenhus, quo pertinebat, perisse asserente, episcopus graviter ingemuit, et pectus propriis manibus tundens, lacrimis ita fatur obortis: *Ve tibi miserrime Meinwerce episcope! Quomodo infelices homines questus sui gratia, animam tuam demergunt ad Tartara!* Sciens ergo scriptum: *Domino feneratur, qui pauperi miseretur*, vocato villico, mansum viduae ei resignavit[d], et ab eius magisterio cum filio suo eam absolvens, de sua elemosina eos sustentari omni vitae suae[e] tempore mandavit.

151.[f] Facta in diebus eius fame valida, missis nunciis frumentum comparari fecit in Colonia, et duas naves onustas ad inferiorem terram deferri, et dispensatione villicorum super Velue[72] et in Testerbant taliter mandavit erogari, ut una pars propriis, alia familiae[g] indigentiis secundum numerum domesticorum distribueretur, tercia ad proventum seminis, quarta mendicis erogaretur. Quod episcopi mandatum villicus super Velue devote peragere studuit; ille vero in Testerbant partem pauperibus ordinatam fraudari perniciose non timuit. Quod episcopus audiens, non fraudato set fraudanti vehementer condoluit; et quia nemo successorum suorum honorem praedecessorum post quartam generationem habiturus esset, praedixit.

[45.] 152.[h] Quodam tempore officinas monasterii sui novi more solito circuiens, fratribus ad capitolium[i] consedentibus, coquinam intravit; et servis fortuitu vacantem inveniens, invento frusto panis in ollas igni appositas trusit. Nullius autem pinguedinis vel ammixtionis speciem preter aquam et cibum animadvertens[k] simplicem, tempore loquendi conventum introivit, et causatus filiorum suorum et fratrum aridum cibum, quae in coquina vidisset et fecisset, retulit. Abbate autem ob virtutum custodiam servandam asserente parsimoniam, respondit venerabilis episcopus, ut si ipse religiosus esse vel videri vellet, circa vitam propriam severus, erga subditorum benignus existeret, euangelicis et apostolicis documentis propositis, quomodo laborans agricola mercede operis sui dignus esset. Et data auctoritate, quomodo Dominus ecclesiae claves beato Petro apostolo tradiderit, et ecclesia tantam habens potestatem, generali sinodo monachis, quoniam olei copiam non haberent, non carnium quadrupedium esum set carnibus cognatum adipem indulserit, advocatis villicis, porcos dari mandavit, de quorum saginine et pinguedine cibum fratrum parari ordinavit. [l]Ecce quomodo diligentibus Deum omnia in bonum cooperantur, et regnum Dei et iusticiam eius

a) i. e. hortum. b) suis c. sue 2. c) anno 2. d) resignavit erasa ex c. e) suae 2. f) Quod etiam spiritu prophetie claruerit rubricam add. 2. g) familiis indigentiis corr. ut in textu. h) Quantam curam et sollicitudinem circa fratres sui novi monasterii habuerit rubricam add. 2. i) i. e. capitulum. k) hic vox erasa est. l) Ecce usque mandavit in loco raso addita manu eadem.

71) Nihem a septentrione Paderbornae. 72) Velua et Teisterbant pagi Geldriae.

rigore claustralis disciplinae in capitulo querentibus, exterioris vitae necessaria adiciuntur. Laudabilis sane pii pastoris erga oves creditas tam benignus affectus, imitabilis quoque diligentibus Deum in religione et executione[a] claustralis discipline profectus. Probare autem [46.] volens episcopus dispositionis suae observantiam, quadam die indutus cappa laicali, coquinam iterum fratrum introivit, et quasi advena ignotus, de situ statu habitu monasticae conversationis, claustralis religionis, cotidianae refectionis, curiose queritans, beatam vitam quantum ad Deum inibi duci, miseram vero quantum ad corporalis indigentiae usum agi, a coco audivit. Unde festinus ad cubiculum rediens, abbatem advocari velociter mandavit, et de segni dispositionum suarum executione eum graviter incusans, novem pernas optimas secum ad claustrum deferri mandavit.

153. Succensus[b] autem igne divini amoris, nihil subterfugit terreni laboris, quin pro [47.] subiectorum salute ecclesiaeque suae utilitate insisteret omnibus modis et horis. Affectans denique imaginem celestium, sprevit speciem terrestrium; nec pro Christo humiliari, nec pro ipso erubescens iniuriari. Minor namque' in oculis suis factus sibi se, subiectorum fide- fol. 42b. litatem et dilectionem, singulorum spem et devotionem in Deum experiri voluit per se; assumensque cuiusdam mercatoris cum mercibus habitum, circuibat sedulus explorator episcopatum. Quia vero, iuxta Salvatoris sententiam, nihil opertum quod non reveletur, cito hoc quibusdam propalatur; de quibus villicus de Balhorn uxori suae hoc innotuit, et quid in adventu episcopi diceret vel ageret, docuit. Episcopus autem ubique veniens, et diversa a diversis accipiens, Balhorn quoque venit, et matrem familias suppliciter salutans, ei de mercibus suis queque concupiscibilia comparanda optulit. Quae quasi vehementer inflammata adversus eum, ilico advocavit virum, et seductorem quendam advenisse, sibique cum mercibus suis proclamat institisse, ut cum rebus creditis infidelitate suo exhibita domino, cum temporali dispendio animae subiacerent periculo.

154. 'Recordatus autem episcopus voti sui, quod Romae sancto voverat Alexi, mona- fol. 47'. [48.] sterium cum congregatione in honore eius in loco qui Sulithe dicitur edificare disposuit; set timens humanae mutabilitatis incertitudinem, interim ei perspicui operis capellam in[c] introitu urbis iuxta novum monasterium construi fecit; eamque 13. Kalendas Februarii consecrans, provisioni eiusdem monasterii deputavit, et in commemoratione beati Alexis tali iure misericordiae dotavit et insignivit, ut quicumque[d] forensi lege convictus, et sententiae dampnationis addictus, capellam contigisset, addictae penae obnoxius non esset.

155. Iuxta principale quoque monasterium capellam quandam, capellae in honore sancte Mariae perpetuae virginis a Geroldo Karoli Magni[e] imperatoris consanguineo et signifero[f] contiguam, per Grecos operarios construxit, eamque in honore sancti Bartholomei apostoli dedicavit.

156. In plerisque parrochiis misericorditer subvenit populis in difficultate[g] longissimi ecclesiarum itineris, sive parrochiis novis in divisione aliarum factis, sive capellis in eis constructis.

157. Inter quos populo de Sutburgnon, ad parrochiam forensis ecclesiae in Patherbrunnensi civitate pertinente, ecclesiam construere concessit, eaque super terram pertinentem ad curiam ab eo monasterio suo novo attributam fundata, banno episcopali ad ius maioris ecclesiae conservato, eidem monasterio proprietario iure eam possidendam delegavit; ubi postmodum a beatae memoriae Wolfgango[73] ecclesia lapidea constructa, episcopus Rotho[74] successor episcopi 'Meinwerci, anno dominicae incarnationis 1043, 17. Kalend. No- fol. 48. vembris in honore sancti Galli confessoris Christi eam dedicavit.

158. In Herivordia basilicam sanctae Mariae, quae vocatur Ad crucem, dedicavit; quam [49.] ipsa unica spes mortalium ad singulare inibi miserorum refugium sibi construi mandavit. Siquidem ecclesia Herivordensis, sicut Corbeiensis, in episcopatu Patherbrunnensi sita, a Luthuwico filio Karoli Magni constructa, et a beato Badurado Patherbrunnensi episcopo constat dedicata; quae omni pristini honoris et decoris ornatu tam Ungariorum devastatione quam Thietmari fratris Bernhardi ducis Saxoniae invasione spoliata, propemodum fuerat destituta. Cuidam itaque fame et nuditate afflicto pauperi, in die natalis sanctorum marty- [50.] rum Gervasii et Protasii ad praefatum Herivordense monasterium propter auditam inibi

a) et c. manu 2. b) *totum caput alio post tempore additum est, manu eadem.* c) iuxta *corr.* in c. d) quicuque c. e) manu 2. f) et s. manu 2. g) dificultate c. 2'.

73) secundo abbate Abdinghofensi, ut notat Overham; obiit a. 1052 vel 1053. 74) obiit a. 1051.

servanda villico suo fidelitate paterne ammonuit. Veniensque sequenti anno, et exclusus ab introitu, gratias quasi de contemptu suo egit; et intrans occulte per superius hostium, matremfamilias, quod operarii modica farinae sorbitiuncula alerentur, submurmurare audivit; et ut servitoribus eiusdem curiae duae pernae annuatim darentur, exceptis his quae a villico dabantur, misericordia paternae pietatis constituit.

148. Nihem[71] quoque veniens, ortum[a] urtica et eruca aliisque herbis adopertum noxiis, excepto modico spatio in medio, invenit; et mox uxorem villici ambitiosis suis[b] vestibus spoliari praecipiens, donec germen noxium, quod in altum excreverat, terrae coequaretur, per totum hortum eam trahi mandavit. Quam tristem consuetis blanditiis consolans, solita liberalitate exhilaravit; sequentique anno[c] omni diligentia et habundantia totum ortum excultum inveniens, maiori gratiarum actione et munerum largitione eam remuneravit.

fol. 42. 149. *Ad aliam curtem quandam veniens, matrem familias, cur pullis et gallinis careret, culpavit; et penuriam pastus ea conquerente, mandavit ei, ut fieri faceret quod ad pastum pullorum de loco ad locum per curiam moveri per temporum intervalla provideret. Quo facto, veniente iterum ad eandem curtem episcopo, habundantibus pullis, qui creverant de pastu minutorum vermiculorum, gratias egit, et de cetero devotiorem eam obsecrans fieri, laboris eius studium donis et bonis suis recompensavit.

150. Quodam tempore in adventu Domini, quando porcos dare solent villici, stans in lobio domus episcopalis, mulierem quandam cum filio suo unico porcum sequentem et amarissime vidit flentem; et mox accersita ea, causas tanti fletus ab ea studiose inquisivit. Illa autem viro suo mortuo se humano adiutorio destitutam conquerente, et porcum illum de pane, quem filius suus mendicando petisset, violentia villici de Enenhus, quo pertinebat, pavisse asserente, episcopus graviter ingemuit, et pectus propriis manibus tundens, lacrimis ita fatur obortis: *Ve tibi miserrime Meinwerce episcope! Quomodo infelices homines questus sui gratia, animam tuam demergunt ad Tartara!* Sciens ergo scriptum: *Domino feneratur, qui pauperi miseretur*, vocato villico, mansum viduae ei resignavit[d], et ab eius magisterio cum filio suo eam absolvens, de sua elemosina eos sustentari omni vitae suae[e] tempore mandavit.

cf. Virg. Aen. III, 492. — Prov. 19,17.

151.[f] Facta in diebus eius fame valida, missis nunciis frumentum comparari fecit in Colonia, et duas naves onustas ad inferiorem terram deferri, et dispensatione villicorum super Velue[72] et in Testerbant taliter mandavit erogari, ut una pars propriis, alia familiae[g] indigentiis secundum numerum domesticorum distribueretur, tercia ad proventum seminis, quarta mendicis erogaretur. Quod episcopi mandatum villicus super Velue devote peragere studuit; ille vero in Testerbant partem pauperibus ordinatam fraudari perniciose non timuit. Quod episcopus audiens, non fraudato set fraudanti vehementer condoluit; et quia nemo successorum suorum honorem praedecessorum post quartam generationem habiturus esset, praedixit.

[45.] 152.[h] Quodam tempore officinas monasterii sui novi more solito circuiens, fratribus ad capitolium[i] consedentibus, coquinam intravit; et servis fortuitu vacantem inveniens, invento frusto panis in ollas igni appositas trusit. Nullius autem pinguedinis vel ammixtionis speciem preter aquam et cibum animadvertens[k] simplicem, tempore loquendi conventum introivit, et causatus filiorum suorum et fratrum aridum cibum, quae in coquina vidisset et fecisset, retulit. Abbate autem ob virtutum custodiam servandam asserente parsimoniam, respondit venerabilis episcopus, ut si ipse religiosus esse vel videri vellet, circa vitam propriam severus, erga subditorum benignus existeret, euuangelicis et apostolicis documentis propositis, quomodo laborans agricola mercede operis sui dignus esset. Et data auctoritate, quomodo *Dominus ecclesiae claves beato Petro apostolo tradiderit, et ecclesia tantam habens potestatem, generali sinodo monachis, quoniam olei copiam non haberent, non carnium quadrupedium esum set carnibus cognatum adipem indulserit, advocatis villicis, porcos dari mandavit, de quorum sagimine et pinguedine cibum fratrum parari ordinavit. [l]Ecce quomodo[l] diligentibus Deum omnia in bonum cooperantur, et regnum Dei et iusticiam eius

fol. 43.

a) *i. e.* hortum. b) suę *c.* sue 2*. c) *manu* 2. d) reconsignavit *eraso* con *c.* e) *manu* 2. f) Quod etiam spiritu prophetie claruerit *rubricam add.* 2. g) familiis idigentiis *corr. ut in textu.* h) Quantam curam et sollicitudinem circa fratres sui novi monasterii habuerit *rubricam add.* 2*. i) *i. e.* capitulum. k) *hic vox erasa est.* l) Ecce *usque* mandavit *in loco vacuo addita manu eadem.*

71) Neheim a septentrione Paderbornae. 72) Velau et Teisterbant pagi Geldriae.

rigore claustralis disciplinae in capitulo querentibus, exterioris vitae necessaria adiciuntur. Laudabilis sane pii pastoris erga oves creditas tam benignus affectus, imitabilis quoque diligentibus Deum in religione et executione[a] claustralis discipline profectus. Probare autem [46.] volens episcopus dispositionis suae observantiam, quadam die indutus cappa laicali, coquinam iterum fratrum introivit, et quasi advena ignotus, de situ statu habitu monasticae conversationis, claustralis religionis, cotidianae refectionis, curiose queritans, beatam vitam quantum ad Deum inibi duci, miseram vero quantum ad corporalis indigentiae usum agi, a coco audivit. Unde festinus ad cubiculum rediens, abbatem advocari velociter mandavit, et de segni dispositionum suarum executione eum graviter incusans, novem pernas optimas secum ad claustrum deferri mandavit.

153. Succensus[b] autem igne divini amoris, nihil subterfugit terreni laboris, quin pro [47.] subiectorum salute ecclesiaeque suae utilitate insisteret omnibus modis et horis. Affectans denique imaginem celestium, sprevit speciem terrestrium; nec pro Christo humiliari, nec pro ipso erubescens iniuriari. Minor namque* in oculis suis factus sibi se, subiectorum fidelitatem et dilectionem, singulorum spem et devotionem in Deum experiri voluit per se; assumensque cuiusdam mercatoris cum mercibus habitum, circuibat sedulus explorator episcopatum. Quia vero, iuxta Salvatoris sententiam, nihil opertum quod non reveletur, cito hoc quibusdam propalatur; de quibus villicus de Balhorn uxori suae hoc innotuit, et quid in adventu episcopi diceret vel ageret, docuit. Episcopus autem ubique veniens, et diversa a diversis accipiens, Balhorn quoque venit, et matrem familias suppliciter salutans, ei de mercibus suis queque concupiscibilia comparanda optulit. Quae quasi vehementer inflammata adversus eum, ilico advocavit virum, et seductorem quendam advenisse, sibique cum mercibus suis proclamat institisse, ut cum rebus creditis infidelitate suo exhibita domino, cum temporali dispendio animae subiacerent periculo. [fol. 42b.]

154. *Recordatus autem episcopus voti sui, quod Romae sancto voverat Alexi, monasterium cum congregatione in honore eius in loco qui Sulithe dicitur edificare disposuit; set timens humanae mutabilitatis incertitudinem, interim ei perspicui operis capellam in[c] introitu urbis iuxta novum monasterium construi fecit; eamque 13. Kalendas Februarii consecrans, provisioni eiusdem monasterii deputavit, et in commemoratione beati Alexis tali iure misericordiae dotavit et insignivit, ut quicumque[d] forensi lege convictus, et sententiae dampnationis addictus, capellam contigisset, addictae penae obnoxius non esset. [fol. 47'.] [48.]

155. Iuxta principale quoque monasterium capellam quandam, capellae in honore sancte Mariae perpetuae virginis a Geroldo Karoli Magni[e] imperatoris consanguineo et signifero[f] contiguam, per Grecos operarios construxit, eamque in honore sancti Bartholomei apostoli dedicavit.

156. In plerisque parrochiis misericorditer subvenit populis in difficultate[g] longissimi ecclesiarum itineris, sive parrochiis novis in divisione aliarum factis, sive capellis in eis constructis.

157. Inter quos populo de Sutburgnon, ad parrochiam forensis ecclesiae in Patherbrunnensi civitate pertinente, ecclesiam construere concessit, eaque super terram pertinentem ad curiam ab eo monasterio suo novo attributam fundata, banno episcopali ad ius maioris ecclesiae conservato, eidem monasterio proprietario iure eam possidendam delegavit; ubi postmodum a beatae memoriae Wolfgango[73] ecclesia lapidea constructa, episcopus Rotho[74] successor episcopi *Meinwerci, anno dominicae incarnationis 1043, 17. Kalend. Novembris in honore sancti Galli confessoris Christi eam dedicavit. [fol. 48.]

158. In Herivordia basilicam sanctae Mariae, quae vocatur Ad crucem, dedicavit; quam [49.] ipsa unica spes mortalium ad singulare inibi miserorum refugium sibi construi mandavit. Siquidem ecclesia Herivordensis, sicut Corbeiensis, in episcopatu Patherbrunnensi sita, a Luthuwico filio Karoli Magni constructa, et a beato Badurado Patherbrunnensi episcopo constat dedicata; quae omni pristini honoris et decoris ornatu tam Ungariorum devastatione quam Thietmari fratris Bernhardi ducis Saxoniae invasione spoliata, propemodum fuerat destituta. Cuidam itaque fame et nuditate afflicto pauperi, in die natalis sanctorum martyrum Gervasii et Protasii ad praefatum Herivordense monasterium propter auditam inibi [50.]

a) et e. *manu* 2. b) *totum caput alio post tempore additum est, manu eadem.* c) iuxta *corr. in c.* d) quicuque *c.* e) *manu* 2. f) et s. *manu* 2. g) dificultate *c.* 2*.

73) secundo abbate Abdinghofensi, ut notat Overham; obiit a. 1052 vel 1053. 74) obiit a. 1051.

sanctimonialium munificentiam ire volenti, ipsa piissima virgo Maria facie ad faciem apparens, abbatissae et sororibus eiusdem monasterii nunciare mandavit, ut mutata pristina vita, tantum spirituali insisterent exercicio, quantum temporali instabant edificio; dicens, se per hoc sedem suam revisuram, et invocantes se perpetua tuicione custodituram; adiciens, se locum, in quo ei apparuit, ad sui nominis venerationem et christianorum praeelegisse intercessionem; ut, si quis eam ibi fideliter quaesierit, inveniat, et quod iuste petierit, se adeptum gaudeat. Pauperi autem tantam visionem indicare trepidante, et ad suae legationis veritatem confirmandam signum aliquod suppliciter expetente: *Hoc erit tibi signum*, ait Virgo piissima, *quod nullius illatae penae, ne cicatricis quidem*[a] *ullius aliqua te continget molestia.* Quo ad maius veritatis indicium aliud adhuc expetente signum: *Praecide*, ait Dei genitrix, *baculum, et faciens inde crucis signaculum, pone, ubi meorum statum cognoveris esse pedum; et si non credunt verbo signi prioris, credant ostensioni sequentis: quia, quocumque tempore ad locum hunc veniunt, me super eandem quam facturus es crucem, in columbae specie sedentem videbunt.* Abbatissa ergo nomine Godesti cum sororibus hoc nuncio accepto, episcopus Meinwercus cum vicinis proximorum monasteriorum clericis accersitur; consultu omnium ieiuniis et orationibus a Deo res inquiritur; nuncius iudicio aquae ferrique igniti examinatus, securus approbatur[b], columba in loco ostenso inquisita, super crucem sedere invenitur, et maxima omnium devotione et veneratione basilica fabricatur et dedicatur, et nomen Ad crucem sortitur.

[51.] 159. Murum quoque in circuitu urbis in civitate Patherbrunnensi construxit; domum episcopalem a fundamentis erexit; et non solum ipsius civitatis menia restaurare, innovare curavit, set et quicquid in aliis suae provisionis locis dirutum vel veteranum invenit, distraere[d], renovare, meliorare festinavit.

[52.] 160. Studiorum multiplicia[e] sub eo floruerunt exercitia; et bonae indolis iuvenes et pueri strennue instituebantur norma regulari, proficientes haud segniter in claustrali disciplina omniumque litterarum doctrina. Claruit hoc[f] sub ipsius sororio Imado episcopo[75], sub quo in Patherbrunnensi ecclesia publica floruerunt studia; quando ibi musici fuerunt et dialectici, enituerunt rhetorici clarique grammatici; quando magistri artium exercebant trivium, quibus omne studium erat circa quadruvium; ubi mathematici claruerunt et astronomici; habebantur phisici atque geometrici; viguit Oratius magnus et Virgilius, Crispus ac Salustius, et Urbanus Statius; ludusque fuit omnibus insudare versibus, et dictaminibus, iocundisque cantibus. Quorum in scriptura et pictura iugis instantia claret multipliciter hodierna experientia; dum studium nobilium clericorum usu perpenditur utilium librorum. Praefatus quoque Imadus episcopus tempore suae pueritiae tanto disciplinae claustralis rigore ibidem est nutritus, ut numquam patrem suum videre extra conventum specialiter vel ei colloqui fuerit permissus; dicente episcopo, pueros et adolescentes cum districtione debere erudiri, et non nocivis blandimentis deliniri; quoniam audaciae et ferociae nutrimenta eis ministrarent blandimenta. Adolescebant quoque secum in tirones miliciae celestis Anno archiepiscopus Coloniensis, Frithericus Monasteriensis[76], et perplures alii strennui postmodum[f] in vinea Domini operarii.

fol. 49.

[53.] 161.[g] Thesaurum ecclesiasticum et ornatum, sub praedecessore suo ignis depopulatione conflagratum, multipliciter innovavit; et inter alia magnificentiae suae dona spectabilia, tabula preciosissimi auri[h], et tribus calicibus eque auri examinati et optimi, gazofilatium ecclesiae tam decenter quam et utiliter ampliavit et decoravit, corona spectabilis magnitudinis et magnifici operis faciem templi ornavit, exteriorique ornatu et tanto talique ecclesiasticae dignitatis et utilitatis apparatu, interioris hominis habitum, Dei et proximi dilectione condecoratum, mirifice declaravit.

[54.] 162. Quem in sanctorum plurimorum devota veneratione amplius illustrans, diem sancti Bonifacii et sociorum eius celebrari per totum episcopatum Patherbrunnensem annua observantia instituit, festiva celebritate natalem sanctorum septem fratrum venerari disposuit; sanctum Alexem magna devotione coluit; sanctum Longinum martirem, qui lancea latus Salvatoris in cruce pendentis aperuit, cum aliis plurimis, quos longum est singulariter prosequi, in mira veneratione habuit.

a) q. u. te c. *manu* 2. b) declaratur *adscriptum manu* 2. *et ita* 2*. d) distre c. distrahere 2*. e) *haec omnia versus sunt aut versibus similia.* f) *manu* 2. g) *capitis distinctio deest* 1. 2*. h) *hic vox erasa est.*

75) obiit circa a. 1076 vel 1077. 76) sedit a. 1063—1085.

[55.] 163. Largissimarum elemosinarum eius, quas in domo regia omni vitae suae tempore cotidiana devotione exhibuit, eadem domus testis extitit, quae anno dominicae incarnationis 1058[a] omni civitate Patherbrunnensi celesti iudicio incendio depopulata, sola superstes cum una domo forensi fuit. Quam humilis liberalis et munificus, quantum cum his qui oderant pacem fuerit pacificus, ex aliis eius operibus perpendatur; ne huius rei vera relatio plus favorem intendisse, quam virtutes eius[b] commendasse videatur. Canonicorum inopiae usque ad tempora sua albo pane in cotidiana praebenda carentium, de bannis parrochiarum, quos successor eius Rotho praeposituræ, eiusdem causa negotii attribuit, subvenire disposuit; set cum nulla re apud eos elaborare potuisset, ut beneficia ecclesiastica equaliter inter eos[c] dividerentur, huic intentioni supersedit. Unde virtus in eo non inveniens quod[d] argueret, invidia, comes alienae felicitatis, habuit quod reprehenderet; quae virtutes morum non sui dignitate set verborum urbanitate pensitans, occasione ex negligentia missae, ut dictum est, accepta, idiotam eum vocavit; et duplicitas favoralis arrogantiae, irridens simplicitatem eius benivolentiae, qua pro temporum qualitate infirmis condescendit, *lacte rigans parvos, pane cibans solidos*, ioculatorem appellavit. Contra quae superfluum est verborum exaggeratione plura argumentari in beati viri commendatione, cum eius scientia operum efficatia claruerit, et benivolentia multis via salutis fuerit. Quod cum luce[e] clarius ex relatis possit videri, amplius ex referendis *illius mores, studium, data, velle, labores*, onerosum non sit intueri.

Fol. 50. 164. 'Tendens itaque vir totus ex virtutibus semper ad meliora, invigilavit ecclesiae commissae profectibus omni cura, sperans se per compassionem proximi perventurum ad dilectionem Dei. [56.] 1018. Febr. 19. Episcopatus eius ergo anno nono, dominicae incarnationis 1018 Berenwardus[77] Hildenesheimensis episcopus tempore quadragesimae sinodum in Goslaria habuit; in qua praesidente[f] imperatore cum episcopis ceterisque regni primoribus, Godescalcum Ekkihardi comitis filium, et Gertrudem filiam comitis Ekkiberti separavit. Proxima itaque 8. Idus Aprilis, sollempniis sacrosanctae dominice resurrectionis episcopus Meinwercus Patherbrunnae celebratis, ad imperatorem Noviomago perrexit; et in dominica qua tunc albae deponebantur, videlicet Idibus Aprilis, interventu Cunigundae imperatricis et archiepiscoporum Popponis Treverensis, Erchanbaldi Magontiensis, episcoporum quoque Everhardi Bavenbergensis, Athelbaldi Traiectensis; item Popponis abbatis Vultensis; Godefridi, Bernhardi ducum, Becelini comitis, praedium Siburgohusen in comitatu Udonis comitis, in pago Hemmerveldun[78] situm, optinuit[79].

[57.] 1019. 165. Anno proximo imperator[80] cum exercitu contra Bernhardum ducem Saxoniae ad castellum Scalcaburg perrexit; ibique mediante domno Meinwerco episcopo, cum amicis suis in pace omnia constituit. [58.] Septimo decimo autem Kalend. Aprilis imperator Goslariam veniens, interventu ac peticione Cunigundae imperatricis augustae et episcoporum Adalbaldi Traiectensis, Meinwerci Patherbrunnensis, Everhardi Bavenbergensis, et Godefridi ducis, abbatiam Lisbern[g. 81], sitam in pago Driene, in comitatu Herimanni comitis, Thiederico Mimigardevordensis ecclesiae episcopo suisque successoribus tali modo contulit[h], ut[82] ipsius ecclesiae episcopi in praedicto loco imperiale auctoritate exinde servitium Dei ordinandi penes divinum amorem atque timorem liberam facultatem haberent; et de advocatis in praedicto loco secundum voluntatem eorum advocatiam in ipsorum militia, iuxta quod illis melius visum fuerit, ad utilitatem ipsius Lisbernensis ecclesiae agerent et ordinarent. [59.] Eodem loco et anno, proxima 13. Kalend. Aprilis, sabbato ante palmas, interventu Cunigundis imperatricis, episcoporum quoque Geronis, Unuwani, Arnoldi, Dietrici, Hiltiwardi et Erici, optimatumque regni, Bernhardi ducis, Sigifridi, Herimanni, Ekkihardi comitum, consilii ventilatione, abbatiam Sceldize[i. 83], sitam[k] in pago Wessaga in comitatu Fritherici comitis, episcopo Meinwerco dedit[84]. [60.] In[85] proximo pascha domnus apostolicus Benedictus ab imperatore et universis principibus Bavenberge gloriosissime susceptus, secundum sponsionem suam ipsius ecclesiae novellam plantationem visitavit; et 8. Kalend. May basilicam in honore

a) MLVIII. *littera* L *in* C *speciem olim corrupta; sed auctor* L *scripsit.* b) *manu* 2. c) i. e. *manu* 2. d) *manu* 2. e) ce *usque* intueri *abscisa* 1. f) praesenti *Ann. Hildesh.* g) *in marg. manu saec. XV.* Leysborñ. h) *hic vox erasa.* i) Schildesche *in marg. manu saec. XV.* k) s. i. p. W. i. c. F. c. *manu* 2.

77) *Berenwardus — separavit* ex Ann. Hildesh. 78) inter Adernam et Dimelam sito. 79) Schaten I, p. 489. 80) *cum — constituit* ex Ann. Hildesh. sed *med. d. M. e. c. a. s.* noster inseruit. 81) Lisborn ad Lippiam. 82) Erhard dipl. 97. 83) prope Bielefeld. 84) Schaten p. 433. 85) *In — susceptus* ex Ann. Hildesh.

sancti Stephani protomartyris consecrans, preciosissimis reliquiis, quae ibi conservantur, adornavit. Ubi inter missarum sollempnia, adoperatione quadraginta episcoporum et unanimi consensu principum, episcopatum illum ab omni seculari potestate liberum esse constituit, et cuncta quae pontificali dignitati et utilitati congruebant, praesentiae suae auctoritate, et privilegii sui attestatione bannique sui firmitate roboravit. Episcopus ergo Meinwercus 5 gaudii sui in Domino de ecclesiae commissae promotione apostolicum participem fore cupiens, quanta[a] bona imperator ei contulisset, innotuit, et ut eius interventu ampliora percipere mereretur, suppliciter expetiit. Cui annuens paternae pietatis devotio, fuit ei apud imperatorem precum suarum obtentu non minimo amminiculo, uti postmodum magnarum fol. 51. [61.] rerum approbavit 'larga exhibitio. Post haec, 4. Kalend. Iulii ipsius anni, Heimeradus san- 10 ctus presbyter in monte Hasungo, in quo bene placitum fuit Altissimo habitare eum, ad Christum migravit, et episcopus Meinwercus morte eius audita, animam eius missarum elemosinarumque celebri commemoratione Deo commendavit.

[62.] 1020. 166.[b] Sequenti[86] anno post[87] natale Domini imperator commoto exercitu comitem quendam Ottonem seculi dignitate non minimum praepollentem in castro quod dicitur Ha- 15 merstein, situm supra Reni litus, obsedit, quoniam idem comes episcopatum Magontinum multa infestatione sepius pervagans, ferro et igne devastavit; odio magno contra eiusdem civitatis praesulem vehementer inflammatus, quoniam ab illo propter illicitum conubium iudicio concilii generalis fuerat anathematizatus. Cum ergo querimonia eiusdem praesulis imperator excitatus, in praedicto castro illum obsideret, venerabili Heriberto Coloniensis 20 ecclesiae archiepiscopo demandavit, ut ipse in auxilium sibi cum suis festinus veniret. At ille inmensis febribus tunc fatigatus, quod imperabatur, implere non valuit; et propter hoc commotus imperator, exosa eum imperii sui tempora habere credidit. Antiqua namque suspicione scandalizatus, quoniam, ut praedictum est, in humando praedecessoris eius corpore deditus, electioni eius non interfuit, invidis, qui numquam deerunt, si sint quibus per- 25 suadeatur, occasionem sancto derogandi nactis, plus iusto aurem praebuit; et responso eius accepto, cum magno furore: *Si*, inquit, *ipse ad me dedignatur venire, ego illum, quia egrotat,* 1021. *habeo visitare.* Atque cum hac iracundia, mox ubi hostem expugnavit, Coloniam properavit, imminentibus nimiumque sese ingerentibus invidis, qui satis ardentem furoris eius ignem magis ac magis perflabant linguis malivolis, detrahentes innocenti viro Dei. Ipsa autem 30 nocte qua imperator[c] Coloniam ingressus officiosissime a viro Dei fuerat susceptus, cum se sopori dedisset, vidit in somnis quendam quasi venerabilem virum pontificali veste ornatum sic eum alloquentem: *Cave*, inquit, *o imperator, ne post hac pecces in conservum meum Heribertum. Scito, illum virum Deo esse acceptum; in quem si quid ammiseris, tu sine dubio portabis iudicium.* Nimirum gratia Dei miserentis taliter praemoniendo imperatorem, igno- 35 rantiae eius pepercit; quia videlicet in eo, quod eiusmodi virum suspectum habebat, non malicia set ignorantia peccabat. Siquidem eiusdem imperatoris animam timor Domini possidebat, neque scienter disponere aut iudicare quicquam cupiebat, per quod celestis offenderetur maiestas. Denique cum aliquid de regni negotiis disponere aut iudicare intenderet, dispositiones omnes sive iudicia sua precibus et elemosinis praeveniebat, quatenus mens 40 eius et actus celesti regimine gubernaretur, ne quando exorbitaret agendo vel iudicando, [63.] quod divinis legibus contrairet. Mane ergo facto, cum imperator mente mutatus virum Dei ad se vocasset, et id quod celitus evenerat, quod superno respectu rex compunctus fuerat, vir sanctus ignoraret, ac perinde lacrimosis oculis apud illum querelam depromeret, causas requirens, propter quas sibi tam diu infestus existeret, repente imperator exurrexit, et vi- 45 fol. 52. rum Dei amplexatus in oscula illius ruit. 'Ille ammirans haec, pariter consolationis ab eodem dicta suscepit: *Ex quo*, inquit, *ad regni fastigium, Deo donante, conscendi, detrahentium linguis nimium credulus, fateor, venerande pater, te exosum habui; et hanc odii trabem in oculo gestans, et ideo nihil videns, iniquum de te iudicium habui, tuamque iusticiam, immo Dei gratiam in te fulgentem, videre non merui. Porro, te tacente, celum clamat super te,* 50 *tuamque causam defendit apud me. Nam ipse qui de sanctis suis curam habet semper et ha-* Psal. 104, 14. 15. *buit, sicut scriptum est: „Non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis reges: nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari,“ ipse me pro te corripuit, ut sciam,*

a) quanto *c.* b) De sancto Heriberto archiepiscopo et imperatore Heinrico *add. rubricam* 2*. c) *manu* 2.

86) Haec ex Vita Heriberti auct. Ruperto; cf. et Ann. Hildesh. et Quedlinb. 87) ante natale; cf. Ann. Hildesh. 55

quod inter electos computatus sis. Indulge ergo, precor te, quod in te malignatus sum, vel 1021. *quod te servum Dei tangere deliberavi; quia peccatum meum cognosco, nec amplius addam adversari tuae sanctitati.* His dictis, semel et iterum ac tercio sanctum pontificem deosculatus est, triplicem nimirum nectens dilectionis nodum, de quo Sapiens loquitur: *Funiculus* Eccl. 4, 12. *triplex difficile rumpitur.* Nec moratus, virum Dei, iam amicus amicum, prope se residere fecit. Hec videntes adversarii, in fugam versi sunt; ceteri vero fideles benedixerunt Dominum. Nec contentus hac satisfactione religiosus rex, adhuc de divino iudicio erat sollicitus; et praeterita reconciliatione non contentus, nocte sequenti finitis matutinorum solempniis, assumpto uno ex clericis cubiculum pontificis adiit; set non ibi quiescentem, verum in proximo sancti Iohannis oratorio vigilantem, ut solebat, et orationibus insistentem reperit. Protinus abiecta clamide solo stratus ante pedes eius, in spiritu humilitatis et in animo contrito se suscipi postulat, et ea potestate quam sacerdotibus suis Dominus contulit, veniam sibi dari cunctorum quae in eum commiserat. Nec moratus omnipotentis Dei famulus, imperatorem a terra prostratum sublevat, et secundum fidem regis culpae veniam relaxat. Erat autem hoc servo Domini initium sempiternae consolationis, quippe qui de ista valle lacrimarum protinus ascensurus erat ad gaudium divinae visionis. Etenim idem vir Domini, revelante sibi spiritu, hoc praenoscens, ait in illo secreto inter cetera ad eundem imperatorem: *Noveris certissime, quia post discessum tuum quo nunc separandi sumus, nostras invicem facies in hoc seculo nequaquam videbimus.* Eo magis imperator corde compunctus, iterum in amplexus et oscula episcopi ruit; flens pariter et cuncta pene membra, manus et oculos, collum quoque fixis demulcens osculis. Hoc facto clam ad cubiculum rediit, mestam reportans memoriam prophetiae beati viri, quam et postmodum, transitu eius subsequente, veram fuisse comperit, et ipse, ut audierat, ore proprio denarravit. Venerabilis autem episcopus [65.] Meinwercus de reconciliatione mutuae dilectionis, quam inter eos reformare sepe laboraverat, non modice letabatur; et ut peccata sua, quae in sanctum virum licet ignoranter commiserat, misericordiae operibus plenarie coram Deo dilueret, imperatorem hortabatur. Imperator ergo christianissimus, eruditus omni scientia litterarum, et per se id expedire sibi intelligens et consulenti libenter obaudiens, per interventum ac indefessum servitium ipsius episcopi Meinwerci, pro redemptione animae suae dilectaeque coniugis suae Cunigundae imperatricis, quandam regii iuris curtem Triburi[88] *nominatam, in pago Saxonico fol. 53. Westfala sitam, in comitatu Herimanni comitis, cum omnibus appenditiis, servis et ancillis, liberis quoque, cum tali servitio et censu qualem regi persolvebant et agebant, et ceteris omnibus ad eundem locum pertinentibus, ad abbatiam in Patherbrunno a praedicto episcopo inchoatam et stabilitam, ibidem in Colonia 12. Kal. Martii testamentaria auctoritate dedit[89]; et inde divertens Bavenberge, quadragesimam ibidem celebravit. [a] Sic Dei miseratione 89 in Patherbrunnensi cenobio crescente religione, crevit et census ipsius ecclesiae, formam dans posteris normae rectissimae, ut et pro cunctis animae et corpori necessariis patri celesti, scienti quid nobis necesse sit, devote serviatur, et ne dum religio parit divitias, divitiae religionem destruant, et sic ambo pereant, discrete caveatur.

167. Proximo[90] ergo 17. Kalend. Aprilis beatus Heribertus Coloniensis archiepiscopus [66.] mortalem vitam in angelicam mutavit, et in locum eius Piligrinus, regius[91] capellanus, sub- 91 intravit. Eadem[92] vero nocte, qua sanctus Heribertus post emeritam vitae huius miliciam, [67.] supernum donativum accepturus ad celos migravit, Eppo vir memorabilis Bavenbergensis ecclesiae episcopus, praeclaris moribus et non contempnendis florens virtutibus, huiusmodi visionem vidit. Ingrediebatur quasi quoddam magnum splendidumque capitolium; et ecce illic residebat innumerabilis contio personarum venerabilium, episcoporum, abbatum, regum atque imperatorum, ceterorumque cuiuscumque ordinis virorum illustrium, secundum suum quique ordinem vestiti, et omnes pulchri ac reverendi, quasi ad agendum generale concilium congregati. Porro in medio considentium loco evidenti sella posita videbatur episcopalis, sessorem nondum habens, verumtamen ad hoc parata, ut in illa[b] resideret aliquis. Ut ergo tantae amplitudinis locum, tamque venerandae multitudinis conventum introspiciens vidit, ammiratione pariter et timore compressus, nequaquam introire praesumpsit. Cum ergo ita staret stupefactus, ecce unus de illo sancto senatu tantoque quasi patriciorum

a) *sequentia in margine manu eadem adscripta.* b) ut illa c.

88) Drever prope Beleke. 89) Schaten I, p. 438. 90) ex Ann. Hildesh. 91) r. c. desunt in Ann. Hildesh. 92) ex Vita Heriberti auct. Ruperto.

1020. cetu surgens, et usque ad eum pro foribus stantem procedens, quem et ipse, ut sibi videbatur, dudum noverat, apprehensum manu introduxit, et ut super sedem vacantem resideret annuit. Ille véritus hoc facere recusavit, sciens eandem sellam viro reverentiae maioris et dignitatis amplioris positam. Nec mora, qui conventus eiusdem primatum tenere videbatur, duobus ex eodem consessu venerabilibus episcopis praecepto edixit, ut foras exeuntes eum quem primum invenirent stantem et paratum, introducerent, et in sede illa media, quoniam sessioni eius praeparata fuisset, digne collocarent. Fecerunt illi, ut imperatum fuerat; et ecce, quem adducebant, domnus Heribertus Coloniensium archiepiscopus erat, sacro redimitus ornatu, tamquam in die sollempni ad celebranda missarum sollempnia. Eum in illa sede medium sedere fecerunt. Verumtamen unum ornatui eius, scilicet balteus, deesse videbatur. Cum ergo tanti principes considentes illum vidissent, balteumque illi deesse animadvertissent, quasi vehementi ammiratione concitati, sciscitabantur, quisnam ille esset, qui tanti pontificis ornatum diminuere praesumpsisset. Ad hoc ipso tacente, praelocutus est unus de primoribus, dixitque, quod is esset imperator Heinricus. Hanc visionem episcopus imperatori mane narravit, ipseque imperator non incredulus visioni, recordatus verborum ultimae collocutionis, episcopo respondit: *Si baltheo caruit me praedone sanctus ille et venerandus vir, Domino adiuvante meque operam dante, rapina haec restituetur illi.* Igitur imperialem manum largius extendens, dona Christi ecclesiis pauperibusque distribuit, sacrisque missarum sollempniis, spalmis et orationibus transitum beati praesulis celebrari edixit, cui ipse (fol. 54.) 'baltheum sustulisset, id est quem viventem longe minus, quam decuerat, honorasset.

[68.] 168. Inter innumera ergo, quae pro animae eius remedio liberaliter erogavit, interventu domni Benedicti papae patris sui spiritualis, Cunigundae imperatricis[a], Erchanbaldi Magontini archiepiscopi, episcoporum quoque[b] Everhardi Bavenbergensis, Engelberti Frigisinensis, quandam curtim Hammonstide[93] dictam[c], sitam in pago Rittega in comitatu Udonis comitis, ibidem in Bavenberge in sabbato paschalis ebdomade, 9. videlicet Kalend. May, in festo sancti Georgii martyris, episcopo Meinwerco imperator[d] tribuit[94], ob[e] iuge suum et indefessum servitium, ut ipse nullius emuli opprobriis subiaceret, quin plus omnibus serviens, praemia honoresque plures acciperet, exemplisque sui emolumenti alios ad suum fidele servitium imperator provocaret. Hanc curtem quidam comes nomine Godiza proprietario iure possidens, cum appendiciis omnibus ad eundem locum pertinentibus, cum consensu coniugis suae Addilae ac sororis suae heredis iustissimae, ipsi imperatori in proprium ea ratione tradiderat, ut praedictus locus in beneficii usum et insuper centum mansi cum familiis, quamdiu viverent, sibi concederentur. Quo facto, imperator divino ammonitus instinctu assiduitateque servitii venerabilis Meinwerci episcopi non multo post praedictorum interventu pro remedio animae suae cum gyrographo ipsum praedium in proprietatem et dominium Patherbrunnensis ecclesiae, ut dictum est[f], eo pacto dedit, ut si praedicta domna Addile eum superviveret, et quisquam ei praedictum beneficium abstraheret, vel aliquid incommodi faceret, episcopus beneficium ex substantia Patherbrunnensis[g] ecclesiae restitueret, et si ipse id recusaret et renueret, illa domna potestative sua reciperet. Episcopus autem Meinwercus manuscriptum hoc de Hammonstide in praesentia Thiederici Mimigardefordensis episcopi, Liudolfi, Udonis, Hiddonis, Acca comitum, et aliorum multorum legi fecit, omnemque inferendae inquietudinis occasionem in futurum pastorali vigilantia sollerter premunivit.

[69.] 169. Post haec Kal. Iunii episcopus cum imperatore Coufunga venit, ubi interventu (1020. Mai. 22.) Geronis Magetheburgensis archiepiscopi, Dodiconisque comitis de Wartberge, quandam regiae proprietatis forestim in comitatu eiusdem comitis Dodiconis sitam optinuit[95]. Haec forestis initium sumit de Rothalmingahusen[96], rectoque tramite protenditur in Wisaram fluvium; sicque ascensum ducit in fluvium qui vocatur Fulda; inde vero servat continuatim sui ascensus tenorem iuxta eundem fluvium Fuldae, usque in rivum qui dicitur Crumelbeki[h], nec non ad oppidum quod Holthusun vocatur, viam tendit; simul graditur in Othilanbam, et Rechinherishusun, atque ad Rothiereshusun; mox pergit ad Rikillahusun atque ad Beverbiki[97]; sicque protenditur in viam quae ducitur ad Vulfredeskirikun, itemque in alteram viam

a) C. i. *manu* 2. b) e. q. *manu* 2. c) *manu* 2. d) *vox deleta* 1. *deest* 2*. e) ob — provocaret *in marg.* f) ut d. e. *manu* 2. g) *manu* 2. h) *in loco raso sed eadem manu.*

93) *Nota de Hammenstede iuxta opidum Northem* manu saec. XV. Est Hammenstedt prope Nordheim a dextra Leinae. 94) Schaten I, p. 435. 95) Schaten I, p. 439. 96) prope Hilwarthausen; Landau p. 15. 97) v. Landau p. 11.

quae extenditur ad Gunnesburin, et ad viam Monneshusun; sicque girando circuit quandam viam quae pervenit usque ad praedictum oppidum Rothalmingahusen.

170. Ipso[96] quoque anno Erchanbaldo venerabili Magontiensis ecclesiae archiepiscopo, [70.] episcopatus sui anno nono, mortuo, Aribo regius capellanus successit, qui inspirante Dei gratia inter alia suae devotionis et dilectionis erga Deum inditia, super montem qui dicitur Hasungun, in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli et in commemoratione beati Heimeradi supradicti, monasterium construxit.

171. Comite quoque Dodicone de Wartberge eodem anno 4. Kal. Septembris mortuo, [71.] episcopus imperatorem post natale Domini Patherbrunno invitavit, et comitatum quem idem Dodico comes, dum vixit, tenuit, situm in locis Hessiga, Netga, Nitterga, 14. Kal. Martii ab eo impetravit[97]. 97

172. Die quoque Kalendarum Martiarum proximarum, alium quendam comitatum in 1021. Febr. 16. fol. 55. 'Immedeshusen, interventu Benedicti papae, Cunigundae imperatricis augustae, Everhardi Bavenbergensis ecclesiae episcopi, Piligrini eiusdem ecclesiae praepositi regiique cancellarii obtinuit, quem situm in locis Sorathveld, Sinuthvelt, Almunga, Treveresga, Burclaun, Liudoulfus comes, dum vixit, tenuit[a]; ea ratione, ut nec ipse Meinwercus episcopus nec aliquis successorum suorum ullam potestatem haberet alicui suo militi vel extraneo eundem comitatum in beneficium dandi, set ministerialis ipsius ecclesiae qui pro tempore fuerit praesit praedicto comitatui, ac de eius utilitatibus provideat ad restaurationem constructionis ipsius ecclesiae, ut inde muri releventur, tecta reparentur, et quicquid oportunum fuerit ad corporalem formam ipsius domus Domini, ibi inde administretur. Ingens[98] terrae motus 4. Idus [72.] May in partibus Baioariae eodem anno contigit.

173. Quidam vero propinquorum Dodiconis comitis Bern nomine[99], traditionem quam 99 idem comes et frater eius, comes Sigebodo, in bonis hereditariis ad Patherbrunnensem ecclesiam hortatu et rogatu venerabilis Meinwerci ipsius ecclesiae episcopi fecerant, infirmare iudicio seculari attemptavit; et multis conciliis habitis, ad ultimum in natali sancti Damasi Dec. 11. papae in Ermenneswerethe, in praesentia Heinrici imperatoris, Aribonis Magontini archiepiscopi, et episcoporum Wizelini Strazeburgensis, Adalbaldi Traiectensis, Udonis, Herimanni comitum, et aliorum multorum, omni querela postposita, plenaria reconciliatione pacatus cessavit, et octoginta tres libras ab episcopo accepit; in Ganderesheim 20 uncias auri, 46 libras argenti, unum pallium pro 4 libris, et 30 equas, astantibus Wizelino episcopo praedicto, Rainwardo qui advocatus fuit, Udone, Sigifrido, Ezzikone, Liudulfo, Becelino de Suevan comitibus, Conone filio ducis Ottonis, eiusque milite Zeizulfo, et aliis multis.

174. In capite autem ieiunii proximi anni, praesentibus Udone, Bennone, Sifrido co- 1022. mitibus, aliisque plurimis cum Rainwardo advocato, dedit episcopus Meinwardo militi Bernonis 2 uncias auri, 2 libras argenti, datis omnibus promissis, exceptis duobus talentis.

175. Eodem[1] anno Thiedericus Mimigardevordensis episcopus obiit, et Sigifridus Par- [73.] tenopolitanus abbas ei succedens, 10 annis eidem ecclesiae laudabiliter praefuit. Thiedericus quoque Mindensis praesul praesentem vitam finivit; post quem Albericus eiusdem ecclesiae praepositus electus, set morte praeventus nec consecrationem accepit nec in cathedram pervenit; Sigibertus vero episcopatum obtinuit. Piae memoriae etiam Berenwardus Hildenesheimensis episcopus 12. Kal. Decembris ad Christum migravit, in cuius locum domnum Godehardum, Altahensem prius abbatem, sancta ecclesia sibi suisque utiliter subrogavit[1].

176. Anno dehinc succedente Gero[2] Parthenopolitanus archiepiscopus ab hac vita de- 1023. cessit; cui Hunfridus Wirciburgensis ecclesiae praepositus successit. Thietmarus[b] piae memoriae Osnebruggensis episcopus ad Christum migravit, et in sedem eius Moncherus[c] subintravit. Arnoldus quoque Halverstadensis episcopus moritur; et Brantoch quondam Ful- [74.] densis abbas substituitur. Bernhardus similiter Haldenburgensis episcopus sustollitur, post quem Reinholdus subinfertur[2].

177. Ipso anno[3] Aribo Magontiensis archiepiscopus imperatorem in pentecoste[d] Ma- [75.]

a) *sequentia in margine adiecta sunt.* b) Thietm. *usque* subintravit *in marg., desunt* 2*. c) *locus vacuus; vox deest.* d) i. p. *manu* 2.

96) Cf. Ann. Hildesh. 97) Schaten I, p. 441. Erhard dipl. 102. 98) ex Ann. Hildesh. 99) v. Erhard l. c. dipl. 96. 1) *Eodem — subrogavit* ex Ann. Hildesh. exceptis: *X annis e. e. l. praefuit.* 2) *Gero — subinfertur* ex Ann. Hildesh. exceptis: *Wirc. eccl. pr.* et *Thietmarus* usque *subintravit*. 3) ex Vita Godehardi cap. 4.

1023. gontiam invitavit, ubi et concilium generale coadunavit, in quo episcoporum consilio plura quae deviaverant correxit, praecipue tamen Ottonem comitem praedictum de Hamerstein et Irmingardam, illicite commanentes, separare disposuit; quod tamen perficere non potuit, quia ille se partim regali timore partim episcopali commonitione utcumque correxit, illa vero publice bannos praevaricans, ibidem ius legemque omnem funditus perdidit[4].

[76.] fol. 70'. 178. *Proxima[a] 3. Idus Augusti ipsius anni praedictus Aribo Magontinae sedis archiepiscopus, sinodum in Salingenstad coadunavit; in qua praesentibus episcopis Burghardo Wormatiense, Werinhardo Argentino, Brunone Augustense, Everhardo Bavenbergense, Meginhardo Wirciburgense, communi eorum consilio atque consensu multimodam divinorum officiorum atque sinodalium legum dissensionem composuit, et disparilitatem singularium consuetudinum honesta consensione in unum redegit. Inconveniens quippe sancto conventui visum est, quod menbra capiti discordarent, et ulla diversitas esset in unius corporis compagine; ideoque propter lamentabiles dissensiones communi decreto concilii haec capitula sancita sunt, hoc ordine[b]:

Capitulum primum. Ut 14 *dies omnes christiani ante festivitatem sancti Iohannis baptistae in abstinentia sint carnis et sagiminis, nisi infirmitate impediente, aut alicuius festi sollempnitate, quae in illo episcopio celebris habetur, intercedente. Et ante natale Domini similiter, et in vigilia epiphaniae, et in omnium vigiliis apostolorum, et in vigilia assumptionis sanctae Mariae, et in vigilia sancti Laurentii, nec non etiam in vigilia omnium sanctorum; adicientes praedictis vigiliis unam horam refectionis, excepta infirmitate, et nisi aliquis sit, qui proprio voto maiori abstinentia uti velit.*

2. *De incerto autem ieiunio quatuor temporum hanc consuetudinem statuimus, ut si Kalendae Martiae in* 4. *feria* **sive antea evenerint, eadem celebretur. Sin autem Kalendae Martiae in* 5. *feriam aut* 6. *aut sabbatum dividuntur, in sequentem ebdomadam ieiunium differatur. Simili quoque modo si Kal. Iunii in* 4. *feriam aut antea evenerit, in sequente ebdomada ieiunium celebretur. Et si in* 5. *feria aut* 6. *aut sabbatum contigerit, ieiunium in terciam et quartam ebdomadam reservetur. Et hoc sciendum est, quod si quando ieiunium mensis Iunii in vigilia pentecostes secundum praedictam regulam evenerit, non ibi celebrandum erit, set in ipsa ebdomada sollempni pentecosten; et tunc propter sollempnitatem Spiritus sancti diaconi dalmaticis induantur, et alleluia cantetur, et „Flectamus genua" non dicatur. Eodem modo de Septembri ieiunio constitutum est, ut, si Kal. Septembris in* 4. *feria evenerit aut antea, ieiunium in* 3. *ebdomada celebretur; et si in* 5. *aut* 6. *aut sabbatum contigerit, in* 4. *ebdomada erit. In Decembre vero illud observandum erit, ut proximo sabbato ante vigiliam nativitatis Domini celebretur ieiunium; quia si vigilia in sabbatum evenerit, simul ieiunium et vigiliam celebrare non convenit.*

(fol. 71.)

3. *De legitimis autem coniugiis ita visum est, quod nullus christianus uxorem ducere debeat ab adventu Domini usque in octavas*[c] *epiphaniae, et a septuagesima usque in octavas paschae; nec in supra notatis* 14 *diebus ante festivitatem sancti Iohannis baptistae, neque in praedictis ieiuniorum diebus, sive in omnium sollempnium dierum praecedentibus noctibus.*

4. *Decretum est etiam in eodem concilio, ut presbyter aliquis post galli cantum bibens, estivis noctibus, proximo die missam non celebret; hiemalibus similiter, nisi cogat necessitas.*

5. *Conquestum est etiam in eodem sancto concilio de quibusdam stultissimis presbyteris, ut quando incendium videant, corporale dominico corpore consecratum ad extinguendum incendium temeraria presumptione in ignem proiciant. Ideoque decretum est sub anathematis interdictione, ne ulterius fiat.*

6. *Interrogatum est ibidem, si duo in adulterio inculpati fuerint, et unus profiteretur et alter negaret, quid inde agendum esset? Decretum est autem a sancto concilio, ut ille, qui negaverit probabili iudicio se expurget, et qui professus fuerit, digne penitentiam agat.*

7. *Decretum est etiam in eodem concilio, ut nemo gladium in ecclesiam portet, regali tantum excepto.*

8. *Statuit etiam sancta sinodus, ut mala consuetudo, quae apud omnes pene iam inolevit, omnino prohibeatur; hoc est, quod colloquia sua in atrio alicuius ecclesiae constituunt habenda; et tunc ea in ipsa maxime exercent ecclesia, ubi orationes et divina tantum fieri equum est officia.*

a) *sequentia usque ad* florentis exercitia *desunt* 2*. b) *reliqua capitis* 178 *omissa sunt apud Browerum et in Actis Sanctorum.* c) octouas *c.*

4) ex Vita Godehardi cap. 4.

9. *Quidam etiam laicorum et maxime matrone habent in consuetudine, ut per singulos dies audiant ewangelium „In principio erat verbum", et missas peculiares, hoc est de sancta Trinitate, aut de sancto Michaele; et ideo sanctitum est in eodem concilio, ut hoc ulterius non fiat, nisi suo tempore, et nisi aliquis fidelium pro reverentia sanctae Trinitatis velit audire, non pro aliqua divinatione; et si voluerint, ut sibi missae cantentur, de eodem die audiant missas; vel pro salute vivorum aut pro defunctis.* 1023.

10. *Quidam etiam generationem consanguinitatis *ita volunt numerare, ut frater et soror sint primi. Hoc autem statuit sancta sinodus, sicut etiam ab antiquis patribus decretum est, ut ita non esset, set ut nepos et neptis, id est filius fratris ac filia sororis, primi habeantur.* fol. 72.

11. *Statutum est etiam, ut edificia laicorum, quae ecclesiis adiuncta sunt, auferantur, et nulla in atrio ecclesiae ponantur, nisi tantum presbyterorum.*

12. *Item decretum est, ut nullus laicorum alicui presbytero suam commendet ecclesiam, praeter consensum episcopi; set eum prius mittat suo episcopo vel eius vicario, ut probetur, si scientia, etate et moribus talis sit, ut sibi populus Dei commendetur.*

13. *Statuit quoque sancta synodus, si duo de adulterio accusati fuerint, et ambo negaverint, et orant sibi concedi, ut alterum illorum utrosque divino purget iudicio; si unus in hoc deciderit, ut ambo rei habeantur.*

14. *Decretum est etiam, ut omnes bannitum ieiunium, in quocumque episcopio celebratur, diligentissime observent; et si quis illarum octo interdictarum rerum aliquam redimere voluerit, unum pauperem, prout sua facultas erit, eadem die reficiat.*

15. *Decrevit quoque sancta sinodus, ut nullus Romam eat, nisi cum licentia sui episcopi vel eius vicarii.*

16. *Et illud sub anathemate praeceptum est, ut nullus presbyterorum cuiquam penitenti carinam dividere presumat, si infirmitas non intervenerit.*

17. *Quia multi tanta falluntur mentis suae stulticia, ut in aliquo capitali crimine inculpati, penitentiam a sacerdotibus suis suscipere nolunt, in hoc maxime confisi, ut Romam euntibus apostolicus omnia sibi dimittat peccata, sancto visum est concilio, ut talis indulgentia illis non prosit, set prius iuxta modum delicti penitentiam sibi datam a suis sacerdotibus adimpleant, et tunc Romam ire si velint, ab episcopo proprio licentiam et litteras ad apostolicum ex hisdem rebus deferendas accipiant.*

18. *Decretum est etiam in eodem concilio, ut omnis penitens, dum carinam suam ieiunat, de loco ad locum non migret; set permaneat ubi suam acceperit penitentiam, ut proprius sacerdos sibi praebeat testimonium. Si autem ibi propter hostiles insidias ieiunare non poterit, suus sacerdos eum confratrum suorum alicui, ubi pacifice possit ieiunare, diligentissime commendet.*

19. *In eodem quoque concilio decretum est, ut nullus presbyterorum quemquam nisi iussu episcopi, ecclesiam introducere praesumat; cui pro aliquo delicto ingredi non liceat.*

179. Haec[a] quidem sinodi huius decreta, temporis, ut dictum est, necessitate exigente sic ordinata, set in dispositione ieiunii quatuor temporum, salva auctoritate non bene considerata; unde Romana ecclesia, super fundamentum divinae dispositionis rationabiliter ordinata, et contra novitatum adinventiones rationi et auctoritati contrarias magisterio Petri in omnibus et de omnibus pleniter informata, hanc de ieiunio quatuor temporum constitutionem refutavit; útpote quam auctoritati sanctorum patrum contraire, et rationi legitimae lunationis non convenire, manifeste recognovit. Leo namque primus, in ordine pontificum *quadragesimus septimus, cuius auctoritate congregatum et confirmatum est sanctum Calcedonense concilium, et Gregorius iunior, in ordine pontificum nonagesimus[b], ieiunium vernale in quadragesima, et ieiunium estivale in pentecoste celebrari instituerunt; in quibus beatus Gelasius papa, in ordine pontificum quadragesimus[b] nonus[b], ordines fecisse et fieri instituisse in decretis suis invenitur. Ipsa quoque quadragesima, cum in Februario plerumque occurrat, sicuti in decem annis cicli decennovenalis, videlicet sexto decimo, quinto, decimo tertio, secundo, decimo, duodevicesimo, septimo, quinto decimo, quarto, duodecimo, sepe contingit, in quo scilicet Februario patres reverendi, sanctitate et apostolica auctoritate praecipui, Simplicius, Gelasius, Simmachus, Felix ordinationes fecisse leguntur, contra rationem quadragesimalis lunationis concilium hoc de ieiunio vernali in Kalendis Martii disposuisse constat, cum sabbatum 12 lectionum vernalis ieiunii, aliquando 16. Kal. Martii, aliquando 13. fol. 73.

a) *totum caput 179 alio atramento subiectum est.* b) *nigriori atramento.*

1023. Aprilis occurrat. Concordia quoque officiorum summopere servanda, in ieiunio estivali confunderetur, cum cantus quadragesimalis cum orationibus suis, lectionibus de sancto Spiritu in pentecoste improprie adiungeretur. Unde Gregorius papa eiusdem nominis septimus, qui et Hildebrandus monachus, eiusmodi varietatem et confusionem secundum apostolicae normae consuetudinem informare cupiens, anno ab incarnatione Domini 1078, indictione prima, habita Romae sinodo in ecclesia domini Salvatoris quae dicitur Constantiniana, praesentibus archiepiscopis et episcopis numero fere centum, cum innumerabili diversorum ordinum multitudine, inter cetera canonicae executionis negotia, (fol. 73'.) *quae renovando confirmavit et confirmando innovavit, ieiunium, quod Martio asscribitur, omni anno in prima ebdomada quadragesimae secundum lunationis eius rationem, sicut et paschae, celebrari disposuit, sicut praedecessores suos constituisse claruit; ieiunium vero estivale infra ebdomadam pentecostes, ieiunium autem autumpnale iuxta statuta sanctorum patrum Leonis et Gelasii et aliorum plurimorum in septimo mense debemus celebrare; et secundum ecclesiasticam consuetudinem in tercio sabbato Septembris ieiunare; hoc observato, ut si Kalendae Septembris secunda, tercia vel quarta feria intrant, in tertia ebdomada; si quinta, sexta feria, vel sabbato intrant, in quarta ebdomada celebretur. Hec minus capacibus enucleata, ingenio sagacibus non sint ingrata, quae cum antiquitatis noticia conferant eis studii florentis exercitia.

[77.] fol. 43'. 180. *[Episcopus autem Meinwercus[a]] monasterium[b] inchoatum nostrum[c] consummare accelerans[d], sanctuario testudinato, imperatorem in nativitate Domini Patherbrunno invitavit, et sperans eum imperiali magnificentia aliqua daturum praedia, in praesentia eius hoc dedicare proposuit. Ex inopinato autem sanctuarium, casum ipsius ecclesiae[e] futurum praesignans, cecidit; et ita episcopo domi forisque negotiis regni multipliciter occupato, monasterium hoc usque ad annum dominicae incarnationis 1031 indedicatum permansit.

[78.] 181. Invitatus autem imperator adventum suum denunciavit episcopo, praecipiens necessaria suo praeparari balneo. Episcopus autem per omnes curtes suas dominicales agnas fetas occidi faciens, de velleribus agnorum, infra uterum earum inventorum, pelles fieri mandavit; quibus pallio novo adopertis, et gulis martherinis in circuitu ornatis, imperatorem post balneum[f] vigiliae vestivit. Magnates autem regni, qui plures aderant, accedentes, pallium consideraverunt, et rem ut suspicati erant deprehendentes, imperatori innotuerunt. Qui advocato episcopo, cur pelles ovinas sibi dedisset, inquisivit, et honoris ac amoris ignarum dignitatisque Romani imperii eum oblitum proclamavit. Episcopus autem optimum genus indumenti, cuique ordini conditioni et dignitati conveniens, se dedisse asserens, mercatores advocavit, eosque per gratiam suam hac de re contestatus, eorum testimonio, quae dixerat, vera approbavit. Et accedens ad imperatorem: *Ego*, inquit, *Heinrice, pro corpore tuo mortali vestiendo pauperem beatae Mariae semper virginis episcopatum, a te mihi collatum, devastavi; canonicos eius, villicos ac mendicos, de velleribus ovium occisorum fovendos, de lactis eorum copia cibique varii alimonia alendos, fraudavi et spoliavi, cuius mali coram Deo reus tu eris, si non velociter et pleniter ecclesiae ablata restitueris.* At imperator arridens: *Ego, inquam, si quem defraudavi, vel mei causa defraudatum novi, reddam quadruplum;* et sic pro huius dampni restitutione contulit ei[g] praedium in Steini[5].

[79.] 182. Cantatis autem vesperis in sacris vigiliis, misit imperator cifum suum mirifici operis cum sicera episcopo, commendans et praecipiens[h] nuntio, ut non rediret visurus faciem suam sine cifo. Episcopus autem condigna gratiarum actione missa suscipiens, diutina et varia verborum altercatione et dilatione cum ferente habita, cifum non reddidit; egressoque tandem eo, obseratis firmiter post eum ianuis, ascitisque aurificibus suis Brunhardo et filio eius Erphone, in ipsa nocte nativitatis Domini calicem de cifo fieri iussit. Matutinorum autem sollempniis apud monasterium novum, imperatore praesente, celebratis, inter ewangelium subsequentis missae matutinae episcopus perfectum calicem consecravit, et ut in praesenti divina misteria in eo celebrarentur, ministris[i] tradi mandavit. Capellanus autem imperatoris ad eam missam subdiaconi functus officio, epigrammata calicis legit, et lecta imperatori ad legendum optulit. (fol. 44.) Quibus ab imperatore quoque lectis, *ad episcopum accessit, et furti eum reum arguens, Deum rapinam illam odio habere in holocaustum dixit. *Ego, inquam,* episcopus, *non rapinam, set avariciam tuae vanitatis, cultui mancipavi divinitatis. Tu ad*

a) *rubra littera adscripta manu posteriori in fine fol.* 55'. b) *vox erasa.* c) *vox iam erasa, deest* 2*. d) accelleravit 1. e) *voces duae erasae.* f) 3 *vel* 4 *voces erasae.* g) *manu* 2. h) *vox erasa.* i) *manu* 2.

5) v. Erhard dipl. 104. d. 14. Ianuar. 1023.

augmentum tuae perditionis aufer Deo, si audes, oblationem meae devotionis. Ego, inquid imperator, *Deo mancipata non auferam, set quae mea sunt, ei suppliciter offeram*[a]*; tu de tuis iustis laboribus honora Dominum, dignatum in hac nocte pro salute nasci omnium.* Mox ergo, inchoato offertorio, imperator calicem ad altare solempniter[a] optulit, animaeque eius et corpori imprecatus episcopus prospera, non modicas gratiarum actiones retulit. Ad offertorium autem missae de luce episcopus ab imperatore instanter curtem regalem Ervete[6] exigens, oblationem eius suscipere recusavit; imperatricis autem suscipiens, sibi apud imperatorem eam fore auxilio pro optinendo Ervete obsecravit. Deus autem omnipotens, in cuius manu sunt corda regum, meritis episcopi, cuius devotio complacuit sibi, convertit in bonum cor imperatoris; qui sciens, se[a] in die iniuriam ab episcopo habiturum, ascitis primo diluculo notariis, occulte fieri fecit[a] de Ervete privilegium. Ad offertorium igitur principalis missae imperator, frequenti principum stipatus caterva, Deo oblaturus divinis debitum beneficiis, qui se pro humano debito Deo patri[a] optulit in ara crucis, ad episcopum venit; set ille averso vultu et manu repetitis vocibus instanter Ervete expetiit. Imperator autem congrua reverentia et disciplina repulsam sui dissimulans, praecedentem episcopum sequebatur, et ut oblationem suam suscipere dignaretur, humiliter precabatur. Diu autem uno praecedente, altero subsequente, imperatrix christianissima interventu magnatum regni, qui ad hoc spectaculum gratulabundi astabant, accessit, et ut peticioni non nisi quae Dei essent querentis satisfaceret, imperatorem suppliciter petiit. Qui diu multumque renisus, tandem episcopi perseverantia, imperatricis primatumque coactus instantia, privilegium protulit, et accedens ad altare, beatae Dei genitrici et perpetuae virgini Mariae, sanctisque Kiliano et Liborio, et astanti Meinwerco episcopo suisque successoribus, curtem Ervete sitam in pago Westfalon, legaliter optulit. Episcopus autem gaudio repletus ineffabili: *Omnium sanctorum*, exclamat, *retribuat tibi!* Et imperator averso vultu occulte submurmurans: *Et tu*, inquid, *odium Dei omniumque sanctorum eius habeas, qui me bonis concessis cum detrimento regni spoliare non cessas.* Episcopus autem privilegium cum manu in altum exaltans: *Beatus es*, ait, *Heinrice, et bene tibi erit, cui pro hac oblatione celum patebit; cuius anima cum sanctis sempiterna possidebit gaudia. Videte*, ait, *omnes populi, considerate fideles universi; talis oblatio peccatorum fit abolitio; hoc sacrificium Deo acceptabile, animabus fit propiciabile. Hoc quique fideles pro posse suae facultatis imitari studeant, ut pro temporalibus eterna, pro transitoriis mansura optinere valeant.* Universi autem magnis vocibus Dei collaudabant magnalia, gaudentes super omnibus, quae audierant et viderant, eidem ecclesiae collatis donariis[b].

183. Quarta autem Nonas Ianuarii criptam in novo suo monasterio in honore sancti Stephani protomartyris consecravit, et lapidem quendam altaris, spectabilis magnitudinis, a beato Leone papa consecratum, de ecclesia Thietmelle allatum, in ea collocavit; et adorandas eiusdem protomartyris reliquias cum aliis multorum sanctorum in eo[c] reposuit.

184. Variis autem modis et temporibus ecclesiae commissae prospiciens episcopus, oportune importune imperatori institit, et nunc gratuito oblata cum gratiarum actione suscipere, nunc negata pie violentus praeripere non destitit.

185. Quodam denique tempore imperator in ecclesia principali missam auditurus, regali praeparatura[d] altare fecit ornari, ammonens suos, episcopi solitam invasionem cautius praecaveri. Episcopus autem eandem missam celebrans, post *Agnus Dei* pulpitum ascendit, et differentiam inter imperii potestatem et sacerdotii asserens dignitatem, res divini iuris non esse humani honoris, et divino cultui consecratum ad ius pertinere sacerdotum, canonica auctoritate ostendit; unde ecclesiastica ornamenta et sacerdotalia indumenta, super quae et per quae ea hora et ecclesia divina celebrata erant sacramenta, eiusdem ecclesiae proprietati et utilitati, pontificali auctoritate et banno confirmavit; et omnes suae canonicae auctoritati reniti praesumentes cum suis fautoribus a liminibus sanctae ecclesiae apostolica auctoritate anathematizatos sequestravit.

186. Episcopus autem quoddam imperatoris tegmen, egregium praecipui decoris et mirifici operis pallium, sepenumero optinere desiderans, effectu caruit, donec quadam die imperatori pluribus intento illud fortuitu rapuit. Imperator vero episcopum de rapinae incusans vitio, talionem debitum suo se tempore redditurum[e] perhibuit; ille vero pallium hoc

a) *manu* 2. b) collata donaria *corr. ut in editis.* c) i. e. *manu* 2. d) ppatura *c.* e) *manu* 2.

6) Hohunseli curtem intelligendam esse, Ervete autem nonnisi a Chuonrado II. Meinwerco concessam adnotat Erhard p. 166.

1023. convenientius in templo Domini pendére, quam sua membra mortalia tegere affirmans, minas eius se vili péndere asseruit. Sciens autem imperator, episcopum saecularibus negotiis multipliciter occupatum, tam in latinitatis locutione quam in lectione barbarismi vitia non semel incurrere, de missali in quadam collecta pro defunctis *fa* de *famulis* et *famulabus* cum capellano suo delevit, et episcopum pro requie animarum patris sui et matris missam celebrare rogavit. Episcopus igitur ex improviso missam celebrare accelerans, ut scriptum reperit, *mulis* et *mulabus* dixit; set errorem recognoscens, repetitis verbis, quod male dixerat, correxit. Post missam insultans imperator pontifici: *Ego,* inquit, *patri meo et matri, non mulis et mulabus meis missam celebrari rogavi.* At ille: *Per matrem,* ait, *Domini, tu more solito iterum illusisti mihi; et non quoquo modo, verum in Dei nostri servitio.*

Cuius ero vindex, en promittit meus index;
Namque sibi factum non pertransibit inultum.

Ilico canonicis in capitolium principalis ecclesiae convocatis, capellanum imperatoris, huius rei conscium, durissime verberibus castigari iussit, castigatumque novis vestibus indutum ad imperatorem, nuntiaturum quae facta fuerant, remisit.

[83.] **187.** Miratus autem imperator multiplicem episcopi erga cultum Dei devotionem, experiri proposuit, si sinceriter ex Deo esset, eius intentionem; et ascitis notariis scribi fecit litteris aureis in scedulis: *Meinwerce episcope, dispone domui tuae; morieris enim quinta die.* Episcopo autem in domo hiemali ad mensam consedente, de superiori estivali domo per postes scedula per huius rei conscium occulte dimissa, ante episcopum corruit. Ipseque ea accepta et perlecta, usu corporeae fragilitatis primo stupens inhorruit. Deinde ad naturae necessaria iturus, alias per loca dispersas invenit; et certissimae suae vocationis indices credens, Deo gratias egit, et ascito suo vicedomno, omnia quae in pecuniae vel diversarum escarum copia habuit, ecclesiis et pauperibus erogari praecepit, vix autem quibusdam vilibus indumentis sepulturae suae retentis, expeditus a curis omnibus, horam vocationis suae gaudens expectabat, et precum laudumque insistens hostiis, vigiliis et ieiuniis dies noctibus continuabat. Itaque transacta die quinta, cum in cripta solo prostratus, usque in mediam noctem exitum suum praestolando, nihil corporalis molestiae sensisset, tandem in se reversus esurire cepit; et imperatoris suspicatus, ut revera erat, machinamenta, ad cubiculum rediit; et cibariis de foro mutuo allatis, corpus ieiuniis et vigiliis attenuatum cibo somnoque refecit. Mane facto, imperatore cum principibus quasi de resuscitatione Lazari gratulante, et prolixiora vivendi[a] spacia ad exemplum et provectum aliorum a Deo sibi concessa affirmante, episcopus antequam missarum sollempnia 'initiaret, pauca pro re et tempore ad populum locutus, episcopalem irrisionem et rerum ecclesiae distractionem omnibus innotuit, et eius rei auctores et fautores apostolica auctoritate anathematizatos, a sanctae ecclesiae gremio omniumque fidelium consortio usque ad condignam satisfactionem segregavit. Imperatore protinus cum imperatrice ceterisque facti illius consciis monasterium egrediente, et excessum humanae levitatis humiliter recognoscente, discalciatus et cilicio indutus, adventum episcopi ante fores monasterii publice penitens expectavit; et post missarum sollempnia egressuro episcopo in animo contrito et spiritu humilitatis prostratus, absolutionem anathematis, interventu qui aderant, cum suis difficulter impetravit. Imperialem igitur largius extendens imperator manum, in opus misericordiae distracta multipliciter restituit, et deinceps cordetenus episcopo unitus, ad omnia quae tam in propriis quam in conservorum et coepiscoporum suorum necessitatibus expetisset, benignissime annuit[b]. Ammiretur ergo et veneretur a fidelibus, ut meretur, episcopalis auctoritas, et imperialis humilitas, et commendetur in eis commendanda vitae sinceritas et meritorum tanta sublimitas.

[fol. 47.]

[84.] [fol. 56.] **188.**[c] 'Devotissimus igitur imperator circa memoratum locum Patherbrunnon multis donis piissima largitate celebratis[d], quasi spiritu quodammodo praenoscens se eo amplius non venturum, erga Deum et eundem locum dilectumque sibi episcopum suae dilectionis inditia non minima dereliquit. Interventu namque venerabilis Cunigundae imperatricis, assidue monentis atque incessabiliter ei in memoriam revocantis, quod episcopus Meinwercus plus ceteris fidelibus suis iugi devotione in servitute regia sudasset, contulit[7] ei praedium

a) *manu* 2. b) *quae sequuntur manu* 2. c) De predio Hoensele *rubricam add.* 2'. d) *initium capitis huc usque erasum est, at rubro restitutum.*

7) Schaten I, p. 452.

quoddam Hoensile[8] dictum, in pago Westfalon situm[a] in comitatu Bernhardi comitis, quod episcopus ecclesiae suae novae mox tribuit cum omnibus eiusdem praedii appendiciis. 1023.

189. Die quoque eadem aliud praedium Steini[9] dictum[b], situm in pago Westfalon in comitatu Bernhardi comitis[c], ei imperator[d] dedit[10], quod sibi suisque successoribus ad maioris ecclesiae dominium episcopus[d] retinuit.

190. Ipso die, videlicet[d] 19. Kal. Februarii, ecclesiam ab[e] episcopo noviter constructam [85.] imperator ab omni seculari violenti exactione vel invasione stabilivit et communivit, imperialis edicti auctoritate decernens[11], ut nulla persona quemlibet abbatem ipsius ecclesiae cum suis fratribus super bonis concessis vel concedendis inquietare, molestare aut divestire praesumat, ut aliqua iudiciaria potestate se intromittat, excepto advocato ab abbate et fratribus in defensorem electo; adiciens hoc in praecepto, ut si quis hoc infringeret, centum libras auri componeret, 50 regiae camerae, 50 eidem ecclesiae.

191. Monasterio quoque Coufunga nominato, in honore sancti Salvatoris sanctaeque [86.] eius genitricis necnon victoriosissimae crucis atque beati Petri apostolorum principis constructo, quoddam praedium regii iuris Hardinchusun dictum, pro remedio animae suae dilectaeque coniugis suae Cunigundae imperatricis augustae, necnon pro animabus fidelium suorum quorum corpora ibi requiescunt, Erphonis comitis atque Counonis, eadem die ibidem in Patherbrunno contulit[12], ea videlicet ratione, ut venerabilis eiusdem ecclesiae abbatissa, Outa nomine, sibique post hinc succedentes, proprietario iure ipsum[f] possiderent.

192.[g] Tali similique studio regiae devotionis profecit sancta[h] ecclesia augmento sacrae religionis, et in suo statu vigente capite, viguerunt in suo profectu menbra ecclesiae. Illius [87.] quoque temporis episcopi sapientia et scientia praediti, subiectorum profectibus continue erant dediti, secundas imperii partes sancte et iuste adiuvantes, sacerdotii rigorem nullatenus relaxantes. Inter quos vitae merito eminebant Treverensis metropolis, ex qua primum sonus euuangelicae praedicationis intonuit partibus Teutonicis, Meingoz et Poppo, Coloniensis quoque Heribertus et Piligrinus, Maguntiensis ecclesiae Willigisus et[h] Erchanbaldus, Aribo et Bardo, Partenopolitanae id est[i] Magtheburgensis Gero et Hunfridus, Bremensis Unuwanus; Traiectensis Ansfridus et Athalbaldus, Mimigardevordensis[k] Thiedericus et Sigifridus, Osnebruggensis[l] Thietmarus. Hildenesheimensis Berenwardus et Godehardus. Mindensis Sibertus et Bruno, Burghardus[m] Wormatiensis, studio suo in collectione canonum in ecclesia laudabilis, Werinhardus Argentinae civitatis, Meinhardus et Bruno Wirciburgensis, et alii quam plures pontificii dignitate venerabiles, sanctitate incomparabiles, quorum meritis adeo illo in tempore floruit ecclesia, ut non sit hodie aliqua, quae nobis eius temporis non portendat suorum[n] meritorum insignia. Hi, ut cherubin, virtutum suarum alas alter ad alterum concutiebant, et in laude Dei orbem terrae commoventes, meritorum qualitatibus, tamquam[o] 'diversis[p] discreti vultibus[q], et in corporalibus et in spiritualibus oculati ante et retro, fol. 57. tam in prosperis quam in adversis populum commissum strennue gubernabant. Tales erant [88.] episcopi Meinwerci contemporales. Per hos Dominus triumphato mundi principe, propagavit ecclesiam, suo sacro redemptam sanguine. Hii Meinwercum pro vitae suae innocentia magna venerabantur reverentia, cui tam in ecclesia quam in curia magnam pariebat dignitatem temporalium rerum opulentia. Porro Meinwercus digniores et provectiores inter eos filiali reverentia venerabatur ut patres, coaetaneos et iuniores amplectebatur[r] ut fratres, maiorum ammonitionem et institutionem humiliter percipiens, eandemque similibus et iunioribus salubriter impertiens. Mira ei ad omnes karitas, inestimabilis morum et verborum suavitas, ut amorem Dei in eo interius ferventer flagrantem quodammodo intelligeres per gratiam exterius choruscantem. Erant quoque tunc monachi quaquaversus religiosi, in vigiliis, ieiuniis, orationibus et divinis meditationibus studiosi, presentia contempnentes, cogitatione et omni aviditate coelestia desiderantes.

193.[s] Postquam autem tali imperatore, tantarum virtutum haut segni executore, mun- [89.] dus non erat dignus, ipseque pro consummatis gloriosissime huius vitae laboribus celesti

a) *manu* 2. b) *manu* 2. c) B. c. *manu* 2. *in loco vacuo.* d) *manu* 2. e) a. e. n. c. i. *manu* 2. f) *manu* 2. g) Qui fuerint contemporales domni Meinwerci episcopi *rubricam add.* 2*. h) *manu* 2. i) i. e. M. *manu* 2. *desunt* 2*. k) deuor *manu* 2. l) O. T. *manu* 2. *desunt* 2*. m) Burgh. *et sequentia usque* Wircib. *in margine; desunt* 2*. n) *manu* 2. o) *hinc fol.* 57. *excidit.* p) *deest* 2*. q) voltibus 2*. r) amplectabatur 3. s) De obitu gloriosi et sancti Hinrici imperatoris secundi huius nominis 3. De obitu imperatoris *add. rubricam* 2*.

8) V. supra c. 182. notata et Seibertz apud Wigand Archiv VI, 154. 9) Seibertz dicit esse Steinhausen in dominio Büren. Wigand Archiv VI, 152. 10) Schaten p. 451. 11) Schaten p. 454. 12) Schaten p. 452.

1024. bravio erat donandus, Gruona[a, 13] decumbens, cum totius christianitatis inestimabili merore[b] anno[14] vitae suae 52, regni 22, imperii 10, dominicae incarnationis 1024 est defunctus, et Bavenberge translatus, in ecclesia beatorum apostolorum Petri et Pauli honorifice est sepultus, tumulusque eius tali epitaphio insignitus:

Heinrich[c] augustus, virtutum germine iustus,
Hec servat cuius viscera putris humus,
Splendor erat legum, speculum, lux gemmaque regum;
Ad celos abiit, non moriens obiit.
Idibus in ternis vexantem pondera carnis,
Iulius ethereo sumpserat imperio.
Abbatissa pia, quod reddat sancta Maria,
Hildigarda sibi iusserat hoc fieri.

[90.] fol. 58. **194.** 'Episcopus autem obitu eius audito, per totam civitatem Patherbrunnensem omnemque episcopatum transitum eius agi sollempniter[d] mandavit, et pro animae eius remedio elemosinas non minimas tam in alimentis quam in vestimentis, pauperibus erogavit. Quamvis autem gauderet de patrono praemisso, doluit de solatio amisso; tranfixusque doloris nimii gladio, non potuit imperare sibi, quin doleret corde et animo. Et imperator quidem, perceptis laborum suorum praemiis, inter cives celestis Ierusalem gaudio eternae claritatis ineffabiliter tripudiabat; episcopus autem, ut congregata a luporum incursione conservaret, et pro acquirendis aliis operam daret, inter cives Babiloniae adhuc aliquamdiu commorari habebat.

[91.] **195.** Post obitum igitur imperatoris soli Saxones in quodam castello quod Werla dicitur convenerunt, et tam de regis electione quam aliarum rerum necessaria dispositione tractare ceperunt. Ibi domnus Meinwercus episcopus[d] et Thietmarus frater ducis Saxoniae Bernhardi, quicquid iniuriarum vel controversiarum de abbatia Helmwardeshusun aut aliis rebus ad invicem habuerunt, penitus dimiserunt; et intervenientibus Sigifrido avunculo eius, Herimanno de Westfalan, Bennone, Amulungo comitibus, aliisque praesentibus, plenarie [92.] reconciliati, huiusque reconciliationis testes litteris sunt mandati. Beneficium quoque domnae Addele de Hammonstide concessum, imperatore mortuo mox ad eum rediit locum, ex quo prius fuerat acceptum. Episcopus autem, ut sapiens, semper sapienter fecit, et ex substantia ecclesiae beneficium domnae Addilae secundum velle eius, ut imperator constituerat, restituit, concedens ei ad terminum vitae suae Liudulvingaroth, Haverlaun et Delheim[e] cum octoginta familiis; hoc insuper constituens, ut non solum corporeae utilitatis et necessitatis remunerationem, set cum dies vitae eius extremus venisset, saluberrimam animae suae experiretur commemorationem; ita ut a fratribus die tricesimo obitus eius omnibusque anniversariis missae et psalmodiae celebrentur, et elemosinae, sicut in anniversariis eiusdem ecclesiae episcoporum pauperibus erogentur; et fratres ibi Deo servientes duo et duo, quatuor panes, duos triticeos, duos siligineos vel avenae, 10 carnes, unam amphoram cervisiae, unam eminam plenam medonis accipiant, scolastici vero duo et duo, duos panes et quatuor carnes, et unam eminam plenam cervisiae inter se dividant. Haec in praesentia Sifridi, Udonis, Bennonis comitum, Wiric, Liudwig, Wicilini, Huvikae villicorum, et aliorum multorum sunt facta et ad memoriale perpetuum litterarum serie firmata. O episcopum idoneum, de ecclesiae commissae profectu in tantum sollicitum, qui et corporibus[f] utiliter prospicere, et animabus salubriter novit consulere!

[93.] **196.** Principibus autem pro electione regis[g] dissidentibus, octo ebdomadibus solium regni vacavit; et sic Counradus, unus ex regni primoribus set regno antea per rebellationem adversus, faventibus sibi Aribone Magontiense archiepiscopo, Everhardo Bavenbergense, ab Urbe condita 1775, octogesimo quinto loco ab Augusto, 6. Idus Septembr.[15] illud optinuit, et[h] Magontiae regiae consecrationis dominium accepit.

197. Proxima Idus Septembris[i], facto iterum conventu principum praesente Meinwerco episcopo, in loco qui Hirtveldun dicitur, meritis sanctissimae Idae insigni, Hildigunda abbatissa de Gesike cum Bernhardo nepote suo et 'advocato, praedia Vilisi, Vesperdun, Hoddin- fol. 59. gahusun,' quae olim a Sigebodone et sua uxore Embilan pro quadam emendatione Pather-

a) grŏna 2*. gruna 3. b) ch. memore *a rec. manu, quae alibi ex autographo codicem emendavit corr. ut editum* 2*. c) henrich 3. d) *manu* 2. e) dalheim *corr.* delheim 1. dalhem 2*. f) animabus *corr.* corporibus 1. g) *manu* 2. h) et M. r. c. d. a. *in margine.* i) *manu* 2.

13) cf. Ann. Hildesh. 14) *anno — est sepultus* ex Vita Heinrici c. 35. 15) cf. Ann. Hildesh.

brunnensi ecclesiae tradita fuerant, infirmare voluit; set in praesentia Bernhardi ducis Saxo- 1024.
niae, Herimanni comitis et filiorum eius Heinrici, Counradi, Athelberti, Bernhardi, comitum
quoque Ekkike de Aslan, Erph, Amulungi, Thiederici Fresoniae, Widikindi, Ekkikae, Tiamma
fratrisque eius[a] Esici, et aliorum multorum iusto iudicio convicta, ab omni executione peni-
5 tus cessavit.

198. Conrado igitur rege in regno confirmato et corroborato, mutato regno, mutatis 1025. [94.]
etiam, ut solet, amicis et consiliariis, per suggestionem Aribonis Magontini archiepiscopi,
comitatum quondam Dodiconis comitis, quem praedecessor suus imperiali munificentia Pa-
therbrunnensi ecclesiae dederat, ab ea tulit, et in ius Magontinae ecclesiae, rudis adhuc in
10 regno, iniusto persuasus consilio, irrationabiliter transtulit et transmutavit. Venerabilis au-
tem Meinwercus episcopus, imperatorum devotissimus servitor et amator, Marthae sedulus
satagens obsequiis, non cessavit, non quievit suo tempore supplicando, serviendo, quoad-
usque idem rex imperator factus, omnipotentis Dei in cuius manu corda regum sunt instinctu,
fideliumque suorum interventu, ablata restituit, et alia quam plura regali magnificentia ei
15 tribuit. Sciens itaque episcopus, equum esse serviri regibus et dominis,

Ut Christi famulis ad verum prosit honorem,
Dilexisse bonos et tolerasse malos,

ad regem se contulit, et dilata sapienter interim omni querela, obsequio amiciciam[b], benivo-
lentia novi principis gratiam adipisci proposuit. Rex autem tantae dignitatis et nobilitatis
20 virum debita veneratione suscipiens, amoris et honoris congrua exhibitione eum tenuit; pro-
fectusque Romam secundo electionis suae anno, in negotiis tam privatis quam publicis fide-
lem et utilem viae comitem habuit.

199. Eodem[16] anno in natali sancti Mathei apostoli Aribo Magontinus archiepiscopus in [95.]
Selinganstad concilium generale duodecim episcoporum concivit, in quo beatae memoriae
25 Godehardum, Hildenesheimensis ecclesiae episcopum, super Gandinesheimensi parrochia
publice convenit; quam tamen sinodum unanimitas fratrum in futurum annum, in praesen-
tiam regis comperendinavit. Rege autem in Longobardia manente, Wolfgangus patriarcha [96.]
Aquilegiensis ei obviam venit, imprecatusque novo regi prospera, episcopum Meinwercum
consanguineum suum salutavit. Episcopo autem ad constructionem monasteriorum reliquias
30 sanctorum expetente, patriarcha gratanter annuit, et corpus sancti Felicis[c], qui sub Diocle-
tiano imperatore, Heronio praeside, cum Hilario episcopo et Taciano diacono, post eculeum
atque alia tormenta, cum Largo et Dionisio martirium consummavit, postmodum misit.

200. Rex[16] autem natalis Domini festum Yporeae initiavit. Inde ad limina apostolorum [97.] 1027.
tendens, feria tercia ante cenam Domini Romam felici prosperitate gaudens intravit, et in
35 sancto die resurrectionis Domini cum Gisla regina[d] coronam imperialis honoris a beato Mart. 26.
Iohanne apostolorum vicario gloriose percepit[16]. *Imperator autem ab apostolico de eccle- fol. 60.
siis Dei meliorandis et propagandis ammonitus, salubriter obaudivit, et perpendens hoc se
multum posse iuvare, ad divini honoris et gloriae maiestatem ecclesias intra imperii sui con-
tiguum constitutas sublimare et de rebus suis ditare, pariterque sciens ad imperialis poten-
40 tiae dignitatem pertinere, bene sibi domi vel militia servientibus condignam servitutis remu-
nerationem exhibere, interventu Gislae imperatricis, suae contectalis, et filii sui Heinrici,
Brunonis Augustensis episcopi, Herimanni marchionis, fratrisque eius Ekkihardi, quandam
curtem ad ius imperiale pertinentem, Ervete dictam[17], in pago[18] Engere in comitatu Marc- 17
wardi comitis sitam, cum omnibus appendiciis et universis utilitatum quae inde provenire
45 poterunt attinentiis, cum banno et mercato etiam quod apud eandem curtem solet haberi,
domno Meinwerco, qui sepe et multum frequenter et fideliter sibi servierat, ibidem in
Roma, sabbato[19] sancto paschalis ebdomadae, 7. videlicet Idus Aprilis donavit[20]. Proxima[21]
die dominica regressus, ac pervasa circumquaque potestative ea regione, in pace repatriavit,
et nativitatem sancti Iohannis baptistae novus imperator Imbripoli[e] celebravit; ubi in bona
50 senectute defuncto Heinrico duce Baioariae, fratre imperatricis Counigundae, filio suo Hein-
rico eundem ducatum principum delectu commendavit[21]. Imperatore[22] ergo reverso, ipso 22

a) *manu* 2. b) amiciam *c.* c) *spatium hic duabus vocibus erasis vacat.* d) c. G. r. *desunt in Vita Godehardi.* e) Imbroli *c.*

16) ex Vita Godehardi cap. 22. 17) Erhard diplom. 114. 18) i. e. in provincia Angrariorum. 19) Incidebat tunc in diem 8. Kalendas Aprilis. 20) Schaten p. 471. 21) ex Vita Godehardi l. c. 22) *Imperatore — accepit* ex Ann. Hildesb.

1025. anno facta est generalis sinodus in Francanovordi episcoporum 22, in qua praesidente imperatore, beatus Godehardus Hildenesheimensis episcopus diocesim suam super Gandenesheimensi parrochia, canonica sinodalique censura iudicio 7 episcoporum contra Aribonem Magontinum archiepiscopum retinuit. In[23] eadem sinodo domna Sophia nonnas suas, cogente sinodali decreto, ab archiepiscopo recepit[23]; et Gebehardus iuvenis, frater imperatoris, ibidem arma deponens, clericalem tonsuram invitus accepit.

1028. [99.] 201. Proximo[24] anno Heinricus, filius imperatoris, unctione Piligrini Coloniensis archiepiscopi Aquisgrani rex factus est. Ipso[25] anno Aribo Magontinus archiepiscopus in Gezlethi sinodum generalem cum suis suffraganeis episcopis habuit; in qua inter cetera ecclesiastica negotia quidam homo ingenuus de homicidio Sigifridi comitis incusatus, candenti ferro se [100.] expurgavit, et ex decreto sinodi post duas noctes illesus apparuit. Eodem etiam anno Misaco, Sclavorum princeps, orientales partes Saxonie cum exercitu violenter invasit; et incendiis ac depraedationibus peractis, virorum et mulierum parvulorumque innumerabilem multitudinem miserabili et inaudita mortificatione trucidavit[25].

[101.] 202. Episcopo autem sedule domi forisque imperatore[a] obsequente, imperator ei ad omnia quae expetisset favit, et inter cetera quae rationabiliter expetitus liberaliter annuit, 13. Kal. Sept. in Walahuson[a*] talia bona, qualia ab ipso vel ab ullo antecessorum suorum regum[b] *imperatorum seu ceterorum hominum Patherbrunnensi[c] ecclesiae |collata sunt in abbatiis, in comitatibus, in forestis, in theloneis, in monetis, in mercatis[d], in bannis, in immunitatibus, in omni districtu, in praediis maioribus et minoribus, in mancipiis utriusque sexus, sive in omnibus pertinentiis, ad hoc iure ac legaliter aspicientibus, interventu dilectissimae[e] coniugis suae Gislae imperatricis et amantissimae prolis Heinrici regis, imperiali praecepto stabilivit et confirmavit, ut nullus temerario ausu aliqua de rebus ecclesiae auferre, aut sine praefati episcopi Meinwerci suorumque successorum permissione se intromittere praesumat; sed eiusdem ecclesiae provisor tali iure ac lege, quali archiepiscopi et ceteri episcopi res ad suum episcopium possident, omnium hominum contradictione remota, bona concessa vel concedenda potestative possideat. Decimo octavo autem Kal. Octobr. sequentis 1029. [102.] anni, qui fuit post obitum imperatoris Heinrici sextus, facto in Hirutveldun conventu principum, episcopus Meinwercus aderat, ibique veniens Brun comes cum uxore sua Ida, infirmare voluit traditionem quam in praediis Sutdesburch, Betanun[f], Wallenstedi fecerat. Episcopus autem quasi sapiens, tanta praedia perdere nolens, domnae Idae usque ad exitum vitae suae octoginta aratra in reconciliationem dedit, et astantibus legitimumque huic rei testimonium perhibentibus Bernhardo duce, Hermanno comite, et filiis eius Heinrico, Conrado, Athalberto, Bernhardo, comitibus quoque Ekkika[g] de Aslan, Bernhardo, Erphone, Thiderico Fresoniae[h], Widikindo, Ekkika, Amulungo et fratre eius[i] Ekberto, legali iure haec firmata obtinuit; hoc fideliter discernens[k], ut si aliquis aratra domnae[l] Idae concessa auferret, illa omnia praedia sua sine contradictione reciperet[26].

[103.] 203. Nobilis quoque quidam Hathamarus[m] nomine, praedium quoddam in loco Liemoneshus[27] dicto, hereditario iure possedit, quod cuidam Haoldo seniori[n] suo, promissionibus illius[o] illectus, absque voluntate heredis legitimi tradidit. Postea Hathamarus imperante Domino obiit, et praedium ei matrique suae iniuste abstractum, praedictus Hathaldus[p] suae concubinae, videlicet filiae Bernhardi comitis, quasi pro dotis causa donavit. Hathaldo quoque post longum tempus mortuo, Berthilt mater Hathamari in praesentiam Conradi imperatoris eiulando venit, suumque praedium iniuste sibi ablatum multum conquerens, regali clementia hoc sibi restitui suppliciter petit. Imperator vero misericordia motus, vim patienti benigne condoluit, et interventu Gislae imperatricis, consilioque Udonis, Herimanni, Ekkihardi comitum aliorumque multorum, eidem Berthildi praedium iniuste ablatum potestative restituit. Berthildis vero memor salutis aeternae, ipsum praedium per advocatum suum Reinherium cum consensu et voluntate uxoris eius Modunnae, iustissimae heredis suae, Patherbrunnensi ecclesiae in proprium tradidit: eique episcopus Meinwercus quandam decima-

a) *ita c.*, a*) walahusen 3. b) *fol.* 61. 62. *exciderunt.* c) paderburnensi 3. d) in m. *desunt* 3. e) dulcissimae 3. f) betanum 3. g) ekkike 3. h) frisonie 3. i) *deest* 2*. k) *ita* 2*. 3. l) c. d. I. 3. m) hathmarus 3. *constanter.* n) seniore 2*. o) *deest* 2*. p) hathamarus 2*.

23) ex Vita Godehardi. 24) ex Vita Godehardi l. c. cf. Lamberti Ann. 25) *Ipso — trucidavit* ex Ann. Hildesh. 26) V. chartam ap. Schaten I, p. 475. cf. Erhard dipl. 107. et p. 168. 169. 27) in pago Lacni, Logne; Lemshusen Falkio.

tionem in villa Thesli[26] ad terminum vitae suae concessit. Huic rei Herimannus, Udo, Ekkihard[a] comites et alii plures testimonium legitimum dabant, et insuper omnes maiores et nobiles qui eo tempore in Lacni[27] vivebant. 1029.

[104.] 204. Pauper quoque quidam Daia nomine ad imperatorem veniens eundem, se cum matre sua praediorum Uflan et Ricwardessun[b], quae episcopus ab Alverico de Rangun[c] gravi pecunia comparaverat[c*], legitimum perhibuit heredem. Episcopus autem pro amore Christi eidem Daiae[d] unum equum et quinque solidos, unum laneum pannum, ad reconciliationem dedit; et presentibus Hunfrido Magetheburgensi archiepiscopo, Catoloc episcopo, Lutgero, Burchardo, Alverico comitibus, quinque aratra ad decem solidos denariorum, in beneficium usque ad exitum vitae suae ei concessit.

1030. [105.] 205. Anno autem dominicae incarnationis 1030 Conradus[28] imperator difficili periculosoque itinere regionem Ungariorum pervasit, et devote sibi episcopo ubique obsequente, interventu Gislae imperatricis filiique eius Heinrici regis Kalend. Iunii in Mersiburg quoddam Bernhardi comitis predium Badberch[e, 29] dictum cum decem mansis, circa eundem montem adiacentibus, in pago Niterga in comitatu Haoldi comitis situm, testamentaria auctoritate ei contulit[30]; quod ideo hereditario iure in imperialem potestatem successit, quia idem comes Bernhardus spurius, quod vulgo wanburtich dicunt[f], fuit. Episcopus autem pro collatis gratias non minimas egit, et videns, se laborem suum non in vanum consumere, magis ac magis pro obtinendis aliis insudare coepit. Miranda autem in tantae dignitatis et nobilitatis viro, continuae servitutis et laboris pro ecclesiae commissae profectu instantia, ac[g] notanda et[g*] laudanda in eo maxime[h] amoris Dei flagrantia. Digna sane episcopalis dignitas, quae propter Deum maiori se subdens, Deum in potestate eminentiori, quae ab eo est, venerari novit; digna quoque imperialis maiestas[i], qui laboris et amoris sibi exhibiti ingrata esse nescivit.

1031. [106.] 206. Ubique ergo fidus et individuus comes imperatori episcopus existens, proximo anno secum Alstede venit, et predia, quae habuerunt Bernhardus et uxor eius Hazeka, in locis Afflaan et Eltinun[k] in pago Paterga, in comitatu Amulungi[l] comitis, 13. Kalend. Febr. ab eo obtinuit[31].

207. Post haec Goslariam divertit, ubi 11. Kalend. Martii predia Bennanhusun[m], Walabroch[n], Dadanbroch, sita in pagis Wetiga et Tilithi in comitatu Widikindi comitis, ei imperator contulit[32]. Ibidem die eodem, ob interventum Gislae imperatricis et filii sui Heinrici regis, et iuge servitium episcopi sepissime et fideliter impensum sibi, predium Heinhuson[o], Winidun, Windilinvoderod, Aldenthorpf, Růrbercessun[p], Sunderessun, Illisa, Hameressun, situm in pago Auga in comitatu Conradi comitis, cum attinentibus, Haiconem, et Richardum etiam cum suis omnibus imperator Patherbrunnensi ecclesiae tradidit[33].

[107.] 208. His actis quidam vir Wittilo nomine, imperatoris Counradi serenitatem adiit, humiliter exorans, ut praedium Sannanabiki[34] dictum, situm in istis villis Hornan, Frodinchtorp[q], Winesbiki, Rafseti, Knechtahusun, Buckinhusun[r], Bennanhusun[s], Stuni[t], Berchem, Homan, Holthusun, sua uxorisque suae Odae filiaeque eorum Ceciliae, necnon Gerburch filiique eius Odonis petitione et[u] collaudatione, ad suam imperialem manum accipere curaret, et predium Zuerezi, quod regiae fuit proprietatis, illorum econtra ditioni subiugaret. Quorum desiderio imperator, primatum suorum satisfaciens *consilio, id quod illorum erat ad suas manus recepit, et in illorum ius hoc quod sui erat iuris amicabiliter remisit. His omnibus ita transactis, praedictum praedium Sannanabiki, quod tunc regiae iudicabatur esse proprietatis, in comitatu Widikini comitis in pago Wettiga, interventu Gislae imperatricis, Heinrici regis, dilectae suae prolis, necnon Herimanni marchionis, Meinwerco episcopo suisque successoribus ad utilitatem Patherbrunnensis ecclesiae 3. Non. Augusti imperator[v] in proprium tradidit[35], recordatum se dicens, non in hoc tantum set in aliis sibi adhuc, Deo vo- (fol. 63.)

a) ekkehard 3. b) riciuardessun 3. c) ragun 2*. c*) comparabat 3. d) daia 2*. e) barberch *corr.* patberch 2*. f) v. w. dicitur 2*. g) et 2*. g*) ac 2*. h) maxima 2*. i) maiestatis 3. k) eltumu 3. l) alumgi *corr.* amulumgi 2*. m) bennanhusen 3. n) walanbroch 3. o) heinhusen 3. Ista praedia et pagi partim desolati, partim ducibus Brunsvicensibus subiecti sunt *adnotat manus recens codicis* 3. p) rurbercessum 3. smideressun 2*. q) frodinctorp 2*. r) buchinhusen 3. s) vennanhusen 3. t) scuni 2*. u) ac 2*. v) *manu* 2.

26) Deissel Falkio. 27) in pago Logne. 28) cf. Ann. Hildesheim. 29) Padberg prope Dimelam. 30) Schaten I, pag. 476. Erhard diplom. 117. 31) Schaten I, pag. 478. 32) Schaten pag. 479. 33) Schaten p. 480. Heinhuson pro Heinsen, Windilinvoderod pro Willmeröderberg in praefectura Polle habet Cl. Grotefend noster. 34) Sannebeck. 35) Schaten p. 481. Erhard dipl. 120.

1031. lente, ab eo tradendis praediis, quod suum assiduum servitium devotius et ceteris pontificibus frequentius, non quasi uno set fere in omni tempore anni habuerit. [108.] Magnae devotionis et fidelitatis servitium, tam evidens imperialis maiestatis habens testimonium! Tempore[36] autem autumpnali imperator Sclavos cum parva Saxonum manu invasit, et Misaconem diu sibi resistentem, Lutizi cum aliquot urbibus et praeda, quae prioribus annis in Saxoniae partibus facta fuerat, restituere, pacemque iuramento firmare coegit.

[109.] 209. Monasterio autem, quod in occidentali parte Patherbrunnensis suburbii episcopus[a] inchoaverat, pleniter et decenter cum omnibus claustralibus officinis consummato, ab imperatore hoc dedicandi et consummandi licentiam[a] petiit et accepit; regressusque dedicationi attinentia cum summa habundantia praeparari praecepit. Misso autem a Wolfgango[b] patriarcha Aquilegiensi corpore sancti Felicis[c] cum duobus palliis, 5. Nonas Octobris episcopus in eodem monasterio cum maxima cleri tociusque civitatis populi frequentia[a] illud excepit; et experiri volens salutis ipsius auxilio si sibi suoque succurrere posset populo, rogum maximum in medio claustri sub divo fieri praecepit; in quem cum tercio corpus misisset, totiensque in favillam redactus ignis extinctus fuisset, cum maxima omnium exultatione et laudum iubilatione corpus manibus propriis excipiens, super principale altare detulit, et omnium venerationi sollempnem sanctum illum deinceps haberi instituit.

[110.] 210. Oblationis ergo, quam pro spe suae salutis et incolumitatis, pro remedio animaeque suae omniumque parentum suorum Deo offerre disposuit, testes et cooperatores idoneos adhibuit; ascitisque Hunfrido archiepiscopo Parthenopolitano et episcopis bonae memoriae Godehardo Hildenesheimensi, Siberto Mindonense, Sigifrido Monasteriense, aliisque quatuor, eos nuptiis suis festivis interesse petiit. Magontinus autem archiepiscopus Aribo eodem anno Romam profectus orationis causa, in reditu 8. Idus Aprilis obierat, et Bardo Werthenensis abbas, qui imperatricis machinamento subintraverat, quique ante paucos menses Arnoldo, a Herveldensi regimine deposito, successerat, variis negotiis occupatus, secundum desiderium episcopi interesse non poterat. Sollempnitate ergo omnium sanctorum[d] Kal. Novembr. in civitate Patherbrunnensi cum praedictis episcopis et innumerabili multitudine promiscuae etatis et dignitatis festive celebrata, sequenti die episcopis praesentibus et sua auctoritate faventibus, monasterium suum in honore beatae Mariae perpetuae virginis, sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, atque omnium sanctorum, devotissime consecravit[37]; fol. 64. 'et in dotem eius praedia haec sollempniter delegans, Withun, Gelondorph, Merebeke cum ecclesia, Rimi, Driburi, Goltbeke, Dodenhusen, Waldmanninchuson, Havergo, Nedere, Balehornon cum decima[e], Lessete cum decima[e], Wanbeche, Hoensile, in[f] Radincheim curtem[g] cum familia, cum capella et decima super dimidiam villam; in Putten curtem cum familia, ecclesia[h] et decima super omnem parrochiam; capellam in Vorthusen ad eandem[h] ecclesiam pertinentem; in Testerbant curtem cum tota familia; matrem ecclesiarum in Tuilon, cum quatuor capellis attinentibus Niwele, Hellue, Haften, Gamberem, cum decimis earum; Burgnon[i], item Burgnon, Andepo; ea cum omnibus suis pertinentiis et ceteris omnibus, quae quomodocumque donari possunt, utilitatibus, in mundiburdium et tuitionem omnipotentis Dei omniumque sanctorum commisit; ammonens et contestans sub nomine domini nostri Iesu Christi, ut nullus successorum suorum sive alia aliqua persona magna vel parva, contra ecclesias Dei seviens foris aut intus, eidem monasterio rebusque sibi concessis seu concedendis aliquam violentiam seu rapinam ulla temeritate[k] inferre, vel de praefato monasterio aliqua auferre, vel minuere de thesauris vel praediis, vel monachis ibidem constitutis vel constituendis vim aliquam sive molestiam irrogare praesumat. Ecclesiam quoque in Haltenghuson[38] (38) cum banno episcopali et tribus capellis attinentibus[l] eidem monasterio delegavit; et ne quid ecclesiasticae dignitatis aut temporalis utilitatis in aliquo ei deesset, sollerter prospicere curavit.

[111.] 211. Iste est autem ornatus quem eidem monasterio tradidit, quemque frater Andreas consignante abbate Sigehardo in custodiam recepit. Tabula ante principale altare argentea; calix aureus octo marcarum examinati auri, septuaginta duorum lapidum decoratus ornatu; calix fusilis argenteus 30 marcarum, in quo opere passio sancti Stephani protomartiris con-

a) *manu* 2. b) wolgango *c.* 2*. c) *hic erasa sunt:* absque . . . . . d) o. s. *manu* 2. e) c. d. *manu* 2. f) *manu* 2. *deest* 2*. g) c. c. f. *manu* 2. h) *manu* 2. i) 2 *voces erasae* 1. *et ita etiam* 2*. k) u. t. *manu* 2. l) *manu* 2.

36) *Tempore — coegit* ex Ann. Hildesh. 37) V. chartam Meinwerci episcopi apud Schaten I, p. 483. 38) locus desertus in praefectura Brilon, pago Almunga.

tinebatur; calix argenteus minor 22 marcarum; calices minores diversae qualitatis et quantitatis purissimi argenti 6; cruces argenteae duae cum baculis; candelabra duo, terciam dimidiam marcam examinati argenti habentia; coppa argentea; ampullae argenteae 5; dalmaticae 5, casulae 14, stolae auro textae 7, ex quibus una habuit 27 tintinnabula, alia 21, adiunctis cingulorum et mappulorum pertinentiis; item aliae 7; subtilia tria, cappae 25, pallia coccinea 12, coopertoria altaris varii generis 6, mappulae coccineae 9, offertoriola coccinea duo, dorsalia lanea 5, choralia 5, cortinae 5, bancalia 7, tapetia 13, albae 50 cum superhumeralibus suis et zonis; coopertorium analogii coccineum, lapides cristallinos 33, coronam[a] argenteam ante principale altare continens in festis praecipuis 12 candelas in honore omnium apostolorum; aliam coronam eque argenteam in medio monasterii continentem candelas in memoriam 72 Christi discipulorum, et alia multa ac diversa ad ecclesiasticum apparatum pertinentia. (1031.)

212. *Liberam quoque potestatem abbatem eligendi secundum timorem Dei ad regularis auctoritatis firmamentum sua episcopali concessione eiusdem ecclesiae filiis stabilivit et confirmavit, ita ut dampnationem et ultionem invasoribus ecclesiarum a Deo praedestinatam incurrat, quicumque in hac re per aliquam violentiam vel per malignum consilium eis[b] obstiterit, et suam traditionem et constitutionem atque licentiam liberalem infringere vel permutare quolibet ingenio temptaverit. Super his atque aliis monasterii utilitatibus facto testamento, ipse piissimus pater et ceteri episcopi praesentes sibi in confirmatione singillatim[b] ad pulpitum succedentes, sua illud pontificali auctoritate et banno terribili ac formidabili stabilire firmare et roborare curaverunt; ut videlicet, si quis contra huius testamenti seriem cenobio ipsi quodlibet dispendium sive iniuriam irrogare temptaverit, omnipotentis Dei sanctorumque eius iram atque offensam incurrat, et in die iudicii, si non emendaverit, divino maledicto subiaceat: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis eius!* ([112.] fol. 65. — [113.])

213. Constituit autem non census vel debiti set inviolabilis causa dilectionis, ut abbas praenominati monasterii omni anno in dedicatione ecclesiae suae episcopum, si praesens est, canonicosque suos ad convivium invitet; nihilque aliud aliquid, praeter quod karitas dictaverit, aliquando persolvere cogatur. Hanc traditionem comes Amelongus, summus matris ecclesiae advocatus, manu sua de[c] altari suscepit, et regiae potestatis banno in comitatu suo stabilivit. Super his praesentium atque futurorum orationem sibi apud Deum episcopus[d] prodesse obsecravit, ut ipse sibi mercedem in die iudicii restituat, pro cuius amore se incepisse dixit et perfecisse. De praediis autem eidem ecclesiae collatis Withun, Rime, Merebeche, Goltbeke, Dotenhuson, Waltmanninchuson, Havergo, Wanbiche, et bona in inferiori terra hereditario iure possederat; Nedere vero et Driburi ac Hoensile imperator Heinricus ei ad ipsum monasterium dederat; Gelanthorph quoque, ut praedictum est, a domna Godruna et filio eius Hodan optinuerat[e]. Lessete vero quedam nobilis mulier ad ipsum monasterium dedit; de quo episcopus cenam fratribus provideri dispositione cellerarii instituit. Decimas autem super curtes, infra episcopatum suum constitutas, eidem monasterio delegatas, ei concessit, et super mansos attinentes, quo prius solverant, solvi permisit; nolens maculare alterius iuris imminutione, tanta a se constructum devotione. Ab omni autem ostilicio et secularium exactionum negotio ipsum monasterium liberum et immune esse constituit; et ad innuendam futuris et praedia ipsius transituris tam construentis devotionem quam constructi in crucis tropheo speciem et defensionem, per omnia praedia eó pertinentia crucem sive in portis seu aliis eminentioribus locis figi praecepit. ([114.])

214. *Monasterio ergo hoc anno dominicae incarnationis 1031, indictione 14, quarta Nonas Novembris, ut dictum est, sollempniter consecrato, post festum proximi natalis Domini episcopus imperatorem Patherbrunnon invitavit, ubi interventu Gislae imperatricis, suaeque amantissimae prolis Heinrici regis, et Egilberti Frisingensis episcopi, quae eidem monasterio in quibuscumque rebus episcopus contulerat, imperiali praecepto imperator stabiliens, 17.[f] Kal. Februar. confirmavit et corroboravit[39]; eo videlicet tenore, ut sub plenissima immunitatis tuitione haec consistant, et sub imperialis auctoritatis defensione praefatae ecclesiae fra- ([115.] fol. 66. — 1032. Ian. 16.)

a) coronam *usque* discipulorum *in loco vacuo relicto manu* 2. b) *manu* 2. c) de a. *manu* 2. d) *manu* 2.
e) 2 *lineae vacant* 1. *et etiam in* 2*. *quibusdam erasis*. f) XVII. K. F. *manu* 2.

39) Schaten I, p. 485.

1032. tres ea possideant, ita ut nullus iudex publicus, vel quislibet aliqua iudiciaria potestate praeditus, loca vel possessiones eidem ecclesiae concessas vel concedendas ad causas iudiciario more audiendas, vel freda, tributa exigenda, mansiones vel paratas[a] faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsorum tam litos quam et ingenuos super terram eorum commanentes contra rationem distringendos, ullo umquam tempore ingredi audeat; nec 5 ullas publicas functiones aut redibitiones vel illicitas occasiones requirere vel exigere ullo modo praesumat; set praenominatae ecclesiae abbas cum suo advocato, quem communicato fratrum suorum consilio in defensorem elegerit, causas rerum agendarum sagaciter praevidens et sapienter disponens, suis suorumque fratrum utilitatibus in omnibus fideliter et utiliter prospiceat. Hominibus autem liberis eidem ecclesiae collatis, qui Saxonice dicuntur 10 malman, eandem regiae auctoritatis defensionem concedens, quicquid fiscus regius de eis consequi debuit, eidem monasterio contulit; quae episcopus diversis usibus assignans, censum hominum Lessete solventium ad provisionem luminis in dormitorio deputavit.

[116.] 215. Taliter vir Dei spe celestium bonorum animátus, et consilio ac auxilio christianissimi regis Heinrici eiusdem nominis secundi, imperatoris autem primi, venerabilisque 15 Cunigundae imperatricis in omnibus adiutus et confortatus, monasterium hoc, ubi novissimam tubam expectare disposuit, monasticae vitae amore, maxima devotione inchoavit, et episcopatus sui anno 13, regni Counradi eiusdem nominis secundi septimo, imperii quarto, ut dictum est, consummavit, et ad alia construenda licentiam ab eodem imperatore petiit [117.] et impetravit. Imperator autem a civitate Patherbrunnensi cum episcopo divertens, Hilti- 20 wardeshusun venit, ubi primo mane sequentis diei, 15. videlicet Kal. Februarii, interventu Gislae imperatricis, et filii sui Heinrici regis, et praefati Egilberti Frisingensis episcopi, et 40 ob frequens devotumque servitium suum, quandam regiae proprietatis curtem, Gardenebiki[40] nominatam, in pago Lacni in comitatu Herimanni comitis sitam, cum omni sua integritate, vel quicquid praedii habuit in villis Huuinadal[41], Molduggavel, Liudelveshusen situm in eo- 25 dem pago et in comitatu ipsius comitis, cum omnibus attinentibus, episcopo dedit[42], ut ipse fol. 67. fidelis suus, sive longe sive prope esset, suae devotissimae servitutis eum non immemorem esse recognosceret. Tale testimonium suae servitutis et fidelitatis veraciter decuit eum, qui [118.] in omnibus et super omnia sinceriter dilexit Deum. Imperator[43] autem a Hiltiwardeshusen progressus, Fridislare tetendit; ubi benivolentia eius praedictorumque instantia interpellatus, 30 comitatum Herimanni comitis, situm in istis tribus pagis, Auga, Netega, Hessiga, eodem [119.] die ei contulit. Tempore[b. 44] vero autumpnali Saxoniam ingressus, Magetheburg[c] devenit, ubi interventu Gislae imperatricis et karissimi sibi filii Heinrici regis, ei ecclesiaeque commissae sibi 6 mancipia, quorum haec sunt nomina: Thiethart presbiter, Liuza, Heregrim, Ethilier, Athalwart, Wicburg, cum omnibus eorum substantiis dono suae magnificentiae 12. Kalend. 35 Septemb. delegavit. Beata et beatificanda eterna memoria dantis et accipientis animae, quae cum Christo domino sempiterna possideant gaudia!

[120.] 216. Episcopus ergo pro optinenda celesti Ierusalem ecclesiam ad similitudinem sanctae Ierosolimitanae ecclesiae facere disponens, Winonem abbatem de Helmwardeshusun quem de monachis civitatis suae ibi praeposuerat, ad se accersivit, eumque Ierosolimam mittens, 40 [121.] mensuras eiusdem ecclesiae et sancti Sepulgri[d] deferri sibi mandavit. Nactus autem oportunitatem temporis, comitatum Dodiconis comitis, ab eodem imperatore ablatum per suggestionem Magontini praesulis, eodem[e] praesule mortuo, oportune importune cepit requirere, timens si perdita negligeret, se ante Deum in acquirendis aliis parum proficere. Imperator autem multimoda eius erga Deum comperta devotione, iustis eius desideriis gratuito in omni- 45 1033. bus annuit; et querens oportunum tempus voluntati eius satisfaciendi, proximo anno 3. Idus Mai. 13. 46 May Noviomago[45] praedium in Marsvelde[46] in[f] pago Rittega in comitatu Udonis comitis situm, interventu Gislae imperatricis et dilecti filii sui Heinrici regis, ob servitium suum secundum votum suum sepissime sibi impensum, cum omnibus attinentibus et mancipiis utriusque sexus, quorum haec sunt nomina, Wiga et uxor eius Olika, et filius eius Albern, 50 et soror[f] eius Aethelinth; Volclach et filius eius Buna, et soror eius Gele; alia quoque tria

a) pratas *c. 2*.* b) *reliqua capitis in margine adscripta.* c) g *abscisum.* d) *ita c.* e) e. p. m. *manu* 2. f) in *usque* contulit s. *in marg. quorum loco post* Non. Aug. *erasa sunt:* interuentu G. imperatricis et filii sui Heinrici regis.

40) Gladebeck in advocatia Harste. 41) Hübenthal, Mollenfelde, Ludolfshausen. 42) Schaten I, p. 488. 43) v. Erhard dipl. 122. 44) v. Erhard dipl. 123. 45) v. Erhard dipl. 124. 46) An Marke advocatiae Westerhof? v. Wersebe 55 de pagis inter Wiseram et Albim p. 23.

mancipia sub eádem praecepti auctoritate, quorum haec sunt nomina, Emma, Sicca, Verthubrecht, interim ei contulit[47]. Et sic subsequente 4. Nonas Augusti totum comitatum Dodiconis comitis, situm in locis Hesse, Nitergo, Netgo, Bohteresge[48], quem tunc Bernhardus comes possedit, in Lintburg Patherbrunnensi[a] ecclesiae reddidit[49]; et praecavens, ne aliqua disceptatio postmodum[b] fieret, comitatum qui situs est in Cluvinga Maguntino contulit; hoc decernens, ut si quis diabolica suasione seductus haec infregerit, sciat, se odium Dei sanctorumque eius habiturum, et mille libras auri puri compositurum, medietatem regiae camerae, medietatem Patherbrunnensi ecclesiae.

217. Reverso autem Winone abbate de Ierosolimis, et mensuras eiusdem ecclesiae et Sepulchri sancti reliquias deferente, cepit episcopus ad similitudinem eius ecclesiam[50] in honore sanctae Dei genitricis et perpetuae virginis Mariae ac beatorum apostolorum Petri et Andreae extra Patherbrunnensem civitatem in orientali parte construere, in qua canonicos Deo servientes congregavit, quibus victum et vestitum de bonis propriis ministravit. Celeriter autem constructa ecclesia, sentiens diem mortis sibi imminere, archiepiscopos Bardonem Magontinum, Herimannum Coloniensem, et Brunonem episcopum Werciburgensem ascivit, eorumque testimonio anno dominicae incarnationis 1036, indict. 4, 8. Kal. Iunii eam dedicavit[51]. In ipsa autem die sanctificationis ecclesiae benedictione peracta, ante missarum sollempnia sermone ad populum finito, more aliarum ecclesiarum Deo consecratarum eam dotavit; dans ei curtem unam in Theldun, quam ex hereditate paterna possedit, duas precarie acquisitas, unam in Wallithi, alteram in Asbiki, et unum vorewerc in Assiki; unam curtem in Valle. Quia vero de praediis in confinio tantum non habebat, ut sufficere posset ad usus ecclesiae ac Deo servientium in ea, consilio fidelium suorum accepto, decimas subterscriptas de dominicalibus curtibus ad episcopatum pertinentibus, eidem ecclesiae dedit. Quarum prima est: Enenhus[52] et 13 vorewerc ad eam pertinentes, Stidinan, Bennidisla, Colstidi, Dedinghuson, Heddighuson, Dal, Henghilari, Hilimari, Suafharon, Berghuson, Brochuson, Balhornon, Patherbrunnon; Sutheim et tres vorewerc ad eam pertinentes, Kyrcthorpe, Holtheim, Siwardassan; Nigenhus et quatuor vorewerc ad eam pertinentes, Ilasan, Ascha, Bruch, Tuna; Bekinun et quatuor vorewerc ad eam pertinentes, Henghi, Elinere, Brochuson, Aslan; Berghuson et quinque vorewerc ad eam pertinentes, Uralanchuson, Meginchuson, Burghuson, Hepin, Ikamannincthorpe; Bikesethon et tres vorewerc ad eam pertinentes, Hisi, Unrecasson, Ekama; Helagankyrcan et duo vorewerc ad eam pertinentes, Aldanthorpe, Bardingthorpe; Luthithe et duo vorewerc ad eam pertinentes, Dadenbrocke, Breca; Heginhuson et quatuor vorewerc ad eam pertinentes, Rothbehtusson, Berga, Holtisminni duo; Aginhuson et sex vorewerc ad eam pertinentes, Sandenebike, Homa, Saftincthorpe, Stenhem, Hardincthorpe, La; Nihem et quatuor vorewerc ad eam pertinentes, Malrede, Lieverincthorpe, Pummassan, Baddanhuson; Hiristalli et quinque vorewerc ad eam pertinentes, Wirigisi, Thesli, Brecal, Hemmadasson, Buffasson; Dasburg et duo vorewerc ad eam pertinentes, Dasburg, Astnedere; Wardburg et tria vorewerc ad eam pertinentes, unum in ipsa villa, Westnederi, Astdagasson; Culite et tres vorewerc ad eam pertinentes, unum in ipsa villa, Vorsti, Rothun; Hiriswithuhuson et tres vorewerc ad eam pertinentes, Aslan, Bilinchuson, Tevinchuson; Kurbike et quatuor vorewerc ad eam pertinentes, Dalwic, Anasi, item Anasi, Lenghivelde; Vilisi et unum vorewerc ad eam pertinens, Vernethi; Asbiki[53], quae est iuxta Hursti. Ipsis autem villicis qui domos has praedictas inhabitabant, vel his qui post eos ponendi sunt, nihil omnino nisi 15 iugera pro vestitu praetermisit; alia vero omnia quae laboraverint in agro, vel nutrierint in domibus, tam propria sua quae habent aut postea Deo annuente possessuri sunt, quam ad episcopalem potestatem pertinentes, quadrupeda, sive pennata, more solito absque ulla contradictione addecimari constituit. Ut autem nulla ex his praetermitteret quae sibi a Deo data erant, dedit et decimam in Sinithi super armenta sua, et super examina apum, fideliter Deo et domino nostro Iesu

a) p. e. *manu* 2. b) *manu* 2.

47) Schaten I, p. 490. Erhard dipl. 126. 48) *Ohteresgo* diploma habet. 49) Schaten I, p. 493. 50) Bussdorf, Erhard p. 145. 51) V. eius chartam apud Schaten I, p. 498. Erhard dipl. 127. 52) Loci hi nonnisi ope historiae possessionum ecclesiae illius probe erui possunt, quum multa nomina in regione Paderbornensi pluries occurrant. Enenhusa fortasse est Enghausen, sed loci Dahl, Henglaren, Paderborn longius ab ea et ab invicem distant. Nigenhus certe est Neuhaus prope quam Elsen et Thunemeier et Thunemühle in villicatione (Bauerschaft) Thune. Heiligenkirchen et Horn-Oldendorf in principatu Lippiae, Nieheim et Pömbsen ab oriente Padernornae inveniuntur. 53) Esbeck praefecturae Geseke.

1036. Christo sanctoque Spiritui offerens vota sua. Constituit autem, ut si quis eorum, qui videntur his omnibus praeesse, praesumptuose hanc traditionem per malam voluntatem aut propter nequitiam cordis sui irritaverit, et secundum eius dispositionem decimam non dederit, dicens, se non iuste daturum, et hoc a procuratore fratrum, vel ab ipso praeposito loci, vel quod maius est a communi fratrum quaerimonia proclamatum fuerit; si ministerialis huius 5 rei rector est, iuramento se in reliquiis purgabit; si lito, iudicio ferri igniti sinodali sententia se liberabit. Ne autem alicui successorum suorum, non bonae voluntatis viro neque amorem Dei in corde suo retinenti, mensae suae stipendia episcopus diminuisse videatur, fol. 69. sciat, eum has decimas et de hereditariis et de 'acquisitis bonis centies restituisse. Ponebat etiam terminum, ut unaqueque solet habere ecclesia, audiente clero universo, et confitenti 10 coram omni populo congregato, haec omnia sine ulla contradictione posse fieri. In primis villam hanc quae dicitur Aspithara, aliam quae vocatur Hildelinghuson, terciam quae vocatur Hassuithehuson, quartam Hahensili, quae vulgari verbo dicitur Quadin, quintam Asbetinchuson. Super haec omnia cum non possent habere ullam utilitatem silvarum, potestate episcopali dedit eis in Benvidisla et in marchiis Thurnithorum, Renghitinchusorum, Hilde- 15 linchusorum, Aspetharorum, in unaquaque ebdomada pondera sex plaustrorum. Dedit quoque ad honorem et utilitatem ecclesiae eiusdem partem Sunderae suae in orientali plaga viae, quae vadit ad urbem Patherbrunno usque in Asbethinchuson. Harum rerum privilegium propriis manibus sigillatum eiusdem ecclesiae filiis dedit, ut testimonio scripturarum veritas approbetur, si quando tribulatio vel contradictio rerum praedictarum ab aliquo facta 20 fuerit, anathemate cum Iuda traditore feriendum decernens, quicumque successorum suorum aut consanguineorum, seu posterorum eorum, a quibus precario partem quandam acquisierat, hec infringere temptaverit.

[123.] 218. Talia viri Dei pro spe eternitatis opera, haec circa civitatem sibi commissam dilectionis indicia; qui si vixisset, in civitatem honoris et decoris eam in regno promovisset. 25 Nam sicut in occidentali et orientali parte civitatis congregationes servorum Dei construxerat, ita in australi parte in Campo, in aquilonari Sulithe, in modum crucis construere disposuerat: ut sicut ab eo de nimia paupertate, tam hereditaria traditione quam iugi instantia et servitio a regibus aliisque fidelibus acquisitione fuerat ditata et promota, ita a crucifixo servientibus et eam orationum suarum armis defendentibus contra omnia inimici 30 iacula esset munita et insignita.

[124.] Mai. 25. 219. Feria itaque tercia ante ascensionem Domini hac dedicatione peracta, sollempnitateque ascensionis Domini celebrata, cepit aliquantulum infirmari; sentiensque diem suae vocationis instare, precibus et elemosinis continue cepit operam dare. Erant autem duae capellae ad domum episcopalem, una in transitu, una super columnas facta in honore san- 35 ctorum Primi et Feliciani ante ecclesiam principalem. In hanc ante altare hora diei prima, in vigilia pentecosten, Nonas Iunii[a], se deferri mandavit; et dominici corporis et sanguinis perceptione munitus, sublatisque ad celum manibus et oculis, hora diei tercia, ea inquam Iun. 5. hora, quo Spiritus sanctus super apostolos in linguis igneis descenderat, quique in eius mente gratuitam mansionem habuerat, inter verba orationis animam suam in manus Patris 40 commendavit. Dies ille a sabbato, cuius vespera in primam lucescit sabbati, cuius sacratissima nox tam semper floret gaudio preteritae[b] Christi resurrectionis quam expectatione venturi, ut creditur, eadem nocte iudicis, eo anno quinquagesimus habebatur; qui numerus tam decalogi legalis quam gratiae spiritualis indulgentia ac remissione sacer habetur ac praedicatur. Annus hic verus iubileus episcopo extitit; quo absoluto originali et actuali de- 45 fol. 70. bito, libertati gloriae filiorum Dei restitui meruit. 'Eadem autem die et hora, qua episcopus ex hac vita migravit, Boso Corbeiensis ecclesiae monachus, cum raderetur in claustro, sanus et incolumis, intuens intuentes, alloquens alloquentes, repente expiravit; et non irritandum Spiritum sanctum, in cordibus fidelium habitantem, exemplo sui terribiliter declaravit. Corpus autem episcopi in ecclesiam beatorum apostolorum Petri et Pauli delatum, 50 ibidem, ut ipse vivens disposuerat, sepelitur; ubi quid apud Deum promeruerit, fideliter deposcens salubriter experitur. Tanta autem omnium generum escarum habundantia in episcopi reperta est substantia, ut speciali quadam magnificentia pauperibus de omni provincia accurrentibus septem noctibus erogaretur elemosina.

Beatus vero Godehardus Hildenesheimensis episcopus, per revelationem obitu eius 55

a) N. I. *manu* 2. b) *manu* 2.

agnito, animam eius divinae pietati attentius commendavit, et hora diei tercia dispensatore eius prandium paratum nunciante, ipse, ut parata paratis ad prandium apponeret, mandavit; dicens se nuncium quendam accepturum, et ante prandium missarum sollempnia celebraturum. Mox veniente nuntio obitus episcopi, hostiam salutarem Domino pro animae eius 5 remedio immolavit; regressusque ad prandium, accepta ambabus manibus simila apposita: *O beate*, inquit, *Meinwerce episcope, quomodo te lata tua simila a morte communi non liberavit? Et ego*, inquit, *quamdiu superstes fuero, de albo pane non gustabo.* Et biennio, exceptis quatuor ebdomadibus et tribus diebus, quo supervixit, complevit quod dixit. Ecce virum probabilem, perfectis per omnia imitabilem, in quo habet monachus quod ammiretur, 10 clericus et laicus quod imitetur, omnis denique fidelis anima quod veneretur.

Omni ergo praedicandus gloria, digna posterorum veneretur memoria;
Sitque memor memorum apud Iesum Christum dominum;
Cui est honor et gloria per omnia seculorum secula. Amen [a].

a) *in codice ecclesiae cathedralis Trevirensis N. 31 haec in fine leguntur a Waitzio exscripta:*

15 EPYTAPHIUM MEYNWERCI PATRIS NOSTRI.
Annis M tribus X Domini currentibus et sex
Corpus Meynverci presulis egregii
Primitus hic multum fore constat ad yma sepultum.
Annis sic latuit X, C ter, L patuit.
20 Anno currente tandem quina Marce sequente
Abbas Konradus pandit ad ossa gradus.
Altius hec dignans decet ut situareque signans.
Condignum veris sedibus hec superis.
Poponis episcopi.
25 Condidit hec fossa Poponis presulis ossa,
Sive penes ante data fuerant simul ossa locata.

In margine versus primi: Sepultus anno ab incarn. etc. MXXXVI, *et versus tertii:* CCC et annos sexaginta latuit sub terra ab 1° usque in presens numera.

VITA GODEHARDI

EPISCOPI HILDENESHEIMENSIS

AUCTORE WOLFHERIO.

Wolfhere sive Wolfherius, Saxo et Bernwardo episcopo clericus Hildenesheimensis[1], *auctore ut coniici fas est Godehardo episcopo adolescens Hersfeldiam*[2] *adiens, ab Albwino viro in arte philosophica eruditissimo, qui tunc temporis scholae magna cum fama praeerat*[3], *institutus, non tantum libros sacros et patres ecclesiae sed classicos etiam auctores, Ciceronem certe, tum Sallustium, Horatium, Persium aliosque legit. Deinde Altahae commoratus et a Ratmundo abbate*[4], *Godehardi episcopi nepote, quocum Albwini scholas frequentaverat, benignissime exceptus, in Hildenesheimensem demum ecclesiam transiit, ubi canonicus*[5] *Godehardo episcopo familiariter adhaesit*[6] *eoque defuncto vitam ipsius scribendam suscepit. Iam enim iuvenis Hersfeldiae et Altahae, ubi Godehardus maiorem vitae partem degerat, a viris religiosis qui eum a nascendi exordio ad usque praesulatus sui promotionem ut semetipsos noverant, praecipue a Rumoldo presbytero, plurima de episcopi vita edoctus, Ratmundo abbati scribendi onus imponenti obedienter parendum constituerat. Primum scribendi periculum in vita Bernwardi episcopi a Thangmaro edita fecisse videtur, quam quasi operi sese accincturus, abbreviatam interpolavit et continuatione de vita Godehardi donavit*[7]*; et hoc quidem episcopo superstite. At postquam Godehardus a.* 1038 *fatis concesserat, Ratmundus tum in Hildenesheimensi civitate praesens opus diu promissum iure flagitare potuit. Tunc*[8] *igitur Wolfherius librum quadraginta capitibus comprehensum scripsit, quo quaecumque de episcopi sui vita a viris fide dignis compererat*[9] *aut ipse viderat*[10] *vel a Go-*

1) Vita I, c. 16. II, 9. 13. 2) intra annos 1023 et 1031; nam cap. 14 Arnoldum Hersfeldensem *usque ad nostra tempora abbatem* dicit. 3) Ann. Hildesh. a. 1034. 1035. postea praepositus Hersfeldensis et Kalendis Ianuarii a. 1035 Goslariae a Conrado II. Nienburgensis ad Salam abbas constitutus est. Obitus eius diem 3. Kalend. Novemb. necrologium Sancti Michaelis Hildesheim. refert. 4) Ratmundus ann. 1026 — 1048 abbas fuit. 5) c. 40. Vita II, c. 9. 13. 15. 18. 6) c. 38. 7) v. SS. T. IV. pag. 755. 8) Prologus: *Quod nunc idcirco diutius differre necesse non esse putatur, quia iam non solum phisicae naturalitatem — transcendens ....* 9) Prol. c. 18. 10) Prol.

... principe ... decora. Quo quidē diuinę
stabilitatis quę immobilis cuncta commouet decreto. sub origi
nali creminarū effigiatione quibus iūs aduelle di formatis.
ca int̄ sese dinoscendi mouendiq; eternaliter est attributa
discretio. ut admirabili quodā copulationis contubernio.

fol. 82. Erat aūt in eodē altahensi cenobio. pbr quidā nomine ~~Udalgisus~~ Udalgisus II.

F. v. Bartsch scrips.

Vita Bardonis maior. C. S. Crucis in Austria.

Bardonis epi.

BEATA

Qui & Bardo ad
est filii dī interpre
tari potest. ex op
pido germanię
sedo ottone ro
manā monar
chiam amminis
trante. bonis
ex parentib;
optimis nat⁹
ē filii. Cui pa
ter adelbero
mat̄ ū ... ę
sectatis fuerūt.

absq; meo labore loquuntur mirabilia que

W. Wattenbach scrips.

Vita Annonis Cod. Orphanotrophei Halensis.

fol. 7.

fol. 51. cus humanę sortis angulis abbis q̄ dicunt̄ epi. mei peccatoris
utiq; similitudinē pferentib⁹. qb⁹ nom̄ n̄ uita sacerdotii ē. Et
graue suspiriū a pectore trahens. attonitis & ardentius huius
uerbi radicē inuestigantib⁹. respondit. Sol in nonā iā iāq; uer...

Karolus Pertz scripsit.

VITA GODEHARDI

EPISCOPI HILDENESHEIMENSIS

AUCTORE WOLFHERIO.

Wolfhere sive Wolfherius, Saxo et Bernwardo episcopo clericus Hildenesheimensis[1]*, auctore ut coniici fas est Godehardo episcopo adolescens Hersfeldiam*[2] *adiens, ab Albwino viro in arte philosophica eruditissimo, qui tunc temporis scholae magna cum fama praeerat*[3]*, institutus, non tantum libros sacros et patres ecclesiae sed classicos etiam auctores, Ciceronem certe, tum Sallustium, Horatium, Persium aliosque legit. Deinde Altahae commoratus et a Ratmundo abbate*[4]*, Godehardi episcopi nepote, quocum Albwini scholas frequentaverat, benignissime exceptus, in Hildenesheimensem demum ecclesiam transiit, ubi canonicus*[5] *Godehardo episcopo familiariter adhaesit*[6] *eoque defuncto vitam ipsius scribendam suscepit. Iam enim iuvenis Hersfeldiae et Altahae, ubi Godehardus maiorem vitae partem degerat, a viris religiosis qui eum a nascendi exordio ad usque praesulatus sui promotionem ut semetipsos noverant, praecipue a Rumoldo presbytero, plurima de episcopi vita edoctus, Ratmundo abbati scribendi onus imponenti obedienter parendum constituerat. Primum scribendi periculum in vita Bernwardi episcopi a Thangmaro edita fecisse videtur, quam quasi operi sese accincturus, abbreviatam interpolavit et continuatione de vita Godehardi donavit*[7]*; et hoc quidem episcopo superstite. At postquam Godehardus a.* 1038 *fatis concesserat, Ratmundus tum in Hildenesheimensi civitate praesens opus diu promissum iure flagitare potuit. Tunc*[8] *igitur Wolfherius librum quadraginta capitibus comprehensum scripsit, quo quaecumque de episcopi sui vita a viris fide dignis compererat*[9] *aut ipse viderat*[10] *vel a Go-*

1) Vita I, c. 16. II, 9. 13. 2) intra annos 1023 et 1031; nam cap. 14 Arnoldum Hersfeldensem *usque ad nostra tempora abbatem* dicit. 3) Ann. Hildesh. a. 1034. 1035. postea praepositus Hersfeldensis et Kalendis Ianuarii a. 1035 Goslariae a Conrado II. Niemburgensis ad Salam abbas constinecrologium Sancti Michaelis Hildesheim. refert. 4) Ratmundus ann. 1026 — 1048 abbas fuit. 5) c. 40. Vita II, c. 9. 13. 15. 18. 6) c. 38. 7) v. SS. T. IV. pag. 755. 8) Prologus: *Quod nunc idcirco diutius differre necesse non esse putatur, quia iam non solum phisicae naturalitatem —*

fol. 75.

DOMNO SVO AC EXCEPTORI DISERTO A. septem prîcu-
matis generalitate specialit̃ reserto. conformisq; liberalitatis
coruscamine pluraliter amphisepto W. humilis leuita utriusq
deuotionis iterũ principe ~~queq~~ deuota. Quō quidē diuine
stabilitatis que inmobilis cuncta cōmouet decreto. sub origi-
nali ceterarũ effigiatione quibus ius actuelle di formatis.
ca int̃ sese dinoscendi mouendiq; eternaliter est attributa
discretio. ut admirabili quodã copulationis contubernio.

fol. 82.

Erat aũt ineodē altahensi cenobio. pbr quidã nomine ~~Odulgisus~~ Vdalgisus II.

F. v. Bartsch scrips.

Vita Bardonis maior. C. S. Crucis in Austria.

Bardonis epi.

BEA

QVI ꝫ BARDO ad
est filii dĩ interpre-
tari potest. ex op-
pido germanię
scdo ottone ro-
manã monar-
chiam amminis-
trante. bonis
ex parentib;
optimis nat⁹
ē filz. Cui⁹ pa-
ter adelbero
mat̃ ũ cũnte
sectatis fuerũt.
absq; meo labore loquuntur mirabilia quę

W. Wattenbach scrips.

Vita Annonis Cod. Orphanotrophei Halensis.

fol. 7.

de
m
co
th
5 *ri*
18
st
Th
se
10 *Se*
tu
vi
au

15 *no*
st
rig
igi

20 *me*
po
cla
Vi
eas
25 *ae*
pa
nix
mi
pri
30 *vit,*
sco
def
per
Go
35 *inte*

sae
Go
par
40 *vic*

c. 1
visus
T. I
Hild
45 ante
prol
stant
annis
Weri
50 scent

dehardo audierat[11], *stilo laxiori, sententiis verbosioribus, quaeque versibus similiter cadentibus ut in primo iam fragmento inveniuntur plerumque constant, conscripsit et Albwino praeceptori, tum abbati Nienburgensi, dicavit. Liber in thesauris bibliothecae caesareae Vindobonensis, scilicet in codice catalogi historiae profanae tunc numero* 989 *hodie* 612 *signato diu latuit*[12], *nec nisi anno* 1821 *a me evolutus atque exscriptus*[13], *hic prima vice prodit. Auctor bene instructus plurima fide et notatu digna narrat, in historia litis Gandenesheimensis Thangmarum, in commemorandis Godehardi aedificiis Annales Hildenesheimenses secutus, quorum partem usque ad a.* 1040 *ei fortasse deberi haud negaverim. Sed in fine operis haud plane exacti quare substiterit, non liquet; certe textum ab ipso exaratum, diversis temporibus revisum auctum et mutatum fuisse videmus, at initio paginae ultimae desinit. In edendo libro textum qui ultimus auctori placuit* (2.) *proponimus, lectione primae manus* (1.) *infra adnotata.*

Auctorem non uno impetu scripsisse et posteris quoque temporibus quae nova aut meliora comperisset mutasse vel addidisse, complures libri loci monstrant, praecipue vero cap. 13. *ubi complures annos inter scribendum et corrigendum intercessisse textus primarius et posterior collati evincunt. Librum igitur haud absolutum Albwino minime missum putaverim.*

Anno 1039 *Wolfherius inter testes infeodationis abbatissae Gandenesheimensis per Thietmarum episcopum Hildenesheimensem recensetur*[15]. *Compluribus post annis Adalberto abbate S. Michaelis instigante*[16] *vitam Godehardi retractavit, et novum opus circa annum* 1054[17] *absolutum Albwino iterum inscripsit. Vita haec secunda Vitae priori superstruitur, ita ut vel sententias integras easdem, et versus eodem modo cadentes observaveris*[18]; *sed a viro provectioris aetatis scripta multo succinctior evasit: plurima tamen eodem modo, nonnulla paullo aliter*[19] *atque in priori habentur etiam Annalibus Hildesheimensibus innixus*[20] *enarrat, atque multa de Gunthero eremita*[21] *et ultimo vitae tempore et miraculis episcopi in priore desiderata addit*[22]. *Fidem operi eadem ratio, quae priori, conciliat*[23]. *Liber ita absolutus priorem in memoria hominum oblitteravit, et ab auctore Vitae Guntheri*[24], *tum saeculo XII ab auctore chronici episcoporum Hildesheimensium*[25], *Annalista Saxone*[26], *et auctore vitae Meinwerci*[27] *defloratus, in synodo magna Leodicensi mense Martio a.* 1131 *Lothario imperatore et Innocentio II. praesentibus lectus et approbatus*[28], *eiusque testimonio Godehardus episcopus in synodo generali Remensi a.* 1131 *mense Octobri*[29] *inter sanctos relatus est.*

Codices complures extant, quorum subsidio vita haec inde ab ineunte saeculo XVI typis expressa est. Prima editio Lipsiae a. 1518 *ope codicis S. Godehardi Hildesheimensis instituta, nonnisi excerptum libri exhibet, cuius in prima parte complura desiderantur, accedit vitae epitome cum supplementis. Altera vice Coloniae a.* 1581 *tomo VII Actorum Laurentii Surii p.* 362—383 *prodiit,*

c. 13. 18. 39. 11) c. 15. 36. 12) Hansizio visus I, praef. II, p. 156. 13) v. Annales nostros T. IV, p. 412 sqq. 14) SS. III, 20. 15) Ann. Hildesh. p. 103. 16) Vitae II. Prologus. 17) non antea, v. cap. 33; et Adelbertus abbas, quem in prologo *beatum* vocat, a. 1054 obierat; nec obstant quae cap. 8 de Guntero inde ab a. 1008 annis 35 heremiticam vitam ducente, cap. 25 de Werino iam viginti amplius annos post convalescentiam (a. circiter 1031) in capella episcopali deserviente tradit. 18) Etiam voces singulares e. g. *christianismus* (die Christenheit) in utroque saepius occurrunt. 19) e. g. c. 11 somnium Godehardi. 20) c. 24 de Aribonis reconciliatione. 21) capp. 8. 9. 22) capp. 25—41. 23) v. Prologum, c. 5. 8. 10. 15. 26. 29. 24) v. infra. 25) SS. T. VII, 850 sqq. 26) ann. 1005. 1006. 1008. 1022. 1023. 1025. 1026. 27) capp. 177. 199—201. 28) Hist. translationis. 29) Bulla Innocentii II. d. 29. Oct. data est.

stylo tamen a Surio mutato amplificatove. Saeculo XVII Browerus apographo codicis ecclesiae Hildesheimensis antiqui cum editione illa collati usus, inter Sidera Germaniae a. 1616 *textum meliorem quidem sed qui minime votis satisfaceret edidit, additis pro more scholiis.*

Anno 1685 *tomo primo SS. Maii p.* 501 *sqq. ab Henschenio editio nova subsidio codicis Graecensis antiqui instituta prodiit, qua primum genuinum auctori nomen restitutum est; sed quum lectiones codicum Bambergensis et Bodecensis a Gamansio enotatae tardius ad Henschenium pervenissent, eas in supplemento T. VII. Maii p.* 581 *addidit, usus praeterea codicibus actorum in epitomen redactorum qualia apud Surium leguntur, Rottendorfiano et reginae Sueciae, aliisque compendiis codicum Ultraiectini Sancti Salvatoris et Strozzii Florentini.*

Anno 1701 *Iohannes Mabillonius tomo I. saeculi VI. Sanctorum Ordinis S. Benedicti pag.* 395 *sqq. textum ope codicis Compendiensis recognovit; quem anno* 1707 *secutus Leibnitius tomo I Scriptorum rerum Brunsvicensium p.* 482 *sqq. textum tamen medelae plurimum egentem reliquit. Quod illico comparuit, quando novae editioni Monumentis Germaniae inserendae subsidia conquisivimus. Quum enim anno* 1821 *codicibus antiquis bibliothecae caesareae Vindobonensis evolvendis insisterem, in textum ab editis multis in locis diversum incidi, cuius auctoritas unanimi fere omnium quos abinde evolvi vel ab operis nostri adiutoribus evolvi curavi codicum consensu stabilitur. Quodsi omnia et nostra et anteriorum editorum subsidia in invicem conferas, ea in diversas classes secedere animadvertes. Sunt enim:*

A) Codices sinceri et integri; quos inter praestat

1) *C. Caesareus Vindobonensis inter Theologos N.* 164 *hodie* 784, *membranaceus in folio, saeculi XII. fol.* 51—72.

2) *C. monasterii Sanctae Crucis in Austria inferiori membranaceus in fol. saec. XII. exeuntis vel XIII. ineuntis, fol.* 115—124, *cui et*

2[a]) *C. Claustroneoburgensis* 708 *saeculi XIII. exeuntis membranaceus in folio consentit.*

3) *C. Caesareus Vindobonensis inter libros historiae ecclesiasticae numero* 5 *insignis, membranaceus in folio maiori, saeculi XIII. fol.* 157—168.

4) *C. Caesareus Vindobonensis inter codices Schwandtneri, saeculi XV. Qui omnes a memet ipso evoluti, in levissimi tantum momenti lectionibus, quas adnotare non iuvat, in diversa abeunt. Eiusdem classis sunt*

5) *C. regius Monacensis inter Windbergenses N.* 44. *membranaceus, saeculi XI. flagitante me a V. Cl. Föringer bibliothecae illius ditissimae custode cum editis collatus, et*

6) *C. regius Monacensis inter Tegernseenses N.* 547. 2. *membranaceus, saeculi XI., aeque a V. Cl. Föringer in usus nostros conversus; explicit tamen in initio capitis* 33. *Eodem pertinent*

7) *C. Graeciensis antiquus, cuius lectiones Henschenius adduxit,*

8) *C. Bodeccensis, necnon*

9) *C. Sancti Michaelis Bambergensis, quorum lectiones Henschenius in supplemento suo protulit, cuiusque collationem cum editione Broweri in usum Henschenii paratam regia Bruxellensis bibliotheca numero* 8950 *signatam servat. Scriptor Bambergensis haud raro sententias pro arbitrio suo mutavit, eoque a reliquis codicibus recedit.*

10) *C. Compendiensis Mabillonii.*

11) C. denique monasterii Zwetllensis in Austria superiore membranaceus in folio, saeculi XIII.[30] *a Wattenbachio nostro evolutus superioribus adnumerari posse videtur.*

12) Ultimo loco venit fragmentum saeculi XIII una cum collectione Meusebachiana bibliothecae regiae Berolinensi a. 1851 *illatum, quod tamen nonnisi initium libri in membrana scripti exhibet.*

B) A libris hucusque recensitis discedunt qui in praefatione auctoris nomen Wolfheri in Arnoldum, praeceptoris Albwini in Menghardum mutant, atque capite primo amplificationibus textus verbosis et nullius pretii facile distinguuntur; quorum nonnulli saltem ad notitiam nostram pervenerunt:

1) C. Hildesheimensis „antiquus" et hodie latens, cuius collationem a Browero adhibitam fuisse monuimus.

2) C. regius Monacensis inter Mixtos numero 8 *signatus chartaceus in folio saeculi XVI vel XVII Boehmero nostro indicante*[31] *nomina scribit ut Browerus.*

3) C. Atrebatensis, olim Sancti Vedasti, iam in bibliotheca publica civitatis adservatus, membranaceus in fol. saec. XIII, ut Bethmannus noster ad me retulit, Arnoldi et Menghardi nomina nonnisi siglis A. et M. indicavit. Nec aliis in locis a Broweri lectione recedit, quod tamen de capite 33 *adseverari nequit, quod eo loco duo folia a bibliothecario olim Carton excisa et divendita sint.*

4) C. Rottendorfii, cuius fata ignoramus, indicante Henschenio iisdem siglis A. et M. usus est. Cui in aliquibus consensisse videtur

4b) C. reginae Christinae ab Henschenio adhibitus.

5) C. bibl. ducalis Gothanae membranaceus in fol. maiori saec. XIV qui Mengherdi nomen lineae superscriptum, siglasque A. Arnoldus et infra Athelberti, R. Reynoldi explicat, in nonnullis codicibus A. consentit, sed plurima habet ut B.

6) C. lycei civitatis Linz in Austria superiore saeculi XIII. membranaceus, legendarium olim monasterii sanctae Mariae in Gaersten[32]*, praefatione caret, nec caput* 33 *exhibet, quare classis secundae libris adscribendus esse videtur.*

7) C. Strozzii Florentinus, hodie latens, qui tamen aeque atque

7b) Ultraiectinus Sancti Salvatoris nonnisi excerpta vitae exhibuit.

Legendarium Coloniense[33] *a Surio adhibitum saeculi XV. membranaceum, tum codices chartacei Welferbytanus August. fol.* 33. 16 *signatus*[34] *saeculi XVI et Leodiensis*[35] *eiusdem vel anterioris saeculi non ita comparati sunt, ut aliqua eorum ratio habenda videatur.*

Editionem igitur nostram ita instituimus, ut codicibus classis prioris praecipue Vindobonensi et Monacensibus pro fundamento positis, praecipuas tantum reliquorum lectiones proponeremus. Appendicis loco, priorum editorum exemplo, miracula Godehardi in vita patrata subiicere placuit, quae ante canonizationem episcopi a. 1131 *minime scripta esse iam vox Sancti usurpata indicat. Agmen claudunt versus in Godehardum ex codice saeculi XIII. bibliothecae regiae Bruxellensis N.* 8883—94 *a Bethmanno exscripti.*

CONTINUATIO VITAE BERNWARDI.

Sed ne domus Dei esset sine rectore, ne grex Domini turbaretur absque pastore, in electione novi patris cor unum et animam unam fecit nos habere spiritus pacis. Erat qui- fol. 20'.

30) Archiv VIII, 725. in legendario magno. 31) Archiv VII, 125. 138. 32) Archiv X, 611. 33) anno 1826 signatum erat VI, 21. 34) Archiv VI, p. 6. 35) ibid. IX,

dam Deo dilectus et hominibus nomine G.[a] in diversis locis abbas monasticus, cuius memoria extitit benedictio sempiterna. Qui, ut pace omnium dicam, exemplar et speculum totius sanctitatis nobiles et ignobiles parili sibi attraxit germanitate dilectionis. Nec mirum, quem perfuderat Deus gratia, ab omnibus amabatur. Quem sic divinitus et humanitus conversantem, et quasi lucernam lucentem, non pertulit Deus sub modio latitantem, verum ut glorificaretur per eum, Deus illum posuit super candelabrum. Subrogatus est felici episcopo B. felicior ipse vita et proposito, in cuius vitae vestigio se sociaverat honesta utilitas et utilis honestas. Unguitur in pontificem noster Aaron, pontifex factus secundum ordinem Melchisedehc. Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi. In ipsa unctione sanctae consecrationis ......[b] machinamenta suae temptationis. Consecrator[c] eius A.[d] archiepiscopus super parrochia Gandesheim eum ut lupus aggreditur: cui domnus episcopus ut agnus mitissimus favente domno imperatore H. et omnibus illuc adventantibus, elimato anthidote[e] respondit in hoc verbo: *Si iuste vobis cedit, nulli melius annuo quam vobis; si autem mihi meoque iuri, nulli libentius praeopto subici quam mihi.* In hoc conflictu sicut in superioribus retrocedens archiepiscopus, in declinationem silentii se tradidit confusus. Recepit domnus G. episcopus absque ulla iniuria parrochiam suam, archiepiscopus victus omnium conditione emeruit ignominiam suam. Qui domnus episcopus G. quantae fuerit bonitatis ante electionem, indicavit actibus post motionem. In divinis semper intentus, factus est omnium bonorum causidicus. Dum haec geruntur, dumque iuxta cuiusdam sapientissimi sermonem ita se habentem: „generatio vadit et generatio advenit; natura rerum transit mutabili rotatu praesentium in generatione succedentium,“ flos hominum, decus coronatorum, gloria et iocunditas imperatorum beatae recordationis H. imperator, aecclesiarum Dei rector, sanctae christianitatis pacificus propugnator, omnibus flebilis, nulli flebilior quam tibi, domne praesul G., variis infirmitatum fatigatus iniuriis, animam in sinum Domini reclinavit, et in manibus Iesu obdormivit. Cuius diversae bonitatis inedicibile privilegium hoc promeruit prospectaculum, ut si eum quis legi naturae vellet se......[f]. Obiit 3. Idus Iulii, imperii sui anno 12[mo], regni vero sui 22[do]. Cui nil defuit, quicquid humanitati compassio suppetit. Nihil abalienavit, quicquid misericordia et veritas saluti omnium addicit. In id seculi aetatibus non surrexit imperator[g] Heinrico felice melior. Verum ut compendioso epithomate taceam, volo et posco, ut mecum omnes clamitent:

Heinricus lux orbis abit et in astra volavit.
In Christo valeat quem christum Christus amabat.

Post cuius discessum, dum plurimorum diversa emergeret disceptatio, et de regni monarchia frivola contentio, coeli distillavere in populo Domini misericordiam, ut magnificarent in Syon nomen Domini, et laudem eius in Hierusalem. Vix emenso mensis spacio, electus[h] et consecratus est in regem Conradus, filius Conradi ducis Carnotensis, vir virtutum, pacis insigne speculum, quem quaqua versum divina comitantur et humana. Qui proprio se conformans nomini, congruum sortitur vocabulum, et pacem ferendo gentibus, dictus est magni consilii angelus. Ipse regius tyro, inthronizatus regni tyrocinio, sine disturbatione sanctae Dei aeclesiae, absque humani sanguinis effusione, sceptro et diademati se subdiderat, sicut Deus disposuerat. Huiusmodi promotioni

Deo digno praeconio
Roma regnorum domina,
Augia cum Mogontia
Treveris et Colonia,
Mettis et Argentina,
Favebant applaudentia.

Susceptum itaque gubernaculum prudenter rexit innixus qua d ....[i]. Salemone consiliis, Samsone brachiis. Peragrabat universa regiminis sui, sicubi aut bella dissiparet, aut dissidentes inimicos adusque pacis oscula sedaret. Quem talibus insistentem, invitabat domnus episcopus G. ad Hildinisheim, quatinus illi intimaret servitio, quanto circa eius gratiam aestuaret desiderio. Celebre susceptus est, festivius tamen, ut re-

fol. 21. — V. Godeh. I, cap. 25. — c. 26. — fol. 21'. — cf cap. 26. — fol. 22.

a) *manus saeculi decimi sexti vel septimi supra ascripsit* Gothardus. b) *ultimus paginae versus abscisus est;* destruxit *vel tale quid excidit.* c) or *est in rasura.* d) ribo *supra ascripsit manus illa paullo recentior.* e) e *a manu recentiore in* o *correctum.* f) *iam abscisus est ultimus paginae versus.* g) *post* or *erasum videtur* ū. h) *in margine a manu illa recentiore* Conradus rex. i) *abscisus est ultimus paginae versus e. g.* qua deus iubet iustitia, praestantior Salemone *etc.*

gem decebat, omnibus deliciarum impensis circa triduum illi suisque sequacibus administratum est. Dum enim ex alterutro intenderetur, ut fieret gratiarum actio servitii, et remuneratio beneficii, affuit inter eos etiam Satan. Fit vetus querela archiepiscopi de parrochia Gandesheim. Quod tunc inpraesentiarum domnus rex non valens neque volens definire,
5 distulit in Goslari determinare. Sicque ipse cum omnibus suis magnifice salutantes domnum episcopum G. pro exhibitis honoribus, Goslari est profectus, placitum super praedicto negotio facturus. Affuit domnus episcopus G. die condicta, in his sicut in omnibus Dei confidens misericordiam, praestolatur rerum exitus. Ubi cum novus rex noster super hoc placitum teneret, timens domnum episcopum propter Deum offendere, et praecavens archiepiscopum
10 quia in regem eum consecravit deserere, paululum exorbitans a regio proposito, ambobus interdixit quid agere in ipsa parrochia Gandesheim, illam commendans Branthogo episcopo, quousque eam aecclesiastice percoleret, donec convenientibus omnibus senatoribus cuius diocesis esset investigaret. Inde rediit ad Gandesheim. Cuius susceptioni imperterrite[a] *principabatur praesentia domni episcopi. Quod archiepiscopum momordit altius quam quis- fol. 22'.
15 quam tunc ratus fuit. Qua de re ad nota sibi confugit perversitatis oracula. Die sequenti, dum domnus episcopus stans ad aram infulatus, mundo crucifixus vellet celebrare misterii divini tremenda eucharistia pro sui et populi ignorantia, adest archiepiscopus, qui minitando domnum episcopum ex altario dimoverat iracundus. Domnus episcopus, considerans quod melior est obedientia quam victimae, doctus a Deo magistro factus est obediens, ab altario
20 se suspendens. Hoc conflictu munitus archiepiscopus, praeparat se missas celebraturus. Post missarum sollemnia, dum rex cum episcopis praesentibus sua peteret cubilia, offendit domnum episcopum pedibus eius volutum, ipsis paramentis quasi altari adstaret infulatum et super inrogata iniuria propulsionis a suo altario queritantem. Omnes enim et iusticia et inaudita compassione illi favebant. Quo audito rex nec ad dextram nec ad sinistram decli-
25 nare valens, sed ipse misericordia motus, in Gruna illam execrabilem discordiam generali sinodo secundum divina et humana diffinire disposuit. Ubi praesens ut esset, non solum rex et regina, verum omnes primates, et ne id intermitteret persuadebant. Regem in Gruna tendentem prosequutus est domnus episcopus G. ieiunus, et orationibus interpellans Altissimum, ut mitteret ei de sancto auxilium et de Syon tueretur eum. Inter cetera illic colloquia di-
30 versarum rerum, habitum est concilium super dissidium *duorum episcoporum, domni episcopi fol. 23. G. et archiepiscopi Mogontiae. Intererant huic conventioni Bruno Augusburgensis episcopus, Eppo Bavemburgensis episcopus, Adalboldus Traiectensis episcopus, Macelinus Werziburgensis episcopus, Meginwercus Patherbrunnensis episcopus, dux Bernhardus, abbatesque quam plurimi, quorum favore et acclamatione domnus rex iusticiae compatiens, parrochiam
35 Gandesheim dictam titulo altaris sanctae Mariae et iuri domni episcopi G. in Hildinisheim omnibus audientibus regia munificentia et auctoritate reconsignavit, sic dicens: *Parrochiam vestram Gandesheim, sicut priores vestri habuere, inconvulse habetote, divinaque et humana pontificali ministerio in ea absque*[b] *contradictione ullius percolite.* Quod audiens domnus episcopus, summa cum exultatione Hildinisheim rediit[c].

40
VITA GODEHARDI EPISCOPI PRIOR.

Domno suo ac praeceptori diserto A. septeni pneumatis generalitate specialiter referto, conformisque liberalitatis coruscamine pluraliter amphisepto, W. humilis levita, utriusque devotionis in rerum principe[d] *devota. Quoniam quidem divinae stabilitatis quae immobilis cuncta commovet decreto, suboriginali creaturarum effigiatione quibusvis ad velle Dei formatis, ea in-*
45 *ter sese dinoscendi movendique aeternaliter est attributa discretio, ut admirabili quodam copulationis contubernio, alternatim semet in sua parilitate fluctuantis materiae pro indita sibi necessitate iungat seiungatque conexio, ita ut principale elementorum quadruvium, indissolubili*

a) erterrite *non legit Falkenstein sed abscisa esse scribit.* b) a *et pars* b *litterae avulsa.* c) *tertia paginae pars vacua relicta est.* d) p. queque d. *deletum.*

collaterationis vinculo colligatum, aquam et terram frigiditate, terram et ignem siccitate, ignem aeremque caliditate, item aerem et aquam humiditate, sine ulligena repugnantia conectat in alterutrum, brutis etiam multifidi sane generis animalibus eadem conditione sua est in sentiendo tantum indulta proportionalitas, adeo, ut in suae simplicitatis pro parte laudabili tenore acsi obtemperanter perdurantibus huiusmodi eis commendationis testimonium conferat divina veritas, quia cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui; perinde homini cuiquam, qui se pro indicta sibi celitus probitatis necessitate quam dissimulare nefas est caeteris animalibus praestare studet, opere praecium est, quatenus non ea quibus tam subalternis quam et specialissimis generalissime praesidet imitando, verum eadem longe nobiliori qua illa funditus carent discretione praecellendo, nec se infra ea quibus originaliter antistat infecta scilicet neglegentiae tabo insita sibi divinitus scientia deprimat, nec se etiam neglecto adeo decreto in sua modulatione se obedienter continentibus corollario, supra ea quibus obaudiendo subici debet recasurus inaniter extollat. Sicut enim nullius rei natura suo principio melior poterit existere, sic nimirum vituperabile est quicquam inferius eo cui naturaliter praemicat sua stoliditate subsidere. Haec ego tacite mecum diutius revolvendo, eademque sagaci mentis ingenio quantum ad me interius quamvis cecutiens perscrutando, ita tandem in describendo animum inducere decrevi, ut nec scintillulam quam divinae inspirationis fomes tantillo pectori meo per benivolam vestri sintagmatis sedulitatem instillaverat officiens neglegentiae imber inundanti torpore penitus extingueret, nec me inpossibile quoddam periculosius usurpantem, pennis Dedalice subcęratis intolerabili repraehensionis calore Icarii volaminis more solutis, inenatabile confusionis mare loetaliter dimergeret. Quapropter quam pluribus me ardua quaedam delucidare corrogantibus temere non consensi, quia propriae mihimet socordiae conscius, ad tale me negotium ineptum persensi, praesertim quia neutiquam opinabar decere, me auctoritatis vestrae nutrimine ab usque infantia clementer institutum, clementiusque grammaticae litterationis informatione iuxta tenellae aetatis capedinem imbutum, ulliusmodi in talibus vestro iniussu iniciare conatum. Quod vero nunc tam vasti aequoris gurgitem procellosae tempestatis inscius sine vestri magisterii aplustra rudis navigator insiliens, hunc tam annis quam viribus meis imparem laborem arripui, non ullius fastu id feci[a] iactantiae, sed ut in subsequentibus industria vestra satis perspicere poterit solius causa, cui refragari nefarium rebar, oboedientiae. Ne ergo nunc culper sanctitati vestrae plurimis vivaci pervigilio innictanti prolongato sirmate[35] velle fastidium ingerere, morosas ambagum soritas reiciendo, cur id onus subierim succinte conor edisserere. Me enim Altaha positum, vester familiaris domnus Ratmundus[b], eiusdem loci abbas[36] venerabilis, qui mellifluae vestrae enutritionis galumnate[37] insimul mecum debriatus, me tum temporis quasi collactaneum tractavit, quatenus venerandi et omni studio amplectendi antistitis nostri Godehardi[c] vitam gestaque quae iam tum plurima trivatim feliciter divulgabantur, plura tamen quae vel adolescentior vel etiam postmodum senior ipse quidem humiliter latitare gestiens laudabiliter exercuit ignorabantur, stili officio memoriae commendare studuerim, sepius ut ita dicam familiariter rogavit. Cumque me econtra ad tanti laboris sarcinam sufferendam tam aetate quam scientia incongruum humiliter excusaverim, et si etiam scirem, sine vestrae deliberationis praestructione, qua me in talibus praemuniri oporteret, quicquam inchoare nec debere nec audere frequentius retulerim, ipse eo imperiosiori iussione animosius instabat, tandemque sub oboedientiae constrictione ut eius voluntati quae iusta esset acquiescerem mandabat; illum videlicet intentans sepe versiculum, quia qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, maxime, cum eo loci deguerim, ubi sine quavis aberrationis molestia, huiusdem rei facillimam enodacionem ab eis sane, qui eum ab ipso nascendi exordio adusque praesulatus sui promotionem ut semet semper noverant, ediscere potuerim. Quid tunc facerem, quove me verterem, angebar. Pugnant quippe tria cum uno[d], cum iniuncta oboedientia vestrae probitatis desentia, ignorantiae conscientia, aetatis adolescentia. Enimvero timui oboedientiae, quae et victimis acceptabilior perhibetur, repugnax contraire; timui et vestrae pietatis, si quicquam ipsa ignorante praesumpserim, offensam inire; timui pro neglegenter compilatis apud repraehensores ignorantiae denotari; timui etiam pro adolescentiori quae mihi imminet aetate, cui et si veridicae tamen in talibus non facile creditur, ardua quippe fides robustos exigit annos, scolasticae adulationis quae plerumque sui studium partim prae timore, partim etiam prae amore in

a) i. f. 2. b) R 1. atmundus 2. c) G 1. odehardi 2. d) uno : : : (nam?) cum.

35) a Graeco σύρμα, tractus, ambages. 36) annis 1026—1048. 37) i. q. lacte; cum voce κάλυμμα minime cohaeret.

utramque partem ipsa facilis facile deflectit, in his seriis apud increduliores incusari. Vicit postremo plurimum id suadente[a] *eiusdem senioris crebra suggestione obedientia, securusque tam pro illiciti praesumptione quam pro errationis veniali repraehensione de vestra ineffabili clementia, quamvis mihi tempus deforet vel pluteum cedendi vel ungues demordendo sapiendi,* Persius I, 106.
5 *praesumpsi tamen haec ingentia. Si vero quisquam me falsitatis arguerit, fides Christi adest, nil me vel favoris vel adulationis mulcedine falsidicum confinxisse, sed ea tantum quae tam aetate quam veritatis probitate perfectorum, maxime tamen cuiusdam probabilis personae presbyteri, qui ei ab infantia fideli amministratione contigue coherebat, relatione didiceram, humili caraxatione pro ingenioli mei sufficientia veraciter descripsisse. Pro inscicia tamen a*
10 *lanionibus attaminari non temere formido, quorum detractiones me posticae occurrere*[b] *sannae* Pers. I, 62. *nescium nisi sub vestri umbonis obumbramine evadere posse diffido, quia ut dicitur sint: tantum aliqui bene studiosi, numquam deerunt detractores et emuli, sed quanto huiusmodi periciae exhaustiores*[c], *tanto si tale quid eis occurrerit in repraehensione lupiniores. Quod idcirco minus me vereri praedixi, quoniam non eo quo me tantae arduitati comparem credere praesumpse-*
15 *rim, sed quo saltem posteris, si qui divinae inspirationis ignitione succensi facta illius condecenti stilo aptius digerere conentur, argumentationis materiam praestruxerim, et si nugatiter tamen devotę conscripsi, opinans certe melius fore apud tales pro ignorantia contaminari, quam apud saniores pro inobedientia condempnari. A pluribus etiam studiosissimis, qui eundem seniorem nostrum quibusque dexterioris Samiae litterae callis sequacibus imitabilem, tam* Pers. III, 56
20 *monachi quam et clerici sepius frequentabant, istudmet opus tamdiu dilatum vehementius admirarer, ni*[d] *eos id, quia non est tuta ante plenam victoriam laudatio, comminisci verius opinarer. Omnis enim laus in fine canitur. Quod nunc idcirco diutius differre necesse non esse putatur, quia iam non solum phisicae naturalitatem, verum et ethicae moralitatem, probabiliter*[37] *transcendens, in solius logicae rationalitatis contemplatione coelestia inhianter casta operum exhi-* 37
25 *bitione desiderando diatim insistere comprobatur. Nec etiam moderni culpa silentii caruerint, si tam imitabilis praecessoris insequenda gesta neglegentiae situ non oblitterari minus studuerint. Quamquam enim, ut quidam*[38] *ait, haudquaquam par gloria actorem et scriptorem rerum sequatur, id tamen pro parte laudabile existimatur, si is qui, plurimo forte mundanae fragilitatis genere praepediendo resistente, semet caeteris imitabilem nequiverit praebere, vel hoc*
30 *saltem studeat, ne ille qui vita et moribus imitandus sit, possit modiotenus latere. Sed quia haec, o praeceptor venerabilis, nulla, ut sublimitas vestra cognoscit, iactantiae inanitate sed plurali oboediendi necessitate pro scire composui, et si multi et hic et illic ad unguem usque inveniantur studiosi, nullum tamen cui tam merito quo modo non dedignemini corrigenda*[e] *transtulerim inveni, et quia volat emissum semel inrevocabile verbum, nulli id vel familiarium praeostentavi,* Horat. Ep. I, 18.
35 *quando, quid subtilitatis vestrae deliberatio hinc decreverit, expectare iudicavi. Minuit enim, ut scribitur, quodam*[f] *modo se probantis conscientiae secretum, quotiens ostentando quis factum, recipit famae praecium. Quem ergo ubiubi gentium invenissem, quem tam elegantissimo rethori praeferre praesumpsissem? Scilicet quem prudentia condigna ad secernenda iusta a nequioribus sagatitate sufficienter instruxerit, quem iusticia tenaci modificatae severitatis rigore lauda-*
40 *biliter illexerit, quem temperantia rationabili superfluitatis reiectione decenter commendaverit, quem fortitudo satis idonea adversus quaeque mundialis illecebrae temptamenta praemunitione providenter armaverit; quemque omnigenarum virtutum luculentas, in divinis et humanis universali porismate generaliter adimpleverit. Me enim in initio ad istud opus, ut sepius iam praedixi, satis idoneum discredidi, quod tamen quia praescripti praeceptoris iussione et ductus*
45 *immo ut vereor compulsione traductus, subnotando compegi, idcirco maxime vestrae auctoritatis examini trutinandum antequam publicetur offerre decrevi; primo quod materiam ipsam, quae utinam et digne conpaginata est, vobis vestrisque consimilibus propriae suavitatis ornamine facile placituram praescivi, deinde etiam quod hoc vere dignum non nescivi, quatenus ea quae de perfectissimo quoquam describantur, sapientissimi semper iudicio comprobentur, quia*
50 *tunc res rationis recte suis impenditur instrumentis, cum iudicium cogitur subire prudentis. Alioquin ab huiuscemodi praesumptione desisterem, ni hoc rationabili apollogio*[39] *fiduciatus existerem. Nam etsi apud vos pro erratis facilis locus est veniae, aliquanto tamen ipsa facilitas formidanda est securitati suspectae; quoniam nil vestris obtutibus est offerendum in ullo nego-* 39

a) plurima id genus s. 1. b) occurre c. c) exhaustioris c. d) ne 1. e) corrigendum c. f) quadam c.

55 37) i. e. laudabiliter. 38) Sallustius Catil. 3. 39) i. q. apologia.

tio, nisi quod elaboratum ingenio, perfectum studio, vestro dignum videatur ocio. Verumtamen quia me ad haec supparem iam frequentius profitebar et profiteor; ideo dominationem vestram subiectissimus depraecor, ut et mihi pro multimoda deviatione impunitatem quam non mereor condonare, et in hac nugacitatis meae insolita expilatione, animum a celsioribus eorum sane grandiloquis sillogismis qui vos terque quaterque beati cotidie diversigenis questionibus frequentare non omittunt paulo minus inclinando, superflua resecare, hiantia supplere, errata repraehendere, commode dicta contra quorumlibet oblatrantium direptionem, vestrae commendationis sigillo caute dogmatistarum generosissime dignemini communire.

Lector quique studens dictamen cernere prudens,
Callens insigne, quoddam dinoscere digne,
Sensibus intentis huc confer munia mentis,
Mirans laude Deum qui mira ministrat in evum.
Non hic pomposa, non hic est perniciosa,
Antiqui erroris series, ah plena doloris;
Non natis torvi memoratur cena Saturni,
Nec petra absorta[a] *Coribantum, vel mala furta,*
Europae nec amor, aut natis sevus Agenor.
Ermionam Cahtmi praeterimus parte sub omni;
Reiicitur gnarus scelerum sacer Amphioraus;
Spingos et Edippi sit rethor sursulus ipsi;
Flumina Phetontis hic nec frondes Demiphontis,
Nec diversorum series falsata malorum,
Sed studiis trita sinceris inclita vita
Presulis insignis digne laudatur in imnis
Qui Domini totus et in hoc quam maxime notus,
Summam virtutis et summae spem pietatis
Sanctorum more praelibat nominis ore,
Et merito digni praefert[b] *hec munia signi.*
Quem iusti quique coluerunt semper ubique,
Dum puer a pannis primis procrevit in annis,
Usque sub hanc horam qua splendet maxime coram.
Hic mitis blandus, et cuntis semper amandus,
Dapsilis et castus, prudens et ad omne modestus,
Insignis sapiens, pius et iustissime clemens,
Cunta libens coluit, que quis ratione probavit.
Quapropter cuncti Deitatis foedere iuncti
Christum laudate, simul omnes hunc adamate,
Et sanctis digni, sibi poscite gaudia regni.

1. Divinae potentiae semper est laudabiliter admiranda mirabiliterque laudanda dispositio, quae semper imitanda suis sequacibus exempla providit ab inicio; et ne aliquod tempus momentumve careret dogmate coelesti, iugiter sancta aecclesia post apostolos communita est patrociniis confessorum Christi, quorum doctrinam fideliter insecuta, hactenus Deo gratias defensa permanet et tuta. Eadem deifica annuente potentia, ut facile studiosis lectoribus produnt subsequentia, in Pagoariae finibus iuxta monasterium sancti Mauricii quod in ripa Danubii situm dicitur Altaha, praeclare indolis puer nomine Godehardus[c] **parentibus religiosis, ipse longe religiosior futurus, exortus est. Pater namque eius nomine Ratmundus**[d] **ex eiusdem monasterii familia extitit oriundus, qui adeo se primatibus illius regionis fidelis obsequii familiaritate devotę coniunxit, ut coram eis plerosque vanae nobilitatis arroganti superbia elatiores, multimodae ingeniositatis elegantia privatim ac publice praecesserit. Nemo enim nobilis nisi quem virtus nobilitat. Presertim tamen Frithurico**[e] **Salzburgensi archiepiscopo ita acceptus habebatur, ut ab eo etsi laicus praefato tamen**[f] **monasterio quod ipse quidem a Heinrico**[g] **duce, scilicet piae memoriae Heinrici**[h] **imperatoris patre, qui eandem provinciam acsi regali sibi dominatione vendicabat, donativum accepit, praepositus constitueretur. Qui videns filiolum suum quantum infantiae teneritas sinebat ad melius semper**

Vitae II. Prolog.

a) *i. q.* absorpta; *pro love.* b) praesert *c.* c) G. 1. d) R. 1. e) F. 1. f) *manu* 2. g) H. 1. h) H. 1.

mira puerilis animi alacritate anhelare[a], decrevit eum divinae servituti specialius mancipare, de Dei confisus clementia, maiora ei posthac affutura praeostentatae virtutis incrementa.

2. Erat autem in eodem Altahensi coenobio presbyter quidam nomine Oudalgisus[b], digna canonicae institutionis conversatione praeclarus, scolarisque studii auctoritate per omnem illam regionem celeberrimus; huius magisterio idem infans litteris inbuendus paterna traditione committitur; qui eum laudabili eius indole delectatus piae dilectionis amore spiritualiter amplectitur, et ut eum primo divinae informationis dulci lacte per psalmodiam praetemptare coeperat, in omnibus eum incredibiliter, quia spiritus Dei doctor affuit, sollertiorem prae caeteris coevulis eius invenerat. Tunc informator ipse primevi auditoris clara industria laetatus, ad aedificandum in eo Dei donum quod cognoverat, maiores amministrare non pigritabatur conatus. Puer vero cognoscens praeceptorem secum prae reliquis liberalius agentem, divino monitus instinctu, assequelae tenellam adeo subdidit mentem, ut quamvis nec minimum adhuc vel euangelici vel ętiam regularis praecepti cognoverit, omnem tamen oboedientiam que in his pleniter edicitur rata decretione digne devoverit.

3. Fuerunt etiam inibi sub eiusdem nutritoris pedagogio alii quam plures pueri, parentibus divitiisque secundum seculum satis clari, quorum quidem unus erat nomine Thiedricus[c] (Vitae II. c. 5.) quem postmodum Mindensis[d] aecclesiae episcopum vidimus[e], alii etiam quos singulatim distinguere fastidiosum videtur plurimi, qui quidam pontificio quidam vero caeteris honoribus postea, sicut fama vel hodie testatur, fuere celeberrimi, quos omnes tunc temporis commorantes iste noster quia divina eum gratia perfuderat, inestimabili quadam frugalitate[f] omnimodis praeminebat. Totum enim studium quod caeteri, ut id iuventutis genus assolet, in equorum falerumque praeciosarum quoque vestium superfluitate pueriliter consumpserant, ipse semper legendo, cantando scribendove divinae servitutis cultui mancipare malebat. Nec tamen minor ei tam parentum quam et affinium subpeditatione si tantum uti libuisset fuerat facultas, sed sola eum qua semper coelestibus inhiabat ab his retraxerat voluntas. Studebat enim, ut de beato Gregorio dicitur, teneros annos morum maturitate vincere, crucemque cordetenus sibi infixam cotidie baiulando, pauperemque Christum pauper ipse pedetemptim sectando, christicolarum adunationi se pro scire semper addicere, eam summam opinans iocunditatem, si divinam in aliquo posset assequi voluntatem.

4. Licet enim in omnimodae perfectionis studio vehementer ureretur, praecipue tamen sanctorum patrum vitam gestaque dilexisse perhibetur, ita ut neglecta parvipensaque sepius corporali refectione, longos soles conderet continuata lectione. Contigit ergo cum quadam die vitam sancti Martini cum ceteris legeret, et multorum heremitarum anachoritarum caeterorumque Christi electorum quorum inibi pulchra multiplexque fit mentio plura miracula cognosceret, qualiter illi patriam parentes divitiasque reliquerant, ac contemptis regalibus deliciis quibus quam plurimi eorum si dignarentur interfore potuissent heremum pro nomine Christi et pro futurae mercis reimpendio subierant, coepit haec perlecta sepius relegendo secum pertractare, hisque cordis ac mentis affectum de die in diem intentius accommodare, donec ita tandem induxerat animum, ut omni cura tam parentelae quam patriae funditus reiecta, si modo divina pietas dignaretur petere decrevisset heremum. Cumque super hoc secum solus diu sollicitus angeretur, et quid faceret, quove id modo Deo placite inchoare posset anxia trepidantis animi hesitatione incertus vagaretur, demum quendam sui coetaneum cui voluntas eadem facile persuadi posse sibi videbatur silenter adierat, quidque super hac heremi appetitione sentiret acsi temptando primitus perquirebat. Dum econtra ille sibi placita respondisset, seque idem votum si Deus annueret habere dixisset, Godehardus[g] statim, eo quod in hoc uti sperabat voti compos effectus esset, Deo gratias retulit, nec ante quievit, donec eos id ut neuter alterum nisi coactus desereret invicem iuramento confirmare peregit. Sicque se pro nosse divinae dispositioni intente commendantes heremum petierunt, ibique si deifica tantum eos voluntas comitaretur perpetuo permanere decreverunt.

5. Sed Deus omnipotens, cuncta quidem prisca praesentia futura simul intuens, lucem quam mundum quasi coelesti quodam radio colluminaturam noverat, in electo sibi iuvene acsi sub obumbratione modii condi noluerat, sed quia per eam tenebras a fidelium cordibus repellendas praescivit, super candelabrum ponere decrevit. Nam parentes eius etsi totis

a) al. mirabiliter an. 1. b) O. 1. Othilgisus 2. Oudalgisus 3. c) T. 1. d) mendensis 1. e) v., alter vero G. qui Frisingensi antisticio praefuit, tertius A. qui Prisnensem aecclesiam pontificando rexit, alii 1. *deleta. Innuit Goteschalchum et Altwinum Brixinensem episcopum.* f) fragalitate 1. g) G. 1.

eum viribus divino intentum servitio noverant, desentiam tamen eius quem unice dilexerunt ferre non poterant, sicque divini exhortaminis instinctu gregatim silvas montesque petierunt, nec ante destiterant donec eum in montana quadam solitudine cum collega suo orationis psallentiique iugitati intentum iam decem aut eo amplius dies foliis arborum et radicibus herbarum dure victitantem invenerunt, ac tandem hilares, oppido retrectantem ad monasterium unde digrediebatur sub pristini praeceptoris nutrimen induxerunt[a]. Quam vero religiosa conversatione ibidem postmodum vixerit facile lector agnoverit, si tantum ea quae summa veritate teste vera de illo subiunguntur pro falsis non neglexerit. Nam in tenera etate humilitatem quae virtutum mater est quasi pedagogam assumpsit, obedientiam maioribus, fidem coequalibus, caritatem minoribus, omni qua poterat sagacitate sollerter iniunxit, divinisque ymnis et psalmodiis pro puerili posse summa iugitate inservivit, et ab illecebris mundialis spurcitiae qua id evum facile provolvitur, spirituali quodam lomento defecatus, omnigenarum collustratione virtutum insignis effloruit. Quamvis enim in omni ecclesiasticae utilitatis studio semper fuisset devotus, in scribendi tamen arte praecipue erat studiosus. Ergo in ipsa pueritia numerosam librorum tam divini dogmatis, quam et philosophicae dulcedinis congeriem coacervavit, inter quos tamen bibliothecam[38] quae hodie in eodem monasterio habetur mirae pulchraeque quantitatis sed maioris per anni circulum cantandi legendique utilitatis, non solum scribendo verum etiam gratia humilitatis propriis manibus pergamenum ac cetera necessaria elaborando ordinavit.

6. Contigit quoque et praedictum episcopum Frithericum, ad quem curam eiusdem aecclesiae pertinere praediximus, idem coenobium visendorum gratia fratrum adire; qui cum sagaci industria primitus aecclesiae utensilia investigaret, ac deinde singulorum tam senum quam iuvenum studium quod eo loci tunc temporis sub praenotati iustructoris dogmate clarissimum floruit, diligenter examinaret, ut eundem puerulum magistri ceterorumque commendatione adeo studiosum agnovit, mira eum e vestigio familiaritate prae ceteris adamavit, secumque abducens, acsi in filium sibimet spiritualiter adoptavit. Nec longo post tempore, regiam expedicionem comitando Italiam perrexit, puerumque secum probationis tantum gratia transvexit. Qui etsi pro parva virium valitudine nullum ei adhuc condecens obsequium nisi tantum in psalmis vel scriptura posset adhibere, sciens tamen quia obedientia melior est quam victima, studuit devotionem ac assequelam humiliter exhibere. Sicque quod viribus nequiverat, fidelitatis exhibicione morumque laudabili praeostentatione sibi eiusdem antistitis animum indissolubiliter colligaverat. Venerabilis etenim episcopus sospes Dei gratia post aliquot menses domum reveniens, adoptivumque sui filium divina suffragante clementia de virtute in virtutem proficere laetus intelligens[b], accolitum eum et subdiaconum ordinavit et cuidam Liudfritho[c], qui in ipsa sui metropoli in enutriendis pueris studuit, artibus inbuendum commendavit. Cum vero iam ibidem scolari studio aliquamdiu insudaret[d], cumque scolasticorum more quisque alterum praeire alternatim studeret[e], beatus Godehardus[f] singulos aut praecessit aut equiperaverit; adeo, ut nisi id quod scribitur: *Quanto magnus es humilia te*, in omnibus sepius inspexerit, facile se eidem suo magistro Liutfritho[g] tam lectione quam dictamine contulerit. Sicque ad unguem usque perductus[h], coenobium suum unde venerat[i] cum[k] praesulis gratia repedaverat[l] laetabundus[m], insolito praestans[n] conamine, semet sane caeterosque in divino confirmando servimine. Qui[o] cum ibidem in universali ca-

Eccli. 3,20.

a) induxerant 1. b) *loco sequentium* accolitum — commendavit *haec prius habebantur:* coepit cum suis familiaribus sollicite tractare, ubi eum condigne secundum inditum sibi divinae donationis munus plenius inbuendum posset collocare. Et tandem suorum consilio praedicto pueri magistro de Altaha accito [vel accersito *in marg.*], insimul eos, magistrum scilicet et discipulum, Pataviam ubi tunc quodam[a] N. ibidem dogmatizante celebre studium agebatur transmisit, ibique eos suo quidem nepoti Panzoni[39] eiusdem loci episcopo, qui paulo ante ipsius adiuvamine[b] de eodem Altahensi monasterio in hunc episcopatum[c] subingressus est, commisit. Qui eos tam episcopi commendatione quam priscae fraternitatis dilectione liberaliter suscepit, ac omnem eis in quibusvis necessariis affluentiam sufficienter inpertiri praecepit. Ipse quoque gloriosum iuvenem G. oportunis temporibus interposita tamen congrua intervallorum distantia a primo exorcistarum gradu usque in diaconii dignitatem exaltavit. c) Liuī, *in marg.* Liudfritho. d) insudarent 1. e) altenatim studerent 1. f) G. 1. g) O. 1. h) ambo perducti uel perfecti 1. perductus uel perfectus 2. i) uenerunt 1. k) c. utrisque p. 1. l) repedauere 1. m) letabundi 1. n) praestantes 1. o) *horum loco* Qui — ordinatus *haec prius legebantur:* VII. Post non longum vero tempus, cum praedictus F. episcopus ad providendum monasteriale commodum illo iterum veniret, praepositumque ibi constituere deberet, videns fratres data eis adoptione inter se quem vellent elegendi invicem discordare[d], nec se posse id sua praesentia mitigare, tandem deifica ammonitus instinctione, huiusmodi dissensionis lolium radicitus suae auctoritatis sarcolo resecando sapienter diremit, dilectoque suo filio domno G. eiusdem cenobii curam, nullo tamen eorum qui priores erant quia aequanima [*in marg.* unanima] eum caritate dilexerant dedignante, potestative delegavit 1.

38) i. e. biblia. 39) Piligrimo. a) quodō *c.* b) aduamine *c.* c) epm *c.* d) discodare *c.*

nonicae utilitatis studio frugaliter ferveret, et magis magisque in eo coelestis gratiae splendor diatim eluceret, a Biligrimo[a] Pataviensi episcopo diaconatus ordine sublimatus, communi fratrum electione, quia unanima eum caritate dilexerant, in eodem monasterio est praepositus ordinatus. Qui tunc accepta semet ostentandi libertate, qualis postmodum futurus foret, quod 5 quidem ante etate metu magistro prohibente occultaverat, manifestum exhibuit, quia totum quod aut ex sua proprietate aut etiam aliunde potuit acquirere, in usus creditae sibi aecclesiae fratrumque fidelis procurator distribuit.

7. Sed[b] iam[c] aliquot annorum evoluto curriculo, cum eundem locum in melius renovari divino placeret arbitrio, scilicet post execrabilem immo miserabilem seditionem quae 10 fuit inter praedictum ducem Heinricum, piae memoriae Heinrici imperatoris patrem, et alium 984. Heinricum Carentinorum ducem, Berhtaldi ducis filium, de coniuratione quam ipse Heinricus dux Pawariae contra tercium Ottonem imperatorem adipiscendi regni gratia exercuit, quae hic iam pleniter inscriberetur, ni praecessorum nostri studio in cronicis[40] veraciter haberetur, iam sepe dictus Heinricus divina[d] ammonicione instinctus, ut erat omni virtutum orna- 15 mine praecinctus, idem Altahense coenobium in monachici ordinis melioracionem transferre decrevit, quod et divina opitulante gratia perfecit. Nam divino ut constabat et adhuc constat 988. auxilio, et virorum illustrium sane Biligrimi Pataviensis episcopi, et Wolfgangi[e] Radisbonensis episcopi consilio, quendam Erkanbertum iustae conversacionis de Suevia eo acquisivit, cui idem monasterium ad instituendam eo loci regulam sancti Benedicti commisit, data quippe 20 coenobitis generaliter licencia elegendi, aut monachos fieri aut quo mallent digredi. Qui mundanis voluptatibus inretiti, unanimi conspiracione ceperant reniti, sicque unanimiter a monasterio excussi, quo quemque vel voluntas vel facultas duxerat sunt digressi, excepto solo eorum primate, qui quamvis iuvenis esset etate, omnes tamen ut in hoc et in pluribus claret praecesserat ingenii ac sapienciae quantitate. Iste columbinam sui simplicitatem ser- 25 pentinae prudenciae condimento temperando, moreque Iacob patriarchae mundana quaeque deserendo votum vovit Domino; et credens apud Deum sibi corrollarium iusticiae repositum, 12. Kal. Ianuar. monachicum devote subiit propositum. Sed quanta in eo e vestigio succreverit constancia, nullius mortalis ad integrum evolvet eloquencia. Nam praedictus abbas Erkanbertus videns illum ad omnia indesinenter obedire, et institucioni monachicae acsi in 30 eo ordine non solum enutritum verum penitus emeritum probabiliter inservire, letus et exultans sibi eum in spiritualem filium subrogavit, eique omnem eiusdem coenobii curam post se potestative delegavit, ita ut nihil in eodem coenobio in aliquibus ordinaret, nisi quaeque prius ipsius consilio praetractaret. At iste noster memor apostolici praecepti dicentis: *Tu vero vigila, in omnibus labora, ministerium tuum inple, sobrius esto*, adeo exinde vigiliis et 2 Tim. 4, 5. 35 oracioni incubuit, ut sepius pernoctando in ecclesia psalmis et imnis et canticis spiritualibus institerit; labori autem operandi tantopere instuduit, ut in non longo tempore edificia canonicorum usui apta destruxerit, aliaque monachorum necessitudini convenientissima ut vel hodie patet celerrime restruxerit: sobrietati et abstinenciae semet in tantum devovit, ut non solum inlicita minime temptaverit, verum et a licitis — cibo et potu dico — corpus sepius pane 40 et aqua ieiunando mirabilius dicto refrenaverit. Quid multis immoror? In omnimodae perfeccionis ministerio tam inrecitabiliter exarsit, ut vix ei in huiusmodi virtutibus inter probatissimos parem, nullum inveniamus priorem. Talibus coelestis gratiae floribus habunde redimitus, ut de virtute in virtutem ascenderet, Biligrimo Pataviensi episcopo in cuius parroechia idem monasterium situm erat defuncto[41], a sancto Wolfgango Radisbonensi episcopo 45 presbiterii dignitate et merito est insignitus. 992.

8. Sed iam septennio post monachicae[f] ibidem institucionis iniciacionem elapso, venerabilis dux Heinricus cuius cura et studio eadem inchoacio accrevit, cum tocius regni inenarrabili merore 5. Kalend. Septembris obivit. Ne vero post eius mortem in illa regione ulla 995. Aug. 28. pernicialis adolesteret perturbacio, condigna statim divinitus est indulta consolacio; quia 50 praeclare indolis puer, filius eius Heinricus, quem postmodum imperatorem vidimus, ducatum obtinuit; qui studiosa sagacitate patrissans, in ipso iuventutis flore tocius eleganciae titulis insignis enituit. Fuerunt eciam aliqui quibus in praedicto monasterio monachicae vitae informacio ab inicio displicuit, quod tamen eis priori duce vivente, eius scilicet reve-

a) Biligri.. c. b) *manu* 2. c) Iam uero 1. d) dic una 1. e) wolgangi c. f) manachicę c.

55 40) Thietmari lib. IV, 1 sqq. 41) a. 991 cuius successori Christiano Otto III. ecclesiae possessiones d. 27. Ianuar. 993 confirmavit.

renciae gravitatisque metu praemente, palam profiteri non licuit; maxime tamen clericis qui de eodem monasterio ut praenotatum[a] est proturbabantur machinantibus, de sui sane reieccione condolentibus; qui unanimiter conspirando ad iuniorem ducem congregati, et contra Erkanbertum huiusmet loci abbatem ficta incusacione inportune instando conati, non ante a sua falsidica suggestione quieverunt, donec ei coram eodem duce maximam invidiam 5 maliciose conflaverunt. Nam ipse, ut ea etas facile adolantibus aurem praebet, eorum non audiendae peticioni inprudens satisfecit, eumque sine ulligena iustae criminacionis racione a suae dignitatis antisticio deiecit. Tunc quidem domnum Godehardum[b], quia eum patri suo ante familiarem noverat, eiusque frugalitatem tam primatum suggestione quam et propria praesensione iam iamque melius agnoverat, eadem congregacione conrogante, omnique illius 10 provinciae dignitate consiliante, in hancmet dignitatem substituere decrevit; quod ne fieret ipse quidem mirabili dilatione certe per biennium sapientissime diremit. Primo namque in Radisbona idem dux cum omnibus eiusdem provinciae primoribus generale super hoc colloquium habuit, ubi eum ut sub totius cleri plebisque testimonio eidem cenobio abbas praeficeretur praesentem exhibuit. At ipse ut erat medullitus sincerissimo deificae sapientiae 15 sale conditus, armorumque spiritualium idonea amphiseptione undique munitus, primitus se convenienti apollogio ad hoc regimen imparem humiliter excusavit, utque alius quereretur quem huic fastigio convenientius praeferrent intencius rogavit. Dumque a principe ceterisque minime acquiesceretur[c], quin eo amplius idem honoris onus subire unanimi conclamacione iuberetur, tandem manifeste in faciem omnibus restitit, curque eis tantopere restiterit hu- 20 iusmodi relacione ipso duci coram omnibus eloquenter aperuit.

9. *Grates*, inquit, *gloriose princeps, pro scire condignas refero vestrae pietati, omnique insimul huic coadunatae dignitati, quia nullo meimet in quibusvis praeveniente merito, me idoneum opinari dignabamini huic tanto ac tali fastigio. Sed quanto me talibus condigniorem sinceritatis vestrae faciem intendendo consonat frugalitas, tanto reprobaciorem propria memet* 25 *cordetenus intuendo resonat fragilitas; et idcirco in quo ipsi mihi ad idem*[d] *regimen videar dedecere, concordiae vestrae ut modo advertere dignetur gestio manifeste perhibere, hoc unanimitati vestrae subiectus supplicando, ut si quid inscicia praepediente minus idoneum offudero, id non in offensam vestrae magnificenciae, sed in culpam meae deputari ignoranciae. Nam me melius nostis summopere decere queque in vestrae sublimitatis conventione tractanda, solli-* 30 *cita prius examinatione praescrutari, et unum quodque vestri decretum tanta ex omni parte auctoritate fulciri, ut nemo causari cogatur sibi in vestra praesencia aut imponi quod nolit, aut eripi quod velit. Si enim omnes qui constituuntur de seculi legibus iudicare, in*[e] *omnimoda mentis temperie*[f] *sub ultoris gladii interminacione iubentur vacare, et si qui quolibetmodo contra leges sunt, legibus digne praeiudicare non possunt, multo magis in vestrae dignitatis con-* 35 *cilio*[g] *quaeque debent satis provido praetrutinari consilio, ne dum inconsulte leges legibus queratis, nullas omnino leges habeatis. Nam conquero abbatem meum, cui me spontanea dedicione in obediendi clientelam devovi, sub cuiusque regimine pro posse et nosse divinae sanctitati humiliter famulari decrevi, ab eadem dignitate ad quam protrahor iniuste depositum, et in hoc non solummodo canonum sed etiam secularium legum quibus nec nocens quilibet nisi inre-* 40 *praehensibilibus accusatoribus sub convenienti decretorum iudicum testiumque examinacione praesencialiter adhibitis publice convictus dampnari sinitur, violento praeiudicio temeratum esse propositum. Quapropter antequam ille priori tam dignitati*[h] *quam gradui quibusque suis licite perfruens canonice restituatur, sicque aut ab audiendis super clericali delatione accusatoribus et etiam convenienti loco et legitimo vocationis tempore convictus, ab his iudicibus* 45 *quibus ecclesiastica iura discutere licet regulariter deponatur, aut mendacibus divinae vel correptionis vel ultionis censura sinodaliter refutatis, ab obiecti criminis nevo laudabiliter excusetur, nullum ei successorem nec privatim nec publice querere debetis, ut tantum tenorem observare dignemini conservandae defendendaeque a vobis equitatis. Nec enim inermes cum armatis rite pugnare, nec suis rebus amicisque privati facile poterunt infestantium adinventio-* 50 *nibus obviare. A primoribus sane nostris, o dux venerabilis, qui circa vos resident episcopos loquor, qui synodicis sepissime interfuere immo praefuere decretis, qui vos hoc docere et debere creduntur et velle, sufficienter poteritis huiusmodi sententias ediscere, ut sciatis in quo vobismet subiunctoque vestrae dicioni tam clero quam populo debeatis cautius prospicere, nedum quorumcumque delatorum adulationi videmini aurem sepius accommodare, ecclesiastica iura* 55

a) praenatatum 1. b) G. 1. c) acquieretur *c.* d) ad i. *manu* 2. e) *manu* 2. f) intemperie 1. g) consilio 1. h) dignitate 1.

estimemini velle more quorundam ad nummorum quantitatem trutinare. Sed et vos, o patres in summe beatitudinis albo sub vice boni pastoris qui posuit animam suam pro ovibus suis conscripti, qui supra domum Dei quae est universalis ecclesia episcopale ministerium accepistis spiritualiter electi, haec quae tractantur negocia spiritualius providete, et ne in posterum talia aut in vobismet ipsis aut in vestratibus patiamini, talia tamque illicita ne fiant prohibete. Scitis namque et bene scitis, qualis esse debeat si pro peccatis evenerit — non dico episcopi vel abbatis verum infimi cuiuslibet sub aliquo tamen gradu constituti — deposicio, si tantum non solum quatuor principalium sinodorum sed et Remensis[42] *ceterarumque in quibus plura super talibus recitantur iure suo perfrui conceditur, annosa probataque constitucio. Et quia inibi locus, tempus, culpa, iudex, testis, accusator, et accusatus, provida consideratione canonice praenosci iubetur, deifica ammonitione compuncti procurate, ne ille quem iniuste Deoque indigne reiectum non ignoratis, sub turpissima vestri tam honoris quam ordinis insultatione innocens dampnetur.*

Nam scimus iuste convenire propulsare neglegentes, sed ita ne ultra modum roborentur nocentes. Quapropter facienda tolerandaque et in hoc et in ceteris sapienter decernite, et ne postmodum tam illicita fiant zelo iusticiae divinitus defendite, ut dum subditis debita procuratio non negatur, praelatis honor consequens sine periculo murmurandi exhibeatur. Quia ergo ut praedixi scio abbatem meum innocentem, et me etiam si digne sine illius iniuria promoveri possem ad hunc apicem minus convenientem, et idcirco Deo teste maxime refugio antisticii sui regimen subire, ne existimer emulorum[a] *eius faccioni faciendo consentire. Unde in commune omnium vestri sublimitatem implorans, quantum ad me vos devotius ammoneo, ne divino quod ubique iusticiam praeponderare vult renitentes testimonio, aut illum iniuste reiciatis, aut me ad tale facinus perpetrandum compellatis. Alioquin si humilitatis meae ammonitioni dedignando non acquieveritis, sed in vestra inceptione temere persistiteritis, sufficiat mihi deificae iussioni obediendo veritatem humiliter annunciasse, animamque meam a tam Deo odibilis consilii assensione liberasse; et quod solum possum faciam, quod idem onus nullo blandimento seductus, nec aliqua tormentorum inmanitate conpulsus attingam; quia melius est mihi incidere in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini, apud quem est consciencia nuda, et a quo non absconduntur occulta.*

10. Cum vero hac huiusmodi oracione non solum contra principis ceterorumque voluntatem se non defenderet, verum omnium mentes hac sapientissima dulcissimaque rethorizacione in sue promocionis effectum eo amplius accenderet, omnes unanimiter duce scilicet haud nolente vociferantur, non eum propter has occasiones quas in dilationem suae solummodo subvectionis sapienti commentatione protulerit dimittendum, sed eo amplius ad fastigium ad quod condigne generali omnium deliberatione non etiam sine divinae iussionis instructione electus sit producendum. At domnus Godehardus[b] ubi animadvertit hoc ingens venerabileque tam episcoporum quam et aliorum principum concilium ab hac huiusmodi sententia nullatenus nisi non sponte velle desistere, nec se diutius eorum maiestati nisi cautius provideretur posse resistere, tandem ab principe licentiam cum abbate[c] fratribusque qui in eadem urbe, in monasterio videlicet sancti Emmerammi martyris, Deo militabant secretius colloquendi postulavit; quam ipse hilari animo, suam quippe voluntatem eo citius adimpleri posse opinans, promptissime condonavit. Qui praedicti introiens claustra cenobii, quid consultaturus advenerit abbati in facie omnium cenobitarum asseruit, seque si eorum id unanimitati placeret ad monasterium suum unde venerat malle digredi quam tali onere contra Dei voluntatem deprimi, eis evidenter aperuit. Abbas vero ubi hoc cum suis nihil sane nisi divina contuentibus diu prudenterque pertractavit, quod sibi divina praemonitio inpunxerat, hoc sibi suisque omnibus saluberrimum videri fideliter approbavit, quoniam melius esset cuiuscumque secularis potentiae offensam ad tempus subire, quam spiritualis iracundiae districtionem pro inani quadam ambicione sub inenodabili anathemate perpetualiter inire. At ipse pro generali eorum consensu gratias divinae pietati retulit, seque hinc ad[d] monasterium in consortium videlicet fratrum suorum celerrime detulit, sciens se nullo apud principes detinendum eventu necessitudinis, postquam se regularibus defendendum commiserit claustris. Venerabilis autem dux Heinricus[e] postquam in palatio iam non modicum

a) emolorum 1. b) G. 1. c) Rantvaldo *in margine codicis.* d) in 1. e) H. 1.

42) SS. III, 658 sqq.

diei tempus cum principibus exspectavit, misso demum nuntio eum in sui praesentiam relegari mandavit; ubi vero revertente legato eum[a] sola ne in hanc dignitatem exaltaretur causa se subduxisse rescivit, infecto negotio quod intendebat concilium dimisit, non tam super sui contemptu commotus, quam illius quem iam tunc, ut vel hodie in plurimis claret, unice dilexit, humilem sanctitatem et sanctam humilitatem hilariter admiratus. Sed ut quaeque scripturarum etiam obscuriora in sincerissimo pietatis suae pectore memoriter retinebat, aliquibus utriusque ordinis[b] quibus mens levior erat dedignantibus, et quantum illius praesentia deterrente praesumebant super praedicti senioris illicito discessu conquerentibus, hoc secum tatite[c] volvebat, quod idcirco nunc patrono quippe suo deposito refugerit exaltari, ne forte pro hac audacia in posterum debuerit humiliari, quin immo modo libentius humiliaretur, ut quandoque Divinitate propitia convenientius, ut Deo gratias evenit, exaltaretur. Nuncios tamen suos ad eum dux frequentius destinavit, per quos eum ad se venire caritative rogavit, qui nullis potuit vel minis vel blandiciis moveri, ut se tam liberali, etsi sibi eum amicissimum non ignoraverit, praesentaret seniori. Iamque annali spacio revoluto, quod nullo modo reduci posset a sue mentis instituto, tandem dux eandem Altahensem abbatiam Meginhardo[d] Hecstediensi[43] episcopo in beneficium commendavit, et ei tamen ut inibi monachicae institucionis curam provideret commendavit. Quod iste noster, quamquam inconveniens sit ut aliquis nisi monachus monachis praeferatur, non tamen tulit indigne; sed in suae professionis debito Deo servivit benigne, sciens obediendum non tantum bonis et modestis sed etiam discolis.

996. 11. Deinde post anni circulum praedictus dux etsi iuvenis esset etate, plenus tamen prudencie gravitate, divina sibi suadente instigatione eundem predictum locum cum aliquot episcopis aliisque primatibus adiit, domnumque Godehardum[e] ut vel adhuc sibi consentiret quo[f] eidem cenobio abbas praestitueretur intentius expetiit, dicens se in hoc maxime dolere, honorem tantae religionis a genitore suo institutum sua suorumque neglegentia in quos fines seculorum devenerint[44] dilabi debere. At ille vir religiosus, equitatis in quibusvis praeponderator curiosus, quid super his sanioris consilii arripiat, praemeditatione longae deliberationis alternat. Plurima quippe insimul occurrerunt, quae eum ut in talibus solet[g] maxime sollicitum reddiderunt; primo quippe abbatis sui quam iam per biennium querebatur iniusta deposicio, deinde principis si ei diucius adversaretur commocio, et ad ultimum quod et maximum, loci illius et religionis quam inde evenire posse timebat destitucio. Sed tandem fratrum sui congregatione cum familia conclamante, omnique conprovincialium frequentia submonente, ut super abbatis sui deiectione diutius conqueri destituerit, dum ipse quidem super hac querimonia numquam vel ad sinodum vel ad aliud concilium per biennium advenerit, maxime cum quilibet clericus si infra annum causam suam super quacumque iniuria contempserit exequi, canonica auctoritate prohibeatur postmodum exaudiri. Hac tunc ammonitione a sua rigiditate reductus, fratrumque unanimi conclamacione compulsus, ducis seque fratresque pietati commendavit, utque eis in animae tantum salvacione provideret intentissime rogavit, et[h] quod actenus omni qua potuit protelatione prohibuit, semet ipsum ad sui voluntatem et ecclesiae fratrumque utilitatem[i] promtum exibuit. Sicque cum ingenti principis omniumque conprovintialium tripudio, ad idem regimen electus, sextis Kalendis Ianuarii in loco qui dicitur Ruonodeshoben[45], quo eum praedictus dux nativitatem Domini secum[k] celebraturum familiaritatis causa transduxit, a Christiano Pataviensi episcopo, qui Bilichrimo successit, abbas est digne consecratus. Quantam ergo tunc vel in semet ipso ad Dei scilicet servimen exercendum constantiam, vel etiam ad forenses causas assumpserit providentiam, nullius non solum lingua profari, sed[l] nec mens quidem potest singula recordari.

Dec. 27.

997. 12. Igitur qui ab ipsa infantia quibusque suis praeceptoribus competenter studuit subesse, in brevi didicit omnibus sibi subditis non tam salubriter praeesse, quam et utiliter prodesse. Inprimis namque si quid ibidem per praememoratum biennium per alicuius neglegentiam dilapsum est, vel in ecclesia vel in ceteris edificiis quae ut supra diximus in

a) e. se sola 1. b) o. super illicito q. 1. c) *i. e.* tacite. d) M. 1. *in margine* Meginhardo *littera* R *ipsius scriptoris manu supra* g *posita* 2; *quod in* Megingoto *recte correxit manus saec. XIII aut XIV.* e) G. 1. f) ut 1. g) assolet 1. h) et semet ipsum q. 1. i) hutilitatem 1. k) *manu* 2. l) *manu* 2.

43) Eichstädt. 44) anno scilicet millesimo post incarnationem Domini appropinquante. 45) Rantes-hofen.

monachicae[a] necessitatis utilitatem transmutavit, hoc ocissime summa sufficientia in melius restauravit; et si quid fratribus subtractum erat in vestitu vel stipendio, sagaci totum adimplevit reinpendio. Sed postquam intellexit locum illum in quo idem monasterium situm est, Danubio frequenter subito inundante aquarum inmensitate proturbari, adeo ut ibi aut nequaquam aut vix ad deponenda fidelium corpora sepulchra possent fieri, montem quendam qui usque hodie Helmgeresberch dicitur ab orientali parte ecclesiae in ripa fluminis Suarza, silvis adhuc solitudineque deformem elegit, in quo divinum ministerium quod deifica adiutrice sophia perfecerat ordinare decrevit. Nec mora, silvis vepribusque erutis et exustis, eundem montem undique adequavit, et quod incredibile memoratu est, manibus tam suis quam et operariorum ligna lapides terramque comportando mirabiliter immo laudabiliter ampliavit. Cui et castellum pulcrae magnitudinis et magnae pulcritudinis celeriter imposuit[b], in eoque sacellum in honore sanctae Mariae rotundum[c] omnimodaque speciositate iocundum, cum edificiis tam regali quam et canonica monachicaque habitationi[d] convenientibus disposuit, quae omnia muris firmis et excelsis devinxit et undique extra muros vineis[e], pomariis, hortis piscinisque circumcinxit. His quidem ad velle dispositis, coenobium eo loci canonicorum regulariter adunavit, quod non minus spirituali quam carnali refectione prudentissimus domini sui dispensator saluberrime pavit. (997.)

13. Post aliquot dehinc annorum curricula, cum divina clementia decerneret[f] lumen tanti dogmatis latius dilatari ad depellenda demoniacae machinationis pericula, tertio Ottone, piae memoriae imperatore ex hac luce ad perpetuam migrante, et sepe iam dicto Heinrico duce deifica praelectione et totius regni consensione in regimen subintrante, illius principatus anno quarto, Bernharius Herveldensis abbas, secundum seculi dignitatem laudabilis, hanc temporalem vitam perenni mutavit; cui domnum Godehardum[g] Heinrico rege mediante tota catholicae religionis concordia subrogavit, quatenus monachos ibidem non regulariter vel etiam canonice sed pompatice enervateque viventes ad dexteriora reduceret, et eis verae religionis sectam indiceret. Ipse quippe solus cum suis tunc temporis inveniebatur, qui illius modi institutionis normam recte consequi videbatur. Quem postquam illuc Willigisus metropolitanus Mogontiae perduxit, et pleniter de vita et conversatione et de moribus etiam ibi cohabitantium instruxit, postquamque et ipse insita sibi sagatitate quaeque satis exploravit, tunc ut de beato Hieronimo dicitur, fortiter excaluit quicquid ratione probavit, quicquid vero indecens monachicoque tam nomini quam et religioni minus idoneum invenit, totum spiritualis zeli sarculo festinantius diremit. Nam ut scribitur: *A sanctuario incipite!* (Ezech. 9, 6.) fratribus primo delectionem de duobus proposuit, quo aut suam, immo sancti Benedicti, regulam pro ingenii nosse viriumque posse imitarentur, aut quo mallent patentibus portis secure digrederentur. Cumque sibi si illic permanerent, ut de aliquibus eiusdem ordinis doctum est conspicerent illicita non licere, et assueta derelinquere, generali conspiracione coadunati, a monasterio simul non minus quinquaginta[h] egressi, et in quaecumque loca sibimet pernitiosius, duobus tantum vel tribus ex eis cum abbate in monasterio remanentibus, sunt dispersi. At tamen idem ipsi ubi nusquam aliquod receptaculum quo se possent continere invenerunt, eodem quidam post mensem vel duos vel tres, quidam vero post annum vel tres vel quatuor revenerunt, ita ut eos omnes infra septem[i] annos quibus illic praefuit in praedictum coenobium non ex sua parte vi vel potentia sed propriae necessitatis conscientia coactos reduceret, ante quam illud dominium relinqueret, exceptis tantum tribus, quos omnes sepe vidimus. Nam unus eorum nomine Ricbertus[k] monachico adhuc habitu indutus Mersburg morbo videlicet pedibus eius absumptis scolari studio[l] praesedit, sed postea in Thuringia in coenobio quod dicitur Ordorf scolis praefuit. Alius vero Amelung nomine in Fridislarensi monasterio, abiectis monachicis, decanie primatum[m] optinuit. Tertius vero Hildilinus qui ab Erkenbaldo archiepiscopo decenter habitus, sed ab Aribone in praedictum Herveldiae coenobium detrusus, ibidem sub Arnolfo abbate multa quae huic descriptioni inserere supervacuum estimavi est perpessus, qui[n] postea ab Rodulfo abbate[46] exinde reiectus, circumquaque pauper vagabatur et incertus. Sed postquam se nullibi consistere (1002.) (1005.) (46)

a) manachicę 1. b) composuit 1. c) rotandum 1. d) habitatione 1. e) *manu* 2. f) d. lucernam tanti dogmatis modio subtrahi candelabroque decreuisset superponi 1. g) G. 1. h) L sunt e. 1. i) X 1. VII 2. k) eorum N. 1. l) praesidet. Alius 1. praesedit *usque* praefuit. Alius 2. m) optinet 1. n) qui nunc ab N. abbate exinde reiectus, circumquaque pauper uagatur et incertus. Quantum 1.

46) annis 1031—1036.

posse cognovit, illo iterum supplicando revenit. Quantum autem ille noster senior ibi per hoc septennii[a] tempus in edificiis, vetera scilicet inconvenientiaque destruendo, et alia nova et etiam convenientiora reedificando laboraverit, quisque illo veniens vel hodie satis non tam contemplari quam et admirari poterit. Ibi etiam ultra flumen Fuldam monasterium ab antecessore suo Bernhario in honore principis apostolorum inceptum studiose consummavit, et illuc concionem clericorum eis certae annonae vestitusque necessaria dando, quae ibidem adhuc divinis himnis inserviens permanet, congregavit. Inter diversas etiam eiusdem abbatiae curtes, kiricas[b] plures cum aliis pulcrificis habitaculis construxit, sicque in brevi eundem locum ad summum libertatis honorisque fastigium omnimoda sapientioris ingenii procuratione perduxit.

14. Erat etiam in Bavariae partibus cenobium quoddam monachorum in loco qui dicitur Dagarensie[47] pastorali tunc temporis cura destitutum, quod huic nostro similiter est commendatum, quatenus ibi commanentibus monachis tramitem verae religionis praemonstraret, eosque consuetudinum suarum quibus iam ubivis quosque praecellerat secta ad discernenda a licitis illicita reformaret. Quod quidem[c] quam celeriter adimplevit, quia divina eum gratia[d] praeveniendo comitando et subsequendo in omnibus adiuvit. Igitur cum iam eum diutius mundialis pompae quam numquam non aspernabatur deceptiva gloriatio non delectaret, quin ipsa iam olim crucifixo sibi mundo crucifixus dissolvi et esse cum Christo plus omnibus exoptaret, cernens siquidem inter multiformia secularium dignitatum negotia quae nolens vel volens procurare cogebatur plus sibi diatim succrescere oneris vel impedimenti, quam spiritualis quod solum reiectis omnibus quaerebat incrementi, imperatorem apud quem (1012.) summa ut omnibus notum est familiaritate praeminebat fiducialiter adiit, utque se in solo Altahensi regimine contentum a ceteris relaxaret humiliter expetiit, quatenus a mundanis quae numquam adamavit aliquanto securior, in orationum nota sibi solitaque assiduitate possit esse frequentior. Sed quamvis ei in imperiali praesentia velle tantum suum insinuare, totum foret impetrare, imperator tamen inaudita eius peticione commotus, immo conturbatus, huiusmodi studuit ei prohibere conatus. Cum vero ipse in hoc nequaquam acquiesceret, sed eo firmiori conamine in sua peticione persisteret, tandem secundum eius consilium duobus suis monachis quos ipse nutriverat, et ad hoc vita et moribus idoneos cognoverat, quos etiam antea in Herveldensi cenobio post semet primates ordinaverat, commendatae sunt sedes praedictorum regiminum; Arnolfo quidem qui usque ad nostra tempora ibidem (1005–1031.) dominabatur Herveldensis, Burghardo vero cui omnes qui eum noverant bonum testimonium reddiderant Degarensis. Ita his Deo laudabiliter ordinatis, domnus Godehardus[e] ad Haltaha remeavit, ibique finem vitae suae solis divinis laudibus ac ovium suarum utilitatibus intentus, expectare decrevit; sicque illic in sanctissimo voluntatis[f] suae proposito per novem[g] annos habitavit, nisi quod interdum ad domnum imperatorem comeavit, cui semper omnium acceptissimus comes et confabulator exstitit.

(1021. Dec. 3.) 15. Eo tempore dum quadam dominica nocte qua adventus Domini inchoabatur more suo vigiliarum officia peregerit, et post matutinale tempus, quod tamen raro vel antea vel etiam postea fecit, modicum requiescere decreverit[h], et ut quibusque post inmensas laboriosasque vigilias accidere solet, repentino somno suppraessus est, et in ipso obdormitionis momento portentuosum vidit somnium, quod certe futurae suae promotionis fuit evidens indicium. Quod quia tam ex ipsius quam et familiarium eius quibus id in inicio denunciavit relatione cognovi, hic idcirco inserere et necessarium et etiam oportunum estimavi. Nam videbatur sibi, quod in medio atrio claustrorum arbor quaedam staret speciosae pulcritudinis, ramis quidem et foliis multis acsi in modum scenae per patulum diductis, in invicemque firmiori quadam complexione conexis. Quam cum vehementer omnes admirarentur, subito sibi imperatoris nuntius[i] supervenisse videbatur, qui eum per vitam ipsius adiuraret, quo ei eandem arborem in usum obumbraculi procul dubio transmitteret. Qui dum[k] iussioni ut putabat obtemperare conatur, arborem subfodiendam aggreditur; dumque id quomodo cautius fieri posset perquirit, eandem arborem aridam et prorsus inutilem intellegit. Ubi vero reiectis ramis ad radicem usque fodiendo pervenitur, quanto altius infoditur, tanto maior pulcriorque radicum habundantia repperitur; sicque arborem simul cum radice assum-

a) decenni 1. b) kirias 1. c) quidam 1. d) gloria 1. e) G. c. f) voluntatis mentis *iterum deletum.* g) VIII. 1. VIIII. 2. h) decrevit 1. i) nuntiis 1. k) ut 1.

47) Tegernsee.

pserat, et eidem nuntio imperatori uti petiit deferendam commendaverat. Cum autem iam evigilasset et hancmet visionem secum diutius pertractasset, cognovit certe uti res erat hanc ad se suosque pertinere, et nimia anxietate fatigatus cepit non tam suae vitae quam etiam sibi subditorum saluti non modicum timere; sperabat quippe se, qui quasi radix eiusdem 5 loci nec inmerito videbatur, ex hac vita transiturum, et quamvis eum spes fidesque quibus semper divinae misericordiae coherebat de retributione futurorum praemiorum facerent securum, verebatur tamen germen plantationis suae quod eo loci[a] Deo favente noviter ordinaverat, a verae religionis genimine penitus disperiturum. Tandem vero dum quid in talibus ageret anxiaretur incertus, nepotem suum Ratmundum[b] praeclarae scilicet indolis, qui 10 quantum tenella adhuc sinebat etas probabiliter effloruit, qui etiam illi post quinquennium in eodem regimine successit, in hoc sibi simmistam assumpserat, eique idem somnium indicans, ut pro hoc sollicitius tractaret imperaverat; et ita per totum illum annum maioribus vigilandi orandi spallendique studiis intentus, quid ei divina pietas quae cuncta praenoscit ostendere dignaretur, inter spem et metum expectavit suspensus. (1022.)

15 16. Itaque cum iam deifica providentia non eum ut sperabat mundo eximere, sed cuius tunc doctrina ubique in monachica professione praefulsit etiam non solum canonicis sed et fidelibus laicis doctorem vellet praestituere, quo tantae tamque habundantis lucernae splendor qui inter monachos acsi sub modio latuit exinde elevaretur et ad illuminationem orbis candelabro erigeretur, contigit imperatorem de Bavenberch ad disponenda regni negotia Saxo- 20 niam autumnali tempore visitaturum; qui eundem seniorem accersivit secum familiaritatis gratia comitaturum. Dum autem imperator Cruona[48] aliquandiū resedit, piae laudandaeque memoriae domnus noster Bernwardus sanctae Hildenesheimensis ecclesie 13[us] praesul, diutina languorum inflammatione quasi aurum per ignem ab omni commissorum rubigine ad purum excoctus, et ideo ut vere speramus in sacrificium Deo electus, 30. praesulatus sui 25 anno cum inenarrabili omnium merore 12. Kalend. Decembris ex hac vita migravit. (Nov. 20.) Qui quam in divinis humanisque per omne vitae suae tempus esset studiosus, facillime quivis intellegere potest curiosus, quia dum mundus iste volvitur semper eius memoria apud nos in quam plurimis condigna admiratione praesentialiter excolitur. Sed divina clementia quae digne invocata semper quaeque merorum pellit inminentia, dum nec ecclesiam suam nec 30 nos[c] tantillos vellet pastore privari, misericorditer nos dignata est consolari, quia huic sepe iam dictus senior Godehardus, Dei praelectione et totius cleri ac populi consensione Heinrico imperatore consiliante succedens, 4. Nonas Decembris die dominica adventus Domini (Dec. 2.) ab Aribone metropolitano Mogontie cum summo[d] quorumlibet tam nostratium quam et ceterorum tripudio in praedicto loco Deo gratias consecratus est. Quanta ergo nobis in eius 35 optabillimo adventu fuerit leticia, nullius nisi eorum qui et illi confore et hunc videre meruerant animadvertet intellegentia, quoniam non modo luctum quem nobis contulit prioris patroni nostri discessus adnullavit, verum quaeque nostra gaudimonia multipliciter et inestimabiliter ampliavit.

17. Nunc vero quia ad consecrationem eius nos in hac descriptione pervenisse gaude- 40 mus, certe de interpraetatione praetitulati somnii aliquid prout Deus donaverit coniectari debemus. Dum enim historiam sicut in praesenti anno praescripta est sollerter intuemur, quid insinuet manifestius edocemur. Arbor namque, quantum exiguitas mea opinatur, ipse domnus noster congruentissime intellegi datur, qui in eodem monasterio ad comparationem fructuosissimae cuiusdam arboris ramorum foliorumque habundantiam, id est spiritualium 45 dogmatum exemplorumque inter plurimas sagatioris studii coacervationes dilatavit gratiam; et quia propter crebras ieiuniorum et vigiliarum assiduitates senio iam et labore defetigatus putabatur et pene consumptus, ideo exaruisse videbatur humanis obtutibus. Radicem vero quam viridem habundantioremque quam ullatenus crederetur mirabiliter diximus inventam, insitam sibi spiritualis doctrinae, quam postmodum pluraliter et etiam inestimabi- 50 liter dispertivit, praefigurare noscitur habundantiam. Quoniam autem eadem arbor imperatori petebatur in umbraculum, hoc significari videtur, quia in salutem tam imperatori quam et quibusque fidelibus contra quaeque mundialia spiritualiaque pericula praestituendus erat in obstaculum. Haec enim huiusmet somnii interpretatio studiosis lectoribus eo verisimilior ostenditur, quia una eademque dies, id est dominica adventus Domini, et huius visionis et

55 a) eloci *c.* b) R. 1. c) uos *corr.* nos *eadem manu.* d) summa 1.

48) Grona.

eius episcopalis promotionis, anno tantum interveniente, intenditur. In episcopatu autem positus quam incredibiliter quamque Deo et hominibus placite cuncta ad se in divinis et humanis pertinentia ordinaverit, nullus vel sapientissimus ad integrum expedire quiverit.

18. Quoniam igitur Deus quem diligit corripit, et suis etiam electis ne in prosperis plus equo extollantur ut de plerisque legitur aliquantum molestiae ingerit, hunc eundem Dei confessorem Aribo metropolitanus Mogontiae ante ipsum consecrationis suae terminum detestabilibus iniuriis aggreditur, bisque eum omni catholicae religionis universitate reclamante quamdiu simul vixerant pro Gandesheimensi videlicet parroechia persequitur. Ut ergo quique tam moderni quam posteri idem Gandesheimense territorium ad Hildenesheimenses episcopos hactenus iure pertinuisse, Mogontinos vero nil umquam inibi nisi dignam pro temeraria invasione contumeliam habuisse patenter intellegant, ab inicio seriem historiarum breviter adtendant. Si ergo quisquam me mendosum aliquid opinatur vel in prioribus vel etiam in his compilasse, veritatem summam que Deus est testor, me nulla nisi que probabillimorum descriptione vel veridicorum raelatione didici vel etiam ipse sub fine iam temporum vidi in prioribus descripsisse, aut in subsecuturis adulandi causa conectere decrevisse. Quia vero indecens est et contumeliosum quemquam de alio vel gratia vel odio nisi quod verum est annotare, ita etiam quilibet scriptor culpa non caret ac periculo, si in historiis et maxime tam arduis deprehenditur veritatis aliquantum timoris vel amoris causa celare.

852. 19. Igitur[49] anno dominicae incarnationis 852 tempore Lodowichi imperatoris Rabano Mogontia praesidente, quidam dux Saxonicus nomine Liudulfus et sua contectalis Ouda, cum licentia et consilio domni Aeltfridi nostrae, id est Hildenesheimensis aecclesiae episcopi, qui post Ebonem, a Remensi quondam metropoli depositum, in hac vero aecclesia, defuncto Reinberto successore videlicet Guntharii primi nostri antistitis, subpositum[a], idem regimen obtinuit, Romam petierunt, et a beato Sergio papa reliquias sanctorum confessorum Anastasii et Innocentii impetraverunt. Quas postquam pro qualitate virium condigno honore in hanc patriam transportaverant, in quodam suae proprietatis praedio Brunisteshuson dicto, in honore et memoria eorundem, consiliante et episcopalia quaeque providente praedicto pontifice, monasterium construxerant[b], in quo coenobio virginum adunato filiam suam Hathemodam abbatissam eiusdem praesulis ordinatione praeposuerant[c]. Quarto dehinc anno Karolo[d] im[*] Mogontia post Rabanum[e] succedente, Aeltfridus praedictus noster senior locum quendam aquis irriguum, pratis amoenum, silvarum montiumque amphiseptione munitum, et omnimoda speciositate in edificationem ecclesiae politum contemplatur, qui ab alluente quodam alveo, Ganda nomine, Gandesheim nominatur, et ibidem monasterium ampliori in- **856.** choatione cum praedicto duce quarto[f] post priorem inchoationem anno incoepit, et eidem labori inter alios devotius inserviens, 16. post haec anno aecclesiam Hildenesheimensem **872.** quam ipse a fundo[g] inchoavit laudabiliter consummavit, et 872 nativitatis Domini anno, in- **874.** dictione 6, Kalend. Novembris Deo gratias consecravit. Anno autem inde secundo Hathemoda abbatissa defuncta, et in Brunisteshuson infra ecclesiam cum patre sepulta, sororem eiusdem Gerbergam in regimen Gandesheimense subrogavit; sicque insequenti anno Liutberto post Karolum sed ante Sunderoldum Mogontiam procurante, ex hac vita ad perpetuam migravit. Huius successor Maercuvardus episcopus idem Gandesheimense templum ad trabes usque perduxit; qui quinto ordinationis suae anno discessit. Post hunc Wigbertus ingrediens, quarto praesulatus sui anno, Hattone qui Sunderaldo successit Mogontiae pontificante, a se consummatam eandem aecclesiam[h] dedicavit. Ex hinc 12. anno Gerberga praefata abbatissa discessit; cui soror eius Cristina eodem episcopo ordinante successit. Deinde huic Waldberthus subrogatur, a quo eo loci Cristina abbatissa obeunte, Rothsuitha ex eadem congregatione electa tempore Herigeri episcopi qui post Hattonem Mogontinis praefuit ordinatur. Post quem Sehardus episcopus introivit, qui ibidem turrim in occidentali parte ecclesiae dedicavit, et Hildibertho post Herigerum Mogontia praesidente, Rothsuitha defuncta, Windilgardam[i] abbatissam ordinavit. Cuius successor Thiothardus episcopus[k] Herveldiae prius[l] abbas, in praetitulato loco aecclesiam in honore sanctae Mariae in qua usque hodie germanitas monacharum Christo servit, Fritherico[m] qui Hildiberto successit Mogontinis im-

a) *manu* 2. b) construxerunt 1. c) posuerant 1. d) korolo *c.* *) *ita c.* e) Rabano 1. f) q. p. p. i. a. *in marg. Antea superpositum erat* DCCCLVI .... [autem post incarnationem] dni anno. g) f. incępit et 1. h) e. ae. *manu* 2. i) Windigardam 1. k) *manu* 2. l) *manu* 2. m) Frith. — imperante *manu* 2.

49) Quae sequuntur ex Vita Bernwardi cap. 12 fluxerunt.

perante[a], dedicaverat. Hunc in episcopatus ordine domnus Otuvinus Megetheburgensis abbas sequutus[b], Windilgerda abbatissa defuncta Gerbergam in idem regimen induxit, qui cum Willihelmo, Hattone, Ruodberto, Mogontinis provisoribus, et aliquot annos cum Willigiso residens, 31. pontificii sui anno plenus dierum ad Christum obivit, et suo successori domno Osdago, nostrae videlicet ecclesiae prius praeposito, diocesim suam tam in Gandesheim quam in Hildenesheim nulla cuiuslibet acclamatione interdictam reliquit.

20. Domna[50] vero Sophia, secundi imperatoris Ottonis filia, in praenotato coenobio enutrita, et usque ad velationis[c] tempus educata, spreto quasi inferiori proprio episcopo, Willigisum archiepiscopum[d] adiit, seque ab illo eo quod ad suam parrochiam tam ipsa quam et locus ille et omne coenobium pertineret velari incessabiliter expetiit, et idcirco ipsa, ut in pace omnium dicatur, fomes et initium cunctae subsequentis dissensionis exstitit. Nusquam[e] enim prius tota subsequens dissensio repperitur, sed hic tantum ex tam frivola nugatitate incassum orditur. Metropolitanus quidem ab ea inductus, immo propria animositate qua suo iuri eandem parroechiam usurpare conabatur seductus, qualibet canonum auctoritate contempta, id se procul dubio facturum promisit, nostroque seniori legatum suum qui eum illo sibi in natale sancti Lucae euangelistae iuberet obviare transmisit. Domnus vero Osdag episcopus illum adiens, qua id auctoritate inciperet disciplinate interrogavit, utque ab hac huiusmodi suae parroechiae[f] invasione desisteret humiliter rogavit. Qui fastuoso admodum vultu fertur respondisse, se nullatenus ab hoc coepto eo quod sibi idem terminus iure competeret nolle desistere. Nec mora, illuc ad condictum tempus convenerunt, et praesente rege tercio Ottone cum matre Theophanu imperatrice et episcopis, Rethario Patherbrunnensi, Milone Mindensi, Hildibaldo Wormacensi, cum plerisque aliis regni primoribus, pro condicto negocio certamen inierunt, et post plura apta ineptaque colloquia divina tandem clemencia favente iusticiaque que semper triumphat praeponderante, antistes noster adeo suum ius et honorem retinuit, ut metropolitanus cum interventu regis et inperatricis et episcoporum, quo ipse eadem die ibi cum licencia domni Osdagi ad principale altare missam celebraret velationemque domnae Sophiae simul cum eo honoris gratia ageret, ceteris omnibus in istius potestate remanentibus vix obtinuit; palamque est omni populo pronuntiatum, archiepiscopum sibi nullum inibi posthac[g] usurpare nec debere nec velle dominatum, sed queque eo loci hactenus ad Hildenesheimenses episcopos iure pertinuisse, et ideo in potestate domni Osdagi suorumque successorum debere semper in posterum existere. Ita quidem domnus Osdagus eiusque successor[h] etiam de nostra congregatione electus Gerdagus episcopus hancmet diocesim vivente Willigiso episcopo inconvulsam[i] interdictamque tenuerunt, sicque Bernwardo episcopo[k] qui postea Gerdago[k] successit dimiserunt. Qui eandem per aliquot annos adeo firmiter regendo et episcopalia cuncta[k] providendo continuit, ut etiam eo loci sinodum in qua praedictus rex Otto, cum Willigiso archiepiscopo, et aliis, Hislhero Megetheburgensi, Liudulfo Treverensi, Milone Mindensi, Hildibaldo Wormacensi, Hugone Citicensi, potestative concivit, nil tamen sibi metropolitano vendicante, sed tantum eque ut aliis assensum praebente.

21. Iam[51] autem domna Gerberga abbatissa senio et egritudine fatigata, praefata Sophia verae priscaeque religionis[l] in qua primo condigne florebat ut ea etas adsolet oblita, ad palatium se fratre id quia puer erat non abnuente contulit, ibique per biennium commorans, inhonesta de sese rumoris opinione diffusa dissolubilius debito vixit. Domnus vero Bernwardus quia imperatorem, quem ab ipsa infantia nutrivit, pro innumeris beneficiis sibi prae ceteris familiarius inpensis unice dilexit, propter hoc eam summa devotione decenter excoluit, utque ab his ei debitae conversationis deviandi inviis se refrenaret secreto sepius admonuit. Que dum huiusmodi monita contemnendo eumque pro hoc inimicabiliter suspiciens in sue voluntatis proposito queque libita sibi licere opinans persisteret, nec ille vero partim pro obediencia partim etiam pro benivolentia ab ammonendi frequentatione desisteret, denuo ad Willigisum archiepiscopum confugit, priscamque pacis pactionem infringere gestiens, locum illum et coenobium seque insimul illius iuri competere, quoniam plurimi id veraciter attestentur item itemque suggessit, nec ante destitit, donec eum et praedictae

1000.

a) F. q. H. s. M. i. *manu* 2. b) *manu* 2. c) uelationes 1. d) *in margine eadem manu.* e) Nusquam — orditur *in margine eadem manu.* f) s. p. *in margine eadem manu.* g) posthanc 1. h) succersor c. i) inconualsam 1. k) *manu* 2. l) relionis c.

50) Haec ex Vita Bernwardi cap. 13 fluxerunt. 51) ex Vita Bernwardi cap. 14.

1000. pactionis et cuiuslibet auctoritatis oblivisci primaeque invasioni avidius inniti compulit; sicque ad monasterium reveniens, et plura de episcopo huiusmodi inter sorores edisserens, maximam ei ibidem ob amorem archiepiscopi invidiam conflavit, qua eum a corde et mente 52 coevarum sui penitus abalienavit. Aderat[52] forte tunc tempus quod ecclesia quam domna Gerberga abbatissa pro solo divinae mercedis reimpendio construxit deberet consecrari, ad 5 quod ministerium eadem Sophia, spirituali sua matre infirmante queque inibi procurans, metropolitanum fecit accersiri, abbatissa quidem haud volente, nec tamen vel archiepiscopi vel praedictae suae procuratricis voluntati obniti praesumente. Legatus tamen ab abbatissa mittitur, per quem senior noster ad eandem dedicationem obviam archiepiscopo in exal- Sept. 14. tatione sanctae crucis invitatur. Qui etsi rem omnem prudenter intellexit, nulli tamen nisi 10 fidelibus suis et etiam paucis quid in hoc decreverit faciendum retexit. Deinde nescio qua Sept. 21. causa dedicatio a praedicta die usque in natalem sancti Mathei apostoli protelatur, et tandem noster episcopus per legatum metropolitani eo ad idem ministerium imperiosa iussione invitatur. Ipse autem praeceptori suo debita salutamina devote rescribens, seque imperatoris iussu aliis intentum ad iussa non venturum astruens, et ne etiam hanc in sua ecclesia in- 15 vasionem arriperet quamvis frustra humiliter tamen ammonens, ad[53] priorem vero[a] diem, id est in exaltatione sancte crucis ad invitationem abbatissae, Gandeshim ecclesiam ut ratus est dedicaturus advenit, ubi nihil ad tale praeparatum invenit. Sed tamen quamvis cenobitis indignantibus missam ibi cantavit, omnibusque qui aderant multas quibus pro innumeris sui suorumque successorum beneficiis impudenter appetebatur iniurias lacrimabiliter 20 intimavit, et eiusdem ecclesiae consecrationem, quae ad se iuste pertineret, sine sua licentia cunctis interdicens ad altare rediit. Hinc chorum ad accipiendas a congregatione oblationes[b] ingreditur. At ille omnes conspiratae in ipso ingressu eius oblatas furibunda indignatione proiecerunt, dominumque episcopum incredibili conviciorum invectione miserabiliter affecerunt. Qui ad altare regressus, et haec pro aliqua sua neglegentia merito sibi evenisse di- 25 vinae pietati confessus, missam magna cordis contritione peregit, et haec iterum post 54 missale officium omni populo generaliter conquestus Hildenesheim rediit. Ad[54] praedictam ergo diem, id est in natale sancti Mathei apostoli, metropolitanus cum episcopis, Rethario Patherbrunnensi, Berngero Vardensi, ac Bernhardo duce Gandesheim ecclesiam ibi sicut indixit dedicaturus advenit, et ibi Ekkihardum Sliewicensis ecclesiae episcopum sed sub 30 nostrae religionis filiacione enutritum et imbutum, ac Thangmarum nostrae ecclesiae tunc temporis decanum sed in scolari studio eatenus laudabiliter emeritum, vice domni Bernwardi directos invenit. Qui eum ex persona illius devote salutaverant, et ab hac alienae sibi ecclesiae consecratione, immo si perficeret execratione, desistere canonum sinodorumque auctoritate convenienter oblata rogaverant. Archiepiscopus legatione eorum intellecta, 35 et quacumque auctoritate contempnendo reiecta, acsi dedignando iussit eos abire, senioremque nostrum ad praescriptum officium in crastinum accersire; qui si non venerit, et ecclesiam se dedicaturum et omnem ei[c] ibidem episcopalem potestatem minatur ademptu- rum. In crastinum autem diluculo affuit praedictus episcopus Ekkihardus cum decano et aliis nostratium primoribus, qui ceptis archiepiscopi fiduciali multimodarum auctoritatum 40 obiectione fortiter restiterunt, et ita consecrationem eiusdem ecclesiae iuste interceperunt. Archiepiscopus tamen ibi missale officium celebrans, sermone ad populum habito privilegia quaedam nec ante nec postea visa vel audita quibus idem terminus Mogontinae paroechiae addicebatur recitari iussit, et ne hunc aliquis inde iniuste abalienare praesumeret, sub banni sui anathemate interdixit, sinodumque suam ibidem biduo ante natale sancti Andreae in- 45 55 dixit; et finita missa unde venerat recessit. Domnus[55] etenim noster ubi animadvertit animositatem metropolitani nisi in manu forti sedari, dum etiam timuit suae ecclesiae per suam neglegentiam aliquid posse abalienari, papam Gerbertum imperatoremque qui tunc forte 1001. Rome simul commorabantur adiit, eisque in praesentia tam Romanorum quam et Theutiscorum episcoporum et aliorum principum omnem huiusmodi seriem lacrimabili querimonia 50 1000. Nov. 28. patenter aperuit. Interim[56] archiepiscopus biduo ante festum sancti Andree ut decreverat Gandesheim veniens sinodum incepit; cui praedictus Ekkihardus episcopus solitis sacrarum scripturarum armis sinodaliter resistere coepit, ammonens ab hac sinodo, quae non sinodus

a) tamen 1. b) ablationes 1. c) eo 1.

52) ex Vita Bernwardi c. 16. 53) ex Vita Bernwardi c. 17. 54) ex Vita Bernwardi c. 18. 55
55) ex Vita Bernwardi c. 19. 56) ex Vita Bernwardi c. 20.

sed scisma iustius vocaretur, in alterius ecclesia desistere, cum ipse noverit domnum quem idem terminus iure contingat apud domnum apostolicum imperatoremque pro hacmet iniuria querendi causa consistere. At ille contra eum graviter commotus, iussit eum super hac ecclesia cui nihil debuerit[a] conticere, et suae ecclesiae uti libuerit providere; sin amplius quicquam proloqui pergeret, procul dubio iniuriatus exiret. Ad quae ille noster humiliter respondit, se ecclesiam suam barbarica grassatione vastatam non posse nisi cum imperatoris suoque et coepiscoporum auxilio adire[b], et ideo se Hildenesheimensi ecclesiae, in qua ab usque infantia enutritus et edoctus esset, quoad vixerit nullius metu deterrente fideliter deservire. Et his dictis egrediens, omnes qui se ad Hildenesheimensem diocesim pertinere cognoscerent christianitatis banno post se invitavit, et metropolitanum cum suis tantum quos adduxerat reliquit. Qui cum suis solummodo[c] quos advexit in sinodo persedit, et aliquos ex eisdem ut de ignoto sibi episcopatus termino discernerent iurare fecit; qui quoniam veritatem nescierunt, quicquid eis imperabatur sed nil vel memoria dignum dixerunt. Ipse autem etsi quaeque inpudenter confinxerat, eorum tamen assertione se quod querebat gaudens adeptum, banno sibi suaeque ecclesiae adiudicavit eundem terminum. Omnes vero idem conprovinciales usque hodie deservierunt et serviunt nostrae ecclesiae, tam in decimis quam in qualibet alia professione.

22. Sine[57] mora autem post seniorem nostrum legatus Romam destinatur, per quem ei et huius invasionis factio demandatur. Quod domnus episcopus apostolico et imperatori item lacrimabiliter intimavit, et maiestatis eorum in hoc sicut in prioribus decretum diffinitionemque humiliter imploravit. Utriusque[58] principis iussione sinodus ibidem omnium et Romanorum et Cisalpinorum praesulum congregatur, in qua domno Bernwardo, omni archiepiscopi temeraria machinatione adnullata, ius suum generali eorum consilio redintegratur. Sinodus etiam inde omnibus episcopis qui ad Mogonticam metropolim pertinerent indicatur, ad quam Frithericus archiscrinarius, postea Ravennae archiepiscopus, qui cum consilio confratrum discordantes praesules utriusque eorum culpam innocentiamque discuciendo iuste conciliet, ex parte apostolici et imperatoris destinatur. Ad[59] sinodum ergo Palidi 10. Kal. Iulii convenerunt; qui ubi assederunt, legatus ex persona domnorum apostolici et imperatoris episcopos[d] devote generaliter[d] salutavit, deinde specialiter[d] archiepiscopum ex principum[e] verbis pro praescripta invasione modificato sermone incusavit, utque fratri suo et coepiscopo cum assidentium consilio satisfaceret per eorum gratiam et amiciciam rogavit. Quod archiepiscopus egre admodum accepit, nec etiam conveniens aliquod responsum ad hoc reddidit, sed cum nimia indignatione tam[f] apostolici[f] legati[f] iussione[f] quam[f] omnium coepiscoporum ammonicione contempta egreditur, et in crastinum valde mane clam inde proficiscitur. Altera autem die vicarius cum episcopis actionem sinodi incepit, et eum qui aufugerat a pontificali ministerio usque in praesentiam papae et inperatoris quiescere apostolica auctoritate praecepit; sicque sinodo in natale Domini Romam ad praesentiam Orbis principum suspensa, metropolitano huiusmodi scripta direxit: *Quia sinodo te subtraxisti, et iussis Romani pontificis et[g] imperatoris[g] inobediens fuisti, auctoritate sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et illorum vicarii papae Silvestri, ab omni sacerdotali officio scias te usque ad illius praesentiam suspensum.* Sic illa sinodus finita est.

Post[60] haec legatus Romam rediit, et ambobus principibus omnique Romanae dignitati suae legationis seriem, de obedientia scilicet et devotione domni Bernwardi, de animositate vero et controversia archiepiscopi, evidenter aperuit. Tunc utroque principi cunctoque senatui huius devotio complacuit, illius autem pertinatia omnibus et merito displicuit. Synodus deinde ad praesentiam illorum in natale Domini indicatur, ad quam omnium Cisalpinorum praesulum germanitas sed Willigisus nominatim de praefata causa invitatur; post non multum vero temporis idem Fretherieus[h] metropolitanam cathedram insedit Ravennatae urbis.

Fuit[61] quoque in episcopatu Mogonciaco iuxta flumen Wisaram abbatia quedam in loco qui dicitur Hildwardeshusun, a nostris quidem praesulibus ante in divinis sapienter exculta, sed et huic nostro dono imperatoris penitus indulta; quam dum pontifex noster in sollem-

a) debueret 1. b) inuissere 1. c) tantum 1. d) *manu* 2. e) pricipum *c.* f) *manu* 2. g) *manu* 2. h) Fritherieus 1.

57) Vita Bernwardi c. 21. 58) ibid. c. 22. 59) ibid. c. 28. 60) ibid. c. 30. 61) ibid. c. 31.

1001. pnitate quae ibidem praecipua agebatur decrevisset invisere, ceperunt ei quidam ex parte archiepiscopi inopinate resistere, qui[a] ministros, qui illic in usum herilis servitii necessaria praeveherant, graviter cesos iniuriatosque reliquerant. Quod ubi ille in proximo eo superventurus animadvertit, ut erat sapientissimus, ne quid plus inde pericli occurrerit, a cepto itenere animum simul et commeatum divertit. Sed[62] inde Gandesheimense cenobium qua eum ipsa regressionis suae via transduxit[b] visitare, et ibi si quid emendabile foret missali celebratione suavidicaque ammonitione pro temporis oportunitate disposuit[c] meliorare. Quod ubi[d] Sophia[e] praescivit, omnes quos undecumque poterat ob favorem metropolitani concivit, qui portis obseratis, turribusque et aliis munitioribus locis armatura repletis, episcopo restiterunt, eumque inde, sibimet ac suis mortem vel contumelias comminantes, violenter repulerunt. Ipse autem huiusmodi contumeliis perspectis, et tamen quantum humanitas sinebat a mente reiectis, Hildenesheim se contulit, ibique divinae miserationi in talibus consolandum commisit.

23. Conprovinciales[63] autem episcopi, super duorum fratrum discidio moti, post assumptionem sanctae Mariae concilium Francanavordi adunaverunt, et illuc eos, et metropolitanum videlicet et nostri patronum, reconciliandi gratia invitaverunt. Sed noster senior quia corporea infirmitate praepeditus illo venire non potuit, praenotatum Ekkihardum episcopum, et sepedictum sui decanum Thangmarum, vice sua direxit, per quos episcopos devote salutavit, et ne super apostolicam sinodum quae eis omnibus generaliter firma auctoritate indicta esset conventum aliquem temere concilient, desistere rogavit. Qui omnes illius ammonitioni consenserunt, et tamen post octabas pentecosten Fridaeslare super hisdem rebus placitum condixerunt, et ut neuter illorum interim se in Gandesheim aliquo pontificali exercitio inmittat machinatione archiepiscopi constituerunt. Sic ea sinodus finitur.

Eo[64] tempore primas noster gratia visendorum principum, papae videlicet et imperatoris, quia iam ferme per triennium commorabantur, Italiam adire cupiebat; sed frequenti febre laborans tantum iter subire timebat. Misit autem Thongmarum[f], per quem seniores suos pro debito salutavit, quidque sibi in suis rebus postquam illorum iuvamen appetiit occurrerit, tam scriptis quam eiusmet nuntii dictis intimavit. Idem legatus transcensis Alpibus venerandos primores Tudertine repperit, et ab eis et ob domni sui meritum et ob propriae liberalitatis indicium misericorditer susceptus, legationis suae seriem decenter aperuit.

His[65] vero diebus gloriosissimi principes ibidem, id est Tudertine[g], natale Domini celebraverunt, et eo loci generale concilium in natale sancti Iohannis apostoli de hac causa coadunaverunt. Inter missarum namque sollempnia ante euangelium papa et cesare praesidentibus episcopisque de nostratibus Nothiero Laodicensi et Suithgero Augustensi, de Romanis vero et Italicis ad 30 consedentibus sinodo apostolicae auctoritatis banno iniciata, et etiam convenientibus capitulis ex decretis pontificum roborata, Hildenesheimensis legatus inducitur, quidque ex parte sui senioris causae ad apostolicam sinodum habeat coram praefari iubetur. Qui ut sepe sinodicis laudabiliter intererat conciliis, primo terrae veniam petiturus deinde principum pedibus provolvitur, resurgensque huiusmodi verba proloquitur:

Domnus meus apostolatus vestri auctoritatem, imperialem quoque maiestatem magnifice gratatur pro cunctis, in quibus clementer pro suae ecclesiae negotio[h] laborastis. Quid autem vel legatus vester profecerit, aut quid ei in sua legatione occurrerit, ipse quia praesens est melius exponet. Post discessum autem illius, episcopi dolentes litem et controversiam diutius bachari, conventum Francanavordi statuunt. Ad quem cum meus senior venire non posset, corporis gravi infirmitate impeditus, vice illius me direxit. Tandem in commune reverendi patres decreverunt, ut neque archiepiscopus nec meus senior in Gandeshemense coenobium se intromittat, usque post octabas pentecosten, et tunc Frideslare ad sinodum pro hac ipsa causa conveniant. Et quia haec ad apostolatus vestri sedem delata vestris scriptis multotiens sunt annullata, vestrum expetiit iudicium, ut vestra auctoritas iubeat, in quo foro vel sub quibus iudicibus causam terminare debeat; ad praesentiam nichilominus sanctissimi conventus gratia Spiritus sancti hic per vos congregati parvitatem meam destinavit, ut omnis senatus apostolicae aecclesiae publice cognoscat, illum devotissimo affectu domno apostolico et Romanae sedi

a) adeo ut 1. b) t. decrevit 1. c) *manu* 2. d) u. domna 1. e) S. ibidem post domnam Gerbergam quasi praeposita p. 1. f) *ita c.* g) Turdertine *c.* h) *manu* 2.

62) Vita Bernwardi c. 32. 63) ibid. c. 33. 64) ibid. c. 34. 65) ibid. c. 36.

obedire et consentire, et vestro iudicio adinventa vel decreta pro scire et posse perpetuo servare. 1001.

Postquam ille assedit, Fretherieus qui priori anno legationis officio fungebatur surrexit, et quid sibi in talibus vel ex parte archiepiscopi contumaciae vel ex alia parte eveniret oboedientiae, veraciter retexit. Tunc vero in his sicut in prioribus istius rationabilitas ab omnibus conlaudatur, et illius econtra magnanimitas execratur. Deinde omnis illa coadunata dignitas sinodum Rome fieri decere ad quam omnes Cisalpini praesules de eadem causa invitarentur decrevit; quod tamen crebra Romanorum imperialibus sane iussis obnitentium controversia et etiam pii imperatoris etsi celaretur in proximis ah! ah! superventura defectio diremit. Sinodus tamen inde publice est protelata, usque dum imperatori in Dei gratia remeanti haec eadem pacifice tractare liceret in Saxonia. Noster quidem nuntius per aliquot dies apud imperatorem benigne retentus, postea omnium rerum quarum indiguit opulentia refertus remeavit, et domnum suum, rerum ei seriem sagaciter intimando, ex persona primatum devote resalutavit. 1002.

24. Ergo[66] post non multum temporis imperator pius et magnificus Otto tertius cum ingenti totius christianismi[a] merore, munitus tamen salubri confessione et sacrosancta dominici corporis et sanguinis perceptione, 10. Kalend. Februarii obiit; cui[67] ut praenotatum est domnus Heinricus Noricus dux in imperium Willigiso consecrante subintravit, qui sanctam Dei aecclesiam vigilantissima cura et sapientia suo tempore tam clericaliter quam et populariter gubernavit. Hic[68] primo regni sui anno natale sancti Laurentii Patherbrunne celebravit, ubi eius contectalis domna Cunigunda regalem coronam a praedicto archiepiscopo suscepit. Ibidem eodemque die sepe dicta Sophia religiosae abbatissae Gerbergae in Gandesheimense regimen succedens, ut in velatione domnum Osdagum episcopum, ita et in consecratione hunc spernens, ab eodem palligero se benedici optentu primatum domni Bernwardi etsi inviti licentiam tamen optinuit. Proximo[69] dehinc anno[70] videlicet 1007[b] venerabilis rex natale Domini Phalidi feriavit, ubi Divinitate propitia episcoporum consilio et aliorum principum auxilio execrabile dissidium inter antistites Mogontiacum et nostrum, in firmam pacem et caritatem Deo gratias reconciliavit. Tandem in commune de Gandesheimensis aecclesiae dedicatione pacifice tractatur, quae dispensatione domni Bernwardi Nonis Ianuarii, id est in vigilia epyphaniarum, prima tunc feria destinatur. Illo ad condictum rex cum archiepiscopo ceterisque praesulibus afiuit, et ut decretum est, archiepiscopo honoris causa in aspersione principatum tenente, nostro autem cetera pro velle disponente, dedicatio huiusdem aecclesiae provenit. Qua expleta rex cum episcopis ad ianuam ubi tam clerus quam populus cum reliquiis expectabat progreditur; in quorum omnium praesentia metropolitanus Mogonciacus Willigisus huiusmodi verba publice proloquitur: *Diuturnam peccatis agentibus controversiam, karissimi, hodie deponere et terminare debemus. Agnosco enim et scio, hanc aecclesiam et adiacentes villas ad Hildeneshemenses episcopos semper pertinere, et ab illis absque contradictione possessam esse. Unde, frater carissime et coepiscope, abrenuntio iuri istius aecclesiae, et hanc pastoralem ferulam quam manu gesto tibi sub testimonio Christi et domini nostri regis et fratrum nostrorum trado in testimonium, ut post hoc neque ego nec ullus successor meus aliquam interpellationem vel repeticionem de hac re habere possit.* Sicque officium missae a Willigiso archiepiscopo cum consensu domini Bernwardi episcopi sollempniter peractum est. Sequenti vero die episcopus noster velationem virginum in praesentia regis et episcoporum egit, sicque Dei gratia et[c] sapientia rebus caritative pacificatis, rex Baioariam petens Reginesburg pascha feriavit. 1006. Dec. 25. 1007. Ian. 5.

25. Quinto[71] post haec anno idem archiepiscopus ex hoc mundo migravit, et celestis regni ianuas ut vere speramus post tam dignam satisfactionem intravit. Cui vir venerabilis Fuldensis abbas Erkenbaldus successit, qui a domno Bernwardo Kalendis Aprilis ordinatus, prioris discordiae nugacitatem omnimodis reiciens, eandem aecclesiam per novem annos in divinis et humanis studiosissime rexit. Qui et aetate et probitate aeque maturus, 15. Kalend.[d] Septembris obivit cum Christo perenniter victurus. Post hunc praescriptus Aribo Mogontiam obtinuit, qui in divinis ad plura studiosus, in humanis supra modum animosus, ut de quodam in veteribus dicitur, *manus eius contra omnes, et manus omnium contra eum*, quamdiu 1011. Gen. 16, 12.

a) chrianissi c. b) videl. M. VII. *manu* 2. c) ot regis 1. d) *vox excidit, supplevi eam ex Vita Bernwardi.*

66) Vita Bernwardi c. 37. 67) ibid. c. 38. 68) ibid. c. 39. 69) cf. ibid. c. 40; sed narratione abrupta, *proximo* iam minime quadrat. 70) ibid. c. 43. 71) cf. ibid. c. 44.

1011. vixit, plurimos sibi cuiusque ordinis semper adversos habuit. Hunc futurum episcopum domnus Bernwardus ad principale Gandesheimensis aecclesiae altare presbyterii ordine benedixit, eique eiusdem aecclesiae usurpationem vel repetitionem sub anathematis comminatione bannali auctoritate interdixit. Ille etiam episcopali eum debuit unctione promovere, sed molestia corporis imminente Mogontiam non potuit adire. Eggihardum tamen episcopum vice sua direxit, qui eius promotioni intermanens, in ipsa consecrationis hora quaeque illi episcopalia in praefata aecclesia ex parte nostri senioris sub prioris banni attestatione interdixit. At ille tunc ut prius suavidice respondit; quod tamen cogitaverit, postmodum non abscondit. Nam in primo Sophia abbatissa quae omnia illius sua fore opinabatur invitante Gandesheim venit, et inde per legatum suum scriptis episcopum convenit, poscens sibi demandari diem quando conveniant, quo se super Gandensheimensi conflictu reconcilient. Ad haec ille noster breviter sed veraciter retulit: scire se ius suae ecclesiae temeraria invasione tirannice violatum, verum idem sibi sinodaliter in praesentia papae et imperatoris redintegratum insuperque apostolicis scriptis et banno roboratum, et postremo ab ipso invasore cum condigna satisfactione episcopali ferula resignatum; exinde se suum ius firmiter tenuisse et adhuc tenere, ideo inde diem vel conventum statuere nec velle nec debere. Mandatque metropolitano cavendum, ne si super tale tamque firmum priorum decretum et etiam super bannum qui ei tam in presbiterali quam in pontificali ordinatione intendebatur quicquam ambigere pergat, gradus sui periculo subiaceat. Hac ille responsione repraehensus conticuit, et super hoc per biennium isto superstite penitus obmutuit. Tunc ut praescribitur idem senior noster Bernwardus in celum assummitur, pro quo domnus Godehardus eligitur.

Quoniam quidem nunc[a] studioso cuiquam lectori in hac veriloqua historiarum de Gandesheimensi territorio adbreviatione[b] est satisfactum, iam stilus ad prius regrediatur propositum.

1022. Die ergo consecrationis nostri senioris, archiepiscopus mane cum aliquot praesulibus eum secretius adiit, et ne se in Gandesheimensem diocesim aliqua pontificali provisione intromitteret familiarius admonuit, tandemque ad haec banni auctoritate constrinxit. Cui noster modificata susceptione retulit dicens: *Si iuste vobis cedit, nulli melius annuo quam vobis; si autem mihi meoque iuri, nulli libentius praeopto subici quam mihi: bannum tamen quem mihi intenditis, nulla auctoritate stabilitum ipse non nescitis.* Imperator vero his animadversis, metropolitanum coram episcopis aliisque primoribus animosa admodum animi invectione iussit in posterum ab huiusmodi desistere ceptis.

1023. 26. Annum igitur dominicae incarnationis 1023 imperator tunc Patherbrunno[c] iniciavit, Febr. 2. purificationem quoque sanctae Mariae Hildenesheim cum dilecto suo praesule glorifice celebravit, tempus vero quadragesimae Gosleri egit, pascha autem Mersburg[d] feriavit. Sed in- 1024. sequentem annum Bavenberg inchoavit, pascha Parthepoli, pentecosten Gosleri sabbatizavit, hincque regno provisurus in occidentalia perrexit, et inde Gruona rediit, ibique proh dolor! validissimo languore correptus decubuit, et cum inexsuperabili perpetimque flebili totius Iul. 13. christianismi merore, imperii sui anno 12, regni vero 22, tertio Idus Iul. ah! ah! obiit. Quamvis ergo in eius luguberrimo discessu una eademque cunctis fidelibus foret contristatio, ea tamen sola quosque letificavit immo diatim letificat consolatio, quoniam praeciosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius, in quorum consortio commanere veraciter credimus animam illius, cum quibus eum speramus pro sancta Dei ecclesia frequenter orare, quam semper studuit omni religione privatim ac publice decorare. Nil enim ei virtutum ornaminis defuit, quod in his seculi temporibus cuiusque mortalis pectori spiritualis inflammatio contulit.

Duobus autem mensibus post eius obitum evolutis, pastores aecclesiae Spiritus sancti instinctu conciverunt consilium salutis, in quo sine quolibet dissensu Chuonradum regem Sept. 8. elegerunt, eumque Dei gratia cooperante 6. Idus Septembris Aribone archiepiscopo ordinante sacra unctione perfuderunt. Hic regali more provincias regionesque circuiens, Mindo 1025. natalem Domini anno videlicet 1025 celebravit, octobas Domini Patherbrunne, aepiphanias Ian. vero Corbeie egit, inde Hildenesheim adiit, ubi eum noster praesul debita veneratione suscepit, debitumque servimen prout regalem potentiam et etiam episcopalem decebat reverentiam exhibuit. Sed diabolo qui semper totius boni invidet machinante, periculosa quaedam

a) iam 1. b) satisfeci ad prosecutionem me conuertar prioris propositi 1. c) *in loco raso* 2. d) *in loco prius vacuo* 2.

ibidem inter nostrates et hospites exoritur sedicio, quae statim Dei gratia sapientum suppri- 1025.
mitur iudicio; sed quoniam nil inde accidit perniciosum, plus super hoc disserere videtur
ociosum. Cum vero iam inde digressuri regis ordinaretur processio, Mogontinus episcopus
affuit in medio, et a qua sepe victus destitit, querimoniam iterum de Gandesheim temptavit.
5 Quia autem tunc tempus defuit ad talia tractanda, inde protelantur Goslare terminanda. Illic Ian. ex.
enim super his ratio est incepta, nec tamen ad finem aliquem qui hic digne inscribatur perfecta; hinc rex Gandesheim adiit, cuius susceptioni noster antistes episcopali iure affuit,
quod archiepiscopo ut postmodum aperuit, altius quam tunc opinaremur condoluit. Nam
domnus noster postera die se ad principale eiusdem aecclesiae altare missam celebraturus
10 paravit, quem idem metropolitanus indigna quadam conviciorum acerbitate ab eodem altario
dimovit; quod iste pacienter sustinuit, et in sacello quodam secretiori missale officium
astante rege consummavit. At ille alter publice ibi missam agere decrevit, sed sanctimonialium clericorumque eo loci commanentium studio impeditus destitit. Cum autem rex post
missam cubiculum repetivit, Godehardus praesul sic infulatus ut astabat altari supervenit, et
15 ipsi regi ac coepiscopis ceterisque principibus de praedicta sui repulsione lacrimabiliter querimoniam egit. Hoc certe, ut decuit, tam regi quam et optimatibus displicuit. Sed consilio
eorum suspensum est idem negotium Gruona diffiniendum. Ergo die statuta eo convenerunt,
et coram rege episcopi Bruno Augustensis, Eberhardus Bavenbergensis, Maeginhardus Werziburgensis, Meinwerkus Patherbrunensis, Adelboldus Traiectensis, cum religiosis laicis con-
20 sederunt, et super praedicto plurima hinc et inde discusserunt, donec tandem rex unanimiter eis consiliantibus provisori nostro ius suum in Gandesheimensi diocesi iuste resignavit,
omnemque pontificalem provisionem ibidem usque dum ei in generali synodo canonicę
demeretur percolere mandavit. Sicque rebus pacificatis, dum rex progreditur ad disponenda
regni negotia, episcopus noster regreditur ad propria.

25 27. Unde tamen denuo restaurarentur arma discordiae, quique subsequutura tantum intuens facile poterit agnoscere, domnumque Godehardum episcopum et antecessores eius
tam per prisca quam per ista excusabiles existere. Metropolitanus itaque hoc principali consilio ut praedicitur finito, dolens quaeque rerum concordi eventu non respondere sui desiderio, primo confisus copia rerum, dein fiduciatus multitudine militum, quod diffidebat sinodali
30 iure diutius retinere, vel populari favore decreverat suae parroechiae attitulare. Nam de
Gruona rediens quendam sui clericum Gandesheim destinavit, ibique interposito sex ebdomadarum spatio [a] synodum suam [a] indicare mandavit. Qui clericus idem monasterium quadam die diluculo ingressus inprovise proclamavit, synodumque sui senioris nullo audiente
nisi tantum quibusdam sanctimonialibus, quae ut ibi moris est orationis gratia aecclesiam in-
35 traverant, indicavit. Quo venerabilis praesul noster comperto, quod munimen sanctae aecclesiae condecens amborumque honori conveniens huic novae calamitati obponi deberetur diu
vagatur in incerto. Sed haec ei tandem sententia placuit, quatenus archiepiscopum illo tendentem ipse conveniret, eumque ab hac suae parroechiae invasione quam super decretum regis
et coepiscoporum ius fasque contempnens inire decrevit desistere rogaret; quod et fecit.
40 Nam dum archiepiscopus ad praenominatam sinodum infesto animo properaret, et in vico
quodam Geizlethi [72] dicto in crastinum Gandesheim iturus pernoctaret, affuit posteriori die 72
quae erat 17. Kal. Nov. dilucolo domnus Godehardus, colloquium immo querimoniam de Oct. 15.
huiusmodi invasione habiturus. Sed metropolitanus ad praedicta more solito festinans iam
forte mansione digressus abivit, domna Sophia [b] tamen adhuc remanente, que etiam eo ob-
45 viam archiepiscopo convenit. Quae ut hunc inopinate cognoscit affore, legatum suum simul
cum nostro nuntio post eum [c] mittit propere, qui amborum relegatus mandamine illuc unde
exierat rediit [d] celerrime. Cum iam convenissent, et de sepe dictis rebus consulturi consedissent, archiepiscopus dum senior noster idem facere meditaretur de pontificali sella surgens huius pedibus provolvitur, et ne sibi diutius in Gandesheimensi territorio eo quod ad
50 suam diocesim pertineret resistere velit humiliato vultu depraecatur. Iste noster vero coram
Deo tam corde quam corpore se humilians illius pedibus provolutus, huiusmodi dimissa voce
protulit relatus: *Scio et veraciter scio, Gandesheimense monasterium a meis antecessoribus ab
ipso fundaminis inicio pontificali iure canonice possessum, mihique a proximo meo praecessore*

a) *manu* 2. b) S. *codex*. c) p. e. *manu* 2. d) *manu* 2.

55 72) Geisleden in Eichsfeldia.

1025. *episcopali hereditate dimissum, et insuper ab imperatore regia potestate commissum, ideoque submisse vestram imploro sublimitatem, ne diutius prohibear inibi pontificalem quae me iuste contigit exercere potestatem. Quandiu enim hac mortali vita vixero, nullius vel metu deterrente vel blandimento seducente nisi in generali concilio et universali fratrum consilio vestituram quam in hoc accepi numquam omisero.* Archiepiscopus vero in haec verba nullo modo 5 consentiens, sed sibi procul dubio parroechiam illam usurpare decernens, dixit se nequaquam sinodum in Gandesheimensi ecclesia velle dimittere, nisi ambo decreverint illum locum domnae Sophiae[a] committere ea pactione ut neuter illorum quid ibi pontificalis officii donec conveniretur ad sinodum exerceret. Hoc vero domnus noster consentire non audebat, quia eum iam de die in diem apertius agnoscens aliquod inevincibile detrimentum inde denuo 10 oboriturum pertimebat.

28. His archiepiscopus commotus Gandesheim adiit, aecclesiamque acsi excidium comminatus irruit, ibique sinodum cum suis tantum quos conduxerat habuit, si quidem synodus iure vocatur, in qua scisma conciliatur, religio adnullatur, et ab omni prorsus iusticiae semita exorbitatur. Tunc vero quasi legitime sibi parroechia vendicata bannum eidem loco ne in- 15 iuste ab aliquo invaderetur praetendebat, sicque rebus in errorem inductis recedebat. Domnus autem Godehardus legatum sui Wormatiam ubi tunc forte rex morabatur mittens, ipsi regi et coepiscopis hanc suae diocesis invasionem querebatur, et quid sibi inde faciendum esset percontabatur. Rex vero praesulum consilio huiusmodi ei remisit responsum, ne propter hoc vel ad momentum suum intermittat officium, sed prout suo confratrumque ad 20 haec uti velit auxilio, pontificali auctoritate persequatur sibi commissa iure canonico. At ille hoc responso fiduciatus, simulque nil sibi sui iuris hac supersticiosa invasione demptum ratus, per omnia suum frequentans officium, 12. Kal. Nov. eundem locum adiit, et omnia quae (Oct. 21.) inibi metropolitanus supervacue agebat adnullans, legitimam synodum cum illius pagi concivibus habuit, in qua et pro reatibus suis accusatis poenitentiam indixit, et pro quibusdam 25 rebus iuramenta fieri iussit, cunctaque quae ad sinodale ius pertinere videntur, canonica auctoritate sub cleri iudicio plebisque testimonio pleniter exercuit. Sicque peracta synodo, ad celebrandum missale ministerium progreditur, semet sacrificium Deo laturus more solito; postque lectum euangelium docturus populum processit, et sermone habito tam sanctimonialibus quam clericis nec non et plebi de iniuria quam archiepiscopus adprime sanctae 30 Mariae sibique et commissae sibi ecclesiae iam sepius intulerat lacrimabilem querimoniam egit, omnibusque inibi degentibus clericis ullius ordinis promotionem, sanctimonialibus velationem, plebi ullam episcopalem provisionem ab aliquo nisi a se suisque post se successoribus vel quaerere vel accipere sub anathematis praetentatione interdixit; deinde accepta circumstantium confessione, impertitaque criminum remissione ad altare rediit, Deoque in odo- 35 rem suavitatis acceptus missarum sollempnia congrua devotione celebre peregit; sicque omnibus rite dispositis, se suaque divinae praedestinationi commendans Hildenesheim rediit.

1026. 29. Intererant et huic Gandesheimensi cenobio virgines duae indolis praeclarae, nobilissimae scilicet prosapiae, Ezonis palatini comitis et Mahthildis domnae Sophiae sororis filiae, maior Sophia, iunior Ida nominatae. Quae ab ipsa sua matertera tam spirituali quam 40 et carnali amore suaviter enutritae studiisque litteralibus iuxta tenellae etatis capacitatem sunt liberaliter imbutae, sed tamen nobilioris generis exigente fastigio deliciosius ceteris coetaneis quippe acsi inter regales delicias habite. At ille ut omnes licentia deteriores sumus, canonicae institucionis decreto vivendo remissius, accepta etiam facultate circumquaque pervagandi licentius, normam sanctae conversationis, ah! ah! inquinaverunt errore ex- 45 ecrandae elationis. Nam inani quadam ambitione seductae, et etiam iuxta humanae intentionis opinionem quorundam quos nos veratiter annotare iam minus convenit suasu corruptae, proprium antistitem[b] antiquo illo more repudiantes quasi inferiorem contemserunt, et ad Aribonem archiepiscopum tota animi intentione confugerunt, adeo ut ad ipsum convivandi gratia sepius commearent, cum ipsoque aliquandiu familiarius commanerent, domna Sophia 50 id totum consentiente, nil sane periculosum inde suspicante.

Fuerant etiam in eodem coenobio plures eiusdem causae quae postmodum emerserat consciae, inter cunctas tamen tres precipuae, quae et illarum consilium et actum sunt pariter consequutae. Metropolitanus tandem praedictas illas germanas ad se Mogontiam invitavit, quibus statim domna abbatissa omnem commeatum condecenti sufficientia parari man- 55

a) S. c. b) antistē c.

davit, mittens insimul suos fideles et clericos et ministros, qui eis impenderent servitutis honores condignos. At ubi eo usque pervenerant, suaeque sententiae voti compotes extiterant, illos qui secum veniebant omnes etsi invitos remiserunt, seque nisi coactas numquam redituras coniuraverunt. Illae vero aliae accepta ab abbatissa licentia sub specie cognatos invisendi a monasterio discescerunt, sicque celeri subsequutione post istas Mogontiam pervenerunt. Postquam autem secundum suae voluntatis sententiam convenerant, insimul ipsae quinque ibidem in cenobio virginum cui soror archiepiscopi antistabat, ipso conducente, monachicum habitum, utinam Deo satis placite! susceperant. At domna Sophia revenientium nuntiorum attestatione de his rebus certificata, et etiam sui fidelissimarum infidelitate pene exanimata, antistitem nostrum appetiit, et si quid umquam cum Mogontinis contra nostrates subdole machinabatur tandem vere penitens, eius ad haec tam consilium quam et auxilium flebiliter expetiit. Qui ut erat totis visceribus fidei caritatisque inmixtione condítus, et omnigenis quoque litterarum studiis ad ius fasque dinoscendum sufficientissime peritus, abbatissae in sua quaerimonia condolens, nec non et de sua repraehensione quae sibi in talibus intendi videbatur iuste conquerens, fidelibus sane suis consiliantibus, per quendam sui capellanum litteras suas illo ubi commorabantur destinavit; unam videlicet cartam qua abbatissam ne oves alienas iniuste usurparet rogavit, aliam qua illas sub anathematis comminatione ad congregationem[a] unde diffugerant redire mandavit. Nam metropolitanus tunc temporis, postquam eas monachico habitu mancipavit, domni regis commeatum insequens Alpes transmeavit. Ipsae autem carta perlecta, et pastoris sui legatione percepta, cunctaque sacri ordinis lege contempta, cartas inspiciente legato disciderunt, ipsumque prout vitae membrorumque incolomitatem servare cupiverit festinanter regredi iusserunt. Ut enim ipse postmodum fatebatur, nisi quod fidelium sui commonitu praeveniebatur, certe ei dolus et iniuria parabatur. His ille perterritus infecto negotio rediit, et ad seniorem nostrum veniens ei legationis suae seriem aperuit. At ille patientiam cui nil in adversis probabilius est his adhibuit, et quod sibi rerum eventus divina providentia disponente offerret, patienter expectavit.

30. Proximum autem pascha anno scilicet incarnationis Domini 1026.[73] rex Chuonradus Aquisgrani feriavit, ibique filium suum Heinricum, universali cleri populique praelectione a Biligrimo Agrippinensi archiepiscopo regalis coronae benedictionem suscipere fecit. Huic etiam eiusdem pueri promotioni Mogontinus praesul Roma tum forte digressus interfuit, qui inde concito itinere rege Longobardiam repetente domum rediit, et quasi eius absentia fiduciatus generale episcoporum concilium 12. Kal. Octobres Seliganstad coadunavit, ad quod seniorem nostrum iterum pro Gandesheimensi parroechia inquietandum litteris ex nomine tam apostolici quam regis adlegavit Qui tali vocatus mandamine et confratrum etiam suasus hortamine, eandem sinodum cum paucis suorum adiit, et domno Brunone Augustae civitatis episcopo, fratre videlicet pii imperatoris Heinrici, concionatore usus, Werinhero Argentinensi praesule ex parte metropolitani prosequente, idem territorium sibi suoque iuri defendere cepit; quod etiam pluribus aptis ineptis congestis quae hic inserere cassum videbatur usque adeo peregit, donec tandem archiepiscopus 100 presbyterorum et 300 vel eo amplius laicorum iuramento eundem terminum suae ecclesiae assignare decrevit. Sed econtra primas noster sibi rogavit evidenti auctoritate sinodaliter decerni, si ullum cuiuslibet multitudinis cleri plebisque testimonium in his liceret accipi, cum ipse profiteretur suum ius solo episcoporum testimonio et posse et debere defendi. Tunc episcopi qui aderant, scilicet cum his inter quos res erat, Werinherus Argentinensis, Bruno Augustensis, Eberhardus Bavenbergensis, Meinwerkus Patherbrunnensis, Meginhardus Werziburgensis, Hazecho Wormacensis, Branthogus Halberstadensis, Reinoldus Aldenburgensis, Warmundus Constantiensis qui et ibidem tunc episcopalem unctionem accepit, hoc audito, certe verentes illum in usurpatione sua etsi iniusta offendere, nec etiam praesumentes istum in sua simplicitate et equitate non defendere, confratrum absentiam conquerentes, idem negotium usque dum in praesentia regis et episcoporum qui aberant hoc eis tractare liceret suspenderunt; itaque ab eo concilio seniore nostro praedicte parroechiae vestituram retinente discescerunt.

31. Insequenti quidem anno qui tunc incarnationis Domini 1027 aderat, Kuonradus rex una cum contectali sua Gisla, imperialis coronae impositionem Rome suscepit, et sic Italia digressus, Reinesburg nativitatem sancti Iohannis baptistae celebravit, ubi et domnus Rat-

[Margin: 1026. — Apr. 10. — Sept. 20. — 1027. Mart. 26.]

a) ēgregē c.

73) immo 1028; cf. Vitam II. c. 23. et Ann. Sangallenses maiores et Wiponem a. 1028.

1027. mundus, imperatore donante Bernwardoque[a] Pataviensi episcopo consecrante, Altahensis cenobii regimen Wolframmo qui eo loci domno Godehardo[b] successit defuncto suscepit. Eodem anno item 8. Kal. Octob. generalis sinodus tam comprovincialium quam et aliorum episcoporum ad praesentiam novi imperatoris Francanavordi conciliatur, ad quam iterum senior noster de sepe dicto negotio rethorizaturus invitatur. Qui iuri suo iam melius meliusque confidens, cum decentissima suorum tam cleri quam militum frequentia promptus advenit, omnemque inibi iustam satisfactionem non solum in acquirendo verum si debeat in amittendo pro imperatoris et confratrum decreto facere decrevit. Domna quoque Sophia de iniusto suarum ovium abitu de die in diem plus dolens illuc etiam adiit, quia ibi se aeas ac**Sept. 24.** cepturam credidit; quod et ita provenit. Ad sinodum ergo dum die statuta convenitur, primo iuxta canonum praecepta sessio locusque quorumlibet honorifice destinatur. Nam Aribo[c] praesul, ad quem rerum summa pertinuit, suis suffraganeis episcopis circumseptus ante principalem aram super gradus residebat, habens a dextris Werinherum Argentinensem, Eberhardum Bavenbergensem, Meginhardum Wirziburgensem, Godehardum Hildenesheimensem, Hazechonem Wormatiensem, a sinistris vero Brunonem Augustensem, Meginvercum Patherbrunnensem, Wiggerum Vardensem, Branthogum Halberstadensem. Novus vero noster imperator in occidentali parte chori quodam eminentiori solio subthronizatus assedit; cui dexter Biligrimus Agrippinae metropolitanus cum suis suffraganeis Sigeberto Mindensi, Sigifritho Mimigardensi, Bennone Traiectensi; sinister Hunfrithus[d] Parthenopolis archiepiscopus cum suis, Hildiwardo Citicensi, Brunone Mersburgensi, Liuzone Brandeburgensi, Thiedrico Misnensi, coheserunt. Sed et ad australe chori latus de aliis provinciis acciti praesules Rambertus Wirdunensis, Hiltolfus Mantuanus, Reinoldus Aldenburgensis, Ruodolfus Sleswicensis, consederunt. Aquilonale autem abbates Richardus Fuldensis, Arnolfus Herveldensis, Gerwardus Mogonciacensis, Iko Blithenstadensis, Wolfherus Svarzahensis, Willimundus Werziburgensis, concinxerunt.

Infra huiusmodi consessionis coronam cum monachis regiisque capellanis episcoporum clerici qui hoc meruerunt assidebant, alii posterga sedentium praesulum consistebant. Laicorum sane nullus intererat, excepto Aedelberone Carentinorum duce, qui spatarius imperatoris ei pedetenus assidebat. Cum tamen tempus ingressionis eorum advenit, ipsorum statio post tergum augusti convenit. Prima ergo die sinodus psalmorum, letaniarum, orationumque ymnis inchoabatur, quae deinde sancti euangelii lectione et convenientium capitulorum ex decretis pontificum recitatione corroboratur, et tandem universali episcoporum consensu, Aribonis archiepiscopi banno canonice confirmatur. Inter clerum tunc die prima quaeque necessaria tractabantur, et de praedictis etiam monialibus capitula quaedam ex parte archiepiscopi defensionis gratia sunt recitata, prius quidem audita, sed iam iuxta intentionem auctoris partim translata. Sed et haec cum aliis quae ex parte nostra ad sinodum habebantur, usque in crastinum reconciliandi gratia protelantur. De Ottone vero, illo Hamerstaennensi eiusque coniuge Hirmingarda pro iniusta eorum copulatione ratio est sinodaliter incepta, attamen praece imperatoris intercepta. De quadam etiam domna Goderun nominae, cuius machinatione Sigifrithus comes Saxonicus interemptus aiebatur; et de alia Willekuma nomine, Gebehardi comitis vidua, quae filio suo mortem consiliando intendisse criminabatur, sinodale negotium publice inchoabatur; quia vero ibi ad nullam certam diffinitionem provenit, hic amplius de hoc interscribendum non putatur. Inibi etiam imperatoris frater nomine Gebehardus, qui in puericia a monasterio Werziburgensi profugit, tonsuram cum habitu clericali, iam armiger iuvenis, sinodo cogente recipit.

Sept. 25. 32. Postera autem die quae tunc dominica[73] illuxit, omnes primates coram imperatore

a) Bennoneque 1. b) G. *c.* c) *episcoporum recensum ultimae paginae codicis Guelferbytani olim Remensis membranacei in fol. maiori manu saec. XI. inscriptum legimus:* Aribo Moguntinus, Wecil Strazburgensis, Brun Augustburgensis, Eppo Bauanbergensis, Meginuuerc Patherburnensis, Wigger Vaeredensis, Mezelin Wirziburgensis, Godehardus Hildeneshemensis, Branthoch Haluerstadensis, Hazecho Warmatiensis. Biligrim Coloniensis, Sigibert Mindensis, Sigiurit Mimigardevordensis, Benno Traiectensis. Hunfrith Magedeburgensis, Hiltiuuart Citicensis, Brun Mersburgensis, Liuzo Brandaburgensis, Thiederich Misnensis. Rambrath Wirdunensis, Hiltolf Mantuanus, Reginaldus Aldenburgensis, Ruodolf (Sleswicensis); *tum alia manu saec. XI:* Hi sunt anathematizati pro sacrilegio et homicidio quod fecerunt in ęcclesia Heninge, Maeingeld, Isac, Godila, Godo, Redulf, cum fautoribus et cooperatoribus et etiam communicatoribus eorum in his uillis Kissanbruggi, Bursinun, Acheim, Ualeburgun; *iterum alia manu saec. XI. abbates:* Richart F[uldensis], Arnold H[ersveld.], Gerbrat M[oguntinus], Iko B[lithenstadensis], Radolf, Vuillimunt [Wirzi]burch, Hezil; *iterum scribitur:* Hildolf Mantuanus episcopus. d) r *erasum.*

73) Dominica dies 24. Sept. eo anno fuit.

convenerunt, et partem diei non modicam in reconciliationis studio consumpserunt; et quia in hoc parum profecerunt, inde ad sinodum processerunt. Iam autem metropolitano priscam mentis suae nimietatem dissumulante, et idem negotium sub silentio praeteriri posse exoptante, domnus Godehardus assurgens, primo coram episcopis in modum Uniae* humiliatur, deinde imperatori pedetenus acclinatur, sicque in medio chori stans huiusmodi verba lacrimabili voce profatur: *Quoniam quidem, o imperator honorabilis, vos infra confratrum nostri coronam in hoc sancto concilio videre promerui, quod quidem Deo teste plus omnibus exoptavi, ipsi grates refero, qui cuncta sub equitatis censura perpeti regit imperio. Per eundem ergo vestram imploro maiestatem, ac domni metropolitani et circumsedentium fratrum commoneo unanimitatem, quatenus in praesenti vestra praesentia, iam diutius prolongata iusto iudicio terminetur nostrae dissensionis sententia. Quocienscumque enim vel vestro vel confratrum iussu ad sinodum veni, iugiter multifarias molestias quae mihi ex parte domni archiepiscopi incumbebant, quas iam quia vobis omnibus notae sunt enumerare tedet, in conspectu concilii deflevi. Sed ipse statim mei querimoniam acsi irridendo contempsit, seque sapientiori commentatione philosophando defendit; et ita semper inde redii, nisi quod maiores etiam iniurias postea pertuli. Propter haec ut cuncti nostis, nec nunc nec umquam ad eius sinodum nisi recepta pro his aliqua competenti satisfactione venire deberem, si vestri iussionem coepiscoporumque legationem transgredi auderem. Iam autem haec omnia libens praetereo, libenter omitto, quo tantum hoc unum, quod et maximum, iuste velitis diffinire; quia iam senio lassus, egretudine confectus, corporeis viribus destitutus, diffido me ad huiusmodi concilium ultra posse pervenire. In omni enim iusta satisfactione quae modo unanimitati vestrae complacuerit, exiguitatis meae consensus tam in amittendo quam et acquirendo promptissimus affuerit.* Archiepiscopus his auditis secessum cum episcopis colloquendi petiit, seque de his quibus notabatur excusaturum, de cetero vero pro eorum consilio satisfacturum promisit. Quibus coadunatis, ille iterum reconciliacioni instabat, vel si hoc nequiret inducias sibi a praesule nostro impetrari poscebat. Tunc ipse noster imperatore in sinodi loco permanente ad eos evocatur, utque aut conciliationi consentiret, aut metropolitano indutias pro velle concederet, ab omnibus petebatur. Qui statim dixit se peticioni eorum promptissime obedire, si tantum animadverteret, suorum sententiam sine quibus hoc finiri non liceret eorum consilio consentire. Tum primores nostri, Wiggerus praepositus et Tadilo decanus, cum Osdago paucisque aliis seorsum secretius accersiti, et de huiusmodi consensu in veritate requisiti, pedetenus e vestigio episcopis provolvebantur, et ut ibidem iusto sinodicae auctoritatis iudicio idem diffiniretur unanimiter per nomen Christi depraecabantur; ammonentes scilicet seniori nostro in hac re nullo modo posse melius evenire, si ei liceret tam execrabilem discordiam in conspectu domni imperatoris et tantae episcoporum multitudinis aut iuste retinendo, aut iustius amittendo diffinire, presertim cum ipse paulo ante publice profiteretur, se sibimet diffidere, ulterius posse huiusmodi concilium invisere. Et idcirco generaliter illis omnibus eorumque successoribus profuturum, si modo universali eorum consilio et etiam in generali concilio, canonice praecisa pro talibus discordandi occasio tolleretur in futurum. Tandem vero hora certe diei decima ad sinodum revenerunt, et unusquisque in loco suo ut praenotatum est consederunt. Senior tunc noster in medio chori constitit, et iterum domno Brunone concionante, defensionem suam ibidem, ubi priori sinodo causa qua praedicitur subsistebat, incepit. Nam si aliqua cleri plebisve congregatio in testimonium super aliquot episcopos deberet recipi, hoc sibi petiit sinodaliter decerni. At metropolitanus agnoscens magis magisque rem suam nostra proficiente deficere, speransque se adhuc indutias posse deposcere, de solio suo progressus nostro praesuli pedetenus acclinatur, utque sibi dilationem usque ad aliam tantum sinodum concederet per specialem eorum germanitatem depraecabatur. Domno tamen nostro illius ingenii sagatitatem iam manifestius callente, nil impetravit, sed etiam risum ingentem tam inter primates quam et ceteros excitavit. Tunc itaque immedio sinodi aliquantisper quid faceret coniectando perstitit, et a fratribus ut ad thronum suum rediret sinodumque perficeret rogatus, ita respondit: *Quam diu*, inquit, *mihi ex sua parte voluntatis meae commoditas impeditur, tam diu sibi ius suum mea parte non expeditur.* Quod quidem verbum cunctis audientibus displicebat, et hoc tamen quisque reverentiae illius causa dissimulabat.

33. Sed episcopo Wiggero Vardensi idem certe zelo iusticiae altius indoluit, qui cunctis diu conticentibus in haec dicta prorupit: *Scio*, inquit, *me debere archiepiscopi qui mihi praesi-*

1027.

* i. q. Oniae. 2 Machab. 3.

1027. *det quociens confratrum nostri unanimitati complacuerit sinodum adire, ibique ei canonico iure ad omnia quae iuste voluerit obedire. Quia vero hic noster primas profitetur se iuri velle resistere, sciat tam imperatoria maiestas quam et assidentium caritas, me in eius sinodo diutius nec velle nec posse consistere, nulla tamen inobedientia machinante, sed illius animositate dehortante!* et his dictis egreditur. Tunc archiepiscopus hac ammonicione conpunctus resedit, et tandem sui suffraganeos per fraternitatem ut ibi mos est ad desideratum iudicium commonuit. Fitque a Werinhero praesule Argentinensi, cui inter ceteros primatus gratia is honor debebatur, decretum, nullum ubique vel cleri vel populi testimonium supergredi trium vel certe duorum testimonio episcoporum. Deinde petiit a metropolitano episcopos in quorum testimonio confidebat ammoneri, quod eos scire asserebat veraciter profiteri. Certe hoc eos aiebat et vidisse et audisse, Willigisum Mogontiacum praesulem Bernwardo Hildenesheimensi eandem Gandesheimensis loci parroechiam ibidem in praesentia regis et episcoporum asstante clero et populo episcopalis ferulae tradicione canonice reliquisse, et illum nostrum eo loci statim in eiusdem ecclesiae dedicatione, missarum celebratione, virginum velatione, sinodi collectione, coram rege et episcopis omnem pontificalem provisionem nullo contradicente potestative exercuisse. Tunc archiepiscopus etsi invitus, equitati tamen diutius reniti non ausus, praenominatos episcopos de eodem interrogavit, et veritatem inde protestari sub testimonio Christi et ecclesiae corrogavit. Quorum primus Bruno Augustensis ita respondit: *In fraternitatis caritate quam per Christum omnibus vobis debeo, quod vidi et audivi veraciter dico, Willigisum Mogontiae praesulem Bernwardo Hildenesheimensi in Gandesheim ante fores principalis ecclesiae eiusdem loci parroechiam ab eis eatenus decertatam in conspectu regis et episcoporum astante clero ac populo episcopalis ferulae publica traditione resignasse, et hunc statim eo loci omnem pontificalis ministerii potestatem in eiusdem dedicatione, virginum velatione et alia qualibet provisione nullo contradicente publice celebrasse.* Addiditque: *Ego quoque eius peticione pariter et licencia ibidem in medio ecclesiae altare sanctae crucis consecravi, et in crastinum monasterium monacharum illic dedicavi.* Ceteri vero per ordinem singulariter requisiti, idem se et vidisse et audisse eadem relatione sunt professi. Et si quid eodem tempore ibi praenotati ordinis egerunt, hoc etiam in testimonium assertionis suae protulerunt. Post haec domno Godehardo quid sibi agendum tunc foret percontante, et metropolitano idem magis ex debito quam ex velle commonente, praedictus Werinherus episcopus decrevit: hunc nostrum adnullata Mogonciacensium invasione, et episcoporum testimonio sua renovata possessione, in pace debere domum regredi, suaeque vestiturae proprietate firmiter sine qualibet inquietudine perfrui, donec legitimo vocationis tempore etiam tam suimet quam et omnium sui comprovincialium episcoporum electione ad sinodum vocaretur, eique idem terminus sinodaliter demeretur.

34. His Deo gratias ita finitis, domna Sophia processit, et de iniusta nonnarum sui subreptione et imperatori et universi senatus conventioni dignam querimoniam gessit; et domni nostri qui hoc ei iam iure debebat petiit auxilium, utque eas recipere mereretur circumassidentium concivit suffragium. Archiepiscopus autem rerum nostri successu iam dudum commotus, contra eam vehementius debito exarsit, illamque incompetentiori quadam invectione verborum aggredi gestiens, ab ipsa se in hoc Gandesheimensis parroechiae desiderium primitus[a] inductum proclamavit. Quod tamen ipsa satis condecenti recusavit apollogio, illorum quippe quos ipse idem scire fatebatur, et maxime Wiggeri nostri praepositi publico testimonio. Plura deinde ipse prosequi contra eam instituit, sed ab imperatore quis vel ipse vel quae etiam ipsa esset praetractare commonitus, tandem obticuit. Sicque illa sinodus finitur. Illud autem de monialibus illis suspenditur in crastinum, quas vero item archiepiscopus reddendas promisit post biduum; quod et fecit.

His ita diffinitis domnus Godehardus laetus Deo gratias cum praefata domna domum rediit, et episcopatus sui potestatem ex tunc et modo firmiter obtinuit. Sed et illas difficulter requisitas nonnas Gandesheim in coenobio monachicae professionis coepiscoporum consilio collocavit, quas inibi propositum sui regulariter observare sub obedientiae constrictione mandavit. Quae ibidem aliquot mensium spacio commorantes, plusque pro libitu quam pro debito viventes, ab aliquibus quos Deus noverit, inde nocturno tempore furtim sunt ablatae, et Mogontiam non quidem affirmamus[b] metropolitano sciente collatae, sed tamen in eius

a) pmitus c. b) *manu* 2.

metropoli ipso consentiente commoratae. Seniore sane nostro inde nil ulterius exigente, tantae quippe irrationabilitati diutius obviare non valente, nisi quod eas cum ipsis suis delatoribus post ternas revocationis inducias anathematis collateratione colligavit, hocque archiepiscopo suo ut iustum erat scriptis intimavit.

5 35. Post biennium item temporis, imperatore post festum sancti Michahelis Phalidi[74] aliquandiu residente, metropolitanus cum episcopis qui tum forte herilis servitii gratia curti aderant, consilians ibi sinodum pro posse concivit, et illo domnum Godaehardum, magis imperatoris et confratrum iussione, quam canonica adlegatione vocari persuasit. Illo enim convenerunt, et 2. Non. Octobris die dominica coram rege, episcopi ipse Aribo Mogontinus, 10 Hunfridus Parthenopolitanus, Meinwerkus Patherbrunensis, Meinhardus Werziburgensis, Godehardus Hildeneshemensis, Branthogus Halberstadensis, Sigiberthus Mindensis, Gozmarus Asenbruggensis, Reinoldus Aldenburgensis, Thiedricus Misniensis, et unus Romanus, alius Grecus in sinodo consederunt. Tunc archiepiscopus more solito querimoniam super Gandesheim temptavit, et quomodo suae diocesis vestituram quae sibi praecessorum sui ne-15 glegentia abalienata foret repetere deberet sibi decerni rogavit, dicens se in Francanofordensi concilio omnia inventa vel decreta patienter sustinuisse, et postmodum per anni circulum et eo amplius expectasse, iam diutius super hoc reticere non praesumere, ne videretur suae ecclesiae ius aut nescire aut nequire aut certe nolle defendere; se eidem praesenti sinodo ad omnia obtemperaturum, et de eadem sua parroechia eo loci iuramento episcopo-20 rum, clericorum, laicorum, iuxta imperatoris ac praesulum complacitum finem constituturum. Econtra senior noster putare se ait nil inde ibi tractandum, quia idem Francanovordi foret perpetuo terminatum; si vero aliter non possit, se imperatoris et fratrum consilio libenter obauditurum, libentius tamen si fieri possit in generalem praesentiam eorum praesulum qui priori concilio intererant expectaturum. Fitque inde mirabiliter varia inter considentes dis-25 ceptatio, eo quod illi diffinitio, isti vero placuerit dilatio. Tunc noster praepositus Wiggerus assurgens, imperatorem et episcopos, quam firmiter quamque racionabiliter eadem Frankanovordi determinata sint humiliter commonuit, et quam sepe antecessorum tempore tam in conspectu Romanorum pontificum quam et imperatorum finita sint, et quam etiam plurimas quamque firmissimas testimoniorum auctoritates in scripturis senior noster habuerit, suffi-30 cienter exposuit. Contra quem pluribus ex alia parte mussitantibus eaque quae vera disseruit infringere conantibus, Sigiberthus praesul Mindensis manifestius emersit, seque eo quod senior noster indutias peteret suo iudicio Gandesheimensis diocesis vestituram archiepiscopo decreturum promisit. Cui piae memoriae Meginhardus Werziburgensis praesul[75] respondens ait, se suosque confratres domno Godehardo suo decreto eandem parroechiam assignasse, 35 eamque sibi nisi eorum iterum iudicio adimi nec debere nec posse, et quia sibi suisque complicibus, id est Meginwerko et Branthogo, quibus id tractandum erat, ceterorum displicere querebatur desentiam, sinodum suspendi rogavit usque in illorum praesentiam. Quia ergo ipse veritatem sine fallendi nevo disseruit, testimonium totius concilii publice promeruit. Ille vero alter favori plus equo innisus erubuit, et propria semet conscientia repraehendente 40 conticuit. At ubi archiepiscopus se in hoc minus proficere animadvertebat, item inceptae iam sepius conciliationi imperatoris ac principum auxilio inniti studebat. Domnus autem noster diutius non valens resistere, promisit se ad omne quod imperator cum episcopis, suis tantum clericis ac militibus[a] placitum, decreverit promptum existere. Tandem domno Godehardo ipsum Gandesheimensem locum honoris causa praeponi, circumiacentes vero villulas 45 inter eos conciliandi gratia dividi, imperator cum ceteris primoribus decrevit, quod tamen consilium nostratibus hoc super tam firmam priscae sinodi determinationem consentire metuentibus non provenit. Metropolitanus hoc audito sinodum finivit, et super hoc ulterius quicquam prosequi penitus desivit.

36. Subsequenti autem anno, imperatore estivo tempore Mersburg placitum habente, 50 eo et Mogontinus praesul et noster convenerunt, seque primo conventus sui die devote[b] invicem salutaverunt. Quadam[76] vero die diluculo ipse metropolitanus cubiculum nostri senioris[c] inprovisus ingrediebatur, et semotis omnibus solus cum solo diutissime colloquebatur, et ut ipse noster fidelibus suis ipso superstite asseruit, se in Gandeshemensis parrochiae

[Margin: 1029. Oct. — Oct. 6. — 75 — 1030. Iun. — 76]

a) ministris *corr.* militibus. b) *manu* 2. c) c. n. s. *manu* 2.
55 74) cf. Ann. Hildesh. a. 1029. 75) obiit anno 1034. 76) cf. Ann. Hildesh. h. a.

1030. repeticione pro parte ignoranter errasse, pro parte malignanter fatebatur peccasse, sibique hoc indulgeri deposcens, se sanctae Mariae ipsique episcopo digna penitentia semper satisfacturum, et super talibus sub testimonio Christi et ecclesiae promisit perpetuo taciturum.
1031. Proximo autem anno, incarnationis certe Domini 1031, suae quoque ordinationis duodecimo, idem archiepiscopus post natalem Domini Romam adiit, et inde rediens immatura ah! ah! 5 morte praeventus, 8. Idus April. obiit. Hanc ergo confessionis eius sententiam ideo hic internectaendam estimavimus, quoniam post illius obitum ipsum domnum Godehardum infra missarum sollemnia in umbone sermone ad populum habito idem publice profari sepius audivimus, ubi ei et pro his et pro aliis indulgentiam sincera cordis conpunctione impertivit, et 77 a circumstantibus ut idem facerent expetivit[77]. Post hunc autem quidam Fuldensis decanus 10 Bardo nomine, eodem anno Wirdinensis abbatiae regimini praepositus, et postmodum in Herveldia Arnolfo abbate deposito in hanc dignitatem inpositus[a], in Mogontia successit, qui praeteritae litis discordiam erga nostram aecclesiam funditus contexit, et praedictas illas moniales, postquam anathematis bannum intellexit, Sophia quae prima earum erat Mogonciae defuncta, secum Norhtunon[78] produxit, et illic domna Sophia cum praeposito nostro et 15 decano obviante, duas earum reddidit, duas vero humili praece secum retinuit, et pro illo etiam beneficio domnum Godehardum devoto semper in posterum excoluit dilectionis officio. Illarum vero quae requisitae sunt priorem, Idam scilicet illam domnae Sophiae neptem, in Gandesheim cenobio monacharum Reinburga abbatissa defuncta senior noster praeposuit, et omnem pontificalis officii ordinem ibidem postmodum sine cuiusquam contra- 20 dictione probabiliter exercuit.

37. Quoniam ergo nunc illam diutius prolongatam dissensionem ad optatum tandem finem perduximus, restat ut de gestis venerandi nostri pontificis quae inter praescripta sola legentium fastidii devitacione dilata sunt ex multis pauca disseramus, et ea quae iam Deo plenus et seculo prorsus alienus exercuit, ad laudem summae Deitatis et etiam ad noticiam 25 79 et providentiam fragilis nostrae mortalitatis describamus. Nam primo[79] ordinationis suae anno in australi[b] parte nostrae principalis ecclesiae antiquum templum praecessorum tempore constructum, sed iam et senio et incuria pro parte dilapsum, inde penitus abstulit, et ibidem monasterium summi decoris ut vel hodie claret inchoavit, quod quarto dehinc anno decentissime consummatum, in honore passionis resurrectionis et ascensionis Domini 17. 30 Kal. Sept. dedicavit[80], in quo processionis ordinem et dominicis et aliis etiam festivis diebus pro cuiusque temporis qualitate et officii quantitate non etiam sine mistica provisione sapienter aptavit; quo templo missalibus, libris, campanis, aliisque divini ministerii instrumentis adornato, scolam illic canonicam concivit, cui totam spiritualis et carnalis alimoniae suffitientiam omni vitae suae tempore saluberrime providit. Duo quoque castella construxit, 35 81 unum[81] quidem ex orientali parte nostrae civitatis, in quadam palude quae a fonte sal[c] ibidem scaturiente Sulza[82] dicitur, ubi antea fantasmatica quaedam illusio praetereuntes sepius et maxime nocturno vel meridiano tempore deterrere consuevit; ubi etiam sacellum pulchrum in honore sancti Bartholomei apostoli consecravit, ea videlicet ratione, quia quamvis omnibus apostolis inmundi spiritus subiecti sint, ille tamen eis in passionis suae certamine prae 40 ceteris legitur imperasse. Aliud[83] vero ex occidentali civitatis parte in speciosi cuiusdam montis cacumine edificavit, quod sancti Mauritii, sui videlicet dum patriam[84] incoluit patroni[85], honori pariter et nomini titulavit. In quo monasterialem ecclesiam, pulchra varietate et varia utilitate constructam, incarnationis Domini anno 1028 et sue promotionis septimo de- 86 dicavit. In quadam etiam sui curte Holthuson dicta[86] conveniens monasterium cum habita- 45 culis monachicae conversationi congruis construxit, quod subsequenti praenotatae suae ordinationis anno quadragesimali tempore, 12. Kal. April., in honore sancti Benedicti dedicavit, ubi et congregationem monachicam ab antecessore suo apud nos in monasterio sancti Michahelis archangeli coadunatam collocavit, quia eos ibi ab humana frequentatione semotiores

a) i. sub eiusdem anni spacio 1. b) *igitur fortasse et in Ann. Hildesh. a.* 1023 *et* 1027 *vox erasa fuit:* australi. c) sal- 50 suginis *corr.* sal *c.*

77) v. Ann. Hildesh. h. a. 78) Nörten prope Göttingen. 79) cf. Ann. Hildesh. a. 1023. 80) anno 1027. Ann. Hildesh. 81) cf. Ann. Hildesh. a. 1024. 82) hodie Sülze. 83) cf. Ann. Hildesh. a. 1025. 84) Baioariam. 85) Altahensis monasterii patronus erat. 86) hodie Wrisbergholzen; eadem in Ann. Hildesh. a. 1030 de ecclesia in Holtunon dicuntur, ideoque ad Godehardum, minime vero, ut T. III. p. 97 erravi, ad archiepiscopum Bremensem 55 et coenobium Osterholz referenda sunt.

professionis suae cursum liberius exsequi posse putavit. Quod ubi humanae tam suorum 1031.
quam et aliorum opinioni displicere cognovit, commentationes singulorum non ferens, redire
eos ad prius habitaculum mandavit. Quamvis enim ipse vario huiusmodi edificationi studio
vehementius omnibus esset intentus, omne tamen quod felicis memoriae domnus Bernwar-
5 dus[a] eidem sancti Michaheiis ecclesiae in aliquo contulit, eiusdem loci abbati Goderammo
eiusque post eum successori Adelberto in huiusmet monasterii edificationem sollicite com=
misit, adeo ut nec unum agellum vel mancipiolum aut de collato eo[b] loci thesauro unius
nummi praecium in suae commoditatis converterit servitium. Idem[87] autem monasterium 87
ab eo Adelberto abbate nisi quibus turribus et minoribus capellis laudabiliter consummatum,
10 incarnationis Domini 1033 anno sueque promotionis undecimo, in honore sancti Michahelis 1033.
3. Kal. Octob. dedicavit, et quicquid ibidem prioris episcopi studio attitulatum est, episco-
palis banni auctoritate Divinitate propitia perpetuo mansurum corroboravit. Quod[88] tamen
proximo anno sicut peccatorum nostrorum iniquitas coram Deo promeruit, Kal. Iul. in vigilia 1034.
pentecostes ad vesperam fulmine combustum miserabiliter interiit. In orientali autem ca-
15 stello quod praediximus ecclesiam maiori ambitu sacello priori compositam coaptavit, quam
nativitatis Domini anno 1034 et sui episcopatus duodecimo in honore apostolorum Christi
9. Kal. Septemb. consecravit. Alias quoque kiricas et apud nos et circumquaque non minus
triginta praesulatus sui tempore sine qualibet muneris perceptione pro solo deificae religio-
nis lucro consecravit, quasdam ipse fundavit, quasdam vero suavidica ipsius exhortatio fide-
20 les Christi construere mandavit. Postremo principale nostrum monasterium cripta quadam
in occidentali parte obscuratum aperuit, et valvas quas domnus Bernwardus conflari fecerat[89] 89
ibidem pulcherrime composuit, et ante ipsas paradisum delectabile pulchris porticibus altis-
que turribus inchoavit, quod decimo tertio provectionis suae anno consummavit, cuius turres
et etiam campanarium quod ipse super idem amplum mira artificii ingeniositate et insuper
25 magna deaurationis praeciositate sapienter adornatum composuit, optimis campanis, certe
ex perfectissimis eiusmet artis artificibus exquisitis decenter adimplevit. Incredibile est etiam
memoratu, quantum in missalibus et librorum ac totius ecclesiastici decoris studuerit ornatu,
quia ut modo digne conserventur, tacente lingua carnis ipsa plurima utensilia idem varia sui
commoditate nobiscum perpetuo loquentur. In enutriendis quoque clericis, legendi, dictandi,
30 cantandi, scribendi pingendique studio alacriter studuit, quod etiam tunc temporis laudabi-
liter claruit.

38. Vigiliis autem et orationibus et ieiuniis tanta sedulitate fuerat intentus, ut inde sibi
omnimodae vitalis voluptatis succreverit contemptus, quod licet ipse pro iactanciae devita-
tione clam cavere niteretur, nobis tamen qui ei utinam condigna ac debita servitii fidelitate
35 contigue cohesimus, continua inmanitate res facile prodebatur. Iugiter namque completorii
cursu finito, lecto reclinatus ad usque conticinii tempus quiescens omni nocte surgebat, et
reliquum noctis tempus usque ad communem matutinalis officii consurgendi horam in psal-
modie orationibus insomnis pernoctabat. Iam vero cantandi hora signo clericis convocatis,
et matutinis cum commemoratione defunctorum consummatis, si quid noctis adhuc restitit,
40 donec primae horae cursus occurreret in solita semper praece perstitit. Quo peracto, mis-
sali officio aut audito aut per semet ipsum sepius decantato, ad operarios exiebat, quorum
innumerabilem multitudinem per diversas operum utilitates si non aliquo novarum rerum
interventu praepediebatur cotidie nisi in festis exercebat, quibus profectionis studio frequen-
tius assidens, singulorumque strenuitates diligentius intuens, adhibito sibi uno de clericis
45 semper inveniebatur psalmodiae laudes resonare; nisi quando interim advenientium sugge-
stioni pro multifaria suae procurationis sollicitudine cogebatur respondere. Sed et clericis
quos secum habuit, semper ubiubi erat convenientem locum providit, ubi quisque eorum
pro suo ingenio vel lectioni vel cantui vel scripturae vacabant, donec reficiendi hora seniore
ad mensam procedente conveniebant. In elemosinarum autem largitate vehementissime sat-
50 agebat, quia diatim innumerabilem pauperum multitudinem ante suam refectionem publica
stipe sufficienter reficiebat. Ex eisdem vero imbecilliores quosque conviviis in domum indu-
cebat, quos ibi lautioris cibi satietate provide recreabat. Quoscumque tamen in urbe vel
suburbio infirmos rescivit, hos non solum ciborum refectione sed et alia qualibet provisione
benigne revisit.

55 a) B. c. b) e c.
87) v. Ann. Hildesh. a. 1033. 88) v. Ann. Hildesh. a. 1034. 89) extant adhuc.

39. Usitatam quidem illius abstinentiam nequaquam sufficimus vel satis admirari, quoniam nullum iam inter probabillimos restare credimus qui eam possit imitari, quam nisi sepius praesentialiter non sine admirandi stupore conspexerimus, numquam Deo teste vel dictis vel scriptis crediderimus. Nam ad mensam cum suis residens quicquid sibi in delectabiliori piscium apparatu suavissimum apponebatur, totum hilariter acsi pro comedendi aviditate attigit et confregit, et circumsedentibus qui hoc digni videbantur laetus distribuit. Ipse iugiter in pane solo et sepissime si holerum vel leguminum condimento refectionem iocunde sumebat, et cunctis cotidie in vino et medone laetissime convivantibus aqua tantum sitim mitigabat, nisi aut hospitum hoc certe merentium cogeretur praesentia, aut a primoribus nostris per nomen Christi coniuratus tali devinceretur obedientia. Dominicos vero aliosque festivissimos dies excepit, in quibus corporalem sustentationem in piscibus et vino et cervisa et etiam melle non tamen ad satietatem sed semper parcius suscepit. Omnia autem quattuor temporum ieiunia omnesque sanctorum vigilias per anni circulum, ubicumque sic evenit, continuato sepius biduo vel triduo ieiunando pernoctavit. Semper autem post episcopalem sui promotionem quadragesimale tempus a capite ieiunii usque ad pascha in pane et aqua perducebat, ut hinc nec dominicas nec[a] festum aliquod exemerit, nisi tali ut praedicitur hortamine invitus id fecerit. Et hoc quidem rarissime contigit, quoniam propositi sui sententia intellecta, nemo eum tandem pro talibus compellare praesumpsit. Quociens tamen vel ab advenientibus vel a commanentibus ut sibimet in hoc provideret ammonebatur, cuiusque fortioris cibi vel potus perceptionem assidua ieiunandi consuetudine incommodare sibi fatebatur. Quanto ergo diutius hanc huiusmodi abstinentiam exercuit, tanto per Dei gratiam quae eum liquido per omnia comitabatur ad perficiendam fortior exstitit.

40. Pro hac enim observantia regalem curtem sed et primatuum quorumlibet conventum libens devitabat, quia se a suae mentis instituto per eos vel peticione vel iussione reduci pertimebat. Ubicumque autem infra suae provisionis terminum ad festa sanctorum aut ad anniversariam ecclesiarum diem populum convenire cognovit, illo alacriori cordis hilaritate libenter commeavit, quia quod solum prae omnibus semper amavit, ibi se per verbi Dei inpertionem lucrum animarum acquirere posse speravit.

Hoc etiam ad laudem Christi iugiter fiebat, quoniam sermo doctrinae eius non alius erat, nisi de Dei et proximi dilectione, et fidei ac christianismi conservatione, et de confessione peccatorum et etiam de recordatione salutis animarum. In coenobio autem nostrae conversationis sepius sanctarum scripturarum interpraetationem profundissime tractavit, fratresque suavidica exhortatione, et non etiam interdum sine austeritatis intermixtione, ex praesenti practicae actione permansuram theoreticae contemplationem promereri studere mandavit. Corporali tamen nostrae procurationi nihilominus invigilavit, quia et cotidianam annonam pro sui decere et nostri etiam egere sufficienter ampliavit, et pecuniam quoque, quam domnus Bernwardus in usum vestiendi nobis dandam iniunxit, misericorditer adauxit.

Circumposita sanctimonialium monasteria interdum etiam adiit, et qualiter professionis suae debitum Deo persolverent indagatione sollerti rescivit, et pro bene gestis gratias divinae propitiationi retulit; reliquum vero si quid, ut forte fit, indecens invenerat, iustae severitatis invectione et olei et vini infusione sollicite purgaverat. Deinde corporalis indigentiae sufficientia perquisita, et habundanti caritatis exhibitione ex suis inpertita, remeavit ad propria.

Nec quicquam ubiubi inperfectum umquam demisit, unde aliquod divinae religionis lucrum exoriri posse cognovit[b].

VITA POSTERIOR.

INCIPIT PROLOGUS.

Summae reverentiae decore venerando domino meo et magistro Albwino, toto semper devotionis studio colendo, Wolfherius[c] spiritu et corpore modicus, quicquid pro plurali subiectionis debito iure proprius. Hystoriam de vita et institutione beatae memoriae patris ac pastoris nostri Godehardi[d] episcopi scripturus, inter spem et metum anxius diu multumque deliberando

a) ne c. b) *ita codex autographus desinit, initio fol.* 138, *cuius altera pagina non nisi pauca verba eaque multo posteriori manu apposita exhibet:* Anni vite sancti Godehardi fuerunt quasi . LXXVIII[to]. c) wolherius 3. wolfherrus 7. LEIBN. d) gotehardi 1. *constanter;* gothehardi 5.

dubitavi, quia me ad tam arduum ac praeclarum opus imparem minusque idoneum non ignoravi. Nam quantum spe et delectatione virtutum, quas per illum Deus ostendit, delectatus advocabar, tantum multiplici propriae negligentiae conscientia et metu territus retrahebar; donec tandem praeceptorum ac fratrum, maximeque beati et veri Dei cultoris Adaelberti abbatis no-
5 *stri*[90] *iussis, partim sponte, partim invitus obediens, tale fastigium attingere temptavi, tuaeque* 90
clementiae, o praeceptor nobilis, secretius offerendum aestimavi, apud quam et pro erratis facilis locus esset veniae, et pro demendis vel addendis promptior et non suspecta benignitas cautelae, vel saltim indiffamata[a] *cęleritas taciturnitatis aeternae. Nec enim, pater venerabilis, aut dedignando mireris, aut ammirando dedigneris, quod tu solus ex generali pontificum, ab-*
10 *batum ac*[b] *doctorum collegio, quasi ad meae nugacitatis inspectionem specialiter eligaris, cum et hoc prudens praedicti monitoris et impulsoris mei industria providerit, maxime quia tibi pro fidei et dilectionis tuae*[c] *merito eiusdem patris nostri vita et ante et post pontificalem promotionem prae caeteris semper claruit, et quia ipse tibi secretius ac familiarius, exemplo Christi ac discipuli quem diligebat, cordis sui archana prae cunctis aperuit. Ideoque et me, ut prae-*
15 *dixi, imparem minusque idoneum ad idem opus*[d] *praesertim impulit, quod per adolescentiae meae tempora inter Herveldense et Altahense coenobium, quasi Orosii more*[91]*, discursitaverim,* 91
et primaeva[e] *eius gesta a Christi fidelibus et frequenter audierim, et etiam pro parva adhuc ingenioli capacitate libenter retinuerim. Deum ergo*[f]*, qui secreta cordium intuendo rimatur, testor, me nichil in eius memoriae laude descripturum, nisi quod aut ipse et vidi et audivi, aut*
20 *a vere veridicis et etiam probatis agnovi. Maxime tamen cum Altaha studii causa exularem, cuiusdam veterani presbyteri Rumoldi*[f'] *nomine, quem et tu melius noveras, familiaritate et colloquio saepius utebar, et si Deus quandoque dignaretur, eius veriloqua relatione ad hoc ipsum instituebar; qui certe ei ab ipsa infantia fideli ministerio semper adhaerebat, eumque sacrae eruditionis litteras primus instruebat, et omnia eius dicta et facta usque ad monachicam pro-*
25 *fessionem, et etiam ad pontificalem promotionem, ipse*[g] *melius noverat. Sed et ego solito priscae obedientiae more, si quod forte vel aptum vel ineptum compilare quiverim, primo sagacitati tuae merito offerendum decrevi; ut certe per te errata corrigantur, hiantia suppleantur, superflua diradantur, necessaria supponantur, et ubiubi deviaverim, quod, fateor, facile fit, stoliditas mea veniam consequatur; quae*[h] *et contra insultantium irrisionem auctoritatis tantae*
30 *defensione muniatur. Cum tamen, Deo teste, pro hoc minime movear, si quis me talium elatus irriserit, vel inurbanum quicquam conflasse verbosus*[i] *obiecerit, ut tantum studiosis et Deum timentibus simplicem veritatis sententiam construxerim; et his, si qui forte spiritus Domini inspiratione annuente post hoc, dum livor invidiae nubila*[i'] *praetendens occiderit, praedicti antistitis actus et vitam condigna reverentia condecorare noverint et voluerint, rerum et tempo-*
35 *rum certum ordinem depinxerim. More siquidem sagatioris canis, qui annuente venatore vel nutu vel signo emissus, tota die indesinenter et quasi infatigabiliter laborat, non ut sibi solummodo, quod nec praesumit, praedam arripiat, sed ut iubentis domini ludichram voluntatem perficiat, rarum scilicet et insolitum quiddam capiendo, unde non solum dominus cum suis domesticis festivius laetetur, sed et superventuris forte amicis lautioris coenae iocunditas reser-*
40 *vetur — huius inquam more me libenter laborare profiteor; non ut mihi laudem, quam in hoc nec mereor nec dignor, acquiram, sed ut vel modernis vel posteris, sicut praedixi, aeternam iusti memoriam, quamvis indocili taxatione, proponam. Quare ergo erubescam me canibus, qui certe maiorem et excellentiorem inter bruta animalia, dono puto Creatoris, intellectum habent, assimilari, cum nec euangelica illa Chananea erubuerit, immo et gavisa sit, se a Domino cani-*
45 *bus comparari, nec etiam Lazarus spretus a divite horruerit, his lingentibus consolari? Nam quantum brutis excellentiores, tantum racionabilibus sunt appropinquiores. Nec saltim super hoc fidelium quisque moveatur, quod a praedictis inlusoribus fatuitati meae obicitur, non decere tam praeclari ac insignis viri quasi infimam*[k] *genealogiam diffamare, sed magis, ut ipsi putant, in laudem eius silentio celare, cum quilibet sanum sapientes non adeo attendant vanam*
50 *generositatis*[l] *iactantiam, quam utiliorem divinae inspirationis praerogativam, quibus certe* Vita I, c. 1.
nemo nobilis videtur nisi quem virtus nobilitare[m] *probatur*[n]*, cum scriptum sit:* Ubi spiritus 2 Cor. 3, 17.

a) infamata 5. b) aut 12. c) meae 1. d) opus — ergo *exciderunt* 12. e) prineua 1. f) *sequentium non nisi fragmenta scilicet linearum initia habentur* 12. f') *ita et* 12. reginoldi *L.* ratmundi B 4. g) ipso 5. h) quin *L.* i) verbosius *L.* i') *reliqua prologi desunt* B 4. 4[b]. k) intimam 10. *Brow.* l) *reliqua exciderunt in* 12. m) nobi-
55 litate 2. qui virtutis nobilitate probatur 3. n) uidetur B 5.

90) S. Michaelis abbas a. 1030 — 1054. 91) scilicet sicut Orosius a S. Augustino ad S. Hieronymum discendi gratia missus fuerat. HENSCHEN.

1 Reg. 2, 7. 8. Domini, ibi libertas. *Et propheta dicit:* Dominus pauperem facit et ditat, suscitat de pulvere egenum, et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus et solium gloriae teneat. *Quod in illo veraciter impletum esse, tota sancta aecclesia teste describimus, quia eum per vias rectas a Domino deductum, et in conspectu regum magnificatum cum principibus gloriose consedisse, et inter principes sapientiam locutum esse, et solium gloriae feliciter tenuisse vidimus.* 5 *Unde et a nullo fidelium dubitatur, quod modo in sanctorum ordine sacerdotum coram Christo procul dubio laetatur. Si ergo frivola loquacitatis meae sententia ultra licitum vel placitum sermocinando processit, quod certe timiditas, omnia etiam tuta timens effecit, tu pater et doctor egregie, qui hoc non solum praedicti praesulis memoriae, sed et nostrae imperitiae et debere crederis et velle; tu inquam, in quo est et approbandi pericia et improbandi potentia, quorumlibet* 10 *oblocutione contempta, prudenter*[a] *provideas, ut et inepta et inutilia aeternâ taciturnitate sepeliantur, et profutura, Deo adiuvante*[b], *sine adulationis fuco proferantur. Quia, si quid a vero dissidet, non meae impericiae sed tuae imputatur incuriae; sed si forte quid aptius erit, non mea sed tua pars erit, ut quidam se humilians ait:*

Si quid ab ore placet, laus monitoris erit[c]. 15

EXPLICIT PROLOGUS[d]. INCIPIT VITA EIUSDEM[d].

Matth. 5, 15. Tob. 12, 7. 1. Quia euangelica veritatis voce praecipitur, ut lucerna accensa non sub modio sed super candelabrum ad illuminationem fidelium constituatur; et quia secreta regum cęlari iubentur, opera vero Dei revelanda et magnificanda iure panduntur, ideo dignum et etiam gloriosum putavimus, vitam beati et venerandi patris nostri Godehardi episcopi, quantum 20 divina clementia donaverit, in exemplum modernis et posteris proponere, et gestorum eius probabile magisterium Deum timentibus exponere. Vere etiam metuimus, nos culpa negligentiae non carere, si patiamur ea, quae ab eo laudabilia et vidimus et audivimus, sub silentio latere. Quem[e] ergo Baioaria olim ab initio, verbi Dei vomere exculta, et sacrae fidei semine sufficienter fecundata, verum religionis eruditorem nobis, quibus opus erat medicus, 25 concedente Christo transmisit, nos Saxones vel certe Saxigenae[92], et ut vera nobis, proh dolor! insultationis irrisione obicitur, verbo Dei diu indomabiles, periculo non caremus, si eius gloriam, domestica desidia obdurante, silendo negligemus.

2. Praeclarae[f] igitur indolis puer Godehardus nomine, iuxta Altahense monasterium ex eiusdem aecclesiae familia a vere christianis ut post patuit parentibus feliciter natus et nu- 30 tritus, ac in eodem coenobio sacrarum litterarum studiis fideliter est imbutus. Igitur septingentesimo quadragesimo primo incarnationis Domini anno, quo Karolus primus, filius Pippini primi, filii Anchisi, filii Arnolfi, ex hac vita demigrans, filiis suis Karlomanno et Pippino regnum reliquit, quo etiam sequenti anno iste Pippinus Karolum Magnum genuit, initium Altahensis monasterii[93] a sancto[g] Pirminio et Outilone duce Baioarico aliisque Christi cul- 35 toribus sapienter inceptum, et in religione monachicae institutionis feliciter est perfectum[h]; ante distributionem episcopiorum, quae decimo post anno in Baioaria a sancto Bonifacio archiepiscopo facta est ex decreto Zachariae papae et consensu Pippini regis; cui ante tunc temporis triennium, frater Karlomannus Romae tonsoratus, et monachizatus, haereditariam partem regni et proprietatis dimisit, quando Willebaldo Eichstad, Iohanni Salzburg, Erin- 40 berto[i] Frisingin[k], Gaibaldo Radispona commendatur, et christiana religio ibidem digne Deo corroboratur[94]. In praedicto certe coenobio servimen Christi ab inicio feliciter succrevit, et per centenos fere annos in monachico proposito laudabiliter profecit, usque in detestabilem illam dissensionem, quae cepit inter Loudowicum imperatorem filium Karoli Magni, et filios eius Lodowicum Lotharium et Karolum, ac deinde imperatore defuncto inter fratres ipsos 45 per multos annos, ut cronica testantur[l. 95], permansit.

3. In ea ergo tempestate aecclesiae plures despoliabantur, coenobia disturbabantur, inter quae et eiusdem Altahensis ecclesiae proprietas ibidem a fidelibus collata et eotenus inconvulsa diripiebatur, et huic sceleri militantibus iuxta debachantium[m] voluntatem beneficii,

a) sapienter *L.* B 5. b) donante B. c) E. p. *desunt* 3. d) E. p. I. v. e. *desunt* 2. 5. e) Quem — perstitit 50 *desunt in* B 4. f) Praeclarae — imbutus *desunt in editis et* B. *adsunt in* B 5. g) s. P. et O. d. B. a. *desunt* B. B 5. h) p. quindecim fere annis ante d. e. quae post annum B. *excepto* B 5. i) ermberto 1. k) frisinge 5. l) testatur 5. m) dibachantium 1. 5.

92) duri, saxea corda habentes. 93) cf. Ann. Hersfeldenses SS. III, 35. 94) cf. Vitam Bonifacii. 95) cf. Ann. Hersfeldenses SS. III, p. 44. 45.

immo maleficii causa dividebatur. Hac enim necessitate monachica ibidem norma defecit, sub regula tamen canonicorum idem locus usque in tempora piae memoriae Heinrici ducis, quem postea imperatorem vidimus, item per centum annos perstitit. Quod et Otto pius rex, filius Heinrici regis Saxonici, saepius decrevit in aliquibus locis redintegrare; sed plurali infortunio obstante, maxime tamen fratris sui Heinrici ducis Baioarici machinatione praepediente, non potuit perficere. Qui certe sibi in prima regali ordinatione, in praesentia patris ac principum, quasi iocularia indignatione se nobiliorem iactitans, restitit; et in eadem vana voluntate, semper contra fratrem regem privatim et subdole, contra filium vero regis Liutolfum, ut Baioaria adhuc testatur, publice[a] perstitit[b]. In eodem monasterio puer praedictus fideliter a parentibus oblatus, a fratribus devote susceptus, litteralis scientiae haustum Domino tribuente laudabiliter inbibit, et divinae legis noticiam pro parvulo adhuc aetatis ingeniolo libenter accepit, iuxta quod dicitur: *Facillime discitur, ubi spiritus Dei doctor adest*[c].

4. Eo tempore beatus vir Fridericus[d] Iuvavensis episcopus idem monasterium beneficii[e] causa gubernavit tempore Heinrici ducis prioris[96]; et fratres inibi in divino servimine coadunati, postquam eiusdem pueri laudabilem in timore Dei indolem cognoverunt, eum[f] noticiae pontificis intimaverunt. Quo audito ille, ut certe erat prudentissimus, Deo gratias retulit, illumque inde eductum in suam familiaritatem assumpsit[g]. Quem ubi de virtute in virtutem, gratia Christi provehente, scandere cognovit, amplius eum pro collata divinitus industria gratulans amavit, ac[h] per triennium secum per diversa expeditionum caeterorumque commeantium difficiliora itinera quasi praetemptandi gratia circumvexit, et sacrae fidei ac religionis catechismo[i] devotius instruxit, sicque[k] eum eidem coenobio, fratribus illum in supplementum divinae servitutis obnixe repetentibus, subdiaconii gradu decoratum remisit. Qui ibidem in sanctae conversationis studio de die in diem per adolescentiae tempus sagacius invigilans, communi etiam fratrum commodo et utilitati devotius intentans, maiores scilicet iuxta apostolum honore praeveniendo, coaevos iustis exemplis adhortando, subiectos sacris saepius monitis ad meliora sollicitando, et ita divina clementia comitante in brevi verae religionis disciplinam ad integrum consecutus, diaconii quoque honore sublimatus, eidem monasterio, ut vere post patuit, Deo praedestinante praepositus est constitutus.

5. Anno[l, 97] deinde post partum Virginis 983[m], Ottone imperatore secundo post periculosissimum et etiam infelicissimum Calabriae bellum adhuc per orbem terrae clade et infamia notissimum ex hac vita sublato, et Romae cum summo totius christianismi merore satis tamen honorifice sepulto, certe post inconsideratam Mersiburgensis episcopatus destructionem, et post innocentem iuxta vocem populi Geronis comitis necem, praedictus Heinricus Baioariae dux, pater Heinrici imperatoris, ab imperatore patruele certe suo ante septennium

a) p. t. 1. a*) *deest* 1. b) *hic codd.* B. *excepto* B 5. *et edd. inserunt, quorum pars iam supra edita est, sed in eisdem defuerat:* Praeclarae igitur indolis puer, Godehardus nomine, iuxta Altahense monasterium ex eiusdem ecclesiae familia in villa Ritenbach dioecesis Pataviensis a vere christianis piis et honestis parentibus feliciter natus est et nutritus. Studiis litterarum adhuc infantulus contra intentionem quodammodo parentum suorum se tradidit. Erant scholae, quas visitavit, prope monasterium Altach trans flumen Danubium. Cum autem mane surgens sanctus puer gratia visitandi scholas veniret prope Danubium, quod pons ibi non erat, ut posset fluvium pertransire, Deo dante, vadens ad scholas, aut inde rediens, quendam reperit, qui sibi per flumen continuum et sanum praebuit conductum. In *etc. desunt in codd.* A *et* B 5. c) *hic* B. *excepto* B 5. *et edd. inserunt:* Coepit namque sanctus puer in primaevo aetatis seu iuventutis suae flore vanitates declinare atque levitates evitare, magis eligens iugum legis Dei subire et virtutum tramites adire, quam frui vanitatibus huius mundi, ut illa semper assolet aetas; coepitque de bono in melius, de meliori in optimum non segniter se transferre. Ob hoc semper terebat ecclesiae limina, ut ibidem hauriret sacrae legis flumina, ut exinde mentem suam inebriaret sitibundam. Aderat ei Dei timor ipsum ab omni retrahens lascivia puerili. Sic igitur se omnibus exhibuit, ut organum quoddam Spiritus sancti esse verissime appareret. Unde et factum est, ut in habitu saeculari, quo inter religiosos manebat, multos de religiosis in vitae sanctitate pelliceret evidenter. Cum autem bonam moribusque honestis huiusmodi vitam laudabilem in dicto monasterio Altach per aliquot annos peregisset, et adolescentiae annos attigisset et vitae sanctae fama per totam Bavariam se dilatasset, eo *etc. desunt in codd.* A *et* B 5. d) Christianus Pataviae episcopus *codices* B. *perperam; quia Christianus anno* 991 *electus et circa annum* 1012 *mortuus est. Quo tempore Godehardus iam adultae aetatis esse debuit, qui anno* 997 *abbas Altahensis constitutus fuit.* LEIBN. e) b. c. g. *desunt* 5. f) eum Pataviensi episcopo qui tunc idem monasterium beneficii causa gubernavit, eum commendando notificaverunt 8. g) a. et cubicularium suum fecit. Quem *edd. et* B. *excepto* B 5. h) ac cancellariae officium eidem commisit: in quo officio talem se exhibuit, ut divinae organum sapientiae se omnibus exhiberet. Sic per *codd.* B. *excepto* B 5. *et edd.* i) catezismo 1. 5. k) instruxit. Timuit autem sanctus iuvenis Godehardus, ne quid in tantis quibus praepeditus erat negotiis vanum illaberetur animo. Ideo a dicto domino Pataviensi recedendi petita licentia et vix obtenta, is eum B. *excepto* B 5. *et edd.* l) Anno — fecit statum *desunt* B 4. m) DCCCCLXXXVIII. 1. 5.

96) patris Heinrici II. regis. 97) cf. Thietmari lib. III, cap. 14.

ob infidelitatem et tyrannidem, quam contra eum paterno more exercuit, ab honore summotus, tunc occasione iusticii[a] in spem regnandi arrogantiae furore in cassum elatus, herilem filium dignum Dei ordinatione regni heredem opprimere, semetque in monarchiam regni suadente seductore conatur erigere. Cuius tamen nugalis machinatio a primoribus regni Deum sane timentibus, et maxime a Willegiso metropolitano Mogontiaco, et Bernhardo[b] duce Saxonico pacifice sedatur, eique post multa apta et inepta, quae modo melius silentur
98 quia in cronicis[98] plenius continentur, priscus ducatus redonatur. In proximo autem natalis Domini die Otto[c] puer coronam regni a praenominato metropolitano honorifice percepit, et in omni ecclesiastica perfectione feliciter more avito crescere coepit. Cuius quidem laudabilis industriae iniciale fuit indicium, quod septimo suae ordinationis anno saepe dictum Altahense monasterium episcoporum consilio, auxiliante demum duce praefato, in pristinum
988. monachicae religionis reformari fecit statum. Quidam igitur venerabilis vir Erchanbertus nomine illic abbas praeponitur, per quem auxiliante Domino divinum ibi ministerium iuxta regulam sancti Benedicti religiose disponitur; ad cuius statim saluberrimam admonitionem promptae obedientiae iuvenis Godehardus, corde et animo a saeculi vanitate conversus, cum aliquantis eiusdem loci fratribus monachus est factus, anno, ut ipse nobis saepius intimavit,
992. aetatis suae 31; pluribus[d] tamen ex eodem coenobio ut non ignotae[e] postmodum memoriae
cf. I, 3. fratribus digredientibus, inter quos erat quidam Dietrichus[f], quem postea Mindonensis ecclesiae[g] episcopum vidimus. Sed novellus novae religionis tyro adoptatus melioris vitae tyrocinio, ut in priori proposito solebat, toto cordis ac mentis affectu ad caelestis aulae limen anhelabat; adeo ut novus praeceptor novo auditori, quod certe in talibus insolitum est, considerata eius probitate omnem divini ovilis curam post se penitus commendaret, eumque
cf. I, 8. sibi in spiritalis exercicii filiationem singulariter praeoptaret[h]. Qui tamen praedictus abbas
99 post triennium[99] vel causa infirmitatis vel taedio curae saecularis idem regimen reliquid,
995. et ad secretioris vitae solitudinem in conspectu interni arbitri vacare decrevit.

6. His etiam diebus praememoratus Baioariae dux obiit, cuius loco pius Heinricus, filius eius, surrexit, non patris insolentiam, sed initium sapientiae timorem Domini pleniter secutus; quia erat omni litterarum studio principaliter imbutus, et totus sane fide et actu catholicus. Qui statim in divini famulaminis cultu succensus, praenotatum coenobium iterum spirituali pastore privari indoluit, et eundem Godehardum, tunc presbyterum, abbatem ibi praeponere voluit; cui ille per biennium iusta satis excusatione restitit, quia locum et sedem pastoris sui ipso superstite usurpare non debuit. Sed postquam[i] a fratribus et etiam[k] episcopis vocatus revenire recusavit, eisque licentiam quem in locum eius vellent substituere
cf. I, 12. mandavit, tandem episcopali auctoritate et fratrum unanimitate victus, idem regimen iuxta
996. Dec. 27. ducis decretum suscepit. Qui statim in exordio suae promotionis totum se Christo vigilanter mancipavit, et districtiorem regularis vitae tramitem cum consociatis sibi fratribus ingredi anxie curavit; et in tali studio se ibidem per octo annos indesinenter exercuit. Et praeter hoc tamen manuali labore multiplicem fratrum[l] ac necessariam utilitatem acquisivit. Qui et ibi in monte quodam qui Helmgeresberg[m] dicitur, castellum firmum et in eo ecclesiam pulcherrimam in honorem sanctae matris Christi Mariae, in cuius speciale servimen futurus erat, cum condecenti aedificio construxit; et circumquaque, maxime tamen in saltu Boemico, qui eidem provinciae proxime adstat, ad triginta et eo amplius mansos labore tantum manuum cum fratribus apostolico exemplo silvis et vepribus erutis ad usum utilitatis informavit. Interim 1002 incarnationis Domini anno nobilis imperator Otto tertius ex vita hac inmatura morte discessit; in cuius regnum praedictus Heinricus dux, omni pietate perspicuus, successit.

cf. I, 13. 7. Erat in illo tempore in Herveldensi monasterio sancti Wigberti Bernherius[n] abbas, venerabilis genere et dignitate memorabilis; qui tamen, ut in pace dicatur, ultra sui propositi ordinem humano more popularis famae laudi intentus, eiusdem coenobii fratres forte

a) *ita* 5. iusticiae *alii*; vindicandi *Mab.* b) berhardo 2. behardo 3. c) Otto tertius *L.* d) pluribus — vidimus *desunt* B 4. e) ignote *corr.* ignorate 1. ignotum *L.* f) thetmarus B. *et Brow.* 10. B 5. g) e. sed non e. 7. *Henschen. L.* h) praeoptaret. Erat enim charitate fervidus, in labore strenuus, in oratione devotus, meditatione profundus, contemplatione suspensus, corpore honestus, corde mundus, sibi rigidus, defectibus aliorum compatiens, humilitate praecipuus, in paupertate laetus, et in vera nitidus castitate. Qui B. *excepto* B 5. *et edd.* i) p. abbas a *L.* k) et etiam. ab e. *L.* l) fructum *L.* m) *ita* 1. *et Vita* I. helingeresberg 2. 3. *L.* heyligerperch 4. n) bernhardus 7. bertholdus 10. B. bernharius 8.

98) Thietmari lib. IV, 1—6. 99) scilicet postquam Godehardus monachum professus erat.

aliquanto debita conversatione fovit indulgentius, ita ut more canonicorum proprietates sibi[a] tam in privatis aedificiis quam et in equis et cultioribus quoque plurimis vestimentis ac caeteris mundanae gloriae pompis vendicarent, et licentiam quoque dandi et accipiendi cum inlicitis ac superfluis conviviis caeterisque talibus usurparent. Quo scilicet abbate biennio 5 ante finem sui aegrotante, et ultra Fuldam flumen in monte, quo ipse monasterium in honore sancti Petri apostoli construxit, cum militibus ac caeteris sibi familiaribus refrigerii lenitate commorante, fratres indignatione permoti et quasi a patre contempti, ad regem tam per semet ipsos quam et per litteras ac legatos saepius diversas querimonias dirigunt, sibi victus et vestitus necessaria denegari, et illis cum caeteris Christi pauperibus esurienti- 10 bus, res ecclesiasticas per vana et inutilia prorsus dissipari. Quam eorum querimoniam rex sapiens altius quam ipsi opinarentur intelligens, sed et vitam illorum non nesciens, diutius dissimulando distulit. Sed ad postremum importunitate eorum devictus, modificato sermone, respondit: libenter se patrem eorum, si Dei dono convaluerit, de talibus ammoniturum; sin vero obierit, eis immo et sibi in praeponendo pastore in divinis et humanis, sapientum con- 15 silio, iuxta timorem Domini provisurum. At memorato abbate paulo post defuncto, prae- (1005.) dictum Godehardum eis patrem gubernatoremque episcoporum consilio praeposuit; quem etiam, ut in omnibus eis iuxta Domini timorem et monachicam religionem provideret, sollerter ammonuit. Qui[a*] illuc per Willegisum archiepiscopum perductus, et per eum etiam, sicut Deo gratias optime noverat, ad bene faciendum sapienter instructus, in primo ad- 20 ventu, gratias divinae pietati referens eiusque directionem in praeteritis praesentibus et futuris sollicite quaerens, primitus eis iuxta regulare praeceptum duriora et asperiora[b] mandata proposuit, et licentiam eis ad preces metropolitani aut haec secum celebrandi aut quo vellent discedendi contribuit. Qui statim unanimiter conspirati, simul omnes, paucis tantum senioribus vel puerulis remanentibus, egressi, per diversa loca varię sunt dispersi. Quos 25 tamen postea saniori consilio et eorundem qui remanserant, certe industriam eius ac mansuetudinem intelligentium, auxilio, quosdam citius, quosdam vero serius, pene omnes ad ovile revocavit, eosque sub levi iugo Christi facile Domino gubernante coadunavit. Civitatem vero ipsam et claustrales cohabitationes a superfluis et ineptis pluribus aedificiis ilico purgavit et in condignam monachicae necessitatis habitudinem honeste reformavit. Et cum 30 inibi inventis et aliunde acquisitis fratribus in eodem coenobio per septem annos Deo digne et hominibus laudabiliter ministravit, commendatum est ei et aliud monasterium, Tegarense[b*], quod pari quoque diligentia in Christi servimine gubernavit.

8. Hisdem temporibus fuit in Thuringiae[c] partibus quidam vir nobilis, dignitate et meritis illustris, nomine Guntherius; qui pro delictis iuventutis ingemiscens, et considerata di- (1012. cf. I, 14.) 35 ligentius actuum suorum qualitate, faciem Domini in confessione praeveniens[d], Herveldiam ad novum abbatem digne, ut postea patuit, poenitendo accessit, eique omne secretum cordis ac voluntatis suae funditus aperuit. Quem abbas iuste in Deo timoratus blanda consolatione et condigna etiam provisione poenitentem suscepit, et ad monachicam usque professionem saluberrima sui commonitione[e], Domino cooperante, convertit. Qui propriae 40 diffidens imbecillitati corporis et animi ad penitus abdicanda quaecumque sunt saeculi, multiplicem suae haereditatis proprietatem quam acceperat a progenitoribus sancto Wigberto[f] cum consensu haeredum suorum firma traditione totam delegavit[g]; sub testibus primitus tamen testamento pactus, ut monachus factus, monasterium quod Gellinge[h] dicitur victus et vestitus gratia ipse possideret, ac fratribus illic Christo servientibus secum inde necessa- 45 ria provideret. Sed abbas, prudenti pertractans consilio, homini noviter converso talem pactionem in via mandatorum Dei maximo futuram esse periculo, et plus inde per dies animae nasci dispendium quam corporis ut putabat subsidium, interim illum provida mente ab incepto suspendit, et laico habitu adhuc usum ad Altahense monasterium secum perduxit. Ibidem vir praedictus corde tenus compunctus, petiit ab abbate, ut ante professionem 50 liceret sibi Romam petere, et apostolorum Christi aliorumque sanctorum intercessionem pro transactae vitae deviis et pro novae viae ingressu quaerere. Quo permittente it et redit. Tandemque ante altare sancti Mauricii cingulum deponens, capud et barbam totondit, et

a) cibi *L.* a*) Qui — ministravit *desunt* B4. b) aspera *L.* b*) commendata sunt ei et alia duo monasteria T. et Chremsense quae B. *et* B5. *L.* c) thuringe 1. 5. d) p. sed propriae diffidens imbecillitati corporis et animi *hoc* 55 *loco* B. *et* B5. *edd.; desunt infra.* e) commotione 1. f) W. in usum Christo famulantium cum B. *edd.* g) d. ac semetipsum ibidem in regularem perseverantiam spontanea promissione mancipavit p. t. s. t. B. *praeter* B5. *L.* h) gellige *hic* 1. 3.

facta de more peticione susceptus ac aliquamdiu regulariter probatus, ab eodem pastore monasticae vitae habitum est adeptus. Verum post votum professionis non immemor suae quam praescripsimus pactionis, adiens abbatem, petiit licentiam patriam repetendi, et locum quem pepigerat iuxta condictum incolendi; quod pius pater interim consensit, nolens cum obstinata contradictione ab affectu quamvis iniquo prohibere; donec, ratione dictante, 5 inlicita cupientem animum paulatim posset mitigare. Venienti igitur ad locum Gellinge dictum, et disponenti necessitates ibidem commanentium, ex occultis temptatoris insidiis Deo ut certe credimus ad exemplum beati Iob permittente, multa et varia ei occurrerunt incommoda, pro quibus dum ipse, scilicet antea paupertatis ac laboris insolens, ad abbatem saepius quaeritando confugeret, eiusque pro talibus consilium et auxilium anxie perquireret, 10 sollicitus pater fluctuationem mentis eius profunde perspiciens et subsecuturam forte cordis mutabilitatem vehementer pertimescens, blanda interdum consolatione et suaviloqua com- 2 Tim. 4, 2. monitione mesticiam eius mitigans, interdum vero iuxta apostolum arguendo, obsecrando, increpando, oportune inportune, nutantem animum eius castigans, ad viam salutis reducere eum studuit; quod tamen adhuc modicum profecit. Sed cum in hac altercatione saepius 15 luctarentur, et in huiusmodi molestia ambo crebrius fatigarentur, illi iterum quadam die suae sollicitudinis querelam suggerenti, vir Dei debito iustitiae zelo permotus, turgente ut aiunt pulmone respondit, ut aut in promissa obedientiae stabilitate Deo devotius serviret, aut certe ad solitam [a] saeculi vanitatem, laqueis iterum Satanae irretitus, abiecto habitu rediret. Ad quam vocem stupefactus auditor intremuit, et erroris sui nimietatem sero tandem perhorre- 20 scens, ingemuit [b]. Sed et hanc causam pio imperatori Heinrico per ordinem abbas totam secretius insinuavit, ipsumque adiutorem ad corrigendum talem hominem corrogavit. Quem confestim princeps ad suum colloquium clementer evocans, per semet ipsum convenit, et ex euangelicis, apostolicis, vel regularibus praeceptis instruere cepit, nullum posse duobus dominis servire, nec monachum ad seculum ut canem ad vomitum reverti debere. His et 25 aliis huiusmodi praecantationibus tandem in Christo vere conpunctus vir memoratus, omni praedicta pactione cordetenus oblita et tota cuiuscumque incommodi querimonia abolita, ad Altahense monasterium, ubi tunc sub eiusdem patris cura, ut in gratia omnium loquar, singulare divini cultus studium fervebat, se contulit; et illic fratribus humillime subiectus, et in sacrae religionis districtione pleniter in breviori tempore divini roris infusione instructus, 30 ultra regulare praeceptum semet, etiam praelatis ammirantibus, afflixit.

9. Tertio namque suae conversionis anno in praedicto Boemico saltu heremum petiit, in qua ad [c] 37 annos in studio sanctae religionis et in summa veraciter districtione spontaneae paupertatis cum sibi commanentibus vixit. Annona denique eorum erat varia, vario certe studio a rege Ungarico et de Boemia et Poliania [d] et ceteris diversis provinciis simul 35 cum vestitu conquisita. De potu, ut omnibus notum est, nichil prorsus ibi nisi sola aqua habebatur, et ipsa etiam hospitibus ad sufficientiam, fratribus vero ad mensuram dabatur. Nam litteras omnino, nisi tantum psalmos, non didicit; et tamen omnem rationem et intellectum euangelii, legis et prophetarum et historiarum quoque ex crebra fratrum relatione et etiam avidiore verbi Dei exauditione mirabiliter percepit; adeo ut saepissime [e] obscuriora 40 mysticae intelligentiae, interdum iocando interdum vero admonendo, stupentibus auditoribus proferret. Quod nos quidem, qui eum familiarius novimus, frequenter audivimus; praecipue tamen, cum in summa sua festivitate, in nativitate scilicet sancti Iohannis baptistae specialis sui patroni, sermoni eius affuimus; quo in capitulari collatione eodem die fratres suos admonebat, dum eos de eiusdem patris vita et moribus, victu, et etiam vestitu et ope- 45 ribus ad paupertatis suae Deo placitam tolerantiam instruebat. Verum enim dico et coram Deo non mentior, quia omnes paene qui aderant eidem sermoni, ad uberrimam lacrimarum effusionem dono Dei sunt compuncti. Assedit ergo ibidem venerabilis abbas Altahensis Ratmundus cum pluribus sui coenobii fratribus et aliis insuper multis hospitibus, praeter nos, quos in canonico habitu illuc ingredi religio vetuit, quos tamen fratrum familiaritas et ma- 50 xime abbatis licentia circumquaque ad fenestras, concionatore ignorante, clanculo collocavit. Erat enim, ut de sancto Benedicto dicitur, quem post Deum vita et moribus maxime sequebatur, et scienter nescius, et sapienter indoctus.

10. Beatus itaque Godehardus episcopus, senio et labore iam fessus et etiam taedio

a) insolitam 5. b) Sed — memoratus *desunt* B. *et* B 5. *et in codd. Henschenii excepto* 8. c) ferme XXXVI annis 8. 9. 55
d) poliani *superscripto* vel polania 1. e) ut nonnunquam o. queque m. 9.

saecularis curae repletus, annuente rege Herveldense regimen illustri viro Arnoldo suo prius eo loci praeposito, et Burchardo[a] aeque venerabili suo primicerio Tegarense commendavit; sicque ad Altaha remeavit, ubi si Deo tantum placuerit, in finem vitae suae in debito ceptae religionis studio perseverare decrevit. Idem enim monasterium omni devotione, ut vel hodie ibi liquet, adornare studebat, libris scilicet et preciosissimis missalibus, vestimentis caeterisque variis et utilibus ecclesiasticis ornamentis. Maxime tamen, quod et ubique notissimum est, plurimos in eodem coenobio fratres, scientia et moribus illustres, enutrivit; quos postea inter diversa monasteria patres et doctores, regis ac episcoporum petitione, dispertivit. Sed cum iam in laboriosa, sibi tamen placita illa sua quiete per decem annos in huiusmodi studio pausaret, totaque cordis intentione in regione vivorum Domino placere diurnis nocturnisque suspiriis praeoptaret, mirabile tandem somnium vidit, ut ipse nobis saepius intimavit[b]; post quam certe visionem se de hoc mundo, quo Deus iusserit, obiturum non dubitavit.

1021. Dec. 3.

11. Quadam igitur nocte, ut semper per triginta iam annos consuevit, post primam tantum noctis quietem ecclesiam ingrediens, psalmodiae caeterisque talibus officiis intentus pernoctabat; sed et post matutinas in incoepto decreto perstabat. Iamque aurora irradiante, modice dormitans cubiculum intravit, seque super scamnum tantum inclinans, huiusmodi somnium vidit. Nam oliva pulchrae magnitudinis ibi in claustrali atrio stabat, et putabat se sub eadem arbore lectionis studio sedere, et ad se quasdam graviores et ignotas personas accedere, quae se a rege illo missas assererent, ut eandem olivam suffossam sibi in regale servimen deferrent. Nec mora, ut sibi videbatur, secures et fossoria arripiunt, eamque summa festinatione exstirpare contendunt; sed quanto altius infodiunt, tanto densiorem radicum tenacitatem inveniunt. Quod ipsi videntes, festinationis causa admotis securibus, radices secando praecidunt; sicque evulsam arborem secum auferentes discedunt. Et statim, ut aestimabat, ex relicta radicum densitate, innumera et speciosa virgulta succreverunt; quae totum etiam atrium sua multiplicatione repleverunt, ita ut et vulgus diversi sexus et aetatis accesserit, et de eisdem frutectis plantaria plura evellens, per rura et compita disseminaverit. At ille evigilans ecclesiam statim intravit, seseque totum cogitatum suum in Domino iactans, divinae clementiae attentius commendavit, quia se post idem somnium discessurum certius aestimabat; quod tamen sapiens quisque alia evidenter portendere patenter[c] intellegit, qui multiplicem doctrinae illius numerositatem sollicite perpenderit, et illic in prioris religionis exercitio relictam, et postea ubiubi per diversa divini roris dogmata salubriter dispersam[d].

1022.

12. Quoniam quidem beati viri vitam non propria scientia, quae certe nulla est, sed divina clementia favente, ab exordio hactenus per multa laudabilia descripseram, gratias pro scire condignas eidem clementiae refero, tuumque, venerande pater, auxilium, quem a fine usque in finem in omnibus et in hoc praecipue negotio eruditorem defensorem correctoremque praelegi, tuum, inquam, tuique similium auxilium et interventum ad Deum imploro, ut deinceps maiora et laudabiliora illius directione sine mendacii fuco veraciter et congrue describam[e].

13. Anno igitur post incarnati verbi Dei mysterium 1022, regni vero domni Heinrici 21, imperii autem nono, felicis memoriae Bernwardus, venerabilis nostrae ecclesiae antistes, ex hac vita ad perpetuam migravit, cuius certe obitus totam regionem maxime contristavit. Erat enim, ut festinando omnem vitae eius hystoriam transcurram, in cuncto divinae servitutis studio iuste fervidus, et in tota mundanae utilitatis sagacitate sapienter providus, contra rebelles et induratos iure severus, erga obedientes et modestos rite mansuetus, in elemosinis et miseratione conpatiens et largus, vigiliis ieiuniis et orationibus convenienter intentus. Monasterium itaque nostrum libris, serico, auro, argento, gemmis, picturis aliisque ecclesiasticis ornamentis pluribus decenter redimivit, clericos[f] auxiliante Domino multos et etiam in divino servitio utiles enutrivit. Venerabile templum sancti Michahelis proprio labore constructum, suaque haereditate et acquisitione sufficienter dotatum, in monachicam

a) bertholdo B. B 10. b) quia secundum illud somnium se inde discessurum citius existimavit 9. c) *deest* 5.
d) *hic in c. 1. spatium dimidiae paginae vacat, quasi incipiente libro vitae secundo.* B 5. *rubricam habet:* Item ad defensorem. e) B 5. *rubricam inserit:* De episcopatu. f) cleros 1.

1022. religionem Deo consecravit. Turres munitissimas et honorificas cum adhaerente muro in orientali et occidentali parte nostrae civitatis in tuitionem civium construxit. Ecclesias multas cum variis et utilibus aedificiis per diversas episcopii curtes aedificavit, et omni prorsus pontificalis provisionis honestate in divinis et humanis sollerter invigilavit.

14. Eodem tempore imperator Gruona[a] sedebat, et praememoratum abbatem solito 5 semper pietatis more secum habebat. Adveniente ergo legato cum hac lugubri legatione, imperator fidelem Christi suique amicum condigno moerore deflevit, et piam eius animam Deo et sanctis Dei angelis debita commemoratione commendavit. Deinde abbatem secreto soliloquio convenit, eique suae voluntatis archanum de episcopatu eiusdem sedis aperuit. Cui statim ille in faciem restitit, et se indignum tali ac tanto honore et officio respondit; 10 quem item itemque ex habundantia cordis devotius ammonuit. Ille vero in coepta excusatione firmiter perstitit, dicens certe se maiora onera divitiarum ob hoc reiecisse, ut soli Deo liberius vacaret, et fragilis vitae finem in solita dilectaque sibi paupertate securius expectaret. Imperator per episcopos cordis eius duriciam emollire temptavit, eosque de talibus illum convenire rogavit; in quorum ille colloquio solita fiducia restitit, et se tandem, si hoc 15 tamen nomine dignus eis videretur, donec aut Ratispona aut Patavia vacaret, ubi non sibi sed suis tantum prodesse possit, libentius expectare retulit. Sicque ibidem per totam ebdomadam de hoc inter eos causa tractabatur; sed ille semper in eadem suae sententiae tenacitate retinebatur.

15. Tandem in vigiliis sancti Andreae apostoli, quae tunc in quinta feria ante adventum 20 Domini evenerant, item somnium vidit, quod tunc soli imperatori, postea vero et nobis gratulando et lacrimando saepius intimavit. Aspexit enim in visione post solitas nocturnas vigilias ac preces matutinas, ut sibi videbatur, in atrio eiusdem ecclesiae in qua post triduum Deo consecrandus erat, nimiam certe multitudinem inter se tumultuantem et de episcopio Hildinesheimensi serio concertantem. Tunc accessit ad eum in media multitudine cum 25 pulchra puellarum caterva quaedam matrona venerabilis, vultu et habitu mirabilis, et apprehensa manu eius, de frequentia turbarum eum in eandem ecclesiam introduxit, et extenta 1 dextra, nutu tantum eum ad agendam ante crucifixum veniam[1], ammonuit, statimque ipso se ad preces inclinante, ipsa cum circumstantibus clara voce ita psallere coepit: *Infunde unctionem tuam clemens nostris sensibus.* Ad quam vocem ipse a somno evigilans, et eiusdem 30 visionis mysterio conpunctus, ecclesiam intravit et coram altari Domini prostratus, divinae pietati se suamque visionem commendavit. Facto autem die imperatorem secretius convenit, et mentis suae pertinatia remissa, visionis ei seriem aperuit, et tandem se divinae praedestinationi et eius etiam consilio ac voluntati obsecuturum devovit. Nec mora, eodem die diluculo clerus noster cum militia[2] advenit; quibus dum imperator suum secretum immo di- 35 vinum decretum intimavit, tota eorum unanimitas gratanter Deum laudando suscepit. Quamvis primo, quod nec mirum erat, aliqui vel ad ignotam eius vitam vel etiam ad auditam olim 3 iuventutis eius nimietatem[3] ad tempus expavescerent, sibique tale aliquid pertimescerent. Sequenti vero die, in natali apostoli, ei cum summo cleri plebisque tripudio eadem pastoralis cura commendatur, qui in proxima dominica adventus Domini ab Aribone metropolitano 40 Mogontiaco digne Deo consecratur.

cf. I, 25. 16. Sed[b] tamen in ipso eiusdem honoris, sive ut ipse putavit oneris, inicio iustis a Deo, ut vere creditur, praedestinata non defuit temptatio. Nam idem eius consecrator Aribo eodem die ante missarum sollempnia secretius eum cum episcopis convenit, eique in Gandisheimensi loco et circumiacente territorio omnem pontificalis officii provisionem banni sui 45 interpositione prohibuit. Quem quidem bannum ipse suae simplicitatis more nec adprobavit nec rennuit; sed statim ad imperatorem, ab eo solummodo patrocinium in talibus quaerens, confugit. Qui confestim archiepiscopo cum confratribus familiariter accersito, et dissimulata cordis sui molestia, hunc novum conflictum banno soluto sapienter pacificeque diremit. Et sic praedicta consecratione festive celebrata, eandem diem in timore Dei exultantes laete[c] 50 peregerunt; et ita in pace suum conventum dissolverunt.

cf. I, 18-21. *17. Non ergo vobis, o lectores, incommodum vel fastidiosum videatur, si huiusmet conflictus initium, vobis certe in posteris necessarium, altius necessitatis causa repetatur.

a) grunaha 9. b) *quae sequuntur desunt* B 4. c) leti 5.

1) Graecis μετάνοιαν ποιεῖν, *veniam agere* aut *facere*, est hic corpus reverentiae causa inclinare. LEIBNIZ. 55
2) vassis ecclesiae. 3) severitatem Hersfeldiae exertam.

Quidam dux Saxonicus Liutolf nomine, cum sua coniuge Outa, cum consilio et licentia sancti Altfridi, quarti nostrae ecclesiae episcopi, Romam petiit, et a beato Sergio papa reliquias sanctorum praesulum Anastasii et Innocentii impetratas detulit. In quorum honore monasterium et coenobium virginum primo in Brunisteshusin[a], deinde quarto post anno in Gandisheim construxit. Et easdem villas cum adiacente territorio et omni sua haereditate illuc in utilitatem Christo militantium contulit, et filiam suam Hadamuotam abbatissam ibi primam, eodem episcopo ordinante, constituit. Sicque totum idem territorium ab initio semper ad Hildinesheimenses episcopos per 240[b] annos pertinuit; et nullus Mogontinus praesul quicquam inde vel sibi vel suae ecclesiae vendicavit, donec a Rabano duodecimus Willegisus metropolitanus Mogonciacam cathedram insedit, vir certe in omni catholica pietate praeclarus, sed in hoc solo tantum periculose temerarius. Qui suadente, ut inpune veritatem loquar, domna Sophia, sorore imperatoris Ottonis tertii, quae iuvenili iactantia et generis dignitate elata[c], a palligero tantum velari gestivit, eundem locum sibi usurpare temptavit; quae tamen machinatio in conspectu regis et principum, Osdago, octavo post Altfridum nostrae ecclesiae episcopo, veritatis ei et iusticiae voce resistente, disperiit; quando vix obtentu regis eiusque matris licentiam ab eodem episcopo obtinuit, ut ibi in natali sancti Lucae euangelistae missam celebraret archiepiscopus et praedictae Sophiae velationem simul cum eo ageret, de caeteris vero velandis virginibus noster praesul suo iure provideret. Post pauca autem praedicto Osdago episcopo defuncto, et Gerdago etiam nobis electo, et post biennium finito, domnus Bernwardus, regius capellanus, eandem sedem obtinuit, quem idem archiepiscopus consecravit; sed super eadem repeticione prorsus obticuit, donec domna Gerbirg, abbatissa venerabilis, novum monasterium, quod ipsa post incendium construxit, voluit consecrari. Sed quia ipsa, infirmitate detenta, ea providere non valuit, praedictae Sophiae, spirituali certe filiae ac etiam nepti, hanc procurationem commendavit; quae statim solito more proprium episcopum contempsit, archiepiscopum ad talia honorifice vocavit. Qui iterum pro huiusmodi suasione iuris oblitus, eundem locum invadere festinavit; sed praesulis nostri litteris commonitus, distulit. Iterum[d] invitatur, iterumque auctoritatis iure repellitur. Ad tertiam vero invitationem archiepiscopus illuc advenit, ecclesiam, ut putabat, dedicaturus, quod certe ei Ekkihardus Slewicensis episcopus, vere fidelis nostrae ecclesiae filius, illo cum clero a nostro domino missus, scripturarum auctoritate intercepit. Post multas autem et varias huiusmodi disceptationes, eadem causa tandem ab episcopis comprovincialibus usque in praesentiam Romani pontificis imperatorisque comperendinatur. Sed eo tempore pius Otto tertius imperator ad Christum migravit, cuius loco ut praenotatum est, Heinricus in regnum intravit. Qui statim natale sancti Laurentii Paderbrunnae celebravit; ubi domna Chunigund regalem coronam percepit. Praedicta etiam Gerbirga Gandisheimensi abbatissa saeculo exempta, Sophia ei succedens solito iterum more ibidem obtentu principum licentiam domni Berenwardi a palligero benedicendi impetravit. Deinde novus rex primum sui honoris annum in natali Domini Phalidi inchoavit. Ibi coram eo per principes saepius dicta episcoporum lite recitata, corde tenus indoluit; et ad illam sedandam saepe interceptam dedicationem ecclesiae Gandisheimensis in vigilia epiphaniae Domini destinavit. Illuc ergo statuto die advenientes et dedicationis officium inchoantes, intus sacro mysterio peracto, rex cum episcopis et primatibus ante fores ad populum processit; ubi Willigisus archiepiscopus publico sermone aestimationis suae culpam professus, iuri et repetitioni eiusdem loci abrenunciavit, et in testimonium huius abrenuntiationis ferulam episcopalem domno Bernwardo, ut postea in Franchunvurdensi concilio claruit, coram clero et populo condonavit. Archiepiscopus vero, hac lite sedata, praesulem nostrum omni honore et caritate ultra dilexit, et in nostro coenobio fraternitate honorifice adquisita, summam dilectionem et loco et fratribus providit; qui quinto post ea anno, plenus dierum et bonorum etiam operum, ad Christum migravit. Cuius successorem Erchanbaldum, Fuldensis coenobii prius abbatem, domnus Bernwardus Kalendis Aprilis Mogonciae consecravit; qui ibidem novem annos praesidens, ordinatorem suum, consanguinitate etiam sibi propinquum, debita devotione percoluit, et de supra dicta controversia omnino conticuit. Huic autem Aribo regius cappellanus successit, quem imperialis anuli dono regio more praesignatum Bernwardus episcopus ad principale altare praenotatae Gandisheimensis ecclesiae presbyterum ordinavit; eique verbo Dei et banni sancti Petri auctoritate eiusdem altaris et etiam loci vel

a) brunisteshusun 5. b) CXI. *L.* c) ab adalgero tantum episcopo 9. d) itemque .... itemque 5.

circumiacentis territorii usurpationem invasionem vel repeticionem, asstante imperatore cum episcopis, publice interdixit. In huius puto banni vindictam ille novo nostro patri intulit temptationem praedictam. Erat tamen, ut veritatem non occultemus, idem archiepiscopus genere et dignitate et probabili etiam morum gravitate vere venerabilis, sed in hac tantum temeritate erga nos pro parte culpabilis. Haec ergo huius conflictus adbreviatio ideo hic 5 adnotatur, ut subsequentis disceptationis de eodem Gandisheimensi territorio veritas et ratio clarius cognoscatur.

1022. Dec. 5. 18. Beatus igitur Godehardus pontificatus infulis decoratus, Nonis Decembris Hildinesheim advenit, omnesque in suo adventu vere gratulantes invenit. Qui mox ut coenobii nostri[4] religionem eotenus rationabiliter, Deo gratias, conservatam agnovit, condignas ilico 10 divinae miserationi laudes persolvens, omni eam devotionis studio ampliare et in divini cultus exercitio condecorare sategit. Forinsecus vero de generali cleri et populi gubernatione episcopali speculatione sollerter invigilavit, pro qua etiam die ac nocte omni vitae suae tempore indefectivo gemitu Deo indesinenter supplicavit. (I, 38. 39.) Semet ipsum autem in sanctimonia solita et in primiciis cepta bonorum operum assiduitate non solum caute custodivit, sed 15 etiam religiose diatim augmentavit. In vigiliis et orationibus ac continua et certe vix credibili ieiuniorum frequentatione et largissima elemosinarum profusione, et in summa totius divini timoris gravitate, usque in finem Spiritu sancto corroborante perseveravit. Fuit igitur, ut nulla prorsus virtutis eius panagerica praetermittam, regibus et primoribus et formidini et honori, caeteris vero unicuique secundum se timori pariter et amori. Pro cunctis scilicet 20 rite sollicitus, et in Christo omnibus omnia factus, soli tantum sibi gravis austerus perstitit et parcus. (I, 40.) Coenobium suum pastorali cura sapienter gubernavit, et fratrum commoda in victu et vestitu caeterisque indigentiae humanae necessariis saepius adauxit; quos etiam ad sacrae religionis observantiam apostolice arguendo et obsecrando multipliciterque informando conduxit. Iuvenes quoque et pueros quos inibi bonae indolis et sapidos invenit, per 25 diversa[a] scolarum studia circumquaque dispertivit; quorum certe postea servimine variam ac multiplicem suae ecclesiae utilitatem in lectione scriptura et pictura ac plurali[b] honestiori clericalis officii disciplina conquisivit. Thesaurum nichilominus ecclesiasticum, quem ibi numerosum invenit, (I, 37.) tam decenter quam et utiliter ampliavit; et quidquid in aedificiis ecclesiasticis non solum principalis suae civitatis, sed et in aliis suae provisionis locis, dirutum 30 vel veteranum repperit, totum summa celeritate distrahere, renovare et meliorare festinavit. (1023.) Inter quae tamen omnia baptismalem ecclesiam, quam felicis memoriae Otwinus decimus noster antistes in honore sanctae Mariae sanctique Epiphanii episcopi, quem de Papia civitate Dei dono patronum nobis adduxit, in australi parte nostrae ecclesiae construxit, senio certe et negligentia dilapsam diruit, et in eodem loco monasterium honestum 35 in praetitulato honore, primo suae ordinationis anno fundavit, quarto consummavit; et ibidem (1027.) congregationem canonicam pluris sane honoris et utilitatis in Dei timore coadunavit, quam concambii sui acquisitione sufficienter vestivit et pavit, habundantemque illic in futurum ad talia sufficientiam condonavit.

19. Miraculum igitur primum, quod per eum gratia Christi ipso primo suo anno fecerat, 40 in spem et gaudium lectorum hic merito interponendum opinor, quod ipsa veritate, quae Deus est, teste non mentior, ab ipso quidem usque in finem penitus celatum, sed a clero et populo qui intererant divulgatum. (1023.) Eodem anno Aribo archiepiscopus imperatorem in pentecoste Mogontiam invitavit; ubi et concilium generale coadunavit, in quo episcoporum consilio plura quae deviaverant correxit. Praecipue tamen Ottonem comitem de Hamerstein et 45 Yrmingardam inlicite commanentes separare disposuit; quod tamen penitus perficere non potuit, quia ille se partim regali timore, partim episcopali commonitione utcumque correxit, illa vero publice bannos praevaricans, ibidem ius legemque, ut vel hodie claret, funditus perdidit. Ad idem concilium praesul noster et imperiali et pontificali vocatione allegatus, pulchra cleri et militiae frequentia, etsi non sponte comitatus, illo properabat. Et quadam 50 die in pago qui Logingaha[c. 5] dicitur, iuxta praedictum castellum Gruona, ubi Dei gratia et electus et consecratus est, iter carpebat, et contigit ibi in villa quadam mulierem ab spiritu inmundo vexari, et a parentibus vel propinquis per ecclesias ad sanctorum patrocinia cir-

a) diversarum 5. b) plura 1. 5. c) logingaha 5.

4) canonicorum principalis ecclesiae. 5) circa Gottingam. 55

cumduci. Qui cum novum episcopum illuc adventare cognoverant, in occursum ei, sancta [1023.] eius opinione fiduciati, simul cum infirma concite properabant. Inmundus vero spiritus, ipsa eorum festinatione pavefactus, per os infirmae anxio clamore, quo duceretur, inquisivit. Cui cum dicerent, quod in occursum Godehardi episcopi traheretur, horrifico statim mugitu et ululatu[a] cepit miserabiliter refragari, et ne ad episcopum veniret, ipsis qui eam ducebant mirantibus pariter et paventibus, reluctari, heiulans et vociferans, Godehardum se nec audire[b] posse nec videre. In eo certamine dum infirma a fidelibus fide et spe, ut vere patuit, ferventibus trahebatur, spiritus autem nequam tota violentia reluctabatur, tandem Deo gratias fugato demone, mulier liberatur, et ad virum Dei, ubi sub quadam arbore refrigerii gratia consedit, sana corde et corpore perducitur. Qui cognitis rebus, timore pariter et gaudio conpunctus, lacrimans gratias divinae pietati, in faciem prostratus, iure persolvit; eidemque manus imponens, eam benedictione pariter et prece in fide confortavit, et valentem immo et gaudentem cum gaudentibus civibus et amicis remisit, sicque iter quod coeperat peregit. Unde eum omnes qui cum eo comitabantur amplius et amabant et timebant, cuius coram Deo tale meritum cognoscebant, quibus tamen, super hoc facto seria auctoritate silentium indixit. Sed nec aegra quae sensit, nec turba quae salutare miraculum vidit, reticuit.

20. Erat etiam in orientali parte nostrae civitatis palus quaedam horrifica et circum- [I, 37.] manentibus omnino plurali formidine invisa, eo quod ibi, ut opinabantur, tam meridiano quam et nocturno tempore illusiones quasdam horribiles vel audirent vel viderent; quae a fonte salsuginis, qui ibidem in medio bulliebat, Sulza[c] dicitur. Qua ille spectata, et illusione etiam fantastica qua bruta plebs terrebatur audita, eandem paludem secundo sui adventus [1024.] anno cum cruce et reliquiis sanctorum invasit, et habitationem suam ibidem aptavit, et in medio periculo oratorium in honore sancti apostoli Bartholomaei fundavit; quo sequenti anno consummato et dedicato[d], omne daemonum fantasma exinde funditus exstirpavit, et eundem locum omnibus commorantibus vel advenientibus gratum et sine qualibet temptatione habitabilem reddidit. Ubi et[e] xenodochium Christi in receptionem pauperum aedificavit, quod omni humanae indigentiae commoditate habundans, fideli cuidam suo presbytero Bernwardo, cuius hic nomen pro fidei merito iure interponitur, commendavit, per Christi nomen eum frequentius terribiliter obtestans, ut[f] non solum illic commorantibus, sed et cunctis forte adventantibus victus et vestitus necessaria ita convenienter provideret, sicuti pro hac ipsa sua dispensatione Deo rationem reddere deberet[g] Quoddam autem talium[h] genus, illorum scilicet, qui vel in monachico vel canonico vel etiam Graeco habitu per regiones et regna discurrunt, quos et Platonis more Perypatheticos irridendo cognominavit, illos, inquam, prorsus exprobrando quasi execrabatur; quos tamen per nomen Christi quod profitebantur, necessaria sustentatione biduo vel maxime triduo consolabatur, sicque praebitis calciamentis vel vestibus, eos, ne cursus sui solitum oblivviscerentur, discedere[i] hortabatur. Aliquibus vero cum eo diutius permanere cupientibus, illam Gregorii in Dialogo sententiam [lib. 2. c. 13.] hyronice obiecit: *Quomodo stultum viatorem ad sacra loca properantem inimicus per conviatorem suum et per fontis vel prati amoenitatem vel etiam ciborum dulcedinem decepit.* Interdum autem a suis familiaribus, quod nec ei displicebat, ammonitus, quod inter tales saepius veri Dei amici invenirentur, illud statim Hieronimi ridiculum opposuit: *Quia mendaces*, inquid, *faciunt ut veridicis vix credatur.* Si quos tamen talium in Dei cultu vel timore stabiles agnovit, hos[k] nimirum privatim potius quam publice, quod et ipsi malebant, in his quae ad Deum pertinent adamavit. Sed et super delinquentes et noxios mira erat miseratione mitis et placabilis, ita ut si quilibet talium confessionis et poenitentiae gratia ad eum confugerent, et delicta eis prompta clementia statim indulserit, et vigilanti cura eis, ne ulterius in talia necessitatis causa inciderent, omnem sufficientiam in posterum providerit, more quidem et exemplo sancti sui patroni Nycolai episcopi, qui elemosinarum auro et virginum incestus et patris earum inopiam et totius familiae detestabilem ademit infamiam, et quorumlibet pauperum ad se quoquo modo pertinentium pia clementia sedavit indigentiam. Hu-

a) eiulatu 5. b) audere 5. c) Sultz vel Sumphe 4. d) dicato 5. e) *addit* 5. f) ut ita diligenter in pauperem cura desudaret sicut pro hac ipsa dispensatione Deo rationem reddere deberet; in quo loco cunctis quaerentibus prodesse voluit, maxime tamen his quos non discursores et illusores cognovit 9. g) *quae sequuntur usque ad* peragravit c. 21 *desunt* B 4. h) genus talium genus 1. i) discere 5. k) hos omni affectu fovens, publice ac privatim secum habuit 9.

ius inquam exemplo praesul noster satagebat inopes ubique semper consolari; cui et cordi erat cum talibus colloqui, cum eis ludificando et etiam convivando iocundari.

I, 26. 21. Eo etiam anno certe a nativitate Domini 1024 piae memoriae Heinricus imperator ordinationis suae anno 23. ad Christum migravit; cuius quippe obitus totam christianismi laetitiam, quae sub eo floruit, flebiliter conturbavit. Cui succedens vir nobilis et strennuus 1025. Chuonradus, primum suae felicitatis annum in natale Domini Mindae iniciavit. Inde post epiphaniam Hildinisheim venit. Ibi etiam praedictus Aribo archiepiscopus, qui vivente imperatore iam per biennium obmutuit, iterum, inventa occasione, beatum Godehardum super Gandesheim inquietare coepit. Quam tamen eius machinationem novus rex primatum consilio diremit. Sicque rex peragrata compendioso[a] itinere Saxonia, quadragesimali tempore per Thuringiam Franciamque in Baioariam progressus, Reginesburch sanctum pascha honorifice feriavit. Et ea aestate partes Baioariae, Sueviae et Karentinorum[b] cum circumiacentium 1026. provinciarum terminis pertransiens, natale Domini Leodii celebravit, purificationem vero sanctae Mariae Augustae mansit. Inde iter suum ad partes Italiae direxit, et proximum pascha Vercellis prospere celebravit, et ita contiguas circumquaque regiones in novo regio I, 37. decore visitando peragravit. Tertio quoque suo anno praesul noster montem speciosum in occidentali parte civitatis incolere coepit, quem quinto post anno titulo ac nomini sancti Mauricii, summi sui patroni, dicavit. Ecclesiam etiam pulchram in Holthusin[c] in honore sancti Benedicti abbatis monachicae conversationi aptam dedicavit, et circumquaque per episcopii sui terminum basilicas multas vel ipse studiose aedificavit, vel ab aliis fidelibus Christi constructas gratanter Deo consecravit.

I, 30. 22. Eo tempore praedictus Aribo archiepiscopus in natali sancti apostoli Mathaei Saligunsstad concilium generale episcoporum duodecim concivit; in quo praesulem nostrum super praedicto Gandisheimensi territorio publice convenit. Quam tamen synodum unanimitas fratrum in futurum annum comperendinavit. Rex autem natalis Domini festum Ypo- 1027. reae iniciavit. Inde ad limina apostolorum tendens, feria tertia ante coenam Domini Romam felici prosperitate gaudens intravit, et in sancto resurrectionis Domini die coronam imperialis honoris a beato Iohanne apostolorum vicario gloriose percepit. Inde in proxima dominica regressus, ac pervasa circumquaque potestative ea regione, in pace repatriavit et na- 6 tivitatem sancti Iohannis baptistae Imbripoli[6] novus imperator celebravit; ubi et, defuncto in bona senectute Heinrico duce Baioariae, filio suo domno Heinrico eundem ducatum principum delectu commendavit.

I, 31. 23. Eo[d] anno autem Aribo Mogontinus Franchunavurdi concilium synodi coadunavit, praesidente imperatore cum episcopis 23, in quo iterum beatum virum Godehardum de saepius praeventilata causa more suo inquietavit. Ibi praesul noster tandem, summa veritate, quae Deus est, miserante pariter et adiuvante, episcopatus sui proprietatem super totum Gandisheimense territorium testimonio septem episcoporum, qui praedictam pactionem in Gandisheim et audierant et viderant, canonice retinuit; scilicet Brunone Augustense concionante, Werinherio[e] Argentinensi decernente, ipso vero metropolitano, vere invito, verbi Dei banno affirmante. Hi enim erant episcopi, qui seniori nostro suum testimonium sicuti audierant et viderant praebuerunt, id est Bruno Augustensis, Eberhardus Babenbergensis, Meginwercus Paderbrunnensis, Meginhardus Wirziburgensis, Sigibertus Mindensis, Hildiwardus Citizensis, Bruno Mersburgensis. Pulchra enim erat ibi et racionabiliter ordinata tam regalis quam et episcopalis consessio. Nam in orientali parte scilicet ante altare archiepiscopus Aribo cum suis suffraganeis, Werinhero Argentinense, Brunone Augustense, Meginwercho Paterprunnense, Eberhardo Babenbergense[f], Meginhardo Wirziburgense, Godehardo Hildinesheimense, Branthoho Halberstadense, Wiggero Vardense, Hazechone Wormaciense, consedit. In occidentali vero parte imperator consedit; et a dextris eius Piligrimus[g] Coloniae archiepiscopus cum suis subditis, Sigiberto Mindense, Sigifrido[h] Mimigardense, Bennone Traiectense; a sinistris Hunfridus Parthenopolitanus archiepiscopus cum suis, Hildewardo Citizense, Brunone Mersburgense, Liuzone Havelbergense, Tietrico Misniense. In australi autem plaga episcopi Rambrectus Wirdunensis, Roudolfus Slewicensis, Hiltolfus Mantuanus, Reginoldus Aldenburgensis assederunt. In aquilonali[i] etiam

a) iterum itinere 1. b) karintinorum 5. c) holthusun 5. d) *haec usque* Mersburgensis *desunt* B 4. e) wernhero 5. f) pabenbergense 1. g) bilegrimus 5. h) sigefrido 5. i) aquilone 1.

6) Regensburg.

abbates Richardus Fuldensis, Reginboldus Loresheimensis, Arnolfus Herveldensis, Gerberctus Mogontinus cum aliis etiam eiusdem[a] ordinis sex affuerunt. Subsequens etiam natalis Domini festum imperator Leodii celebravit, pascha vero Aquisgrani festive feriavit, ubi et filius eius Heinricus regalis nominis coronam a Pilegrino[b] archiepiscopo, cleri plebisque electione, honorifice[c] percepit. Eo[7] anno iterum Aribo sinodum suam Geizlide[d] concivit, ad quam item seniorem nostrum Godehardum inquietandum legatis et scriptis vocavit; quo ille ire dissimulans, venerabilem virum Tatilonem, decanum nostri coenobii, cum fratribus obviam ei misit; qui eum honorifice ex parte senioris salutando de praeteritae synodi diffinitione commonuit, et plurali altrinsecus auctoritatum collatione profusa, episcoporum auxilio eum ab ipsa repetitione tunc tantummodo compescuit.

I, 30. 1028. 7

24. Sequenti[8] quoque nihilominus anno imperatore Palidi consedente, praedictus archiepiscopus ibidem synodo habita, veterem querelam contra beatum virum praesente imperatore incepit, sed post multa et varia disceptationum conloquia vix tandem ab episcopis commonitus destitit. Hoc etiam anno Bruno Augustae civitatis episcopus obiit; cui Ebbo[e] successit. Werinherus[9] etiam Strazburgensis praesul sustollitur, post quem Willehelmus subrogatur. Proximo quoque anno imperator Mersiburg pentecosten celebravit; ubi[10] praedictus Aribo archiepiscopus et senior noster Godehardus inter se invicem super diuturna eorum disceptatione reconciliati sunt. Nam ipse metropolitanus[f] patrem Godehardum secreto coram episcopis convenit, seque super hac parrochia errasse confitendo nunciavit, et omnem fraternam satisfactionem sed et de praeterita lite perpetuam taciturnitatem sub vero Christi et ecclesiae testimonio promisit; sibique priora errata propter Deum remitti suppliciter petiit. Istud ergo hic veraciter inscribitur, quia ipso domino Godehardo idem saepius in suo sermone publice protestante verum esse comprobatur. Eo anno Unewanus archiepiscopus Hammaburgensis obiit, cui Liebizo successit. Deinde imperator[11] natalem Christi Patherbrunnae[g] egit, ubi Aribo metropolitanus in sancto die inter missarum sollempnia publico sermone habito, licentiam ab imperatore et confratribus Romam pergendi rogavit, simulque a clero et populo indulgentiam sibi a Deo impetrari postulavit. Sicque post purificationem sanctae Mariae iter assumens, Romam adiit. Inde vero digrediens 8. Idus Aprilis, ach[h]! ah! obiit[12], anno ordinationis suae 11, cunctis certe catholicis merito flebilis, quia in omni ecclesiastica religione erat vere laudabilis. Cui vir simplex et rectus Bardo Herveldiae abbas successit; qui, Deo manifeste provehente, brevi ad culmen summae perfectionis feliciter processit. Cuius pietatis vita et actus hic plenius ideo non inscribuntur, quia Deo gratias Mogontiae pro sanctitatis suae meritis inter apostolicos sacerdotes magnifice celebratur[i]. Unum tamen perfectionis eius privilegium dicam, quod ei in nostris confiniis a sanum sapientibus clericis honoris gratia oblatum est; scilicet ut aequivocato cum beato Iohanne episcopo cognomine, propter dulcisonam praedicandi melodiam Bardo chrisostomus diceretur.

1029. I, 35. 9 1030. I, 36. 1031. 12

25. Quodam etiam tempore cum more episcopali beatus[k] praesul noster visitandae commissae plebis gratia parrochiae suae terminos circuiret, Huginhusun[l. 13] curtem suam adiit. Ibi cum elemosinarum largitate, qua prae cunctis studebat, pauperes reficeret, quaedam vidua pauper ex eadem familia filium suum eius conspectui obtulit, puerulum pauperculum miserrimo infirmitatis genere debilitatum. Nam partim paralisi, partim lepra vexabatur, distortisque menbrorum nervis a tota corporea formationis utilitate dissolvebatur. Manus enim cum brachiis et genua cum pedibus et tibiis putrido tumore et profluenti sanie manabant, adeo ut nec gressum quoquo modo movere vel saltim reptando posset usquam prodire[m]. Quem ille et vultu et corde hilari quasi vere donum Dei gratanter suscepit, et cubiculariis suis diligentius commendatum secum deduci[n] praecepit. *Potens est*, inquid, *Deus, qui ab initio non dedignabatur miseris et peccatoribus diverso pietatis suae remedio subvenire, nos etiam pro hoc pauperculo solito pietatis suae more laetificare.* Qui puer ad principalem nostram ecclesiam cum episcopo perductus, et non sine magno puerorum qui eum servabant labore per aliquot ebdomadas sustentatus, tandem post quatuor vel quinque menses

13

a) eius 5. b) bilegrimo 5. c) honorice 1. d) geizlite 5. e) eppo *L.* f) m. dei ut vere credimus praemonitus nutu 9. g) paterbrunnae 1. h) ah *adscripto* c 1. i) celebrantur 5. k) *deest* 5. l) Engelhusen *Sur.* m) p. hunc inquam puerum Werinum nuncupatum 9. n) duci 5.

7) ex Ann. Hildesh. 8) Ann. Hildesh. a. 1029. 9) Ann. Hildesh. ibid. 10) *ubi — successit* ex Ann. Hildesh. a. 1030. 11) cf. Ann. Hildesh. 12) cf. Ann. Hildesh. 13) Wienhausen prope Celle.

coepit paulatim plane ex beati viri meritis et precibus convalescere, et sedato partim tumoris ac saniei profluvio, interdum assurgendo interdum vero proreptando, quasi ad gressum menbrorum nervos exercere. Quod praesul pius agnoscens, prae gaudio saepius illacrimans, divinae miserationi grates debitas retulit, cui et intentius supplicare, ut postea vere donante Deo patebat, non destitit; nam intra anni spacium, ut certe apud nos omnibus notum est, 5 puer fugata menbrorum multitudine laxataque nervorum contractione in melius convaluit, et de die in diem ad quodlibet servitutis officium valenter profecit. Idem namque homo Werinus nomine, iam per viginti et eo amplius annos in cappella episcopali incolomis deservit, nisi quod quasi in testimonium virtutis Dei, in semet ipso certe in cruribus et in manibus ipsas menbrorum torturas, et ut ita dicam gibbos quosdam cunctis se videntibus 10 ostendit.

26. Aliis quoque permultis varia humanae conditionis fragilitate laborantibus, quibusdam scilicet, quod et gravissimum est, peccatorum pondere pressis, quibusdam vero diversa infirmitatum molestia detentis, ad se confugientibus, opem suae intercessionis impertivit, eosque infatigabili sanctarum precum instantia et ab imminenti periculo liberavit, et in fu- 15 turum, Deo auxiliante, a talibus custodivit. De quibus quam multa multis plane cognita veraciter enarrare potuerim, nisi ea ab illis tunc ipso cogente dissimulata, ea maxime causa silendo modo praeterierim, ne aut lectoribus altius fastidium ingeratur, aut ad talia pigris incredulitatis peccatum augeatur. Unum tamen dicam, quod quasi ioculari ridiculo Goslare effecit, quando ibi in curte regali in postremo aetatis suae tempore iussu et peticione Gisilae 20 [14] imperatricis ecclesiam construxit[a] [14]. Erat ibi matrona quaedam in laicali conversatione posita, sed in timore Dei intime devota, Hazicha[b] nomine, cuius filium ipse episcopus pro fidei religione quam in ea sentiebat de sacro fonte suscepit, quam quodam tempore contigit gravissimo oculorum dolore vexari, et per aliquot dies adeo, ut nec cibum nec potum accipere nec aliquam corpoream quietem habere posset, cruciari. Quae tandem, cogente gra- 25 vissima doloris anxietudine, filiolum suum ad episcopum cum eulogiis transmisit, eique suae infirmitatis nimietatem intimans, aliquod medelae subsidium ab eius pietate quaesivit. Quibus praesul auditis, laeta hylaritate subrisit, et flores quosdam rubicundos de arbore, quae lingua Teutonica[c] fusarius „spinnelpoum" dicitur, ei forte in ipso momento a paupere quodam allatos, signo crucis munivit, et eidem puerulo dedit dicens: *Affer*, inquit, *hos flosculos* 30 *amicae meae, matri tuae, ut illos in mei memoriam secum habeat, et a Deo salutis remedia deposcat.* Nec mora, ut ipsa nobis saepius iurando retulit, ut ipsos flores aegris oculis admovit, omnem ilico totius infirmitatis dolorem a suo capite mirabili celeritate diffugere cognovit. Et statim, apertis hostiis vel fenestris cubiculi, quae iam per aliquot dies diligentius eius aegritudinis causa claudebantur, coepit clarius videre, et nihil prorsus huiusmodi 35 molestiae amplius sentire. Quae tamen postera die ad episcopum pervenit, et gaudens simul et lacrimans, gratias condignas divinae miserationi eiusque visitationi humiliter retulit; quam ipse benigne consolando suscipiens, et in Domino corde firmo sperare et indesinenter benefacere praecipiens, oculos eius a presbytero sacro oleo, quod infirmorum dicitur, ungi mandavit. Quae certe unctio eiusque pia deprecatio eam ab eodem dolore usque in finem 40 integre sanavit. Illud quoque quod in antepenultimo praesentis vitae anno ei accidit, propono in exemplum et cautelam fidelibus, timorem ac formidinem negligentibus.

1035. 27. Erat sane in nostra congregatione quidam presbyter ex familia ecclesiae ortus, litteralis scientiae, ut in pace veritas procedat, pene ignarus, sed mundanae sagacitatis suptiliter et supra modum gnarus, qui ex infima paupertate ad summas divitias cunctis miran- 45 tibus succrevit. Qui primo a domno Bernwardo episcopo feliciter exaltatus, sed ab imperatore Heinrico pro quibusdam causis quae modo melius silentur humiliatus, iterum ab hoc beato viro, quia utilis ei ad aecclesiae res videbatur, pia miseratione sublevatus, varie tamen inter adversa et prospera saepius habitus, postremo vero in tantum sibi tanti pontificis animum sua calliditate conciliavit, ut perplures ante fideliter ministrantes episcopo abalienaret, eos- 50 que tam herili gratia, quod eis certe molestissimum erat, quam et dignitate ac proprietatis utilitate privaret. Sed nec hoc aliquibus mirum videatur, quia beato Gregorio teste, saepius

a) constuxit 1. b) haczicha *deleto* c 1. c) belgica 8.

14) non tamen, observante Browero, absolvit; quippe quam Leo papa IX deinde dedicavit, forte 1049 cum Saxoniam adiret. LEIBN. 15) quia fusis fabricandis optima est. LEIBN. 55

fit, ut occupato in pluribus et maxime in divinis animo facile ab adulantibus subripiatur. Tandem ille ab omnibus publice maledicitur, et etiam interdum episcopo a sanum sapientibus huiusmodi insolentia obicitur. Qui[16] et ab his tandem qui insontes abalienati sunt, in gratiam reducitur. Praesul pius tamen post aliquot annos de talibus clarius certificatus, et super 5 eos qui iniuste laedebantur aliquando ad veniam inclinatus, die quadam convenire de nostra congregatione praepositum et decanum cum aliquot fratribus caeterisque suis primoribus Holthusun, ubi tunc forte manebat, mandavit, assidente etiam viro venerabili suo ex sorore nepote Ratmundo Alttahensis coenobii abbate, praesente eodem presbytero, omnibus qui se ab eo laesos querebantur, coram licentiam fandi donavit. Statimque sine mora plura 10 querelae genera tam ab ipso abbate suisque, qui hospites intererant, quam et a nostris proferuntur, quae contra eum publice a cunctis quasi uno ore dicuntur. Querebantur enim omnes simul, primo generale ecclesiae et episcopalis honoris scandalum, deinde cives et hospites quisque speciale iniuriarum sui detrimentum. Quibus ille auditis, quasi insultando, ut erat callidissimus, subrisit, et velut admirans, quae haec essent, inquisivit, ac deinde 15 commentis mundanae suae sapientiae, qua plane plenus erat, quae vere ante Deum stulticia computatur ut in ipso manifeste patuit, obiecta quaeque eloquenter reppulit, omnesque sibi adversantes mirabiliter quasi mutos et elingues reddidit. Pius praesul, tandem Spiritu sancto vere compunctus et insuper etiam mirabili stupore permotus, considerans pariter et manifestam rerum veritatem et fiducialem cordis eius temeritatem, ilico omnium voces compe- 20 scuit, et modificato sermone, cunctis admirantibus, ita incepit: *Hildewin*, inquit — sic enim vocabatur — *ecce omnes circumstantes, ut tibi videtur, vicisti, ecce omnes suptilitate tua, Deo veritatem inspiciente, quasi mendaces ostendisti; iam modo ad me convertere, et soli mihi per Christum adiuratus, veritatem responde. Euangelica*, inquid, *te sententia aggredior; et quia euangelicum sensum non plane sapis, te Teutonico sermone alloquor. Hildewin*, inquid, *diligis* 25 *me?* Ille statim fiducialiter: *Vere*, ait, *diligo te.* Item episcopus: *Hildewin*, inquid, *diligis me?* At ille: *Certe*, ait, *diligo te.* Itemque episcopus tercio: *Hildewin*, inquid, *diligis me?* Tandem ille miser, euangelico illo exemplo stupefactus, sed non rite proh dolor! compunctus, irato pariter et flebili sermone respondit: *Deus*, inquid, *qui omnia scit, ipse scit, quia vere diligo te.* Tunc praesul: *Ecce*, inquid, *siquidem verum dicis, satis fecisti; sin au-* 30 *tem desipis, temet ipsum miserabiliter obligasti. Sed si me, ut dicis, fideliter diligis, pasce oves meas, id est dilige fratres et amicos meos, etiam hospites et pauperes meos, dilige conservos et domesticos tuos. Unde et per Deum te commoneo, ut si vere iurasti, te in veritate custodias, si quo minus, digne poeniteas. Et sub hoc pacto iam domum regredere, et dignitate pariter et beneficio ac proprietate tua in gratia mea, siquidem Deus annuerit, utere.* Sicque conventum 35 illum, cunctis admirantibus pariter ac paventibus, dimisit. Illos tamen ibi pariter caritatis exhibitionem suscipere et sic in pace discedere praecepit. Inter quos Hildewinus laetus et hilaris, et quasi de victoria sua exultans, ad prandium consedit; et inde incolomis rediit. Ad vesperum vero domi cum suis consedit iocundus et epulans, et in eos sane, a quibus se laesum dolebat, convicia et minas intentans. Sic lectum petiit, et sospes, ut sibi videbatur, 40 quievit. Mane diluculo ad providendum suum ministerium iturus, valenter surrexit, calciamenta citius induit; sed ad induendas tunicas assurgens, concitus corruit, et mirabili celeritate praeoccupatus, miserabiliter expiravit. Plures tamen et amplissimas in sua proprietate in innumeris et preciosis vestibus et alia pecunia et etiam peculio dimisit[a], quas tamen beatus praesul, de eius morte ultra quam credi potest condolens, totas pro animae illius 45 remedio pauperibus penitus erogari praecepit; remissionemque ei peccatorum ex corde etsi sero indulsit, et pro illius animae ereptione ieiuniis et obsecrationibus saepius insudare non destitit. Quia ergo nos eum modo ultra debitum[b], necessariae veritatis quam invidiae vel odii causa, reprehendimus, et eius negligentiam nostra fortasse minorem pluribus patefecimus, obsecramus, o lectores, vestram dilectionem, ut cum haec legeritis, indulgentiam ei et 50 remissionem peccatorum[c] pro vestra certe felicitate a Domino imploretis, et sic forte haec nostra reprehensio fiet illi ante misericordiam Iudicis venialis remissio.

28. Erat quoque in nostra congregatione vir vitae venerabilis ac in omni canonicae regulae observatione iure laudabilis, nomine Tadilo, de quo etiam supra pauca retuli, primo sub domno Bernwardo pro fidei et industriae praerogativa vicedominus, sed ab hoc beato

55 a) *supple* divitias. b) *edd. hic absque causa* plus *inserunt*, magis 5. c) *deest* 1. 16) scil. episcopus.

pontifice pro utilitate ecclesiae decaniae ac scolari magisterio praestitutus. Et quia ei pro religionis et castitatis merito cordetenus complacuit, eum sibi in consecretalem et simmistam in Dei servimine adoptavit. Erat enim, tota ecclesia quae eum noverat teste, grandaevus et emeritus, humilitate et dilectione praeclarus, in regendis vero ac commonendis fratribus media caritate severus, et in toto virtutum exercitio coram Deo sollicitus. Nam in ammonitione sua illo ridiculo[a] proverbio saepius utebatur: *Diligant*, inquid, *homines, oderint vitia.* Huic beatus pontifex ante aliquot annos[b] sepius, ut nobis videbatur iocando, praedixit, (1037.) quod[c] aut secum aut paulo ante se ex hac vita esset emigraturus. Novissime vero ei in postremis decumbenti per praedictum abbatem nepotem suum, quem ad eum visitationis gratia sua vice direxit, serio mandavit, quod sacram olei unctionem vere poenitendo et commissa sua confitendo plena fide susciperet, et corporis sanguinisque Christi sacramento munitus intrepidus emigraret, promittens ei veraciter se superstitem pro eius animae remedio Dei gratiam indesinenter obsecraturum, et eum in proximo anno in pace Christi subsecuturum. Qui abbas eundem dilectum et iure semper memorandum magistrum nostrum cum astantibus fratribus oleo sacro perunxit, eique ex potestate et iussione episcopi plenam remissionem indulsit; qui felix post biduum vere ad Christum migravit. Cuius tamen obitus nos acriter contristavit, quia congregationem nostram tanti viri patrocinio et consilio magisterioque privavit. Verum certe et clero et populo teste dicimus, quia numquam eius ordinis virum in omni ecclesiastica probabilitate honestiorem vel vidimus vel videbimus. Cuius certe memoriam iure nos cordetenus retinere debemus, quem vere ante conspectum sanctorum nostri recordari non dubitamus. Sic ergo prophetiam huius beati praesulis liquido Deus implevit, qui eum post[d] annum et tres tantum menses ex hac vita feliciter exemit.

29. Iam autem beati patris appropinquante manifestius fine, semper bonorum operum augmentis de virtute in virtutem anhelabat, ut videre mereretur Deum deorum in Syon. Et iam cessante practicae plurali officio, in solo se indesinenter theoriae afflixit exercitio, tria tantum de generali specialiter eximens, psalterium, elemosinam, et prae omnibus iugiter sibi sociam et amicam abstinentiam; adeo ut si raro festiviori tempore, cogentibus per obedientiam fratribus, aliquid lautioris cibi vel fortioris potus contra morem stomachi perceperit, molestiae magis corpori quam refectioni fuerit. Et tunc supremum praesentis vitae natalem Christi anno scilicet 1037[e] imperatore Goslare sedente, ipse Holzhusun[f] votive celebravit, solvens certe secundum euangelium quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei Deo: semet quippe, praedicto more, Christo spirituale sacrificium ymmolans, sed et suis nihilominus clero sane et populo in divinis et humanis pro ritu et etiam debito iuxta vires (1038.) congratulans. Sacratissimos autem quadragesimae dies, et ut ipse saepius iocundando proclamabat, saluberrimos, summo cordis ac mentis affectu hylaris expectabat, quos corporaliter quasi extra corpus mirabiliter transiens, vix cohaerentibus nervis, ad sacrosanctum pascha pervenerat; attamen dominicam palmarum coenamque Domini et festum resurrectionis Christi debito episcopali officio, ultra vires collecto robore, peregit; sicque paschae ferias per circumpositas stationes iuxta solitam religionem admonendo fideles visitavit. In quibus etiam diebus saepius publice denunciavit, se modo cum illis ultima corporali consortio leticia iocundari et in ascensione Domini quo Deus iusserit invitari. Nos vero haec audientes, quasi derisimus, quia eum iam quantocies de regressione antiquae suae patriae, videlicet Baioariae, nobis minitantem audivimus. Post albas itaque a nobis digressus, cum praedicto suo nepote Rathmundo abbate Adenstad[16], quo inceptam iam noviter ecclesiam consummare studebat, devenit. Nec infirmitati diutius reluctari valens, deficiente carne decubuit. Quo flebili rumore comperto, praedictus Adalbertus[g, 17] abbas, vir certe corde et animo divinae servituti mancipatus, et praepositus noster ac decanus cum prioribus ad eum visitationis gratia convenerunt; quem tamen, dissimulato languore, solito more ecclesiastico labori assidentem circumstantiumque manibus sustentatum invenerunt. Quos advenientes solita karitatis hylaritate suscepit laetus, et quasi oblita molestia, adventus eorum causam ammirando perquirens, reportari se ad cubiculum praecepit. Ibi adunato[h] specialiter clero,

a) ridiculoso 5. b) menses 5. B? c) quod ipse ante annum et sex menses transitum b. p. nostri Godehardi esset praecessurus 9. d) ante se anno et sex mensibus 9. e) *ita* 5. MXXXVIImo *corr.* VIo 1. MXXXVIIII 7. *et Leibn.* MXXXVI B 4 *et Brow.* MXXXVIII *Henschen.* f) holzhuson 1. *ita et infra.* g) rathmundus *Mabill. Nomen deest apud Brow. Henschen. Leibn.* h) admisso *L.*

16) Adenstedt. 17) v. Prologus.

primo singulos quosque de suae oboedientiae procuratione sollerter ammonebat, ac deinceps omnes generaliter de sacrae fidei et religionis observatione tam salubriter quam et terribiliter, obsecrando simul et arguendo, informabat; deinde se orationibus eorum contra callidi temptatoris insidias et fraudes commisit, eisque obitus sui diem et tempus, funerisque et exequiarum et etiam sepulturae ordinem, ut postea evenit, quasi alludens liquido praedixit. *Ite*, inquid, *et ad superventuram dominicae ascensionis laetitiam vos quisque pro suae oboedientiae qualitate et etiam pro spiritualis praerogativae quantitate praeparate, et meum adventum laeti et quasi vere mecum et hic et in futuro congratulaturi expectate. Nam in vigiliis ascensionis Domini in montem ad sanctum meum patronum Mauritium adveniam, et ibi noctem diemque sanctam agam. Abbatem tamen vobis, qui vice mea processionis et missarum sollempnia peragat, mittam.* Et sic elevatis oculis altiusque suspirans, quasi tamen arridens: *Nocte*, inquid, *illa ut Christus voluerit peracta, in feria sexta diluculo ad Sanctum Michahelem veniam, cum abbate et fratribus pernoctaturus, inde sabbato ad Sanctum Andream oraturus, et inde vos adeam, vobiscum penitus permansurus. Diem vero dominicam, convocatis fratribus et amicis, sollempniter celebremus, et ita totius festi nostri iocunditatem penitus terminemus.* Et haec dicens, benedictionem dedit; sicque nos mirantes pariter et stupentes dimisit. Habebat quoque beatus pater in privato suo ministerio iuvenem quendam illustrem, filium viduae, pictoriae artis opificem, qui vilia eius vestimenta calciamentaque servabat, nomine Bunonem, cui ab initio eiusdem anni, quod secum patriam suam, id est Baioariam, percurrus esset, saepe praecepit. Nam, ut praediximus, longe ante saepius, se patriam suam revisitaturum, serio promisit, et pluribus cuiusque ordinis se ultroneos offerentibus ac pariter cum eo proficisci cupientibus, grates devotioni eorum retulit, et solum tantum Bunonem secum iturum praelegit. Eodem quippe die, ante adventum cleri, ut praediximus[a], dum more suo in abditis vestimenta sua mutaret, eidem iuveni praecepit, ut eadem vestimenta quae deposuit indueret, et ad eum concitus veniret. Quae verba ille, quasi deliramenta vel irrisione plena, contempsit. Praesul vero acsi dedignando cubiculariis dixit: *Ite, et vestimenta, quae deposui, induite, et ad me deducite!* Qui statim post velum cubiculi trahentes induerunt, et in conspectum velut irridentes reduxerunt. Quem ille diu intuens, ait: *Vere scias, quia in eadem veste rumorem*[18] *invenies.* His dictis puer exivit, et in ipso momento intolerabile eum frigus invasit, et hora eadem aegrotans lecto procubuit. Quem cum post discessum fratrum episcopus requireret, dictum est, quod aegrotaret; qui statim accersito procuratore, praecepit ei dicens: *Puerum illum caute et sine molestia fac ad matrem suam deduci, ut in occursum meum paratus mecum possit proficisci.* Qui statim deducitur, et decrescentibus diatim viribus ad extrema praeparatur. Deinde praesul noster, ingravescente febri, Holzhusun, ubi confluenti ecclesiastico more ad visitationem tanti viri multitudini sufficiens aedificiorum erat copia, provehitur. Ibi inter multam cleri populique frequentiam quadam die venerabilis domna Sophia de Gandisheim advenit; quae tandem, ut in pace loquar, deposita priori pertinatia, plena se fide et devotione ad beati praesulis familiaritatem convertit. Quae tunc, occasione inventa et populari turba remota, astante clero, de frivola quadam pertinatia, quae de suae ecclesiae clericis[b] contra beatum virum increvit, exordium fecit, et debitam satisfactionem promittere coepit. Ad cuius verba ille, partim morbo cogente, partim vero, ut nobis videbatur, indignatione promovente, iracunde respondit, et in futurum talia suspendi rogavit. Illa vero commotionem eius dissimulans, et obitum eius celeriorem formidans, item itemque in sua satisfactione etiam lacrimando perstitit, eamque ut recipere dignaretur, obsecrando postulavit. At ille: *Domna*, inquid, *per Deum paulisper reticete, et haec, donec in festivitate sanctae Mariae conveniamus, suspendite.* Ipsa autem, ut videbatur omnibus, finem eius citius adventurum intelligens, et tamen verba eius vehementer expavescens: *Utinam*, inquid, *o pater dilecte, tam diu vita vestri nobis supersit, donec hoc tempus venerit.* Ille vero, fortiter collectis viribus apertisque oculis et omnibus diu circumspectis, ait: *In potestate quidem Dei vita nostra exitusque vere consistit; in veritate tamen, quae Deus est, dico vobis, quia in festivitate sanctae Mariae, ubi Deus voluerit, certe simul erimus, ibidemque coram, veraci testimonio, et de his et de aliis etiam quae inter nos dissident tractabimus.* Et haec dicens, compressis oculis reticuit. At ipsa nimio stupore pavefacta, silenter

a) praedixerat 9. b) *deest* 1.

18) scilicet turbam, obitum meum celebrantem, v. infra cap. 31.

1038. circumstantibus ait: *Heu me miseram, numquidnam sum moritura, eumque in proximo subsecutura?* Nec tamen amplius eum inquietare praesumpsit, sed humiliter sibi ab eo indulgentiam simul et licentiam petiit. Ille item apertis oculis, eam breviter, immo et salubriter de sacrae religionis observatione commonuit, ac de plurali suae oboedientiae provisione coarguit; sicque elevata dextra eam benedictione munivit, eique pro tempore remissionem indulgens, non sine magno, ut ipsa fatebatur, timore dimisit. Transacta autem ebdomada beatus pater, iam deficiente funditus corpore, ab abbate caeterisque fratribus sacri olei liquore ecclesiastico more perunguitur, et ita ut praedixit, in vigilia ascensionis Domini in montem sancti Mauritii transvehitur. Ibi statim ad eum fratres flendo convenerunt, nec amplius amaritudinem doloris quo cordetenus vexabantur abscondere valuerunt. Caetera vero innumerabilis multitudo fidelium confluxit, quam non minor pro obitu karissimi pastoris afflixit amaritudo; quos tamen ille, licet deficiente iam pene lingua, benigne consolando dimisit, et diluculo iterum advenire mandavit. Quibus discedentibus et sacram noctem illam in magno dolore ducentibus, beatus pater consueto sibi more psalmos semper quasi pro dulci refectione ruminabat, et in tali meditatione cursum suum consummans [a] pernoctabat. Summo vero diluculo iterum clerus peractis matutinis advenit, quem ipse affatu tunc supremo breviter, attamen salubriter, de sacrae religionis et obedientiae observantia commonuit. Sicque confessionis versu cum eis communiter prolato, ad celebranda cum abbate missarum sollempnia valedictione ultima dimisit. Praesul autem clemens, non immemor suae promissionis, de praedicto suo cubiculario Bunone requisivit sollicite; quem ubi desperari corporaliter cognovit, ei per nuntium mandavit, dicens: *Consolare, puer meus, in Domino et confortare, quia iam tempus instat, quo mecum ad patriam aeternae beatitudinis debes vere pervenire.* Quae verba puer laetus audivit, et nil iam de praesenti vita meditans, in ipsa sacra ascensionis Domini die viaticum salutare petivit; quo percepto, gaudens promissionem beati praesulis expectavit. Missarum igitur apud nos celebritate peracta refectioneque festine percepta, fratres iterum hora iam diei decima ad dilectum pontificem revenerunt, et pene officio linguae cessante, corde vero, iuxta apostolum, spiritu et mente psallente, psalmos in pectore solo difficulter ruminantem invenerunt. (1 Cor. 14, 15.) Tunc inito consilio, pueros quatuor scolares ex utraque lectuli parte statuerunt, quos psalterium a principio aperte et distincte recitare fecerunt. Quibus pater beatus auditis, quasi hac melodia delectatus, aliquantulum quievit; interdum et simul cum illis psallere gestivit. Versus tamen illos praecipuos, qui specialiter ad supplicandum Domino pertinebant, apertis elevatisque [b] oculis altius ructuabat. Media autem (Mai. 5.) nocte iam finito psalterio, iam imminente manifestius fine, matutinale officium inceperunt, et dum ad psalmum *Benedictus dominus Deus Israel* pervenerunt, vir beatus in ultimo tunc agone desudans, vixdum apertis oculis, clero cantante: *Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent,* ille: *ad dirigendos,* inquit, *pedes nostros in viam pacis.* Et in hoc verbo dum a clero *Gloria Patri* cum antiphona *Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum dominum meum et dominum vestrum* canebatur, ipse ab assistantibus de lecto levabatur; sicque felix vere illa anima, quasi obdormiente corpore, carnali ergastulo solvebatur. Consonantibus statim ibidem campanis, fratres, qui in monasteriis felicem eius obitum sollerti vigilantia expectabant, pro tam dilectae animae remedio preces exequiales devote frequentabant.

30. Non ergo estimo nunc silentio praetereundum primum meriti eius inditium, in ipso beato obitu Deo teste declaratum. Nam saepe dictus puer Buno in domo matris suae iuxta ecclesiam sancti Michaelis eodem momento membris praemortuis, extremo tantum spiritu in solo pectore palpitante, desperatus iacebat. Qui resonantibus ilico campanis, quasi a somno evigilans, quid hoc esset stupens exquisivit. Cui cum mater dissimulans, matutinale officium signari, diceret, ipse acsi indignans matris assistantiumque fallatiam: *Cur me,* inquit, *fallitis? Cur veritatem celatis? Vere cum hoc signo dilectus dominus meus coelum scandit, et promissionum suarum, ach! ah! inmemor me miserum relinquit. Surgite,* ait, *et elevatis manibus cordibusque eius dilectam animam divinae clementiae commendate, et ut mei modo meminerit, obsecrate.* Et elevatis nisu quo potuit ad coelum oculis: *O praesul,* inquit, *sancte, o pater clementissime, per ipsum te adiuro, ad quem vadis, ut mei nunc memineris, et ne me in carne iam post te relinquas, quem tecum ad patriam iturum saepius promiseras.* Illi stupentes pariter ac moerentes dum iussioni eius obtemperant, vixdum reflexis oculis, statim eum exanimem

a) c. animam suam attentius deo commendauit 9. *qui eiusmodi complura habet.* b) elevatis *deest* 5.

aspexerunt. Quem ilico stratu deponebant, et omisso fletu, eum quod obtaverat obtinuisse congaudebant. Fratres vero in monasteriis, exequiarum debito matutinalique officio peracto, missarum celebratione psalmorumque frequentatione pastorem suum divinae miserationi tanto devotius commendabant, quanto se ab ipso commendandos fiducialius sperabant.

31. Adveniente autem felicis memoriae Brunone Mindonensis ecclesiae episcopo, quem ipse venerabilis pater sibi in spiritualem filium adoptaverat, qui etiam cognita eius infirmitate iuxta nostra confinia[19] habitabat, hora eiusdem diei tertia, totus clerus cum populo miliciae certe et familiae et plurali civium comprovincialiumque et maxime pauperum frequentia ad montem ubi specialis noster thesaurus servabatur processit, eumque ad monasterium sancti Michahelis, ut ipse vivens praedestinavit, deduxit. Quo dum appropiatur, ante portas atrii funus defuncti iuvenis cum non modica parentum civiumque turba profertur; quod et ante pedes episcopi per dispositas ecclesias a ministris circumfertur. Quantus vero planctus et lamentatio cleri vel populi vel etiam pauperum ibidem extiterit, ingenii nostri facundia certe ad enarrandum non sufficit; quia in una cuiuslibet mente vel voce luctus et laeticia pariter sonuit, dum pectora fidelium de praesenti meror[a], de futuro gaudium perculit. Quia, sicuti de sancto Martino canitur, *pium erat flere et pium gaudere*. Merito ergo flevimus, quia talem pastorem amisimus, sed et iure gaudebamus, quod talem intercessorem praemisimus. Vigiliis igitur ibi pro nostro modulo condigne peractis, beatum corpus mane ad Sanctum Andream est honorifice delatum, ibique oblatis sacrificiis, inde in principali nostra ecclesia cum debita veneratione collocatum. In crastinum vero illucescente dominica, ex diversis per Saxoniam coenobiis fratres ac sorores in obsequium tanti patroni convenerant; qui destitutionem cleri et desolationem populi ac generale totius christianismi damnum debita lamentatione defleverant. Sicque ab episcopo missali officio devotissime peracto, sacrum beati viri corpus in medio nostro choro ecclesiastico more terrae est collocatum; quod ibidem usque in hodiernum a fidelibus Christi iuxta humanae fragilitatis possibilitatem condigna cum reverentia frequentatur[a*]. Praedicti autem pueri corpusculum ante occidentalem templi introitum ab eodem episcopo prius est humatum.

32. Domina vero Sophia, de qua etiam supra retulimus, iam de sua praemonitione magis magisque sollicita, sorores suas ac presbyteros illo cum oblationibus transmisit, seseque beati viri meritis et precibus suppliciter commisit, sicque superventuram beatae matris Christi assumptionem simul et nativitatem pavens expectavit; quae tamen incipiente sequenti anno, triduo ante purificationem sanctae Mariae, ex hac vita emigravit. Sic et in hoc Deus beati patris prophetiam liquido declaravit. Nos quoque, quantum Deo annuente possumus, merito eiusdem abbatissae animam divinae miserationi saepius commendare debemus, quoniam congregationem nostram, dum vixit, omni semper dilectione percoluit, eiusdemque dilectionis certum testimonium posteris reliquit.

33.[b] Beatissimo autem patrono nostro vir illustris Thietmarus[c] regius capellanus successit; qui ut in pace veritatem prosequar, si quid ei profundioris litteralis scientiae defuit, hoc certe dulcissima benignitate quam[d] erga clerum et populum exercuit[e] reverenter supplevit[f]. Maxime tamen erga congregationem suam omnem quam in aliquo potuit caritatem exhibuit, ipsam etiam aecclesiam quantum sub tanto tempore valuit, laudabiliter adornare studuit; pro qua ei benivolentia, dum mundi cursus volvitur, iure apud nos recens semper memoria debetur. Cui etiam septimo episcopatus sui anno lugubri ah! ach[g]! morte defuncto, Azelinus item regius capellanus, in divinis scilicet et humanis feliciter strennuus, successit. Cuius ordinationis anno secundo venerabile nostrum monasterium, peccatis nostris coram Deo plane promerentibus, in dominica palmarum 10. Kal. Aprilis miserabili incendio periit, simulque tota pene civitas, et maxima pars villae interiit. Qui noster praesul in hoc ut veremur aliquantum[h] ante Deum culpabilis fuit, quod idem monasterium, quod tota aecclesia teste facile restaurari potuit, acsi dedignando a fundo destruxit. Quod quidem in illo opere quod postmodum maiori ambitione inchoavit, prudens quisque veraciter intelligit[i], quod nec ista destructio nec illa inchoatio sine culpa fuit. Qui tamen apud imperatorem et primates ad summum mundanae felicitatis apicem honorifice profecit[k]. Nos ergo pro honore quem

a) memor 1. a*) frequentatum 1. *al.* b) *totum hoc caput deest in codd.* B. *et* B 5. *et in editis, quum tamen vel in* 7. *extitisset; v. edit. Henschenii p.* 518. 519. *Extat et in codicibus* A. *quotquot excussimus.* c) dietmarus 6. d) qua 2. e) *deest* 6. f) *hic desinit* 6. g) ah 2. 5. h) aliquantulum 3. i) intellegit 5. k) perfecit 5.

19) sine dubio Hannoverae, cuius loci, in ipso limite dioeceseos Mindensis proxime Hildesheim siti, prima hic mentio fieri videtur.

1044. aecclesiae suae pluraliter acquisivit, perpetuam ei requiem ante Deum imploremus, ut ipsam felicitatem quam obtinuit in mundo, perpetualiter cum sanctis Dei habere mereatur in futuro. Cui et pro hoc quoque, quod de communi fratrum utilitate quam praecessores[a] sui ac ceteri fideles Christi in nomine Domini contulerant plura subtraxit, veniam coram Deo praecamur, ut et nos promptiorem delictorum nostri remissionem[b] mereamur. Vere enim, ut timemus, 5 multipliciter deliquit[c], quia et ipse rapuit, et posteris occasionem et exemplum rapiendi reliquit[d]; sicut et de quodam talium dicitur, qui peccavit et peccare fecit Israel. Huic vero[e] pe-1054. riculoso ut veremur fine defuncto, domnus Hezilo, item regius capellanus et Romanus cancellarius, in omni aecclesiastica religione perfectus successit; qui certe in hoc quod deiectam sanctae Dei matris aecclesiam redintegrare divina inspiratione decrevit, favorem condignum 10 cleri et populi laudabiliter promeruit. Cui nimirum ad tam sanctum tamque salubre consilium tota sancta Dei aecclesia divinum indesinenter merito postulat auxilium, ut et idem laudabile opus Deo digne perficiat, ac pro devotionis et benivolentiae studio in sanctorum communione in remissionem peccatorum coram Deo feliciter proficiat. Amen.

34. De miraculis igitur, quae per beati patris merita post dissolutionem eius corporis 15 in salutem credentium divina pietas clementer ostendit, melius pauca quam plura scribenda putamus, ne aut studiosis fastidium, aut desidiosis vel etiam infidelibus incredulitatis periculum narrationis prolixitate contrahamus. Praecipue tamen propter quasdam vanae mentis personas, quae in nostra patria usitato more per sacra loca discurrentes, se aut caecos, aut debiles, vel elingues, vel certe obsessos temere simulant, et ante altaria vel sepulchra[f] san- 20 ctorum, se coram populo volutantes pugnisque tundentes, sanatos se ilico proclamant, ea scilicet sola vesana voluptate, ut sic tantum maiorem stipem vel quaestum a plebe percipiant; sicque fit, ut et beatum virum saepius de talibus dixisse praemisimus: *Quia mendaces,* inquit, *faciunt, ut veridicis vix credatur.* Et cum in huiusmodi fallatia tales liquido deprehenduntur, etiam sanctorum verae virtutes in periculosam desperationem hac dubietate re- 25 trahuntur, vel certe et hi qui vere sanantur, etiam non solum a perfidis sed interdum a fidelibus fallere creduntur. Sicut utique nobis de quadam muliercula palam evenit. Primo namque praedicti nostri antistitis Hezilini anno, in speciali nostra festivitate, id est in assumptione sanctae Mariae, anus quaedam nobis ignota velato capite, nubilata facie ante sepulchrum beati viri se proiecit, ibique praedicto amentium more diutius volutata, tandem prosiliens, 30 se per multos annos caecam ibidem tunc illuminatam proclamavit. Quo statim rumore diffamato, clerus populusque concurrit, ipse etiam episcopus advenit; cumque iam ad agendas publice Deo gratias properarent, cives illius, qui eam prius noverant eamque in huiusmodi falsitate saepius notaverant, venerunt, qui illam et modo et saepe etiam antea talia mentitam veraciter dixerunt. In quam cum iam populus merito, ut male tractaretur, insurgeret, 35 a clero tamen pro beati pontificis veneratione defensa, confusa discessit, et nusquam postea 19 comparuit[19]. Talibus ergo fallaciis cauta consideratione post haec devitatis, pluribus ignotorum dictis, quae certe vera esse poterant, dubitando dissimulatis, ad ea tantummodo sola, quae praesentes veritate Dei testes vidimus, vel certe ab his audivimus quos veraces in timore Domini cognovimus, narrationis nostrae seriem intendimus. 40

35. Primum namque fuit, quod et erat et est omnibus notissimum. Quidam de operariis nostrae ecclesiae nomine Liudegerus, cum in atrio aecclesiae ligna collocarent, graviori quadam trabe decidente, femore cum tibia et pede miserabiliter contrito, penitus debilitatus est; quem beatus pater, quia prius eum fidelem et utilem cognovit, ante mensam suam cottidie cum pauperibus ad elemosinam sedere praecepit. Qui miser super debilitatis suae do- 45 lorem graviori semet moerore saepius afflixit, quia ad opus cui mancipatus erat, utilis esse non potuit; quidquid tamen a pueris fieri vidit, quod vel sedendo vel proreptando agere potuit, in hoc se voluntaria utilitate studiosus exercuit, nec prorsus aliquod tempus nisi cum somnum vel cibum caperet transire sibi patiebatur, quin semper utilis esse videretur. Consuetudo namque dilecto nostro pontifici fuit, ut puerulos vel etiam pauperes validiores saepius 50 per plateas vel per defossas petrarum ageret foveas, qui sibi minutos lapillos quosdam nivei coloris, vel nigri, vel rubri interdum, vel varii, deferrent, quos ipse elimatos et politos variaque collisione vel confricatione in similitudinem pretiosorum lapidum redactos, aut in altaribus aut libris aut in capsis honeste collocavit. In quo nimirum opere praedictus ille pauper 55

a) precessoris 5. b) remissiorem 5. c) deliquid 5. d) reliquid 5. e) ergo 2. f) sepulchris 1. *al.*
19) Tales hypocritas *sterzer* et mendicos vagabundos *landsterzer* vocatos Leibnitius monuit.

se privatim exercuit, et caeterorum industriam utiliter praevenit, et pro curiositate tali episcopo penitus complacuit. Interdum autem et pictoribus et eis qui vitro fenestras componebant se admiscuit, inter quos etiam utiliter operosus extitit. Beato vero pontifice ex hac luce sublato, ipse detonsus et laneis indutus, carne et reliqua lautiore refectione abstinens, ad sepulchrum eius se contulit, ibi tam custodibus quam et caeteris fidelibus quanta potuit fidelitate servivit, et postremo consentientibus magistris totam sibi sepulchri custodiam penitus usurpavit; vix tamen debili crure ligno sustentato, reliquo vero corpore baculo sublevato, tale obsequium exercuit. Attamen vires quas invalitudo denegavit, obediendi devotio ministravit. Psalmos quippe non noverat, verba tamen quae fidelium narratione vel admonitione perceperat, devotius invigilando saepiusque in modum Veniae fidelium more decumbendo, sollicitus frequentabat. Quo ibidem in hac sedulitate firmius perdurante, et ad altiora quantum ad se proficere satagente, quadam die sabbati ad vesperam, dum in choro vespertina laus canitur, ipse iuxta sepulchrum pontificale prosternitur, et ibi diutius aut somno aut extasi quasi immobilis detinetur, et ut ipse postea fatebatur, intolerabili quadam membrorum ac nervorum distensione vel contractione invisibiliter cruciatur. Sed finita laude, quasi soporatus surrexit, et velud plus solito aegrotans, vix habitaculum repetiit, statimque se lectulo collocabat, et per totam noctem in illa membrorum distractione durius laborabat. Sed paulo ante matutinum tandem sopitus, obdormivit, et somnium, in quo surgere et ad ecclesiam ad agendas gratias Deo properare iussus est, vidit. Somno tamen cito excitus surrexit, moxque remoto femorali sustentaculo reiectoque baculo, matutinali hora ecclesiam intravit, et coram omnibus Deum evidenti professione laetus laudavit, et postmodum in finem vitae incolomis, quanto diutius tanto devotius ministravit.

36. Mulier etiam quaedam nomine Miresuind[a], omnibus nobiscum commanentibus notissima, quae per multos annos errabat caeca, ad idem beati praesulis sepulchrum, in crastinum post assumptionem sanctae Mariae coram clero et populo est illuminata.

37. Quidam quoque rusticus de pago ecclesiae qui Holthlaon dicitur, nomine Aeniko[b], diutina infirmitate miserabiliter fatigatus, contractione lumborum per multos annos est crurum officio spoliatus, qui tandem ad sancti viri memoriam baculorum sustentatione vixdum proreptando pervenit, ibique in anniversario eius die integram sanitatem coram clero et populo omnibus nobis intuentibus recepit.

38. Nobilis vero quaedam femina non ignota de episcopatu Mindonensi, Siuve[c] nomine, puellam fratris sui filiam nutrivit, quam in locum filiae adoptatam intime dilexit; quae gravissima infirmitate praeventa, periclitari coepit, et quasi praemortua biduo exanimis iacebat. Propinquis vero cum familia et civibus assidentibus, et tantam puellae elegantiam pro multiplici miseratione amare deflentibus, anus quaedam quae ad ecclesiam serviebat, de memoria nostri praesulis sermonem habuit, et qualiter ad eius tumulum infirmi per divinam miserationem sanarentur exposuit. Cuius admonitione domina ipsa compuncta, matutinali tempore ecclesiam intravit, et coram altari prostrata, profusis lacrimis Deo sanctaeque Mariae et beati etiam praesulis animae pro eadem sua nepte oblationes intima supplicatione devovit. Et continuo, ut ipsa nobis flendo iuravit, regrediens, puellam iam videntem, iam loquentem repperit; quae refectionem petiit et accepit, et Christo pro beati viri meritis annuente, sanitatem integram recepit. Quam amita quinta post die ad sanctae Mariae altare et ad tumulum praesulis cum promissis oblationibus deduxit; et qualiter sanata sit, cum sufficienti civium ac conprovincialium suorum testimonio coram multitudine comprobavit.

39. Frater quoque noster non ignotae memoriae Wolcwardus[d] presbiter, eo tempore vicedomnus, postea noster praepositus, postremo felix Brandeburgensis ecclesiae episcopus[20], qui eidem patri nostro, ut omnibus notum est, et fideliter servivit et intime complacuit, cum post obitum eius episcopales curtes more solito circuiret, in villam quae Ascgereshuson[21] dicitur devenit, et in domum quandam ad prandendum divertens, puerulum misera languoris infirmitate detentum invenit, qui tunc per aliquot ebdomadas, omni membrorum officio destitutus iacebat, et ad exitum diatim, ut omnibus videbatur, appropiabat. Quem idem presbyter, sicut semper erat super talibus miserans, lacrimando diutius intuebatur, languorisque tempus et eventum ex familia sciscitabatur. Quod ut agnovit, flenti matri ut ad

a) miresuid 5. b) Deniko *Brouwerus*, Agino 7. c) siuue 1. sviue 2. 3. swine 9. d) wolchwardus 2. 3.

26) post a. 1051. ideoque circiter a. 1054. 1055. 21) Eschershausen.

tumulum sancti pontificis candelas iuxta pueri mensuras promitteret persuasit; quod et ipsa statim libentissime fecit. Sed cum pauper illa ceram ad talia non haberet, ipse ex lino lichnum parari praecepit, et puerum per singula membra metiri fecit, ut certe mensuram secum deferret, et per se praestita cera candelas pro aegrotante ad beati viri memoriam offerret. Quo facto, ad prandium consederunt, et quasi oblito puero, alia quaedam inter se fabulari coeperunt. Interim vero puer mira celeritate quasi ex morte revixit, et in lecto cunctis mirantibus resedit, et vocata matre, de stratu prorepsit, et refectionem petiit, et eodem momento percepit; et postea pro beati viri meritis incolomis permansit.

40. Erat etiam in nostra congregatione iuvenis quidam ex laico conversus, Desiderius nomine, et eodem beato viro iubente in clero tonsuratus, et usque ad diaconatus ordinem promotus; et quia plenum officium cantando et legendo cum fratribus frequentare non potuit, eum, ne penitus vacaret, cum custodibus ecclesiae ministrare praecepit. Tempore autem Azelini[a] nostri praesulis, post miserabile incendium nostri monasterii, dum idem frater infra festivos dies nativitatis Domini quadam vespera in scolis cum pueris sermocinando consedit, subita caecitate miserabiliter perculsus cecidit, et alia etiam infirmitate concrescente, tempore longo decubuit; quadragesimali vero tempore, caecitate durante, ex infirmitate convaluit, et ecclesiam debito more frequentans, ad pontificale sepulchrum spe sanandi saepius prostratus procubuit. Et contigit quadam feria ante pascha, certe in Kalendis 1047. Aprilis, quando celebramus reliquiarum adventum sanctorum Cantianorum martyrum, dum in matutinis ibidem procumberet, ilico quasi pruriente dextro oculo et durius manu confricato, sanguis non modicus prorupit, et statim in eodem oculo visum recepit. Pro qua clementia divina pietas ab omnibus in commune laudabatur, et pro reliquo solita miserationis Domini potentia expectabatur. Post pascha vero in anniversario die sancti patris nostri cum eius memoria missa pro defunctis ab episcopo celebrata est, tempore oblationum, coram clero et populo quasi infirmatus corruit, et prorumpente ilico sanguine ex oculis et naribus et etiam auribus, aperto oculo, visum liquido percepit. Missali denique officio peracto, episcopus habito sermone, clerum et populum ad laudes debitas Deo persolvendas domino admonuit, et profusis unanimiter lacrimis Deum pariter et ipse laudavit. Qui frater eodem momento Deo gratias agens, penitus convaluit; et post haec in promissa professione usque in finem fideliter permansit.

41. Plurima igitur beati pastoris nostri praeconia, ea solummodo quam praemisimus ratione, praeterimus, quae per divinam clementiam ab initio usque adhuc gloriose fieri saepius sentimus. Nec tamen illud reticebimus, quod tota sancti Dei ecclesia teste verum esse novimus, quia plures plerumque ad sepulchrum eius cum oblationibus gaudentes adveniunt, qui sese suosque a variis tribulationibus vel infirmitatibus celeri subventione per virtutum eius merita liberatos publice referunt; namque ut alicui aliquid incommoditatis vel molestiae occurrerit, statim cum ad sancti huius patris memoriam vel absens oblationis suae votum ubicumque promiserit, procul dubio eodem momento, quamcumque consolationem in vera fide sperans obsecrat, eam celerius meritis eius[b] suffragantibus impetrat.

DE MIRACULIS A GODEHARDO IN VITA PATRATIS ET IN ACTIBUS PRIORIBUS NON INDICATIS.

1. Iohannes quidam, civis Pataviensis, febris incommodo vexabatur per longa tempora. Contigit autem ut sanctus pater Godehardus, adhuc abbas in suo monasterio Altach, pro negotio dicti sui monasterii Pataviam advenerit; et infirmus ille, ipsius cognita praesentia, fratrem suum misit ad eum, rogans ut ipsum causa Dei visitare dignaretur. Quod et fecit. Visis autem ipsius in quibus decubuit febribus, ingemuit, et ait: *O pater Adam, quis te tam celeriter excaecavit, ut mandatis Dei creatoris tui contraires, et tot malis nos omnes peccato tuo subiiceres. Ecce post haec, quae temporaliter hic patimur, nisi mandata eius servaverimus, aeternaliter pati formidamus. Et erit hoc malum temporale initium nobis malorum aeternorum.* Hoc autem cum dixisset, accipiens scyphum quendam, et vinum in eum fundens, signo crucis signatum benedixit, et tradidit viro decumbenti, dicens: *Bibe, frater, in nomine Domini nostri Iesu Christi, et in eo confortare.* Qui bibit confidens in Dei clementia, et sancti

a) azilini 5. Anno II. Akelini in dominica palmarum X. Kal. Aprilis 7. b) *deest* 5.

viri meritis illico surrexit, ab omni febris incommodo penitus liberatus, et ivit ad ecclesiam sancti Stephani laudans Deum.

2. Vir sanctus Godehardus monachum quendam de monasterio suo Altach ad monasterium Hervelдense secum duxit; qui post ibidem febrium molestia decumbebat. Hunc sanctus pater consolationis gratia frequenter visitavit. Quodam autem tempore dixit infirmo: *Frater mi, quomodo habes?* Et infirmus ait: *Ecce pater, febrium molestia nimium me vexat, ita ut vita quasi nulla a modo sit in me.* Et ait ei vir sanctus: *Dominus noster Iesus Christus maiora pro nobis passus est, quam haec febrium tuarum possunt esse incommoda.* Cui decumbens ait: *Scio, pater mi, scio quod multo graviora pro nobis passus est ad mortis amaritudinem tormenta.* Et ait sanctus Godehardus: *In nomine Iesu Christi, qui graviora pro nobis sustinuit, surge; et in fratrum tuorum collegio psallens benedic eum, qui te suo sanguine abluit et redemit.* Et infirmus ait: *Surgam in nomine Iesu Christi, et ibo ad patrem meum, qui et pater est domini mei Iesu Christi, et dicam ei: Iam non sum dignus voçari filius tuus, sed fac mecum misericordiam tuam, quasi cum servo tuo, sed a via tua deviante; et ad te clementer suscipe revertentem.* Et inter haec verba surrexit, et ad chorum ivit, et omnibus admirantibus, cum astantibus laudans Deum et cantans benedixit.

3. Iuvencula quaedam in oppido Teckendorff, in territorio Bavariensi, cum febrium molestia nimium gravaretur, astabant ei quaedam honestae foeminae, referentes ei qualiter praedictus in Patavia meritis beati Godehardi post haustum vini per eum benedicti a febrium rigore fuerat liberatus. Quibus auditis, dixit infirma patri suo: *O mi dilecte pater, rogo te per Iesum Christum, ut mittas ad sanctum virum Godehardum, petendo eum, ut benedicat parum vini in cupha vel scypho suo, et mittat ad me, ut bibam ex eo, ut alleviar a fervore febrium, quibus incessanter affligor atque uror.* Pater autem his auditis, misit ut voluit, et vinum benedictum accepit a sancto Godehardo, quod iuvencula bibit infirma in nomine Iesu Christi; et subito sanata, et surrexit laudans Deum, qui meritis sancti Godehardi eam clementer a vi febrium liberavit.

4. Servus Dei Godehardus, quia erat ex corde misericors, et super afflictos pia gestabat viscera, infirmorum sive decumbentium vel per se aut per alios semper visitavit domicilia. Contigit autem quodam tempore, cum adhuc in abbatia Altahensi praesideret, quendam scholarem cuiusdam viduae pauperis febrium molestia graviter infirmari; quem pietate solita saepius visitavit. Cui et quodam tempore dixit: *Fili, viriliter age sustinens flagella Domini, ac confortetur in eo cor tuum. Ipse enim est qui percutit et medetur atque sanat, suos castigans electos, ne morti tradantur sempiternae.* Et iuvenis ait: *Quae est fortitudo mea, ut haec gravia sustineam, et patienter agam?* Et pater sanctus ait: *Confide, fili, sciens quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis. Et libenter gloriari velis cum apostolo in infirmitatibus tuis, ut in te, sicut in eo, habitet virtus Christi: nam virtus infirmitate perficitur.* Cui infirmus ait: *Peto, sancte pater, ut Deum pro me misero suppliciter exores.* At pater sanctus pomum in manu habens, quod forsan secum tulerat aut iuxta lectum infirmi invenerat, benedixit, et dedit infirmo dicens: *Accipe, fili, et manduca pomum in nomine Iesu Christi, et si est voluntas eius, de lecto surge sanus; sin autem, maneat haec infirmitas tibi, et patienter age, ut a Deo praemium vitae aeternae, in quo aeterna est sanitas, valeas promereri.* Comedit ille, et surrexit sanus laudans Deum.

5. Iuvenis quidam de castro Stauwenborch in Bavaria prope Danubium fluvium pertransire volens, procellis navem subvertentibus mergitur in flumen, ubi plus quam tribus horis remansit incognitus. Tandem corpus exanime ad littus eiicitur, et mortuus ad domum parentum deportatur. Lacrymantur proximi, et gemunt affines ob mortem tam subitam iuvenis tam famosi. Sanctus autem abbas Godehardus casu transiens locum illum, et audiens voces ululantium, ait: *O mors, quam amara est memoria tua homini, quam subito et inopinate extinguis; quae et peccatoribus es pessima, iustis autem nimis desiderabilis atque pretiosa.* Cum autem haec et his similia diceret, venit mater misera iuvenis, et ad pedes procidit viri sancti, dicens: *Domine, si quid potes apud Deum, miserere mei, et resuscita filium meum.* Cui sanctus pater: *Crede mihi, mulier, ut verum est et experientia docet quotidiana, omnes subiacemus mortis imperio, ideoque beati mortui, qui in Domino moriuntur. Mors enim omnes, qui in mundo vivunt, non uno sed quasi mille modis sternit. Beatus qui vigilat, et in adventu praemunitur.* Et iterum mulier ait voce lacrymosa: *En filius meus unicus et dilectus in flumine suffocatus interiit subito; huic timeo damnationem, quia mundanus erat nimis. Rogo igitur, pie pater, si quid potes apud Deum, resuscita filium meum; ut tantum sua confiteatur delicta, et sanctis ecclesiae sacramentis muniatur, et post, si Deo placet, in pace feliciter requiescat.* Cui vir sanctus, Salvatoris utens verbis, ait: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi, sicut petiisti.* Et transiens cum ea ad cadaver in libitina iacens, et tenens manum eius dixit: *Adolescens, tibi dico: Surge.* Et iuvenis surrexit incolumis atque sanus; et sanctum virum petiit, ut causa Dei confessionem eius audiret, et pro peccatis suis sibi iniungeret poenitentiam salutarem, et annuit sanctus pater petitioni eius, et audita confessione eius, sacris ecclesiae sacramentis eum praemunivit. Quo facto iuvenis ait: *Iube me, sancte pater, nunc iterum in pace quiescere; quod mundum nimis horreo, qui suos amatores mittit in gehennam, cuius poenam gravissimam ex parte sum expertus.* Et vir Dei ait: *Dormi, fili mi, et quiesce feliciter in pace Iesu Christi.* Et ille respondit: *Amen.* Et inclinato capite, in gratia Dei feliciter obdormivit. Felix autem mater eius, his auditis et cognitis, semota prorsus omni tristitia, cum gaudio corpus filii ecclesiastico more tradidit sepulturae, ac Deo devotione quanta potuit animam ipsius laetissime commendavit.

6. Sanctus pater Godehardus, dum in cella sua post vigilias matutinas orationis causa resideret, contigit, ut quaedam mulier habitans in confinibus monasterii partu laborando cruciaretur; cui compatiens vir sanctus, terrae procumbens, orationi se

dedit dicens: *O domine Deus omnipotens, adiuva plasma tuum, miserere filiae Evae in matris suae maledicto laborantis.* Et illico modo quodam inopinato mulier conticuit, quia peperit filium; quae postea obdormiens, ei revelatum est, quod precibus sancti Godehardi a dolore partus sit liberata: quae gratias egit Deo, qui eam sancti viri meritis tam clementer visitavit; filium autem suum Godehardum vocari fecit, et in puerili aetate eum tradidit sancto viro regularibus disciplinis imbuendum. Hac igitur de causa mulieres regionis illius in dolore partus sancti Godehardi patrocinium consueverunt invocare et multae petitionis suae sentiebant effectum adoptatum.

7. Cum sanctus Godehardus pro negotio forsitam sui monasterii ad Romanam iret curiam, habens aliquos de suis monachis secum in suo comitatu, inter quos quidam caeteris senior Erkenfridus nomine incaute praecedens, dum montem qui Godehardi dicitur ascenderet, equus cum eo cecidit, et crus eius dextrum ex toto confregit. Qui gemens cum lacrymis ait contra sanctum Dei murmurando: *Ut quid, pater, me duxisti ad montis istius praecipitium, ut me interficeres!* Cui sanctus pater ait: *Scio, fili mi dilecte, quod invite mecum iter hoc caepisti; et intra te ipsum murmurando mihi detraxisti. Ideo nunc reddita est tibi merces tua. Poenitere igitur et ora Deum, ut dimittat tibi offensam hanc, ut saneris.* Qui ait: *Adiuva, pater, infirmitatem meam, et remitte mihi, quod deliqui contra te: et cruciet me flagellum Dei, quantum libet.* Vir autem Dei, audita eius devotione, tetigit confractum os cruris eius, et ait: *Sanet te, frater, dominus Iesus Christus: et tu in nomine eius surge, ut ambulemus.* Qui surrexit ex toto sanus, et ultra profectus cum eo. Idem postmodum secutus est eum Hildeneshem, et mansit apud eum usque ad diem mortis suae.

8. Contigit quadam vice, ut sanctus Godehardus pertransiret oppidum Strauvigen dioecesis Ratisbonensis; et obviavit ei quaedam caeca mulier mendica, ostiatim quaerens panem, quae forsan equorum nitebatur declinare strepitum, et in lapide laedens pedem cecidit graviter nimis. Sanctus Godehardus autem, hoc viso subito descendit de equo, et accurrens, amplexando eam relevavit, et quantum potuit, luti sorditiem de mantello mulierculae tersit diligenter; et ait: *Quare cecidisti mater?* Et illa dixit: *Caeca sum, amice, et ideo offendicula viarum cavere non valeo nec possum devitare.* Sanctus autem pater sibi ex corde compatiens, ait: *O mi Deus meus, quot sunt in terra convitia et gravamina tui plasmatis! Bene ergo dicitur: Vae, vae, vae habitantibus in terra.* Et cum dixisset, lutum cum sputo miscuit more nostri Salvatoris, et linivit oculos eius dicens: *O domine Iesu Christe, qui in conspectu discipulorum tuorum lutum ex sputo fecisti, linivistique oculos caeci cuiusdam, et vidit; illumina etiam oculos huius pauperculae tuae, ut confiteatur nomini tuo, et glorietur in praedigna laude tua.* His sic actis et dictis, mulier caepit sanctum virum intueri, ceciditque ad pedes eius dicens: *Viderunt oculi mei salutare Dei.* Et prona osculabatur pedes eius; et ivit ad propria laudans Deum pro virtutibus et meritis sancti viri.

9. In civitate Ratisbona quodam tempore sanctus Godehardus morabatur pro negotio forsan sui monasterii: ubi quaedam obsessa a daemonio ad eum ducebatur, ut sanaretur ab eo. Quam vir Dei inspiciens, ait: *Responde mihi, immunde spiritus, ad ea quae a te quaero; quid hic agis in creatura Dei?* At daemon ait: *Pleno iure est anima ipsius mea, quod incantatrix est, et per eam multas animas lucratus sum.* Et ait vir sanctus: *Quare propter incantationem tua est?* Et daemon ait: *Nonne legisti, quia dominus pithones, divinos, et incantatores iussit exterminari? quid enim tales faciunt, nisi quod mihi meisque principibus deserviunt? Idololatrae enim sunt. Vix etiam aliquos tanto iure possidere possumus, quanto huiusmodi vitiis irretitos. Nunquid ignoras, quod inter mille incantatrices aut divinos vix una invenitur, quae vel qui velit hoc vitium confiteri? Sic enim ora ipsorum claudimus, ut de talibus loqui nihil valeant quovis modo.* Et ait vir sanctus: *Scio, quia magna est malitia tua et tuorum similium; nec tamen dubito, quod maior bonitas Dei est et clementia. Ergo, immunde spiritus, da honorem Deo, et recede ab hac creatura eius, ut redeat ad gratiam, quam tu ab ea abstulisti.* Et daemon ait: *Cur me in tantam agis violentiam? quid feci tibi? aut quid habes contra me?* Et ille ait: *Audi, proterve et immunde spiritus: In illa aeterna patria, de qua tu superbiens cecidisti, tanta mihi erit laetitia de bono communi, ut de meo proprio; imo et multo maior. Et ideo hic dolere convenit de malo alieno multo fortius, quam de malo proprio. Per hoc enim vitam aeternam promerebor. Habeo ergo contra te iustam causam, quod minus iuste possides et punis sororem meam, plasma Dei creatoris tui. Non enim, ut asseris, ago tibi violentiam; sed pro gloria Dei et amore plasmatis eius, pro quo unigenitus eius sanguinem suum fundens, amarissimam mortem sustinuit, contra te non pugil, sed victor gloriosus [decerto]. Ergo tibi praecipio, superbe et immunde spiritus, in nomine Iesu Christi recede ab ea; et non praesumas ammodo creaturam Dei molestare.* Et sic spiritus ille malignus abcessit: et mulier ut mortua cecidit. Sed vir sanctus subito eam erexit; recta vero publice vitium incantationis, quod dudum multoties perfecerat, cum lacrymis est confessa, quam et vir sanctus absolvit virtute passionis Iesu Christi.

10. In civitate Patavia erat quidam civis dives valde, qui habuit filium, quem tenerrime dilexit; qui puer adeo hebes erat, ut in tribus annis non potuit efficere, ut disceret minus alphabetum. Unde pater eius sanctum Godehardum adiit, retulitque ei duritiam cordis filii sui, petens obnixius, ut pro eo suppliciter orare dignaretur, quatenus Deus omnipotens eum illuminare dignaretur. Sanctus vero Godehardus, vocato ad se puero, super eum legit quae sequuntur: *Omnis sapientia a domino Deo est,* cum collecta: *Deus qui per coaeternam tibi sapientiam hominem, cum non esset, condidisti* etc. et addidit: *Vade, fili, et ille magistrorum optimus, qui subito docuit apostolos, te instruat, et in via recta ad agnitionem perducat clariorem.* Qui puer ita mutatus est, ut in brevi tempore omnes suos consanguineos et omnes sibi coaetaneos, imo seniores atque doctiores se, sapientiae plenitudine anteiret; qui po-

stea propter intellectus et sapientiae profunditatem in episcopum Pataviensem est electus atque ordinatus; unde sibi et subditis pro animarum salute instantissime laboravit.

11. Sequens miraculum factum est, cum esset episcopus. Accidit, ut sanctus praesul Godehardus quosdam de suis subditis ob eorum rebellionem post monitiones consuetas excommunicaret; quorum aliqui malitiae suae veneno excitati, ipso celebrante, ecclesiam intraverunt arroganter et proterve. Quo cognito, se divertit ab altari dicens: *Praecipio vobis omnibus, qui estis excommunicati, in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae, ut exeatis de ecclesia.* Rebelles autem et excommunicati hoc praeceptum non curantes, perstiterunt, remanentes in ecclesia. Sed quidam de mortuis qui multis annis quieverant in monumentis, qui et forsan, ignorantibus eis qui eos sepelierunt, in excommunicatione sepulti fuerant, surrexerunt et de ecclesia exierunt. Quod videntes illi rebelles, erubuerunt, et post mortuos exierunt. Sanctus autem praesul, finita missa, ad eos exiens dixit: *Audite, rebelles et increduli; et videte iustum Dei iudicium contra vos. Ecce mortui Deo in suo vicario obediunt, vos autem superbo referti spiritu, obedire contempsistis. Surgent igitur mortui isti contra vos in iudicio, et sententiam damnationis allegabunt contra vos, nisi plenam et condignam poenitentiam egeritis.* Et his dictis, convertit se ad mortuos dicens: *Ego vos, fratres, auctoritate domini nostri Iesu Christi, absolvo a sententia excommunicationis, qua huc usque fueratis innodati, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen. Ite, revertimini ad loca vestra, et in pace requiescite, adventum Iudicis praestolantes.* Mortui autem, inclinatis capitibus et iunctis manibus, quasi gratias agentes, ad loca sua remeaverunt, et quieverunt.

VERSUS IN LAUDEM SANCTI GODEHARDI.

In cod. Sancti Laurentii Leodiensis, nunc Bruxell. 8883—8894 *membr. saec. XIII. a pluribus scripto inter multa alia carmina Marbodi et aliorum inveni legitur hoc carmen inscriptione non distinctum:*

Cuncta suis donis refovens qui cuncta creavit
Christus dilectos sibi sanctos glorificavit,
Saxonieque decus Godehardum mirificavit,
Huncque sacerdotem statuendo beatificavit.
Hunc in plebe sua dans crescere, magnificavit
Coram principibus summis et honorificavit;
Sublatumque dehinc terris super astra locavit.
Ipse perornavit tempus, quo pontificavit;
Ipse suam terram vel sedem nobilitavit,
Ipseque moribus, ore vel actibus amplificavit
Ecclesiam renovans propriam, quam semper amavit,
Et pausantibus hanc sacer ossibus inde dicavit.
Gentibus ergo petentibus hic medicatur,
A regionibus advenientibus auxiliatur,
Plurima, maxima signa benigna ferens operatur.
Divite, paupere, milite, rege simul veneratur,
Pestis et hostis, terror et error ibi superatur;
Pernities, tumor et rabies sedata fugatur,
Cecus lumine, mutus famine quo reparatur.
Indiga, confuga, naufraga, plebs vaga letificatur;
Frigida, torrida, morbida, lurida salvificatur;
Surdaque claudaque curvaque mancaque si qua gravatur,
Auditu, pedibus, gestu, manibus reparatur.
Namque *bonum firmum* quia nomine teste vocatur,
Iure quod infirmum fuerit, per eum solidatur.
O Godeharde pater, non tarde iuvare, precatur
Gens tibi subdita, plebs tibi credita, ne paciatur
Ulla pericula, tam tibi sedula quae famulatur.
Haec sit ut extera, quam tua dextera ferre putatur
Porta, conforta, rege, protege, ne noceatur.
Corpora, pectora, tempora laeta sed experiatur.
Erige, corrige, labile, flebile ne moriatur,
Effice sed prece vita petita sibi tribuatur,
Sicque beata soloque poloque Deoque fruatur.

VITA STEPHANI REGIS UNGARIAE.

EDIDIT D. W. WATTENBACH PH. D.

Post cladem ab Ottone I. acceptam gens Ungarica de pristina feritate aliquantum remittens, captivis suis et subiectis christianae religionis cultum permisit primo, deinde ipsa ab illis didicit. Mox cum clericis et monachis alienigenis litterae quoque in novo regno sedem invenerunt. Superest Stephani primi regis edictum, et tractatus de morum institutione ipso auctore in Emerici filii gratiam conscriptus. Maurus episcopus per eum ecclesiae Quinqueecclesiensi praelatus vitam Zoerardi sive Andreae et Benedicti composuit. Sed mutatam subito rei publicae formam post mortem primi regis bella intestina secuta sunt, et medias inter turbas scribendi otium defuit. Verum exorta inter Heinricum IV. et ecclesiam Romanam simultate, quum pars Ungarorum cum Salomone rege imperatoris partibus faveret, altera summo mentis ardore pontifici Romano adhaesit, frequentibus monitis ab eo ad impugnandos hostes excitata. Tunc etiam martyrum Gerhardi episcopi et aliorum nec non Stephani primi regis eiusdemque apostoli Ungarorum memoria renovata est, praeceptoque Romanae sedis corpora eorum a. 1083 *sollemniter sunt elevata*[1]*. Nec segnes erant scriptores pontificii in commemorandis miraculis, quibus sepulchrum eius illustrari ferebatur, Bernoldus Constantiensis ipso hoc anno*[2]*, et non multo post Divione in Burgundia Hugo, qui deinde abbatiae Flaviniacensi praelatus est*[3]*. Post cultum publicum regi decretum legenda opus erat; sed pro una statim ab initio duplex scripta esse videtur. Ea enim legenda, quam in magno illo Passionali Austriaco invenimus, ex duabus conflata est*[4]*, quarum posterior brevior est et integra, stilo simplici conscripta. Praemissa est altera, sed fine truncata. Hartvicus autem quum integram eam receperit, extrema quoque servavit, ubi pariter mentio fit elevationis a.* 1083 *celebratae. Dubium movet, quod Hartvicus et alibi quaedam de suo inseruit, et nulla suppetit norma, qua in extrema hac portione ad genuina discernenda uti possimus, nisi id tantum, quod versus finem auctor fratres alloquitur, quum Hartvicus Colomanno regi librum suum inscripserit*[5]*. Neque vero ullum apparet vestigium quo maiorem hanc legendam*

1) 1083. *In carcere missus (Salomon), et dominus rex Stephanus et Henricus filius eius et Gerardus episcopus revelantur, et Salomon rex fugit.* Annales Posonienses. Romanae sedis auctoritas in vita Stephani maiore cap. 20, in vita Ladizlai cap. 6. et in vita Gerhardi Chanadiensis episcopi c. 22. commemoratur. 2) Mon. SS. V, 438. *His temporibus piae memoriae Stephanus quondam rex Ungarorum, qui se ipsum cum sua gente ad fidem Christi convertit, post quadragesimum obitus sui annum miraculis claruit.* 3) Mon. SS. VIII, 392. Chron. II, 16. 4) quod primus vir ingeniosissimus b. m. Endlicher animadvertit. 5) Accedit quod in omnibus Hartvici codicibus in elevationis historia

minore antiquiorem aestimemus; immo potius recentior paullo apparet, utpote ornatior, et ipsa illa uberior elevationis historia in causa fuisse videtur, ut nihil hic Hartvicus pro more suo ex minore reciperet.

*Scilicet rex Colomannus (*1095—1114*) Hartvico cuidam vel Cartuico episcopo mandavit, ut novam primi regis historiam conderet. En prologum operis, qui huius rei certiores nos facit:*

INCIPIT VITA SANCTI STEPHANI REGIS UNGARORUM ET APOSTOLI EORUM[a].

Domino[b] suo[c] Colomanno regi precellentissimo Hartuicus[d] episcopus officium spirituale per misericordiam Dei consecutus, post istius vitae terminum felix illud euge sempiternum. Incepturus opus, domine mi, rex inclite, quod michi vestro regali precepto de vita beati regis Stephani potentialiter iniuncxistis[e], diu rebellem ingenioli mei perpessus sum inscitiam[f], ob hoc presertim quod Priscianus auctor[g] artis grammaticae, medullitus michi notus[h] olim, longe digressus faciem suam quasi caligine quadam circumfluam michi decrepito iam facit obscurissimam[i]. Verumtamen parte ex alia dum vestrae dignitatis[k] intuitus reverentiam[l] incerta gravarer[m] meditatione, tandem omnium virtutum lux et gemma dubietatem anxiae mentis devicit obedientia, cuius forti presidio deficere volens in me vires inchoandi operis recepit fiducia. Sed quoniam saepe[n] fiducialiter acta res invidiae[o] fomitem generat, precor genibus flexis vestrae triumphalis excellentiae sublimitatem, ut manibus regalis defensionis hoc suscipiatis opusculum, nę male sonantium positio dictionum vel confusi ordinis enormitas vestrum cum legeritis[p] offendat oculum. Cui si forsitan aliquod[q] indignum occurrerit offendiculum, malo codicem ut ignis comminuat incendium, quam ad tertium[r] livore[s] plenum[t] perveniat oculum. Igitur quia boni quicquid est, ex[u] Conditoris misericordia manat, ex ipsius dono sermo ceptus talia personat.

Hunc igitur Hartvicum, qui certę nullo indicio Ungarum se fuisse significat[6]*, Iosephus Podhradczky coniectura haud improbabili episcopum Ratisponensem fuisse statuit, Engelberti marchionis Istriae filium, ex domo comitum de Sponheim et Ortenburg*[7]*, qui annis* 1106—1126 *episcopatu functus est. Tempora bene conveniunt, et locorum vicinia consuetudini cum Colomanno ansam dare potuit. Hartvicum enim ante susceptum episcopatum Iuvavensis ecclesiae praepositum fuisse, V. C. Neugart demonstravit, et multa tunc inter partis pontificiae asseclas in Ungaria atque in provincia Salisburgensi commercia fuisse, non est quod ambigamus. Sed Hartvicus ille, quisquis fuerit, in eo tantum operam suam collocavit, ut vitae maiori lacinias quasdam ex altera repetitas intersereret, adderetque miracula aliqua et imprimis locum celeberrimum de corona a Silvestro II regi missa, de qua nihil in vita minore et pauca tantum in maiore dicta sunt. Primam in hisce additamentis ecclesiae Colocensis mentionem invenimus, quąe non sine causa facta esse videtur, quum non multo post ea dignitatem archiepiscopalem consecuta sit. Vera esse quae de sede Colocensi*

a) *ea est inscriptio codicis* 2. Beati Stephani primi regis et apostoli Ungarorum *cod. Bruxellensis.* b) Domno 2. 3. c) sancto *cod. Brux.* d) Cartuicus 2. Cartuicius 3. Carthuitus *cod. Brux. et ed.* a. 1511. Chartuitius *Sur.* e) iniunxisti 2. 3. f) inscientiam 3. g) actor 3. h) med. ignotus 3. i) obscurissima 2. k) dignitati 1. l) reuerentia 3. m) grauaret 2. n) *deest* 3. o) mundicie 3. p) legeretis 2. q) aliquid 1. 3. r) uestrum 1. certum 3. s) laudis 3. t) plenus 1. u) *deest* 2.

Ladizlaus scribitur, sed in unius miraculi relatione c. 24: *Wladizlaus*, quem ipsius Hartvici tamquam Sclavorum dialectis assueti morem fuisse existimes, nisi verba illa, quae in solo codice 1. inveniuntur, ab alieno quopiam inserta sunt. 6) Verba illa cap. 25: *innumeris sapientibus, quos Hungaria fovet et amplectitur, stilo declarandam commendavi*: ea utrum Hartvico an vitae maioris auctori tribuenda sint, non liquet. Etiam quae cap. 11. de Ungarorum erga sanctam Mariam veneratione dicuntur, auctorem peregrinum ostendunt. 7) Annales Hildesh. a. 1104. De eo videndus Tr. Neugart, Historia monasterii ad Sanctum Paulum p. 37; cf. Archiv für Geschichte von Kärnten I, 82. Sed cognatio cum regibus Ungariae, quam Podhradczkyus exponit, errore nititur; Udalricus enim ille de Wimare, a. 1058—1070 dux Carinthiae, cui Sophia, Belae I filia, nupsit, Ortenburgios nullo modo attingit.

proferuntur, persuadere mihi non possum, quum nullum eis eius temporis monumentum suffragetur; sed Hartvicus quae a clericis Colocensibus audierat, sine dolo malo referre potuit. Etsi in eo quoque fidei non satis candidae arguitur, quod utriusque vitae brevi tempore ante conscriptae nusquam vel obiter meminit, quum de suo paucissima tantum dederit, et plerumque ne verba quidem et stilum illarum mutaverit. Ipse enim, siquidem Ratisponensis episcopus fuit, scripsit intra annos 1106 *et* 1114*; anonymi autem quos exscripsit, iam eodem Colomanno regnante, Stephani regis vitam ediderunt*[8].

Verumtamen ne Hartvicum nostrum temere tanti plagii reum proclamemus, quid obstat quominus vitam, quam maiorem dicimus, eidem auctori tribuamus? Eam postea vel ipse Hartvicus vel alius quispiam emendaverit, auxerit cognitaque vita minore interpolaverit[9]. *Fieri certe potuit, et exemplaria nostra manavisse ex codice, in quo additamenta illa in margine scripta, alia deleta erant, manifestum est; nam modo haec modo illa in aliis desiderantur.*

Utut est, Hartvici vita, qualis nunc legitur, mox sola in Ungaria legebatur, et tum ab ipsis regibus in privilegiis commemoratur, tum a scriptoribus in usum versa est, ab interpolatore chronicarum Polonorum quae Martino Gallo olim attributae sunt[10], *ab auctore chronicae mixtae Ungarorum et Polonorum*[11], *a chronicorum Ungariae compilatoribus inde ab auctore chronici picturati anno* 1358. *Sed Podhradczkyus p. XXV. monuit, etiam alium quendam librum sub nomine Legendae sancti regis Stephani venisse, in quo iura et servitia debita singulorum regnicolarum scripta erant*[12]; *hunc autem dudum periisse, merito lamentatur.*

Typis vulgatus est a Pelbarto de Temesvar in Pomerio sermonum de Sanctis a. 1489 *sermo quidam de sancto Stephano; deinde Venetiis a.* 1498 *ipsa vita Hartviciana prodiit in libro dicto:* Legende Sanctorum regni Hungarie in Lombardica historia non contente, *in quarto*[13]. *Eaedem repetitae sunt cum Dlugossi vita sancti Stanislai, Cracoviae* 1511 *in quarto. Sed vitam Hartvicianam mutato stilo a.* 1573 *edidit Surius IV,* 856, *quae deinde plus semel repetita est. Eandem genuino auctoris sermone a.* 1746 *Io. Stiltingus ex ed.* 1511 *dedit in Actis SS. Sept. I,* 456 *cum peramplo commentario. Haec editio recusa est Iaurini* 1747, *Cassoviae* 1767. *Variae lectiones aliquot a Stiltingo adiectae sunt ex cod. Corsendoncano admodum mendoso et praefatione carente; codicis vero Mellicensis apographum, quod habuit, editione indignum arbitratus est. At a.* 1781 *Antonius Mancini ex eodem codice vitam maiorem et minorem edidit Posonii; sed duorum auctorum opus se typis mandavisse non animadvertit. Deinde Iosephus Podhradczky Budae* 1836 *in oct. dedit vitam Hartvicianam ex codice Francofurtano, correctioris exempli publicatione bene meri-*

8) *Ladisclavo piae memoriae rege.* Vita min. c. 8. *rex Ladizlaus qui tunc rem publicam administrabat.* Vita maior c. 20. Quae ab Hartvico addita esse possunt; verum ut supra dixi, vita minor potius prior quam posterior maiore esse videtur; certe auctori eius vita maior non innotuerat. 9) Adest exemplum Chronicae mixtae Ungarorum et Polonorum, cuius auctor eodem modo Hartvici prologum operi suo adaptavit. 10) in codice Heilsbergensi, ex quo a. 1749 primum editae sunt. 11) quam post Kownackium (Varsoviae 1823) edidit Lad. Endlicher, Mon. Arpad. p. 60; cf. Mon. SS. IX, 421. 12) Allegat ex codice diplomatico V. C. Georgii Fejer VII, 1. 108. litteras Ludowici regis a. 1349, quibus capitulo ecclesiae Albensis mandat, *quatenus in Legenda sancti regis Stephani hoc, in quantis locis in regno nostro nobiles iobagiones et populi castri Craco vocati residentiam facere debent, et in quali libertate existunt, requirere debeatis.* Respondet capitulum, quod Karolus rex, pater Ludowici, *dictam Legendam ad scitum omnium nostrorum tempore Iohannis quondam custodis de sacristia interiori excipiendo ad Wysegrad fecit deportari; ideo eadem requirere non valuimus.* 13) Hanc editionem non vidi, sed quae sequitur editio eius tantum repetitio esse videtur, quantum ex titulo praefixo iudicare licet.

tus, sed errore deceptus, quum eam pro originali, codicem Mellicensem pro epitome haberet. Novissime V. C. Endlicher Sangalli 1848 *in Monumentis Rerum Hungaricarum Arpadianis vitam maiorem et minorem ex codice Sancrucensi, Hartvicianam e Francofurtano edidit.*

Novae huius editionis subsidia haec fuerunt

A *Anonymorum*

1) *Codex Sanctae Crucis in Austria Nr.* 13. *tertium scilicet magni Passionalis volumen. Hic etiamsi omnium antiquissimus est, nam intra annos* 1181 *et* 1200 *scriptus esse videtur, mendis non caret, praesertim in vita maiore, cuius exemplar non modo in fine truncatum, verum etiam hic illic, et maxime versus finem, vitiatum ei, qui utramque vitam primus copulavit, suppeditavit. Sed haec facili negotio Hartvici ope sanari possunt.*

2) *Codex Mellicensis* M 6 *saec. XV, eiusdem Passionalis volumen, ex quo A. Mancini vitam edidit. Verum quum hunc codicem ipse non contulerim, Mancinianam autem editionem rarissimam nunc habere non possim, solam vitam minorem ope variarum lectionum, quas olim enotavi, passim emendavi. Quod in maiore, ubi Hartvicus praesto est, minus necessarium erat.*

Codex Campililiensis (Archiv VI, 185.*) exempli Sancrucensis apographum esse creditur.*

B *vitae Hartvicianae*

1) *Codex Francofurtanus Sancti Bartholomaei*[14], *nunc Musei Pesthinensis, membr. in quarto, quem scripturae specimen a Podhradczkyo editioni suae insertum saeculi XIII. incipientis esse ostendit. Codicem ipsum non contuli, sed benignitate V. D. Frid. Firnhaber de quibusdam dubiae lectionis locis certior factus sum.*

2) *Codex Runensis*[15] *Nr.* 69. *saec. XIII. Vitam Stephani regis vita Heinrici sive Emerici filii ipsius excipit.*

3) *Codex Lunaelacensis in fol.* 186. *iam bibl. caesareae* 3663. *(Archiv X,* 495.*) chart. saec. XV; vitae Emerici, Gerhardi, Ladizlai cum Stephani regis vita coniunctae sunt. Multa ibi mutata sunt, quorum mole, quum nullius pretii sint, hanc editionem onerare nolui.*

4) *Codex Vindobonensis* 832. *olim Theol.* 529. *(Archiv X,* 568.*) chart. saec. XV. satis mendosus. Praefatio deest, et in fine folium unum alterumve deperiit. Vita ordine perverso in lectiones distributa est.*

In codice Mellicensi M 5. *legendae Stephani, Emerici, Ladizlai, Gerhardi scriptae fuerunt, sed dudum desiderantur*[16].

Codex Bruxellensis 982. *chart. saec. XV. exeuntis*[17] *non collatus est.*

His igitur codicibus usi Anonymorum vitas hic proponimus, priore loco minorem, cuius auctor in prologo ea se narrare ait, quae a fidelibus auditu didicit, relatione tunc temporis viventum. *Deinde maiorem cum variis lectionibus vitae Hartvicianae et eiusdem additamentis in ima pagina expressis. Extremam partem ex solo Hartvico haurire potuimus, ubi quid genuinum, quid ab illo additum sit, incertum manet. Adnotationem parca manu adspersimus; nam certa de rebus gravissimis tum demum proferre licebit, quum diplomata omnia Stephano attributa summo criticae artis acumine discussa erunt. Ceterum vitas Zoerardi et Benedicti, Emerici, Gerhardi, Ladizlai, quae a proposito nostro alienae sunt, scriptoribus Ungaricis denuo edendas et explicandas relinquere melius visum est.*

14) Archiv II, 210. 15) Archiv X, 626. 16) Archiv X, 651. 17) Archiv VII, 408. VIII, 489.

STEPHANI REGIS UNGARIAE VITA MINOR.

Cum intelligamus sanctorum merita in libro vitae ascripta, et memoriale eorum coram Domino in saecula, vere saluberrimum asserimus aliquid in exemplum de vita et actibus bonorum ad successorum propaginem[a] *scriptis emanasse. Ipsi fideliter pro Christo certaverunt, et feliciter* Rom. 8, 17. *pro certamine coronati sunt; nos si laboris eorum imitatores efficiamur, sicut Paulus dicit,* 5 *heredes quidem Dei erimus, coheredes autem Christi. Martyrum agonibus mater cottidie ecclesia coronatur, confessorum fidelibus lucris reparatur, tantisque perornata fulgoribus circa volubilem orbis axem splendescit. Multa eorum gloriosa*[b] *certamina mundus olim habuit, quae* Horat. Od. IV, 9, 28. *vetustate temporum clausa, fidelium memoriae non sunt commendata, quia vate*[c] *sacro caruerunt. Sed de antiquis quae iam comprehendi nequeunt omittentes, scimus enim quoniam laus* 10 *eorum ante Deum in*[d] *sempiternum non veterascet, ad ea quibus sermo texitur veniamus. Sanctissimi confessoris Stephani, inclyti videlicet Pannoniarum regis, vitam actusque sicut fideli et veraci relatione tunc temporis viventum*[e] *accepimus, dignum et honorificum duximus posteritati transmittere. Nec doctas compositasque gramaticorum lineas, aut phylosophorum interpretationes*[f] *seu sophystica acumina imitamur, quia stultum est in altum navigare, si non pos-* 15 *sit ad portum transmeare. Illi ista autumant, qui secundum poeticas fabulas Pegasio fonte potati sunt, qui se somniasse inter sacra Parnasi gloriantur. Horum sapientia ex vanitate in vanitatem evanuit, et ex ea nichil fructus ad profectum sui capientes, stulti facti sunt. Vos autem intelligentes, quod scriptoris ab ore sonat, pusillanimitati eius cedite, quia quod a fidelibus auditu didicit, recitat. Certe non aequum onus viribus suis considerat, cum prorsus ca-* 20 *reat lucida facundia et bene capaci intellectu. Praesertim veretur super aemulatorum morsibus, qui sua negligenter componentes aliorum scripta laniant. Ergo licet autenticas librorum scripturas revolvatis, tamen haec breviora legite; et si quid abnorme, si minus disertum sermonem inveneritis, rusticitati eius parcite.*

1. Itaque cum diu barbarica gens Hungarorum errore infidelitatis suae teneretur, et ritu 25 gentilium vanas sacrilegasque superstitiones sequeretur, placuit misericordiae Salvatoris Dei, finem peccatis eorum ponere, ut cessante diabolica illusione, saltem reliquiae gentis huius salvarentur. Nam quasi lumen de tenebris beatissimum regem Stephanum suscitavit, quem iuxta catholicae fidei veritatem eruditum ad praeparandum sibi populum acceptabilem disposuit. Hic[g] Strigoniensi oppido nativitatis exordium habuit, et puer adhuc scientia gra- 30 maticae artis adplene[h] imbutus est. Pater eius rex quidem, sed primum gentilis fuit. Postea illustrante Spiritus sancti gloria vitae et viae lumen agnovit, euangelicamque[i] institutionem secutus ad imaginem veritatis pervenit. Intantum[k] autem divinis conspectibus se probabilem reddidit, ut omnes militiae suae comites ad veri Dei culturam converteret; quos vero alienae viae sectatores repperit, minis terroribusque subiugavit. Qui cum iam senesceret, resolutio- 35 nemque sui corporis inminere sentiret, filio arce regni sublimando uxorem nobilissimam ex 17 latissima Romanorum imperatorum prosapia derivatam duxit[17]. Interea rex christiani no- 997. minis amator debitum solvens naturae concessit, qui ut credimus per confessionem Deitatis 18 gloriam aeternae felicitatis consecutus est[18].

2. Post[l] cuius obitum Stephanus adhuc puer[m] favore principum et plebis in regni[n] 40 solium laudabiliter provectus, ardentiori animo veritatis coepit propagator existere; quia quamvis pueritiae[o] annis floreret, non tamen cor in ore, sed os habebat in corde. Scripturarum divinarum quibus adprime[p] flagrabat non immemor, iudicium et iustitiam ante[q] oculos Prov. 1, 5. proponebat, iuxta illud Salemonis: *Audiens sapiens*[r] *sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit.* Non proponebat ante oculos[s] rem iniustam facientes et consentientes, sed in 45

a) progeniem 2. b) gloriose 1. 2. c) uane *uterque.* d) *deest* 2. e) inuentum *uterque.* f) interpretatorum *uterque.* g) Strig. vero oppido — est *apud Hartv. c.* 5. h) ad plenum B 3. i) que *deest* 1. k) Interim *codd. quod ita emendandum esse docet Hartv. c.* 7. *ubi hanc sententiam recepit, sed Stephano regi vindicavit.* l) Post — possidebit *apud Hartv. c.* 6. m) adolescens B. n) patris B. o) adolescencie B. p) adprimum 1. q) in oculis B. r) disciplinam *addit* B. s) o. tuos r. 2. 50

17) Giselam, Ottonis I imperatoris proneptem, filiam Heinrici II ducis Bawariae. De tempore nihil constat, nisi quod noster hic vivente patre nuptias factas esse indicat, etsi Stephanum adhuc puerum fuisse, ipse declarat. 18) Annum vita maior indicat. Sed Annales Posonienses (Endlicher SS. Arpad. p. 55) ad a. 998, anno scil. post mortem sancti Adalberti, haec verba praebent: *Geyza princeps Ungarorum obiit.* 55

omnibus mandatis Dei fidelis dispensator existens, apud se coepit meditari, ut si populum iam pridem baptismatis consecratione renatum absque disciplina dimitteret, facile post errorem vanitatis suae iterum converteretur. Hunc[a] secundum ecclesiasticam doctrinam instituens, iugum et legem disciplinae suppositis cervicibus adhibuit, omnesque inmunditias malorum prorsus destruxit.

3. Quidam vero nobilium, quibus luxus et desidia cordis inerat, videntes quod assueta coacti reliquissent, diabolico instinctu iudicia regis contempserunt, et ad priores voluntatis[b] suae usus animum reducentes, contra eum arma movebant. Coeperunt[c] autem urbes eius desolari, praedia vastare[d], possessiones depraedari, servos caedere, et ut cetera sileam, regi insultare. Cumque declinare nollent a[e] via sua perversa, nec furor eorum satiaretur, rex[f] ipse confidens de aeterna virtute ad superandum[g] hostium rabiem cum multitudine exercitus sui processit. Illis forte diebus urbem, quae vulgo[h] Besprem[i] nuncupatur, obsederant, hoc[k] ad convitia[l] eius commoventes, scilicet ut ubi regalis[m] accessus et conversatio habebatur, ibi consederent, quo facilior ingressus ad alia praesidia[n] occupanda inveniretur[o]. Rex[p] divina praeeunte clementia adversus eos consurrexit, et hii[q] in fide, illi vero tantum in armis confidentes, utrimque[r] decertaverunt. Tandem hostibus victis et ex parte caesis, ex parte captis et[s] alligatis, rex[t] victor cum suis victoriae signa[u] reportavit. Praeterea[v] de possessionibus eorum tam in agris quam in villis sapienter diiudicavit, non sicut quondam Saul, qui devicto Amalech de spoliis eius Domino prohibente meliora elegerat. Ex[w] omnibus enim nichil ad opus sui reservavit, sed abiens sancto confessori Martyno consecravit, in cuius honore etiam basilicam construxit[19]. Illos autem et posteros eorum usque in praesentem diem servos ecclesiae instituit. Postea inpetratione optimatum suorum consilium cepit, ut tantum decimas ex his quae possidebant darent, ne afflicti disperderentur a[x] terra.

4. Subiugatis persequentium se tumultibus, et confirmato in pace regni solio, coepit sanctae religionis magis et magis aemulator existere, omnesque in Christo pie viventes diligere. Celebritas prudentiae suae apud filios hominum in maxima reverentia habebatur. Crescebat cottidie ecclesia fidelium, et multi ex diversis mundi partibus, audientes de doctrina eius confluebant. Dum longe lateque sancti Dei cultores multiplicarentur, rex ut erat arcius bonis operibus intentus, statuit atria sanctae matris ecclesiae ampliare[y], quod et devotissime implevit. Nam sub titulo sanctae Mariae gloriosae virginis in Alba civitate, quae ob specialitatem nobilitatis suae nomen accepit[20], templum instauravit, ubi inter plurima distincto[z] gemmarum colore perornata phylacteria primo ex purissimo auro fabricata in opus sanctuarii intulit. Inde ex universis pertinentibus sibi tam in agris quam in vineis partem in oblationem dedit, et officia clericorum illic Domino famulantium instituit. Percipiensque laboriosum fidelibus esse, si illuc ab exterioribus locis ad missarum sollempnia confluerent, iussit ut decem villarum populus ecclesiam aedificaret, ad cuius diocesim pertineret, ne taedio affectus minus religionis suae officium curaret[21]. Quibus secundum vitae meritum episcopos et sacerdotes praefecit, ut auctoritate apostolicae traditionis erudirentur. Nec multo post alias se convertit, corroboratus voce Domini dicentis: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificetur pater vester, qui in caelis est,* (Matth. 5,16.) et quosdam familiarium suorum Romam adire delegit, commendans facultates multas nimis, ut ibi in honore prothomartyris Stephani ecclesia fundari deberet. Quod et ita factum est[22]. Post haec divisit alia quibus adquirerentur domus, villae, possessiones et cetera talia, quae ad sumptus ministrorum ecclesiae pertinent. Et[*] singulis annis quamdiu advixit, munera et oblationes superaugebat[a], ne aliquid extrinsecus quaererent, qui officio sanctuarii praeerant. Ierosolimis etiam in monasterio, quod construxerat, monialium conversationem destinavit[23]. Quibus simili disposi-

a) Nunc 1. ipsosque B. *ubi haec sententia in fine cap. 7. posita est.* b) voluptatis 2. c) *sequentem narrationem Hartvicus frustatim ex utraque legenda composuit.* d) uastari B 2. e) de B. f) dux B. g) superandam B. h) *deest* 2. i) hesprem B 2. uesprem B 3. 4. k) hec 2. B 4. l) uitia 1. m) acc. reg. 1. ducalis acc. conv. B. n) predia B 4. o) inuenirent B 3. p) ipse uero B. q) hic B. r) utrique B 3. s) et all. *desunt* B 2. t) dux B. u) dona B. v) quapropter B. w) nichil ex rebus eorum B. *inserta antea vitae maioris lacinia; sequentia ibi partim omissa, partim mutata sunt.* x) e 2. y) amplificare 2. z) distincta 1. *) Et — preerant *apud Hartvicum c.* 10. a) semper augebat 1. B 4.

19) Est coenobium sancti Martini in sacro monte Pannoniae, e meridie urbis Iaurinae. Extat privilegium eidem a. 1001 concessum, spurium ni fallor. Dux seditionis a Simone de Keza et posterioribus Cuppan, i. e. suppanus, appellatur. 20) scil. Alba regalis, Stuhlweissenburg. 21) Cf. edictum sancti Stephani II, 1. 22) V. infra vitam maiorem cap. 12. 23) In vita maiore cap. 12. monachorum coenobium vocatur. Nihil praeterea de hac fundatione compertum habemus.

tione necessaria praeparavit. O vere felicem Stephanum, qui ut aeternam mansionem aedificatam haberet in caelis, se ipsum Domino habitaculum praeparabat in terris.

5. Sancta Dei ecclesia in pace collocata, et ex Romana auctoritate iuste ordinata, gens Bissenorum[24] longe a fide aliena, et quasi beluina stultitia carens intellectu, patriae eius confinia demoliri aggressa est. Rex vero illos ante dies in remotis partibus venatui insistebat, ut saltim post multas curas, quibus opprimebantur, aliquantisper infirma membra laxarentur. Cum ergo circa mediam horam diei sopori indulgeret, per voluntatem Dei, qui ea quae futura sunt spiritu visionis suae manifesta et cognita fidelibus suis[a] ostendit, videbatur[b] astantibus praesentialiter inimicis patriae loqui, et quasi eos terrendo proferre: *Cur vana vestra cohorte claustra sanctae ecclesiae irrumpere vultis? cur gregem pastoris magni et ovilia eius desolari venistis? Recedite, recedite, quia impetravi ab imperatore meo virum defensorem et ducem, meum scilicet Martynum, qui non patietur morsibus vestris pascua iustorum lacerari.* Evigilansque alacri vultu qui sua proferret nuntia adesse mandavit. Cui assistenti: *Non meae*, inquit, *legationis causas explere poteris, sed alius qui fidelior inveniatur accedat.* Praesentatum vero eisdem verbis redire praecepit. Ammoto[c] et tertio: *Perge*, ait, *adire, festina propere, et mea tollens mandata, dic tribuno plebis in ulterioribus moranti, ut se provideat*[d], *viros ad pugnam eligat, hostium cuneos in me bellum moventes propellat.* Ascendit ille, velociter ad locum pervolavit, quod acceperat indicavit, idemque diligenter factum est. Iam hostis propius aderat, iam moenia urbis vallaverat, cum[e] inopina incursio est, tribunus cum copiis suis illum invaderet. Tunc utrinque decertatum est. Isti protectione Dei roborati accinguntur, illi amentia sua obligati discinguntur. Postremo terga fugae dederunt, plures autem[f] corruerunt, plures eorum in captivitatem ducti sunt. Caede peracta, is qui venerat, ad regem regreditur ut nuntiaret ei. Rex audito eventu belli grates habuit Omnipotenti, qui victoriam fidelibus suis dedit ex inimicis. Nimirum credimus superna pietate illum visitari, qui ne circumdaretur ab inimicis, liberatorem de caelis habere meruit, ut praecederet et custodiret eum. Sicut enim Deus christum suum David quondam a facie Phylistinorum angelo suo protegente liberavit, ita et hunc de manu persequentium eripuit, educens et reducens in salvationem.

6. Fama[g] nominis sui in auribus[h] saecularium diffusa, et iudiciis oris sui celebri laude ubique innotescentibus, sexaginta viri Byssenorum[i], quorum superius mentionem habuimus, cum universo apparatu suo, videlicet auri et argenti copiositate multaque varietate ornamentorum, curribus onustis[k] partibus Bulgarorum egressi, ut[l] terminos Pannoniorum apprehendant. At multi servorum, quorum cereus[m] est animus flecti in vitium, malignitatis face succensi obviam illis exierunt; quosdam gladio percusserunt, quae[n] omnium eorum fuerant auferentes[o], vacuos et semineces reliquerunt. Illi iudicio regis quod[p] actum quodve[q] perpessi sunt reservantes, iter quod coeperant peregerunt, et ad eum usque properantes, genibus[r] se advolverunt. Quibus visis: *Quae causa*, inquit, *malorum? Mi domine*, referunt, *nos servi tui nichil mali machinantes, ad audiendam iudiciorum tuorum disciplinam veniebamus, et*[s] *quorundam manibus quam nobiscum ferebamus pecunia, absque delicto omnium nostrum ablata est. Insuper apprehensos*[t] *ceciderunt, et vita vix comite venimus, ut nuntiaremus tibi.* Rex, ut erat prudentioris animi, non vultu non verbis minatus est[u], sed sustinens ut scribitur: *Prudens spiritum reservat inposterum*, misit ocius ad illum, sub quo militabant, tribunum, et die constituto omnes perditionis illorum[v] viros iussit conspectibus suis praesentari. Actum est ut imperaverat, et ad discutiendum in praesentia sui statuti sunt. Quos alloquens: *Cur*, inquit, *legem praeceptorum Dei transgredientes, non intellexistis misericordiam, et viros innocentiae condemnastis? non*[w] *enim auditores legis, sed transgressores feriendi sunt. Sicut fecistis, ita faciet Dominus vobis coram me*[x]. Accepta sententia educti sunt, et per omnem regionem in[y] ingressu viarum duo et duo suspendio perierunt; per hoc denique volens in-

Prov. 29,11.

a) *deest* 1. b) videbat 1. c) amoto 1. d) prevideat 1. e) tum 2. f) eorum *hic ponit* 2. g) Fama — perierunt *apud Hartvicum cap.* 17. h) multarum gentium *inserit* B. i) Bessorum B 1. 2. 4. k) de *inserit* B. l) *deest* 1. ad regem venire volentes, terminis Pannoniorum appropinquaverant B. m) certum 2. cecus B 3. n) omnia que eorum f. B. o) afferentes 2. p) quid B. q) quidue 1. B. r) eius *inserit* B. s) de sociorum nostrorum *inserit* B 3. t) nos *inserunt* B 1. 2. illos 3. 4. u) eos *add.* B 1. 2. eis 3. 4. v) p. viros illos B 3. w) non — sunt *desunt* B. x) Transgressores enim legis feriendi sunt *add.* B. y) *deest* 1.

24) iidem qui et Bessi vocantur; a Patzinacis non diversi esse videntur, sed etiam Cumani Bessorum nomine designantur.

telligi, ut quicunque non acquiesceret iudicio iustitiae, quod a Domino proposuerat, sic fieret illi. Audierunt habitatores terrae iudicium, quod iudicasset rex, et timuerunt.

7. Post[a] non multum temporis aegrotationem incurrit, qua postmodum corpore decessit[b]; longaque[c] languoris molestia ingravescente, in pedibus stare nequibat. Videntes autem quatuor nobilissimi palatinorum diu graviterque laborantem, nam ipsi adhuc in perfidia cordis errabant, consilium iniquitatis duxerunt, occasumque eius in mortem conati sunt[d] tractare. Iam die advesperascente, antequam in domo lucerna accenderetur, unus eorum audaciter[e] sub obscuro ingressus est, et ad iugulum[f] ensem nudatum sub clamide tegebat. Dum pedem inhiberet, ubi rex quiescebat, revera caelesti inpulsu gladius corruit, percussusque in terram tinnitum reddidit. Statim[g] experrectus causam requisivit, et tamen quid fuisset praesciverat. Vir ille anxius obriguit[h], consilium furoris sui recognovit, doluit, accessit, procubuit, vestigia regis amplexatus est, se deliquisse fatebatur[i], sibi indulgere precabatur. Veniam quaerentem non avertit, facinus facile dimisit, idemque[k] iussus[l] traditionis conscios aperuit. Postera die praecepto regis homicidae illi inventi adducuntur[m], et adversus eos iudicia locutus est[n]. Ut autem reliquis essent in exemplum, et discerent dominos summo honore venerari, visu privavit, manus noxias abscidit, et qui iniustitia sua insidias iusto sanguini paraverant, iudicio iustitiae in malum vitae suae devenerunt.

8. Anno dominicae incarnationis 1038, indictione sexta, Heinrico[25] Romanorum augusto, anno autem imperii sui tricesimo octavo, 18. Kal. Septembris, obiit et in basilica virginis Mariae, quam precioso opere consummaverat, honorifice est sepultus. (1038. Aug. 15.) Multis igitur annorum cursu labentibus, seu propter exhabundantem populi malitiam, seu propter aliquam divisionem in ecclesia, thesaurus tantae pecuniae in terra latuit, et mortalium cognitioni occultus solius oculis Domini apparebat. Sed volens eius incomprehensibilis bonitas quanti esset apud Deum praemii revelare, dedit illi gloriam in conspectu hominum, clarescente miraculorum frequentia, et sicut laude et cantico sibi in caelis assistebat, ita eum laude et cantico suae ecclesiae digne memoriterque in terris decoravit. Nam sicut iubar novi luminis sanctitas eius in omnem circa regionem resplenduit, et tamquam suavitas odoriferi ungenti audientium corda replevit. Fluebant[o] omnes diversi languoris homines, qui antidoto pietatis suae attacti curabantur, et qui corruptionis plaga paene defecerant, insolidum astricti revertebantur. Praesidente in regni solio Ladisclavo piae memoriae rege, (1083.) episcopi et abbates et qui praeerant in regimine sanctae ecclesiae, animadvertentes sanctitatem eius signis testantibus, communi decreto triduani ieiunii indixerunt afflictionem, ipsique orationibus vacantes, visitationem supernae clementiae in plebem expectabant. Postea corda tollentes ad Deum, hymnorum vocibus resonaverunt[p] in confessione sui nominis, sicque venerunt ad locum, ubi sanctissimum corpus claudebatur. Quem solventes aperuerunt, tantaque odoris diffusio ascendit, quanta numquam circumstantibus apparuit, ac omnium, qui illuc occurrerant, membra languidorum curata sunt; caeci lumen, claudi plantarum soliditatem, leprosi mundam cutem, paralytici salutem, omnesque quacunque doloris tenebantur obsessione curam meruerunt. Assumpto inaestimabilis pretii pondere, omnipotenti Deo gratias egerunt, deferentesque in theca argentea signaverunt.

VITA MAIOR.

1. Omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est, descendens a patre luminum*; (Iac. 1, 17.) neque[q] enim[r] quippiam boni potest in rebus existentibus esse vel fieri absque

* *Hartvicus addit:* Huius patris datum optimum et donum perfectum in omnes large proveniens, quia nullum spernit, sed omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, ad Hungaros[s] usque, quos christianorum flagellum quondam fuisse constat, diffusum est.

a) *haec recepit Hartvicus cap.* 20. b) excessit B. c) longa 1. longa namque B 1. d) fuerunt B 1. 3. e) audacter B. f) iugulandum regem B. g) statimque rex audiens c. B. h) obruit 1. corruit B. i) confessus sibi indulgeri precatus est B. k) id est quia regis tr. B 4. l) iussu regis homicide B 1. 2. 3. m) adducti sunt B. n) locutus, digna eos multavit sententia B. *nec plura ex nostro Hartvicus recepit.* o) Fluebant — revertebantur *desunt* 1. p) resonuerunt 1. q) neque — retributionis *desunt* B 2. 3. 4. r) enim *et mox* existentibus esse *et* gratis *desunt* A. s) Ung. 2. 3. *const.*

25) imo Chuonrado; verum etiam anni imperii male computati sunt, nisi forte annos Stephani post coronationem regiam indicare voluit. Possis etiam ponere *XX. XVIII;* nam *XVIII.* ego inserui, quum certum sit illum in die assumptionis sanctae Mariae obiisse. Eodem die etiam Necrologio Altahensi inscriptus est.

beneficio gratis venientis miserationis Dei. Oculis quidem divinae providentiae, quibus sibi famulantium[a] caelestium virtutum statum[b] inconcussum secundum placitum suum intuetur, hisdem etiam hominis perditi restaurationem dignatus est[c] misericorditer contemplari et operari; ut quem imaginis suae dignitate creando decoraverat, paterni regni coheredem fieri per incarnationis suae sacramentum mirabiliter efficeret. Perfectis igitur in Redemptore nostro patriarcharum ac prophetarum oraculis, per virginem ineffabiliter nascendo, per crucis passionem ac mortis assumptionem, tertia die resurgendo, cum discipulis suis quadraginta diebus conversando, postquam ipsis cernentibus caelorum alta penetrans, Patris dexterae naturaliter et potentialiter est associatus, inde[d] Spiritum[e] sanctum paraclitum a Patre et a se procedentem in filios adoptionis mirabili sonitus vehementis adventu transfudit, qui linguis in igneis apparens, eos omnium linguarum scientia divites effecit, et miraculorum insigni potentia virtute deifica[f] mirificavit. Cuius ardore caritatis inflammati, secundum quod eis Salvator noster ante praeceperat, euangelicae[g] praedicationis functi legatione, totum mundum divini semina verbi spargendo perlustraverunt. Quidam eorum regna cum regibus, quidam principatus cum principibus, quidam partes et divisiones regnorum[h] et provinciarum cum praefectis et praepositis ad christianae religionis cultum perduxerunt; et in tantum fervore sancti Spiritus exardescente per orbem universalis ecclesiae sunt stabilita fundamenta, quod et[i] ipsa mundi totius metropolis Roma cum monarchia dignitatis imperatoriae Christi fidei colla submittens, vanitatum erroribus renunciavit. Non remansit patria neque natio, ubi quorundam miserationis Christi non fuisset assumptio. Unde contigit divinae pietatis intuitum[k] in filios perditionis et ignorantiae, populum rudem et vagum, culturam Dei[l] nescientem, Ungaros videlicet Pannoniae[m] patriam inhabitantes, clementi visu[n] de caelo prospicere[o], ut quos ad ulciscendas praevaricationes christianorum de sedibus naturalibus in occiduas partes occulto perpetuitatis consilio prius exciverat, hos tempore suae praedestinationis iam instanti, de via iniquitatis ad iusticiae semitam, de maesticiae[p] nebula ad spem in aeternum permanentis perduceret retributionis*.

2. Erat tunc princeps quintus[q] ab illo qui ingressionis Ungarorum in Pannoniam[r] dux primus fuit[26], nomine Geiza[s], severus quidem et crudelis veluti[t] potentialiter agens in suos, misericors autem et liberalis in alienos et praecipue in christianos; paganismi[u] licet adhuc ritibus obvolutus, tamen appropinquante spiritualis fulgore karismatis, cum omnibus[v] circumquaque positarum provinciarum vicinis de pace, cuius[w] numquam antea fuit amator, coepit attente tractare, ut iam in illo posset agnosci, cuius filius desideraret fieri, secundum dictum Salvatoris nostri dicentis in euangelio: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* (Matth. 5, 9.) Statuit insuper[x] praeceptum, cunctis[y] christianis regnum[z] suum intrare volentibus hospitalitatis[*] et securitatis gratiam exhibere[a]; clericis ac[b] monachis potestatem concessit praesentiam sui[c] adeundi, quibus voluntarium libenter auditum praebens, orthodoxae fidei semen pectoris in orto satum delectabatur germen emittere.

3. Quid[d] plura? adest tempus caelitus[e] dispositum[f], credidit ipse cum familiaribus suis et baptizatus est, omnes ditioni suae subditos se pollicens christiano nomini[g] mancipaturum. Cumque nimium esset sollicitus de rebellibus domandis et ritibus sacrilegis destruendis, et episcopatibus secundum aestimationem suam ad profectum sanctae ecclesiae statuendis, mirabili[h] visione noctu consolatus eum Dominus, fecit astare sibi iuvenem delectabilem aspectu, qui dixit ei: *Pax tibi, Christi electe[i]! iubeo te de sollicitudine tua fore securum; non tibi concessum est perficere quod meditaris, quia manus pollutas humano sanguine gestas.* *De*

* *Hartvicus addit:* Quod qualiter et quando factum sit, stili officio memoriae commendare congruum duximus. (2) Ea siquidem tempestate, qua gens praefata[k] Dei ecclesiam depopulabatur, erat in ea princeps quidam, quartus ab illo *etc.*

a) famulatum A. b) et st. A. c) *deest* A. d) et A. e) septiformem B. f) clarifica B. g) et eu. B. h) r. et *desunt* B. i) etiam B. k) intuitu A. l) creaturam domini esse se n. B. m) et P. A. n) usu A. o) prospiceret A. p) deleta n. A. q) intus *c.* r) Pannonia A. s) Geysa B. t) olim A. u) ritu paganismi l. a. quidem o. B. v) dei *hic inserit* A. w) cuius — amator *desunt* B 2. 3. 4. x) enim per B 3. y) ceteris A. z) ducatum B. *) hospitalitatem B 1. a) exhiberi B. b) et B. c) suam B. d) Q. p. *desunt* B 3. e) a. deo B 3. f) depositum A. g) nomine A. h) mirabili — eum *desunt* B 3. *Sed nimia ex hoc codice variarum lectionum copia suppetit, nec omnes apponam.* i) dilecte B 1. 3. k) Hungarica 4.

26) Apparet nostrum ab Almo, Hartvicum a filio eius Arpado numerare. Nam inter hunc et Geizam Zulta tantum et Tocsun commemorantur. Cum nostro consentit Belae notarius, dum cap. 57 Geysam quintum ducem Hungariae vocat.

te filius nasciturus egredietur, cui haec omnia disponenda[a] *divinae providentiae consilio Dominus commendabit. Hic unus erit de*[b] *regibus electis a Domino, coronam vitae saecularis commutaturus aeterna. Verumtamen virum spirituali legatione tibi transmittendum honorabiliter*[c] *suscipito, susceptum venerabiliter*[d] *habeto, timore*[e] *perditionis ultimae perterritus, et amore raptus iugiter manentis spei, quae non confundit; exhortationibus eius non fictum cordis fidelis assensum praebeto.*

4. Expergefactus princeps visionem stuporis[f] prius secum, post cum Christi fidelibus et suis pertractans, Deo gratias pavimento manibus expansis adhaerens humiliter egit, se principatumque cum filio nascituro custodiae illius, qui non dormit neque dormitat, lacrimis fusis commendavit. Dum miratur ergo de[g] viro divinitus praedicto, nunciatur ei Adalbertus[h] Boemiensis ecclesiae pontifex ad se venturus, propter conversionem ipsius et fidei non fictae profectum domino Deo hostiam laudis oblaturus. Oritur laeticia novis Christi militibus inenarrabilis, dux obviam tironi Christi cum fidelibus quibusque procedit, honorabiliter suscepit[i], et ut per visum monitus est, propter[k] timorem et amorem Dei modis omnibus obedientiae filium ei se fore demonstravit. Igitur iubente principe fit ubique congregatio gentis indomitae, per sanctum episcopum fiunt* exhortationes continuae, convertuntur et baptizantur alumni patriae, statuuntur multis in locis ecclesiae[27]. Lux quippe quae illuminat omnem hominem, tenebris expulsis coepit in Ungaria enitescere[l], et impleta sunt[m] verba prophetiae dicentis: *Gentium populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* (Esa. 9, 2.) Lux lucis invisibilis Christus est, quem tunc gentes videre meruerunt, quando revocati de tenebris ipsum verum lumen[n] Deum et hominem verum[o] esse, perfecte crediderunt**.

5. Nascitur interea praedictus a Domino principis[p] filius, quem secundum prophetam, (Luc 2, 21.) antequam in utero conciperetur, Dominus novit***. Hunc Deo dilectus Adalbertus episcopus crismali baptismate secundum credulitatis suae veritatem intinxit, et[q] susceptor eius[r] fuit[28]. Nomen sibi impositum est Stephanus, quod alienum a consilio Dei[s] non credimus. Stephanus quippe graece, coronatus[t] sonat latine. Ipsum quippe[u] et in hoc saeculo Deus coronare[v] voluit ad regni potentiam, et in futuro corona beatitudinis semper permanentis[w] redimire[x] decrevit ad percipiendum[y] vitae iugis indeficientem gloriam. Crevit infans regali[z] nutritus educatu; qui transvadata[*] puericia, postquam primum adolescentiae gradum transcendit[a], convocatis pater suus Hungariae primatibus cum ordine sequenti[b], per communis consilium colloquii filium suum Stephanum post se regnaturum populo praefecit, et ad hoc

* *Hartvicus addit:* et per suos.

** *Hartvicus addit:* Nec hoc silentio praetereundum est, quod ut omnis ambiguitas tolleretur de medio, ne forte praedictae visioni solius viri parum videretur inesse fidei, uxorem eius[29] iam propinquantem partui tali voluit visione divina gratia consolari. Apparuit namque illi beatus levita et prothomartyr Stephanus, levitici habitus ornatus insignibus, qui eam alloqui taliter coepit: *Confide in Domino, mulier, et certa esto quia filium paries, cui primo in hac gente corona debetur et regnum, meumque nomen illi imponas.* Cui cum admirans mulier responderet: *Quis es, domine? vel quo nomine nuncuparis? Ego sum,* inquit, *Stephanus prothomartyr, qui primus pro Christi nomine martyrium pertuli.* Quo dicto disparuit.

*** *Hartvicus addit:* et cui antequam nasceretur, per prothomartyrem suum nomen indidit.

a) dispensanda B 4. b) erit unus ex B. c) honorificabiliter B 2. 4. honorifice B 3. d) s. honesto timore A. e) timore—confundit *desunt* B 2. 3. 4. f) stupidus B. g) div. de viro A de v. div. sibi p. B 1. h) beatum Adalbertum ... pontificem ... venturum esse ... l. h. oblaturum B. i) suscipit B 2. k) propter—Dei *desunt* B 2. 3. 4. l) enitere B. m) in ea *add.* B. n) *deest* B. o) esse uere B 2. p) filius principi B. q) et—fuit *desunt* B 3. 4. r) suus ipse B 1. 2. s) fuisse *addit* B. t) corona[tus] B 1. corona B 2. 4. u) quidem B. v) *deest* A. w) manentis B. x) redimere A. B 2. 4. y) percipiendam B. z) diligenti B 2. 3. 4. dil. et regali B 1. *) transacta B. a) ascendit B. b) clericali B 3.

27) Cf. de incerto sub Geisa christianitatis statu et Adalberti cum uxore eius commercio locum insignem in Vita Adalberti auctore Brunone c. 23. SS. IV, 607. Pannoniam per Adalbertum conversam esse, asserit Cosmas I, 31. 28) Idem refert Annalista Saxo a. 1038. Sed nomen Stephani aliquanto post suscepisse videtur, quum Thietmarus eum VI, 38 Waic appellet. 29) Ea in Cronica Ungarorum et Polonorum apud Endl. SS. Arpad. p. 65 vocatur Ethlegida vel Athleida, soror Meschonis ducis Poloniae. Sed anonymus Belae notarius c. 27 Saroltam vocat, Geulae filiam, et in Annalibus Hildesh. ad a. 1003 Iulus avunculus Stephani appellatur. Ungari recentiores Belekneginem illam bibacem (Thietm. VIII, 3.) eandem esse statuunt, quam ego cum Waitzio potius Procui istius, qui Stephani avunculus appellatur, matrem fuisse arbitror. Simon de Keza regem Stephanum a. 967 natum esse refert, sed Thurotzius et auctor Chronici Budensis (vel potius auctor chronici — 1358 quod uterque recepit), ubi illius verba repetunt, a. 969 ponunt. Additur nomen matris ex Notario: qui accuratius rem nosse desiderant, ablegantur ad Legendam sancti Stephani regis.

corroborandum a singulis sacramentum exegit. Post haec plenus dierum anno dominicae 997. incarnationis 997 saeculi nequam aerumpnas caelesti mutavit gaudio, et eodem anno beatus Adalbertus episcopus causa praedicandi verbum[a] Dei Ruziam[b] ingressus, ibi palma martyrii coronatus est.

6. Regno[c] * denique Pannonico[d] beati iuvenis nutum attendente, pacem cum exterarum provinciarum[e] populis fideliter statutam[f] corroboravit[g], ut eo[h] securius quod in mente tractabat, in novella plantatione christianitatis explere sufficeret. Sed adversarius totius bonitatis, invidiae plenus et maliciae diabolus, ut sanctum Christi tyronis propositum disturbaret, intestina contra eum bella commovit, quoniam[i] eius instinctu plebs gentilis christianae fidei iugo colla submittere renuens, cum principibus suis a dominio[k] ipsius se subtrahere moliebatur. Quos[l] omnes eum protegente gloriosissimae[m] crucis signaculo, patrocinantibus Dei genetricis ac perpetuae virginis Mariae meritis, sub vexillo Deo dilecti pontificis Martini sanctique martyris Georii, ducibus eorum interfectis, in brevi suo servicio subegit, et baptismatis unda lotos, unum Deum colere, monita salutis per fideles sacerdotes eis distribuendo, compulit.

7. Devictis vero[n] hostibus Christi miles gaudio spirituali repletus, totius ingenii consilium euangelici seminis decrevit fore receptaculum. Elemosinis et orationibus vacans, frequenter pavimento adhaerens domus sanctae, lacrimis fusis[o] perfectionem propositi sui Dei commisit voluntati, ut qui sine ipso nichil agere valeret, opitulante dispositionis[p] ipsius expletione, bonum quod cogitaverat cum inceptione virtutum ad finem perducere posset. Ad hoc igitur incipiendum et consummandum quoniam fidelium Christi consultum habebat necessarium, nunciis et litteris in omnes partes suum diffamavit[q] desiderium. Inde multi presbiteri et clerici instinctu[r] Spiritus paracliti compuncti, relictis sedibus propriis elegerunt pro[s] Domino peregrinari; abbates et monachi nichil proprium habere cupientes, sub tam religiosissimi principis patrocinio[t] regulariter vivere desideraverunt[u]. Inter quos vitae regularis[v] pater Ascricus[w] cum suis discipulis advenit, quorum unus Bonifacius nomine, in loco patris abbas deinde constitutus, dum a beato rege causa praedicationis in inferiores Ungariae partes esset missus, in cervice gladio percussus, licet postea superviveret, non est privatus martyrio. Venerunt et alii duo de terra Poliensi[x], heremiticam vitam causa contemplationis eligentes, quorum unus Andreas nomine per confessionis meritum angelicis choris est associatus, testibus miraculorum signis per ipsum a Domino factis, alter Benedictus, pro Christo 30 sanguine fuso mirabiliter[y] laureatus[30]. Ascricus abbas cum suis honorifice susceptus, ad 31 radicem Montis ferri[z] coenobium sub titulo sancti patris Benedicti construxit[31], ubi usque hodie congregatio monasterialis disciplina regulari pollens, temporalium sustentatione copiarum ex donativis sancti ducis superhabundans, non est alicuius egens, nisi ut suos et aliorum pedes secundum euangelium* lavet.

8 Cum his Dei servus princeps christianissimus aliquando communiter cum omnibus, aliquando sigillatim cum unoquoque eorum colloquium habens[a], provincias in decem partitus est episcopatus, Strigoniensem ecclesiam[b] metropolim et magistram per consensum et subscriptionem[c] Romanae sedis apostolici ceterarum fore constituens **. Cui iam dictum

* *Hartvicus, post quaedam ex vita minore petita:* In omnibus itaque mandatis Dei fidelis dispensator existens, apud se coepit meditari, qualiter subiectum sibi populum unius Dei cultui manciparet. Sed quia perpendebat id absque vicinarum gentium confoederatione fieri minime posse, regnoque P.

** constituit. Praedictum vero venerabilem abbatem Ascricum pontificalis dignitatis infula decoratum electione canonica sublimavit, et Colocensi episcopatui praefecit, cuius *etc.* B1. Cognoscens vero prudens dux praedicti Asscrici religionem, pontificalis ipsum dignitatis infula decoratum electione canonica sublimavit, et ei Colocensis episcopatus dignitatem obtulit B2. 3. 4. *ubi residua capitis huius omittuntur.*

a) verbi B1. 2. b) Prusciam B. c) regno—attendente *desunt* B2. 3. 4. d) ipsius *addit* B1. e) *deest* A. f) institutam B2. 3. 4. g) roboravit B. h) in eo A. i) quam A. k) domino A. B4. l) Quos — compulit *desunt* B2. 3. 4. m) victoriosissime B1. n) ergo B2. 3. 4. o) effusis B. p) dispensationis B2. q) divulgavit B. r) sp. p. visitatione B. s) p. D. *desunt* A. t) patr. et moderamine B1. moderamine B2. 3. 4. u) deliberaverunt B. v) religiosus Asc. p. A. w) Asscricus B2. Assericus B3. *const.* x) Poloniensi B. y) misericorditer B. z) ferrei B. precepto sanctissimi ducis *add.* B4. *) cottidianis precibus et lacrimis *add.* A. a) *Hartvicus hic lacinias ex vitae minoris cap.* 1. 2. *inserit; deinde pergit:* (8) Post haec prov. b) eam A. c) subscriptione A.

30) V. vitam eorum auctore Mauro ep. Quinqueecclesiensi apud Endlicher SS. Arpad. p. 134. 31) Pecsvarad, in dioec. Quinqueecclesiensi.

venerabilem Ascricum abbatem pontificalis dignitatis infula decoratum, electione canonica praefecit, cuius consilio ceteras sedes patrum curis et provisionibus commisit[33]. Iaciuntur ubique sanctarum fundamenta domorum, surgunt claustra canonicorum, florescunt[a] coenobia[b] regulariter conversantium[c] congregationum. Undique fit concursus Deo famulantium, quorum[d] desiderium tam liberalis principis excitavit benignae susceptionis solatium. Et[e] quoniam Pannonia beati pontificis Martini nativitate gloriatur, cuius etiam patrocinantibus meritis rex[f] Christo fidelis, ut iam dictum est, de hostibus victoriam reportaverat, inito cum theophilis[g] consilio, iuxta fundum sancti praesulis, in loco qui Sacer mons dicitur*, sub titulo ipsius monasterium constituens[h], possessionibus et reditibus cunctisque sufficientiis ditavit, et ipsius[i] suffragio domitorum decimationibus simile fecit episcopiis[k].**

9. Quinto*** post patris obitum anno, divina sic volente[l] clementia, benedictionis apostolicae litteris allatis, praesulibus cum clero, comitibus cum populo laudes congruas acclamantibus, dilectus Deo Stephanus rex appellatur[m], et unctione crismali perunctus, diademate regalis dignitatis feliciter coronatur[34]. Post acceptum autem[n] imperialis excellentiae

1001.

* *Hartvicus addit:* ubi sanctus Martinus, dum adhuc in Pannonia degeret, orationis sibi locum assignaverat.

** *Hartvicus addit:* constituens ex omnibus eorum facultatibus tam stricte decimas dari, ut si cui decem liberos habere contingeret, decimam prolem sancti Martini coenobio daret.

*** *Hartvicus:* Quarto post patris obitum anno divina commonente clementia eundem Ascricum praesulem, qui alio nomine Anastasius dictus est, ad limina sanctorum apostolorum misit, ut a successore sancti Petri principis apostolorum postularet, quo novellae christianitati exortae in partibus Pannoniae largam benedictionem porrigeret, Strigoniensem ecclesiam in metropolim suae subscriptionis auctoritate sanciret, et reliquos episcopatus sua benedictione muniret; regio etiam dignaretur ipsum diademate roborare, ut eo fultus honore coepta per Dei gratiam posset solidius stabilire. Eodem forte tempore Misca[o] Poloniorum dux[35] christianam cum suis amplexus fidem, missis ad Romanae sedis antistitem nunciis, apostolica fulciri benedictione ac regio postulaverat diademate redimiri. Cuius petitioni annuens papa, coronam egregii operis parari iam fecerat, quam illi cum benedictione et regni gloria mittere decreverat. Sed quia novit Dominus qui sunt eius, qui duobus per apostolos in apostolici ordinis sortem electis Mathiam praetulit, et apostolicum fecit supplere numerum, ille nimirum potius electum suum Stephanum hac temporali statuerat feliciter insignire corona, ipse postmodum eundem felicius decoraturus aeterna. Praefixa itaque die, qua parata iam corona Poloniorum duci mittenda fuerat, nocte quae praecedebat papae per visum Domini nuncius astitit, cui et dixit: *Crastina die, prima diei hora, ignotae gentis nuncios ad te venturos esse cognoveris, qui suo duci coronam a te regiam cum benedictionis apostolicae munere flagitabunt. Coronam ergo quam praeparari fecisti, eorum duci, prout petent, cures sine cunctatione largiri. Sibi enim eam cum regni gloria pro vitae suae meritis scito deberi.* Iuxta igitur huius visionis modum praescripta sequentis diei hora praesul Ascricus ad papam pervenit, qui officium iniunctum sibi prudenter exequens, et sancti ducis gesta referens ordine, ab apostolica sede quae praemisimus insignia postulavit, indicans eum dignum fore tali honore et dignitate, qui plures gentes per Dei adiutorium sibi sub-

a) cenobia florescunt B. b) claustra cenobia A. c) canonicorum *add.* A. d) omnium *inserit* B. e) *haec Hartvicus supra cap. 6 cum laciniis vitae minoris composuit. B 1 utroque loco exhibet.* f) vir B. g) theophylo A. h) constituere cepit B 1. 2. construere cepit 3. construere ex eorum p. 4. i) *deest* A. k) episcopis A. B 3. 4. l) uoluntate A. m) app. et *desunt* B 2. 3. 4. appellatus u. B 1. n) acc. regalis B. o) Mischa 2. 3. Mysca 4.

33) Anastasius, quod alterum Ascrici nomen fuisse Hartvicus asserit, Ungrorum archiepiscopus a. 1007 synodo Francofurtensi interfuit. Mon. Germ. SS. IV, 795. Eundem Arnoldus de S. Emmerammo commemorat SS. IV, 547. 34) Certe non ante a. 1001 secundum auctorem nostrum. Hartvicus annum mutavit, consentientibus Ann. Poson. ubi ad a. 1000: *Stephanus Ungarorum rex coronatus est.* Ceterum cf. Thietm. IV, 38. Coronam autem illam celeberrimam, quae nunc latet, constat ex duabus fuisse compositam, quarum altera, nulla inscriptione insignita, ad Stephanum regem pertinuisse creditur, altera a. 1075 a Michaele Duca Geisae dono data esse videtur; nam imagines continet hisce cum subscriptionibus: ΜΙΧ. ЄΝ ΧΩ ΠΙCΤΟC ΒΑCΙΛЄΥC ΡΩΜΑΙΩΝ Ο ΔȣΚ. ΚΩΝ. ΒΑCΙΛЄΥC ΡΩΜΑΙΩΝ Ο ΠΟΡΦΥΡΟΓЄΝΗΤΟC et ΓЄΩΒΙΤΖ ΔC ΠΙCΤΟC ΚΡΑΛΗC ΤΟΥΡΚΙΑC. Ios. Koller de sacra regni Ungarici corona. Quinqueeccl. 1800. 4. Firnhaber in ephemer. Austria a. 1847 p. CXII. 35) Bolizlavum tunc Polonis praefuisse constat. Amplius haec exornavit auctor Chronicae mixtae Ung. et Pol. ap. Endl. Mon. Arpad. p. 67. Ceterum diploma istud Silvestri papae, quod in multis cum hoc Hartvici loco convenit, saec. XVII. a Raphaele Levakovicz, Croata, confictum esse, quo curiae Romanae commodo consuleret, V. C. Kollarius probavit dissertationis de potestate legislatoria circa sacra cap. ultimo.

signum qualis vitae vir et discretionis fuerit, cum episcopis et primatibus Hungariae statutum a se decretum manifestum facit; in quo scilicet unius cuiusque[a] culpae contrarium dictavit antidotum, et ut pacis, per quam Christus mundum[b] coadunavit, se fore probaret filium, quod nullus alium hostiliter invaderet, nemo inimicum[c] sine iudicii examinatione laederet, viduas et orphanos nullus opprimeret, subscriptione foederis non pereuntis posteris suis reliquit stabilitum[36].

10. Ad consortium vero regni praecipue causa sobolis propagandae sororem Romanae dignitatis augusti, videlicet Heinrici, qui ob mansuetudinem morum Pius est appellatus, Gislam[d] nomine, sibi in matrimonio sociavit, quam unctione crismali peruncta, gestamine coronae regni[e] sociam esse notificavit[f]. Quae qualis erga Dei cultum ordinandum[g] extiterit, quam frequens et benefica circa Deo servientium congregationes apparuerit, multarum ecclesiarum cruces et vasa vel paramenta[h] opere mirifico facta vel contexta usque hodie testantur; prae cunctis tamen domus episcopatus Bespremiensis[i], quam ipsa a fundamento coeptam, omnibus sufficientiis ad Dei servitium in auro vel argento vestimentisque multiplicibus nobiliter adornavit. Ipse vero rex episcopia nuper incepta*, simul cum[k] abbatiis, praediis et curiis, famulis[l] et reditibus, regaliter disposuit, crucibus et vasis aliisque supellectilibus ad ministerium Dei pertinentibus, secundum quod unicuique opus fuit, sufficienter decoravit. Monachorum vitam et conversationem nunc per alios nunc per semet ipsum[m] explorando diligenter examinabat, torpentes arguens, vigiles sub dilectione constituens; canonicorum ministerium episcoporum providentiae sub testimonio Christi[n] et ecclesiae commendabat, secundum apostolum omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret**.

11. Erat vir[o] iste fidelis in omnibus actibus suis, Deo perfecte deditus, per votum et oblationem semet cum regno suo sub tutela perpetuae virginis Dei genitricis Mariae precibus assiduis conferens, cuius honor et gloria tam celebris inter Ungaros habetur, quod etiam festivitas assumptionis eiusdem virginis sine additamento[p] proprii nominis ipsorum lingua[q] reginae[r] vocitetur[37]. Et ut maiorem ipsius defensionis misericordiam consequi valeret, in ipsa regalis sedis civitate quae dicitur Alba, sub laude et titulo virginis eiusdem perpetuae famosam et grandem basilicam opere mirifico, caelaturis[s] in chori pariete distinctis, pavimento tabulis marmoreis strato, construere coepit, quam qui[t] videt testimonium veritati

iugasset, et multos infideles per suam potentiam ad Dominum convertisset. Quibus auditis valde gavisus Romanus pontifex, cuncta prout fuerant postulata, benigne concessit; crucem insuper anteferendam[u] regi velut in signum apostolatus misit: *Ego*, inquiens, *sum apostolicus, ille vero merito Christi apostolus, per quem tantum sibi populum Christus convertit. Quapropter dispositioni eiusdem, prout divina ipsum gratia instruit, ecclesias Dei simul cum populis utroque*[v] *iure*[v] *ordinandas*[w] *relinquimus*. Impetratis ergo omnibus prout petiit, praesul Ascricus laetus ad propria remeavit, secum ferens propter quae inceptum iter prospere[x] peregerat. Benedictionis ergo apostolicae litteris cum corona et cruce simul allatis *etc.*

* *Hartvicus addit:* tam videlicet ipsam archiepiscopalem, quam omnes episcopales ecclesias, amplissimam singulis assignans diocesim et unicuique semper praeficiens idoneum praesulem.

** *Hartvicus addit:* (11.) Eo tempore in monasterio sancti Martini erat monachus quidam Sebastianus nomine, cuius probabilis vita et devota in Dei servitio religio habebatur. Hunc rex venerabilis miro coepit amore diligere, quia quanto quis religiosior, tanto erat ei acceptior. Illum ergo ob vitae merita pontificali honore dignum iudicans, regendo Strigoniensi archiepiscopatui eum praefecit. At quoniam flagellat Deus omnem filium quem recipit, praedictum Sebastianum ad probandam ipsius patientiam corporalium oculorum lumine ad tempus privavit; sed ne novellus in fide grex absque pastoris regimine a recti tramitis proposito deviaret, per consensum Romani pontificis saepe dictum Ascricum Colocensem episcopum in illius locum substituit. Evolutis deinde trium annorum circulis Sebastianus ex Dei misericordia recepto lumine rursum per apostolici consilium suae sedi restitutus est, et Ascricus ad suam ecclesiam, videlicet Colocensem, cum pallio rediit.

a) cuius contr. A. b) orbem B. c) vicinum B. d) Gillam A. Gysiam B 3. Keslam B 4. e) *deest* A. f) constituit B. g) ornandum B 1. 2. h) preparamenta A. i) Bezprem. B 1. 2. Vesprim. 3. Besprim. 4. k) et abbacias B 2. 3. 4. l) familiis B. m) se ipsum B. n) episcopi eccl. B 1. o) vero rex vir iustus et f. B 1. interea rex idem f. B 2. 3. 4. p) addimento A. q) linguę A. r) dies *addit* B 1. dies domine B 2. 4. dies domine magne B 3. s) et c. A. t) quamque uidentibus t. ueritatis uerb. n. perhibent inn. A. u) ante regi ferendam 1. ferendam 2. v) *deest* 3. w) ordinandis 1. 3. 4. x) *deest* 2.

36) Decreta Stephani novissime edidit Endlicher, Mon. Arpad. p. 310—325; commentatus est in libro suo: Die Gesetze des heil. Stefan. Wien 1849. 8.

37) Nagy Boldog Aszony i. e. Magna beata domina, teste Podhradczkyo; cf. vitam S. Gerhardi c. 13.

perhibet verborum nostrorum, innumerabilia palliorum, paramentorum et aliorum ornamentorum ibi esse genera[38], circa altaria tabulas plures auro purissimo fabricatas, lapidum species[a] preciosissimorum in se continentes, ciborium arte mirabili supra Christi mensam erectum, cameram omni genere vasorum cristallinorum, onichinorum, aureorum, argenteorum pleniter refertam*.

12. Decrevit[b] iam filius Dei, quae[c] tunc habebat et adquirere poterat, omnia Christo, quae ex ipsius dono fluxerant[d] conferre[e], ut qui eum gloria et honore mundi praesentis dignum fecerat, caelestis patriae civibus clementer associare dignaretur. Legimus in prophetia de apostolis scriptum, quod in omnem terram exivit sonus eorum, et cetera. [Psal. 18, 5.] Hoc non solum de duodecim, sed de omnibus a Deo missis ad euangelizandum dictum[f] probatur, quorum fide et[g] verbis et moribus incrementum paravit[h] ecclesia. De quibus iste christianissimus rex[i] non minimus fuisse comprobatur[k], qui bonae voluntatis et operis famam[l], quam in aedificandis ecclesiis in amplitudine[m] proprii iuris exercuerat[n], in longe positas terras et urbes[o] famosissimas disperserat. Construxit enim in ipsa conversationis Christi [Vita min. cap. 4.] secundum humanitatem civitate Ierusalem monachorum coenobium, praediis ditavit et vineis ad victum cottidianum copiam ministrantibus. In capite quoque[o] mundi Roma sub titulo protomartyris Stephani duodecim canonicorum congregationem[p] cunctis pertinenciis habundantem statuit, et maceriam[q] in circuitu lapide muratam cum domibus et[r] hospiciis Ungarorum, orationis causa beati principis apostolorum Petri limina quaerentium condidit[o.39]. Ipsam quoque regiam urbem Constantinopolim beneficiorum munere non[s] privavit[*], quam[t] ecclesia[u] mirifici operis cum[v] omnibus necessariis suis donavit[w]. Merito igitur infra terminos suae dominationis nomen adeptus est apostoli, quoniam[x] etsi ipse euangelizandi non assumpsit officium, praedicatorum tamen dux et magister, eis tutaminis et sustentationis instituit solatium.

13. Inter omnia supernae miserationis beneficia beato regi divinitus concessa, prae omnibus sunt illa dinumeranda scriptisque[y] commendanda, quae locum primum obtinent ad aeternae vitae gaudia promerenda[z]. In omnibus enim factis suis felicibus illud intendebat esse praecipuum[*], quod ex euangelio fideli pectoris contemplatus est visu, per Veritatis ipsius testimonium dicentis: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur;* [Matth. 5, 7.] et in alio loco: *Date et dabitur vobis.* [Luc. 6, 38.] Tantis igitur misericordiae et pietatis brachiis Christi pauperes, immo Christum in ipsis amplexabatur[a], quod nullus umquam hospes et peregri-

* *Hartvicus addit:* Tanta praeditam venustate supra descriptam ecclesiam in propriam capellam rex sibi retinens, tali eam libertate dotavit, ut nullus episcoporum in ea cuiusvis iuris quicquam haberet. Ne tamen a regulari disciplina eiusdem loci fratres existerent alieni, ad communem solius archiepiscopi synodum ecclesiastici dogmatis institutione imbuendi convenire deberent. In die etiam absolutionis et consecrationis crismatis, cuicunque episcopo vel iniungeret rex ibi praesens, vel illuc mitteret absens, poenitentes in ea absolveret et crisma consecraret. Divina quoque missarum sollempnia, si regem ibi praesentem esse contingeret, ille tantum celebraret episcopus, cui rex consentiente cum fratribus praeposito celebrare iuberet. In regis autem absentia absque praepositi et fratrum consensu nullus episcopus vel missam celebrandi vel cuiuslibet episcopalis officii exercendi sibi licentiam usurparet. Praeterea eiusdem ecclesiae populum instituit esse tam liberum, ut nichil decimarum cuiquam episcopo dare deberet, sed praeposito soli et fratribus, prout ab eo institutum est, servicium exhiberet.

a) series B. b) Demum servus dei B. c) qui A. d) que i. d. unxerat A. e) studuit *addit* B. f) esse *addit* B. g) *deest* B. h) parit B. i) *deest* A. k) computatur. bone voluntatis fama q. A. l) et famam operis B 1. 3. m) amplitudinem A. n) exercuit longe A. o) *deest* A. p) congregaciones c. p. habundantes A. q) materiam A. r) et hominibus et A. s) nisi priuatum A. t) in qua B 1. u) ecclesiam B 1. 3. 4. v) *deest* A. B 1. 4. w) dotauit B 3. 4. x) quam B 1. 3. y) et scriptis B 1. 2. s. c. *desunt* 3. 4. z) misericordia scilicet et veritas *addit* B. *) principium A. a) amplexatus est B.

38) Extat hodieque casula, quae in regum inauguratione adhibetur, hac inscriptione: CASVLA HAEC OPERATA EST ET DATA ECCLESIAE SANCTAE MARIAE SITAE IN CIVITATE ALBA. ANNO INCARNACIONIS CHRISTI M. XXXI. INDICCIONE. XIIII. A STEPHANO REGE ET GISLA REGINA.

39) Hospitium Ungarorum apud S. Petrum diu mansit, ibique *prope sancti Petri ecclesiam* etiam canonicam illam fuisse, tam ex hoc loco quam ex Cronica mixta Ungar. et Polon. cap. 7 prodit. Sed nullum ibi ex proximis post fundatorem saeculis documentum servatum esse videtur. Huc etiam pertinet, quod Rubeus in hist. Ravenn. p. 260 profert, diploma Stephani s. d. de condito Ravennae cum Romano duce Ravennate, consilio Gerardi episcopi ecclesiae Morisanae, monasterio sancti Petri ad Vincula, pro receptione Ungrorum Romipetarum et missorum regis.

nus ab eo sine benignitatis alicuius solamine tristis abscessit[40]. Ad recreationem egenorum cottidianas expensas indesinenter[a] fieri constituit, nocturnas vigilias in lavandis Christi fidelium pedibus, in[b] abscondendis in sinu[c] pauperum elemosinis, agiliter et hylariter transigere solebat, egenum Christum in membris suis consolari deliberans temporaliter, ut et ipse vitae caelestis cameram cunctis delectamentis refertam inveniens, iocundari mereretur[d] aeternaliter.

14. Quadam vero nocte spirituali monitu tactus, nemine sciente solus plenum dono Dei gerens sacculum, Christi pusillum gregem solito more perrexit visitare, statimque pauperes distribuendae[e] caelestis thesauri pecuniae disturbando initium, viri Dei meritis evulsione[f] barbae praebuerunt testimonium. Ob hoc gaudio perfusus maximo[g] miles Christi confugium[h] fecit ad beatissimam Creatoris omnium genitricem, prostratus[i] terrae gratias agens, sicque[k] exclamavit: *Regina caelestis et mea! quem tu regem statuisti, milites tui sic honoraverunt. Si ab aliquo adversario michi hoc illatum fuisset, meas iniurias per tuum ulciscerer adminiculum. Sciens ergo, domina, per*[l] *hoc*[m] *aeterna*[n] *me signatum felicitate, nimis exulto, gratias agens Salvatoris nostri nomini*[o] *et consolationi, quibus discipulos suos consolatus est dicens: Capillus de capite vestro non peribit.* His dictis se vir Dei caelesti gratia percipiens visitatum et spirituali carismate perfusum, cordis ianuas opem quaerentibus numquam claudere decrevit, et[p] per se deinceps et per alios, sed[q] praecipue per Christi servos et familiares, clericos scilicet et monachos, caelitus sibi datas facultates in aeternis thesauris[r] per manus pauperum fecit collocari. Huius rei testimonium perhibet* in aeternum cum ipso caelestis vitae particeps monachus ex saeculari nobilitate conversus[s] et heremita beatus Gunterius[t], qui[u] liberalitate caritativi principis illectus solebat eum saepius de terra Boemorum[v] visitare. Quotiens enim curiam ipsius adventus sui fulgore perlustravit, camera regis sub manu sua posita, peregrinis egenis[w] et indigenis, viduis et orphanis, coenobiis et ecclesiis distributa re quam continebat, in brevi fuit exinanita. Ad nutum etiam ipsius[x] servi Dei rex Deo devotus monasterium quod Bel[y] nuncupatur incipiens, omnibus bonis ditavit; ubi monachus[z] Gerardus[*] de Venetia veniens, vitam contemplativam agere coepit[41], qui constitutione superna[a] pontifex electus, post obitum sancti regis instante disturbatione christianitatis lapidatus est, et[b] per donum gratiae spiritualis dignus effectus est consortio martyrum.

15. Nec hoc praetereundum aestimo, quod in viro Dei, quanti meriti post obitum foret, divina virtus in vita sua demonstrare voluit. Quippe quotiens alicuius hominis infirmitas auribus suis intimata fuit, missa sibi pro medicina quam tunc in praesenti poterat habere particula panis, pomi vel herbae aromaticae[c], per mandatum ut sanus surgeret transmisit, et Dei propitiatione verbum ipsius comitante, statim sospitatem recepit. Post[d] gloriosam ad caelos ascensionem et mirabilem Patris consessionem[e] Salvator noster paucis corporaliter apparuisse perhibetur, per visionem vero multos consolatus[f], futurorum eos[g] praescios esse docuit, quod et huic beato[h] contigit. Quadam igitur nocte repente per revelationem quandam expergefactus, veredarium quendam infra diem et noctem ad Albam transsilvanam[42] praecepit festinare, et omnes in rure manentes ad munitiones[i] civitatum quam citissime

* *Hartvicus:* testimonium quam plures exhibent, sed ex his unus in *etc.*

a) indeficienter B1. 2. 3. b) et in B. c) sinum A. B3. d) meruit A. e) distribuentem c. t. pecuniam distrahentes in. A. f) euulsionem A. g) miles Chr. maximum A. h) se contulit ad A. i) prostratoque A. k) sic B. l) *deest* B2. 3. 4. m) hec A. B2. n) eternam michi retribui felicitatem B1. eterna michi retribui felicitate B2. 3. 4. o) verbis consolatoriis q. B. p) sed B1. 2. 3. q) et B1. sed 2. 4. *deest* 3. r) permanentes *inserit* A. s) *deest* A. t) Gutherius A. Gunqûeus B3. Guntherius 4. u) quod A. v) Bohemicorum B1. 2. Bohemorum 3. 4. w) *deest* B3. 4. x) eiusdem B. y) Beli A. Beel B3. z) modo A. *) Girardus B2. Gerhardus 4. a) fraterna A. b) l. est p. B1. 2. l. p. 3. l. et per 4. c) redolentis m. B. d) Post *etc. usque ad finem cap.* 17 *Hartviciani in cod.* B4 *capiti* 22 *Hartv. post* mereretur *inseruntur tanquam Lectio VII et VIII.* e) confessionem A. B2. 4. concess. B1. f) consolatos A. B2. g) eis A. h) regi *addit* B. i) munitionem ciuitatis A.

40) De liberalitate eius erga peregrinos, qui tunc marino itinere omisso, sepulchrum Domini visitaturi viam per Ungariam eligebant, v. Rodulfum Glabrum III, 1; Mon. SS. VII, 62. Ademarum III, 65; ib. IV, 145. 41) Bakon-Beel in dioec. Vesprimiensi. Gerhardi, postea (a. 1030) ep. Chanadiensis sive Moriseni, vitam novissime edidit Endlicher, Mon. Arpad. p. 205. Quae sane pretiosa est, etsi longo post mortem eius (a. 1047) tempore scripta. Ceterum de Guntheri itinere in Ungariam cf. supra Vitam Godehardi et infra ipsius Guntheri vitam fabulosam. 42) hodie Karlsburg, Karoly-Fejervar, olim Gyula-Fejervar.

posset, congregare[a]. Praedixit enim superventuros christianorum hostes, videlicet qui tunc Ungaris imminebant Bissenos[b], et possessiones eorum depraedaturos. Vix nuncius mandata regis complevit, et ecce Bessorum[c] inopinata calamitas incendiis et rapinis cuncta devastavit, per revelationem Dei meritis beati viri concessam animabus hominum[d] salvatis per receptacula munitionum[e]. Post[f] haec defuncto beati regis per[g] sociam cognato, Romanae dignitatis augusto Heinrico Pio, contigit[h] Chunradum imperatoriae[i] potestatis coronam per Germanorum electionem assumere; qui destructa pacis tranquillitate totius Teutoniae[k] manu [1030.] coadunata Pannoniae terminos hostiliter conatus est invadere. Contra quem rex consultum habens episcoporum et principum, ad tuendam patriam armatos totius Ungariae contraxit; prius tamen recolens se nichil posse sine suffragio Christi, manus et cor levans ad aethera, dominae suae perpetuae virgini Dei genitrici Mariae[l] iniurias commendans, talem erupit in vocem: *Si placet tibi, domina, tuae*[m] *hereditatis opusculum ab inimicis devastari, et novellam plantationem christianitatis aboleri, non meae*[n] *imputetur desidiae, sed potius dispositioni voluntatis tuae. Si pastoris*[o] *culpa, quod meretur ipse luat, insontibus*[p] *parce precor ovibus.* His dictis quasi consolatus ab ea[q], fiducialiter adversus hostem iter arripuit. Altera mox die nuncius ad unumquemque ducem Germanorum in castra ceu missus ab imperatore venit, qui eis redeundi mandatum intulit[r]. Regredientibus adversariis vir[s] sanctus respectu miserationis Dei se visitatum intelligens, Christo suaeque[t] genitrici terrae prostratus gratias[u] egit, cuius se cum regni provisione tutamini precibus assiduis commendavit. Imperator vero suorum tam repentina perterritus defectione, sciscitans qualiter res facta fuerit, cum nuncium reversionis eorum non suum[v] fuisse veraciter sciret, per consilium divinitatis ad corroborandam regis fidelissimi spem factum non dubitavit, seque dehinc ab invasione regni eius timore Iudicis aeterni retentus abstinuit*.

16. In beato quoque rege[w] constat apostolicum illud impletum, quod legitur: *Quoniam* [Act. 14, 21.] *per multas tribulationes oportet nos*[x] *intrare in regnum Dei*, et in libro Sapientiae: *Quos* [Ebr. 12, 6.] *diligit Deus castigat, et pater flagellat omnem*[y] *filium quem recipit.* Multis enim modis correctioni divinae subcubuit, tribus annis infirmitate[z] continua laborans. Postquam inde propitiationis Dei medicamine convaluit, iterum Iudicis[*] aeterni per secreti consilii quandam examinationem, in[*] filiorum suorum obitu sibi[a] sensit imminere verbera[b], quos in ipsis infantiae gradibus insontes qui[c] dedit abstulit. De quorum morte maesticiam obortam[d] ge-

* *Hartvicus addit:* (16.) Idem quoque rex beatus sollicitudine regalium dispositionum occupatus, tempus diurnum colloquiis et consiliis transigens, per noctis silentium vigiliis et orationibus instare, contemplationi vacare, lacrimas fundere, Deum alloqui precibus operam dabat, iustique iudiciis moderationem super cottidianas iudiciorum discussiones misericorditer descendere flagitabat. Quod cum sedulo spiritualis desiderii frequentaret officio, nocte quadam templo Dei longe remoto, descenderat quippe cum illo suo magno et nobili comitatu fixis tentoriis in campestris amplitudinis loco, ceteris sopore depressis surgens a lecto, cubiculum cordis ingressus, genibus flexis, clauso[e] oris hostio aeternae miserationis ianuam gemitibus et lacrimis pulsabat. Cumque diutius deprecationibus insisteret, domini sui regis aeterni ministris ad suscipiendas preces eius convenientibus, papilio super eum extensus a terra levatus tam diu pendere coepit in aere, donec vir Dei in se reversus a contemplatione, spiritum relaxavit ab oratione. Quod licet invisibiliter illi soli, qui res novit ante quam fiant, suique secreti consciis angelis fuisset cognitum, cuidam tamen magnae simplicitatis et innocentiae viro, qui tunc simili forsitan instabat operi, visibiliter est manifestatum. Quem rex sanctus archani sui conscium esse per Spiritum sanctum edoctus, ad se vocatum blandis prius sermonibus quid vidisset sciscitabatur; post regiis donis eo[f] ditato, ne cui patefaceret quoad usque ipse rex[g] viveret, interminabatur ei[h]. *Quod sequitur cap. 17. est vitae minoris cap. 6, his in fine additis:* Quod ob terrorem incutiendum reliquis zelo eum iusticiae fecisse credendum est, ut quia regnum suum omnium hospitum patens asilum esse volebat, sic liber omnibus introitus esset, ut nullus ingredientem quemlibet in aliquo laedere vel molestare praesumeret. Quod et factum est. Nam quo advixit nullus cuivis hospiti quicquam molestiae inferre praesumpsit.

a) congregaret A. possent se congregarent B 3. b) Bessos B 1. 2. 4. Byssenos B 3. c) Byssenorum B 3. d) omnium B 2. 3. e) condidit *addit* A. f) Accidit post B. g) r. amico Rom. B. h) *deest* B. i) imperatorem A. k) Theotonie B 1. 3. Teothonie 2. Theutonie 3. l) suas *addit* B. m) d. mundi, tue partem her. ab B. n) precor *addit* B. o) est *addit* B 4. p) in ouibus A. q) ipsa B 1. 2. 3. r) detulit B. s) ubi A. t) sue A. u) *deest* A. v) solus A. w) *deest* A. x) *deest* B 1. 2. 3. y) *deest* A. z) in inf. A. *) *deest* A. a) obitus sensit A. b) uerba A. c) quos A. d) orbatam A. e) solo labiorum motu eterne 2. 3. 4. f) ei 2. donis editato 3. g) *deest* 2. 3. h) interminatus est 2. 3. 4.

nitor propter amorem filii superstitis, sanctae[a] indolis pueri[b] Heinrici[c], solatio compescuit; quem quasi iam unicum caro[d] diligens affectu, precibus Christo[d] cottidianis et eius genitrici virgini perpetuae commendavit. Hunc igitur[e] fore superstitem, hunc regni eius[f] heredem votis omnibus desideravit, et ut efficacior fieret ad tenenda tanti regiminis gubernacula, virorum documentis orthodoxorum usu lectionis cottidianae fecit auditum utrumque praebere. Ipse quoque paternae dilectionis ardore compunctus, libellum sibi[d] de institutione morum composuit, in quo fideliter et amicabiliter[g] verbis eum admonitionis spiritualis alloquitur, instruens qualiter ante omnia debeat observare fidem catholicam, confirmare statum ecclesiasticum, honorem impendere dignitati pontificum, principes et milites diligere, iudicium observare, patientiam in cunctis actibus habere, hospites benigne suscipere[h], benignius nutrire, sine consilio nichil agere, maiores[i] suos ante oculos semper ad exemplum statuere, orationis officium frequentare, pietatem et misericordiam cum ceteris virtutibus possidere[43]. Talibus et his similibus disciplinis institutus iuvenis praeclarus, dispositioni[k] aeternae, cui cuncta subiacent, obediendo, 1031 dominicae incarnationis anno vitam hanc[l] exitialem commutavit sempiterna, supernorum civium adiunctus contubernio[44].* O quantus luctus omnium, sed maxime principum, inter quos pater desolatus grave traxit suspirium. Videns enim se solum sine spe posteritatis derelictum, pietatis affectu doluit; sciens vero scriptum: *Non est prudentia, non sapientia, non consilium contra Dominum*, et illud in canonibus, neminem propter obitum carorum suorum[m] nimis debere contristari, deposito moerore se totum contulit ad quaerendam largitatem misericordiae divinae; coenobiorum et ecclesiarum ministros, monachos et clericos diversis elemosinarum donis consolatus, expensas totius sumptus, quem[n] ad praesens habere poterat, peregrinis, viduis et[o] orphanis erogavit. Exterorum[p] etiam monasteriorum ac provinciarum viros munificentiae regiae donis[q] innumeris per nuncios suos saepe visitavit[45].

(Margin: 43; 1031.; Prov. 21, 30.)

* *Hartvicus:* Cuius animam ipsa transitus sui hora cuidam episcopo Graecorum, sanctae conversationis viro, revelatum est deferri per angelos ad caeli palacia[46]. Verum quia pro sanctitatis suae meritis summo ab omnibus diligebatur affectu, ortus est ingens luctus *etc.*

a) bone B 2. 3. 4. b) uiri A. c) Henrici B 1. 2. 4. Hemerici 3. d) *deest* A. e) sibi B. f) *deest* B. g) diligenter B. h) recipere B 1. 2. 4. i) agere et ad ex. A. k) ad nutum disposicionis B. l) *deest* A. m) carorum nimium B. n) que A. quas B 3. quam 4. o) *deest* A. p) Exterarum etiam monasteria prouinciarum mun. B. q) donos A.

43) V. librum Stephani regis de morum institutione ad Emericum ducem, Endlicher Mon. Arpad. p. 299; cf. Die Gesetze des h. Stefan p. 16. Ibi enim vir summus, librum illum a Gerardo, qui Emerici praeceptor fuisse fertur, regis nomine scriptum sibi videri indicat. 44) *Et Heinricus Stephani regis filius, dux Ruizorum, in venatione ab apro discissus periit flebiliter mortuus.* Ann. Hild. h. a. Legendam eius ex cod. B 3 edidit Endlicher p. 193, sed melius scripta extat in cod. Runensi. Eum matrimonio contracto castitatis voto stulte et impie illusisse, quod in legenda asseritur, fabula esse videtur ei pariter ut avunculo ipsius absurde afficta. 45) Nota sunt dona Odiloni Clun. missa, Mon. SS. IV, 634; cf. Fulberti Carnot. ep. 5. ad Bonibertum (Ann. Poson. 1042. *Bonipertus episcopus obiit.*), cui »unum de nostris Priscianis« in Ungariam transmittit. De aurea cruce Casinensibus donata v. Leonem Ost. II, 65. Pontifici Romano casulam misit »quae modo in Mettensi S. Arnulfi basilica, ex dono ut creditur Leonis papae IX, asservatur, in cuius posteriori parte haec verba aureis litteris textili opere adscripta sunt: S. VNGRORVM R. ET GISLA DILECTA SIBI CONIVNX MITTVNT HAEC MVNERA DOMNO APLICO IOHI.« Mabillon Ann. Ord. S. Bened. IV, 206; cf. Oeuvres posthumes III, 477. Ambo inscripti sunt libro viventium ecclesiae sancti Petri Salisburgensis. Karajan, Verbrüderungsbuch des Stiftes S. Peter 121, 14. Gisila regina crucem auream misit Ratisponam »ad tumulum suae matris Gisile«, cuius iconem Praius Diatr. p. 182 exhibet, teste Katona in Hist. crit. regum Hung. I, 395. 46) Similia auctor »vitae beati Henrici filii beati Stephani regis Ungarorum« cap. 7. refert: *Nec hoc pretereundum puto, quod aliquando Constantinopoli cum domino Almo* (Alme cod. Run.) *duce commoranti quidam religiosus canonicus Cesariensis ecclesie ad Grecorum imperatorem missus narravit, se in gestis sancti Eusebii legisse, quia eadem hora, qua beatus Henricus dissolutus est, sanctus Eusebius Cesaree Palestine metropolitanus, cum in processione una cum clero et populo incederet, sonum angelice dulcedinis in excelso audivit, apertisque oculis cordis animam beati Henrici filii sancti Stephani primi regis Pannonie sursum transferri perspexit. Aderat autem et demonum multitudo tanquam si quid in illo deprehenderet, unde offendiculum tanto confessori intenderet. Cumque sanctus Eusebius in hac visione obstupesceret, de sursum audivit, eadem hora hanc ipsam animam beati Henrici in iubilo ad supernam sedem transferri. Eadem quoque visio et melodie dulcedo cuidam archidiacono per orationem sancti Eusebii revelata est. Et quoniam necessaria sunt miracula, ubi humana imbecillitas ad credendum est tarda, tot tantisque virtutum signis dies obitus sui tricesima coruscavit, ut omnibus in regia urbe, ubi sanctum corpus eius humatum est, commorantibus non dies meroris sed*

17. Gravedinem morum, quam in iuventute perceperat[a], usque ad finem vitae tenuit. Vix unquam ad risum labia movit, recolens scriptum: *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat;* (Prov. 14,13.) semper sic apparens, acsi ante tribunal Christi staret, interioribus oculis eius praesentiam vultu verendo[b] conspiciens, Christum in ore, Christum in corde, Christum in cunctis actibus se gestare demonstravit. Diem ultimum semper ante oculos[c] cordis desiderio toto mentis statuens, iam inter patriae caelestis cives quasi quodam angelicae conversationis habitu cupiebat habitare; cunctis Deo placitarum virtutum generibus adornatus, in[d] iusticia[e] sanctitatis coram ipso omnibus[f] diebus vitae suae conversari decrevit, ut in eo iam[g] quaedam futurae glorificationis species clarescere videretur.

18. Tandem per misericordiam Dei dignus centuplicatae retributionis bravio, tactus (1038.) febri cum sibi transitum[h] imminere non ambigeret, accersitis episcopis et primis palatii de Christi nomine gloriantibus, primum cum eis tractavit de substituendo pro se rege, Petro[i] videlicet sororis suae filio, quem in Venetia genitum, ad se vocatum iam dudum exercitui suo praefecerat ducem; deinde monuit illos paterne, fidem[k] orthodoxam servare[l] quam acceperant, amare iustitiam, vincula fraternae[m] karitatis diligere, castitati[n] operam dare, humilitatis studio invigilare, prae omnibus vero novellae christianitatis plantationi custodiam adhibere. His dictis manus et oculos levans ad sydera sic exclamavit: *Regina caeli, imperatrix inclita mundi, tuo patrocinio sanctam[o] ecclesiam cum episcopis et clero, regnum cum primatibus et populo, supremis precibus committo, quibus ultimum vale dicens, manibus tuis animam meam commendo.* Instabat tunc sollempnitas praecipua, celebris angelis et hominibus dies assumptionis eiusdem perpetuae virginis Mariae, in cuius gaudio si[p] dissolutio sui corporis fieret, maioris spem misericordiae se sperans habiturum, precibus haec spiritualibus[q] postulavit, suspiriis et lacrimis obtinuit. Aderat ergo felix illa dies, per eius obitum (Aug. 15.) felicior mox futura; circumstabat cum clero paternitas episcoporum, cum manu[r] ministrorum principalis[s] chorus comitum. Ubi rex Deo dilectus in medio iacens, accepta unctionis spiritalis sacramento, sanctam animam corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi viatico recreatam, anno dominicae incarnationis millesimo tricesimo octavo[t] in manus Virginis perpetuae et sanctorum angelorum aeternae[u] caelestis quieti beatitudinis inferendam tradidit. Factus est planctus maximus suorum, gaudium angelorum; sed hic planctus postea versus est in laetitiam sempiternam tam nascentium quam viventium.

19. Ad exequias funeris eius ex omnibus Pannoniae plagis concurritur; corpus ad sedem regalem, Albam videlicet civitatem[v], deducitur, et quoniam ecclesia beatissimae[w] Virginis ab ipso constructa nondum erat dedicata, inito consilio statuunt pontifices prius basilicam sanctificare, deinde corpus terrae commendare. Perfecta dedicationis sollempnitate, corpus sanctum in medio domus sarcophago candidi marmoris imponitur, ubi per annos plures Dominus per ipsius merita multis incommoda patientibus, febricitantibus, afflictionem et miseriam suam proclamantibus iudiciumque portantibus, beneficia praestitit innumera. Saepe per noctem melodia cantus angelici a[x] multis[y] audiebatur, frequenter odoris suavissimi dulcedo per latera templi dispergebatur.

20. Quievit itaque corpus beatum eodem[z] in loco, non apertis declaratum signorum indiciis[47], 45 annis miro dispositionis ipsius secreto, qui in sanctis suis praedicatur et est (47) mirabilis, ut quot[*] annis sanctus mole carnis indutus terreni coronam imperii per donum

a) receperat B. b) ferendo B 2. sereno al. ferendo 3. sereno 4. c) *deest* A. d) et in A. e) sanctitate et iusticia coram B. f) *deest* B 1. 2. 4. g) ceu *addit* B. h) diem transitus B. i) Petro—ducem *desunt* B 2. 3. 4. k) catholicam fidem observare B 3. l) *hic desinunt codices* A; *sequentia igitur ex solo Hartvici libello proponimus.* m) superne 2. 3. n) et caritati 2. 3. 4. o) sacram 1. 4. p) *deest* 2. 3. ut 4. q) spālibus 2. specialibus 3. r) magno 2. s) principatus 1. t) III. 2. quarto 3. septimo 4. u) *deest* 1. v) *deest* 2. w) eccl. ab ipso constructa in honore beatissime virginis nondum 2. x) *deest* 2. 3. 4. y) *deest* 3. z) loco eodem annis XLV. miro 3. 4. *) quot — corpus *desunt* 2. 3. 4.

gaudii esset; cum nec ipsum patrem meror ob mortem filii angeret, sed eum ob coronam vite eterne filio indubitanter collatam leticia plena perfunderet. Etiam haec initio saec. XII. scripta esse, commemoratione Almi ducis probatur; auctori vita Stephani nondum innotuerat, nam in prologo ait: *Et quia eius* (*Stephani*) *gesta sunt inenarrabilia, nec nostri ingenii congruit parvitati, utilius visum est quatinus filii eius beati Henrici pro modulo nostre possibilitatis edisseramus insignia.* Ceterum in praecedentibus et Graecorum mendacitatem et Ungarorum credulitatem mireris; Ungarus enim fuit auctor, qui de Stephano rege dicit: *Ipse enim noster est rex et apostolus, ipse quoque de iure diabolice potestatis ereptos ad veri Dei cognicionem perduxit.* 47) Vix fieri potuit, ut is qui proxime praecedentia scripsit, etiam haec verba apponeret; sed vide notam sequentem.

gratiae spiritualis gestare merebatur, tot corpus humi gravedine pressum et in pulverem redactum, et hic tempore praedestinato declarari dignius, et in resurrectionis die renovari gloriosius ut[a] mereretur haberet[48]. Hoc quorsum respiciat, quid designet, oculis spiritualibus delectat intendere, quod sine praeordinationis affectu divinae factum non aestimatur[b]. Forsitan quaedam in ipso terreni pulveris aspersio igne divinae examinationis purificanda remanserat, sine qua regnantes quasi quodam iure potentiali vitam praesentem vix aut nullatenus transire[c] queunt.

[1083.] Interiectis itaque 45 annis, cum ad praestanda per eum mortalibus misericordiae suae beneficia sancti sui vellet Deus iam merita declarare, ex Romanae sedis institutione apostolicis litteris sancitum est, ut eorum corpora elevari deberent, qui in Pannonia christianae fidei semina iacientes, sua eam praedicatione vel institutione ad Dominum convertissent. Adveniente vero tempore declarationis eius et laudabilis gratiae eius, quam per ipsum gens Hungarica promeruit, in mundo divulgandae, rex Ladizlaus[d] qui tunc rem publicam administrabat, universa morum honestate praeclarus habitus et virtutum fulgore conspicuus, laudibus et servitio Dei perfecte deditus, Spiritus paracliti perlustratione tactus, habito colloquio[e] cum episcopis et primatibus et totius Pannoniae sapientibus, triduanum cunctis indixit ieiunium, ut quod communi catholicorum utilitati Spiritus sancti donis animarum et corporum salutem operantibus videretur fore proficuum, communi cunctorum deprecatione, ieiuniis et elemosinis fundata, per manifestationem signorum a Christo deberet esse quaerendum. Sed ut ostenderet Dominus, quantae misericordiae rex sanctus fuerit adhuc mortali vivens in corpore, quam iam cum Christo regnans se demonstrabat adhuc prae caeteris operibus approbare, cum triduo sanctum eius corpus totis viribus elevare satagerent, nulla de loco suo potuit arte moveri. Eo namque tempore exigentibus culpis inter praedictum regem Ladizlaum et fratrem eius Salomonem[49] gravis orta seditio fuerat, ob quam Salomon captus in carcere tenebatur. Cum ergo pro elevando corpore frustra conarentur, quaedam inclusa iuxta ecclesiam sancti Salvatoris in Bukan sumlui[f][50] nomine Karitas, cuius vitae percelebris tunc temporis opinio ferebatur, revelatione sibi caelitus facta regi mandavit, eos incassum niti, non posse sancti regis transferri pignora, donec Salomoni a carcerali absoluto custodia libera indulgentia praeberetur. Illo itaque e carcere producto, et triduano iterato ieiunio, cum ad transferendas reliquias sacras tertia die ventum fuisset, lapis ingens superpositus tumbae tanta facilitate[g] sublatus est, acsi nichil ante ponderis habuisset. Completo ergo tertiae diei[h] vespertinali officio, cunctis divinae miserationis beneficia per beati viri meritum praestolantibus, subito plebem suam Christo visitante miraculorum insignia per amplitudinem domus sanctae funduntur caelitus; quorum pluralitas quoniam ipsa nocte numerum excesserat, illud euangelicum hic libet introducere, quod mundi Salvator Iohanni per nuntios sciscitanti, an ipse sit, qui venturus est, per responsum mandaverat: [Matth. 11, 5.] *Caeci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, manci corriguntur, paralitici curantur.* Quorum tamen aliqua, quia cuncta non possumus, innotescere satagimus.

21. Iuvenis quidam omnibus membris dissolutus, annis 12 paralisim passus, manuum et pedum carebat officio. Qui parentum adiumento vectus illuc, recepta totius corporis sospitate signorum fecit initium, atque ad altare haud segniter currens, omnium Christo laudes clamantium augmentavit gaudium. Alius quoque puer septennis a nativitate contractis nervis genibus et manibus reptabat. Quem parentes fide pleni beati viri suffragio conferentes, ipsi prostrati iuxta sepulcrum secum posuerunt gratiam petituri; quam mox consecuti, contractionem nervorum in filio distendi mirabantur, et consolidatis genibus et

a) ut *et* haberet *desunt* 2. 3. 4. *Hic cod.* 4. *loco inepto inserit Hartvici cap.* 15—17 (*v. supra p.* 236 *not.* d) *tanquam lectionem VII. VIII; deinde pergit:* Lectio IX. Post non multum vero temporis egrotationem incurrit, qua postmodum corpore excessit. corpusque eius in ecclesia beate virginis ab ipso constructa sepelitur. Interiectis *etc.* b) estimamus 2. 3. c) ducere 2. 3. d) Ladislaus 3 *constanter.* e) consilio 3. f) bucan sumliu 2. bukatisiuului 3. bukensumlov 4. g) uelocitate 1. h) ieiunio et *inserit* 1.

48) Haec ipsius auctoris rationibus repugnant, quum Stephanum a. 997—1038 regnasse tradat. Quare totum hunc locum *Quievit — queunt* vel saltem verba in solo codice 1 adiecta vel ab Hartvico vel ab altero intrusa existimo; etsi Katona Stephanum a. 993 a patre in societatem ducatus adscitum, annosque ab hoc termino computatos esse statuit.

49) patruelem, filium Andreae, fratris Belae, qui Ladizlai pater extitit.

50) Hodie Bakony-vár in Veszprimiensi provincia, quae illis temporibus Bukansomlyó vocata videtur: nec enim puto hic abbatiam S. Salvatoris de Kapornak intelligi, haec enim in Szaladiensi provincia iacet. PODHR.

plantis omnes eum incedentem videntes, Christi nomen in beati viri meritis laudabili clamore glorificaverunt. 1083. Quem rex Deo devotus, prae nimio gaudio lacrimatus, manibus a terra levatum ad altare portavit[a]; ubi imno laudis prolato, gratias Deo pro beneficiis praestitis in sanitate pueri cum omnibus qui aderant favorabiliter egit. Sic totam noctem Deus per[b] famuli sui venerationem multorum fulgoribus signorum mirabiliter perlustravit, populus vero vigiliis et orationibus intentus, miraculum unumquodque laudum clamoribus manifestum facere non cessabat. His inserendum videtur et illud, quod non solum ibi praesentes, sed longe quoque positi suffragantibus eius meritis celebrem consecuti sunt salutis effectum. Nam cum elevationis ipsius undique coepisset fama crebrescere, variis obsessi languoribus ex omnibus Hungariae finibus ad eius sanctum tumulum quo quisque poterat modo festinare coeperunt. Sed cum aliis praecedentibus alii graviori debilitate prohibiti simul pervenire nequirent, simili tamen misericordia in via innumeri sanati sunt. Unde in[c] permansuram beneficiorum sancti regis memoriam quamplures[d] per eum sanitati redditi, in eodem ubi sanati sunt itineris loco, grandes aggregaverunt acervos lapidum, qui longo ibi tempore postmodum fuerunt. Sed et mulier quaedam, cum inter haec filius eius exalasset spiritum, qui sibi fuerat unicus, exanime nati corpus iuxta sancti regis tumulum deposuit, Dei et sancti eius super eo imploratura solamen. Mira quidem res et nostris obstupenda temporibus! non prius mulier orare destitit, quam filium quem defunctum collocaverat, viventem accepit.

22. Mane facto die post assumptionem sanctissimae virginis Mariae quinto, convenientibus in ecclesiam cum rege[e] principibus, cum clero pontificibus, primum missa pro defunctis est celebrata; deinde sublata tabula marmorea, quae pavimento praeminebat, postquam perventum est ad tumbam, tanta flagrantia suave redolentis odoris in apertione[f] ipsius omnes qui aderant circumdedit, quod in medium paradisi deliciarum Domini se raptos opinarentur. Aug. 20. Ipsa quoque tumba plena fuit aqua parum rubenti, quasi oleo permixta, in qua velut in balsamo liquefacto quieverant[g] ossa pretiosa. Quibus in mundissimo linteamine collectis, in ipso liquore diutissime quaesitus est anulus, qui beati viri dexterae fuerat impositus. Quo non invento, coeperunt quidam iussu regis aquam in caldarias argenteas et dolia effundere, ut evacuato sarcophago certior anuli fieret inventio. Sed mirum in modum quanto magis liquor effundebatur, tanto plus eo crescente tumba replebatur. Quo viso miraculo haustam aquam loco suo restituerunt, nec tamen ea refusa magis ob hoc tumba repleta fuit. Tunc cooperto sepulchro laudes et gratias divinae pietati proclamantes, cum invento thesauro beatissimae Mariae Dei genitricis et perpetuae virginis altare repetierunt. Interim Deus, qui est mirabilis in sanctis suis, effusis suae largitatis beneficiis tam extra quam infra basilicam salutem petentibus miraculorum suorum signis se praesentem esse notificavit, in tantum ut tempus illud dominicae conversationis inter homines videretur revolutum, de quo legitur: *Omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Iesum, et curabantur.* (Luc. 4, 40.) Haec omnia virtus divina non solum ipsa die, sed post tempore multo per merita famuli sui dignata est operari, quod etiam de aliis regionibus, audita beneficiorum Dei fama, pro recuperanda sanitate diversarum invalitudinum morbis laborantes ad suffragium viri beati cum magno desiderio convolarent. Comitissa vero quaedam, nobilitatis eximiae matrona, comitis[h] Albi Udalrici socia, regis Wladizlai[51] sororis filia, nomine Machtildis[i], tribus continuis annis dolore viscerum gravata iam morti proxima fuit; quae a suis in feretro delata, mox ipsa die qua beati viri tumulum attigit, paulatim se meliorari sensit, ac in brevi vitae prioris sospitate recepta, magnalia Dei per famuli sui merita in se remunerata divulgavit. Caetera vero miraculorum Dei prodigia pro dilectione famuli sui caelitus ostensa, non ideo quod fastidirem non scripta dereliqui; sed quia non soli michi pluit Dominus, qui super bonos et malos solem suum clarescere facit, beneficiorum ipsius multiplicitatem cunctorum proficuo consulentem, innumeris sapientibus, quos Hungaria fovet et amplectitur, stilo declarandam commendavi.

23. Illud tantum in fine codicis addere decrevi, quam miro pietatis Dei munere diu quaesitus et non inventus anulus cum ipsa beati viri dextera post translationis eius terminum[k] est manifestatus. Monachus quidam, nomine Mercurius, qui in ordine clericatus the-

a) *hic desinit* 4. b) pro f. s. ueneracione 3. c) *deest* 2. 3. d) complures 1. e) populo 3. f) apparitione 1. g) quieuerunt 3. h) comitis — filia *desunt* 2. 3. i) Mathildis 3. k) trienium 2.

51) Diversa a praecedentibus nominis forma interpolatorem codicis 1 arguere videtur.

1083. sauri perpetuae Virginis custos fuerat, et iam per amorem caelestis patriae saeculo renuntiaverat, ipsa hora qua tumulus fuerat apertus, ne quid sanctarum reliquiarum raperet, redargutione regali procul inde est remotus. Cui tristi vultu in choro residenti iuvenis quidam albis vestibus vestitus pannum involutum tradidit, dicens: *Haec tibi committo servanda, cum tempus fuerit manifestanda.* Post completionem officii sacri monachus in angulo domus 5 pannum expandit, integramque viri Dei manum cum anulo mirifici operis cernens expavit, atque secum nemine sciente ad monasterium[52], quod rex[a] suo regimini commendaverat[b], tempus a iuvene sibi praedictum a Christo praestolaturus, deportavit. Ibi diu solus absconditi in agro thesauri custodiam et excubias exercuit[c]; post fundatores ipsius coenobii conscios fecit, ad ultimum appropinquante tempore rei declarandae, regis ad notitiam perduxit. Qui 10 mox coadunatis episcopis et Hungariae primis, multis a Christo miraculorum ibi beneficiis 53 erogatis, elevandae viri Dei dexterae diem statuit celebritatis[53].

Quid est, fratres, quod caeteris membris dissolutis et in pulverem carne redacta penitus disiunctis, sola dextera manus, ossibus cute cum nervis adhaerente, suae servaverit[d] decus integritatis? Non aliud arbitror divini consilii profunditatem in huius excellentia[e] facti vo- 15 luisse declarare, nisi[f] dilectionis opus et elemosinae cunctos virtutum gradus ascendere. Matth. 5, 7. Unde Veritas dicit[g] in euangelio: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Luc. 6, 38. Et item: *Date, et dabitur vobis.* Item in alio loco: *Sicut aqua extinguit*[h] *ignem*; *ita* cf. Eccli. 3, 33. *elemosina extinguit peccatum.* Merito beati viri dextera fuit aliena putredinis, quae semper pietatis flore revirescens, in alendis pauperibus numquam vacua fuit donis erogationis. Sub- 20 venit quidem in necessitate positis, liberavit oppressos a iugo captivitatis, vestes et hospitalitatem praebuit peregrinis, viduarum et orphanorum miserias et indigentias suas esse computavit, coenam et mandatum dominicum in lavandis egenorum pedibus cottidie renovavit. Elemosinas non de rapina vel aliorum damno, sed de proprii sumptus sacculis effluere fecit; ut domos Dei divites efficeret, sibi voluntatem habendi subtraxit, sicque cunctis 25 ad nutum divinitatis proficiens, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixit. Inde sibi est corporis et dexterae delectabilis et miranda veneratio, inde dulcis et felix aeternae vitae retributio, inde desiderabilis supernorum civium cohabitatio, ubi ipsum irradiat semper lucens et indeficiens splendor unius summaeque Deitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, per infinita saecula saeculorum. Amen. 30

a) *deest* 2. 3. b) commendatum fuerat 2. 3. c) decreuit 2. 3. d) seruauit 2. e) excellenciam 1. f) in 1. g) ait 3. h) *deest* 1. 3.

53) Fertur esse monasterium Berekis, postea Szentjog vel Szentjob dictum, id est de sacra dextra, in provincia Bihariensi. Pluribus de hoc agit Katona ad h. a. 53) 30. diei Maii in kalendariis adscribitur *Inventio dextre sancti Stephani.*

WIPONIS

PROVERBIA TETRALOGUS HEINRICI REGIS VITA CHUONRADI II. IMPERATORIS.

Wipo[1] *saeculo decimo exeunte ex nobili Burgundionum gente editus, auctorum Latinorum poetarum historicorum philosophorum, Virgilii, Horatii, Ovidii, Lucani, Statii, Macrobii aliorumque aeque ac sanctorum Patrum studio eruditus, postquam ordines sacros suscepit, nec rebus publicis abstinendum, nec quae de historia sui temporis visu audituve comperisset, ea sibi soli servanda duxit. Anno* 1024 *curiae Oppenheimensi qua Chuonradus II Heinrico II successor electus est adfuit; postea a novo rege in capellanum adscitus, curiae nisi fortasse morbo impediretur ubique adhaesit, et Heinrico praecipue, Chuonradi filio, familiaritate quadam, paedagogi fortasse, iunctus est. Qua animatus scripta complura puero iuveni regi docendo ducendo erudiendo apta composuit; quorum tamen nonnisi Proverbia, Tetralogus et Vita Chuonradi imperatoris ad nostra usque tempora pervenerunt.*

Proverbia Heinrico Chuonradi imperatoris filio, nondum vero regi, dedicata, ideoque intra diem 26. *Martii a.* 1027 *et diem* 14. *Aprilis a.* 1028 *oblata, praecepta praebent regi futuro utilia memoriae tradenda. Versus quisque duabus partibus constat quae in easdem syllabas desinunt, quaeque autem res ternis versibus absolvitur. Textum Bernardus Pez in Thesauro anecdotorum T. VI. ope codicis Tegernseensis saeculi XII, tum auctoris nomine addito a.* 1733 *Martenius et Durandus in Nova Collectione Monumentorum T. IX. p.* 1095 *sqq. ex codice Trevirensi saeculi XIII, tertio Fabricius in Bibliotheca mediae et infimae latinitatis ad finem libri tertii qualem Martenius ediderat, quarto subsidio codicum Florianensis et Mellicensis in Austria Cl. Hoffmannus Fallerslebiensis*[2] *typis vulgarunt, nec non Cl. Mone*[3] *lectiones codicis Cameracensis saeculi XII. publici iuris fecit; sed codices ab ipsis in coenobiis Austriae evoluti nonnisi* 78 *versus, Cameracensis* 65 *exhibent. Quibus nova iam accedit editio, hisce subsidiis instructa:*

1) *Codice regio Monacensi inter Latinos N.* 14733, *membranaceo saeculi XII. ubi foliis* 77. 78. *proverbia* 90 *habentur. Reliqui autem sunt*

2) *C. bibliothecae Welferbytanae membranaceus in folio saeculi XIII. Cui proxime accedunt*

1) Cf. commentationem meam de vita et scriptis Wiponis in Abhandlungen der K. Akademie der Wissenschaften zu Berlin 1851. 2) in Haupt und Hoffmann Altdeutsche Blätter 1836. I, p. 12—14. 3) in Anzeiger für Kunde des Deutschen Mittelalters 1835. p. 363.

2[b]) C. coenobii Florianensis saeculi XII. qualem Hoffmannus typis dedit, atque

2[c]) C. coenobii Mellicensis, qualem apud Cl. Hoffmannum legimus.

3) C. Trevirensis saeculi XIII. centum versuum a Martenio editus et a Waitzio nostro denuo cum editis collatus.

4) Pezii editio codicem Tegernseensem 99 versuum hodie deperditum saeculi XII. exprimens.

5) C. Vaticanus saeculi XIII. in bibliotheca Christinae reginae N. 1896 signatus, quem Bethmannus noster in usum nostrum exscripsit, 53 versus exhibet, omissis scilicet hic illic in ordine reliquis.

6) C. Cameracensis N. 467 membr. saec. XII. versuum 65, a Cl. Mone et Bethmanno evolutus[4]; ordine proverbiorum immutato, desinit in versu 82[o]. Quos praeter

7) C. inter Theologos N. 575[5] Vindobonensis chartaceus saec. XV. prout Denis in catalogo codicum Theologiae T. I. p. 369. 370 refert, inter alios versus proverbia quoque nostra praebet ita inscripta: Hoc scripsit Wibbo imperatori Haynrico; specimina a Denis allata scribam pro arbitrio textum immutasse indicare videntur; quare codicem excutere supervacaneum fore iudicavimus, praecipue quum totum hoc genus ab instituto nostro potius alienum sit.

Carmen quo Wipo frigus anni 1033 centum versibus cecinit haud amplius extat; de carmine in obitum Chuonradi imperatoris, quod Heinrico filio regi mense Februario a. 1040 lacum Bodamicum visitanti porrexit, infra videbimus.

T e t r a l o g u s* H e i n r i c i r e g i s, die nativitatis Christi anno 1041 regi Argentinae Augustaeve oblatus, laudi inserta salutaria praecepta offert, quibus Heinricus ad bene gubernandum imperium instrueretur. Tetralogus vocatur, quod in eo Poeta ipse, Musa, Lex et Gratia partes agunt. Est igitur quasi speculum Romani imperatoris, nec bene a Petro Canisio primo editore[6] Panegyricus inscribitur, quum auctor ipse ea de re dubium relinqui non sinat. Canisius codicem unicum Augustanum nactus exscripsit, nec tamen desiderium eius iterum evolvendi amovit, quum nonnullis in locis textus medela egeat, quam tamen aliquoties et ipse Canisius adhibuit. Dolemus igitur librum hodie latere; certe eum bibliothecae regiae Monacensi minime illatum esse Föringerus noster litteris suis certiores nos reddidit. Versus item a Canisio editi quibus Wipo die nativitatis Domini regi ad mensam sedenti gratulatus est, eodem fere tempore scripti sint.

Carmina Wiponis alia duo, B r e v i a r i u m[7] scilicet de bello Chuonradi II contra Liuticios gesto, et G a l l i n a r i u s[8] fortasse de bello Chuonradi contra Odonem Campaniae comitem, hucusque latent. Quo maioris pretii opus historicum d e g e s t i s C h u o n r a d i et H e i n r i c i habeamus necesse est, utpote a viro optimo, rerum quas narravit aequali et haud raro teste oculato, veritatis aeque capacis ac studioso, summa integritate animi conscriptum. Se quaecumque narrat aut ipsum vidisse aut ab aliis rerum testibus, quales Heinricum Lausonensem episcopum et Burgundionum proceres indicat, accepisse profitetur, nec ullis libris usum. Liber annis 1048 vel 1049 ad finem perductus[9], Heinrico imperatori fortasse exeunte mense Aprili a. 1048 Constantiae oblatus

4) v. Archiv VIII, 431. 5) v. Archiv II, 637. 6) Lect. antiq. I, 2. et in editione Basnagii T. III. p. 161—170. 7) Vita Chuonradi cap. 33. 8) ib. cap. 6. 9) subiugata Ungaria anno 1043 (cap. 1), Heinrico imperatore, igitur post nativitatem Domini a. 1046 (praefatio), ante rebellionem Casimiri regis Poloniae quae vere a. 1050 contigit (cap. 29).

est; certe eum iam proximis annis ab Herimanno Augiensi[10] *historiae annorum* 1024—1039 *conscribendae adhibitum constat. Saeculo XII. Ottoni Frisingensi*[11] *et Zwettlensi chronici Mellicensis continuatori ad manus fuit.*

Typis primum datus est a Pistorio a. 1607 *inter Rerum Germanicarum veteres Scriptores VI, cuius editionem posteriores omnes repetere satis habuerunt.*

Textum igitur restituendum suscepi ope codicum

1) *Carlsruhani, in archivo serenissimi Magni Ducis Badensis adservati; a Dümgio nostro olim reperti*[12], *atque ante hoc biennium petenti mihi Berolinum transmissi. Est chartaceus in folio, saeculo XVI. exeunte exaratus, ex codice antiquo transscriptus ut textus ipse et verba in fine „Revidirt cum Originali manupropria" fidem faciunt. Scriba complures locos in praefatione codicis, fortasse primo folio lacero, lectu difficilis truncavit, praecipue in nominibus propriis scribendis sui saeculi morem secutus est, litteram Z minime intellexit, ceterum haud dubie veram lectionem non uno in loco solus servavit, ita ut eo demum evoluto textum sanum sistere liceat. Ex eodem cum ipso fonte provenit*

2) *liber a Pistorio in bibliotheca quadam Sueviae repertus et inter Rerum Germanicarum veteres Scriptores VI. Francofurti a.* 1607 *p.* 421 *sqq. expressus, cuius textus iterum a.* 1653, *tum addito titulo tomi tertii collectionis Pistorianae a.* 1654, *et tertio in nova Pistorii editione a Struvio curata T. III. p.* 459 *sqq. prodiit*[13]. *Quemadmodum libri superioris ita et huius scriba litteram Z non intellexit*[14].

Capitis ultimi, scilicet pro obitu Chuonradi imperatoris, versus viginti priores in codicibus duobus reperi:

3) *C. universitatis Cantabrigiensis N.* 1552 *membr. saec. XI. fol.* 440, *ubi inter alia saeculi X et XI. carmina quorum aliqua I. G. Eccardus in Quaternione Monumentorum edidit leguntur, et in*

4) *C. regio Bruxellensi membr. saec. XII. olim Sancti Petri Gemblacensis, nonnulla saeculi XI. carmina historica complexo.*

5) *Continuatio Zwettlensis chronici Mellicensis aeque atque Herimanni Augiensis et Ottonis Frisingensis textus, novae Wiponis recensioni non sine fructu adhibiti sunt.*

Ultimi operis quod Wipo scribendum sibi proposuerat, historiae scilicet Heinrici III. imperatoris, vestigia nulla supersunt, et dubitari poterit, num vere unquam scriptum sit, an inceptum tantum et ab Herimanno Augiensi absolutum, cuius libri reliquias quasdam in Annalista Saxone annis 1039—1048 *servatas esse opinari licet*[15].

PROVERBIA.

PROVERBIA WIPONIS EDITA AD[a] HEINRICUM CHUONRADI IMPERATORIS FILIUM.

Incipit[b] inventum, referens[c] proverbia centum.
Pax[d] Heinrico, Dei amico.

Decet regem discere legem.
Audiat rex quod[e] praecipit lex.
3 Legem[f] servare hoc[g] est regnare.
Notitia[h] litterarum lux est animarum.
Saepius offendit qui lumen non adtendit[i].
Qui habet scientiam[k], ornat sententiam. 6

a) ad regem H. 2. b) *versus deest* 1. 5. c) quod fert 2. 2b. 2c. confertque 7. d) P. H. D. a. *desunt* 3. 5. e) que 1. 3. quid 2. f) *hunc versum antecedenti praemittit* 2. g) *deest* 1. 2. 2b. 2c. 5. 6. h) Notia 1. i) accendit 5. 6. k) sapientiam o. scientiam 2.

10) Scripsit annis 1049—1054; v. editionem SS. T. V. 11) Chronicon lib. VI, cap. 28. 29. 30. 31. 12) Archiv I, p. 464. 13) Inde excerpta habet Bouquet SS. Gall. T. XI, 1—5. 615—620. 14) Editionis apographum est codex regius Taurinensis v. Archiv V. p. 474. 15) V. Commentationem meam in fine.

Melior est sapientia, quam secularis potentia.
Plus unicus[a] sensus quam multiplex census.
9 Est sapiens multum, qui amat Dei cultum.
Vir fidelis coronatur[b] in caelis.
Bene credit qui[d] neminem laedit[e].
12 Qui fidus[f] est seniori, adproximat honori.
Qui confidit in Deo, fortis est ut leo.
Melius est in Deo sperare, quam divitias congregare[g].
15 Firmissima spes, beatissima[h] res.
Karitas non ficta, odit[i] delicta[k].
Qui diligit fratrem, placat Deum patrem.
18 Regnum caelorum non est invidorum[l].
Melius est se[m] humiliare[m*] quam exaltare.
Humilis homo triumphat in domo[n].
21 Qui per ardua vadit, saepissime[o] cadit.
Viri mites rennuunt lites.
Qui assidue rixantur, a paucis amantur.
24 Malos pro Deo tollerare, est superare[p].
Pacis[q] donum est omnibus bonum.
Qui in pace fundantur, non eradicantur.
27 Incendium[r] bellorum corruptio est morum.
Homo[s] pudicus est animae amicus.
Ubi frequens[t] luxuria, non deerit penuria.
30 Voluptas mundana semper est vana[u].
Iudicis sententiam oportet sequi[v] clementiam.
Melius est interdum[w] ignoscere, quam vindictam poscere.
33 Qui miseretur, misericordiam consequetur.
Verbum veritatis subveniet[x] iudicatis.
Falsus in ore caret honore.
36 Qui[y] falsitate vivit, animam[z] occidit.
Qui est hilaris dator, hunc amat Salvator.
Omnis avarus nulli est carus.
39 Bonis[*] tribuere, non est[a] minuere[b].
Ubi pugnat sancta oratio, ibi vincitur[c] tribulatio.
Incessanter orare, est delicta purgare[d].
42 Bene orat, qui in corde plorat[d*].
Ieiunium forte liberat a secunda morte.
Qui non potest ieiunare, discat elemosinam dare.
45 Melius est mendicare[e], quam aliis nichil dare[f].
Bene[g] vigilabit[g*], qui a bono non cessabit[g*].
Melius[g] est interdum dormire, quam diabolo servire.
48 Dormire non[h] multum, exhilarat vultum.
Qui se fatetur reum[i], ille placat Deum.
Ubi est[k] vera penitentia, ibi Dei[l] clementia.
51 Oportet enim[m] parcere diu positis in carcere.
Valde decipitur, qui numquam corripitur.
Amicabilis[o] increpatio non est dampnatio[p].
54 Oleum peccatoris est laus adulatoris.
Ubi longa ebrietas, ibi brevis est[q] pietas.
Vinum multum et forte parum distat a morte.
57 Per crapulam[r] cibi[s] et potus perit homo totus.
Per moderantiam pervenitur ad habundantiam.
Mediocritate[t] pura gaudet natura.
60 Proverbium *Ne quid nimis* laudatur[u] in primis.
Iuvenis animosus[v] senex fiet[w] gloriosus.
Qui torpescit dum calet, frigidus nichil valet.
63 Qui vacat[x] in iuventute, turbatur in senectute.
Fortes viri omnibus sunt miri.
Reges et praesides non decet esse desides.
66 Mundi rectores aequent cum nomine mores.
Viri pontificales sanctis sint[y] aequales[z].
Medici animarum exorbitent parum.
69 Contra lupum vigilare est[**] raptus vitare.
Qui viduam[a] defendit, ad Christum regem tendit.
Qui vindicat pupillum, Deus[b] coronat illum.
72 Pauperum consolator aeternae vitae est amator.
Oportet cavere vanitatem[c] videre.
Cor incendit oculus[d], ut stipulas[e] foculus.
75 Voluptas non visa cicius est[f] elisa.
Qui libenter bonum audit, corde Deo plaudit.
Melius est[g] pauperem audire quam sonitum lirae[h].
78 Incassum miseros audit, qui os et manum claudit.
Lingua placabilis ligno vitae est comparabilis[i].
Lingua dolosa semper est odiosa.
81 Qui loquitur modeste, liber est a peste.
Manus sine opere mendicabit propere.
Manuum labores praestant honores.
84 Qui bonum operatur, a Deo benedicatur[k].

a) vincit 1. 2. 2^b. 2^c. 6. 7. b) coronabitur 6. d) qui opus bonum implevit 7 f) fidelis 2^b. 2^c. 6. g) adunare 6. h) beatificat 1. 2^b. 2^c. 3. i) abluit 5. k) dedista 2. l) Iudeorum 1. superborum 5. m) *deest* 2. m*) humiliari *corr.* humiliare 1. n) domino 2^b. 2^c. o) invadit saepe 6. sepius 3. semper 2^b. p) spare 1. q) *versus deest* 2. r) Incendia 2. s) Non *corr.* homo 1. t) f. est l. 2^b. 2^c. est f. l. 5. u) 2^c *hic inserit:* Qui amat voluntatem mundi, facit officium peccandi. v) esse 2. w) *deest* 5. x) subueniat 1. y) Q. in f. v. 5. z) omnia 2. 3. *) Bona 3. a) e. rem m. 5. b) *versus deest* 2. c) pugnat 1. d) *hic* 5. *inserit:* Qui se ad temptationes paraverit, semper letus erit. d*) Qui in corde plorat, ipse bene orat 5. e) manducare 1. 2. 2^b. 2^c. f) *versus deest* 3. g) *versus duo desunt* 2. g*) vigilat... cessat 1. h) *deest* 2. i) r. p. sibi d. 2. ille *deest ed.* 2^b. 2^c. k) *deest* 6. l) sepe 1. ibidem est 2^b. 2^c. est et 2. est dei 5. m) *deest* 6. o) Amabilis 2. 6. p) *hoc loco* 1. *inserit:* Manus sine opere mendicabit propere. q) *deest* 2. r) crapulum 1. s) vini 2. t) Mediocriter plura 3. Mediocri etate 2^b. 2^c. u) laudetur 1. v) religiosus erit s. g. 5. w) fit 3. x) Q. non proficit 5. y) *ita* 5. *reliqui* sunt. z) coequales 2. **) r. e. 2. a) v. non offendit 2. v. offendit .. r. non attendit 2^b. 2^c. b) dominus 2. c) unitatem invidere 2. d) oculos 1. *falso.* e) stimulus faculus 1. f) erit 2. 2^b. 2^c. 3. 5. g) Prestat p. 2. 2^b. 2^c. M. p. 5. h) 2^b. 2^c. *addunt:* Deo namque feneratur qui pauperi miseretur. *Reliqua ibi desunt.* i) conspabilis 1. k) amatur 2. *hic desinit* 6.

Beati pedes, qui visitant[a] infirmorum[b] aedes.
Cum Deo ambulare est animam salvare[d].
87 Qui migrat ad aeternam sedem, non offendit pedem.
Iniquum est ob[e] beneficium reddere supplicium.
Qui reddit malum pro bono[f], indignus est dono[g].
90 Bono[h] vincere mala, est ad caelum scala[i].

Mundi contemtus a Deo est inventus.
Qui amat mundum praesentem, sequitur rem fugientem.
Melius est supernum concilium[k] quam huius vitae exilium[l]. 93
Superna patria[m] pulchra tenet atria.
Tendat[n] filius et frater, quo[o] vocat illos Pater[p]
Cum[q] Domino dominorum in regno caelorum[r]. 96

Quid fugis ex[s] illo, qui claudit cuncta pugillo?
O quicumque velis mentem coniungere caelis,
Qua resident[t] iusti serto palmisque venusti,
100 Mundi sperne minas, et res pede subige[u] blandas[v].

TETRALOGUS.

INCIPIT PROLOGUS IN TETRALOGUM[w] REGIS.

Domino regi fide et verbis catholico, actibus gloriosissimo Heinrico tertio, Wipo famulorum minimus suorum, quod ros Hermon excelso monti Sion.

Sanctae pietatis tuae accessibilis celsitudo imbecillitatem meam facit, domine rex, ad gratiae tuae desiderabile culmen festinare: et sicut stellio, qui nititur morari in aedibus regis, sic ego, licet omnibus modis obscurus, claritatis tuae gaudia tamen in scriptis meis desidero frequentare. Et quoniam, testante Salomone, gloria est regis investigare sermonem, feci tibi, domine mi rex, hunc brevem Tetralogum, quo et curas insomnes rei publicae interdum levigare, et animum ad ea, quae tibi persuasa sunt, possis excitare. Est autem tetralogus quatuor personarum sermo. Ibi poeta primum hortatur Musas ut te laudent. Chorus Musarum benedicit et laudat te dominum regem. Deinde Lex te alloquitur cum his consiliis, quae satis conveniunt tuae dignitati. Postremo Gratia miti affatu temperabit, ad quod te Lex ex iure incitavit. Ad haec perlegenda sit tecum legis et gratiae mediator Iesus Christus salvator, cuius regnum et imperium non deficiet in aeternum. Vale domine mi rex piissime. Prov. 25, 2.

EXPLICIT PROLOGUS.

POETA.

Doctae Pierides, memorandas edite laudes,
Dicite perpetuas Heinrico[a] deprecor odas,
Regis et immensum diuturnent carmina sensum.
Huius res laetas millesima proferat aetas;
5 Hoc decus ingenii superet duo tempora mundi;
Dum mundus pereat, regis sapientia vivat.
Si puer et iuvenis sic floruit omnibus actis,
Quos dabit hic fructus maturo tempore ductus?
Pangite; materiam rex praestat laudibus aptam;
10 Vos dictate mihi, dictatum scripsero vestri.

a) Henrico *ed.*

MUSAE.

Principio Regi benedicimus omnipotenti,
Qui caput est regum, quo gloria crescit eorum,
Qui Pater in Nato pariter cum Pneumate sancto
Lege sub aeterna dominus regnabit et ultra;
15 Hunc pie laudemus, nam summam laudis habemus:
Hoc habeat munus, qui regnat trinus et unus.

a) instant *corr.* visitant 1. b) pauperum 1. d) seruare *corr.* saluare 1. e) ad 1. f) malo 2. g) deo 2. in dono 1. h) Scala erigitur in celum, cum in bono vincitur malum 5. i) *hic desinit* 1. k) consilium 3. l) auxilium 3. m) P. t. a. s. p. 3. n) Tendit 3. o) qui 3. p) *codex* 2 *subiungit:* Adhereat lingua mea fauci meae si non propter vos in princ. let. Vale valens longum valeas gaudio per evum. Amen. q) *huius vice* 3 *inserit:* Auro coelesti sunt semper gaudia festi. r) *versus hic in codice* 2 *agmen claudit, sed hic removendus erat.* s) ab 5. t) residens 2. u) contere 5. v) primas 2. w) EPILOGUM *in textu Canisius.*

At rex noster homo ditatus perpete dono,
Tertius Heinricus, virtutum regnat amicus,
Alter post Christum regit orbem circiter istum.
20 Ipsum laudemus, nam causas laudis habemus,
Et pius Heinricus per nos modo sit benedictus,
Versibus imprimis repetito nomine regis,
Ut quotiens sancti surgant pro rege vocati,
Rex totiens Christo placeat de nomine mixto.
25 Rex Heinrice, Deo regum karissimus[a] esto.
Rex Heinrice, piae karissimus[a] esto Mariae.
Rex Heinrice, duci dilectus sis Michaheli[b].
Rex Heinrice, polis splendescas fonte Iohannis[c].
Rex Heinrice, tuus sit ianitor aethere Petrus.
30 Rex Heinrice, boni te firmet epistola Pauli.
Rex Heinrice, tuos Andreas dirigat actus.
Rex Heinrice, preces hos curet virgo Iohannes[d].
Rex Heinrice, Thomas te vertat in omne quod est fas.
Rex Heinrice, tuus sit ductor ad alta Philippus.
35 Rex Heinrice, pares Iacobi sint te redimentes.
Rex Heinrice, Deo placeas tribuente Matthaeo.
Rex Heinrice, tuam Simon corroboret aulam.
Rex Heinrice, piam Thaddaeus det tibi vitam.
Rex Heinrice, Deum teneas per Bartholomaeum.
40 Rex Heinrice, vias tibi praeparet ore Mathias.
Rex pie, cum Stephano sis laetus semper in alto,
Teque pares Stephani benedicant ordine cuncti.
Rex bone, Silvester tibi sit per saecula dexter,
Teque sui socii benedicant ordine cuncti.
45 Virginibus sacris placeas ex omnibus actis,
Omnes te sancti redimant de crimine mundi;
Sit rex sanctorum fautor tuus atque tuorum,
Haec tibi, rex, Musae cantamus voce sonora,
Atque chorus noster renovat tua carmina semper;
50 Ut tibi laus crescat, dum sol et luna patescat,
Nos damus officium quo crescat gloria rerum.
Ex nostris donis manifestant verba Maronis,
Quid pius Aeneas, quid Turnus posset in armis.
Fistula Musarum Flacco dictaverat odas,
55 Ut Maecenatem fecisset laude perennem.
Haec eadem docuit Lucanum dicere bella
Caesaris et magni quae durant ultima secli.
Ex nostris monitis callebat Statius auctor
Thebanos iuvenes miseris discernere flammis.
60 Nasonis studium totus recitaverat orbis,
Ex nostris curis ornavit scripta figuris.
Regibus antiquis laudes cantavimus olim
Et de principibus scribendi creverat usus.
Numquam sic libuit quemquam laudare potentem
65 Ut dominum regem, quem prodit nobile nomen
Heinrici, veterum de magno germine ductum.
Rex, tibi cantamus, tibi laudis dona paramus.
Accipe, de nostris ut vivas mortuus actis.
Nos operam dabimus, quo possit dicere mundus:
70 Tertius Heinricus fuit olim pacis[e] amicus;
Fama sui meriti superabit tempora mundi.
Sic tibi cantabit, quem mundus adhuc generabit.

a) charissimus *ed.*
b) Michaeli *ed.*
c) Ioannis *ed.*
d) Ioannes *ed.*
e) *ita corrigit Canisius;* paucis *tamen legit.*

Nonne tibi merito magni debentur honores
Atque favor populi, post omnia portio coeli?
75 Nam karus[a] populo, placuit saepissime Christo,
Quem regem talis virtutum copia lustrat.
Numquid abest aliquid, quod regis gloria quaerat?
Omnia spe vel re venerunt commoda per te.
Si petimus pacem, tu rex praestaveris illam;
80 Si cupimus bellum, tu rex commiseris illud;
Quodsi consilium, tu rex dabis utile multum;
Si volumus studium, tu rex decus es studiorum.
Omnes munificos tu rex praecellere nosti,
Inter clementes tu rex clementior extas,
85 Sic castigandos tu rex ratione flagellas.
Quicquid in humanis consistit moribus aequi,
Hoc Deus aut totum vel partem condidit in te.
Quam prudens opifex, qui commoda materiei
Elegit primum, de qua bona tanta pararet;
90 Quem de gente virum Dominus discerneret auctor,
Qui foret imperio modo post haec aptior isto!
Forma, genus, probitas concordant omnia regi;
Omnia conveniunt, concurrunt cuncta per illum,
Solus habet totum, quod plures auxerat olim.
95 Salve certa quies populorum tempore nostro;
Salve pax orbis, mundi fortissima turris,
Hostes ecclesiae quae sternis semper abunde;
Unde sui capitis mundus praevidit honorem.
Tu caput es mundi, caput est tibi rector Olympi,
100 Cuius membra regis iusto moderamine legis.
Tales vult Dominus, quibus est haec maxima virtus,
Mens humilis multum, cum qua te novimus ortum.
Cervicem pronam decet acceptare coronam.
Rex humilis crescit, quoties oriente diescit;
105 Et cadit elatus, semper saevire paratus.

Suasio regis.

a) charus *ed.*

EPILOGUS.

Carmina Musarum, rex, perlege pauca tuarum.
Sit locus hic aliis tibi reddere munia laudis.
Wipo tuus famulus si vult defendere tempus,
Ut scribat regi, quod Lex dictaverit illi,
110 Hic nobis istos persuasit claudere versus.
Sis Christo curae, pie rex caesarque future,
Et vivas sanus centeno tempore canus.

CARMEN LEGIS PRO LAUDE[b] REGIS.

Ad regis laudes Lex ambas erigit aures:
Ut segetes pluviis, sic cresco laudibus istis.
115 Non plus mulcet apes mellitos lambere flores,
Quam me laus regis, qua constat pactio legis.
His mihi sit verbis, quod rore virentibus herbis,
Quando dies verni reparabunt gaudia mundi.
Quid satius Legi, quam dicere talia regi?
120 Salve flos patriae, quo fructum pacis habere
Non dubitat mundus; qui regnas orbe secundus,
Post Dominum coeli dignus mundana tueri.

b) *ita emendavi;* plaude *ed.*

Salve stirps regum populis veneranda per aevum.
Radix magna fuit, quam ramus talis adauxit;
125 Nobile germen erat, quod mundum floribus ornat.
Una viri virtus multum praestare solebit,
Commendatque nimis probitas semel edita quoddam
Quod faciunt plures caput unum regis habentes,
Quas numerare volens seriem facit ordine longam.
130 Sed tamen ex cunctis sex regem magnificabunt
Virtutes aliasque satis praecedere norunt:
Mens humilis, pietatis amor, pax missa per orbem,
Nobilitas et forma decens [a], fiducia belli;
Has voco praecipuas et regis honoribus aptas,
135 His rex Heinricus Christi clarescit amicus.
Ad mea nunc venio, quae novit mundus in illo:
Sunt mea quae dicam, quia sum Lex, ille meus rex;
Et qui me spernit, rex eius praelia sternit;
Qui mea iura colit, rex hunc defendere novit.
140 Rex Christo karus nullum vastabit avarus.
Vile putat studium, si quis comportat in unum
Quicquid habere potest, cum ius non quaerat habendi.
Est dives multum contemptor divitiarum;
Auri surdus amor miseris clamantibus obstat.
145 Vendiderit leges captura pecunia reges,
Et de principibus iustos furabitur usus;
At rex Heinricus vir prudens prospicit illud,
Ut tunc curet opes, cum nullum sunt reprimentes;
Nec contra legem flectunt donaria regem.
150 Sic facit ut doctus; quis rex est doctior illo?
Quis caesar melius, si quid rubrica [16] vetavit,
Scire valet primis, quam discere coeperat, annis.
Felix sit genitor redivivus laude perenni
Conradus caesar, quem maxima causa subivit,
155 Ut sciret natum studiis ad regna paratum,
Qui rector populi [b] mundum discernere posset;
Felix sit mater memorando carmine digna
Gisela, de Caroli procedens sanguine Magni.
Nam si post decimam numeretur linea quarta,
160 Post Carolum Magnum nascetur nobilis ipsa.
Haec operam dederat, quod rex in lege studebat;
Illa sibi libros persuaserat esse legendos,
Ut varios ritus diiudicet arte peritus.
Doctrinae lumen tenebrosum dirigit orbem;
165 Gentes infestas vicit Romana potestas
Olim consiliis; non semper vicerat armis.
Est satis expertum, quantum sapientia possit,
Quae per vim verbi flectit moderamina regni.
Rex iterum salve! tibi laus sit cum genitrice;
170 Ad cuius votum tibi dat sapientia totum,
Quo decus imperii valeas per iura tueri.
Congaudete simul; non ut discordia regnet,
Quae dudum regni turbavit gaudia nostri,
Cum dominis rerum sit pax sine fine dierum.
175 O sanctos mores cum matri reddis honores;
Est tibi spes vitae, si sit sibi gloria per te.
Si quid erat, rite Deus illud transtulit ipse;
Exin nullus homo foedus dissolvere possit,

a) *ita emendavit C.* docens *ed.*

16) Iohanne notante rubrica scribitur pro lege.

b) publicus *ed.*

Quod Deus adiunxit, qui pacis dona creavit.
180 Perstet dulcedo materni nominis in te;
Cum valeas alios acquirere semper amicos,
Mater in hac vita non plus tibi venerit ulla.
Quin aliud dicam tibi rex ego consiliatrix,
Lex tua, ne renuas post dictum commemorare.
185 Cum Deus omnipotens tibi totum fregerit orbem,
Et iuga praecepti non audet temnere quisquam,
Pacatusque silet firmato foedere mundus,
Cumque per imperium tua iussa volatile verbum
Edocet Augusti de claro nomine scriptum;
190 Tunc fac edictum per terram Teutonicorum,
Quilibet ut dives sibi natos instruat omnes
Litterulis, legemque suam persuadeat illis,
Ut cum principibus placitandi venerit[a] usus,
Quisque suis libris exemplum proferat illis.
195 Moribus his dudum vivebat Roma decenter,
His studiis tantos potuit vincire tyrannos:
Hos servant Itali post prima crepundia cuncti,
Et sudare scholis mandatur tota iuventus:
Solis Teutonicis vacuum vel turpe videtur,
200 Ut doceant aliquem nisi clericus accipiatur.
Sed, rex docte, iube cunctos per regna doceri,
Ut tecum regnet sapientia partibus istis.
Praeterea tibi, rex, mandat Burgundia, surge
Atque veni, propera, noviter subiecta vacillant
205 Interdum, domino per tempora multa remoto.
Funditus est verum veterano tempore dictum:
Quicquid abest oculis, removetur lumine cordis.
Quamvis nunc pacem teneat Burgundia per te,
Auctorem pacis tamen in te cernere quaerit,
210 Et cupit in regis sua lumina pascere vultu.
Huc ades, et regnum fac, te veniente, serenum.
Si sol occubuit cum caesar regna reliquit,
Irradias patriam si tu modo viseris illam.
Haec olim magno domuisti regna labore;
215 Utere nunc populis, tibi, rex, servire paratis.
Haec via sit facilis, quam praeparat orbita pacis:
Huc bene venias, hic omnia prospera cernas.

CARMEN GRATIAE PRO REGIS HONORE.

Omnia plena bonis: Sic optat Musa Wiponis,
Haec ego Lex cecini devoto carmine regi:
220 Audi, spes orbis, quid dicant intima cordis,
Quid velit haec series, quas addat Gratia laudes.
Gratia te laudat, tibi grates Gratia cantat;
De vena mentis salientia carmina sentis,
Post iustam Legem comitetur[b] Gratia regem,
225 Et post iudicium veniae mulcedo sequatur.
Sicut vulneribus medicinam ferre solemus,
Sic condemnatis succurrat mos pietatis.
Lex ad vim regi generat feriendo nocentes;
Ut sit carus item rex idem, Gratia suadet:
230 Legem scripsit homo, descendit Gratia caelo;
Lex servire docet, dominari Gratia monstrat;

a) *fortasse* venerit. CAN. venerat *ed.*

b) *ita emendat Canisius;* comeretur *ed.*

Lex condemnabit, sed Gratia iustificabit.
Hoc dicendo bonam prorsus non denego Legem;
Sed laudans veniam, commendo regibus illam.
235 Non satis una valet, si non manet altera secum.
Frangitur haec fortis; contemnitur altera mollis.
Est bona temperies, quam Lex et Gratia miscent;
Hae si coniunctae, generabunt pacis amorem.
Non laudo pondus, quod nemo ferre valebit.
240 Viribus inspectis onerabit Gratia lapsos.
Rex dominus coeli, miserando iudiciales
Abscondens poenas, conversos protegit hostes.
Hunc imitare, peto, pie rex Heinrice, Tonantem,
Qui miserans[a] parcit, parcendo crimina punit,
245 Sic utrumque bonum doceat regnare patronum,
Per quem Lex feriat, quo Legem Gratia sanet.
Hoc, venerande, tibi praedixerit ordo sacrandi,
Cum praesul gladium femoris vertigine cingit.
Dum rex iratus fueris, miserando quiesce.
250 Dura foventur aquis, durescunt[b] lenia flammis;
Alternatque vices moderatae ius rationis.
Hinc adamas durus solvetur sanguine molli;
Conseritur vitrum melius per vincula plumbi:
Ferrum cum limo massa candente liquescit.
255 Et natura iubet mutari tristia blandis:
Post acidum dulcem praestat gustare saporem;
Post dulces acidos iterum confundere gustus.
Non haec propterea tibi, rex, narrare paravi,
Ut te clementem dominum regnique parentem
260 Quis dubitet; sed eos qui tantum lege moventur
Castigare libet, quibus haec pia dogmata trado.
Cum Deus omnipotens in mundo cuncta creavit,
Solus homo liber percepit dona creantis.
Mox libertatem primam vaga mens viciavit,
265 Coeperunt miseri dono rationis abuti;
Et potuisse malum traxit natura per usum.
Ecce Deus legem superaddidit hoc reprimentem,
Cuius transgressor non impunitus abiret,
Ac poenam metuens redeat perversa voluntas,
270 Iudiciumque probet, quam sit peccare malignum.
Sic Dominus clemens servos revocare volebat.
Non tulit illud homo, poenali lege gravatus,
Ut per vindictam posset compescere culpam;
Et mortale iugum laesa cervice dolebat.
275 Occiditur, ait Lex, qui semel est homicida,
Et qui moechetur, cum moecha mox lapidetur.
Dens pro dente cadat; lumen pro lumine vadat;
Pesque pedem reddat; manui manus altera cedat;
Vulnera vulneribus responsum reddere certent.
280 Qui detestatur genitores, hic moriatur,
Qui furtum faciet, sine poena non remanebit.
Quinque boves unum redimant cum fraude remotum.
Qui furatur ovem, reddat cum quatuor unam.
Si maledicet homo, moriatur pro maledicto.
285 Sic Lex verborum contorquens tela suorum,
Terrebat plures, et desperare coegit;
Clamabat populus sub tanto pondere pressus,

a) miserando *ed.*
b) durescant *ed.*

Vociferabat homo fessus religamine duro;
Hoc non posse pati, fore tempus iam miserendi.
290 Audivit Dominus clamantes, et miserorum
Respondit gemitus solita pietate Creator.
Venit in hunc mundum carnis velatus in umbra,
Humani generis formator et ipse redemptor.
Non repulit legem, sed iustum dans moderamen,
295 Ne moreretur homo, veniam cum lege locavit;
Ut cum Lex mortem promittat, Gratia vitam,
Erigat haec humiles, ut dissipet illa rebelles;
Conversis[a] veniam iudex non abneget ullus.
Sic Deus omnipotens per vates dixerat olim:
300 *Nolo peccantis mortem, nec gaudeo poena:*
Convertatur, ait, vivat, mihi serviat ipse
Conservatus homo, quem prisca in sede repono.
Nunc idem Dominus veniens in tegmine carnis
Inquit: *Discipulis hoc mando, discite, cunctis,*
305 *Crimina poeniteant, et vita perpete vivant,*
Peccatum pereat, peccator vivere discat.
Qui se convertit, non est hic, qui fuit olim.
Non dicam hic, vitae quid sit clementia verax:
Quod gratis dabitur, clementia iure vocatur.
310 Qui recipit meritum, veniam quis dixerit illud?
Si quis peccanti converso vult misereri,
Et parcens misero, vindictam sumere nescit,
Hic veniam tribuit; sic poenam Gratia spernit.
Propitietur homo confratri crimine lapso.
315 Qui cadit et surgit, spes est ut vivere possit.
Omnes peccamus, peccantibus hoc faciamus
Quod Dominus nobis, qui clemens est inimicis.
Cum veniam laudo, non Legem temnere quaero.
Lex bona, si veniam dorso portare studebit;
320 Gratia tunc prodest, cum Lex praecesserit illam.
Et Lex obstanti, sed Gratia sit redeunti;
Sic in utroque bono dabitur consistere mundo.
Nunc tibi sit regi pax et clementia Christi;
Tu princeps orbis sis Christi munere fortis,
325 Tu Dominus regni vivas in pace perenni.
Sic vult Wipo tuus cum fido pectore servus.

a) *ita corrigendum videtur.* Conversus *ed.*

VERSUS WIPONIS AD MENSAM REGIS.

Regalis coetus sit in isto tempore laetus,
Quo lux in tenebris exoritur populis.
Inter laetandum res suadet commemorandum,
Quod Deus est natus, filius ipse datus.
5 Parva dedit Bethleem de magno germine panem,
Qui satiare valet, quicquid ubique manet.
Panem de coelo porrexit gratia mundo;
Panis adest vivus perpetuusque cibus.
Fons salientis aquae diffusae pocula vitae:
10 Hinc quicumque bibet, non iterum sitiet.
Mellis dulcedo per Christum fluxit Olympo,
Ut sapiant famuli delicias Domini.

Bos renuit foenum cum vidit nobile granum,
Et praesepe Dei praecavet os asini.
15 Virgo Maria, vide, mirando talia ride,
Ex te per verbum cerne Deum genitum.
Rex pie, coelestis nostris illabere festis;
Da fructum pacis, sicut ubique facis;
Heinrico regi digneris propitiari,
20 Ut cum laetitia pertrahat officia.

VITA CHUONRADI IMPERATORIS.

EPISTOLA AD REGEM HEINRICUM CHUONRADI IMPERATORIS FILIUM.

Gloriosissimo imperatori, Heinrico tertio regi, ad pacem et bellum idoneo, Wipo[a] *Dei gratia presbyter, quod*[b] *servus regalium servorum, huius orbis domino dominantium. Vitam illustrem et inclyta gesta Chuonradi*[c] *imperatoris patris tui, domne imperator, scribere oportunum existimavi, ne lucerna lateat sub modio, ne solis radius sit in nubilo, ne virtus memorialis obducatur oblivionis rubigine. Gesta enim illius nisi praeclara et valde lucida praecederent, a sequenti nimio splendore tuarum virtutum viderentur aliquatenus*[d] *obscurari. Mihi*[e] *autem servulo tuo is animus est, si Deus annuerit*[e]*, utriusque acta referre quae acciderunt*[f] *me superstite, ita inter vos*[g] *distinguendo*[h]*, ut*[i] *alterum rem publicam utpote Romanum imperium salubriter incidisse, alterum eandem rationabiliter sanavisse veraciter dicam. Quodsi hinc plus vel minus, vel aliter quam se integritas rerum habet, scribo vel dixero, non erit culpa scribentis sed narrantis, quoniam cum plurimum tempus infirmavi, non potui in capella senioris mei Chuonradi frequenter adesse. De his autem quae ipse vidi et ab aliis accepi, fructum a vobis colligere volentibus stilo*[k] *veritatis innixus propalabo. Et quoniam*[h] *sunt quaedam quae vivente*[l] *patre laudabiliter egisti, eadem inter acta patris ponenda censueram; quae vero post obitum illius gloriose feceras, per se ordinanda decrevi. Si vero aliqui calumniantes obiciunt mihi, hoc opus supervacuum*[m] *esse cum et alii de eadem re scripserint, licet inde nondum aliquid scriptum vidissem, respondebo: In ore duorum vel trium stabit omne testimonium: et verba Christi in euangelio non per unum solum, sed per quatuor testes idoneos in ecclesia dilatari. Tibi, summe imperator, hoc opus devoveo, tibi gesta patris repraesento, ut quotiens ipse res clarissimas agere mediteris*[n]*, prius paternas virtutes velut in speculo imagineris, et illud in te floreat abundantius, quod haereditasti a patriis radicibus, qui ut cunctos antecessores tuos in quibusdam divinis et mundanis rebus superasti, ita regnum et imperium tuum diuturnius omnibus illis, favente Deo omnipotente, merearis obtinere. Vale.*

Deut. 19,15.

INCIPIT PROLOGUS.

Rerum labentium fugitivam memoriam litterarum vinculis connectere, et praesertim christiani imperii laudes inerti silentio non transire, cum et his, qui hoc in hac vita bene administrabant, inde quaedam perpetuitatis perduret gloria, tum posteris, si aemulari parentes velint, bene vivendi apposita sit forma, aptum et conveniens esse putavi, quia[o] utile exemplum imitantis animum promptiorem atque firmiorem in rebus agendis reddere solet. Item fit plerumque, ut de laude maiorum facile nascatur verecundia et confusio posterorum, si se his saltem non aequaverint, cum gesta eorum fama docente laudaverint. Ut enim virtus plerosque vulgares nobilitat, sic nobilitas sine virtutibus multos nobiles degenerat. Praeterea videtur non licere de victoriis catholicorum principum tacere, et tyrannorum infidelium triumphos largis vocibus[p] publicare. Satis inconsultum est, Superbum Tarquinium, Tullum et Ancum, patrem Aeneam, ferocem Rutulum[q], et huiusmodi quoslibet et scribere et legere: nostros autem Carolos atque tres Ottones, imperatorem Heinricum secundum, Chuonradum[r] imperatorem patrem gloriosissimi regis Heinrici tercii, et eundem Heinricum regem in Christo triumphantem omnino negligere. Verendum est modernis scriptoribus vitio

a) Wippo 2c. b) *deest* 2. c) Conradi 1. 2. *aliquoties*. d) ab Alimannis 1. e) Multi autem *lacuna* annuerit 1. f) acciderint in s. 1. g) *ita emendavi;* nos 1. 2. h) distinguenda sint. Licet vero Et quoniam *ita* 1. *media desunt*. i) *ita legendum est;* ut in alterum 2. k) stylo 2. l) iuuante 1. m) supervacaneum 2. n) meditaris 2. o) *deest* 1. p) p. S. i. e. S. *desunt* 1. q) rutillum 1. r) Conradum 1.

torporis apud Deum vilescere, cum primitiva auctoritas veteris testamenti, quae historias[a] patrum fructifero labore diligenter exarat, novarum rerum frugem in memoriae cellario recondi debere praefiguret et doceat. Sic Abraham[b] Loth fratruelem suum in bello liberasse commemoramus; sic filios Israel hostes diversos superasse comperimus. Sic David regis praelia, Salomonis consilia, Gedeonis ingenia, Machabaeorum pugnas propter scriptorum copiam prae oculis habemus. Veteres enim philosophi diverso modo rei publicae consuluerunt. Referebant plerumque somnia probabilia, quibus animos auditorum inducerent in id quod affirmare instituerunt; interdum ad idem officium fabulosas narrationes, honestis rebus et nominibus velatas, cum huiusmodi figmenta nil philosophiae refragentur, adinvenerunt; saepe apertis disputationibus rationis fidem faciebant rei publicae rectoribus, animos humanos aeternos esse, et — ut refert Macrobius Socratem dixisse — animam post animal non perire; atque omnes pene philosophi, humani studii fructum non una[c] cum vita ipsius terminari, sed omnes qui patriam adiuverint et legem conservaverint sempiterno aevo feliciter perfrui, iustitiae vero contemptoribus iusti Creatoris iudicio poenam reservari, indubitanter docuerunt. Animam vero humanam immortalem esse, id ex multis rationibus probarunt, tum inde quod, dum corporeis nexibus inclusa, ea libertate utitur[d], ut modo sydereos recessus, modo terrestres, interdum marina abdita, quae numquam corporaliter videbat, vivaci motu[e] cogitationis percurrat[f]: aliquando vigilante, interdum quiescente corpore, plurima futura suo non alieno visu colligat, eaque memoria retineat: nebuloso velamine carnis[g] exuta, multo liberius eadem vivacitate perfruatur. Idque credere, quin potius scire, maximo usui fore principibus aiebant, qui saepe per insolentiam torpescentes, sequentis vitae commoda minus attendunt. Quamobrem victoribus statuas et monumenta quam amplissima fecerunt antiqui, eorumque acta inscribi debere censuerant, ut illis mortuis honor extaret ad perpetuam memoriam posteritatis, quorum animas vivere credebant in perpetuum. Licet ipsi humana tantum sapientia investigarent immortalitatem animae, quae illis necdum a Christo aut promissa vel ostensa fuerat: hinc tamen adducti, et iustitiam ipsi colebant, et hanc rectoribus patriae scriptis suis diligenter inculcabant. Acta vero rei publicae mori simul cum eius rectoribus arbitrati sunt, nisi quod[h] accidit notaretur; et propter desidiam silendi maximam pernitiem fieri, si ex scriptis remanentibus non pateret, illud unum quodcumque sequi defunctum, cui vivus adhibuit studium. Nos autem, a quibus sermo Veritatis eliminavit torporem taciturnitatis, dicens: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, praedicate super tecta,* cur principibus christianis et euangelicae fidei assertoribus sustinemus negari, quod suis ultro offerunt pagani? Si enim nostri catholici reges, verae fidei defensores, legem ac pacem Christi, quam nobis per euangelium suum tradidit[i], sine periculo erroris gubernant, qui eorum benefacta scriptis suis manifestabunt, quid aliud quam euangelium Christi praedicabunt? Quamvis animus scribentis vacillet aggredi arduas res, maturo consilio, morali gravitate, summaque[k] constantia peractas, et si inepto luxu vel ficta audacia aut cupiditate flagitiosa fiant res, in quibus cunctis scriptorem oportet versari: et in actis[l] eorum, quos notat, vulganda sunt tam gesta quam omissa, prout facultas ingenii dederit, ex qua re boni ad virtutem incitantur, mali autem honesta invectione corriguntur. Illa igitur est causa scribendi, quod nulla vetat religio[m], et commendat intentio[m], et proderit patriae, et bene dictio[n] conducit posteritati[n]. Quod praeterit, in promptu est[o]; quicquid autem futurum est, non est in praenotione. Qua de[p] re atque spe adductus, haec[q] scribere volui ad[r] communem utilitatem legentium[s], quod audientibus esset iucundum. Nam si quid in his quod honestum[t] afferatur, in potestate lectoris ad imitandum erit in propatulo: quod[u] etiam facio meo[v] provectu, ut qui multis prementibus vitiis corpus[w], excitante Deo[x], ociositatem, velut animae inimicam, his occupatus negotiis vitare valeam. Siquidem cum de publicis gestis paratus sum dicere, praecipue duorum acta regum complectar, scilicet Chuonradi imperatoris, atque filii eius regis Heinrici tertii, quem Heinricum Lineam Iustitiae cuncti pene prudentiores cognominant. Patris vero gesta quae meis temporibus acciderant, prout ipse vidi aut relatu aliorum didici, calamis pingentibus, ignaris

Matth. 10, 27.

a) hystorias 1. b) Abraam 1. c) f. una c. 1. f. non c. 2. d) utatur 1. e) metu 1. f) percurrit 1. g) carius 1. h) ni quid 1. i) s. p. *bis habet* 1. k) summa 1. l) et malefactis 1. m) relligio scriptis commendare, sed silentio, et 1. n) benedicitur . . . veritati 1. o) q. a. f. e. n. e. in p. *desunt, lacuna* 1. p) *deest* 1. q) *lacuna*; h. s. v. *desunt* 1. r) et ad 1. s) legendam 1. *lacuna usque* Nam. t) inhonestum 2. honestum sit 1. *lacuna usque* ad. u) q. e. f. *desunt, lacuna* 1. v) et meo 1. w) torpore 1. x) domino 1.

successoribus effigiabo. Acta autem clarissima filii, quoniam adhuc Dei[a] gratia superstes regnat, quam diu vixero congregare non desinam. Quodsi hoc acciderit, ut[b] sicut ante regem hanc vitam mihi contigit introire, sic mihi accidat exire, et eo modo opus meum imperfectum deseram, obsecro post me scribentem, ne pudeat illum meis fundamentis parietes suos superponere; ne spernat stilum cadentem erigere; ne invideat meis coeptis, sicut nollet[c] aliquem[d] invidere suis[e] finitis. Si enim qui incepit, medium habet, non oportet esse aliquem in huius operis calce ingratum[f], qui principium inveniet praeparatum. Haec de prooemii compendio proposui; nunc ad gesta imperatoris veniam; sed prius de electione eius, quam idonea fuerit, pauca edisseram, ut inde probabilius scribere valeam, si prius, qui pontifices vel caeteri principes tunc temporis regni praesidio fuerint[g], commemorabo.

1.[h] De conventu principum.

1024. Iul. 13. Anno ab incarnatione Domini 1024 imperator Heinricus secundus, bene compositis imperii rebus, cum iam post longum laborem maturum fructum pacis metere coepisset, imperio incolumi, mente sana, corporis correptus est infirmitate, qua invalescente, 3. Idus Iulii hanc vitam excessit. Cuius corpus de Saxonia ad sepeliendum ducitur ad locum qui dicitur Pabenberc[i], ubi ipse bono zelo ac studio fundavit episcopatum omni ecclesiastico apparatu insignem. Ad cuius dedicationem domnum apostolicum nomine Benedictum ascivit, cuius auctoritate[k] ad tutandum locum privilegia publica stipulatione confirmavit. Post imperatoris obitum res publica, amisso[l] patre tamquam desolata, in brevi vacillare coepit. Unde[m] cuique optimo[n] metus et sollicitudo, pessimis autem in voto imperium periclitari erat. Verum divina providentia anchoras ecclesiae commisit[o] viris pontificalibus et his gubernatoribus, quales ad ducendam patriam sine iactura in portum[p] quietis eo tempore superesse oportebat. Nam cum imperator sine filiis obiisset, quilibet potentissimus secularium principum vi magis quam ingenio nitebatur aut fieri primus aut quacumque pactione a primo secundus. Ex qua re discordia pene totum regnum invasit; adeo ut in[q] plerisque locis caedes, incendia, rapinae fierent, si non is impetus illustrium virorum sufflamine impediretur. Imperatrix vero Chunigunda, quamquam maritali vigore destituta foret[r], tamen consilio fratrum suorum, Theodorici[s] Mettensis[t] episcopi, et Hezilonis[u] ducis Baioariae[v], pro viribus rei publicae succurrebat[w], et ad restaurandum[x] imperium aciem ingenii[y] mentisque[z] sollicita consideratione direxit.

Res petit, ut dicam summorum nomina quaedam,
seu pontificum sive secularium principum, qui tunc in regnis vigebant,
Quorum consiliis consuevit Francia reges
eligere, ne ea quae dicturus sum, quasi fortuitu videantur fieri, sed ut[*], quod prudentissimorum virorum consulto cernitur actum, utile et honestum atque optimum factum credatur. Eo tempore archiepiscopatum Moguntinensem[a] rexit Aribo[b], natione Noricus, nobilis et sapiens, aptus regalibus consiliis[c]; Coloniensem vero archiepiscopatum Pilegrinus[d] tenuit, consanguineus Aribonis[e] archiepiscopi[f], providus[g] et ad id officium idoneus; Treverensem quoque archiepiscopatum gubernavit Poppo[h], frater Ernusti ducis, vir pius et[i] humilis, qui eodem tempore filium fratris sui, ducem Ernustum, cum ducatu Alamannico[k] sub tutela habuit; Mettensem episcopatum Theodoricus, nobilis et in virtute strenuus, possedit; Argentinae civitati Werinharius episcopus praefuit generosus, in divinis et secularibus officiis studiosus; Wirzeburgensi[m] ecclesiae insedit Mazelinus[n], sapiens et in ecclesiasticis dignitatibus fidelis; Pabenbergensem episcopatum Eberhardus rexit, primus episcopus illius ecclesiae, vir ingenio et moribus rei publicae valde necessarius; Constantiensis ecclesiae praesul erat Heimo, vir sapiens in Deo[o], modestus et providus ad seculum; Augustam Vindelicam regebat episcopus Bruno, frater Heinrici imperatoris, utilis et clarus ingenio[p], si fraterno

a) diuina 1. b) atque 1. c) nolit 1. d) aliquid addere 1. e) s. non finitis 2. f) i. aut carpere opus praeparatum 1. g) fuerant 1. h) *numeros addidi.* i) Pabenberg 2a. 2c. Padenberg 2b. k) authoritate 1. 2. l) a. p. *desunt* 1. m) *deest* 1. n) *lacuna;* optimo *usque* Verum *desunt* 1. o) c. v. *desunt; lacuna* 1. p) portu metis 1. q) impletis l. 1. r) fieret 1. s) Theodorici 2b. Theodericus 1. 2. *passim.* t) metensis 1. 2. *constanter.* u) heppedonis 1. hetzelonis 2. v) bavariae 1. 2. *sed vide infra c.* 13. w) succurrere 1. x) restaurationem imperii 1. y) *deest* 1. z) que *deest* 1. *) *deest* 1. a) moguntiensem 2a. 2c. b) arbas 1. c) sceptris 1. d) piligranus 1. pelegrinus 2. e) arbonis 1. f) *deest* 2. g) p. et *desunt; lacuna* 1. h) popo 1. i) prius erat 1. k) alem. 1. 2. *saepius.* m) *ita Zwettl.* Wurceb. 1. 2. n) *ita Zwettl.* Macelinus Marcellinus 1. Macelinus Marcelinus 2. o) in deo *desunt* 1. p) in regno *Zwettl.*

odio, quo imperatori oberat, non obscuraretur. Iuvavensem ecclesiam, quam vulgari sermone Salzburc[a] dicunt, rexit bonae memoriae[16] Guntherus archiepiscopus, frater Eberhardi[b] et Herimanni comitum, mitis et bonus apud Deum et homines; Ratisponensis ecclesiae episcopus[d] erat Gebehardus[e] benevolentiae gratia conspicuus; Frisingensem ecclesiam regebat Eigilbertus[f] episcopus, providus gubernator cleri et populi sui. Cum istis multi alii pontifices et abbates ex iisdem regionibus aderant, quos[g] singulos nominare operis fastidium generat[h]. Saxoniae praesules, quoniam[h] me latuit quid de vita eorum nominibus addicere conveniret[i], memorare vitavi, quamquam et eos summis rebus adesse[k], consulere, succurrere procul dubio perceperim. Italiam transeo, cuius principes in brevi convenire ad regiam electionem nequiverunt; qui postmodum in urbe Constantiensi cum archiepiscopo Mediolanensi et reliquis principibus occurrentes regi, sui effecti sunt, et ei fidelitatem libenti animo iuraverunt. Duces autem supradictis viris contemporanei[l] hi fuerant: Benno dux Saxoniae, Adalbero[m] dux Histriae, Hezilo[n] dux Baioariae[o], Ernustus dux Alamanniae, Liutharingorum[p] dux Fridericus, Ribuariorum dux Gozelo[q], Chuono[r] Wormatiensis dux Francorum, Uodalricus[s] dux Bohemiae[t]. Burgundia enim nondum Romano imperio, ita ut nunc, acclivis fuerat. Quod autem modo[u] subiecta est, trium regum gloriae adscribitur. Secundus Heinricus imperator primum eam subicere impendit[v], et bene in hoc studio perseveravit. Deinde Chuonradus[w] imperator animoso impetu Francos Latinos[x] hostiliter[y] ex ea eiecit, belloque eam subiugavit. Ad extremum rex Heinricus tertius, pius, pacificus, linea iusticiae[z], bello et pace eandem Burgundiam temperavit[*] cum magnificentia: ubi quae divina providentia tam pacis quam belli consiliis, conciliis et conventibus, quibus interdum ipse interfui, peregit, alias commemorabo. Nunc ad propositum redeo. Ungaria[a] autem, quam idem rex Heinricus tertius nobili atque mirabili[b] victoria domuit, et post victoriam sapientissimo consilio sibi et successoribus suis stabilivit, praedicto tempore nec audire nos sustinuit.

Supra memorati episcopi et duces caeterique potentes, haud aliter periculum minitans melius aut citius evadere rati[c], summa ope et industria memorabili utebantur, ne res publica diutius sine regente nutaret. Privata consilia et animos singulorum, cui quisquam consentiret, cui dissentiret, aut quem sibi dominum optaret, epistolarum et legatorum commoditas conferebat, neque id in[d] vanum[e]. Nam providentiae est, interius praeparare[f] quo foris indiges, et[g] consilium ante opus semen est sequentis fructus. Frustra enim ab altero auxilium expectas, si ignoras[h] quid desideres. In rebus arduis secreto consulere, paulatim deliberare, velociter facere, bonum exitum habebit. Tandem condicta est dies notatusque locus, fit[i] publicus conventus, qualem me vidisse[k] antea non memini. In quo conventu quid actum sit dignum memoria, scribere non differam.

2. De electione regis.

Inter Moguntiae confinia et Wormatiae locus est[l] amplitudine, planitiei causa, multitudinis maximae receptibilis, ex[m] insularum recessu ad secretas res tractandas tutus et habilis; sed de vocabulo et situ loci plenius dicere topographis[n] relinquo, ego autem ad inceptum redeo. Ibi dum convenissent cuncti primates, et ut ita dicam vires et viscera regni, cis et circa Rhenum castra locabant. Qui dum Galliam a Germania dirimat, ex parte Germaniae Saxones cum sibi adiacentibus Sclavis, Franci orientales, Norici, Alamanni convenere. De Gallia vero Franci qui supra Rhenum habitant, Ribuarii, Liutharingi[o], coadunati sunt. Quaeritur de re summa, dubitatur de electione incerta, inter spem et metum suspensi alterna desideria cum invicem cognati, tum[p] inter se familiares diutissime explorabant. Neque enim de mediocri re consulendum fuerat, sed de ea quae nisi ferventi pectore maximo studio coqueretur[q], ad pernitiem totum corpus regni terminaretur[r]. Et ut proverbiis communibus

a) Salzburg 1. Saltzburc 2. b) Erkenhardi *Zwettl.* alias Eccardi *addit* 2. d) episcopo 2a. 2b. e) *ita Zwettl.* Burckhardus 1. al. Kebehardus *addit* 2. f) *ita infra Zwettl.* Albertus 1. 2. Agilbertus *addit* 2. g) eisdem r. *lacuna* hos 1. h) generat *lacuna* me 1. i) conuenerit 1. k) ab ore 1. l) et temporanei 1. m) Adelbero 1. 2a. 2c. Adelberto 2b. n) H. d. B. E. d. A. *desunt* 1. Hetzilo 2. o) Boioariae 2. p) *ita Zwettl.* Lutar. 1. 2. q) Coredo 1. Cozelo *Zwettl.* r) Cuno 1. 2. s) Uldaricus 1. Udalr. 2. t) Boemiae 1. 2. *passim.* u) s. e. m. 2. v) intendit 2. temptavit *Zwettl.* tentavit *addit* 2 *in parenthesi.* w) cum aliis 1. x) *deest* 2. F. et Lat. *Zwettl.* y) hostili tenebat belloque 1. z) *hinc lacuna usque* Ungaria 1. *) adtemptavit *Zwettl.* a) Vulgaria 1. b) admirabili 2. c) nati 2. d) in *deest* 2b. e) vacuum 2. f) est interpretari 1. g) *deest* 1. h) ignoret 1. i) *deest* 1. k) *lacuna usque* quo 1. l) *deest* 1. m) e. i. r. *desunt lacuna* 1. n) typographis 1. o) Luth. 1. 2. p) tunc 1. q) conquereretur 1. r) terminaret 1.

16) obiit anno 1026.

1024. utar: *Expedit ori*[a] *bene coquere cibum, qui crudus sumptus generat periculum;* et ut aiunt: *Medicamen in oculis ponendum, caute est providendum.* Eodem[b] modo cum diu certaretur quis regnare deberet, cumque alium aetas vel nimis immatura vel ultra modum provecta, alium virtus inexplorata, quosdam insolentiae causa manifesta recusaret[c]: inter multos pauci electi sunt, et[d] de paucis admodum duo sequestrati sunt, in quibus examen extremum, summorum virorum summa diligentia diu[e] deliberatum, in unitatis puncto tandem quievit. Erant duo[f] Chuonones[g], quorum unus quod maioris aetatis esset maior Chuono vocabatur, alter autem iunior[h] Chuono dicebatur, ambo in Francia Theutonica[i] nobilissimi, ex duobus fratribus nati quorum alter Hezil[k] et alter Chuono dictus est; ipsos vero ab Ottone duce Francorum natos accepimus cum duobus aliis Brunone et Willihelmo[l], ex quibus Bruno apostolicae sedis Romanae ecclesiae papa effectus, mutato nomine Gregorius appellatus est; Willihelmus factus[m] Argentinensis ecclesiae episcopus, miro modo eam sublimavit. Praedicti duo Chuonones cum essent, ut dictum est, ex parte genitorum nobilissimi[n], haud secus ex materno genere claruerant. Iunioris Chuononis mater Mahthilda[o] de filia Chuonradi regis Burgundiae[p] nata fuit. Maioris Chuononis mater Adalheida[q] ex nobilissima[r] gente Liutharingorum[s] oriunda fuerat[t]. Quae Adalheida soror erat comitum Gerhardi et Adalberti, qui semper cum regibus et ducibus confligentes, ad extremum causae[u] propinqui[v] sui Chuonradi regis vix[w] acquiescebant[x]; quorum parentes, ut fertur, de antiquo genere Troianorum regum venerant, qui sub beato Remigio confessore iugo fidei colla supponebant. In his duobus, id est in maiore Chuonone et iuniore[y], diu pendebat reliqua nobilitas; et quamquam maiorem Chuononem secretiori consilio et avido desiderio propter virtutem et probitatem illius pene omnes eligerent, tamen propter iunioris potentiam, ne pro honoris ambitione dissiderent, animum suum ingeniose quisque dissimulabat. Ad extremum vero divina providentia contigit, ut ipsi inter se convenirent quodam pacto, in tam dubia re satis convenienti, quod[z], si quem illorum maior pars populi laudaret, alter eidem sine mora cederet. Aestimo quod dignum sit dicere, qua ratione maior Chuono suum prodidit ingenium, non quod ipse desperaret regere[*], unde iam nutum Dei principum cordibus inspirari[a] percepit, sed ut cognati animum, quo minus in novis rebus perturbaretur, confirmaret. Hac igitur[b] praestantissima oratione illum alloquitur: *Rebus prosperis condignum gaudium nec gravitatis modum excedit nec quemquam ingratum esse pro*[b] *acceptis beneficiis sinit, et*[b] *sicut in adversis dampnosa*[c] *pusillanimitas ad deteriora trahit, sic in secundis honesta iucunditas hominem ad meliora ducit, et parum valet fructus partae*[d] *felicitatis, qui moderata alacritate non pascit animum laborantis. Hoc modo animi mei vigorem magnis gaudiis augeri sentio, quod*[e] *ex tanta concione consensus parilis omnium nos duos solummodo praevidebat, quorum alterum regali fastigio locaret. Neque enim aestimare debemus vel nobilitate vel divitiis propinquos nostros antecedere, aut aliquid nos promeruisse tanta veneratione dignum, verbis, manibus non oportet extollere. Maiores nostri gloriam suam factis quam dictis prodere maluerunt: communi vita contentos esse decebit quoslibet inter aequales. Quicquid autem id est, quod ad aliquid habiliores reliquis putamur, inde grates auctori Domino*[f] *reddamus. Nobis ergo cogitandum est, ne qui aliena consensione digni tanto honore aestimati sumus, proprio et familiari dissidio indigni hac gratia videamur. Stultum est enim aliena potestate pro sua nimium abuti. In omni electione nemini licet de se ipso iudicare; licet autem de alio. Quodsi alicui de se liceret, quot regulos, non ut*[g] *reges dicam, videremus? Non erat nostrae potestatis hanc dignitatem ex multis inter binos coarctare. Vota, studia, consensus Francorum, Liutharingorum, Saxonum, Noricorum, Alamannorum, quam*[h] *optimam voluntatem habebant, ad nos conferebant, tamquam ad unius stirpis propaginem, veluti ad unam domum, sicut ad indissolubilem familiaritatem; quos ex tam multis causis connexos dissolvi posse inimicitiis, nemo suspicabitur.*

Concordare decet quotquot natura ligavit,
Quae sibi cognatam iungit amicitiam.

Quodsi ultro oblata ab aliis aliqua re impediente reicimus, hoc est si invicem discordamus, certum

a) enim 1. b) Eo 1. c) r. et i. 1. d) et — sunt *desunt* 1. e) *deest* 1. f) ibi 1. g) Chunones 1. 2. *saepe.* h) minor *Zwettl.* i) Teutonica 1. 2. Theut. *Zwettl.* k) *ita Zwettl.* Heihel 1. Hetzel 2. Heinricus *Herimannus.* l) Wilhelmo 1. 2. *saepe.* m) f. est a. 1. n) nobilissimorum 1. o) Mathilda 1. Machilda 2. p) *ita Zwettl.* 1. 2. Lombardiae 1. alias Longobardiae *addit* 2. q) Adelberta 1. Adelberta vel Adelbera vel Adelheyda 2. r) gloriosissima *in parenthesi addit* 2. s) Lotharingorum 1. 2. *hic et passim.* t) fuerunt 2a. 2b. fuerat, Conradi regis, soror erat c. 1. u) causa 2. *Zwettl.* v) populi 1. w) *deest* 1. x) quiescebant *Zwettl.* y) minore *addit* 2. z) *ita* 1. *Zwettl.* ut 2. *) rex fieri 2. a) inspiratum 1. *in parenthesi addit* 2. b) *deest* 1. c) magna 1. d) parcae 1. e) et 1. f) deo 2. g) r. ne 2. h) qui 2.

est quod populus tunc velit nos deserere ac tertium quemlibet sibi quaerere; et nos non tantum summo honore privabimur, sed quod omnibus bonis morte detestabilius est, infamiam[a] *ignaviae et invidiae incidemus, quasi et tanti regiminis virtutem non possimus*[b] *sustinere, et alter alterius, quod*[c] *inter consanguineos magnum nefas esse puto, cedere nolit*[d] *honori. Maximus igitur honor, summa potestas circa nos adhuc versabitur, et ita ad nos pervenit, ut si velimus, in altero nostrum remaneat*[e]*. Quocirca mihi videtur, si in uno de nobis hic honor coadunatus remanserit, ut alter eiusdem honoris participatione ulterius quodammodo non careat. Sicut enim in regum parentes, quamvis cuncti reges non sint, honoris quaedam derivatio transfunditur, sic et hi qui conscripti et praenominati ad potestatem fuerint, licet ad hanc non perveniant, tamen honore quodam inde nato penitus non carebunt, cum ad summam*[f] *dignitatem immeriti non exigerentur. Praeterea si regum cognati propter reges honorantur, cumque omnes erga nos tales esse velint quales invicem consentanea mente fuerimus, et eo modo provectus alterius ex altero pendeat: qui feliciores nobis esse poterunt, si alter regnabit, alter regnanti publicam rem per benevolentiam suam quasi solus*[g] *praestabit? Quare cauti simus, alienum propinquo, incertum certo non praeferamus*[h]*; ne hodierna dies, huc usque pro tali arbitrio satis laeta et iucunda, longi temporis infortunium nobis pariat, si*[i] *conceptam tanti populi benignitatem male inter nos tractabimus. Quod ne fiat ex mea parte, omnium cognatorum meorum dilectissime, quid de te sentiam, dicere volo. Si animum populi cognovero te velle, te desiderare in dominum et regem, nullo pravo ingenio hanc benevolentiam a te revocabo, quin potius te eligam tanto avidius caeteris, quanto me sperabo tibi gratiorem illis. Si autem Deus ad me respexerit, debitam vicem mihi a te rependi non dubito.*

Ad haec iunior[k] Chuono respondit, totam hanc sententiam sibi acceptam fore; seque illi sicuti cognato karissimo, si eum res summa vocaret, omnem regiam fidelitatem facturum, certissime promisit. Inter haec verba maior Chuono, pluribus videntibus, paululum se acclinans cognatum osculatus est; quo osculo primum deprehensum est, utrumque illorum alteri acquievisse. Hinc sumpto indicio concordiae consedere principes, populus frequentissimus astabat:

Tunc quod quisque diu velatum corde tegebat,
Ferre palam licitum gaudebat tempus adesse.

Archiepiscopus Moguntinensis, cuius sententia ante alios accipienda fuit, rogatus a populo quid sibi videretur, abundanti corde, hilari voce laudavit et elegit maioris aetatis Chuononem suum in dominum et regem atque rectorem et defensorem patriae. Hanc sententiam caeteri archiepiscopi et reliqui sacrorum ordinum viri indubitanter sequebantur. Iunior Chuono, pauluium cum Liutharingis placitans, statim reversus, maximo favore illum ad dominum et regem elegit; quem rex manu apprehendens, fecit illum consedere sibi. Tunc singuli de singulis regnis eadem verba electionis saepissime repetebant: fit clamor populi, omnes[l] unanimiter in regis electione principibus consentiebant, omnes maiorem Chuononem desiderabant; in illo persistebant, ipsum cunctis dominantibus nihil haesitando praeposuerunt, eumdemque regali potentia dignissimum iudicabant, et ut nulla mora consecrationis illius fieret postulabant. Supradicta imperatrix Chunegunda regalia insignia, quae sibi imperator Heinricus reliquerat[m], gratanter[n] obtulit, et[o] ad regnandum, quantum huius sexus auctoritatis est, illum corroboravit[p]. Credo quidem huic electioni caelestium virtutum favorem non deesse, cum inter singularis[q] potentiae viros tot duces et marchiones absque invidia sine controversia is eligeretur, qui licet genere et virtute atque in propriis bonis nemine esset inferior, tamen de re publica ad comparationem talium virorum parum beneficii et potestatis habuit. Quamquam archiepiscopus Coloniensis et dux Fridericus cum aliis quibusdam Liutharingis, causa iunioris Chuononis ut fama fuit, immo hoste pacis diabolo instigante, impacati discederent: qui tamen cito reversi ad gratiam regis, praeter[r] eos quos communis conditio mortis praeoccupavit, quicquid ipse praeceperat, gratanter accepere[s]; et archiepiscopus Pilegrinus, quasi pro emendatione prioris culpae, impetrabat a rege, ut sibi liceret in ecclesia Coloniensi reginam consecrare. De qua in sequentibus dicturus, nunc ad regem revertar. Vere Dei nutu electus est, in quo ipse providit testimonium, quod postea rex accepit ab hominibus. Erat enim vir magnae humilitatis, providus consilio, verax in dictis, strennuus in factis, minimum avarus, omnium regum in dando liberalissimus, de cuius

a) infamia 1. b) possumus 1. c) quid 1. d) nolle 1. nollet 2. e) remaneret 2. f) nam ad suam 2. g) *deest* 2. h) proferamus 1. i) sic coeptam 1. sic conceptam 2. k) minor 2. l) omnis 1. m) non gravate *in parenthesi addit* 2. n) *deest* 1. o) obtulitque 1. p) curru dotavit 1. q) singulares 1. r) propter 2. s) accipere 2.

1024. moribus postmodum plenius dixero. Illud tamen[a] hic dicendum est, quod[b] nequaquam potuit remanere ut ille non fieret princeps, et maximus, cui maximarum virtutum vigor inerat. Prov. 15,33. Cum enim scriptum sit: *Gloriam praecedit humilitas*, merito praecessit huius mundi[c] gloriosos, cui regina virtutum adhaerebat. Igitur non erat fas alicui in terra militare[d], quem Deus omnipotens praedestinavit omnibus imperare.

3. De consecratione regis.

Peracta electione, regem sequi Moguntiam[e], ut ibi sacratissimam unctionem acciperet, cum maxima alacritate[f] omnes properabant. Ibant gaudentes, clerici psallebant, laici canebant, utrique suo modo; tantas laudes Deum accepisse ab hominibus una die in uno[g] loco nondum comperiebam. Si Carolus Magnus cum sceptro vivus adesset, non alacrior populus fuisset, nec plus gaudere valeret de tanti viri reditu quam de istius regis primo accessu. Rex pervenit Moguntiam; ibi honore debito receptus, consecrationem suam omnibus desiderabilem devotus praestolabatur.

Sept. 8. Ad quem benedicendum in die nativitatis sanctae Mariae cum archiepiscopus Moguntinensis et omnis clerus sollempniter se praepararent, inter sacra officia regiae unctionis archiepiscopus hoc ad regem usus est sermone: *Omnis potestas fluitantis saeculi de uno fonte purissimo*[h] *derivatur. Solet autem accidere, ut cum plures rivuli*[i] *de eodem principio procedant, alio tempore sint turbidi, alio lucidi, fonte capitali in puritate sua permanente. Eodem modo, quantum humana conditio creatorem et creaturam inter se conferre audet, de Deo rege immortali et terrenis regibus conicere valemus. Scriptum est enim „Omnis potestas a Deo*[k]*“. Is omnipotens rex regum, totius honoris auctor et principium, quando in*[l] *principes terrae alicuius dignitatis gratiam transfundit, quantum ad naturam principii pura est*[m] *et munda. Cum autem pervenerit ad eos qui hanc dignitatem indigne tractaverint, et eam cum superbia, invidia, libidine, avaritia, ira, impatientia, crudelitate polluerint, sibi et omnibus subiectis, nisi poenitendo*[n] *se purgaverint, periculosum potum iniquitatis propinabunt. Oret et intercedat ad Dominum omnis ecclesia sanctorum, ut dignitas quae hodie pura domino et regi nostro Chuonrado praesenti a Deo praestatur, inviolata, quantum hominis est, ab eo servetur. Tecum et propter te nobis est sermo, domne rex. Dominus, qui te elegit ut esses rex super populum suum, ipse te prius voluit probare, et postmodum regnare: flagellat enim omnem quem recipit; dignabatur corripere quem voluerat recipere; placuit ei humiliare quem proposuit exaltare. Sic Deus Abraam servum suum temptavit*[o]*, et temptatum glorificavit. Sic David famulum suum Saul regis iram, persecutionem, iniurias*[p]*, latibula deserti, fugam, exilium pati permisit, quem postea regem gloriosissimum in Israhel fecit. Beatus qui suffert temptationem, quoniam hic accipiet*[q] *coronam. Non sine causa te Deus exercuit, fructum sequentem in te dulcificavit. Permisit te antecessoris tui imperatoris Heinrici gratiam perdere, et eamdem iterum recipere, ut scias modo his misereri qui perdunt gratiam tuam; passus es iniurias, ut nunc scias misereri sustinentibus iniurias; pietas divina voluit te esse sine disciplina*[17]*, ut post caeleste magisterium christianum caperes imperium. Ad summam dignitatem pervenisti, vicarius es Christi. Nemo nisi illius imitator verus*[r] *est dominator; oportet ut in hoc solio regni cogites de honore perenni. Magna felicitas est in mundo regnare, maxima autem in caelis triumphare. Cum vero Deus a te multa requirat, hoc potissimum desiderat*[18]*, ut facias iudicium et iustitiam ac pacem patriae quae semper respicit ad te, ut sis defensor ecclesiarum et clericorum, tutor viduarum et orphanorum: cum his et aliis bonis firmabitur thronus tuus hic et in perpetuum. Et nunc, domne rex, omnis sancta ecclesia nobiscum rogat gratiam tuam pro his, qui contra te hactenus deliquerunt et offensione aliqua gratiam tuam perdiderunt. Ex quibus est unus Otto nomine, vir nobilis, qui te offendebat; pro illo et reliquis omnibus clementiam tuam oramus, ut illis dimittas pro karitate Dei, quae te hodie in virum alterum mutavit et numinis*[s] *sui participem fecit; quatenus ipse tibi eamdem vicem pro universis delictis tuis dignetur rependere.*

In hoc sermone rex misericordia motus ingemuit, et ultra quam credi possit effluebat in lacrimis. Deinde sicut episcopi et duces cum universo populo flagitabant, omnibus, quod

a) tantum *in marg.* tamen 2. b) quae 2. c) modi 1. d) militari 1. e) Maguntiam 2[a]. 2[c]. Moguntiam 2[b]. f) c. claritate m. 2. g) *deest* 2. h) purissime 2. i) rivoli 1. k) est *addit* 2. l) id 1. m) *deest* 2. n) poenitudine 1. o) tentavit 1. 2. *et ita constanter*. p) i. et l. 2. q) accipit 1. r) v. i. es d. 1. s) nominis 1.

17) litteras ignorabat; vide infra c. 6. 18) V. capitulare Hludowici Pii a. 825 c. 2. Legum T. I. p. 243.

1024.

adversus illum deliquerant, dimisit. Hoc omnis populus gratanter suscipiebat. Omnes manifesta pietate regis prae gaudio plorabant:

Ferreus esset homo, qui plangere non potuisset,
Quod tantas culpas ignovit tanta potestas.

Et quamquam vindicare posset suas iniurias, si numquam rex fieret, tamen pro nulla tantae potestatis fiducia ad ulciscendum aliquid reservabat.

Peractis decentissime divinis officiis et regali consecratione, rex processit. Et sicut de Saul rege legitur, quasi ab humero sursum cunctis altior ibat, et veluti in quamdam habitudinem antea non visam[a] in illo transformatus, cum sacro comitatu alacri vultu, honesto incessu ad cubiculum rediit. Inde ad mensam regali[b] apparatu receptus, eam diem regiae speciei primitivam officiosissime consumpsit.

4. De dispositione curiali et de regina.

De fidelitate facta regi minus necessarium dicere puto, frequenti usu teste, quod omnes[18] episcopi duces et reliqui principes, milites primi, milites gregarii, quin ingenui omnes si alicuius momenti sint, regibus fidem faciant; huic tamen sincerius et libentius iurando omnes subiciebantur. Similiter in dispositione curiali, quem rex maiorem domus statueret, quos cubiculariorum magistros, quos infertores[c] et pincernas et reliquos officiarios ordinaret, diu non est supersedendum, cum illud breviter dicere possim, quod nullius antecessoris sui ministeria aptius et honorificentius provisa memini vel legi. Ad quam rem plurimum valuit ingenium Augustensis episcopi Brunonis, et Werinharii Argentinensis episcopi consilium; sic etiam Werinharii militis, quem rex longe ante cautum consiliis, audacem bellis, frequenter secum experiebatur. Super hos omnes dilecta regis coniunx Gisela prudentia et consilio viguit. Cui pater erat Herimannus dux Alamanniae; mater eius Kerbirga filia Chuonradi regis de Burgundia fuit, cuius parentes de Caroli Magni stirpe processerant. Unde quidam de nostris[19] in libello quem Tetralogum nominavit, et postea regi Heinrico tertio, cum natalem Domini in Argentina[d] civitate celebraret, praesentavit, inter alios, duos versus edidit[e] hoc modo:

Quando post decimam numeratur linea quarta[20],
De Carolo Magno procedit Gisela prudens.

Cum tantae nobilitatis esset et formae decentissimae, minimae extollentiae[f] fuit; in Dei servitio timorata, in orationibus et elemosinis assidua et hoc ut secretius potuit, attendens illud euangelicum, ne iustitiam suam faceret coram hominibus. Erat enim liberalis ingenii, illustris sollertiae, avida gloriae non laudis, pudoris amans, feminei laboris patiens, in cassum minime profusa, in rebus honestis et utilibus abunde larga, dives in praediis, summos honores bene tractare perita. Haec quorumdam hominum invidia, quae saepe ab inferioribus fumigat ad superiores, per aliquot dies a consecratione sua impediebatur. Caeterum, si illud odium iuste an iniuste pertulerit, adhuc in quaestione moratur; tamen virilis probitas in femina vicit, et ex consensu et petitione principum consecrata, necessaria comes regem sequebatur. Haec de regina interim breviavi intermissis regalibus gestis, nunc ad eadem revertar.

Coloniae Sept. 21.

5. De primis gestis Chuonradi regis.

Ad gesta incliti regis[g] Chuonradi stilo provoluto[h], quaedam sunt dicenda quae in ipsa die consecrationis suae fecerat; quae licet parva videantur, mysterio tamen quodam magnifice pollent. Sed quoniam historia publica scribitur, quae animum lectoris ad novitatem rerum quam ad figuras verborum attentiorem facit, magis videtur congruere ipsam rem integram persequi, quam mysticis rationibus aliquid promiscue commentari. In ipsa processione regis tres venerunt ante illum cum singulis querimoniis. Unus erat colonus ecclesiae Moguntinensis[i], alter pupillus fuit, et quaedam vidua. Dum rex eorum causas audire coepis-

a) nullam 1. b) regalem 1. c) inferiores 1. d) *fortasse legendum* Augusta, *ut in Annalista Saxone ad a.* 1043 *fortasse ex nostri Herimannive Gestis Heinrici legitur.* e) aedidit 1. f) excellentiae 1. g) *deest* 1. h) revoluto 2. i) Maguntiensis 1.

18) cf. Sachsenspiegel I, 3.

19) Wipo ipse.

20) supra v. 159. 160. — Gisela fuit filia Herimanni ducis et Kerbirgae, filiae Chuonradi regis Burgundiae, filii Rodulfi II, filii Rodulfi I, filii Chuonradi, filii Chuonradi fratris Iudithae imperatricis, uxoris Hludovici, filii Karoli Magni; quomodo autem linea decima quarta numerari possit haud liquet.

1024. set, quidam de principibus suis avertebant eum dicentes, ne consecrationis suae aliquam moram faceret et mature divina officia audiret; respiciens ad episcopos, ut vicarius Christi christianissime respondebat: *Si meum est regimini insistere, et id viri constantis est nequaquam differre quod apte fieri valet, rectius mihi videtur facere quod debeo, quam quid faciendum sit audire ab alio. Memini vos saepe dixisse, non auditores legis sed factores iustificari.* 5 *Si autem ad consecrationem, ut dicitis, festinandum est, tanto cautius in opere Dei gressus meos convenit mihi firmare, quanto me arduae dignitati cognosco propinquare.* Haec[a] dicens, in eadem statione moratus ubi primum occurrerant illi calamitosi,

Passibus immotis legem praefecerat illis.

Hinc paululum procedens, venit ante illum quidam dicens, se expulsum esse patria omnino 10 sine culpa; quem rex per brachium apprehendens, super omnes circumstantes attraxit usque ad solium suum, ibique causam miseri cuidam principum suorum diligenter commendavit. Felix initium regnandi cernitur esse, ubi plus festinatur ad faciendam legem quam ad benedicendum regem. Abundantius erat in rege studium miserationis quam desiderium consecrationis; per semitam iustitiae incedebat, quando regium honorem petebat. Poterat dicere 15 Psal 25, 12. cum psalmista: *Pes meus stetit in via recta*[a*]. Firmavit se per gratiae bonum, priusquam conscenderet iudicialem thronum. Timebat praecipitari, si non esset aequus in altitudine regali. Satis erat laudabile, inter nova gaudia, inter deliciosa regis ministeria, tot pauperum clamores audire et eorum causas finire. Noluit negligere, quod cito potuit regere. Rennuit iustitiam dilatare, quoniam illud erat regnare. Distulit suam benedictionem propter regium honorem; 20 Psal. 95, 7. scriptum est enim: *Honor regis iudicium diligit.*

In cunctis rebus nil sic prodesse valebit,
Sicut iudicium regis ad officium.

Ita rex in talibus causis pro quibus maxime regia auctoritas interpellari solet, hoc est pro ecclesiarum, viduarum, orphanorum defensione, ad reliqua regimina sibi ea die viam 25 praeparavit.

6. De itinere regis per regna.

Omnia regis itinera, et in quibus locis summas festivitates natalis Domini et paschae annuatim celebraret, non nimis necessarium narrare putavi, excepto quod id dicendum est, sicubi fuerat, siquid insigne et clarum acciderat. Si enim omnia observare vellem, ante me 30 desererent vires quam materies. Ad gesta illius clarissima quantocius[b] potero veniam, in quibus tantum gloriae eminet, ut de minoribus silere nemini fiat ingratum. Collecto regali comitatu, rex Chuonradus primum per regionem Ribuariorum usque ad locum qui dicitur Sept 23. Aquisgrani palatium pervenit, ubi publicus thronus regalis ab antiquis regibus et a Carolo praecipue locatus, totius regni archisolium habetur. Quo sedens, excellentissime rem publi- 35 cam ordinavit, ibique publico[c] placito et generali concilio habito, divina et humana iura utiliter distribuebat. Fama eius vires de virtutibus sumpsit, hodie quam heri pro tenore pacis praestantior, pro benevolentiae gratia karior, pro regali censura[d] honoratior habitus est ab[e] omnibus. Quamquam enim litteras ignoraret, tamen omnem clerum cum amabiliter et liberaliter palam tum convenienti disciplina secreto prudenter instituit. Militum vero animos in 40 21 hoc multum attraxit, quod antiqua beneficia parentum nemini posterorum auferri sustinuit[21]. Praeterea in donariis frequentibus, quibus eos fortia audere coegit, sui similem in toto mundo non posse reperiri aestimaverunt. Suspiciosum est relatu, quam munificus fuit, quam iucundus, quam constantis animi, quantum imperterriti, bonis omnibus blandus, malis severus, in cives benignus, in hostes acerbus, in rebus agendis efficax; quam maximo usui fore[f] regno 45 infatigabilis erat, in brevi tantum proficiens, ut nemo dubitaret, post Caroli Magni tempora aliquem regali sede digniorem non[g] vixisse. Unde extat proverbium: *Sella Chuonradi habet ascensoria Caroli.* De hoc proverbio quidam de nostris in libello, quem Gallinarium vocavit, satira quarta protulit hunc versum:

Chuonradus Caroli premit ascensoria regis. 50

Talibus indiciis nomen seu gloria regis gentium regiones transcendit, marinos fluctus transnatavit: passim divulgabatur virtus, quae inexhausto vigore semper manabat[h].

a) Haec — moratus *desunt* 1. a*) directo *Vulgata.* b) quantoties 1. c) publice 2. d) comitatu 2. e) *deest* 2. f) foret 2. g) *deest* 1. h) emanabat 2.

21) Mon. Germ. Leg. T. II. p. 38* et 39 edicta habentur, mitis Chuonradi animi testes. 55

[1024. Dec. 1025. Mai.] Reversus rex de Ribuariis ad Saxoniam venit, ibi legem crudelissimam Saxonum secundum voluntatem eorum constanti auctoritate roboravit. Deinde a barbaris qui Saxoniam attingunt tributa exigens, omne debitum fiscale recepit. Inde Baioariam* et orientalem Franciam pertransiens, ad Alamanniam pervenit. Quo transitu regna pacis foedere et regia tuitione firmissime cingebat.

7. Qualiter rex cum Italis placitavit.

[1025. Iun. 6.] Anno primo regni sui Chuonradus rex diem sanctum pentecostes in Constantia civitate celebravit. Ibi archiepiscopus Mediolanensis Heribertus cum caeteris optimatibus Italicis regi occurrebat, et effectus est suus, fidemque sibi fecit per sacramentorum et obsidum pignus, ut quando veniret cum exercitu ad subiciendam[a] Italiam, ipse eum reciperet et cum omnibus suis ad dominum et regem publice laudaret, statimque coronaret. Similiter reliqui Langobardi fecerant praeter[b] Ticinenses, qui et alio nomine Papienses vocantur, quorum legati aderant cum muneribus et amicis, molientes ut regem pro offensione civium placarent, quamquam id adipisci a rege iuxta votum suum nullo modo valerent. In qua autem re offenderint[c], breviter absolvam. Erat in civitate Papiensi palatium a Theodorico rege quondam miro opere conditum ac postea ab imperatore Ottone tertio nimis adornatum. Cognito autem obitu imperatoris Heinrici, antecessoris Chuonradi regis, ut mos est hominum semper in novis rebus intemperanter se habere, statim Papienses inconsulto ad imbellem aulam ruentes,

Ausibus inlicitis[d] fregerunt moenia regis,

totumque palatium usque ad imum fundamenti lapidem eruebant, ne quisquam regum ulterius infra civitatem illam palatium ponere decrevisset. Ex qua audacia diu magna controversia inter regem et Papienses habita est. Dicebant Papienses: *Quem offendimus? Imperatori nostro fidem et honorem usque ad terminum vitae suae servavimus; quo defuncto cum nullum regem haberemus, regis nostri domum destruxisse non iure accusabimur.* E contrario[e] rex: *Scio,* inquit, *quod domum regis vestri non destruxistis, cum eo tempore nullum haberetis; sed domum regalem scidisse, non valetis inficiari. Si rex periit, regnum remansit, sicut navis remanet cuius gubernator cadit. Aedes publicae fuerant, non privatae; iuris erant alieni, non vestri. Alienarum autem rerum invasores regi sunt obnoxii. Ergo vos alienae rei invasores fuistis, igitur regi obnoxii estis.* Huiuscemodi verbis pluribus instanter obiectis, legati frustra temptatam pacem relinquentes, abierunt. Reliqui vero Italici amplissimis donis a rege honorati, in pace dimissi sunt. Rex vero bene ordinato regno Sueviae, ad castrum Turicum[f] [22] perrexit, ibique quosdam Italicos, qui ad Constantiam non venerant, ad dominium[g] suum recepit. Inde post paucos dies ad Basileam civitatem pervenit. [Iun. 23.]

8. Quod rex Chuonradus Basileae episcopum constituit.

Basilea civitas sita est in quodam triviali confinio, id est Burgundiae, Alamanniae et Franciae; ipsa vero civitas ad Burgundiam pertinet. Hanc civitatem invenit rex vacuatam episcopo, cuius provisor Adalbero ante tres menses, quam rex veniret, migravit a saeculo. Ibi simoniaca haeresis subito apparuit, et cito evanuit. Nam dum rex et regina a quodam clerico, nobili viro nomine Uodalrico, qui ibi tunc episcopus effectus est, immensam peccuniam pro episcopatu susciperent, postea rex in poenitentia[h] motus, voto se obligavit pro aliquo episcopatu vel abbatia nullam peccuniam amplius accipere, in quo voto pene bene permansit. Sed filius eius tertius Heinricus, qui postea rex et augustus effectus est, optime et sine omni scrupulo patrium votum expiavit, quia in omni vita sua pro omnibus dignitatibus ecclesiasticis unius oboli[i] precium non dicitur adhuc accepisse. Rex vero Chuonradus colloquio regali habito Basileae, et terminis Burgundiae ultra voluntatem Ruodolfi[k], eiusdem[l] Burgundiae regis, diligenter praeoccupatis, per Rhenum usque Saxoniam pervenit. Quare autem Ruodolfi regis meminerim, breviter dicam. Iste[m] Ruodolfus rex Burgundiae dum in senectute sua regnum molliter tractaret, maximam invidiam apud principes regni sui comparans, secundum Heinricum imperatorem, filium sororis suae, in regnum invitavit, eumque post vitam suam regem Burgundiae designavit, et principes regni iurare sibi fecit. Ad quam rem commendandam imperator Heinricus infinitam peccuniam saepe et saepissime

a) subiiciendum 2. b) propter 2. c) offenderent 1. d) illicitis 1. e) E *deest* 1. f) Turcicum 2. g) dominum 1. h) potentia 1. i) obuli 1. k) Rudolphus 1. 2. *constanter.* l) eidem 1. m) Ipse 1. 22) Zürich.

1025. consumpsit. Sed defuncto imperatore Heinrico, Ruodolfus rex promissa sua irrita fieri voluit. Chuonradus autem rex magis augere quam minuere regnum intentus, antecessoris sui labores metere volens, Basileam sibi subiugavit; ut animadverteret, si[a] rex Ruodolfus promissa attenderet. Quos postea Gisela regina, filia sororis ipsius regis Ruodolfi, bene pacificavit.

9. De Bolizlao[b] duce Sclavorum.

Eodem anno quem supra notavimus Bolizlaus Sclavigena, dux Bolanorum, insignia regalia et regium nomen in iniuriam regis Chuonradi sibi aptavit, cuius temeritatem cito[c] mors exinanivit. Filius autem eius Misico similiter rebellis, fratrem suum Ottonem, quoniam regis partibus favebat, in Ruzziam[d] provinciam pepulit. Qualiter vero eiusdem Misiconis protervitatem et cuiusdam Uodalrici ducis Bohemiae perfidiam rex Chuonradus postea compesceret, in loco suo dicam[e].

10. De inimicitia inter regem et Ernustum[f] ducem.

Eodem tempore, hoste pacis diabolo suadente, Ernustus dux Alamanniae, Chuono dux Franciae, Fridericus dux Liutharingorum, cum aliis plerisque contra regem Chuonradum consenserunt, et multa molientes, multas munitiones in cassum praeparantes, nihil nisi calamitatem futuram assecuti sunt; quos omnes rex Chuonradus parvi pendens, iter suum in Italiam cum copiis destinavit. Sed dux Ernustus humiliter iter eius prosecutus usque Augustam Vindelicam, interventu matris suae reginae et fratris sui Heinrici adhuc parvuli aliorumque principum, multum rennuente rege, vix in gratiam eius receptus est.

11. Quod rex cum exercitu Italiam petiit[g].

1026. Anno incarnationis Christi 1026 Chuonradus rex consilio et petitione principum regni filium suum Heinricum puerum regem post se designavit, illumque Brunoni, Augustensis Febr. ecclesiae episcopo, in tutelam commendavit: et supradictis hostibus suis insidias per filium et caeteros fideles suos diligenter opponens, ipse cum exercitu copioso Italiam petere coepit. In qua expeditione supradictus Ernustus, dux Alamanniae, aliquantulum regi militans, Campidonensem abbatiam, licet contra fas et ius esset liberam rem nisi liberaliter servire, in beneficium accepit a rege, et ad tutandam patriam honorifice remissus est.

12. Quod rex Papienses afflixerit.

Rex ingressus Italiam, per Veronam inter Mediolanum et Papiam Vercellas venit, ibique Apr. 10. sanctum pascha celebravit. In ipsis diebus paschalibus[h] Leo, eiusdem civitatis antistes, vir multum sapiens, mundum cum pace reliquit; cui Hardericus Mediolanensis canonicus successit. Rex vero iam totam pene Italiam planam suae ditioni subiugavit. Papiensem urbem, quoniam valde populosa fuit, subito capere non potuit; ipsos Papienses in gratiam recipere noluit, quia palatium quod destruxerant, in loco ubi prius fuerat reaedificare adhuc rennuebant; sed defensores eorum, Adalbertum marchionem et Willihelmum et caeteros principes in iisdem terminis, mirabiliter opprimere coepit; castrum eorum nomine Urbam desolavit, et plura alia castella et munitiones firmissimas dissipavit. Ea tempestate grande malum factum est in Italia propter contentiones Papiensium; multae eorum ecclesiae in circuitu cum ipsis castellis incensae sunt, et populus qui illuc confugerat, igne et gladio periit; agri vastati sunt, vineae truncabantur, exitum et introitum rex prohibebat, navigium abstulit, mercimonia vetuit; et[i] ita per biennium omnes Ticinenses afflixit, donec omnia quae praecepit[k], omni dilatione postposita compleverant.

13. De seditione quae Ravennae facta est.

Eodem tempore rex Chuonradus Ravennam intravit, et cum magna potestate ibi regnavit. Quadam die miseri Ravennates litem cum exercitu regis commovebant, et in multitudine sua confisi, exercitum de civitate expellere conati sunt; et per cuiusdam portae angustias eos qui foris erant prohibebant interioribus succurrere. Excitato tumultu, bellum

a) an 2. b) Bolihlao 1. Bolislao 2. *ita et infra.* c) cita 2. d) Ruhhiam 1. 2. e) dicto 1. f) *ita Herimannus et Otto Frisingensis;* Ernestum 1. 2. *constanter.* g) rediit 2. h) pascalibus 1. i) *deest* 1. k) percepit 1.

undique coepit ingravescere. Quidam in domibus hospites suos aggressi sunt, alii in plateis pugnabant, alii portas obsidebant; plures de muris, multi de turribus altis ignavum praelium cum saxis et sudibus commiserunt. E contra Teutonici armis et ingenio reluctantes, factis agminibus ante et retro Ravennates circumdabant, et saevientibus gladiis viam ad invicem facientes, eos qui fuerant medii mortuos aut sauciatos vel fugientes reliquerunt. Quidam comes nomine Eppo, optimus miles de Baioaria, cum fanone[a. 23] civitatem exiens, eos qui pontem superstabant subiugavit; et plurimi eorum per illum solum de ponte praecipitati, in aqua necati sunt. Rex vero Chuonradus sicut erat in cubiculo, hanc seditionem intelligens, arma corripit, equum poscit, et egressus atrium, ut[b] vidit Ravennates bello victos ad ecclesiam[c] confugere et undique latibula quaerere, misertus eorum, quoniam ex utraque parte sui erant, exercitum de persecutione civium revocavit, et ipse in palatium se[d] recepit. Mane autem facto, Ravennates qui remanserant, in cilicio et nudis pedibus atque exertis gladiis, ut lex eorum praecipit victis civibus, ante regem venientes, sicut ipse praecepit omnibus modis satisfaciebant. Ibi rex Chuonradus maximam munificentiam in quemdam sauciatum Teutonicum[e] more solito ostendit, cui pes cum magna parte cambae[f. 24] supra talum in pugna penitus abscidebatur[g]: cuius ocreas de corio factas rex afferri praecipiens, utramque nummis iussit impleri, et super grabatum sauciati militis iuxta illum poni.

14. Rex propter calorem in montana secessit.

Eo tempore maximus calor Italiam vexabat, ita ut animalia multa[h] et hominum multitudo inde periclitarentur. Rex vero Chuonradus nemini cedens nisi soli Deo et caloribus aestivis, ultra Padum[i] fluvium propter opaca loca et aeris temperiem in montana secessit, ibique ab archiepiscopo Mediolanensi per duos menses et amplius regalem victum sumptuose habuit. Hinc decedens tempore autumnali, Italiam planam iterum peragrans, habitis consiliis et regalibus colloquiis in oportunis locis, atque rebelles in vincula mittens, regnum pacificavit; et sic pertransiens usque ad confinium Italiae et Burgundiae pervenit.

15. Quod legati Ruodolfi regis ad Chuonradum regem in Italiam venerunt.

Inchoante anno nativitatis Christi 1027 rex Chuonradus in Iporegia[k] civitate[25] natalem Domini celebravit. Illuc Ruodolfi regis Burgundiae legati venerant, promittentes illum Romam venturum ad electionem et consecrationem imperatoriam regis Chuonradi; quod rex gratanter accepit, et remissis legatis cum muneribus ipse Padum transiens, ad Romam tendere coepit. Veniens autem ad Lucam civitatem, invenit eam sibi adversam cum Reginhero marchione. Ibi rex paululum moratus, post paucos dies civitatem et marchionem in deditionem acceperat, omnemque Tusciam sibi breviter subiugavit;

Sicque triumphando Romanam visitat arcem.

16. Quod rex Chuonradus Romae imperator est effectus.

Igitur rex Chuonradus Romam ingressus eodem anno ut supra, id est a nativitate Salvatoris 1027 indictione decima, a papa Iohanne et universis Romanis regio honore mirifice receptus est, et in die sancto paschae, qui eo anno 7. Kalendas[l] Apriles terminabatur, a Romanis ad imperatorem electus, imperialem benedictionem a papa suscepit,

Caesar et augustus Romano nomine dictus.

Quin etiam regina Gisela imperatricis[m] consecrationem et nomen ibidem accepit. His ita peractis in duorum regum praesentia, Ruodolfi regis Burgundiae et Chnutonis[n] regis Anglorum, divino officio finito imperator duorum regum medius ad cubiculum suum honorifice ductus est. In ipsis diebus paschalibus inter Romanos et Teutonicos pro vili[o] causa orta est seditio magna. Contendebant duo pro corio bovis, cumque se invicem pugnis caedere coepissent, totus exercitus imperatoris commotus est, et armati equites et pedites ex utraque parte convenerunt. Ibi interfectus est ex nostra parte quidam iuvenis nomine Berengarius[p], filius Liutoldi[q] comitis de Alamannia, multum nobilis et bellicosus nimis. Romani diu resi-

a) Panone 2. b) uti 2. c) ecclesias 2. d) *deest* 1. e) Teutoninum 1. f) *deest* 2. g) abscindebatur 2. h) muta 1. i) *ita corrigo;* Atim 1. 2. Aitim *Zwettl.* k) Ipo regia 1. 2. l) cal. 1. 2. m) imperatoris 1. n) Erinttonis 1. Cnutonis 2. *v. infra cap.* 35. Chnitonis *et* Chuttonis *Zwettl.* o) virili 1. p) Berrengarius 1. 2. q) Lutoldi 1. 2.

23) *Fahne* teutonice. 24) Italorum *gamba*, Gallorum *jambe*. 25) Ivrea.

1027. stentes, ad extremum victi fugierunt, et innumerabiles ex illis perierunt. Imperator vero praedictum iuvenem, quoniam sibi dilectus et familiaris fuerat, iuxta tumulum caesaris Ottonis sepeliri praecepit. Postera die Romani qui seditionem commoverant ante imperatorem venientes, nudatis pedibus, liberi cum nudis gladiis, servi cum torquibus vimineis circa collum, quasi ad suspensionem praeparati, ut imperator iussit satisfaciebant. 5

17. Quod imperator in Apuliam venit.

April. Facta igitur pace inter Romanos et Teutonicos, imperator in Apuliam processit, et Beneventum[a] et Capuam ac reliquas civitates illius regionis seu vi sive voluntaria deditione sibi subiugavit, et Nortmannis, qui de patria sua, nescio qua necessitate compulsi, in Apuliam confluxerant, ibi habitare licentiam dedit, et ad defendendos terminos regni adversus Grae- 10 corum versutias eos principibus suis coadunavit. Cunctis rebus rite et prospere sibi ceden- Mai. tibus imperator reversus, praeteriens Romam, iterum Italiam pertransiit.

18. De tyranno Thasselgardo[b. 24].

Eo tempore erat in Italia quidam tyrannus Thasselgart dictus[c], qui sub tempore Heinrici imperatoris multa facinora commisit in regno, sed per marinos recessus et alias mu- 15 nitiones, quas habuit ultra modum tutas, caesaris Heinrici persecutionem evaserat. Erat enim nobilis genere, despicabilis in persona, turpis in moribus, magnus praedator ecclesiarum et viduarum. Hunc imperator Chuonradus diligentissime insequebatur, et insidias sibi ante et retro omnibus modis apposuit. Qui dum a[d] quodam suo castro fugere vellet in aliud, a militibus caesaris captus est. Quod dum audiret imperator, cum magna festinantia pro- 20 perabat, ita ut fere centum miliaria Latina intra diem et noctem pertransiret: cogitabat enim, ut more solito iterum[e] evaderet. Veniente vero imperatore, praesentatus est illi ipse tyrannus. Quem cum videret, fertur dixisse imperator: *Nonne est hic ille leo, qui devoravit bestias Italiae? Per sanctam crucem Domini*[f], *talis leo non comedet amplius de pane meo!* Et hoc dicens, statim cunctis principibus regni adiudicantibus praecepit illum in patibulum 25 suspendi. Quo suspenso, per omnem illam provinciam pax èt securitas, diu latentes, simul emerserant.

19. De coniuratione quorumdam Teutonicorum.

Interea morante in Italia imperatore, apud Teutonicos[f*] magna invidia, multa consilia, multae factiones adversus imperatorem in cassum eruperant. Ut enim a minoribus incipiam 30 et ad maiores perveniam, quidam comes in Suevia Welf[g] nominatus, dives in praediis potens in armis, et Bruno episcopus Augustensis, invicem confligentes, multa mala in praedis et incendiis fecerunt in regno. Ad extremum praedictus comes ipsam Augustam irrumpens, aerarium[h] episcopi despoliavit et totam civitatem vastavit; quod postea cogente imperatore totum restituit et episcopo emendavit. Chuono dux Wormatiensis, patruelis imperatoris, nec 35 fidus imperatori nec tamen multum noxius illi, interim quietus manebat. Fridericus dux Liutharingorum, vitricus praedicti Chuononis, imperatori inimicando[i] morte propria praeventus est. Ernustus dux Alamanniae, privignus imperatoris Chuonradi, nuper ab eo beneficiis et muneribus sublimatus, discedens iterum instigante diabolo rebellionem moliebatur, et consilio quorumdam militum suorum Alsatiam provinciam vastavit, et castella Hugonis 40 comitis, qui erat consanguineus imperatoris, desolavit. Deinde magno exercitu iuvenum collecto Burgundiam invasit, et ultra castrum Solodurum quamdam insulam aggere et vallo firmare coepit. Sed Ruodolfus rex Burgundionum veritus hostem imperatoris recipere, ab incepto illum prohibuit. Inde reversus, supra Turicum quoddam castrum munivit, et Augiensem[k] ecclesiam nec non abbatiam sancti Galli nimium distrahendo, non mediocre dam- 45 pnum patriae intulit. Sic posthabita lege et iustitia, usque ad imperatoris reditum iniquis conatibus insistebat.

20. Ubi dux Ernustus se denuo reddidit.

Iun. Pace per totam Italiam confirmata, imperator Chuonradus prospero reditu in Alaman- Iul. niam venit, et in Augusta Vindelica colloquium familiare cum suis fidelibus tenens, de 50

a) *ita Zwettl.* Beneventanum 1. 2. b) Thasselgaro 2. c) Thasselgardt 1. Tassilhardum *vocat Zwettl.* d) a — a *desunt* 1. e) caeterum 1. f) diu 1. f*) Theut. *hoc loco* 1. g) Welff 1. 2. h) atrium *Zwettl.* i) inimitando 1. k) Augustensem 1. Angiensem 2.

24) cf. Muratorii Annales ad h. a.

1027. Iul.

proditoribus patriae tractare coepit. Inde ad oppidum quod Ulma vocatur veniens, colloquium publice condictum[a] illic habuit. Huc dux Ernustus non voto supplice venit, confisus in multitudine militum quos optimos habuit, ut vel secundum libitum cum caesare se pacaret[b], vel inde per potestatem rediret. Et habito colloquio cum suis, primum monuit eos 5 fidei sacramentaliter promissae, dehinc hortabatur[c] eos, ne illum desererent, ne honorem suum perderent; non decere eos immemores[d] fore, in historiis patrum semper Alamannos bonae fidei et stabilitatis in dominos testimonium habere; et si sibi fidi[e] forent, illis praemia, posteris eorum gloriam et honorem esse futurum. Talia dicenti duo comites Fridericus et Anshelmus pro caeteris respondebant hoc modo: *Nolumus inficiari, quin vobis* 10 *fidem firmiter promitteremus contra omnes, praeter eum qui nos vobis dedit. Si servi essemus regis et imperatoris nostri, et ab eo iuri vestro mancipati, non nobis liceret a vobis separari. Nunc vero, cum liberi simus*[f] *et libertatis nostrae summum defensorem in terra*[g] *regem et imperatorem nostrum habeamus, ubi illum deserimus, libertatem amittimus, quam nemo bonus, ut ait quidam, nisi cum vita simul amittit. Quod cum ita sit, quicquid honesti et iusti a nobis* 15 *exquiritis, in hoc parere volumus vobis. Si autem contra hoc vultis, illuc revertemur liberaliter, unde ad vos venimus conditionaliter.* His auditis dux cum se intellexisset a suis dimitti, sine omni pactione imperatori se reddidit; quem caesar in Saxoniam exulari fecit super quandam rupem quae Gibichenstein[25] dicitur, ut ibi castigatus a rebellione ulterius desineret. 25

21. Quod rex Burgundiae imperatori occurrebat Basileae.

20 Imperator pertransiens Alamanniam, cunctos[h] qui sibi rebelles fuerant in deditionem Aug. recepit, et munitiones eorum deiecit; et perveniens usque ad Basileam, Ruodolfum regem Burgundiae alloquitur, qui illic sibi occurrebat extra urbem iuxta vicum qui Mittenza[i. 26] dicitur; et habito familiari colloquio, imperator regem secum duxit in urbem. Confirmata inter eos pace, Gisela imperatrice haec omnia mediante[i*], regnoque Burgundiae imperatori tradito 25 eodem pacto quemadmodum[k] prius antecessori suo Heinrico imperatori datum fuerat, rex iterum donis ampliatus, cum suis reversus est in Burgundiam. Imperator vero descendens per Rhenum in Franciam venit, ibique dux Chuono patruelis eius, prius rebellis, se reddidit; quem imperator in liberis custodiis aliquantulum castigavit, destructisque munitionibus suis, quas optimas habuit, in gratiam illum recepit, totumque[l] honorem suum sibi restituit. Paulo 30 post[27] Adalbero[m] dux Histrianorum sive Carintanorum[n], reus maiestatis, victus ab imperatore, cum filiis suis exulatus est, et ducatum eius iste Chuono ab imperatore suscepit; quem ducatum pater eiusdem Chuononis dudum habuisse perhibetur. Ita dux Chuono fidus et bene militans imperatori et filio suo Heinrico regi, quousque vixerat, permansit.

22. De legatione episcopi Argentinensis.

35 Eodem tempore Werinharius, Argentinae civitatis episcopus, ab imperatore legatus Constantinopolim mittitur. Qui dum causa orationis Hierosolimam pergere se fingeret, ut putamus[o] iudicio Domini, quem fallere nemo valebit, mirabiliter prohibitus est. Nam dum magnum comitatum hominum, maiorem quoque[p] mutorum animalium, equorum, boum, ovium, porcorum, multasque delicias seculares ultra modum secum educeret, perveniens in 40 Ungariam, a rege Stephano contradicta est sibi via, quod eo tempore nulli oratorum accidit. Inde reversus per Baioariam, cum omni comitatu suo pergens Italiam intravit; et multum circa fines Veronae moratus, tandem cum maximo labore per Venetiam mare Adriaticum ingressus, navigio calamitoso Constantinopolim pervenit. Cumque ab imperatore Graecorum honorifice susceptus esset, secumque satis familiariter conversaretur, desiderare coepit 45 ut imperatoris auxilio Hierosolimam adiret, quo desiderio, semper aliqua re intercedente, numquam potiri valuit. Sequenti vero tempore obiit, et sepultus est in eadem urbe; et episcopatum eius Willihelmus[q] Argentinensis canonicus suscepit. Legationis tamen causam postea imperator Graecorum aureis litteris imperatori Chuonrado rescripsit.

23. Quod imperator filium suum Heinricum regem consecrari fecit.

50 Anno Domini 1028 indictione 11. imperator Chuonradus filium suum Heinricum, magni 1028.

a) conditum 1. b) paccaret 1. c) d. dehortabatur 1. d) i. f. i. h. ?. *desunt* 1. e) *deest* 1. f) simul 1. g) interea 2. h) cunctosque qui 1. i) *ita correxi;* Mittenha 1. 2. i*) meditante 2. k) qmđm 1. l) t. in h. 2. m) Adelbero 1. 2. Albero *Zwettl.* n) Karinthianorum *Zwettl.* o) putavimus 2. p) maiorem, quam 1. q) Wilhelmus 1. 2.

25) prope Halam. 26) Muttenz a meridie et oriente Basileae. 27) a. 1035; v. infra cap. 33.

1028. ingenii et bonae indolis puerum aetate undecim annorum, principibus regni cum tota multitudine populi id probantibus, a Pilegrino[a] archiepiscopo Coloniensi in regalem apicem Apr. 14. apud Aquisgrani palatium sublimari fecerat. Tunc in principali dominica paschae consecratus et coronatus, paschalem laetitiam triplicavit. Nam dum in superioribus annis duas coronas, id est patris et matris suae, mundus veneraretur, nunc tertia addita, 5

Spes pacis crevit, quam rex cum caesare fecit;

praesertim cum is coronatus esset, cuius aetas vita diuturna satis digna fuerat. Deinde diversa regna peragrantes, caesar per se, rex sub tutore et actore Augustensi episcopo Brunone, cunctos rebelles domabant et foedera pacis ubique feliciter firmabant.

24. De obitu episcopi Augustensis. 10

1029. Apr. 6. Anno sequenti imperator in Baioaria Ratisponae pascha celebravit. Ibi Bruno episcopus Augustensis defunctus est, cuius corpus imperatrix prosecuta[b], cum filio Heinrico rege ad Augustam sedem suam honorifice sepeliri fecerunt. Nobilis enim valde fuit ipse episcopus Bruno. Nam dum esset frater Heinrici imperatoris, filius erat materterae Giselae imperatricis. Soror vero eiusdem episcopi nupta Stephano regi Ungariorum, causa fuit christianitatis primum in gente Pannonica. Episcopatum vero Augustensem Eberhardus suscepit. 15

25. Qualiter dux Ernustus ducatum accepit et statim amisit.

1030. Mart. 29. Anno Domini 1030 imperator Chuonradus apud Ingelenheim[c] pascha celebravit. Ibi Ernustus supra memoratus dux Alamanniae, a custodia solutus ducatum recepit, eo tenore ut Wezelonem[d] militem suum, qui multis factionibus regnum turbaverat, quasi hostem 20 rei publicae cum omnibus suis persequeretur[e], idque se facturum cum sacramento confirmaret. Quod cum dux[f] facere nollet, hostis publicus imperatoris diiudicatus est, et penitus ducatu amisso, cum paucis inde recessit. Imperator vero ducatum Alamanniae Herimanno[g] iuniori, fratri eiusdem Ernusti, dedit, eumque Warmanno Constantiensi episcopo commendavit. Imperator vero communi consilio omnium principum regni eumdem Ernustum et 25 cunctos iustitiae et paci reluctantes ab episcopis excommunicari fecit, eorumque res publicari iussit. Ipsa imperatrix Gisela, quod dictu est miserabile[h] sed actu laudabile, filium inconsultum sapienti marito postponens, publicam fidem dedit omnibus, quicquid illi accidisset, nullam ultionem neque malum animum pro hac re se reddituram fore.

26. Quod imperator super Ungarios[i] cum exercitu venit. 30

Eodem tempore multae dissensiones inter gentem Pannonicam et Baioarios, culpa tamen Baioariorum, factae sunt, ita ut Stephanus rex Ungariorum multas incursiones et praedas in regno Noricorum, id est Baioariorum, faceret. Unde commotus imperator Chuonradus cum grandi exercitu super Ungarios venit. Rex autem Stephanus minime sufficiens adversus imperatorem, orationibus et ieiuniis in universo regno suo indictis, praesidium 35 Domini tantummodo flagitabat. Imperator tam munitum regnum fluviis et silvis intrare non valens, multis tamen praedationibus incendiis circa terminos regni iniuriam suam satis ulciscens, reversus est; volens tempore oportuniori[k] cepta[l] sua peragere. Sed filius suus rex Heinricus adhuc puerulus, Eigilberto[m] Frisingensi episcopo creditus, legatione Stephani regis pacem rogantis accepta, unico consilio principum regni, patre nesciente, gratiam re- 40 27 conciliationis annuit[27]: iuste et sapienter agens, qui regem iniuste iniuriatum, ultro petentem gratiam, recepit in amicitiam.

27. Quod[n] dux Ernustus auxilium petiit ab Odone comite.

Interea dum haec[o] agerentur, praefatus Ernustus ducatus dignitate privatus, multa cogitans, multa moliens, qualiter imperatori resisteret, magnos labores in vanum con- 45 sumpsit. Qui assumpto Wezelone[p] milite suo, cum aliis paucis perrexit in Franciam Latinam ad Odonem comitem, propinquum suum. Nam mater Odonis et mater Giselae impe-

a) Peligrino 1. 2. b) prosequuta 2. c) Ingelnchem 1. Ingelnheym 2. d) Wehelonem 1. 2. Wezilonem *Zwettl.* e) prosequeretur 1. f) rex 2. g) Hermanno *hic* 1. 2. h) *ita* 1. *Zwettl.* mirabile 2. i) Ungaros 1. 2. *constanter.* k) opportuniori 1. 2. l) septa 1. m) *ita Zwettl. et supra;* Eigelberto 1. 2. n) *haec inscriptio deest* 1. o) hoc 50 ageretur 1. p) Vuehelone 1. 2.

27) v. Herimannum a. 1031.

ratricis fuerant sorores. A quo dum consilium et auxilium peteret, seu[a] nollet sive non auderet, nihil solatii contra imperatorem sibi dedit. [1030.]

28. Qualiter[b] dux Ernustus periit.

Dux vero Ernustus reversus, iterum in Alamanniam venit, ibique in quadam eremo quae Nigra silva dicitur in locis tutissimis moratus, praeda miserabili per aliquod tempus vivebat. Ad extremum dum a militia caesaris undique coarctaretur, quidam qui imperatori favebant, equos quos dux et omnes sui optimos habebant, per insidias in pascuis exceperunt. Dux vero perditis[c] equis in quibus confidebat, nihil pensi plus habens, in tanta perturbatione quid ageret dubitabat; collectis tamen undique qualibuscumque equis quos habere poterat, cum omnibus quos tunc habuit egressus est silva, secum deliberans, melius esse honeste mori quam turpiter vivere. Cumque pervenissent in saltus silvarum ad illam regionem Alamanniae quae Bara dicitur, viderunt castra deserta, quae priori nocte hostes occupaverant. Confestim perceperunt, sibi insidias parari. Nam Manegoldus comes, miles imperatoris de Augensi abbatia magnum beneficium habens, ab imperatore et Warmanno Constantiensi episcopo, qui tunc vice ducis Herimanni[d] Alamanniam gubernabat, praesidio locatus fuerat, ne dux Ernustus praedas aut incendia faceret in regione. Statim dux Ernustus et assecutores sui nimium alacres effecti sunt, existimantes iniurias suas cito ulturos fore in[e] hostibus; arreptoque itinere suos insecutores insequi coeperunt. Eadem intentione Manegoldus comes et qui cum illo fuerant huc et illuc progredientes, itinera ducis diligenter observabant. Hac occasione utrimque collata ita coniuncti sunt, ut se invicem videre et affari possent. Erant [Aug. 17.] autem ex parte Manegoldi multo plures milites quam de parte ducis.

Nec mora, congressi pugnabant acriter omnes,

ex parte ducis ira, ferocitate, audacia incitati, ex altera parte pro gloria, pro remuneratione adducti. Hi qui cum duce fuerant, cum nihil de vita cogitarent, omnes ad interitum properabant. Dux vero cum nemini parceret, in hoc praelio neminem sibi parcentem invenit, et a plurimis vulneratus, postremo interfectus occubuit. Ibi cecidit Wezilo[f] comes, miles ducis, cuius causa haec omnia acciderant; Adalbertus[g] et Werin, nobiles viri, et alii multi interfecti sunt ibi. Ex altera parte ipse Manegoldus comes, auctor huius congressionis, cecidit, et plures alii secum. Corpus Ernusti ducis in Constantiam delatum, prius accepta indulgentia a potestate episcopali pro excommunicatione, in ecclesia sanctae Mariae sepultum est. Corpus Manegoldi in Augia subterratum[h] est.

Accidit hoc bellum semper miserabile multum,

16.[i] Kalendarum Septembrium. Hoc cum nunciatum esset imperatori, fertur dixisse:

Raro canes rabidi foeturam multiplicabunt.

29. Ruodolfus[k] rex Burgundiae obiit, et Odo[l] regnum eius invasit.

[1032. Sept. 6.] Anno Domini 1032 Ruodolfus rex Burgundiae, avunculus Giselae imperatricis, obiit in pace, cuius regnum comes Odo[m] Francigena, filius sororis suae, invasit, et quaedam castra munitissima sive civitates seu dolo seu bello ceperat: nec se regem ausus est facere, nec tamen regnum voluit dimittere. Referebant quidam, illum dixisse saepe, quod numquam rex fieri, sed tamen semper magister esse regis vellet. Eo modo magnam partem Burgundiae distraxit, licet regnum Burgundiae Chuonrado imperatori et filio eius Heinrico regi a Ruodolfo rege, postquam ipse superstes non esset, per iusiurandum iamdudum confirmatum esset. Sed dum Odo consul[n] haec in Burgundia faceret, Chuonradus imperator in Sclavonia[o] cum armis fuerat. Quid ibi ageret, vel qualiter postea Odonem repulisset de Burgundia, consequenter dicam. Supra dictus Bolizlaus dux Bolanorum mortuus[28], reliquit duos filios, Misiconem et Ottonem. Misico dum fratrem suum Ottonem persequeretur, expulerat eum in Ruzziam[p]. Dum ibi aliquantum tempus miserabiliter viveret, coepit rogare gratiam imperatoris Chuonradi, ut ipso impetrante[q] et iuvante restitueretur patriae suae. Quod dum imperator facere vellet, decrevit ut ipse cum copiis ex una parte, ex altera frater Otto Misi- [Iun.] conem aggrederentur. Hunc impetum Misico ferre non valens, fugit in Bohemiam ad

a) sive 2. b) *inscriptio deest* 1. c) p̄dictis 1. d) Hermani 1. Heremanni 2. e) *deest* 1. f) Wecilo 1. 2. al. Wehelo 2. g) *ita Herimannus.* Adelbertus et Iwerin 1. 2. h) sepultum est V. Kal. Sept. *Zwettl.* i) XV. 1. 2. XVI. *Zwettl. Herimannus. Necrologium Augiense Manegoldi, Ernusti, Wernheri nomina diei XVI. Kal. Sept. adscripta habet.* k) Rodolphus 1. l) al. Udo 2. m) al. Udo 2. n) comes 2. o) Schlavonia 1. p) Russiam 1. 2. q) imperante 2.

28) cf. Ann. Hildesh. SS. III, 99 et Chron. Polonorum SS. IX, 436.

1032. Uodalricum ducem, cui tunc temporis imperator iratus fuerat. Sed ille, ut sic placaret imperatorem, voluit sibi reddere Misiconem; quod pactum sceleratum rennuit caesar, dicens se nolle inimicum emere ab inimico. Otto restitutus patriae et dux factus a caesare, dum post aliquod tempus minus caute ageret, a quodam familiari suo clam interfectus est. Tunc Misico omnibus modis quaerebat gratiam imperatricis Giselae et reliquorum principum, ut 5 mereretur redire ad gratiam imperatoris. Caesar misericordia motus, dedit sibi veniam, et divisa provincia Bolanorum in tres partes, Misiconem fecit tetrarcham, reliquas duas duobus aliis commendavit; sic imminuta potestate, minor facta est temeritas. Defuncto Misi- 28 cone, Gazmerus[a] filius eius fideliter serviebat huc usque[28] imperatoribus nostris.

30. Quod imperator cum filio suo Heinrico rege Burgundiam adiit. 10

1033. Anno Domini 1033 imperator Chuonradus cum filio suo rege Heinrico natalem Domini in Argentina civitate celebravit. Inde collecto exercitu per Solodorum Burgundiam intravit. Febr. 2. Et veniens ad Paterniacum monasterium, in purificatione sanctae Mariae a maioribus et minoribus regni ad regendam Burgundiam electus est; et in ipsa die pro rege coronatus est. Deinde quaedam castella, quae Odo invaserat, obsedit, sed propter nimiam asperitatem 15 hiemis, quae tunc fuerat, valde impediebatur. De qua nimietate frigoris quidam de nostris centenos versus fecit, quos imperatori praesentavit; in quibus tam mirandae res dicuntur, 29 quod equi in castris circa castellum Murat[b. 29], si pedes infixissent terrae pro tempore[c] diei aliquid moliti, per noctem ita gelati constringerentur, ut nequaquam nisi securibus et sudibus de terra in circuitu gelata[d] evelli potuissent. Quidam vero qui non habuit adiutorium, 20 equum proprium ita haerentem interfecit et corium de cruribus sursum abstulit, reliquum terrae gelatae infixum dimisit. Homines quoque multum confundebantur hoc algore; erat enim una facies iuvenum et senum, omnes erant die et nocte cani et barbati propter horridum rigorem glaciei, licet plures iuvenes et imberbes fuissent ibi; et tamen

Vix haec causa fuit, quod caesar bella reliquit. 25

Imperator reversus ad Turicum[e] castrum pervenit; ibi plures Burgundionum, regina Burgundiae iam vidua, et comes Hupertus, et alii qui propter insidias Odonis in Burgundia ad imperatorem venire nequiverant[f], per Italiam pergentes occurrebant sibi, et effecti sui fide promissa[g] per sacramentum sibi et filio suo Heinrico regi, mirifice donati redierunt.

31. Quod imperator super Odonem cum exercitu venit. 30

Aug. Eiusdem anni aestate imperator cum exercitu suo super Odonem consulem[h] in Gallias Francorum venit, dicens, si Odo in Burgundia res alienas iniuste quaereret, de suo proprio, iuvante Deo, aliquid perdere deberet. Tunc in regno Heinrici regis Francorum, in praediis tamen et beneficiis Odonis, tantas devastationes et incendia fecit imperator, ut ipse Odo necessitate compulsus humiliter veniens quaereret veniam, promittens Burgundiam di- 35 mittere, et secundum iussionem illius sibi satisfacere. Sic imperator cum suo honore et Odonis dampno reversus est.

32. Qualiter imperator Odonem expulit de Burgundia.

1034. Apr. 14. Anno Domini 1034 imperator in Baioaria Ratisbonae sanctum pascha celebravit. Huius anni aestate, dum Odo praefatus promissa non attenderet, sed adhuc quamdam partem Bur- 40 gundiae, quam iniuste invaserat, obtineret, imperator Chuonradus expeditis Teutonicis et Italis Burgundiam acute adiit. Teutones ex una parte, ex altera archiepiscopus Mediolanensis Heribertus et caeteri Italici ductu Huperti comitis de Burgundia usque Rhodanum fluvium convenerunt. Augustus veniens ad Genevensem[i] civitatem, Geroldum principem regionis illius, et archiepiscopum Lugdunensem, atque alios quam plures subegit; et reversus ca- 45 strum Murat[k] cum fortissimis militibus Odonis munitum obsidens, vi cepit, et quos intus invenerat captivos duxit. Caeteri fautores Odonis hoc audientes solo timore caesaris fugierunt; quos persecutus caesar, omnino exterminavit de regno, et acceptis de principibus Burgundiae multis obsidibus, rediit per Alsatiam ad[l] imperatricem. Nam dum ille in Burgundiam per-

a) Gahmerus 1. Casimirus 2. b) Mirrat 1. c) per teporem 2. d) gellata 1. e) Turcicum 2. f) nequiverunt 2. g) permissa 1. h) comitem 2. i) Genovensem 1. k) Mirrat 1. l) *deest* 1. 50

28) Anno 1050 iterum rebellis extitit. 29) Murten.

geret, imperatrix secuta est eum usque Basileam. Inde reversa ad Argentinam civitatem, expectavit reditum imperatoris. Eo tempore filia imperatoris Chuonradi et Giselae imperatricis, Mahthilda, nimiae formositatis puella, Heinrico regi Francorum desponsata, obiit Wormatiae, ibique sepulta est. 1034.

33. Quod rex Heinricus Sclavos subiugavit.

Interea dum haec quae superius dicta sunt imperator in Burgundia faceret, filius suus Heinricus rex, licet in puerilibus annis, non segnius rei publicae consuluit in Bohemia[a] et in caeteris regionibus Sclavorum; ubi et Uodalricum ducem Bohemiae et reliquos quam plures caesari adversantes strenue subiugavit, et redeunti patri occurrens, de duplici victoria duplex gaudium populis effecerat. Deinde collectis copiis de Saxonia, super eos qui Liutizi[b] vocantur, quique olim semichristiani nunc per apostaticam nequitiam omnino sunt pagani, imperator venit, ibique conflictum implacabilem mirabiliter diremit. Inter Saxones enim et paganos fiebant ea tempestate multae dissensiones et incursiones. Cumque caesar veniret, coepit quaerere, ex qua parte pax, quae diu inviolata inter eos fuerat, prius corrumperetur. Dicebant pagani, a Saxonibus pacem primitus confundi, idque[c] per duellum, si caesar praeciperet, probare[d]. E contra Saxones ad refellendos paganos similiter singulare certamen, quamvis iniuste contenderent, imperatori spondebant. Imperator consulentibus principibus suis, licet non satis caute ageret, hanc rem duello diiudicari inter eos permisit. Statim duo pugiles congressi sunt, uterque a suis electus. Christianus in sola fide, quae sine operibus iustitiae mortua est, confidens, et non diligenter attendens, quod Deus, qui veritas est, omnia in vero iudicio disponit, qui solem suum oriri super bonos et malos facit, qui pluit super iustos et iniustos, audacter pugnare coepit. Paganus autem solam conscientiam veritatis, pro qua dimicabat, prae oculis habens, acriter resistebat. Postremo christianus a pagano vulneratus cecidit. Ex qua re pagani in tantam elationem et audaciam venerunt, ut nisi imperator[e] adesset, continuo irruerent super christianos; sed imperator ad compescendas incursiones eorum construxit castrum Wirbinam, in quo praesidia militum locavit[f], et principes Saxoniae, ut unanimiter resisterent paganis, sacramento et imperiali iussione constrinxit[g]. Deinde reversus est in Franciam.

Sequenti vero anno idem castrum a paganis dolo captum[h] est, et plures nostrorum qui in eo erant ab eis occisi sunt. Hinc commotus imperator, iterum cum copiis usque Albim fluvium venit. Sed cum pagani transitum prohiberent, imperator per aliud vadum fluvii partem exercitus latenter transmisit; et ita fugatis hostibus, ipse per ripam liberam regionem ingrediens, immensis devastationibus et incendiis ubique, nisi in locis inexpugnabilibus, sic humiliavit eos, ut censum ab antiquis imperatoribus propositum et iam auctum Chuonrado imperatori postea persolverent. Multum enim laboravit Chuonradus imperator prius et tum in gente Sclavorum; unde quidam de nostris quoddam breviarium versifice fecit, quod postea imperatori praesentavit. Ibi legitur, qualiter imperator interdum in paludibus usque femora stabat, pugnans ipse et exhortans milites ut pugnarent, et victis paganis nimis acriter trucidabat eos pro quadam superstitione illorum nefandissima. Nam fertur, ut quodam tempore effigiem ligneam crucifixi domini nostri Iesu Christi scelerato ludibrio habuissent pagani, et in eam spuerent atque colaphis caederent; ad extremum oculos eruebant, manus et pedes truncabant. Haec ulciscens imperator, de captis paganis maximam multitudinem pro una effigie Christi simili modo truncavit et varia morte delevit. Idcirco in eisdem versibus caesar ultor fidei vocatur, et Romanis principibus Tito et Vespasiano comparatur, qui in ultionem Domini triginta Iudaeos pro uno nummo commutaverant, cum Iudaei Christum pro totidem denariis vendiderint[i]. Reversus imperator, quicquid obstaculi in regno invenit, imperiose disiecit. Eodem anno Adalbero dux Carantanorum, imperatoris gratiam perdens, ducatum amisit[30] et in exilium missus est. 1035. aestate

34. De[k] coniuratione Italorum[31].

Item eodem tempore magna et modernis temporibus inaudita confusio facta est Italiae, propter coniurationes quas fecerat populus contra principes. Coniuraverant enim omnes

a) Boemia 1. b) Luttizi 1. 2. al. Lintizi 2. c) id 2. d) probari 2. e) imperator a. c. i. s. c. s. *desunt* 1. f) locabat 2. g) constringebat 2. h) raptum 1. 2. i) vendiderunt 1. k) *titulus deest* 1.

30) cf. supra cap. 21. 31) cf. Arnulfi gesta archiepp. Mediol. II, 10. SS. VIII. p. 14. 15.

1035. valvasores Italiae et gregarii milites adversus dominos suos, et omnes minores contra maiores, ut non paterentur aliquid sibi inultum accidere a dominis suis supra voluntatem ipsorum, dicentes, si imperator eorum nollet venire, ipsi per se legem sibimet facerent. Hoc cum nunciatum esset imperatori, fertur dixisse: *Si Italia modo esurit legem,*
Concedente Deo bene legibus hanc satiabo.

1036. Et praeparans se anno sequenti, Italiam cum copiis intravit. Interea principes Italici male conceptam coniurationem periculum generare posse scientes, convenerunt simul cum minoribus, et prius exhortationibus et consiliis hoc recens malum destruere conabantur; cum hoc non procederet, temptabant bello superare; sed inito praelio minorum incredibilis multitudo sola impressione catervarum vicit. Ibi episcopus Astensis indigna statione[31] periit, caeteri fugerunt, et nimium confusi adventum imperatoris aegre expectabant.

35. Quod rex Heinricus filiam Chnutonis[a] regis in coniugium duxerit.

Anno Domini 1036 Heinricus rex, filius imperatoris, Chnutonis[a*] regis Anglorum filiam nomine Chunehildem[b], pro regina consecratam regalibus nuptiis in coniugium duxit. Eodem anno, ut dictum est, imperator Chuonradus cum filio Heinrico rege Italiam intravit cum exercitu, et celebravit natalem Domini Veronae anno dominicae incarnationis 1037.
1037. Inde ad Mediolanum veniens, ab Heriberto archiepiscopo magnifice receptus est in ecclesia sancti Ambrosii. In ipsa die, nescimus cuius consilio, pene gravis tumultus factus est populi Mediolanensis, quaerentis ab imperatore, si vellet favere coniurationi eorum. Unde commotus imperator praecepit, ut omnes in urbem Papiensem ad generale colloquium convenirent[c]. Quod dum factum esset, cunctis reclamantibus legem fecit imperator. In ipso placito quidam Hugo comes et alii quam plures Italici appellabant archiepiscopum Mediolanensem pro multis causis, quibus eos offenderat. Imperator vero vocato archiepiscopo praecepit, ut satisfaceret omnibus. Quod dum archiepiscopus renueret, sensit imperator, omnem illam coniurationem Italiae ipsius consilio factam esse. Et mox comprehenso illo, retinuit in sua potestate. Deinde commendavit eum in custodiam Poponi patriarchae Aquilegiensi, et Chuononi duci Carentanorum. Qui ab eis ductus est cum imperatore[d] usque Placentinam civitatem. Quadam nocte quidam de familiaribus archiepiscopi collocavit se vice ipsius in lecto quo ipse iacere[e] solebat, et superducto coopertorio latuit, ut ita falleret custodes. Archiepiscopus adducto sibi equo a quodam fugit, et veniens Mediolanum, a suis cum magno gaudio susceptus est. Deinde, quicquid poterat moliri contra imperatorem, non praetermisit. Imperator quaeque castella sibi adversa destruxit, et iniquas coniurationes
Apr. 10. Italiae iusta lege reducta[32] exinanivit; et veniens Ravennam, sanctum pascha ibi celebravit. Eodem anno in Italia tres episcopi, Vercellensis, Cremonensis, Placentinus, apud imperatorem accusati sunt; quos imperator comprehensos exulari fecit. Quae res displicuit multis, sacerdotes Christi sine iudicio dampnari. Referebant nobis quidam, piissimum nostrum Heinricum regem, filium imperatoris, salva reverentia patris clam detestari praesumptionem caesaris in archiepiscopum Mediolanensem atque in istos tres; et merito, quia sicut post iudicialem sententiam depositionis nullus honor exhibendus est, sic ante iudicium magna reverentia sacerdotibus debetur. Eodem anno praefatus consul[f] Odo de Francia in regno imperatoris quaedam loca invadens, a Gozelone[g] duce Lotharingorum, et filio[h] suo Gode-
Nov. 15. frido, et Gerhardo comite, atque a militia[i] episcopi Mettensis, pugna commissa cum illo, fugiendo interfectus est, et vexillum eius caesari in Italiam allatum, hostem interemptum testabatur. Eo tempore imperator Mediolanenses nimium afflixit, et quoniam urbem antiquo opere et maxima multitudine munitam capere non poterat, quod in circuitu fuerat igne et gladio consumpsit.

36. De[k] miraculo quod accidit in die pentecostes.

Eodem tempore dum imperator quoddam castrum sancti Ambrosii, quod Curbitum[33] dicitur, iuxta Mediolanum obsideret, accidit ibi, quod plures pro miraculo habuerunt. In do-
Mai. 29. minicā sancta pentecostes, ante horam tertiam, de magna serenitate coeli subito fulmina

a) Chnittonis 1. Chnitonis *Zwettl.* Cunittonis al. Chunonis 2. a*) Cnittonis 1. 2. b) *ita Herimannus et Zwettl.* Chunelindem 1. 2. *vide infra cap.* 40. Chunlindam *Zwettl.* c) venirent 2. d) imperatorio 2. e) i. s. *desunt* 1. f) comes 2. g) Gohelone 1. h) filiis suis et Gotefrido interfectus est *Zwettl.* i) malitia 1. k) *inscriptio deest* 1.

31) i. e. in proelio. 32) Legg. II. p. 38**. 39. 33) Corbetta, ab occidente Mediolani.

cum tonitruis eruperunt tantae fortitudinis, ut multa pars hominum et equorum periret in castris. Quidam prae tanto terrore in excessum mentis venerunt, ita ut post aliquos menses vix illis sensus redierit[a]. Venientes autem qui extra castra fuerunt[b], nec vidisse nec audisse aliquid tale dicebant. Eo tempore imperator archiepiscopatum Mediolanensem Ambrosio Mediolanensi canonico dedit, licet illi ista donatio parum profuisset. Nam cives Mediolanenses quicquid habuit idem Ambrosius in illorum territorio demoliebantur, et suum archiepiscopum Heribertum usque obitum eius cum honore retinuerunt, sed tamen cum gratia Heinrici regis filii imperatoris, quod plenius in gestis regis, si Deus voluerit, exequar. Eodem tempore papa Cremonae occurrebat imperatori, et honorifice receptus et dimissus, Romam reversus est. Imperator disperso exercitu per regiones, ipse ad montuosa loca secessit propter refrigerium, quoniam ea aestate magnus calor imminebat.

37. De[c] seditione quae facta est in Parma.

Eodem anno, hyberno tempore collecto exercitu, imperator transcendens Padum, ad Parmam civitatem venit, ibi natalem Domini celebravit inchoante anno dominicae incarnationis 1038. In ipsa die nativitatis Domini inter Teutonicos et cives Parmenses magna seditio orta est, et quidam bene valens vir Chuonradus, infertor ciborum imperatoris, cum aliis interfectus est. Unde commotus exercitus, gladiis et igne cives aggreditur; et imperator post incendium magnam partem murorum destrui praecepit, ut eorum praesumptionem non inultam[d] fuisse haec ruina aliis civitatibus indicaret. Deinde imperator transcendens Apenninum montem, in Apuliam tendebat. Imperatrix vero Romam orandi gratia venit, inde ad imperatorem revertitur. Imperator autem ad terminos imperii sui perveniens, Troiam Beneventanum et Capuam aliasque civitates Apuliae lege et iustitia stabilivit, dissensiones quae erant inter Nortmannos extraneos et indigenas sola iussione sedavit, et cunctis offensionibus de regno sublatis feliciter reversus, Ravennam[e] venit. Ibi dispositis obsidionibus et insidiis adversus Mediolanenses, qui adhuc sibi rebelles fuerant, caeterisque rebus ad voluntatem suam per regnum compositis, patriam revisere decrevit. Eo tempore propter nimium calorem nimia contagio pestilentiae exercitum invasit, neque aetatibus neque personis pepercit. Ibi regina Chunehildis[f], coniux Heinrici regis, 15[g]. Kalendas Augusti quasi in limine vitae, ingressu mortis occubuit, relinquens tantummodo solam filiolam de rege, quam postea pater Christo desponsans, in abbatissam consecrari fecit. Filius imperatricis Herimannus dux Alamannorum, iuvenis bonae indolis et in rebus bellicis strenuus, eadem peste gravatus inter manus peritissimorum medicorum 5. Kalendas Augusti non sine magno detrimento imperii[h] obiit. Eodem mense atque sequenti maxima multitudo exercitus morbo contacta periit. Corpus reginae tenerum et delicatum, aromatibus conditum cum rege et imperatrice ductum ad Germaniam, in praepositura Lintburg[i] sepultum est. De duce statutum fuerat, ut in Constantiam civitatem Alamanniae duceretur; sed calore nimio obstante, in Tridento[k] sepelitur.

38. Quod[l] imperator filio suo regi Burgundiam tradidit.

Eodem anno Stephanus rex Ungariorum obiit, relinquens regnum Petro, filio sororis suae. Reversus imperator in Baioariam, aegrotantem exercitum medicinis[m] et consilio reficiebat; et dum omne regnum serenitate pacis invenisset illustratum, eiusdem anni autumno Burgundiam adiit; et convocatis cunctis principibus regni, generale colloquium habuit cum eis[32], et diu desuetam atque pene deletam legem tunc primum Burgundiam praelibare fecerat. Transactis tribus diebus generalis colloquii, quarta die primatibus regni cum universo populo laudantibus atque rogantibus, imperator filio suo Heinrico regi regnum Burgundiae tradidit, eique fidelitatem denuo iurare fecit. Quem episcopi cum caeteris principibus in ecclesiam sancti Stephani, quae pro capella regis Soloduri[n] habetur, deducentes, hymnis et canticis divinis[o] Deum laudabant, populo clamante et dicente, quod pax pacem generaret, si rex cum caesare regnaret[33]. Reversus imperator per Basileam descendens, Franciam orientalem et Saxoniam atque Fresiam[p]

Pacem firmando, legem faciendo revisit.

a) rediret 1. b) fuerant 2. c) *inscriptio deest* 1. d) f. i. 2. e) Viennam 2. f) Chunelindis 1. 2. Chunhilda *Zwettl.* g) *ita* 1. 2. *et Herimanni codd.* 4. 4b. *Zwettl.* 5. h) i. d. 2. i) Lutburg 1. 2. Limpurch *Zwettl.* k) Triento 1. l) *inscriptio deest* 1. m) medicis 1. n) Soloduro 1. o) *deest* 2. p) *ita* 1. *Herimannus et Zwettl.* Frisiam 2.

32) Solodori, Herimannus. 33) igitur: *Pax pacem generat, si rex cum caesare regnat.*

39. De obitu imperatoris.

1039. Anno dominicae incarnationis 1039[a] dum imperator Chuonradus iam in filio suo rege Heinrico regni rem, imperii autem spem bene locatam confideret, cumque pene omnia per Iun. 3. regnum ad libitum suum inclinata videret, ipso anno diem sanctum pentecostes apud Traiectum civitatem Fresiae[b] celebravit[c], ubi cum sacratissimam sollempnitatem venerando 5 magnifice cum filio et imperatrice[d] coronatus procederet ad mensam, mediocri dolore cor- Iun. 4. reptus est[e]. Tamen ne tantae diei laetitiam perturbaret, dolorem dissimulavit. Sequenti die cum morbus letalis vehementer insisteret, imperatricem cum filio rege ad prandium exire iubet de cubiculo. Interea imperator finem sibi imminere sentiens, sicut in vita sanus, in actu semper constans et strennuus fuit, ita in extremis nihil segnioris fidei permansit; et vo- 10 catis episcopis, corpus et sanguinem Domini et crucem sanctam cum reliquiis sanctorum apportari fecerat. Et erigens se cum lacrimis valde affectuosis, in confessione pura et oratione intenta, sanctorum communionem ac[f] peccatorum remissionem devotissime accipiens, imperatrici et filio regi Heinrico post[g] fida monita valedicens, ex hac vita migravit 2.[h] Non. Iunii, feria[i] 2, indictione 7. Viscera imperatoris apud Traiectum condita sunt, et rex locum 15 sepulturae donis et praediis ampliavit. Reliquum corpus ab imperatrice et filio rege, ut optime excogitari poterat, involutum et reconditum, usque Agrippinam Coloniam vectum, per cuncta coenobia illius civitatis atque Moguntiae seu Wormatiae, sive illorum quae in medio fuerant, omni populo sequente et orante deportatum, incredibili oratione et magnis[k] elemosinis pro redemptione animae factis, tricesima[l] qua obdormivit die in Spira civitate, 20 quam ipse imperator, sicut et postea filius, multum sublimavit, honorifice sepultum est. Hanc[m] gratiam Chuonrado imperatori Deus addidit, quod non vidimus neque audivimus tantas lamentationes universorum, tot orationes, tales elemosinas alicui imperatorum corpore insepulto factas. Et sicut percepimus referente episcopo Heinrico Lausanensi cum caeteris Burgundionibus, qui illum de obitu usque sepulturam[n] prosecuti sunt, filius caesaris Heinri- 25 cus rex ad omnes introitus ecclesiarum, et ad extremum ad sepulturam humeros suos corpori patris ultra modum humili devotione supposuit, et non solum quod filius patri in karitate perfecta, sed quod servus domino in timore sancto debet, hoc totum rex patri defuncto studiosissime exhibuit.

Haec de imperatoris Chuonradi gestis breviter scripsimus, de quibus si quicquam in- 30 tactum omnino dimisimus, hoc inauditum esse a nobis credatur. Si autem aliquid strictius quam rerum magnitudo se extenderet dictum est, illud propter commoditatem legentis 34 factum esse, veraciter attestabimur. Pro quo quidam de nostris[34] cantilenam lamentationum 1048. fecerat, quam postea filio suo Heinrico regi in Constantia civitate praesentavit; quas lamen- Apr. tationes hic, quoniam eiusdem operis sunt, inserere non incongruum putavimus. 35

40. Versus pro obitu Chuonradi imperatoris.

Qui vocem habet serenam, hanc proferat cantilenam
De anno[o] lamentabili et damno ineffabili,
Pro quo dolet[p] omnis homo forinsecus et in domo,
Suspirat populus domnum[q] vigilando et[r] per somnum:
5 Rex Deus[s], vivos tuere et defunctis miserere.

Anno quoque millesimo[t] nono atque[u] trigesimo[v]
De[w] Christi nativitate nobilitas ruit late,
Ruit[x] caesar caput mundi, et cum illo plures summi,
Occubuit imperator Chuonradus[y] legum[z] dator[*].
10 Rex Deus, vivos tuere et[a] defunctis miserere.

a) MXXXVIII. 1. b) Frisiae 1. 2. c) c. u. c. *desunt* 1. d) impetrace 1. e) *deest* 1. f) ad *corr.* ac 1. ad 2. g) *ita Zwettl.* per 1. 2. h) XI. 2. i) imperii 1. k) al. multis *add.* 2. l) octava *addit* 2. m) Nam 1. 2. n) sepulturam *usque* sepulturam *desunt* 1. o) De anno *desunt; lacuna* 1. p) Et 1. Luget 2. *omissis* Pro quo, *quae* 3. 4. *supplent.* q) damnum 3. 4. 5. r) *deest* 1. 2. s) regum 1. t) millessimo 3. u) et 2. v) tricessimo 3. w) A 1. 2. x) Et 1. 2. y) Kuonradus 3. Cuonradus 4. z) legis 1. 2. 4. *) lator 4. amator 1. 2. a) *deest* 1.

34) Haec Otto Frisingensis lib. VI. cap. 30. exscribit.

Eodem vero[a] tempore occasus fuit gloriae[b],
Ruit stella matutina Chunehildis[c] regina[d],
Et[e] filius imperatricis dux timendus[g] inimicis,
Ruit Chuono[h] dux Francorum, et pars magna ingenuorum[i].
15 Rex Deus, vivos tuere et[k] defunctis miserere.

Imperatoris gloria sit nobis in memoria,
Ac[l] frequenti[m] mentione vivat vir indolis bonae,
Vivat[n] dominator probus et[o] frequenti carmine novus,
Et[p] praeclara fama post mortem vitae praestet hunc consortem.
20 Rex Deus, vivos tuere et defunctis miserere[q].

Regum sanguine genitus, omnes praecellit penitus,
Gloriosus in persona, pulcher sua sub[r] corona,
Sceptrum, regnum, imperium nulli erat plus congruum:
Rem publicam honestavit, huius causa laboravit.
25 Rex Deus, vivos tuere et defunctis miserere.

Postquam replevit Franciam per pacis abundantiam,
Mitigavit Alamannos et omnes regni tyrannos,
Saxonibus et Noricis imposuit fraena legis,
Vidit sua magnalia probabilis Italia.
30 Rex Deus, vivos tuere et defunctis miserere.

Roma subiecit se primum a summo usque ad imum,
Experti sunt Ravennates in bello suo primates,
Sentiebant Veronenses invicti caesaris enses,
Hesperia se prostravit, imperanti supplicavit.
35 Rex Deus, vivos tuere et defunctis miserere.

Reversus Alamanniam invenerat calumpniam[s],
Quam sic dissipavit caesar, ut ventus pulveris instar[t],
Omnes simul perierunt qui praedatores fuerunt,
Et cives praestantissimi idcirco facti[u] exulari.
40 Rex Deus, vivos tuere et defunctis miserere.

Nil moratus imperator, pacis ubicumque dator,
Bellum intulit paganis, ne nocerent[v] christianis,
Non defendit eos palus, nulla fuit aquis salus,
Bene coercebat Sclavos barbaros et omnes pravos[w].
45 Rex Deus, vivos tuere et defunctis miserere[x].

a) fere 2. b) Angliae 1. c) Chunelinda 1. 2. Gunnild 3. Cunegundis 4. d) *hic* 1. 2. 3. *inserunt versum* Heu quam [quantum 1. 2.] crudelis annus, corruerat Herimannus *quem et Otto Frisingensis in Chronico lib. VI. cap.* 31. *ante oculos habuit.* e) *deest* 1. 2. 3. g) timidus 1. 2. h) Chuno 2. Kuono 3. Cuno 4. i) seniorum 1. 2. 4. k) *deest in* 1. 2. *legitur in* 3. 4. *et hic et in sequentibus.* l) Et recenti 1. 2. 4. m) frequentione 3. n) Fiat 1. 2. *versus deest in* 4. o) *deest* 1. 2. p) *deest* 1. 2. 4. q) *hic desinunt* 3. 4. r) sub sua 2. s) calumniam 1. 2. t) obstar 1. u) 2 *in margine habet:* al. sunt exulati. v) noceret 2. w) praedones 1. x) m. finis Wipponis 2. — *Nonnulli fortasse versus interierunt.*

VITA GUNTHERI EREMITAE.

Est sermo ieiunus lectionibus in monasterio habendis aptatus[1], *a coenobita quodam in cella ipsius Guntheri ut videtur*[2] *multo post eius obitum tempore compositus, receptis ex Wolfgeri vita Godehardi integris capitibus* 8 *et* 9 *nec vel omissis quae Wolfgerus de praesentia sua in coenobio Guntheri tradidit. Quare Mabillonius aliique ipsum Wolfherium vitae quoque huius auctorem esse putaverunt; sed nec auctoris nomen in codicibus legitur, nec scribendi modus in reliquis libri partibus Wolfherio convenit, et stultam narrationem de pavone a viro qui duplicem Godehardi vitam edidit valde alienam esse existimo*[3]. *Certe talibus narratis auctor nullam sibi unquam fidem conciliabit.*

Liber a Canisio in Lectionibus antiquis ex codice Altahae inferioris editus, postea a Mabillonio in Actis SS. O. S. Benedicti saeculi VI. pag. 480 *sqq ope codicis Villingani, tertio in Actis Sanctorum Antwerpiensibus die* 9. *Octobris p.* 1054—1084 *adiectis miraculis ex codice saeculi XIII exeuntis vel XIV. bibliothecae ducis de Altaems, quarto ex codice saeculi XIV. Tribonensi stilo liberiore scripto quique a fonte libri, vita Godehardi, magis recedit, a Bonaventura Piter in libro singulari*[4] *a.* 1762 *typis datus est. Iam vero evoluto iterum codice Tribonensi qui in bibliotheca universitatis Pragensis XIII. D.* 20 *signatur quinta vice prodit. Pragensem librum W. Wattenbach noster cum editis contulit.*

Miracula saeculorum XIII et sequentis in Actis Sanctorum vulgata ad rem nostram minime faciunt, eaque hic omitti placuit.

INCIPIT VITA.

Vita Godeh. II, c. 8.

1. Regnante piissimo imperatore Henrico huius nominis secundo, cum beatus Godehardus Altahense coenobium regeret, fuit in Turingiae partibus quidam vir nobilis, dignitate et meritis illustris, nomine Guntherius, qui pro delictis iuventutis ingemiscens, et considerata diligentius actuum suorum qualitate, faciem Domini in confessione praeveniens, Hersveldiam, ad eundem beatum Godehardum abbatem, noviter eidem ecclesiae ab ipso imperatore praestitutum, digne, ut postea patuit, poenitendo accessit, eique omne secretum cordis ac voluntatis suae funditus aperuit. Quem abbas, iuste in Deo immoratus, blanda consolatione et condigna etiam provisione poenitentem suscepit, et ad monachicam usque professionem saluberrima sui commonitione Domino cooperante convertit. Qui propriae diffidens imbecillitati corporis et animi, ad penitus abdicanda quaecumque sunt saeculi, multiplicem suae hereditatis proprietatem, quam acceperat a progenitoribus, sancto Wigperto cum consensu heredem suorum firma traditione totam delegavit, sub testibus tamen primitus testamento pactus, ut monachus factus, monasterium quod Gelinge dicitur victus et vestitus gratia ipse possideret, ac fratribus illic Christo servientibus secum inde necessaria provideret. Sanctus abbas prudenti pertractans consilio homini noviter converso talem pactionem in via mandatorum Dei maximo futuram esse periculo, et plus inde per dies animae nasci dispendium quam corporis, ut putabat, subsidium, interim illum provida mente ab incepto suspendit, et laico habitu adhuc usum ad Altahense monasterium secum perduxit.

2. Ibidem vir prudens praedictus Guntherius cordetenus compunctus, petiit ab abbate, ut ante professionem liceret sibi Romam petere, et apostolorum Christi et aliorum sanctorum intercessionem pro transactae vitae deviis et pro

1) v. cap. 8. 2) *qualiter . . nobis peccatoribus Christus servi sui terminum huius vitae manifestare dignatus est, pandamus breviter.* 3) Qua in re ut iam video Iacobum Bucum vitae editorem in Actis SS. consentientem habeo. 4) Thesaurus absconditus in agro sui monasterii Brzewoniensi prope Pragam ord. S. Benedicti S. Gunterus etc. vita et miraculis etc. ex cod. ms. membr. Tribonensi etc. studio et opera Bonaventurae Piter etc. Brunae 1762 in 4. cum tabulis aeneis, quas inter specimen scripturae habetur.

novae viae ingressu quaerere. Quo permittente ivit et rediit, tandemque ante altare sancti Mauricii cingulum deponens, caput et barbam totondit, et facta de more petitione susceptus ac aliquamdiu regulariter probatus, ab eodem pastore monasticae vitae habitum est adeptus. Verum post votum professionis, non immemor suae quam praescripsimus pactionis, adiens abbatem Godehardum, petiit licentiam patriam repetendi et locum quem pepigerat iuxta conditionem incolendi. Quod pius pater interim consensit, nolens cum obstinata contradictione ab effectu quamvis iniquo prohibere, donec ratione dictante illicita cupientem animum paullatim posset mitigare. Venienti igitur ad locum Gelinge dictum, et disponenti necessitates ibidem commanentium, ex occultis temptationibus temptatoris et insidiis, Deo, ut certe credimus, ad exemplum beati Iob permittente, multa et varia ei occurrerunt incommoda, pro quibus, dum ipse, scilicet antea paupertatis ac laboris insolens, ad abbatem saepius quaeritando confugeret, eiusque pro talibus consilium et auxilium anxie perquireret, sollicitus pater fluctuationem mentis eius profunde prospiciens, subsecuturam forte cordis mutabilitatem vehementer pertimescens, blanda interdum consolatione et suaviloqua commonitione moestitiam cordis eius mitigarat. Interdum vero iuxta apostolum arguendo, obsecrando, increpando oportune importune[a] nutantem[b] animum eius castigans, ad viam salutis eum reducere studuit; quod tamen adhuc modicum[c] profecit.

3. Sed cum in hac altercatione[d] saepius luctarentur, et in huiusmodi molestia ambo crebrius fatigarentur, illi iterum quandam suae sollicitudinis querelam suggerenti, vir Dei debito iustitiae zelo permotus, turgente, ut aiunt, pulmone respondit, ut aut in promissa obedientiae stabilitate Deo devotus serviret, aut certe ad solitam saeculi vanitatem laqueis iterum satanae irretitus abiecto habitu rediret. Ad quam vocem stupefactus auditor intremuit, et erroris sui nimietatem sero tandem perhorrescens, ingemuit. Sed et hanc causam pio imperatori Henrico per ordinem abbas totam secretius insinuavit, ipsumque adiutorem ad corrigendum talem hominem corrogavit. Quem confestim princeps ad colloquendum clementer evocans, per semet ipsum convertit, et ex euangelicis vel apostolicis regularibus praeceptis instruere coepit, nullum posse duobus dominis servire, nec monachum ad saeculum ut canem ad vomitum reverti debere. His et aliis huiusmodi praecautionibus tandem in Christo vere compunctus, vir memoratus omni praedicta pactione cordetenus oblita, et tota cuiuscumque incommodi querimonia abolita, ad Altahense monasterium, ubi tunc sub eiusdem patris cura, ut in gratia omnium loquar, singulare divini cultus studium fervebat, se contulit; et illic fratribus humillime subiectus, et in sacrae religionis districtione pleniter in brevi tempore divini roris infusione instructus, ultra regulare praeceptum semet praelatis admirantibus afflixit.

4. Cumque in austeritate vitae perseveraret, et exemplo suo quamplures ad viam veritatis incitaret, veluti lucerna super candelabrum posita, fama eius bono odore respersa ad aures beati Stephani regis Ungarorum, ipsius venerabilis viri cognati, emanavit, cuius animum magno dilectionis incitavit amore, ut hunc facie ad faciem videret, quem sic de virtute in virtutem proficere frequens fama praedicaret. Unde factum est, ut ad ipsum nuncios dirigeret, et ut ad eum venire non recusaret, omni studio postularet. Vir autem Domini conversionis suae non immemor, haec sibi minime licere respondebat quae rex pius postulabat. His rex auditis, maioris inflammatur caritatis amore, et velut antea nuncios direxit; sed ille se venire etiam secundo denegavit. Tertio itaque post illum, veluti primo secundo, transmittebat, et ut ipsius petitioni assensum praeberet humiliter postulabat. Igitur sanctus Guntherius regis tandem victus precibus, eius petitioni licet invitus annuit, et accepta abbatis et fratrum benedictione, cum transmissis legatis pariter et ipse ad regem pervenit. Rex autem viso sancto Guntherio gavisus est, et quomodo hunc artius veluti iustum et sanctum diligebat, circa ipsum maiorem diligentiam habere satagebat.

5. Factum est autem dum hora prandii sanctus Guntherius mensae regis pariter consedisset, rex sibi pavonem assatum apposuit, et ut carnibus vesceretur intime flagitare coepit. Sancto autem viro sub regulari conversatione degente et huiusmodi cibis abstinente, penitus contradicebat, et illicitis cibis se contaminari nolle asserebat; cuius voluntati rex non minus resistebat, ut apposita manducaret non solum rogando verum etiam praecipiendo laborabat. Quidnam facere poterat? Praecepto regis se obtemperare promittebat, sed in divino adiutorio fiduciam retinebat. Quapropter factum est, ut inter prandentes hic solito more orationi insisteret, caput manibus inclinaret, profusis lacrymis ne illicitis cibariis pollueretur divinam clementiam implorabat. Mira res atque stupenda! completa Dei famulus oratione caput de manibus elevabat, avis assata mensaeque superposita reddita vitae pristinae devolabat, et ab eius usu gratia divina virum liberabat. Quo viso cuncti miraculo inaudito, Deo gratias referebant, nec amplius sancti viri voluntati resistebant.

6. Sed Dei famulus plus appetens mala mundi perpeti quam laudes, pro Deo laboribus fatigari quam vitae huius favoribus extolli, deserti loci secessum cum aliquantis sibi de Altach cohaerentibus in quodam saltu Boemico, de permissione sui abbatis domini Godehardi petiit, ibique cellulam in honore sancti Iohannis baptistae construxit, et ipsum locum Rinchnach[5] proprio nomine appellavit, in qua ad 37 annos in studio sanctae religionis et in summa discretione paupertatis spontaneae cum sibi remanentibus vixit. Annona denique erat varia, ubi de potu et deliciosis cibis nihil erat, et ubi non nisi sola aqua habebatur, et ipsa etiam hospitibus ad sufficientiam, fratribus vero ad mensuram dabatur. Litteras omnino nisi tantum psalmos aliquos non didicit, et tamen omnem rationem et intellectum euangeliorum legis et prophetarum historiarumque ex crebra fratrum relatione et avidiore verbi Dei auditione mirabiliter percepit, adeo ut saepissime obscuriora mysticae intelligentiae interdum subridendo, interdum vero admonendo stupentibus auditoribus proferret. Quod nos quidem, qui eum familiarius cognovimus, frequenter audivimus, praecipue tamen cum in summa sua festivitate adesset in cella, quam ipse in honore beati Iohannis baptistae construxerat, specialis sui patroni, sermonibus eius affuimus, quo in capitulari collatione eodem die fratres suos admonebat, dum eos de eiusdem patris, beati videlicet Iohannis vita et moribus, victu et etiam vestitu ac operibus, ad paupertatis sub Deo placitam tolerantiam instruebat. Verum enim dico, et coram Deo non mentior, quia omnes paene qui aderant eidem sermoni ad uberrimam lacrymarum effusionem dono Dei sunt compuncti. Assedit et ibidem venerabilis Ratmundus abbas cum plurimis sui coenobii fratribus et aliis insuper multis hospitibus, praeter nos, quos in canonico habitu illuc ingredi religio vetuit, quos tamen fa-

Vita Godehardi II, c. 9.

a) op. et imp. *Mab.* b) mentem *cod.* c) parum *cod.* d) altricacione *cod.*

5) haud procul a fluvio Regen.

miliaritas et maxime abbatis licentia circumquaque ad fenestras, ignorante concionatore, clanculo collocavit. Erat enim, ut de sancto Benedicto dicitur, quem post Dominum vita et moribus sequebatur, scienter nescius et sapienter indoctus[6].

7. Haec itaque breviter diximus de honestate morum et conversione nobilis viri Guntheri, quantumque per poenitentiae satisfactionem Domino complacuerit; quae nobis ad imitationem boni exempli sufficiant. Ecce enim camelus deposita gibbi sarcina, angustum foramen acus penetravit, ipsum ducente, cui omnia possibilia sunt et nihil difficile, quique est mirabilis in operibus suis maxime in misericordiis, neminem propter enormitatem scelerum deserens, omnia dissimulat propter poenitentiam peccata, una hora convertens impium sanctum facit; cuius virtute caput antiqui hostis pugnando contrivit christicola Guntherus. De virtutibus vero huius venerabilis viri quibus adversarium superavit, vel quas eius insidias pertulit, nulli compertum habetur, eo quod multo tempore hominibus incognitus mansit. Qui tamen licet locum mutaverit, hostem non mutavit, nullique dubium, quia quanto magis in spiritualibus profecit, tanto plus acriora certamina toleravit. Igitur quanti meriti vir iste sit, per lapidem miratur, in quo, dum in vasta eremo solitarius Christo militaret, post laborem quievisse, quantitas membrorum ipsius, veluti in molli strato quiescentis, nunc usque apparet impressa. Et quid dicimus? nam sicut ad roborandam fidem credentium Petri apostoli vestigiis fluenta maris Christi pietas solidavit, sic ad declaranda famuli sui Guntheri merita duritiam silicis in mollitiem ipsius membri stravit, ut ex hoc clareat, quanta suavitate in caelis animam eius pius iudex remunerat, quem ad sectanda sua precepta misericorditer inflammavit.

8. Attollamus igitur mentes nostras ad imitanda sanctorum exempla, ut dum eorum gesta laudamus, nos ipsi probabilem vitam ducamus, iuxta quod psalmista admonet dicens: *Quaerite Dominum, et vivet anima vestra.* Et iterum: *Accedite ad Dominum et illuminamini, et facies vestrae non confundentur.* Tunc etenim facies nostrae in die iudicii non confundentur, nec terribilem sententiam: *Ite maledicti in ignem aeternum*, audiemus, si toto corde ad eum accedentes, prava fugere, huius mundi inquinamenta devitare studuerimus: atque ab omnibus peccatis per poenitentiae labores expurgati, cum sanctis et electis audiemus a pristino iudice, *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Ad quod regnum ipse Dominus invitat, cum dicit in euangelio: *Si quis mihi ministrat me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit.* Sed quia fragilitate depressi ad sublimia minime tendere valeamus, tota mentis intentione sancti patris huius poscamus suffragia, ut ipse qui non iustos sed peccatores vocare venit, precibus sui dilecti confessoris, igne sancti Spiritus pectora nostra inflammans, nos de convalle huius miseriae et via peregrinationis revocet aeternam ad patriam. Ergo Dei clementiam, quae servum suum de labore perduxit ad requiem, superlaudantes, ne lector circumlocutionibus corda detineat auditorum, sermonem vertamus ad ea, qualiter ad laudem et gloriam nominis sui nobis peccatoribus Christus servi sui terminum huius vitae manifestare dignatus est; pandamus breviter.

Psalm. 68, 33. Psalm. 33, 6. Matth. 25, 41. Matth. 25, 34. Ioh. 12, 26.

9. Cum vero omnipotens Deus beatum virum vellet a labore quiescere et aeterna mercede remunerare, eiusque vitam in exemplum hominibus demonstrare, ut posita super candelabrum lucerna claresceret quatenus omnibus qui in domo Dei sunt luceret, contigit ut inclitus tiro[a], dux videlicet Brecizlaus, cum Poloniam gloriose sibi subiugasset, victorque cum pace ad sua redisset, cuiusdam urbis quae Praben[7] dicitur confinium causa venationis cum suis adiit, ubi quadam die, ut solebat, venatum exivit. Cumque sui omnes huc illucque discurrerent nec in aliquo proficerent, subito apparuit eis cervus mirae magnitudinis, quem ipse dux cum magna alacritate subsecutus est. Tunc cervus quasi fugam simulans, in quendam locum ipsius silvae quam celeriter devenit, et veluti nullo sequente secure stare coepit. Hoc dux intuitus, ac solo cliente parvo contentus, cervum aggreditur et eius formam et magnitudinem diligenter scrutatur; denique cum fidei armis munitus haesitaret animo, subito de caeli fastigio audivit claram sibi vocem taliter insonantem: *O Bretizlae, non semper quae alta sunt Dei consilio, tuo fragili desiderio quaeras, sed cum humilibus humilia tibi tuisque posteris profutura ne pigriteris attendere. Hoc enim in loco latet Dei thesaurus, cui quondam valde amabilis, nunc vero et in futura tempora cunctis quaerentibus pie desiderabilis; nam scriptum esse cogita*[8]*: „Pater meus operatur, et ego operor, quia ego in Patre et Pater in me est.“ Ideoque quidquid servi mei operantur in hoc saeculo, non eorum, sed Dei virtutem in omnibus credas.*

10. Haec talia dum dux tacitus audiret, et ut amens stupefactus de loco quo stratus iacebat vix resumto spiritu surgit, ac circumquaque aspiciens, ilico in ipsa vasta solitudine rivulum parvulum a longe videt, pulcroque gramine circumdatum quasi quibusdam odoribus abundare; quo in loco lapidem mirae magnitudinis, et super eum cellulam vilibus de lignis constructam miro odore redundantem invenit; et solus cum solo cliente de supercilio montis descendens, licet pavidus, cruce tamen sancta in fronte signatus, quid ibi lateret cogniturus celeriter intrat. Et ecce senem pulcra canitie sedentem et albescentem, ac veluti angelum Dei in vultu relucentem, lectoque ceu in oratione prostratum aspicit; nimio quoque horrore pervasus coepit stare. Quem senex pio vultu intuitus, ne ad talia trepidaret sed ut Deum omnipotentem in omnibus laudaret, monuit, et quod ipse Guntherus esset, qui eundem de sacro fonte suscepisset, diversis indiciis licet admiranti duci assignavit. Tunc dux his verbis spiritum ad plenum resumit, et constantia animi recepta, pium virum interrogavit, quomodo vel quando ad tam insolitam solitudinem

a) thiro c.

6) Greg. M. Dialog. lib. 2. MAB. 7) Prachno castellum dirutum, caput olim circuli Prachiensis. 8) Ioh. 5, 17.

devenisset, vel cur tam duram vitam monachorum attigisset, ac satis amicabili et multum lacrimabili affatu precatur, ne ulterius tam nobilis vir hominibus lateret incognitus, sed ad terram sui ducatus melius fovendus perduceretur, quam plurimum rogabat. Quod vir Dei prorsus renuit, et ne Dei voluntati in aliquo contrairet sollicite Deum rogans. Unde dux valde miratus, et in eius piis admonitionibus et diversis verbis consolationis, orationibus se sancti viri commendavit, et ut in reliquo de apparatu proprio nullo necessaria ei deessent, se daturum promisit.

11. Quae omnia Guntherus a praefato duce benigne suscipiens, et multa praedixit futura, et velut quodam praesagio inter reliqua pii affaminis verba proloquens dixit: *Meae dilectionis causa si venisti, fili, meae petitioni esse contrarius noli. Nam corpusculi mei iam dissolutio instat, et quamvis de sepultura mea diversi diversa sentiant, ego ut in spiritu loquar, corporis*[a] *mei depositionem*[b] *Brevnowe*[9] *locandam testor, et quod in spiritu loquor, id ab Omnipotente ut fiat exopto. Proinde, carissime fili, memoriae causa praedicto loco Brevnowe aliquid solatii apta, ut et mei in Domino et tui tuorumque omnium in posterum in Deo memoria habeatur, et in mei requiei, quae futura inibi diem iudicii exspectabit, dignum memoriae fructum, tuis licet postea vel tuorum successorum in temporibus confirmanda prudenti consilio adapta. Super haec autem omnia si meae discessionis vel migrationis terminus delectat, crastinae diei tertia hora quid de meo transitu divina operatio sentiat, meae fragilis vitae terminus declarabit.* His dux auditis turbatus est animo, et in oscula ruens, amarissimis circumfusus lacrimis, magno rugitu talia proclamabat: *O carissime pater, cur me, licet ad te tarde venissem, detestaris? O canities veneranda, quem veluti angelum Dei, licet indignus, amplector; cur me, filium ut dicis tuum spiritualem, tam cito ceu orphanum relinquis? Tuae enim purae orationes, tua crebra, ut spero, ieiunia, meae pravitatis deberent esse et fuerunt tuta praesidia, ut apud Deum omnipotentem pro meis criminibus, quibus humana fragilitas saepius convincitur, hostisque mille fraudum dolis atteritur, fierent assidua suffragia.*

12. His clamoribus motus pius Guntherus, dixit flenti nimiumque gementi: *Desine, fili, desine talia agere, et sperans in Domino noli metuere, meaeque petitionis effectum libenter excipe, veraciter perfice. Iamiam ad tuos redi, meique secretum prodere noli, sed crastino non tarde redeas, et meae migrationi, si dominus Deus voluerit, interesse poteris.* Tunc dux valde tristis et gemebundus, benedictione tamen accepta, cum suo cliente discessit, et ne cui talia secreta prodat sub interminatione interdixit. Igitur sequenti die Brecizlaus dux, assumto venerabili episcopo[10] Severo, qui sibi speciali familiaritate adunabatur, summo diluculo ad viri Dei cellulam pervenerunt, ipsumque orationi instantem laudesque Deo omnipotenti psallentem invenerunt. Completa vero oratione, post longa futurae vitae colloquia, peractisque a Severo episcopo missarum sollemniis, vir Domini corporis et sanguinis perceptione se muniens, hora diei tertia, canentibus qui aderant et flentibus, inter orationis verba immaculatum Deo spiritum reddidit. De carnis igitur ergastulo iam felici recedente anima, tanta de eo suavissimi odoris redundavit fragrantia[c], ut cunctorum ibi assistentium perfunderet nares et pectora; cuius odoris suavitas tam diu stabilis permanebat, quousque viri Dei corpus ad locum sepulturae perveniebat.

13. Posthaec peractis omnibus ad exsequias attinentibus, corpus illud sanctissimum indomitis equis est superpositum, quod cum tanta mansuetudine ad locum sepulturae ab eisdem delatum, ut profecto claresceret quanti meriti exstiterit in caelis, cuius corpus bruta animalia postposita ferocitate venerabantur in terris. Obiit autem Christi famulus eremita Guntherus anno incarnationis Domini 1045, 7. Idus Octobris, sepultusque est in monasterio Brewnovensi, quod a civitate Pragensi distat 20 stadiis, ubi ipse, dum adhuc viveret, adsepeliendum esse in spiritu praedicebat. In quo loco per eius merita fiunt assidue miracula, multa infirmis praestantur beneficia, donante Christi gratia, qui cum Deo Patre vivit et regnat Deus per infinita saeculorum saecula. Amen.

a) corpusculi M. b) Brunoviae dep. M. c) fraglantia c.

9) Brewnow prope Pragam. 10) Pragensi.

VITA RICHARDI
ABBATIS S. VITONI VIRDUNENSIS.
EDIDIT D. W. WATTENBACH PH. D.

Richardus, vir tantae dum viveret auctoritatis, ut plus quam viginti monasteria curae eius supponerentur[1], *nullum inter aequales vel discipulos suos invenisse videtur, qui vitam ipsius enarrandam susciperet. Pauca tantum, qui Gesta episcoporum Virdunensium usque ad annum post obitum Richardi, scil. a. D.* 1047, *continuavit, de eo memoriae tradidit; multo plura, vergente iam saeculo, Hugo Flaviniacensis abbas*[2]. *Aliquanto post monachus quidam Sancti Vitoni vitam Richardi scribendam suscepit, ea se scripturum professus,* quae ab ipsis qui ea viderunt et certissime cognoverunt, fideli narratione didicimus[3]. *Sed iam* ante multa tempora (*cap.* 10) *epistolam de reliquiis ex combustione Commerceii salvatis composuerat, scilicet quum ecclesia Sancti Vitoni thesaurum illum* per nonaginta et eo amplius annorum curricula *possedisset. Castrum autem illud ab Odone Campanensi comite non multo tempore post mortem patris ipsius* (*a.* 1004) *combustum esse videtur; epistolam igitur circa a. D.* 1100 *scriptam dicamus,* iussu domni abbatis Laurentii, *qui a.* 1099—1139 *monasterio praefuit; Richardi autem vitam aliquot annis post, dum adhuc superstites essent viri grandaevi, qui illum viderant. Praeter famam igitur tanti viri, in proprio ipsius monasterio adhuc vegetam, usus est Gestis episcoporum Virdunensium continuatis* (*SS. IV*, 45—51)*; vita quoque Theoderici II Metensis episcopi, quae periisse videtur, sed cuius fragmentum ipse c.* 8. *servavit; Hugonis autem chronicon, etsi in plurimis cum eo conveniat, non novit: quomodo enim tot praeclaras de Richardo abbate et Friderico comite narrationes omisisset, si eas in chronico illo legisset?*

Hanc igitur vitam ex MS^to^ Sancti Vitoni edidit Ioh. Mabillon, Act. SS. O. S. B. VI, 1, 519—530*; excerpta brevissima praebet collectio Bouquetiana XI*, 458. *Codex manuscriptus adhuc Virduni servatur* (*Archiv VIII*, 444)*; verum quum nobis hoc tempore praesto non fuerit, editio illa repetenda fuit, omissis tamen miraculis, de quibus unum cap.* 8. *hic exhibendum duximus:*

Heinricus imperator augustus huic patri fidelissimus amicus, quem multis impensis auri et argenti, vestium et ornamentorum saepenumero visitavit, ad hanc civitatem ascendit in-

1) Animadversione tamen notatus est a Petro Damiani Ep. VIII, 2, tanquam aedificandi nimium cupidus; quem locum vir summus Mabillon in praefatione allegavit. 2) libro secundo, SS. VIII, 368.

3) Cf. cap. 11: *ut venerabilium senium fideli narratione didicimus*; cap. 13: *secundum antiquorum senum relationem.* Similia in libro de miraculis eius passim leguntur.

visere et videre novas structuras claustri et officinarum. Cumque sustentantibus eum venerabili patre et episcopo Heymone claustrum intraret noviter constructum, illud Davidicum mox intulit: „Haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo quoniam elegi eam.“ Ps. 131, 14. Quod dictum altius insedit cordi pontificis, et secretius abbatem allocutus: „Si hunc, inquit, 5 retinueritis, et ut desiderat monachum feceritis, omne imperium pessumdabitis.“ Tunc senior alta consideratione intra cordis sui recessus verba pontificis coepit trutinare, et qualiter imperio quod successore carebat consuleret, et imperatoris desiderio satisfaceret, iugi meditatione pertractare. Tandem spiritus consilii, scientiae et pietatis in id animum ipsius inspiravit, ut in conventu fratrum imperatorem evocaret et de animi sui proposito illum dili-10 genter inquireret. Imperatore vero respondente cum lacrymis, per Dei misericordiam sui animi propositum et votum esse, sub eo et per eum in hoc loco cum fratribus mutato habitu Deo velle militare, ilico piissimus pater inquisivit, si secundum regulae praeceptum et Christi domini exemplum obediens vellet esse usque ad mortem. Illo autem cum multa devotione id profitente, statim senior subintulit: „Et ego ut monachum vos suscipio, et ab hodierna 15 die animae vestrae curam subeo; ideoque quod iussero cum timore divino vos facere volo.“ Tunc eo omnia quae iuberet se cum divino adiutorio impleturum spondente: „Volumus ergo, inquit venerabilis abbas, et praecipimus, ut ad gubernandum a Deo vobis delegatum imperium redeatis, et cum timore et tremore salutem totius regni ut iusti tenax pro posse peragatis.“ Benignissimus itaque imperator et vere monachus, sponsionis suae non immemor, 20 licet invitus patris paruit imperio et iura regni rursus suscepit disponenda, frequentiusque venerabilem patrem accersiens, maiores imperii actiones eius disponebat consilio. Cumque pluribus annis summae pacis exercitio imperium administrasset, ultima valetudine ad extrema deducitur.

INCIPIT PROLOGUS IN VITAM BEATISSIMI PATRIS RICHARDI ABBATIS.

25 1. Ad laudem et gloriam summae aeternae Maiestatis, cuius virtus et gratia est, quicquid in sanctis suis mirabiliter in oculis mortalium eadem ipsa divinitas aliquid excellentius quam in ceteris hominibus sua dispositione per administratorios spiritus caelitus operatur: de beatissimo et piae recordationis patre Richardo posterorum memoriae, quae ab ipsis qui ea viderunt et certissime cognoverunt, fideli narratione didicimus, iussis et voluntati id de-30 siderantium obtemperando tradere disponimus; summopere gestientes, ut tanti patris veneranda memoria, sicut hactenus nostris, sic eorum mentibus inhaereat per saecula celebriter dulcis. Si enim quique fideles, cum sanctorum agones et certamina seu actuum gesta annuatim legunt vel audiunt, dulcius ipsorum memoriis inhaerent, tum[a] nos potissimum, qui auctore Deo huius venerandi sacra institutionis norma regimur et corporali praesentia fove-35 mur, et ut vere credendum est, assidua apud Deum intercessione protegimur, dignum esse ducimus, ut descriptis eius aliqua ex parte gestis, in ipsius amorem animos fidelium fratrum accendamus.

INCIPIT VITA.

2. Hic igitur pater venerandus et a Deo nobis pastor destinatus, in finibus Montis Fal-40 conis[4], in villa quae dicitur Bantonis, parentibus nobilissimis, patre videlicet Waltero, matre vero Theodrada oriundus, in puerilibus annis ecclesiae beatae virginis Mariae Remis sacris litteris erudiendus et canonica regula instituendus traditus fuit[5]; ubi Deo se gubernante secundum incrementa corporis morum et doctrinae proficiens incrementis, in brevi ad summum apicem caelicae doctrinae pertingere studuit. Deinde per singulos sacrae promotionis 45 gradus conscendens, sicut ordo habet ecclesiasticus, in ordinibus sacris, sic moribus dignis sese conspicabilem reddidit. Unde factum est, ut tam scientiae gratia quam vitae et morum elegantia, praecentoris et decani[6] in ipsa ecclesia sortiretur officia. Cum vero reverendus

a) *ita correxi;* cum M.

4) Mons-Falconis oppidum in finibus Remorum 50 versus Virodunum, sed in Remensi dioecesi, ubi monasterium a sancto Balderico institutum, quod iam pridem in collegium canonicorum conversum est. MAB. 5) Haec et proxime sequentia partim ex Continuatione Gestorum episcoporum Virdunensium c. 6. 8. hausta videri possunt. Sed noster multo accuratiora tradit, quae conferenda sunt cum Hugonis Chronico II, 1—4. 6) Hugo vocat archidiaconum.

heros his potitus honoribus eum in dies ad summum philosophiae pertenderet animum, divinus ille ignis, qui quos repleverit, ardentes in amorem verae philosophiae facit, eius menti eo se totum infudit, ut vix se in huiusmodi honoribus iam demorari pateretur, quin toto mundiali fastu despecto, crucem Christi accipere et eum sequi omnibus votis deliberaret.

3. Cumque id quod piae menti conceperat divino perflatus ardore, pio affectu complere festinaret, coepit omnimodis perquirere, quonam locorum a suis remotus id per Christi gratiam valeret assequi. Haec eius vota fautrix Divinitas ex alto perspiciens, advexit ei scutum bonae fidei et voluntatis, nobilissimum scilicet comitem Fredericum, qui eo tempore istius civitatis comitatum corpore strenuo et ingenti animo probiter regebat, quique eodem spiritu actus, postponere saecularem pompam et Christum sequi sitienter desiderabat. Contigit denique, ut una dierum more itinerantium isdem comes Remis adveniret, et hospitio huius viri, caritate quae Christus est mediante, contubernaliter frueretur. Igitur inter mutuae confabulationis praedulces affectus incidit sermo de huius saeculi et miserabili aerumnosaque fugienda pompa, quae cum a suis amatoribus magis vult detineri, variis obnoxia casibus, dum totis spebus ei innituntur, subito velut umbra tenuis e manibus eorum elabitur. His ergo tam veris tamque salutaribus verbis ad evitandas tam periculosi naufragii moles se ipsos exacuentes, constituerunt sibi diem et locum, quando et ubi deliberata perficerent.

4. Erat tunc temporis ista ecclesia sanctorum licet corporibus insignis, beneficiis tamen satis exigua, utpote post Hunnorum seu Normannorum vastationem, et interemtionem eam incolentium canonicorum, haud magnis impensis pro angustia temporum restructa, sumptibus inops, rebus necessariis valde tenuis, quam septem tantummodo Scotigenae sub abbate multae simplicitatis viro, nomine Fingenio, qui abbatiam sancti Felicis extra muros Mediomatricae urbis conditae cum ista regebat, non multum laudabili vita incolebant[7]. Ad hanc ergo, Deo volente, unanimi devotione, pauperem Christum pauperes Christi voluntaria paupertate sequentes, properare festinaverunt, in pulsando perstiterunt, quoadusque suscepti fuerunt. Cumque incorrigibiles cohabitantium mores attenderent, nec ad plenum, ut speraverant, regularem ordinis tramitem eos incedere velle persensissent, tacti dolore cordis intrinsecus, inter se quaeritare coeperunt, quonam ad quod ardentes pervenire desideraverant, videlicet religionis apicem, invenire valerent. Ea tempestate virebat vinea Domini Sabaoth ex Aegypto transplantata et firmiter radicata, Cluniacensis scilicet ecclesia, sub sanctissimo patre Odilone, quam velut alter Moises vel Aaron, legislatione almi patris Benedicti studiosius educatis, per mare huius saeculi, in quo sunt animalia pusilla cum magnis, et per horrendam eremum, in qua igniti serpentes sunt, ad veram promissionis terram traducere festinabat. Illo denique novi tirones acerrima bella sequentes properare maturarunt, et per aliquot dies ut hospites suscepti resederunt. Post haec venerabilis abbas honestos inspiciens viros, inquirere dignum duxit, cuius rei gratia vel unde venissent. Cui cum sui votum animi indicassent, ille plenus caritate, quae non quaerit quae sua sunt, sed quae aliorum, blandis exhortationibus eos allocutus, evidenti ratione consuluit, ut ad locum, ad quem eos praedestinatio divina vocaverat, redirent, dicens quod nihil fit in terra sine causa. (Iob. 5, 6.) Nam miseratione divina eundem locum possent adhuc in melius renovare, et ad regularem tramitem dirigere.

5. Iis affatibus aliisque quam plurimis a beato patre confortati, et ut verius dicam, evidenti ratione constricti redierunt, et ut illis praeceptum fuerat, ecclesiae huic se reddiderunt. Verum cum rursus exasperari perversorum cohabitatione coepissent, nec resistentem manum sibi adesse cernerent, iterum exire de medio malorum decernunt[8] (1004.), et in vicino sancti Pauli monasterio, ubi tunc sub Hervino abbate novella plantatio florere coeperat et in dies fructificare satagebat, habuerunt migrandi consilium. Deus autem omnipotens, qui dives est in misericordia, quique locum hunc per eos sublimare et renovare disposuerat, eorum studio, ne perficeretur, obstitit suo propensiori consilio. Erat eo tempore iuxta ecclesiam beatae virginis Mariae anus quaedam sanctimonialis in reclusione solitaria religiosam ducens vitam, crebris orationibus et ieiuniis insistens; cui ea nocte, qua in crastinum migrandi consilium habebatur, adstitit persona honestae compositionis et formae, et sic eam alloquitur: *Exi*, inquiens, *iussu divino ab hoc quo detineris ergastulo, et abbati Fingenio im-*

7) Hic Cont. Gest. c. 9. usus esse videtur; longe aliter de monachis illis loquitur Hugo II, 4.

8) Et hic Cont. Gest. c. 9. agnoscimus, sed nomen monasterii S. Pauli, et mox diem rei gestae noster addidit. Cf. Hug. II, 4—6.

perium defer, quatenus illos duos fratres nuper conversos stabilitatem profiteri faciat; ne ecclesia, quae eos Dei dispensante gratia meruit habere, aliqua dilatione doleat se amisisse. Iis dictis visio alloquentis disparuit; sanctimonialis autem visis et auditis in nullo discredens, abbati divinitus imperata nuntiavit. Erat autem dies illa nostro ordini annuatim memorabilis, translatio scilicet almi patris Benedicti, quae celebratur quinto Idus Iulii. Venerabilis denique abbas audita legatione divina laetatur pro visitatione superna, quae huic ecclesiae provenerat, et minime iussa sibi differre passus, convocatis iisdem fratribus divinum velle illis intimat, secretius monet, et hortatur ne dispositioni divinae velint aliquatenus resistere. Multis ergo et variis delinimentis, ut verus sophista, eorum animos studuit a proposito revocare. [1004. Iul. 11.]

6. His ita arcano divinitatis consilio, non alicuius hominis dispensato proposito perfectis, in brevi memoratus abbas post tres vix emensos menses[9] defungitur, et in iam dicta beati Felicis ecclesia dignam meritis suis sepulturam, ut hodieque monstratur, feliciter est indeptus, felix bravium a Domino pro laboribus assecutus. Quo comperto monachi, qui sicut iam praemisimus, ignaviter sacro ordini insudabant, ad libitum partes in eligendo successore, postposito aequitatis tramite, de se ipsis faciebant; cum ecce domnus Heimo, tunc temporis huius ecclesiae pontifex, Divinitatis instinctu et domni Friderici bono hortatu, medium se offerens illorum restitit perversitati. Instituebantur tunc temporis in ista ecclesia, exemplo Samuelis qui puerulus ministrabat Heli et dormiebat coram arca Domini, duo bonae indolis pueri ad ministrandum in domo Domini, qui corde tenus murmurabant, et prout audebant et valebant, in electione venerabilis patris Richardi adspirabant. Cum igitur inter saepe fatos monachos multa et varia contentionis dissensio agitaretur, nec pontificis aut venerandi Frederici votis concordari paterentur, hos intuens episcopus, quem vellent, quem eligerent sciscitatur. At illi simplicitate columbina verae simplicitatis et innocentiae indices: *Domnum*, inquiunt, *Richardum quaerimus, eligimus, et a vestra paternitate nobis dari abbatem exposcimus.* Mox domnus pontifex dictis innocentiae exhilaratus corde, in vocem iubilationis exclamat, inquiens: *Quoniam ex ore infantium et lactentium Deus perfecisti laudem, ut obstruantur ora loquentium iniqua.* Vere etenim in hoc beatissimo patre laus infantium declarata perfecta est, quae non adulantium ore, sed Spiritus sancti iudicio prolata dignoscitur esse. [Oct. 8. Ps. 8, 3.]

7. Talibus ergo auspiciis pastor designatus, et religiosorum unanimi testimonio approbatus, a pontifice investitur, et in natale apostolorum Simonis et Iudae ecclesiastico more confirmatur sacra benedictione. Dehinc quantum qualemque se exhibuerit, quanta sollicitudine in ampliando loco et monastica religione innormanda, et utensilibus necessariis divinis cultibus invigilaverit, vix enarrare quis poterit. Tanta enim sanctitate et religione virtutumque insignibus subito per Dei gratiam coepit pollere, ut non solum Franciam, unde commoverat, verum totum Lothariense regnum in brevi fama sanctitatis eius perlustraret, ut diceret cum apostolo: *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.* Unde factum est, ut primus Heinricus imperator pius, tertii Ottonis successor, audita opinione tanti patris eum accersiret, et eius colloquiis dulcibus sedulus inhaerens, multis et variis donariis, sicut imperatoris dignitati par erat, muneratum ad sua remittebat. Multoties illum accersiens, tandem una dierum inter familiaria ac amicabilia mutuae dilectionis colloquia perquirendum credidit istud coenobium, quo tempore, et quo fundatore, et quali situ esset fundatum. Cui benignissimus pater nacta occasione, secundum quod fuerat sciscitatus respondit, hunc locum sanctorum patrociniis et antiqua pontificum sepultura esse dignissimum; sed pro mutatione vel variatione temporum et persecutionibus ecclesiarum valde tenue et angustum. Auditis iis liberalissimus imperator recolens illud euangelicum: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula*, et iterum: *Thesaurizate vobis thesauros in caelo*, thesaurorum pie prodigus et misericorditer profusus, dedit ei impensas, ut caementarios et necessarios artifices ad amplificandum monasterium et coenobium meliorandum munerare largiter posset. Acceptis ergo ab imperatore impensis, sine mora conductis artificibus ecclesiae culmen apposuit, ambitum amplificare studuit, et sub nomine eiusdem imperatoris, ex eius omnino impensis, presbyterium quod dicitur sanctum sanctorum, quodque a veteri opere cernitur hactenus discrepare, cum subterraneis cryptis, quas sua industria fecit, Deo se prosperante mira velocitate construxit. [Oct. 28. 2 Cor. 2, 15. Luc. 16, 9. Matth. 6, 20.]

9) Hanc temporis notam dat Continuator Gestorum. Cetera prope accedunt ad Hugonis c. II, 6.

8. Factum est autem cum coepto operi maturando insisteret, ut in ipso loco, quo per gradus ad sancta sanctorum ascenditur, duorum episcoporum Hyldini et Hatonis sepulcra inveniret, quorum ossa condigna reverentia elevata, ex obliquo altaris praecursoris Domini, in dextra parte monasterii, Nonas Maii in uno mausoleo recondidit[10]. Pari modo dum ipsum monasterii ambitum amplificare, ut praemisimus, vellet, et fundo tenus summa diligentia cuncta scobere faceret, repperit in ipsius templi parte meridiana octo episcoporum sepulcra ad invicem sibi coniunctione animadvertit[a]. Attamen ea decentius, ut sibi videbatur, volens mutare, inoperta usque in crastinum iussit ea remanere. Ecce autem in ipsa nocte unus eorum pontificalibus infulis redimitus, lecto fratris paramonarii[11] adstitit, dicens se Dei voluntate ad eum a sociis missum, ut mandatum suum sociorumque abbati nunciet; quatenus in ea sedis requie, in qua Dei dispositione meruerunt coniungi, permittat eos exspectare diem iudicii. Cumque frater ille diceret, se timere iussionem hanc abbati nunciare sine alicuius certae rei indicio, ne delusione notaretur phantastica, ille statim subintulit: *Nuncia*, inquit, *nihil haesitans, eo indicio quod singulorum nostrorum dexteras manus omni putredine incontaminatas, albisque chirothecis involutas, nostris pectoribus reperiet superpositas*[b]. Istis ergo manifestis indiciis certior redditus frater, mane facto patri visa et audita referre non distulit. Quibus auditis senior cito fidem accommodare noluit, donec ab eo missa pro eis celebrata, cum crucibus, thymiamateriis, aqua aspersionis et cereis ad sepulcra eorum pervenit; scrutatisque omnibus diligenter, secundum quod fratri fuerat dictum, certissime repperit omnia indicia. Tunc super mirifica Christi opera, ut dignum erat, magnifice pius pater exhilaratus, gratias Deo egit, et aspersis thurificatisque eorum corporibus, cum summa diligentia recludi iussit. Post[c] multum denique tempus analogium[12] supra eadem fabricavit sepulcra, ut deambulantium ab eis arcerentur vestigia. O quanta reverentia tantus ac talis locus a fidelibus est excolendus, quem non parietum materialis decor, non metallorum varius fulgor, verum decem et octo episcoporum condecorat honor et continuus orationum labor, et pro se venerantibus indefessus ad Deum invigilat clamor. Nec enim venerandi praesules hunc locum vilipendere dignum duxerunt, in quo sepulturae requiem delegerunt, et sedis suae relicto polinctorio[13], hoc in loco sepeliri maluerunt; quapropter nec eorum memoria nobis debet exsistere vilis, immo recolenda et venerabilis, ut ipsorum supplicatio apud Deum nobis fiat propitiabilis. Si enim dives ille in inferno sepultus, fratrum memor exstitit, et pro eis ne damnarentur, ipse damnatus sollicitudinem gessit, multo magis credendum est, beatorum spiritus adhaerentes caelorum agminibus et aeternae Maiestatis adsistentes conspectibus, pro suis semper supplicare veneratoribus. Hiis pro dignitate et reverentia huius basilicae per excessum breviter dictis, revertendum nobis est ad seriem narrationis.

9. Ea tempestate, sicut legitur in vita beati Theodorici[14], florebat multiplici virtutum flore ac germine inter ceteras Lobiensis ecclesia, et pollebat sanctorum et illustrium monachorum conversatione. Hanc nobilitaverat et institutionibus et sanctis monitis et exemplis extulerat, qui tunc in ea praesidebat Richardus abbas, vir quo illa aetate nihil habuit Gallia clarius, licet reverendi abbatis Willermi[15] et apud Italos et Francos iam praeferretur disciplina, quamquam Odilonis aeque abbatis Cluniacensis inter monachos celebre nomen haberetur, nec non Agrippina civitas exsultaret Heriberti praesulis sanctitate, sed et Legia beatam se praedicaret sancto Wolbodone, Virodunum quoque gloriaretur suo Haymone, Cameracum etiam vitae probitate attolleret Gerardus, Carnotenae autem decus urbis mellifluus in facundia clareret Fulbertus. Qui videlicet abbas Richardus tamquam lucifer matutinus inter minora sidera effulsit, et late spargens sanctarum virtutum rutilantes radios, caelestis praedicationis iubare totam Belgicam, Germaniae etiam partem maximam illustravit. Innumera monachorum monasteria circuivit, agrestes a cultu pietatis eorum animos ad religionem, unde oberraverant, revocavit, et suo eos vivere exemplo instituit; quem si, ut fuit, vellem laudare, fateor nihil dignum tanti viri virtutibus possem dicere. Hoc tamen tantum de illo vere et fidenter dixerim, quod quamvis sicut homo vivere videbatur in terris,

a) *locum corruptum esse patet.* b) *ita emendavi; suppositas Mab.* c) *non excidisse videtur.*

10) Cf. Hug. II, 8. Eos in crypta sepultos esse dicit Bertarius in Gestis epp. Vird. c. 18. 11) i. e. custodis ecclesiae. 12) i. e. proprie pulpitum, lectrum; tabulatum de lapidibus sectis et quadratis appellat Hugo. Cf. Mabillonis praefationem p. 516. 13) i. e. cimiterium, a *pollinctor*. 14) episcopi Metensis, etiam ab Hugone initio libri II commemorata. 15) abbatis Divionensis.

erat tamen eius conversatio in caelis[16]. Igitur dum beati viri fama longe lateque per diversa discurreret loca, coeperunt ad eum undequaque multi confluere, tam clerici quam laici, studentes eius disciplinatui inhaerere et salutari relevari consolatione. Erat quippe vir piissimus, melliflua ammonitione dulcissimus, in instruendis moribus idoneus, in correptione discretissimus, in subditis mitissimus, postremo in cunctis anxietatibus consolator benignissimus. Talis denique eius bonis omnibus imitabilis vita et spectabilis conversatio, efferos multorum mores ad correptionem provocabat, tanta animi ipsius dulcedo plurimorum mentium amaritudinem dulcorabat; eius etenim praedulci amore illectus nobilissimus comes Lietardus, Ottonis imperatoris consanguineus, ei in omnibus adhaesit, et sumpto ab eo habitu religionis, villam sui iuris, Bailodium[a] dictam, beato Vitono tradidit[17]. Pro qua traditione quantas a filio suo comite Manegaudo sustinuerit molestias, quot labores in perquirendo iusticiam in curia Heinrici imperatoris, qualiterve cum inde rediret, Treviris apud Sanctum Maximinum infirmitate detentus obierit, et ibidem sepultus, ab eodem dilecto patre auxilio Gisleberti Luzeburgensis comitis inde effossus, et ab hominibus Belodii huc relatus, et in claustro honorifice sit sepultus; et quomodo postea domnus abbas apud Theodonisvillam in curia praedicti imperatoris adversus ipsum Manegaudum de invasione paterna conquerens, iudicio curiae eandem villam reacquisierit, longum erat cunctum seriatim retexere. Attamen iuvat summatim haec tetigisse; et hoc dicendum, quoniam nisi industrius labor istius patris nostri intercessisset, ecclesia ipsam villam funditus perdidisset, sed labor omnia vincit improbus. Uxor etiam ipsius venerandi comitis, Emmehyldis nomine, dalmaticam magnam cum aurifrisis, et tapete longum, quod in conventu ponitur, sua magnificentia donavit. Sic iustus iste quacumque ibat semper ecclesiae suae diplomata conquirebat. Unde et Mathildis nobilissima Saxoniae comitissa, quae de viro suo comite Godefrido quinque filios genuerat, Alberonem scilicet huius ecclesiae urbis episcopum post Vifridum, et Fredericum et Hermannum industrios comites, Godefridum et Gozelonem praeclarissimos duces, hunc patrem summo dilectionis studio coluit, et pro parte hanc ecclesiam magna admodum liberalitate cum filio suo comite Hermanno ditavit tabulis, crucibus, et textu altare decoravit[18], et tribus palliis parietes ornavit, fundis et reditibus multis insignivit; ad ultimum se huc deportari et sepeliri ambo fecerunt. Idem etiam comes Hermannus suis impensis crucem in parte dextra templi accrevit, et oratorium in honore gloriosi martyris Laurentii in ea construxit.

[Cf. Hug. II, 7.] [17] [Virg. G. I, 145.] [18] [Hugo II, 9.]

10. Frater autem eius felicis memoriae domnus Fredericus monachus, contractis undequaque multis operibus, sua industria turres lapideas et domum refectorii cum suo ornatu construxit; sinistram crucem augmentavit, et in honore sanctorum Vedasti et Remigii illic oratorium fecit. Isdem etiam cum in coenobio sancti Vedasti a beato patre, qui illud regendum et corrigendum susceperat[19], praepositus seu prior fuisset constitutus, ut causa obedientiae ibi moraretur, extrema sorte praeventus, dum illic condigno honore sepultus, hic nunciatus fuisset defunctus, venerabilis pater ex multo maerore se non continens, illuc festinus perrexit; et effosso eius corpore, viscera corio insuta ibi reposuit, et corpus vacuum matri fratrique consepeliendum illuc reportavit. Quid enim vera non operatur caritas? Verae quippe dilectioni nihil grave et onerosum, nihil impossibile aut laboriosum videtur, quoniam sicut scriptum est: *Qui amat non laborat.* Si enim inter saeculares, quos nullus irrorat amor spiritualis, sed cum se diligant amore obscoeno vel carnali, unum velle et unum nolle est in eis, eo magis qui spirituali glutino caritatis sibi in Christo per Christum coniunguntur, nihil grave, nihil durum aut laboriosum in ipso mutuae dilectionis opere perpetiuntur, sed sicut dicit apostolus: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quocirca beatus iste vir pro caritate verae dilectionis, quam exhibere curabat suis, nihili ducebat quicquid laboris

[cf. Hugo II, 7] [19] [1022. Ian. 6.] [Rom. 8, 28.]

a) *ita correxi ex Cont. Gest. Vird. c. 9. Hug. II, 9 et charta Richardi.* Barlodium *M.*

16) Hucusque, ni fallor, vitam Theoderici exscripsit auctor; nam in sequentibus non de Lobiensi monasterio, quod Richardus a. 1020—1032 rexit, sed de S. Vitono loquitur. 17) Hanc donationem fecit, priusquam monachus fieret, ut ipse Richardus testatur in eius rei notitia, quam ex chartario Sancti Vitoni descriptam prae manibus habemus. Eandem villam a Lietardo praeoblatam fuisse, ait ipse Heinricus imperator in charta confirmationis, quae est sine data in chartario Vitoniano. Ballodium autem in hac eadem charta situm dicitur *in pago Macensi.* Hinc forte Lietardus apud Hugonem dicitur comes de Marceio. MAB. Richardi notitia edita est in Gallia Christiana XIII. Instr. p. 560. 18) ex Cont. Gest. c. 9. 19) a. 1008.

patiebatur pro ipsis. Filius etiam praemoniti comitis Hermanni, bonae memoriae Gregorius Leodiensis archidiaconus, amore ipsius illectus monachus factus, casulam rubeam et cappam minorem purpuream cum aurifrisio contulit.

11. Cum vero memorabilis pater non solum nostro ordini pacis concordiam praestabat, sed et inter saeculi principes et tyrannos concordiam quam saepissime reformare curabat. Tanta namque sanctitatis eius apud cunctos increverat reverentia, ut paene nullus quicquid vellet, quicquid imperaret, contradicere auderet. Denique cum Odo comes Campaniensis castrum antiquissimum, Commerceium dictum[20], obsideret[21], ut eum pacificatum ab obsidione removeret, beatus hic cum Gervino ecclesiae huius venerabili apocrysiario advenerat; sed iam tunc ignis vorans omnia vastabat. Tunc praedictus frater antiquissimam dignitatem capellae ipsius castri sciens, et reverendas reliquias salvare cupiens, scuto piae devotionis munitus medios ignes ingreditur, cum ecce uni armigerorum occurrit, qui eas corio insutas sub chlamyde sibi celabat. Mox denique compensato pretio eas ab eo suscepit, et huic ecclesiae intulit, ubi Deo gratias usque hodie cum digno servantur honore. Quae vero ipsae sint reliquiae, vel qualiter acquisitae, breviandi gratia hic omisimus dicere, quoniam ante multa tempora iussu domni abbatis Laurentii, fratribus Coloniensibus de monasterio sancti Pantaleonis hoc flagitantibus ipsum gestae rei ordinem, prout certius a senioribus nostris addiscere potuimus, scripto mandare studuimus[22]. Nunc ad propositum redeamus. Cum igitur memoratus Campaniensis Odo rursum contractis undequaque multis militum copiis Bar castrum obsedisset, ubi et cum multis suorum interemtus occubuit, et isdem venerabilis pater, dum cum monacho suo Waleranno, cognomento Bonifacio, illo venisset, comitem Manassen de Domno Martino, eodem fusum proelio, cum quibusdam aliis isthuc deportari fecit, et honorifice sepelivit. Quod audiens uxor ipsius, variis donis eundem patrem muneravit, et tapetem magnum huic ecclesiae dedit. Uxor etiam praedicti Odonis comitis[23] in memoriam sui et mariti casulam croceam tradidit. Sic industria et bona fama beati viri haec ecclesia cumulabatur ornamentis. Comitem etiam Bretuliensem, nomine Walerannum, in ipso proelio graviter vulneratum, ne prorsus ab insectatoribus exstingueretur, sacra religionis veste amictum defendit; et huc delatum curatumque in tantum bona sui institutione innormavit, et sacris litteris imbuit, ut post eius venerabilem transitum isti praeficeretur ecclesiae; cuius pater Gelduinus nomine, tum filii amore, tum beati viri sacra allocutione, saeculo renuntiavit, et in senectute bona bene conversatus, plurimis donariis huic loco traditis, felici fine consummatus in fine quievit.

12. Ut autem venerabilium senium fideli narratione didicimus, viginti et unius abbatiae rector et institutor hic beatus pater exstitit, quas tam imperiali traditione quam religiosorum pontificum petitione non solum in Lotharingia verum in Francia seu in Flandria suscepit regendas. In quibus adhuc quam plurimis servari vidimus eius institutionum insignia, inter quas Bellogiensis ecclesia meritis gloriosi martyris Mauritii insignis, et sancti Rodingi confessoris, cuius ipse vitam honorifico sermone composuit[24], et feretrum auro et argento decoravit, exstat eius sacris studiis nobilitata, cuius fastigium augmentavit, claustro et necessariis officinis adornavit, variisque utensilibus ditavit. Testantur et duo coenobia eius sacrae religionis circa monasticam vitam sollicita studia, in quibus fundandis suae industriae praeclaram dedit operam, scilicet gloriosi martyris Laurentii in Leodio, et Catalauni in sancti Petri monasterio. Nam beatus Wolbodo Leodiensis antistes a Deo constitutus, et primus Rogerus Catalaunensis itidem episcopus, eius hortatu confortati et dulci famine illecti, loca almi patris Benedicti institutis opportuna eo eligente et Domino prosperante, datis quam pluribus impensis dispositioni ipsius totam operam crediderunt. Tunc vir Dei spiritu sapientiae plenus et ad cuncta bona sollertissimus, huic operi institit devotus, et ut se locorum opportunitas obtulit vel expensarum se liberalitas contulit, utraque coenobia composuit, et

20) oppidum ad Mosam, vulgo *Commerci*, in finibus Leucorum. MAB. 21) Hoc enim *quidam comes ipsius indigena a patre praefati comitis in hominium susceperat, et ut mos exigebat, fidelitatem ei iuraverat. Quo defuncto, ius alienum inique in ius transfudit suum, fidelitatemque et hominium iusto heredi facere contempsit.* Ita auctor in epistola statim laudanda. 22) Eam ex codice Sancti Vitoni dedit Mab. VI, 1, 536. Ibi Gervinus ille postea a Richardo ecclesiae sancti Richarii praefectus esse dicitur. 23) Ermengarde, filia Roberti comitis Arvernensis. 24) Haec vita edita est in Appendice II. ad saeculum IV, parte 2, pag. 531, ubi plura de Bellilocensi monasterio, vulgo *Beaulieu*, quod hodieque subsistit sub congregatione Sancti Vitoni, sicut et monasterium sancti Petri Catalaunensis infra memoratum. MAB.

de suis abbatibus datis, sollicite eadem norma religionis insignire studuit. Quam studiosa sane instantia et sollerti vigilantia aedificiis huius loci institerit et omnimodis insudaverit, hinc liquido potest inspici, quod columnas claustri seu tabulas eiusdem materiei ab abbatia sancti Amandi, cui auctore Deo tunc praesidebat, per varios itineris anfractus perque Scaldum fluvium Mosae tenus devehi fecit. Nam pro posse non diu patiebatur abesse, quicquid ad honorem vel honestatem seu decorem loci prospiciebat congruere.

13. Placet denique hic paullulum subsistere, auditorumque mentes ad id quod certissimum habemus erigere, quod vir iste spiritu sapientiae plenus, cum tot ecclesiis ut praemisimus esset praelatus, nisi aliquid illis excellentius, et ut ita dictum sit, divinius in ista praevidisset, minime illam iis omnibus sua sollicitudine et industria praetulisset:

Quam vigili cura sic nobilitare studebat,
Intus et exterius, ne cultus deforet ullus,
Et nihil infectum remaneret in ordine fratrum,
Quod Christo placitum, vel quod constaret honestum,
Non probitas morum, non pax, non gloria laudum.
Cernere tunc miram posses certamine pugnam,
Hos decertare, reliquos virtute praeire;
Sic sobolem pacis pastor animabat herilis,
Sic et ovile sacrum tutabat ab ore luporum,
Sic vigil adstabat, sic Christi castra regebat.

Sit denique nobis eius recordatio dulcis, sit eius memoria nostris mentibus aeternalis, cuius laboribus per varia desudatis, cuius singularibus studiis acquisitis sustentamur stipendiis, et quod maius et excellentius est, corporali gratificamur praesentia, et cum ceteris sacrosanctis sanctorum patrociniis a Domino collatis, eius orationibus apud Christum relevamur ab anxietatibus cunctis. Sit ergo aeternae Maiestati, quae nos tot et tantis patronis muneravit, ditavit et honorificavit, indeficiens gloria, laus et iubilatio per omnia saecula saeculorum. Amen.

14. Igitur quoniam beatissimi patris multiplicia laborum studia, quae a die suae ordinationis pro amplificatione huius ecclesiae huc illucque sollicite discurrendo, et vitae verbum saecularium mentibus propensius infundendo, et ad pascuae loca convertendo peregit, secundum antiquorum senum relationem licet inculto et minus polito sermone descripsimus; nunc ad peregrinationis eius laborem, quem Christi ductus amore libens assumsit, et per multas angustias viarum, locorum et temporum Deo iuvante perfecit, stilum vertamus. Eo tempore quo domnus Heymo pontificatum huius urbis regebat[25], coepit valde insistere aedificiis murorum civitatis, utpote vir nobilis et superabundans divitiis, delectatus data sibi a Deo diuturnitate pacis. Unde factum est, ut istud coenobium includere deliberaret infra muros civitatis, contra votum venerabilis patris. Instabat etenim sollicite frequens eruderatoribus aggerum, aliquotiens vero perspiciebat eos per fenestras culminis portarum nostrarum. Vir autem Domini ab hoc proposito eum revocare volens, coepit vehementer obsistere, dicens coenobitis indecens et incongruum intra civitatis moenia includi, ne dum fessis corporibus quietem noctibus indulgerent, seu matutinorum vigiliis adstarent, cornizantium aut vociferantium ululatus eis molestias inferrent. Verum quoniam domnus pontifex non erat eius fortunae, ut facile a proposito ab aliquo posset dimoveri, reverendus heros imperatorem Heinricum sibi amicissimum adiit, et ut episcopum a sua intentione revocaret, humiliter rogavit. Tunc imperator petitionem viri Dei nequaquam passus differre, missa legatione ad episcopum, cessavit ab intentato opere; sed episcopus hac de causa indignatus, coepit abbatem insimulare. Dei autem famulus, verus pacis amicus, simultates illius ad tempus dignum declinare, et maxime ut sui voti compos fieret, quod diu desideraverat, secretum suae devotioni perquisivit locum, in quo remotus ab huius saeculi tumultibus soli Deo vacare posset secretius. Invenit denique penes Romarici montem locum, qui dicitur Rumbech, tunc temporis solitariae vitae satis commodum; in quem conscendens, congrua sibi construxit habitacula, et multis diebus[26] ibi solitarius degens caelesti theoriae animum intendere studuit.

15. Coepit autem vitae eius sanctitas per populos ultra citraque celebris haberi, et aliquibus virtutum signis per ora multorum vulgari. Unde contigit ut quidam vir leprosus, cum pro petenda stipe virum Domini frequenter expeteret, et vitae ipsius sanctitatem solli-

25) a. 991—1024. 26) Quinquennio secundum Hugonem II, 29. qui nihil de simultate illa cum Heimone habet, et tempore Ramberti episcopi haec refert.

citus inspiceret, incidit ei in mentem, quod si viri Dei balneo post ipsum vel ad modicum posset aliquando intingi, sanitatem reciperet. Quendam ergo abbatis domesticum famulum, qui eius obsequiis sedulus adhaerebat, super hoc convenit, et ut hoc assequi mereretur, multa prece rogavit; cuius ille miseriae compatiens — quis enim tam duricors exsisteret, qui tali non compateretur infirmitati? — seniori suo balneum paravit, et ut in eo vel modicum lava- 5 retur vix obtinuit. Nullam enim corpori suo requiem aut remissionem indulgere volebat, sed totis nisibus se ipsum affligendo macerabat. Lavit denique et exiit; mox infirmus, sicut desideraverat, integra fide in illud descendit, et statim, quod dictu est mirabile, toto corpore sanus ex eo ascendit. Quidam etiam visu oculorum ex multo tempore orbatus, audita fama viri, quod illustris haberetur talibus signorum prodigiis, spe credula apud se coepit tractare, 10 quod si ex aqua, qua famulus Christi manus ablueret, oculos lavaret, protinus visum reciperet. Petiit ergo, et accepit: lavit, et visum recepit.

16. Factum est autem dum longe lateque signorum eius memorabilis fama per multorum ora celebraretur, ut ad aures praenominati pontificis rerum gestarum ordo perferretur; qui suae in eum simulationis tandem poenitens, et spiritum mansuetudinis seu aequitatis in 15 semet ipsum recolligens, virum Dei ut reverteretur et se suae sedi redderet, missa legatione humili prece rogavit. Vir autem Domini patientiae virtute plenus, sciens scriptum: *Obedite praepositis vestris, et subiacete eis*, roganti episcopo obedire non distulit, et licet invitus, theoriae contemplationem cui dulciter cum Maria inhaerebat deserere, et Marthae sollicitudinibus compulsus est rursus inservire, et piis filiorum desideriis se ad tempus reddere. Ideo 20 vero ad tempus, quoniam cum se ipsa sua solitudine cohibuisset, et secum habitare delegisset, lectioni vel orationi adeo alternatim instabat, ut nec ad modicum a quolibet eorum vacaret. Audiens autem de incarnatione et passione Christi Isaiam praeloquentem: *In illa*, inquit, *die radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum eius gloriosum*, et David pia spei modulatione in voce exsultationis canentem: *Introibimus in taber-* 25 *naculum eius, adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius*; miro flagrabat cordis ardore, si quomodo ad hoc posset aliquando pertingere, ut desiderium cordis sui inde valeret adimplere.

(Hebr. 13,17. — Isai. 11,10. — Ps. 131,7.)

17. Haec ergo indesinenter corde volventem et ore assidue ruminantem, cerneres illum et si non corpore, spiritu tamen illic et devotione assistere; unde prae nimio mentis ardore coepit desiderii sui votum palam omnibus aperire. Ordinans itaque ecclesias, et morigeratos 30 honestosque fratres eis praeficiens, cum voto et benedictione pontificis[27] exit peregrinus Christi a patria, comitatui eius adhaerentibus religiosis quam plurimis utriusque ordinis viris, inter quos vitae venerabilis abbas Ervinus[28], a Treviris illius sanctitatis familiaritate illectus, efficitur ei comes individuus. Per multas igitur tantae viae incommoditates, per graves et longos labores, per invia et inaquosa arentiaque deserta, per horrificos latronum gentiliumque 35 terrores Constantinopolim venit. Denique in hac urbe, dum gratia visendorum sanctorum locorum aliquamdiu demorari placuisset, in brevi ad notitiam patriarchae et imperatoris[29] sanctitatis ipsius fama pervenit, quia lumen in tenebris minime valet abscondi. Non immemores autem verbi illius dominici: *Qui recipit*, inquit, *iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet*, reverenter eum accersierunt et honorifice susceperunt; cumque ad invicem familia- 40 riter sermocinarentur, praedulcem affluentemque viri Dei mirati facundiae sapientiam, aetatis ac morum venerati sunt elegantiam. Tunc imperator, sicut suae congruebat dignitati, multis xeniis cum una pretiosissima purpura beatum virum munerare studuit. Non minus vero patriarcha eius deservivit obsequiis, quia ipsius mellifluis delectabatur alloquiis, deditque ei duas portiunculas ligni salutaris, quas ipse in modum crucis componens ilico purissimo 45 auro inclusit, et de cetero ad munimen sui per omne tempus peregrinationis collo suspensum habuit. Dedit etiam et alia sanctorum veneranda patrocinia, quae venerandus pater conservans omnia, post suum reditum contulit huic ecclesiae conservanda.

(1027. Hugo II, 18—23. — Matth. 10,41.)

18. Tandem multis honoratus obsequiis, multis consolatus beneficiis, cum benedictione patriarchae, cum imperatoris benigna permissione, non immemor suorum votorum coepit 50 eo tendere devotus, quo suae mentis pius flagrabat affectus. Emenso denique tanto itinere, pervenit ad desiderii sui venerabilem locum, quem sitienter perlustrans, quibus lacrymarum fontibus irrigabat universa quae circuibat, non est meum dicere, verum lectori seu auditori libeat ista meditari cum multa cordis dulcedine. Cum enim in praetorio Pilati columnam

27) Ramberti. 28) Eberwinus abbas Sancti Martini Trevirensis; cf. SS. VIII, 208. 209. 29) Impe- 55 rator tunc erat Constantinus VIII, patriarcha Alexis.

1027.

inspiceret, et ligatum ad illam verberatumque Salvatorem mente revolveret, sputa, colaphos, irrisiones, spineam coronam pio[a] affectu intra se retractaret; vel in Calvariae loco crucifixum, lanceatum, aceto potatum, a transeuntibus blasphematum, vocis exclamationem et spiritus emissionem, quis putas pietatis dolor cordi eius increverit, et cum ipso pietatis dolore quantus lacrymarum fons ipso impetu pietatis eruperit? *Fluminis impetus*, ait David, (Ps. 45, 5.) *laetificat civitatem Dei.* Dicit et scriptura, quia anima iusti sedes est sapientiae; denique si (cf. Prov. 10, 31.) anima iusti sedes est sapientiae, multo magis anima iusti civitas est Dei: *Inhabitabo, inquit,* (2 Cor. 6, 16.) *in illis et deambulabo.* Cum in horto voluptatis sepulcrum principis vitae aspiceret, et specialis illius sudarii a linteaminibus sepositi, fulgorisque angelici gaudia dominicae resurrectionis nuntiantis[b] corde fide pleno recordaretur, quantas putas lacrymas gaudio plenas ab imis visceribus effundebat?

Sic Domini servus, a Christo iure beandus,
Sese mactabat, et Christo conciliabat,
Fletibus ora rigans pietatis et oscula libans,
Circuit, explorat Christi loca, pronus adorat,
Post gressu celeri flumen Iordanis adivit.

In quo dum lavaretur, insigne crucis illis dominicae, quod, ut praemissum est, collo appensum ferebat, eo minime intelligente a collo lapsum, in flumen decidit. Lavit ergo et exiit, et iam cum sociis aliquantulum processerat, cum in se reversus tam dilecti sibi pignoris damnum intellexit. Tunc multo maerore cordis afflictus, sine dilatione ad flumen iter retorquet, oculos huc illucque circumfert, cum ecce gloria in excelsis Deo! videt illud undis crispantibus supernatare et versus se venire. Mox ex divinitatis dono indicibili exhilaratus gaudio, reddit gratias omnipotenti Deo, et assumens cum reverentia, in brevi readiungitur sociorum venerabili collegio.

Post haec Bethaniae supplex conscendit ad arva,
Adscensum Domini devota mente retractans;
Unde caro verbi divinitus aethera pandit,
Gestit adorare, post ad propria remeare.

Denique cuncta humanitatis Christi loca iterum iterumque revisens, et lacrymosis singultibus salutans, et dulciter deosculans, cum dilectis sociis iam repatriare deliberat.

19. Verum Antiochiae venerabilia loca nequaquam voluit praetergredi, sed ad illam devotus cum devotis sociis perrexit, in qua civitate suis aedificiis splendidissima ac sanctorum reliquiis clarissima dum aliquantisper dietare placuisset, vir Domini Simeon cernens in eo sanctitatis eminentiam et sacrae religionis admirandam reverentiam, eum sibi adoptavit in patrem, eius verbis salutaribus individuus adhaerens. Cumque vir Domini abbas Richardus votis omnibus peractis cum sociis iam ad sua remeare disponeret, isdem famulus Dei Simeon comitatui illius adhaesit, nec aliquatenus quamdiu valuit ab eo divelli potuit. Reverendus itaque pater post emensum tam longae peregrinationis cursum redditur patriae, redditur suae ecclesiae, et susceptus honorifice piis filiorum votis, sanctorum patrocinia quae secum detulerat, thesauro ecclesiae conservanda digno cum honore recondidit. Enimvero post ista omnia, iam senio fractus, iam multorum laborum anxietatibus, duris et variis acerbitatibus quam saepissime molestatus, dicebat cum apostolo: *Cupio dissolvi et esse cum Christo;* et (Philip. 1, 23.) illud psalmistae: *Quemadmodum*, inquit, *desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat* (Ps. 41, 6.) *anima mea ad te, Deus.* Rursusque: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea,* (Ps. 62, 2.) *ut videam virtutem Domini, et visitem templum eius.* (Ps. 26, 4.) Diebus quoque ac noctibus, frequentibus instabat orationibus: *Educ,* inquit, *de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo, Domine.* (Ps. 141, 8.) His ergo desideriis et orationibus dum insisteret assidue devotus, extrema valetudine coepit in dies urgeri, nec ob hoc tamen cessabat a laude Dei, sed assidue gratias agens maerentium filiorum suorum corda dulcibus verbis et admonitionibus confortabat. Visitabat autem eum assidue domnus Richardus venerabilis pontifex, quem ipse de sacro fonte susceperat et diligenter nutrierat[30], litterisque tam divinis quam humanis ad unguem imbuerat, et dolore vehementi tanti patris recessu cruciabatur, quodque ei superstes manebat, valde dolebat. Nam totam spei suae anchoram post Deum in eo fixam habebat, quoniam benignissimus imperator Heinricus causa dilectionis, quam beato patri exhibuerat, ipso mediante

a) pio *Mab.* b) nuntiantem *M.*

30) ex Cont. Gest. c. 11.

episcopatum huius civitatis cum comitatu ei dederat; qua de re ei totum, et omnes episcopatus sive comitatus actiones eius consilio commiserat, utpote adhuc iuvenis corpore et tantis actionibus novellus ac rudis tempore.

1046. 20. Tandem ultimo languoris eius die, dum valde diluculo eum salutasset, cernens illum ultimum iam spiritum trahentem et filios suos valefacientem, nutu ipsius pro absolutione 5 eius ad altare gloriosi martyris Laurentii missam celebraturus accessit; qua vix percelebrata Iun. 14. ad patrem iam exanimatum revocatus, cum lacrymis eius in oscula ruit, et commendata Deo tam fidelis amici anima, eius venerabile corpus ipsemet lavit, et suis indumentis honorifice 31 induit, et in lectica reverenter composuit[31]. Nec eum in crastinum sepeliri passus est, sed post huius ecclesiae primas vigilias, prius apud Sanctum Maurum, deinde apud Sanctum Pau- 10 Iun. 16. lum ei vigilias instituit, ipseque omnium vigiliis studiosus interfuit. Tertia demum die, ordinatis omnium ecclesiarum processionibus, cum summo honore ad suae sedis ecclesiam reportavit, et dictis missis exsequiisque celebratis, cum iam sepeliendus esset, idem pontifex a parte capitis eum elevavit, et cum multis lacrymis pectus et manus deosculans, et cum digno honore sarchophago recondens, oravit et obtestatus est eum, ne eius superstes per 15 annum maneret. Tantus fuit dolor et devotionis amor viventis circa defunctum, tantus affe- Nov. 7. ctus et exauditionis effectus defuncti circa viventem, ut eodem anno vix emensis quatuor mensibus, idem venerabilis episcopus defunctus fuerit cum maximo dolore totius patriae. Discessit autem a corpore venerabilis pater et amantissimus pastor noster, caelo plaudente, terra plorante, 18. Kal. Iulii, anno incarnationis dominicae 1046, indictione 14, concurrente 20 secundo, epacta undecima, et migravit ad Dominum, cui est gloria laus et imperium in saecula saeculorum. Amen.

31) et haec cum sequentibus partim l. l. leguntur, sed accuratius hic relata.

VITA
POPPONIS ABBATIS STABULENSIS
AUCTORE EVERHELMO.
EDIDIT D. W. WATTENBACH PH. D.

5 *Richardum abbatem in disciplina monastica instauranda Poppo excepit, multorum coenobiorum abbas, quae partim ipse regebat, partim discipulis suis commisit. Inter hos fuit nepos ipsius Everhelmus Altimontensis abbas*[1], *qui capite ultimo se auctorem profitetur, quum in ipsa vita Onulfi monachi personam sumpsisset. Neque enim solum in prologo Onulfus ad Everhelmum scribens ait,* 10 *se eius imperio compulsum opus suscepisse, sed etiam c.* 28. *Everhelmum mortis eius testem nominat, se autem qui scribat absentem fuisse dicit. Tamen in hoc nihil praeter loquendi figuram agnoscere licet, quum Everhelmus l. c. et se librum scripsisse aperte testetur, et Onulfum in praefatione scriptum esse commemoret, nulla operae ab eo praestitae mentione facta. Vir igitur diuturna* 15 *cum Poppone familiaritate coniunctus, eorum quae narrat multa ipse vidit, alia a videntibus audivit, neque est cur fidem eius in dubium vocemus. Scripsit in Blandiniensi coenobio positus, ut ait, cuius postea praelaturam obtinuit, vel ut adversarii contendebant, simoniace invasit*[2], *non diu post mortem Popponis qui* 1048 *obiit; ipse a.* 1069 *mortuus esse traditur.*

20 *Vitam primus Surius edidit I,* 626, *sed mutato sermone quem codices satis rudem ostendunt; Bollandus in Actis SS. Ian. II,* 638 *multa correxit ad fidem codicum Sancti Maximini, qui periisse videtur, et Bruxellensis, de quo mox dicemus. Multa tamen intacta reliquit, quod codicum nostrorum cum Stabulensi saec. XII. consensus ostendit, ubi solus ille cum Surio sermonem elegantiorem* 25 *exhibet. Io. Mabillon in Actis SS. O. S. B. VI,* 1, 571 *Bollandi editionem recudit.*

Inter codices manuscriptos primo loco ponendus esset Stabulensis ille, ab eodem librario qui et Triumphum sancti Remacli scripsit saec. XII. exaratus, nisi specimen tantum eius superesset in Edmundi Martene libro: Imperialis 30 *Stabulensis monasterii iura propugnata contra iniquas disceptationes Ignatii Roderici. Coloniae* 1730. *fol. p.* 125, *ubi etiam fides auctoris contra istum vindicatur. Superest autem eiusdem aetatis alter*

1) Vitae cap. 17. 31. 2) Epistola Alexandri II. apud Duchesn. IV, 201. Wichardus antecessor eius a. 1059. Ian. 25. obiisse dicitur.

1) *Malmundariensis, quem ipsum illud specimen a Marteniano diversum esse arguit. Hunc ex tabulario regio Dusseldorfiensi, ubi iam servatur, benignitate V. C. Theod. Ios. Lacomblet nobis transmissum, accurate contuli et fere ubique secutus sum; mendis tantum, quibus minime vacat, aliorum codicum ope correctis, et pro simplice* e *quo plurimum utitur, diphthongo ex saeculi XI more substituta. Scriptus est in oct. mai. saec. XII exeunte vel initio XIII; quaternis quibusque foliis in summo margine inscripta sunt verba:* Liber sci | Remacli | Qui abstulerit | anathema sit: *plane eodem modo quo et Chartarium Stabulense, quo Martenius olim usus est, Sancto Remaclo vindicatur. Folio primo, olim vacuo, manus saeculi XIII medii nomina abbatum inscripsit, quam deinde alii exceperunt; detrita quaedam inprimis* 14 *primorum abbatum nomina scriptor saec. XV. renovavit, alia de suo addidit*[3]. *Sequitur Triumphus sancti Remacli fol.* 2—30; *dehinc eiusdem scriptoris manu usque ad finem Vita Popponis. Capitum indicem hic solus praebet. Scripturae specimen infra Triumpho sancti Remacli adiectum invenies.*

Alios codices duos contulit Bethmannus noster:

2) *Atrebatensem n.* 450. *olim Sancti Vedasti, mbr. fol. saec. XIII. ubi post Godehardi vitam ultimum locum nostra obtinet. Satis bonae notae est et primo vel melior, sed ultima perierunt, et postea ipse bibliothecae praefectus, Caron, folia tria exsecuit.*

3) *bibl. Bruxellensis saec. XV. inc. qui etiam Thietmari chronicon continet, v. Mon. SS. III,* 731. *Scribam etiam in hac vita multa pro libito mutavisse, codices* 1. 2. *ostendunt; saepissime tamen codicis* 1. *lectiones contra Bollandum consensu suo confirmat. Sed iam mature rusticana auctoris oratio in antiquiore quodam codice passim mutata esse videtur, unde satis magna librorum discrepantia emersit. Quae tamen omnia verba tantum et stilum attingunt, res ipsa nusquam dubia est.*

3) Quum abbatum successio dubia sit, et Martene catalogum nullum se invenisse dicat, qui saeculo XVI. sit antiquior, totam seriem hic exhibemus; quae uncis inclusimus, scriptor saec. XV. addidit: *Nomina abbatum Stabulensium. I. Sanctus Remaclus (episcopus). II. Sanctus Babolenus (episcopus). III (Rabangarius episcopus). Sigolinus. IIII. Godowinus. V. Bobolinus. VI. Abolinus. VII. Crodmarus. VIII. Amolgerus. VIIII. Amingerus. X. Sanctus Anglinus annis* 44. *XI. Sanctus Ailulfus annis* 5 *(archiepiscopus). XII. Sanctus Albricus annis* 9. *XIII. Sichardus annis* 16. *XIIII. Wirundus annis* 23 *et mensibus* 10. *XV. Absalon. XVI. Audo annis* 33. *XVII. Ratholdus annis* 3 (numerus vel correctus vel renovatus), *mensibus* 8. *XVIII. Harnidus annis* 4, *diebus* 8. *XVIIII. Ebo anno* 1. *XX. Ebo iunior mensibus* 2, *diebus* 10. *XXI. Hartgarius annis* 10. *XXII. Adelardus annis* 12 *(comes et abbas). XXIII. Hildebaldus annis* 13. *XXIIII. Leutbertus episcopus (Maguntinensis archiepiscopus) annis* 13. *XXV. Liutfridus comes annis* 9. *XXVI. Raginerus comes. XXVII. Everardus comes. XXVIII. Gislebertus comes (et dux). XXVIIII. Gundradus comes (et dux). XXX. Richarius episcopus. XXXI. Sanctus Odilo annis* 17. *XXXII. Werenfridus annis* 27. *XXXIII. Ravengerus* 29. *XXXIIII. Bertrannus annis* 10. *XXXV. Sanctus Poppo annis* 29. *XXXVI. Theodericus annis* 32. *XXXVII. Rodulfus annis* 18. *XXXVIII. Folmarus annis* 8. *XXXVIIII. Poppo II. annis* 14. *(Warnerus electus sed depositus). XL. Cuono annis* 2. *XLI. Iohannes annis* 2. *XLII. Wibaldus annis* 28. *XLIII. Erlebaldus annis* 32. *XLIIII. Gerardus annis* 19. *XLV. Alardus annis* 12. *XLVI. Fredericus annis* 23. *XLVII. Nicholaus annis* 2, *ebd.* 7, *d.* 30. *XLVIII. Heinricus episcopus* (hucusque primus scriptor) *Leodiensis annis* 27. *XLVIIII. Iohannes episcopus Leodiensis annis* 8. *L. Egidius de Falconispetra annis* 26. *LI. Henricus de Bolan annis* 28, *obiit* 1334. *LII. Winricus dictus de Pomerio, monachus Malmundariensis, obiit* 1342. *LIII. Hugo de Avernia doctor decretorum. LIIII. Warnerus de Okire. LV. Walrammus de Scleyda. LVI. Henricus de Viseto* 7 *annis. LVII. Iohannes Godescalcus de Goesenne, monachus Malmundariensis,* 21 *annis. LVIII. Henricus de Merode annis* 22. *LIX. Iaspar de Malmundario. LX. Wilhelmus comes de Manderscheyt Stabulensis et Prumiensis postea electus et confirmatus. LXI. Christophorus de Manderscheit. LXII. Gerardus Gronsbeke episcopus Leodiensis. LXIII. Ernestus dux Bavarie et episcopus Leodiensis. LXIV. Ferdinandus dux Bavariae archiepiscopus Coloniensis et episcopus Leodiensis.*

INCIPIT PROLOGUS IN VITA BEATI[a] POPPONIS.

Apostolicis immo monasticis sanctionibus omnibus iam saeculis[b] fama et celebritate sui promulgatis[c] constat, quod nemo suorum praecepta maiorum[d] vel tacito murmurantis animi nutu neglectui habere debeat, sed mox ad iubentis imperium pronae mentis intuitu parére; et licet cum detrimento sui pudoris[e] sit, eum tamen ad iniuncta sibi obedientiae bonum debere. Talis ergo sanctionis occasione et ego Onulfus[f] conventus, immo eorum quae[g] monasticae professionis sunt nomine, non merito contentus, qui vobis, mi venerabilis pater Everhelme[h], iubenti ex obedientiae debito parere habueram, multo magis vobis petenti[i] ex caritatis debito adnuere debueram. Iussionem certe, qua plurimum in me potestis, et cui ego ut vestrae[k] servus sanctitatis obtemperare[l] debui, exclusistis, atque tantillitati meae petitionem pro imperio admisistis, et ut beati viri Popponis gesta nostris diebus iustitia et fide late divulgati[m] scriberem, humiliter coegistis. Et quomodo humilitatem vestri[n] qua in me ut praedictum est pro iussione usus fuistis, laudabo, inscitiamque[o] mei[p] pro negotio tam humiliter iniuncto mihi a vobis excusabo? In utramlibet quippe partem primis agendi conatibus deficio, quia neque vos pro humilitatis causa laudare sufficio, neque me quomodo[q] pro fragilitate mei in[r] iniuncto mihi opere excusare[s] possim invenio. Servato tamen propensius aequitatis tenore, sic ratio utrimque[t] medie[u] temperata procedat, ut nec vobis quicquam a me, quod absit, negetur, neque ruinam sui in tam arduo ac difficili opere fragilitas[v] mei patiatur; hocque fiat labore de quo dicitur: „Labor improbus omnia vincit,“ [Virg. G. I, 145.] et voluntate bona, qua Deo nichil umquam ditius fieri contingit[w]. Per has enim[x] geminas res, laborem videlicet ac[y] voluntatem bonam, omnia volenti et currenti fiunt facilia, quaecumque ex immanitate sui videntur difficilia. Sed quia, ut scriptum est, „neque volentis aut currentis, sed Dei est miserentis,“ [Rom. 9, 16] voluntati aut[z] cursui meo Dei miseratio ex vestris precibus admisceatur, ut qui dat verbum euangelizantibus virtutes multas[*], [Ps. 67, 12.] det nobis etiam verbum in virtute sua, ad beati patris Popponis virtutes enarrandas. Proinde haec lecturis[a] summopere dicendum, ne hunc cum apocriforum libris libellum aestiment relinquendum, sed vere licet novum, canonicis autenticisque scriptis[b] interserendum: cum paene nihil[c] in eo sit, nisi quod experientia fidelium, Deo in tanto viro operante, visu didicerit, atque exinde eorum, quae[d] viderant[e], fidem nobis praestiterit[f].

EXPLICIT PROLOGUS. INCIPIUNT CAPITULA[g].

1. *Quod beatus Poppo septimo conceptionis suae mense natus sit, et quod avia eius in lana suavissima eum foverit.*
2. *Quae et quanta bonorum exhordia in prima habuerit adolescentia.*
3. *Adhuc tyro peregre Iherosolimam petiit et inde multas sanctorum reliquias detulit.*
4. *Secundo Romam cum suo domino Theoderico peregrinatus est, quem etiam in redeundo apud Sanctum Theodericum infirmum custodivit, ubi filium nasciturum idem Theodericus devovit.*
5. *Frumoldo cuidam principi coniunctus est amicitia[h] singulari, cuius filiam se ducturum primo non respuit.*
6. *Idem vir beatus dum nocte equitaret, lumine divino perlustratus est adeo ut cuspidem lanceae suae quasi ardentem videret.*
7. *Proiectis armis saecularibus ad monasterium convolavit et habitum monachicum arripuit.*
8. *Cuidam monacho Eilberto deputatus solatio ad portam, leprosum quendam introduxit, bene procuravit, noctu coopertorio suo operuit; qui mane sanus factus discessit.*
9. *Richardo abbati amicitia copulatur, et cum eo Virdunum veniens commoratur.*
10. *Matrem revisit, Virduni secum adduxit, sacro velamine insigniri fecit.*
11. *Idem beatus vir sub abbate Richardo apud Sanctum Vedastum praeponitur et adiutorio Balduini marchisi res monasterii a pervasoribus ereptas ecclesiae restituit.*

a) *ita* 1. sancti Popponis abbatis 2. b) seclis 1. c) primulgatis 1. d) priorum 1. e) pud. sui sit. cum t. ad inuicta 1. f) *deest* 2. *et ap. Surium.* g) qui 1. h) Euerelme 1. *const.* Euerline 3. i) petentis 1. k) *deest* 1. 3. l) parere 1. 3. m) late d. *desunt* 1. n) *ita* 1. *more auctori nostro proprio;* vestram *rell.* o) inscientiamque 3. p) *ita* 1. meam *rell.* q) *deest* 2. r) *deest* 1. 3. s) excusari 3. t) utrumque 3. u) media 1. v) fragilitatis mee 3. w) *ita* 1. contigit *rell.* x) etenim 2. y) *ita* 1. et *rell.* z) ac 2. *) virtute multa 3. *vulg.* a) lecturus 1. b) *ita* 1. libris *rell.* c) in eo nichil 1. d) *ita* 1. qui *rell.* e) videant 3. f) *ita* 1. prestiterint *rell.* g) *haec solus* 1. *habet.* h) amiticia 1. *const.*

EXPLICIUNT CAPITULA. INCIPIT VITA BEATI POPPONIS ABBATIS.

1. Beatus Poppo abbas in diebus nostris[e] Deo et saeculis in omni virtute commendatissimus, atque ut alter Nathanael vere Israhelita et sine dolo probatissimus, Listrogaugii[f, 4] partibus ab[g] christianis et ingenuis parentibus extitit oriundus, et hanc temporalem in lucem ex infusione sancti Spiritus in ipsis crepundiis iam factus iocundus. Natus est vero Tizekino[h] patre atque Adalwif[i] illustrissima matre, septimo conceptionis suae mense praeter solita nascentium tempora potitus hac luce. Unde etiam pro vita eiusdem pueri parentes ipsius diffidentiae casibus destituuntur, ac tam intempestivae et fragili infantiae timentes sollicitantur[k], praesertim cum ab ipsis ut primogenitus tenere diligeretur, et recuperandi eius similem, si illum[l] amisissent, vix aliqua spes haberetur. Venit proinde ex consilio, ut credo,

978.

a) obedientis c. b) *capitum ordo hic inversus est.* c) *huius capitis index excidit.* d) promovit . XXVII . Ult. 2. *sed in ipso textu nullus codicum ibi distinguit.* e) a. i. d. n. *desunt* 1. 3. f) Listrogagii 3. g) *ita* 1. a *rell.* h) Tyzekino 1. i) Adelwif 1. Adelwis 3. k) a. t. i. e. f. i. t. s. *desunt* 1. 3. l) ipsum 1. 3.

4) Listrogagium regio est Flandriae, quae Lisa amne alluitur; hic in Morinis prope Teruannam ortus, Gandavi in Scaldim influit. MAB.

Altissimi in mentem[a] cuidam[b] matronae, eiusdem videlicet pueri aviae, ut in lana suavissima sagaci tam diu foveretur industria, quo adusque[c] tenerae infantiae prima valuisset ponere vestigia. Factumque est, ut idem pusio intempestivi ortus periculum evaderet, parentibusque suis gaudium et exultatio fieret. Contigit interea patrem eius, viribus et audacia nulli commilitonum suorum secundum, in bello[d] Hasbaniensi occubuisse, eundemque septimana nativitatis suae quinta pupillum cum vidua matre solatio sui destituisse. Et quamquam maturius quam oportuit paterna dehaberet solatia[e], divina tamen non est fraudatus clementia, ut vere, si valuisset et nosset, cantico illo humiliter gloriari haberet[f], quo dicitur: *Pater meus dereliquit me, Dominus autem assumpsit me.* [Psal. 26, 10.] Genitrici vero eius[g] in testimonium verae castitatis perseverantia, ut euangelicae illi Annae, laudabilis[g] placuit viduitatis; quae qualiter laudabilibus ex gestis odorem virtutum sibi adsciverit, in sequentibus lector animadvertere poterit, ubi nos suo in loco pauca, quae de ipsa[h] sunt, differre noverit.

2. Ad vitam autem beati viri, quem res nunc obtulit, respectum habeamus, et quae de ipso sunt, ordine prosequente videamus. Hic namque ex temporum successibus adolescentiae paullatim crescens processibus, inaniter curis saecularibus studuit armari, tum in eis cum ceteris commilitonibus suis appetitu vanae gloriae versari. In quibus dum ad tempus, ut sese res militaris tunc habuit, plurimum ingenio et audacia valeret, postremo tamen periculum et praecipitium pluribus exinde detrimento fore videret, eum quem in ingressu mundi posuerat, retrahere pedem voluit; sed militaris negotii occasione prohibente, non omnino quod conatus est valuit. Fecit tamen pro voti sui satisfactione quod potuit, atque a rapinis importunis opportune resipuit, tandemque a desiderio adquisitionis non iustae divinitus in[i] se exhausto abstinuit. Qui processu temporis semper in dies se[k] melior fiens, consensuque virtutis ac piae industriae proficiens, licet adhuc intonsus sub laicali habitu atque militari tyronem se ostenderet, et sub Theoderico, tunc temporis viro illustrissimo, militiae arma praetenderet, sub cingulo tamen militiae armaturam sacerdotalis religionis induebat, monachilisque devotionis insignia opere exhibebat, ut per omnia futuram speciem pastoris suis[l] praesignare in gestis crederetur, sacerdosque in templo Domini iam futurus praepararetur. Ecclesiarum vero Dei limina sollicitis precum suarum frequentabat accessibus, et quaeque divinarum scripturarum pabula in secretis suae mentis ruminabat recessibus, illud nimirum praecavens, ne semen verbi Dei in agro cordis vitiorum spinis suffocaretur, sed fructu centuplicato in patientia augmentaretur.

3. Contigit etiam eum tyrocinii sui diebus ex inspiratione divina excitatum dominici sepulchri loca cum pii testimonii viris Rotberto[m] et Lauso ire visitatum, qui pari consensu sibi in id ipsum respondebant; iterque quod Hierosolimam[n] respicit, Deo ducente conficiebant. Illis namque diebus, quia humana cum confusione sceleris sui promiscua nihil pensi aut moderationis habebant, atque homines peccatis exigentibus offendiculum irae Dei sibi prae oculis ponebant, summa paganorum violentia et infestatio viam eandem claudebant, neu[o] quis dominicum adiret sepulchrum, vi qua poterant arcebant; et secundum illud Esaianum[p], dissipatae sunt viae, cessavit transiens per semitam. [Isai 33, 8.] Hic tamen cum praescriptis sanctae recordationis viris eandem viam aggredi, et non praeter spem martyrii labores et pericula vitae suae ausus est ingredi. Sed quantis tam ipse quam qui secum itineris socii erant periculis paene usque ad internecionem subiacuerint, qualiterque multimodae[q] plagae, naufragia, paganorum etiam[r] contumeliae[s] modum in ipsis excesserint, explicare quis poterit? Sed patientia, quae Iob in multis periclitatum sustinuit, his constantiae robur fideique murum inexpugnabilem circumposuit, ut etiam non condignas crederent passiones huius temporis ad superventuram gloriam revelandam in ipsis. Deo tamen ducente, eademque patientia indissociabiliter a dextris et a sinistris comitante, loca itineris quae dominicum sepulchrum respiciebant, cum gaudio non modico, ut praedictum est, conficiebant. Ubi voti sui post desideria inexplebilia compotes effecti, optionisque suae satie[t] preces vel suspiria fundendo contenti, paschalis immo caelestis iubaris lumine ad idem dominicum sepulchrum quotannis descendente iocundantur, atque amore seu stupore in ipso infatigabiliter excitantur, atque eis secundum illud sapientis, non Hierosolimis fuisse, sed Hierosolimis bene vixisse laudabile fuit. [Hier. ep 13. (58. Vall.)]

a) mente 2. b) cuiusdam 3. c) *ita codices verba dividunt, eodemque modo* quo advixit, *unde peculiaris verborum* quo *et* advivere *usus emersit.* d) i. b. *desunt* 3. e) paterno privaretur solatio 3. f) haberetur 3. g) *deest* 3. h) ipso sunt referre 1. i) ex 1. k) *deest* 3. l) sui 3. m) Roberto 1. *const.* n) Iher. 1. *const.* o) ne 3. p) Isaianum 1. q) multi mocione 3. r) *deest* 3. s) incursiones 1. incursationes 3. t) sacię 2.

Interea beatus Poppo quibusdam de sepulchro Domini sumptis reliquiis, iter quo venerat cum saepe memoratis repedabat viris, et ad locum Agyospater dictum, quem nos Ad sanctos patres dicere possumus[a], pervenit, ubi persecutionis tempore sancti a persequentium se facie declinaverant, et in cavernis petrarum et speluncis montium secesserant, occultoque Dei iudicio agente hisdem corporum suorum gestibus eademque in carne, qua tunc temporis fuerant, immobiles usque in[b] praesens cernuntur a praetereuntibus. Qui beato viro suique itineris comitibus tam spectaculo quam reverentia satis habiti, orationibusque ipsorum ut sibi misererentur, humiliter sunt admoniti. Ex quorum reliquiis cum fide non modica praedictus vir Dei Poppo portionem aliquantulam sibi tulit, eamque interim secum et cum viris supra memoratis Rotberto Lausoque domi[c] retulit, atque in oratorio sanctae Mariae, in villa Dunsa[5] sito, perpetuo servandam condonavit[d]. Praedictus autem Rotbertus in coenobio Wasloi seu Beloacus vocitato[6] monasticae conversationis habitum sumpsit sub venerando abbate Richardo, omnibus paene saeculis iustitia et probitate sui iam celebrato. Sed et Lausus vere sub laicali habitu monachum se praetendebat, subque eodem proposito aevum sui sine tonsura clericali, sed non praeter vitam clericalem conficiebat; atque Gandavi in ecclesia sancti Iohannis[7], quam ipse construxerat, locum sibi funereae quietis delegerat[e]. Et ut interim super his, quorum vitam sola Dei scientia melius colligit, taceamus, ad beati viri Popponis vitam, quam scribere[f] coepimus, stilo prosequente redeamus.

4. Post prolixae peregrinationis laborem non multum temporis intercesserat, cum ecce ei divina gratia, ut secundo peregrinaretur[g], atque[h] ut limina apostolorum Petri et Pauli tam animi quam corporis inviseret praesentia, inspiraverat. Qua inspiratione multo animaequior factus, effectumque desiderii sui, quod dilatione creverat, tandem nactus, cum Theoderico nobilissimo, sub quo eum militasse praescripsimus, viam est[i] aggressus, atque ad limina apostolorum Petri et Pauli diu multumque desiderata pervectus; ubi et voti sui satiem, quae fastidium non noverat, dedit, et ad quae venerat rite peractis, rediit. Contigit interea, ut occasio divertendi tunc fortasse se habebat, ad Sanctum Theodericum[8] applicuisse, eumque quem praelibavimus Theodericum languore in dies crescente penitus defecisse, sibique de vita iam periclitato frenesim, prout temporis accessus habuit, fuisse. Quem beatus vir Poppo per aliquot dies ibidem penes eiusdem loci fratres detinuit, atque ipsum non sanae mentis incommodo privari obtinuit, hocque orationibus suis sanctique meritis Theoderici concurrentibus meruit[k]. Memoratus vero[k] Theodericus pro indulta sibi sanae mentis, qua diu caruerat, sospitate in magnas gratiarum laudes subita prorupit hilaritate, filiumque vicino temporis articulo Deo donante sibi nasciturum, Deo sanctoque Theoderico se e vestigio devovit daturum. Quod et contigit ex rei eventu postmodum fieri. Nam filium quem divina annuente providentia[l] acceperat, sancto Theoderico sibique aequivocum fecerat, eumque ubi[m] vovit[n] donatione sollempniter facta reddiderat. Postquam vero beatus Poppo, ut in sequentibus luce clarius constabit, abbas in coenobio Stabulensi venerando abbati Bertranno successit, amore eiusdem Theoderici ductus post eum misit, et penes se in omni doctrina et scientia nutrivit, donec in virum perfectum et ecclesiae Dei idoneum per omnia efficeret, postremo vero successorem sibi in regimine fieri Treveris ad Sanctum Maximinum expeteret. Sed quia rationis occasio se ad praesens ingessit, hoc tantum de venerando abbate Theoderico beato viro Popponi in regimine succedente[o] breviter intercessit; latius suo in loco de reliquo percurrendum, vel qualiter ab eo educatus vel successor factus, alias laxius agendum. Nunc vero operae pretium hic inserere gesta censuimus, vicinum in beato viro locum habentia ab hiis quae proposuimus, scilicet mundi huius principem qualiter cum copiis suis eluserit[p], et ad monasticae professionis proposita aspiraverit.

5. Illis itaque diebus Balduino marchiso[q] summum in fascibus[r] comitatum agente[9] Flandriarumque populis iustis cum legibus imperante, beatus Poppo tam apud eundem principem

a) possimus 1. b) ad 1. c) *ita* 1. domum *rell.* d) conservandum donavit 1. e) delegeret 1. f) *deest* 1. g) inspiraverat *add.* 1. 2. h) atque — inspiraverat *desunt* 3. i) eius 1. k) *deest* 3. l) provisione 1. m) ut 3. n) nouit 1. o) *hic in* 2 *folia duo excisa sunt.* p) eluserat 3. q) marchio 3. r) fabricibus 3.

5) Dunsa, vulgo *Deynze*, oppidum Flandriae marchionatus titulo insignitum. MAB. Situm ad Lisam fluvium. 6) postea *Beaulieu*, d. Virdun. prope S. Menehildem; ei tunc Richardus abb. S. Vitoni praeerat. 7) Erecto episcopatu a Paulo IV Gandavi sub archiepiscopo Mechliniensi, ecclesia sancti Iohannis in cathedralem evecta est. MAB. 8) tertio ab urbe Remorum milliario. MAB. 9) Barbato 989 – 1036.

quam optimatum[a] suorum primos plurimum amicitia dictante valuit, utpote qui religione, iustitia et fide magnifice claruit. Contigit etiam inter alios Frumoldum quendam eiusdem principis lateri loco paene proximo adhaesisse, primisque regni negotiis adprime consulte incubuisse, qui in loco Sithiu nominato habitatione sui morabatur, cuius amicitia prae cete-
5 ris amplius singulariusque beatus Poppo tenebatur. Tantus etenim eis omnium rerum par alterutrum erat consensus, ut idem Frumoldus filiam suam, quae sibi prae ceteris quas habebat praestantior videbatur, eidem viro Dei stabilius adiungere connubio moliretur, quibusdam etiam sui iuris rebus ad id operis praescribere satagens, eumque quasi generum sibi futurum in sua adscisci expetens. Cuius votis vir Dei assensum ad tempus praebuit; sed
10 postea infusione sancti Spiritus revocatus, ut id fieret secum rennuit. Denique pertaesus[b] repente nuptiarum consuetudinem, utpote iam tactus cor intus divina inspiratione, per aliquot dies dissimulavit connubium sub incerta responsione. Sed ne ex toto ab incepto resipisceret, timebat id amico fideli fieri offendiculum, eo maxime quod de coniunctione filiae uterque iam[c] per arram firmaverat consilium. Unde imminente nuptiarum tempore utro-
15 bique haesitans pendebat animus in dubio, ad quam partem se verteret, salvo utrorumque consilio.

6. Tandem statuit ut in Sithiu ad Frumoldum, secundum quod divina providentia disponebat, iter dirigeret, quatinus ut delegatum erat, familiaris viri gener fieret. Sed ut id quiete ageret absque rumore, respuens quasi non inglorius uti copia vel apparatu plurimo, viam
20 illo aggressus est sub tempestae noctis silentio. Nec mora, in eundo per noctis medium lux caelitus emissa resplenduit super eum equo insidentem, quae foris pariter et intus totum illustravit hominem. Qua de re inopinata tremefactus, circumfert obtutus non sine admiratione, et videt lanceam quam manu gerebat, in modum faculae nimio fulgore radiantem, quasi inflammato[d] ardere cuspide. Intelligens ergo vir altioris ingenii, respicere se hoc
25 genus prodigii, exclamat[e] viae suae comitibus, nequaquam ultra iam se progredi. *Necesse est*, inquit, *commilitones mei, alia intentione aliaque via incedere; oportunum video, finem vitiis cum cupiditatibus his imponere, et quo divinitati placet, toto conatu intendere.*

7. Post haec proiectis armis militaribus induitur Dei armatura, et mutata mente ad meliora, meliori via rediit ad propria. Nec mora intercessit, sed statim e vestigio ad Sanctum
30 Theodericum, de quo nichilominus praescripsimus, ut se monachum profiteretur convolavit. Cui Eilbertum quendam, sagacis ingenii virum, obviam mox venisse contigit, qui domni Gerardi Cameracensium episcopi carne et spiritu germanus extitit, quique quondam eidem beato viro Popponi ibidem una cum praedicto seniore suo Theoderico divertenti notus factus, proque sanctitate ipsius et vita laudabili summopere est adamatus. Nam et ipse pridem a
35 saeculi actibus nudus evasit, ibidemque sub monachili tunica se laicum mutavit, tamque officio quam nomine monachus iam diu esse didicit. Hic venerabili viro Popponi et ipse nichilominus venerabilis obvius ut diximus venit, atque psalterium quod sibi plurimum usui fuerat, iam in septuagesimum nonum psalmum percucurrit, manusque sancti Spiritus gratia cor[f] tactus in ipsum mittit, ac versum in praedicto psalmo antepaenultimum sic se haben-
40 tem adiecit: *Fiat manus tua super virum dexterae tuae, et super filium hominis, quem confirmasti tibi.* Sed quia non facile ei ex diuturna ab invicem absentia ut eum agnosceret suppetebat, quem tamen olim mente et corpore plane cognoscebat, primum ab eo quis esset, vel ad quid venisset didicit, deinde vero reliquum psalmi subintulit: *Et non discedimns*, inquiens, *a te; vivificabis nos*, et cetera in ordine[g] sese habentia. Tunc laudabilibus ipsius
45 congaudens votis, totisque in id ipsum animi intendens medullis: *Vere*, inquit, *frater, te Deus ad quod venisti misit, qui te totum hoc pietatis suae*[h] *oraculo invisit.* Et super praedicti versus expositione ipsum satis edocens, animaequioremque exinde pro voto monachili quod quaerebat efficiens, causas voti ipsius abbati ceterisque fratribus intimavit, et quod vere eum Deus ad hoc misisset, indiciis evidentibus peroravit. Quid igitur? Petenti ei abbas una cum
50 fratribus ingressum annuit, et per singula, ut monastica docet norma, probatum sine macula invenit. Deinde ut parvulum Iesus innocentia plenum et mansuetudine in medium statuit, monasticique vigoris habitum imposuit. Vere enim eum parvulum quodammodo dixerim, quem[i] sine dolo ex gestorum ipsius attestatione senserim; qui licet aetate et sapientia in dies provectus fuerit, malitia tamen, ut apostolus ait, parvulus fuit. Et ut eum vere prioribus 1 Cor. 14, 20.

55 a) optimatorum 1. b) preter nupt. 3. c) *deest* 1. d) *ita codices et Surius.* e) acclamat 3. *vulg.* f) corde 3. g) ordinem 1. h) suo 1. i) qui 3.

ante legem et sub lege[a] comparem patribus, de terra et de cognatione sua cum Abraham Deo inspirante et iubente transivit; et cum Helia et Iohanne a mundi illecebris solitarius esse quaesivit, (Psal. 30, 21.) quem secundum psalmistam Deus in abscondito faciei suae a perturbatione hominum abscondit, et ad hoc totum Spiritu sancto inspiravit, ut omnibus sui iuris relictis, mundo evaderet nudus, pro his in terra sanctorum duplicia possessurus, et ex promissione euangelica centuplum cum vita quae finem nescit habiturus. Coepit interim a praedicto Eilberto, Marriliacensium[10] postea abbate, litteris strennue erudiri, et in omnibus quae monasticae institutionis sunt ad plenum informari; ita ut in brevi cunctis quae scientiae expedierant percursis, fastigium monasticae attingeret perfectionis. Nec mirum si Spiritu sancto, ut vere credimus, id valuit, qui omnes ad discendum moras semper dehabuit.

8. Sub saepe memorato autem piae recordationis Eilberto, tum temporis monasterii portario, beato Popponi pro recipiendis[b] in xenodochio pauperibus cura ab eiusdem loci abbate est exhibita, et ut satis tuto domui[c] Dei oeconomo sive dispensatori sollicitudo commissa. In qua administratione liberalitatem cum hospitalitate tenuit, atque vere cum beato Iob dicere potuit: (Iob. 31, 32. et 17.) *Foris non mansit peregrinus; ostium meum viatori patuit.* Et item: *Si comedi buccellam*[d] *meam solus, et non comedit pupillus ex ea.* Quadam vero die inter ceteros a se xenodochio[e] introducendos simul et alendos leprosus quidam advenit, qui pro deformitate sui vix cum aliquibus consortii vestigia ulla invenit. Quem vir Dei nichil omnino horruit, sed cum reliquis introductum officiositate qua potuit accuravit et aluit; postremo vero nocturnis iam tenebris irrumpentibus penes se detinuit. Sed veritus eum nocturnis frigoribus utpote vestimenti[f] indigum[g] artius constringendum, primum sollicitatur in se, quid super hoc esset agendum; deinde vero ex humilitatis consulto viam qua pauperi misereretur invenit. Nam coopertorio quo ipsemet in stratis recumbens uti solebat, pauperem simul et leprosum, nichil pro deformitate ipsius refugiens, ut alter Martinus tegebat. Sed et[h] haec humilitas compassioni permixta non inanis aut irrita in conspectu Dei habita est, quia eam salus in leproso et magnificentia in beato viro secuta est. Vestimento certe illo praefatus leprosus coopertus, primum sudoris guttas emisit, et e vestigio omni lepra fugata, sanitas eum repentina invasit; atque mane sancto viro ad eum venienti sanus apparuit, et pro duplici pietatis bono sibi praestito gratiarum vota reddidit. Qui venerabili viro stuporem et timorem iniecit; stuporem videlicet, quod vestimento suo salutem in paupere Deus fecit; timorem, ne pro hoc facto ipse palam fieret, et ad ruinam sui favor eum popularis pasceret. Precibus tamen admissis, ut sine publicatione sui discederet hortatur, Deoque non sibi pro hoc facto gratias ageret, humiliter precatur. Postmodum vero eodem in stratis suis coopertorio usus est, neque ob id quod leprosum eo operuerat, ipse tegi dedignatus est. Sed praescriptum virum Dei Eilbertum res gesta non latuit; se tamen scire ad tempus dissimulavit, eumque pro vestimento ipsius pauperi simul et leproso praestito convénit; cur suum et non aliud praestiterit, dissimulando ut diximus redarguit. Ille vero humi prostratus, ab eo pro re gesta secreti causas imploravit, sacramentisque maximis ne se publicaret[i] exoravit; imitans certe Dominum, qui pro[k] humilitate et compassione leprosum, quem lex tangere vetuerat, tetigit et mundavit, cui ipse tamen pro eiusdem[l] facti manifestatione interdixit. Ecce quantum humilitas beati viri meruit, quae prius in vestimentis, quam in ipso palam fieri habuit. Neque enim non credendum, quantum in se remedii habeat, qui in vestimentis suis tantum meritis exigentibus valeat. Proinde nemo Deum in sanctorum suorum vestimentis salutem consequi[m] posse dubitet, quem ex vestimentorum suorum fimbriis mulierem[n] sanguinis profluvio laborantem sanasse liquido patet. Hoc autem factum, qui a praedicto Eilberto coram didicerant, mihi scribenti, Deum testor, intimaverant, ne cui hoc temporibus nostris fieri incredibile videatur, quod laudabilium personarum testimonio per beatum Popponem factum fuisse probatur.

9. Subsequenti namque tempore sanctae recordationis virum abbatem Richardum ad Sanctum contigit Theodericum venisse, atque piam in viro[o] Dei conversationem sibi perlatam innotuisse. Qui in eum dilectionis suae oculos mox convertit, et ut facile amborum

a) legem 1. b) excip. 3. c) *ita* 1, *et infra* 303, 33. *omnes.* d) pucellam 1. e) in xenodochium 3. f) vestimentis 3. g) indignum 1. h) *deest* 1. i) suplicaret 1. k) *deest* 1. l) huiusdem 1. m) admittere 2. efficere *Sur. Boll.* n) emoruosam *addit* 1. o) p. viri 2.

10) dioec. Camerac. nunc *Maroilles.* Teste Chron. Sancti Andreae Castri Camer. I, 13. fuit abbas Sancti Andreae.

meritis sibi respondentibus fieri potuit[a], totus in eum sancti Spiritus igne agente exarsit. Unde et eum secum abducere[b] voluit, ac pro hoc totius consilii viribus incubuit. Et primum viri Dei animum super hac re inquisivit; deinde vero apud abbatem ipsius preces admisit. Quas quidem diu multumque idem abbas humiliter refugiens abnuit; postremo tamen ipsis defatigatus, assensum licet sero[c] praebuit. Ex cuius[d] consensu et[e] definito vir Dei corpore, non mente, inde discessit, atque Virdunum[f] cum praedicto venerabili Richardo abbate ire perrexit. Ubi ante omnia et ad omnia ab eodem abbate pro obedientia seu patientia ipsius conprobanda est exhibitus, et in omnibus obediens, fidelis, patiens ex servitutis penso inventus, interimque[g] inter ceteros adoptionis suae filios dilectione adprime est habitus; ita ut promotiori quam fuerat loco eum promoveret, tum quaedam ex primis suarum rerum negotiis administrare iuberet. Quae quidem tam honeste quam strennue erogavit, et in dies melioribus semper auspiciis amplius[g] augmentavit.

10. Interea matrem suam, de qua nichilominus praelibavimus, marito iam diu, non virtutibus viduatam revisit; et ut eam saeculo secum abstraheret, cogitatus sui consilia primum praemisit. Sed quia ipsa ut erat in cunctis virtutum consiliis tanto semper adsentanea, quanto in singulis sine cessatione[g] idonea, filium suum super persuasione tam amabili laudavit, et ad coenobialis vitae callem cum eo migravit, omnibus sui iuris, tam liberis quam mancipiis hereditariique cespitis redditibus posthabitis. Quam quique liberorum simul et servorum, sicut unicae matris ac dominae solatio destituti, usque adeo clamoribus lamentisque inconsolabilibus sunt prosecuti, ut etiam plerique ipsorum medios paene[h] se Scaldem fluvium transvadare simulantes humectarent, si quo forte pacto eam conpassione[i] conpunctam ad se revocarent. Sed quia nemo mittens manum in aratrum et aspiciens retro (Luc. 9, 62.) aptus est regno Dei, ex similibus et ipsa viam ad Deum, quam filio ducente sibi sensit aperiri, non ut uxor Loth obtutibus retro deflexis coepit experiri; Deo tamen eos, de[k] quibus timuit, rata fide commisit, ac deinde cum filio suo desiderii sui habenas in incepto itinere emisit. Quae in Elnone monasterio, ad Sanctum scilicet Amandum, una cum filio suo[l] pervecta, ibidem desiderii sui ex caelestis visionis oraculo securitatem est adepta. Nam ante beati Cyrici[m] lipsanas eádem in vigiliis precibusque pernoctante, atque post paululum ex diutina sui defatigatione semivigilante, quia eam superna respexerit exauditio, huiusmodi ad se divinitus perlata[n] patefecit visio. Nova rerum certe facie quamplures Christi sacerdotes in consistoriis dealbatos vidit, quos in modum coronae divina ostensio altrinsecus positos spectaculo sibi dedit; inter quos etiam beatus Amandus, utpote eiusdem loci primus, prae ceteris promotius honestiusque residere[o] videbatur, atque ad sententiam ipsius, sicut eum eo loci tunc decebat, omnium intuitus suspendebatur. Sed et beatum Cyricum[p] serico gemmisque totum videbat nituisse, elegantisque pueri vultus imitatum fuisse; tum cum singulis sacerdotum circumsedentium[q] sermonem conseruisse, proque se ibidem in medio prostrata[r] preces fudisse. Cui sanctus Amandus una cum pari consedentium sibi consensu: *Eya*, inquit, *bonae indolis puer, tuum est pietatis dexteram cum precibus etiam huic viduae porrigere, quae ante sacrosanctas lipsanas tui continuas non*[s] *desistit preces*[t] *admittere.* Qua auctoritate venerabilem puerum Cyricum[u] certiorem factum ad se appropinquasse, totamque se quasi de terra, ubi iacuerat prostrata, vidit levasse. Atque huiusmodi visio hic finem sui habuit, ipsaque beati Popponis mater mox expergefacta ad se rediit. Quae hanc quidem visionem filio retulit, cum quo etiam ipsa super eadem visionis fide animaequior facta, Virdunum se contulit, veloque piae conversationis ex consilio beati viri sibi imposito, iustitia et moribus iam coenobialis vitae arrisit proposito. In quo cum erga humani generis hostem iam diu virtute sua multimoda bellum conserentem didicisset contendere, et velut contra vitiorum torrentem brachia tendere[v], apud Sanctum Vitonum[w] succedenti etiam tempore solitaria esse coepit, eoque reclusa[x] cursum vitae diabolo cum virium suarum copiis triumphato in pace peregit. Neque enim dubium erit, hanc post conversionem apud Deum efficiendi quae poposcerit locum invenisse, quam eo ante conversionis suae tempus praestitit valuisse, ut lucernam extinctam precibus et non manibus reaccenderet; tum etiam id[y] miraculi esset indicio, eam similia posse, si occasionis ratio exposceret. Haec super conversione et vita

a) innotuit 3. b) adducere 1. c) invitus 1. 3. d) huius 1. e) *deest* 3. f) Verdunum 2. g) *deest* 1. h) *deest* 1. i) passione 1. k) *deest* 2. l) *deest* 1. m) Cirini 1. n) prelata 1. o) sedere 3. p) Cirinum 1. q) *deest* 2. 3. r) m. se p. 3. s) *deest* 1. t) orationes 1. u) Ciricum 1. v) tondere 1. w) Vitonem 2. x) recluso 3. y) ad 2.

matris beati viri dicta[a] sufficiant. Quae de ipso sunt, me interim ex relatione maiorum desiderantes[b] scriptorem inveniant.

1004. 11. Ex[c] hinc saepe memoratum abbatem Richardum Balduinus marchisus apud Sanctum Vedastum, Folrado[d] a regimine deiecto, subrogavit[11], quia animum eius ad hoc consilii tam eiusdem viri sanctitas quam principum regni sui collatio suasit. Auctoritate vero praefati[e] principis idem Richardus abbas administrationem operis sibi iniuncti suscepit, virumque[f] Dei Popponem, quia se plurimum rerum[g] gerendarum occasio tenuit, secundum sibi eo loci praefecit. Et non tantum sui, sed etiam omnium fratrum consensu favente id effecerat; quippe quorum mens venerabilis viri Popponis virtutum iam conscia fuerat, et in eum amoris sui intuitum karitate non ficta converterat. Venerabiles praeterea inter eos extitere viri, quorum dilectione singulari prae ceteris amplius beatus Poppo habuit potiri, domnus scilicet Fretherìcus[h], qui Gozelonem ducem carne germanum habens[i], venerandum abbatem Richardum ibidem comitatus fuerat; Liduinus[k] quoque, qui se laicum eo loci sub monachili proposito mutaverat, succedenti vero tempore favore praefati abbatis Richardi poscente sibi in regimine successerat. Et quomodo anima Ionathae animae[l] David colligata fuit, ita et affectus horum piae dilectionis vinculis ad invicem colligari habuit. Unde et eum a saepe memorato abbate Richardo secundum praefici contigit, quem[m] tam laudabilium virorum una cum cunctis ipsius loci fratribus dilectio attigit. Sed in administrandis eiusdem loci necessariis magna tunc extitit difficultas, utpote[n] ubi plurima ex parte stipendiorum monasterii dehabebatur facultas, militesque quique[o] praefati loci res pro beneficio possidebant[p] indultas. Unde et eadem causa beato Popponi, licet pro viribus honeste agenti, maerorem primo iniecit; quem prudenti, quo plurimum valuit, consilio a se mox disiecit[q]. Nam annuente praefato marchiso res monasterii a militibus callide prudenterque repetivit, atque ut eiusdem loci fratribus permanerent, publicis archivis ratum stabilivit. Pro quo etiam insidiarum fomitem ab eisdem militibus sibi conparavit, tantamque inimicitiarum vim apud eos, a quibus res iniuste possessas abstraxerat[r], subintravit, ut viarum septa circumquaque occuparent, tum etiam ad perimendum ipsum insidias aptarent[s]. Sed ut scriptum est, in vanum quaesierunt animam eius[t]; (Ps. 22, 10.) quia per arma iustitiae a dextris et a[u] sinistris vallatus, omnes iniquae coniurationis rupit conatus, mediusque[v] per ipsos incedens et fraudium copiam elusit, et periculum Deo ducente evasit. Ille nimirum qui per medium Phariseorum[w] transiens, oculos eorundem a notitia sua clausit, atque passurus nominis sui catena retro eos prostratos ligavit, ad suspendendum etiam servi sui periculum omnem insidiantium sibi ab eo[x] deflexit intuitum[12].

12. Erat[y] interea viro Dei iter ad Heinricum, tam pium quam magnum Romani potentatus imperatorem, primum post Ottonem iuniorem ex principum regni consulto successorem. Nam et ad Batuam e vicino Rheno flumini adiacentem applicuit, ubi quaedam sancto Vedasto reddituum suorum possessio fuit, quam etiam ex administratione praepositurae suae usui fratrum praevidere habuit. Ibi certe quidam consanguinitate atque familiaritate beato viro notus mansionem sibi habuerat, cui summa cum affluentia liberalitas famam cum rebus pepererat[z], quique maxime beato viro, dum res poscebat, officiositati fuerat. Qui praecognito adventu ad se viri Dei, quaeque suis ut venturum decebat hospitem mandat apparare, tum in captura piscium retia studiose laxare[*]. Sed circa id operis diu instantes laboris difficultas elusit, vacuosque ad dominum a litore remisit. Omni vero capiendorum piscium spe sublata, sanctitas beati Popponis memorato illustri viro iam dudum cognita, mox ipsi[a] licet absens sua inspiravit consilia. Nam eo pacto idem[b] paterfamilias item eadem mitti mandat retia, ut si beato Popponi sanctitatis ulla cum Deo esset gratia, votum sui in capiendis piscibus subita sequeretur efficacia. Quid igitur? Laxantur ergo retia in captura, non minus piscium retibus Petri habitura; nam tantam piscium multitudinem mox collegerunt, quantam ante capturam nullatenus futuram speraverunt, ut in argumentum et fidem sanctitatis beati viri nec numero nec modo sui possent aestimari. Et ecce beato Popponi apud illustrem

a) *deest* 1. b) *deest* 2. c) Ex — principis *erasa* 2. d) Fulrado 1. e) predicti 1. 3. f) virum 2. g) *deest* 1. h) Fredericus 1. i) *deest* 2. k) Lidwinus 2. l) *deest* 1. m) que 2. n) *deest* 3. o) milites quique quoniam pr. 1. 3. p) prosiderent 2. q) discessit 3. r) distraxerat 3. s) apparent 1. t) meam 3. u) *deest* 2. v) mediosque 3. w) parisieorum 1. x) ipso 1. y) *hic in* 2 *folium excisum est.* z) peperat 1. *) relaxare 3. a) m. ipsi *desunt* 1. b) *deest* 3.

11) v. Gesta epp. Cam. I, 116. 12) cf. Hugonis Chronicon II, 11. 12.

quem praelibavimus virum divertenti, quantum apud Deum ipse meruerit, per praefatum virum indicio claruit patenti. Et primum a captura piscium suos edocuit frustratos fuisse, deinde vero in nomine ipsius retia misisse, sicque tot et tantos, ut sibi prae oculis tunc fuerant, cepisse. Pro collato ergo sibi divinae pietatis beneficio Conditori rerum[a] gratias egit, reliquumque itineris, quod ad imperatorem, ut diximus, sibi fuit, post alternam cum amico suo verae dilectionis communionem peregit. Interea tam magnificentia quam honorificentia regia est susceptus, utpote qui primum amicitiae locum inter ceteros iam apud eum fuerat adeptus; cuius etiam sanctitas humilitatem mansuetudinemque praefati imperatoris in amorem sui ita accenderat, ut etiam reverentia dictante magis parere quasi ad iussa ab eo visus fuerit, quam rogata ab alio implere voluerit. Contigit etiam ludis histrionum[b] imperiales tunc fores occupari, atque eo spectaculi genere regem cum suis delectari. Ursis etiam nudus quidam vir[c] membra melle perunctus exhibetur, a quo etiam plurimum pro[d] periculo suimet timetur, ne forte ab eisdem ursis ad ossa sui melle consumpto perveniretur. Proinde rex eiusdem spectaculi adeo amore in oculis suis captus tenetur, atque male providus pro periculo viri parum veretur. Unde super tam iniqua in[e] christianum illusione regem beatus Poppo redarguit, eumque ab hoc spectaculo suis cum optimatibus mox compescuit; tum etiam a periculo ursorum virum liberavit, et ne id ultra fieret, arguendo et obsecrando sententiam dictavit. Heinricus vero imperator tam obsecrationi quam correptioni ipsius humiliter paruit, et quem honorifice ad se venientem suscepit[f], honorifice etiam a se regredientem dimisit. Qui iter quo venerat Atrebatum usque rediit, sanctaeque recordationis abbatem Richardum super imperiali in[g] se humanitate satis edocuit.

13. Aliquantis deinde evolutis diebus, in quibus plurimum pro monasterii ipsius elaboravit rebus, quia eodem ex loco iam recedere debuerat, divinae visionis oraculo ante didicerat. Nam casubula[h] quae quasi gratuitae viriditatis elegantiam cernebatur imitari, totum se sicut in agendis missarum sollempniis vidit ornari, sicque demum inclinato capite coram altari sancti Vedasti[i] astitisse, illumque ex sexagesimo septimo psalmo versiculum[k], fratrum sibi respondente conventu, ter repetisse: *Benedictus Dominus*[l] *die cotidie, prosperum iter faciet*[m] *nobis Deus salutarium nostrorum.* Quem postquam, ut diximus, ter repetivit, oratorium evestigio exivit; atque hic visio huiusmodi finem sui dedit. Neque enim hoc otiosum aut ab re fuit, quod hoc vestis sacerdotalis virore beati viri discessio praeoccupari meruit, qui aeternae viriditatis fructum suis in actibus non dehabuit. Non multo post vero[n] effectum sui visio talis invenit, atque a venerabili Richardo abbate iussus inde abiit, et ad Virdunum pristinum conversationis[o] suae locum rediit. Ubi pro comprobanda post[p] summam praepositurae administrationem ipsius patientia, omnis infimarum[q] rerum monasterii ab abbate ei iniungitur obedientia; ne pro sui dudum prae ceteris promotione spiritu elationis forte exagitaretur, sicque a pristinis virtutum suarum gradibus deiceretur. Sed memor illius quod dicitur: *Quanto magnus*[r] *es, humilia te in omnibus*, et humilitatem in promotioribus monasterii rebus sibi collatis tenuit, eandemque in infimis et in quibus quasi quidam iniuriae locus videbatur esse, non perdidit; quia nec in prosperis inflari, nec in adversis noverat deici. Geminas[s] proinde opere recoluit sententias, quibus dicitur: *Ascendet foetor eius, qui magnificat opera sua*, et: *Doctrina viri per patientiam noscitur*, quia unam earum ex humilitate timebat, alteram[t] vero ex patientia appetebat. Et quia omne subiectionis onus humilitate et patientia praeveniebat, atque pro superanda ipsius obedientia nichil laboris sufficere abbas[u] videbat, eum proximo a se loco non inconsulte promovebat, tum etiam in administrandis primis monasterialium rerum causis secundum stare iubebat[v]. Abbatiam insuper sancti Mauricii, Wasloi dictam, cum omnibus eiusdem loci appendiciis ei delegavit, utque eo in agendis quae oportuerant desudaret[w], admonere curavit. Qua suscepta, quia eam quam situs loci iocunditate sui commendabilem dedit, in officinis monasteriique brevissimis claustris vilescere invenit, funditus monasterium cum adiacentibus sibi[x] receptaculis eversum, maiori quam fuerat elegantia reaedificavit, atque pristino nomine mutato, ex honestate sui Beloacum[y] denominari dictavit. Atque eo quidem vocabulo iam ad praesens circumquaque est promulgatum, nec illo evolutis ad nos usque diebus constat privatum.

Eccli. 3, 20.
Ioel 2, 20.
Prov. 19, 11.

a) *deest* 3. b) hystrionum 1. c) *deest* 1. d) per 1. e) *deest* 3. f) h. ad se v. s. *desunt* 3. g) *deest* 1. h) casucula 3. i) *deest* 3. k) versiculo 1. l) Deus 3. m) faciat 3. n) ubi 3. o) conversionis 3. p) est 1. q) infirmarum 3. r) maior 1. s) gemmas 1. gemini 3. t) aliam 3. u) abbacias 3. v) videbat 1. 3. w) desudare 3. x) *deest* 3. y) beolacum 1.

1018? 14. Heinrico interea quem praescripsimus imperatore apud Argentinam civitatem super regni statu agente, proque hoc consiliis[a] optimatum suorum privatim et publice incumbente, et hunc beatum virum iter ad ipsum quadam contigit occasione denuo[b] habuisse, sicque ad 13 Elisgaugium[c. 13] una cum suis applicuisse. Cumque quodam in loco, quem grata commendabat amoenitas, pro sumendis cibis[d] divertisset, iamque cibis coram positis resedisset: 5 ecce lupum humanum tunc sitientem sanguinem e silvarum latebris impetum vidit dedisse, atque pastorem e regione greges pascentem violenter per colli nuda arripuisse, tum ad loca nequitiae suae desideriis oportuna per abrupta locorum traxisse. Spiritu ergo[e] tam stuporis quam maeroris vir Domini corde tactus, et ut semper visceribus misericordiarum totus[f] fuerat plenus: *Ecce*, inquit, *o Deus*, *hominem quem ad imaginem et similitudinem tuam fecisti, lupis praedam esse sivisti.* Proinde suis ut misero iam paene absumpto[g] manum tandem 10 ferrent convocat, precibusque admissis nomen Domini ipse interim invocat, protestans lupum ante praedam illam esse amissurum, quam se quicquam cibi aut potus gustaturum. Sed quia palustrium locorum prohibente interstitio non facilis suorum ad ereptionem illius suffocati erat accessio, via in gyrum arrepta palustria illa loca ambiunt, ubi ex vestigiis 15 effluentis sanguinis hominem nulla vitae indicia in se dantem inveniunt, nec uspiam locorum lupum perspiciunt[h]. Mox omni spe super vita ipsius dehabita, equo impositum in beati viri adducunt praesentiam; qui de Dei misericordia nichil pro eodem diffisus, penes se ipsum collocat, Deumque pro sospitate ipsius tacito mentis nutu invocat. Benedictionis suae eum remedio interim fovet, paulatimque eum exinde movet; deinde surgendi vires ex sancti- 20 ficatione tam manuum suarum quam precum indulget, ita ut cum viro Dei cibum una caperet, tum ulterius de vita sui ipse praesumeret; nullique dubium, ipsum ex precibus sancti viri ad vitam servatum, ex cuius benedictione mensaeque communione hii qui affuere videre curatum. Postquam vero convaluit, ex cicatricum suarum[i] spectaculo quosque qui eum viderant permovit[k]; a quorum etiam fide nos id ipsum didicimus[l], posterisque in argumen- 25 tum sanctitatis ipsius reliquimus.

1020. 15. Contigit interea Stabulensis coenobii abbatem Bertrannum debita morti dedisse, atque alteri succedendi sibi[m] locum reliquisse. Unde et Heinrico imperatori beatum Popponem subrogare animo insedit[n]; quod ut fieret, Richardum abbatem tunc secum in consiliis agentem humiliter convenit, cui tamen omnino sui consilia animi non patefecit, quia Popponem 30 sibi ab eo tantum dari postulavit, sed qua ratione eum postularet, indicare recusavit[o]. Venerabili autem Richardo abbate imperiali primum petitioni diu multumque renitente, occasionesque plures quibus se tali viro carere non posse dicebat adiungente, sanctum Heriber- 14 tum Agrippinae[p] Coloniae episcopum praefatus imperator evocavit[14], eoque sibi adiuncto apud praescriptum abbatem preces adhuc admittere curavit; postremo vero obedientiae 35 sententiam ex regia auctoritate in eum dictavit. Quam ne sprevisse videretur, subiectione, non voluntate susceperat, et ut ei beatus Poppo in manus cederet, licet invitus annuerat. Cui Stabulensis regiminis pedum mox porrexit, utque Popponi pro successionis indicio deferret indixit, adiuncto sibi[q] ad id negotium Wolbodone[r] Leodicensium episcopo, sanctitate et fide ad quaecumque strennue et pie peragenda illustrissimo. Qui ex edicto regio sibi iussa 40 pergunt implere, memoratumque Dei virum Popponem apud Sanctum Remaclum in regimine promovere. Qui promotus quibusdam eo loci, quorum moribus convenire non poterat, displicere bene agendo coeperat. Unde tam ipsi quam eis qui secum eo venerant fratribus inimicitiarum vis tanta accrevit, tum manifestis odiis[s] insidiisque interdum clandestinis ira laicorum ad hoc coniuratorum[t] desaeviit[u], ut quadam die monasterii claustra ab eis impetu 45 dato inrumperentur, evaginatisque gladiis Christi greges per dominica septa persequerentur.

a) conciliis 3. b) *deest* 1. c) disgaugium 1. elisgangium 3. d) cibis div. iamque *desunt* 1. e) *deest* 3. f) *deest* 3. g) adsumpto 3. h) respiciunt 3. i) suorum 1. k) promovit 1. l) a q. e. f. n. id i. d. *desunt* 1. 3. m) *deest* 1. n) sedit 1. o) *ita* 1. 2. noluit 3. p) agripine 1. q) illi 2. r) wlbodone 2. walbodone 3. s) m. odiisque clandestinis 1. t) coratorum 2. u) deseuit 1. 50

13) i. e. Alsatiam. 14) Hic 16. Martii, Wolbodo 21. Apr. a. 1021 obiit. Popponem a. 1020 abbatem factum esse docet inscriptio in Mart. et Dur. Itinerario litter. II, 148: *Anno ab inc. D.* 1030 *ind.* 13, *Chuonrado* 7. *anno imperatore, Rainardo* 6. *episcopo Leodicensi, Poppone eius loci* 11. *anno abbate, dedicatum est hoc altare in honore SS. Nicolai* etc. 7. *Kal. Ian.* Chartam eisdem annorum notis instructam edidit Ritz, Urkunden zur Geschichte des Niederrheins p. 51. Sed iam aestate eiusdem anni Popponis annus 11. computabatur, teste charta ap. eundem p. 51, Non. Iunii autem a. 1040 vicesimus; infra c. 22. 55

Sed mirum dictu! qui gladiis in se vibratis caedi videbantur, ictibus[a] non humano sed divino clyppeo elusis non laedebantur; sicut et ille a Moyse rubus ardere videbatur, qui tamen ustionis molestia nulla laedebatur. Tanti vero fama mali[b] beato viro Popponi, Malmundarii tunc demoranti, in aures percrebuit[c], eumque spiritu contritionis et maeroris pro tam execrabili rerum facie induit; praesertim cum ex nuntiantibus sibi plures suorum acceperit occubuisse[d], ac exinde his qui[e] superstites fuerant, metum de reliquo accrevisse. Duo praeterea secum militiae saecularis fuere viri, a quibus etiam quod factum fuerat contigit sciri, quorum unus Adalbertus alterque Boso vocabula sunt sortiti. Qui summa cum velocitate quo in tyrones Christi phalanx illa grassata fuerat, ire pergunt, Deique non sua administrante virtute omnem illam multitudinem soli expellunt, capiunt et sternunt; atque omnis pro voto res illis fuerat[f], in quorum manibus beati viri exigentibus meritis ille pugnaverat[g], qui non salvat in milibus aut curruum et armorum potentatibus, sed in uno mille inque duobus decem valet fugare milia. Divina deinde actum est animadversione, nullum[h] emenso iam anno superstitem ex illa iniquorum fuisse coniuratione. Sicque omnis erga virum Dei confusio in gratiam rediit, amorque omnium pari in eum consensu prodiit.

16. Biennium iam effluxit, Hierichonique[i] Treverensium abbati apud Sanctum Maximinum[35] praefato iubente imperatore successit, ubi in eum similis, immo gravior quorundam cum insidiandi copiis invidia processit; eorum videlicet, quos ex monasticis regularibusque observationibus via per abruptum deflexit. Cumque sibi[k] sub eo illicita iam non licere, et assueta locum penes se conspexissent non posse habere, de eius morte plura machinantur, et quod palam non poterant, quibusdam[l] praestigiorum suorum insidiis operantur. Atque[m] nefas dictu, sacrosancta missarum sollempnia violando suis occupant divinationibus, et quas[n] preces credebant, in immunditia et sanguine manuum suarum execrandis admiscent incantationibus, ponentes secundum[o] illud prophetae tenebras lucem, et lucem tenebras. Neque haec[p] eis ad fomitem malorum suorum tantum suffecere, sed apponentes adhuc peccare, peccatum super peccatum adiecere[q], tamque execrabili quam invida[r] eousque perducuntur exagitatione, ut in apponendis beato viro cibis et potibus venenorum suorum uterentur admixtione. Sed invidia diaboli, per quam mors primum subintroivit in mundum, nulla morte per nequitiae suae ministros Dei laesit ministrum; licet per iniquorum manus daemon beato viro saepius porrexerit, ipseque totiens gustare non refugerit. Ille enim in cuius oculis hic beatus Poppo obturavit aures suas ne audiret sanguinem, et clausit oculos suos ne videret malum, istius[s] etiam a veneni laesione clausit viscera, ut in extinguenda domui suae lucerna omnis iniquorum frustraretur[t] industria. Nec ad hoc scelus coniuratis pro servo suo Dei vindicta defuit, quorum nec unus eo anno velut grege in unum mortis locum facto superfuit, ut profecto constaret, viscera eorum per os beati viri venena illa transisse, atque argumentum malitiae suae ceteris ex hoc reliquisse; quibus tamen[u] ad inferendam mortem venenum quidem temporale defuit, sed in conspectu aeterni Iudicis malitiae suae venenum ad interitum ipsis fuit. Unde etiam hii qui sanioris[v] consilii occasione superstites fuerant, timorem cum amore in eum admiserant; sicque ex[w] sanctitate sui intime a subiectis amari, et ex nuperrima in insidiantes sibi Dei vindicta coepit timeri. Sed et ipse dilectionis non fictae servato tenore, coepit magis prodesse quam praeesse, ita ut in omni patientia et doctrina quosque[x] foveret, postremo vero plures illorum in pastoralibus sanctae Dei ecclesiae promoveret.

17. Aliquanti interea temporis diebus emensis, aegritudinibus coepit fatigari inmensis; unde et eum in lecto reclinasse, atque pro vita sui diffidentiam cum maerore suis contigit incussisse[y]. Mire enim, ut diximus, intima in eum cunctorum suspirabat dilectio, ideoque[z] eos de ipso, pro cuius amissione sibi timebant, intolerabilis habuit afflictio. Inter quos quidam Ernostus[*], ex laico vere[a] tam nomine quam officio monachus olim factus, cum ceteris, immo prae ceteris[b] pro aegritudine beati viri dolore cordis intrinsecus tunc tactus, nocturnis vigiliis precibusque, quibus plurimum ex solito insudare pergebat, tunc pro eadem etiam

1022. 15 Isa. 5, 20. 1028.

a) ictus 3. b) m. ubi b. 2. c) percrepuit 1. p. spiritum contr. 2. d) occupuisse 1. e) *deest* 2. f) provenit 1. 3. g) pugnavit 1. 3. h) nullo *codices*. ut nullus e. i. a. superstes ex i. i. fuisset c. *ed.* i) et Herichoni 1. 3. k) *deest* 3. l) *deest* 2. 3. m) ad quod 3. n) *deest* 3. o) sicut 1. p) hoc 1. 3. q) adicere 3. r) inuidia 1. s) ab istius etiam v. 1. t) dehaberetur 2. u) *deest* 1. v) saniores 2. w) a 3. x) quousque 1. y) incurrisse 3. z) ideo 3. *) Ernestus 3. a) *deest* 3. b) i. p. c. *desunt* 3.

35) Obiit 6. Non. Mart. secundum Necr. S. Maximini.

1028. sancti viri aegritudine forte detergenda plus solito incumbebat. Et primum coram Domino, quod tantum talemque ab ipso meruerit patrem, laudes dicebat[a], dehinc maeroris timorisque sui stimulos coram ipso ponebat, quibus talem in detrimentum gregis dominici amittere[b] timebat, omnemque spem recuperandi similem dehabebat. Quo in hac spiritus sui contritione pernoctante, precibusque coram Domino animi sui affectum commendante, vox ad eum divino certe oraculo[c] perlabitur, quae pro maerore ipsius deponendo in haec verba distinguitur: *Popponi*, inquit, *haec non ad mortem est infirmitas, cui ad augmentum virtutis suae in bis denos annos vivendi adhuc superest prolixitas.* Cuius quidem vocis oraculum[d] eidem pro novitate sui stuporis iniecit spectaculum, atque omne maeroris ab eo detersit piaculum; ita ut qui olim[e] inter spem et metum pro amissione sibi dilecti patris spiritalis dubium se habebat, iam tanto securus non se eum amissurum fieri inciperet, quanto amittere ipsum anxie ante timebat. Mirum enim in modum, qui ter quinos Ezechiae aegrotanti addidit annos, huic beato viro bis denos etiam superaddidit annos; illi quidem pro his quas coram se fuderat lacrimas[f], isti vero, quia pro eo ille[g] usus sit lamentis[h], qui ex eo[i] quod antea pastorem talem non habuerit, post[k] amissionem ipsius similem sibi futurum non speraverit. Et vere utrorumque sanctitas hoc obtinuit, quia quod hic Ernostus de patre spiritali audire meruit, ille quidem de se, si pro se rogaret, audire similiter ex merito potuit. Sed quia cum Martino nec mori timuit nec vivere recusavit, hoc alter pro eo obtinuit, quod ipse ut diximus ex merito invenire potuit. Ex divino itaque oraculo res effectum invenit, beatusque Poppo mox convalescens in excubiis gregis Domini 20 postea annos implevit.

18. Contigit interea Heinricum imperatorem, cuius saepe iam meminimus, vivendi[l] finem fecisse, Cuonradumque[m] tam nobilitate quam armis egregie commendabilem regno successisse. Sed quia, quae[n] numquam dehabetur, sitis habendi tunc amplius inter principes regni occasionem ingessit dissidendi, beatus Poppo vere euangelicae pacis filius, Dei virtute[o] comitatus, eam[p] in pacis redigere gratiam diu multumque est[q] conatus, tandemque desiderii sui satiem invenit, omnesque in unum pacis locum sua mediante sanctitate redegit. Sed et ipse animum regis nuper ordinati, de quo nichil adhuc certum aestimavit, prudentia et sanctitate ad amorem sui conparavit, ita[r] ut dilectio ab Heinrico in se quondam habita non deperiret, cum similem, immo maiorem in successore ipsius inveniret. Et quia ante quamplures annos Romani imperii cum Francis discordia non minima inoleverat, ipse inter 1032. utrumque pacis gratiam labore et industria sui paratam complevit[s], Cuonradumque atque Heinricum reges in consensum revocavit; quorum unus, id est Cuonradus, Romanorum sive Orientalium[t], alter vero, id est Heinricus, Occidentalium populis Francorum[u] imperavit. Erat enim ei cum utrisque par locus inveniendi quae poposcerat, utpote qui plurimum amicitia dictante penes eos valuerat; ideoque[v] discordia, quae inter ipsos[w] quasi quoddam senium longum duxerat, se[x] mediante in nichilum deperierat. Unde et invidendi in se occasionem quibusdam tribuit, quia id solus efficere valuit, quod ut[y] fieret, in multis effectus 16 iam olim pertemptatus defecit[16].

19. Argentinae interea civitatis episcopatum[17], regis Cuonradi iussione sibi praescriptum, tam callide quam humiliter declinavit; quia occasionem declinandi regi dictavit, dissimulate[z] videlicet se clerici dicens filium, canonicisque sanctionibus huiusmodi[*] fieri obnoxium, si pontificii temere praesumpsisset officium. At pro excusationis huius ficto[a]

a) ducebat 2. b) admittere 3. c) oculo 1. d) articulum 1. 3. e) prius 2. f) que coram se f. lamentis 2. g) *deest* 1. h) lacrimis 2. i) qui ex eo *desunt* 1. k) et 1. et post 3. l) *deest* 1. m) Conr. 1. 3. *const.* n) ne 1. o) virtutum 1. p) eos 1. illos 3. q) *deest* 1. r) *deest* 1. *Hic desinit* 2, *reliquis intercisis.* s) complet 3. t) orentalium 1. u) Franchorum 1. v) ideo 3. w) eos 3. x) ipso 3. y) et 1. z) dissimulante 3. *) *deest* 3. a) fictione 3.

16) Ann. Laub. SS. IV, 19: *A.* 1032 *Cuonradus imperator cum Heinrico rege amicitiam firmat.* Ea occasione ut videtur Poppo concambium quoddam fecit cum Nanthero abbate S. Martini Metensis *apud Duullam ubi colloquium fuit inter imperatorem Cuonradum et Heinricum regem Franchorum.* Chartam e chartario Stab. edidit Martene Coll. II, 56. Huc pertinent quae Sigifridus abbas Gorziensis scribit in epistola ad Popponem, qua ad impediendas Heinrici III et Agnetis nuptias eum provocare studet, nuper a V. D. Büdinger typis exscripta: *Memini praeterea dudum cum pater eius filiam suam regi Francorum desponsare vellet, et hoc contra fas sicut in praedicta figura cognosci potest, agere disponeret, multos fuisse qui imperatoris maiestati placere volentes, tales nuptias bene et utiliter fieri posse persuadere contenderent, eo quod per ipsas duo regna in magnam pacem confoederari vel in unum redigi sperarent.* 17) Wernherus episcopus Argentinensis obiit 1029.

aliquantum tunc rex erubuit, et quasi synodali praescripto conventus super hoc ad praesens conticuit. Sed non multo post ab Ermengarde, nobilissimi principis Godefridi filia, didicit quoniam beatus Poppo non clerici, ut ipse regiae maiestati finxit[a], sed laici ingenuitate et militia egregii filius fuerit[b]. Unde et eum postea beatum virum evenit convenisse, et pro excusatione iussioni suae[c] callide excogitata redarguisse. Sed ille, sicut[d] quem Deus humilitate et subiectione totum resperserat, regiam in se obiectionem humiliter detersit, affirmans se ad id negotii minus idoneum existere, qui se in administrandis quae sibi tunc fuerant pastoralibus non videbat sufficere. Cuius humilitas quia ceterarum virtutum eius indicio regi fuit, totius consilii viribus idem mox rex incubuit, quatinus ipse[e] eas regni sui abbatias illum[f] administrare iuberet, quas aliquando pastoribus destitui videret; quod et factum est. Nam quascumque rectoribus viduatas aperiri contigit, ut ei mox[g] conferret dilatio nulla prohibuit, licet ipse ab eis pro humilitate aliquantulum delituerit, atque erga regiam iussionem impossibilitatis excusationibus usus fuerit. Et primo Lintburg in Vosago situm, quod hereditaria sorte sibi iam olim in manus venerat, probabilium cum[h] astipulatione testium beato viro delegaverat, et pro struendo inibi in honore sancti Iohannis euangelistae coenobio preces intenderat. Qui ex regalium precum edicto eundem locum, ferarum iam tunc cubile, multo cum labore excolens, servorumque Dei conventiculis habitacula non vilia exstruens[i], Christi iugum leve sub monastica institutione ipsis iniecit, tum Iohannem nepotem suum tam eo, quam apud Sanctum Maximinum Treverensibus praefecit. In quamplurimis proinde monastici instituti coenobiis a praefato iussus rege primus successit, rectoresque singulos in singulis[k] ingessit; apud Herosfeldiam quidem Ruodonem[18], Pathalabornensem postea antistitem; ad Sanctum Gallum versus Alpium iuga Norbertum[19], et in Wizenburg[l] Folmarum[20]; Epternaco[m] quoque Humbertum[21], vita et moribus adeo praeclarum. In his itaque tam consilii quam impensarum administratione, regiminis statum astipulavit; tum in singulis omnia et in omnibus singula, ut oportuit et decuit, ampliavit. Ex suarum praeterea precum obtentu Heribrandus in cella sancti Gisleni, Everhelmus[n] quoque in Altomonte[22] rector coepit haberi. Apud Bruwillarium[o] vero, quod ab Ezone[p] Palatii administrante comitatum suscepit, Ellonem[q] omnibus eiusdem loci[r] habitaculis a fundamento extructis praefecit[23]; atque in Busendorf[s. 24], quod largiente sibi Adalberto[t] comite in manus venerat, similiter sub Conone[u], quem rectorem illo[v] subrogaverat, monachorum gregem aggregaverat. Sed et apud Traiectum, quod Fresiam respicit, ab Adalboldo eiusdem civitatis episcopo coenobium sancti Pauli regendum suscepit, ibique Herigerum[w] tam prodesse quam praeesse praecepit. Tum eo humanis rebus exempto, geminos[x] in regimine viros vicissim sibi succedere dedit. Non multo post vero memoratus antistes Adalboldus hortatu beati viri ad monastica instituta aspiravit, omnemque illi in pastoralibus pontificii sui administrationem commendavit; quam tamen ex praescripto[y] beati Popponis iterum[z] recepit, et in ea quo advixit sub monachili tunica non defecit. In Willario[*] praeterea[a] Theodericum, et Metis apud Sanctum Vincentium praefecit Heribertum, in Walciodoro quoque nichilominus Lambertum; quae quidem monastici vigoris coenobia per Theodericum Metensium antistitem divina sibi indulsit gratia. Apud Sanctum Eucharium etiam Treveris Bertulfum in regimine promovendo roboravit[25], quod sibi gratia regendi Treverensium archipraesul Poppo condonavit.

20. Iohanne igitur nepote beati viri ab eodem apud Sanctum Maximinum, ut praefati iam sumus, in regimine iam promoto, seque ab oneris sui pondere paululum remoto, Stabulaus ire perrexit, ubi se prius in agendis institutionibus monasticis artius fixit. Qui in ipso monasterii introitu a quodam Iohanne, nomine non opere monacho, intuitus, odiis et blasphemiis ab ipso[b] incredibilibus est habitus, ita ut ab ipso magis mortuus eo ferri optaretur,

a) finxisset 3. b) fuerat 3. c) sue iussionis 3. d) *deest* 3. e) ipsi 3. f) *deest* 1. g) *deest* 3. h) *deest* 3. i) extruxit et 3. k) in sing. *desunt* 3. l) Wiszenburg 3. *deinde* Fulmarum 1. m) haternaco 1; *manus saec. XV. superscripsit* epternaco. n) Euerelmus 1. Euerlinus 3. o) Brunw. 3. p) Elone 3. q) Euonem 3. r) *deest* 1. s) Bosenthrop 1; *pro quo idem qui supra correxit* Bosendorp. t) Adarberto 1. u) canone 1. v) illic 3. w) Erigerum 3. x) duos 3. y) proscripto 1. z) item 1. *) Inmwilrario 1. a) prefecit 3. b) incr. ab illo 3.

18) a. 1031. v. Ann. Hild. 19) a. 1034. v. Mon. SS. II, 155. 20) post Liuthardum qui Kal. Nov. 1032 obiit. 21) iam a. 1027. Mart. Coll. IV, 508. 22) nunc *Haumont*, ad fl. Sabim. 23) a. 1030 ordinatus est; v. Mon. SS. II, 216. 24) d. Met. nunc *Bouzonville*, ad fl. Nied, fund. ab Adalberto com. Alsatiae. Consecratum est 1033, Ian. 31. 25) Bertulfus S. Euchario praeerat ab anno 1023; v. Mon. SS. V, 10.

quam vivus tunc suis visibus praesentaretur; qui nequitiae suae consensum cum blasphemantibus adiungens Phariseis, de quibus voce Veritatis dicitur: *Si patremfamilias Belzebub vocaverunt, quanto magis domesticos eius?* non semel[a] os in virum Dei conviciando laxavit, sed saepius mortem ipsi optando, superbiae verba reiteravit. Sed quia beati viri mortem cum fastidio videndi[b] eum optavit, ipse mortem sui non multo post exinde comparavit. Nam ut ficus illa in euangelio ex sententia Domini quondam aruit, ita et[c] hic ex vindicta Domini in servo suo totus mox arescendo palluit, atque cum ipso blasphemiarum in virum Dei momento eum mortis occasio subintravit, atque ita ipsum ad usque ultimum vitae suae dolor horrendus praeoccupavit, donec morte pessima ipse nichilominus de medio fieret, atque ulterius blasphemandi alios finem faceret.

Matth. 10, 25. — Matth. 11.

21. Alio quoque tempore post vespertinam synaxim in cella degebat, sermonemque cum aliquantis fratrum[d], secum tunc similiter agentibus, non ab re trahebat; cum uni eorum, Adalberoni nomine, ut superius cellae ostium occluderet[e] mandavit, eidemque pro nocturnarum tenebrarum horrore saepius refugienti instare non cessavit. Ille vero qui inobedientiae vitium semel et secundo subiit, tandem compulsus ad sibi iussa tam tepide quam trepide abiit, atque eo quo iussus[f] fuerat, solus pervenit. Quem quia viro Dei non mox parere per inobedientiae stimulos spiritus malignus suasit, eum evestigio ipse invasit, ita ut inconditae[g] vocis stridore quosque undecunque cieret[h], tamque subito non sanae mentis suae spectaculo eos qui convenerant permoveret[i]. Ligatus ergo in oratorium adducitur, atque in medio coram disponitur; ubi a fratribus orationi instantius pro eo[k] insistitur, tum divinae incantationis erga spiritum illum pestilentem exorcismus admittitur. Neque enim beatum Popponem causa rerum gestarum latuit, quae ex praedicti fratris inobedientia sibi innotuit. Qui mox summa cum gravitate ad fratrem illum non sanae mentis devenit, alapam tantum, ut alter Benedictus, in faciem illi dedit, spiritumque malignum sine mora eiecit. Nullique dubium sit eum prece non praemissa hoc posse, cum beato Gregorio in Dyalogis suis asseverante, sanctorum quique signa aliquando ex prece, aliquando peragant ex potestate. Et hii quibus secundum Iohannem dedit Deus potestatem filios Dei fieri, quid mirum, si per eos signa ex potestate valeant fieri, qui ex potestate sunt filii Dei? Nam et Petrus Thabitam orando suscitavit, Ananiam vero et Saphyram increpando in mortem stravit; quia vitam, quam illi ex prece contulit, istis mentientibus ex potestate abstulit. His in argumentum huius signi sic se habentibus, cetera quae de viro Dei[l] sunt, delectamentum sui praestent legentibus.

Dial. lib. II. c. 30. — Ioh. 1, 12.

1033. 22. Interea tam Malmundariensium quam Stabulensium locorum[m] renovationi operam dedit, in qua affectus sui effectum Deo opitulante tandem invenit. Et apud Malmundarium quidem criptam, ut facile cernere est, funditus exstruxit; Stabulaus vero, quia omnes cum monasterio officinas pro parvitate[n] sui vilescere invenit, funditus eas eversum ire coepit, atque in habitaculis amplioris[o] situs extruendis plurimum impensarum admisit. Sed quia his humani generis hostis solito invidebat, fraudum suarum laqueos adnectebat, si forte virum Dei coepto opere praeoccuparet[p], immo per eorum qui eidem tunc operi insudabant, offensam retardaret. Nam Hubaldo cuidam, cuius ingenio et labore id opus satis processit, praecipitium a cancello ingessit, ita ut toto corpore collideretur, omnisque virium spes praeter solum suspirare iam in eo non haberetur. Cuius casu vir Dei comperto, tam pro eo quam pro operis destitutione adeo condoluit; sed[q] tamen in hoc solitas medendi vires ex sanctitate et virtute sui non dehabuit. In sua namque semotius eum transferri iussit atque locari, et ex propriis, sicut eum oportuerat, in cunctis accurari. Proinde ipsemet quiddam[r] cibi et potus sibi illati benedictione etiam addita illi dirigit, eumque, mirum dictu! ad salutem exinde mox erigit. Unde et diabolicae fraudis eum subito machinamenta contigit elusisse[s], omnemque cum collisione memorati Hubaldi maerorem detersisse; ita ut qui pro vita sua diffidentiam incussit cernentibus, iam suis omnino ad opus pristinum resumptis viribus, iocundum[t] spectaculum e contrario et gaudium ingereret videntibus[u]. Iamque opus illud in altum processit, omnemque tam longe quam late locum e regione respexit, atque cooperante septemplici Spiritus sancti gratia, omnis per septennium in illo sui redundavit efficacia. Neque enim[v] eiusmodi vir Dei sufficere credidit; sed in augmentum decoris plura

a) solum 3. b) uiuendi 1. c) *deest* 3. d) fratribus 3. e) accluderet 1. f) ius 1. g) incognite 3. h) sciret 3. i) promoueret 1. k) p. e. *desunt* 3. l) de uiri 1. m) locum 3. n) pravitate 3. o) ampliorībus 3. p) occuparet 3. q) *deest* 1. r) quoddam 3. s) eludisse 1. t) *deest* 1. u) cernentibus 3. v) *deest* 3.

ornamentorum pondera[a] addidit. Nam calicem mirae magnitudinis auro gemmisque egregie condonavit fabrefactum[b], et in corona auri argentique non modicum expendit apparatum; tum in[c] additamento[d] his quamplura per beatum virum dona dedere ornatum. Et ut haec[e] breviter in scriptis se habeant, quaecumque in tabula, cappis, palliis reliquoque ornamento eo loci aut sunt aut fuerant, consulto et opera[f] beati Popponis illo esse coeperant. Marmoreas proinde columpnas ad id similiter opus, divina vere provisione, inibi invenit, ubi nulli umquam eius natura loci[g] marmor invenire dedit. Et vere se iam olim iaciente fundamentum, incepti quondam operis Deus superaedificavit proventum, ut cum apostolo littera et spiritu illud[h] dicere posset, quod in eiusdem ore apostoli spiritu tantum se habet: *Secundum gratiam*, inquit, *quae data est michi, ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superaedificat.* Quis inquam superaedificat, nisi ille, quo non aedificante in vanum laborat qui aedificat? Tam egregie praeterea quam strennue eiusdem ecclesiae administratio perficitur[i], proque consecratione et in honore sancti Petri sanctique Remacli crismatione ipsius in omne consilium a sancto viro descenditur. Unde et ad[k] id negotii Herimannum Agrippinae Coloniae archipraesulem Nizonemque[l] Leodicensem evocavit, quibus episcopos abbatesque quamplures eiusdem rei occasio una sociavit; tum ut honestius hoc commendaretur, imperialem Heinrici maiestatem invitavit, cui post Cuonradum patrem successio iusta[m] imperium aspiravit. Praefinitus[n] certe dies iam effulsit[o], qui ad eandem domum Domini consecrandam et crismandam Nonis[p] Iunii[q] illuxit, ubi non modica cum memoratis viris turba confluxit. Quantos autem impensarum donorumque usus tam imperiali praesentiae, quam reliquis[r] optimatum ad praesens tunc exhibuerit, quis[s] pro iis scribendi modum dare poterit? Sed et[t] a praefato Heinrico sui iuris in Amblavia cespitem, qui in duodecim fere mansos[u] extendebatur, testamentis legalibus ad[v] eiusdem loci usus astipulatur, ac deinde eundem enceniarum diem ex concursu populi ulterius celebrem decrevit. Unde etiam usque in[w] praesens undecunque a populis ad praescriptum diem accurrendi mos inolevit. Malmundarium insuper, quod praefato loco tam attinere quam adiacere semper habuit, ut firmius ad eundem locum respiceret, per scriptum[x] imperiale sententiam posuit, confirmatis etiam his, quaecumque eo loci iuste videbantur pertinere, ne quis iniuste appetendi ea facultatis iura ulterius posset habere[26]. Sed et beatus Poppo, ut Malmundarienses professionis suae

1 Cor 3, 10.

1040. Iun. 5.

a) pondere 3. b) fabricatum 3. c) *deest* 1. d) ornamento 3. e) *deest* 3. f) opere 3. g) *deest* 3. h) id 3. i) proficitur 3. k) *deest* 3. l) Niconemque 3. m) successi iuxta 3. n) Prenitus 1. o) effluxit 1. p) nobis 1. q) Iulii 3. r) *deest* 3. s) qui pro his scribendum modis 1. t) *deest* 3. u) mansus 3. v) ab 1. w) ad 3. x) *ita emendavi;* proscriptum 1. prescriptum 3.

26) v. privil. eius in Mart. Coll. II, 59. Dedicationis dies notatur in Kalendario et in Missali Stabulensi. Subiicimus narrationem huius rei sumptam e Mart. Coll. l. c. ubi ex veteri manuscripto edita est; priorem eius partem usque ad verba *decernendo sancivit* emendavimus ope chartarii Stabulensis. *Dedicatio ecclesiae Stabulensis. Anno ab incarnatione Domini* 1040 *Nonis Iunii* (dies deest in ch.) *dedicatum est hoc monasterium* (*est monasterium in Stabulaus* chart.) *in honorem beati Petri principis apostolorum, Pauli atque Remacli a venerabilibus episcopis Herimanno archipraesule sanctae Coloniensis ecclesiae, Nithardo Leodicensis, Herimanno Mimigarvordensis, Richardo Virdunensis, Gerardo Cameracensis, Heinrico III rege praesente, domno autem Popone abbate* (*praesente, abbate autem Poppone* chart.) *vicesimo anno ordinationis suae abbatiam regente, quod ipse* (deest in chart.) *a fundamento restauravit atque ut nunc patet ad effectum perduxit.* (In chartario additur: *Hic domnus abbas Poppo piae memoriae ob memoriam sui tradidit in dotem altaris ipso anno ipsa die duas villas Phisinas atque Pheham, quas ex industria redemit in restaurandis sarta tectis totius monasterii.*) *Muralis autem ambitus ad tuitionem eius in modum mediocris oppidi compositus ipsa die in sepulturam defunctorum ortodoxorum taliter est consecratus. Nam corpora beati* (*beatorum patroni n. scilicet R. Iustique mart. ac plur.* chart.) *patroni nostri Remacli nec non Iusti martyris et plurimae reliquiae pretiosae cum aqua exorcisata exterius in circuitu eius lustrando vehuntur, gyroque peracto cum maximo cleri plebisque tripudio laudes celebres in sublime exaltando ad eundem aditum reconsignantur atque cum eadem insigni processione porta praescripti coenobii repetitur, in qua peracta sacerdotali benedictione rex cum memoratis episcopis atque proceribus suis se obvium sanctis exhibuit, ad excitandam gloriam diei in plebem sermonem episcopo facere praecepit* (haec in ch. erasa sunt). *Subinde quatinus regali munificentia donarentur, benigna largitate providit. Nam protinus pro remedio animae patris et suae in Amblava curte* (*in A. c.* desunt M.) 12 *mansus cum* 30 *mancipiis utriusque sexus incolarum* (*incolatum* ch.) *ritu eos excolentibus* (*excolendos* uterque), *lypsanis in altari principali locandis ex hereditate propria contulit. Ad haec quoque ne praeclara dies Christi cultibus mancipata vicinorum atque exterorum privaretur frequentia, ex eo occasione nacta mercatum publicum per singulos annos ipsis Kalendis biduo complendum decrevit* (*accrevit* ch.), *atque venalitatem et emptionem cunctis praesentibus pariter cum Heinrico duce Bawariorum inchoavit* (*duce H. incohavit* ch.). *His ita gestis ministris loculum patroni nostri ferentibus*

sponsionem apud Stabulaus agerent, perpetua lege[a] stabilivit; atque exinde in omnes successores[b] huiusmodi sententia exivit[c]. Consecrata autem et crismata est praefata ecclesia

a) ratum *add. Boll. et cod.* 3; *deest et in cod. Stab. cuius specimen Martene dedit.* b) ipsorum *add. Sur. Boll.* c) *ita* 1. 3. *et cod. Stab.* manavit *Sur. Boll.*

auxilio sese gerendo mancipavit, sicque cum clero debita processione vacando ac plebe immensa ad locum, ubi nunc reconditum est, cum magna devotione idem praefatus rex (*i. p. r.* desunt ch.) *transtulit. Post evangelium vero sollempnis missae domno abbate poscente* (*presente* ch.) *privilegium Gregorii papae, patrui scilicet patris sui, loco pro tuitione et querela insidiantium concessum publice recitare fecit, idque a circunstantibus approbatum regali etiam auctoritate corroboravit. Huic etiam beneficio aliud addidit; nam praecepta regum antiquorum Sigiberti scilicet, Chlodovei, Hildrici, Dagoberti, qui constructores extitere locorum, representare iussit sibi, nec non imperatorum Carlomanni filiique sui Ludowici atque augustorum Ottonum, diligentique examinatione seriem veritatis per ea legendo discutit, et quicquid in sanctae ecclesiae ditione a priscis modernisque temporibus concessum adhuc inconvulsum comperit, suo quoque testamento confirmavit. Insuper quicquid praedecessores Heinricus ac pater eius Cuonradus imperatores coenobio diu ablata divina miseratione tacti* (*moti* ch.) *restituerunt, in eo inserere* (*inseri* ch.) *fecit, sigilli impressione manusque subscriptione munivit, atque* (*m. a.* desunt ch.) *ad obstruenda in futurum praeiudicia in generali Aquisgrani palatio optimatum suorum atque aulicorum* (*sublimium* ch.) *deliberatione suaque praesentia ratum fieri decernendo sancivit.* 1042. Mart. 4. *Praeterea eodem adhuc abbate vita comite infra biennium dedicationis praescriptae repertum est patroni nostri sepulchrum, plurima intercapedine temporum impediente nobis celatum. Inventum quippe est* 4. *Nonas Martii diebus sacrae quadragesimae, desideriis nostris superna gratia favente vero indicio omnique summota ambiguitate. Nam sicut a patribus nostris veridica relatione est relatum scriptoque proditum, Goduinus qui quartus in regimine loci beato confessori abba successit, ab oratorio sancti Martini, ubi prius humatum continebatur, in monasterium principale sanctorum apostolorum Petri et Pauli ab ipso sagaci industria constructum ac consecratum, officiosa devotione* 7. *Kalendas Iulii* (685) *transtulit, quaeque etiam in tam magnifico negotio expediebant, congruo honore efficaciter adimplevit. Siquidem lecticam auro argentoque suis expensis digna decoris praerogativa fabricatam praeparavit, in quam iam arida ossa a corrupta eius carne sequestrata locavit, retroque altare praescriptorum apostolorum in sublime, ut esset omnibus evidens, condigno apparatu statuit; sinceritatem etiam eiusdem benignae devotionis in tumulo eius impendit, quia subtus eam in inferiori parte terrae commendavit pavimentoque firmo ad tutelam fidelibus posteris non ignava fide munivit. Sed invalescente persecutione paganorum atque Lotharingiam provinciam ceterasque frequenter hostili immanitate atque incursione vastante, postquam praedictum monasterium ab invisa gente Danorum est combustum* (881) *et ideo casum minante ab abbate Odilone propensiori opere atque eminentiori in ipsis fundamentis est restauratum, nullum sepulturis irrogatum est impedimentum, quia latitudo eadem totius detrimenti tulit occasionem. Noviter autem et ipsum dirutum excellentiorique gratia, longitudine, latitudine, crassitudine, sumptuosoque decore praesens restitutum, sed a fundamentis duorum seclusum, multorum abolita est memoria monimentorum inibi positorum, insuper patroni nostri, generali atque inevitabili iure mortalitatis veritate patrum sublata priscorum. Diversarum etiam rerum impediunt nunc species, maceriarum dilapsarum ruderumque congesta congeries, pavimentorum novorum superinducta planities, subinde telluris herbidae sub nudo aere insolitarum foecunditatum ubertates, plurimaeque varietatum obiectae imagines. Nam patrum nostrorum relatione ex eo fidem opinio nostra conceperat, sed ad confirmandum veritatis argumentum facultas non suppetebat, quia designatus locus aevo cesserat ruinaque murorum altarisque omnia vestigia quaerendi abstulerat; sed postquam ea impedimenta fuerunt extrusa, desiderii nostri repensatur gratia, atque apparuit quod diu quaerebamus multa indagine adhibita. Ergo postquam invenimus, ut aequum dignumque erat divinae dispensationi gratias immensas retulimus, et dum urgente necessitate a terra machinamentis inibi congruentibus elevamus, excepto demolitae carnis eius pulvere sanguinem eius quasi in futurae resurrectionis gloria reservatum in vitrea ampulla subtus illud stabilitum invenimus. Ad quam recipiendam dum inconsulta aviditate properatur, rationique prudenti renititur, peccatis nostris machinantibus sacrum vas conlapsum colliditur, ipsumque pretiosum thesaurum negligentia maxima agente sparsim super terram effunditur, sed superna gratia interveniente ac vires nostras reparante, spem nostram nimio moerore dissolutam bona fiducia refovemus, ipsumque cruorem diligenti cautela et examinatione cum ipsa terra recolligimus, et quia privatis publicisque nostris cunctorumque ortodoxorum commodis necessarium spiritualiter providebamus, in theca modica fideliter servandum recondimus. Locus autem sanctificationis atque inventi sarcofagi, quia digna ibi veneratione non fas erat excoli — nam pervius aditus atque exitus arcebat claustri — insuper morosa deliberatione intercedente omnes reliquias dispersione acta non fuit possibile ad plenum recipi, decretum est praesentibus absentibus atque futuris, quod residuum ex eis inibi restabat hac ratione memoriae commendari. Nam infra muralem parietem in medio occultus arcus caementaria arte compilatus pavimentumque a loco illo sublatum atque propter tenacem soliditatem non adeo adhuc reperimus* (?) *partitione dissolutum, desuper reponitur, ut pia fide quaerentibus veritatis indicium certa astipulatione pandatur. Huius rei tot adhuc testes sunt incolumes quotquot ipsa die extitere praesentes. Testimonium quidem perhibet Gonterus, cui creditum est tanti mysterii sacramentum attrectare, qui praecepto Petri decani, nunc autem* (ab anno 1048) *abbatis,*

in honore[a] principis apostolorum Petri sanctorumque confessorum Martini et Remacli anno Domini 1040, indictione 8, Heinrici quoque imperatoris anno 2.

23. Tempore quo beatum Popponem Iohanni coenobium sancti Maximini regendum accidit commisisse, contigit et ipsum quaedam in visione super eiusdem regiminis receptione didicisse. Vox namque ad eum oraculo ut vere[b] constat divino advenit, quae eam certe sententiam audire dedit, quae ad Petrum olim a Christo prolata, passionem ipsius ita praevenit: *Cum esses, inquit, iunior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas; dum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo non vis.* (Ioh. 21, 18.) Divinitus hoc agi oraculum mox intellexit, atque prophetiae oculis aliter id[c] de se, aliter de Petro significatum conspexit. Sermonem interea super Iohannis saepe memorati regimine[d] ad fratres habuit, et de venturis tam in se, quam in illo, verba tamquam de praeteritis conseruit[e]. Hoc tamen saepius inculcando docebat, quod eundem iam Iohannem mortis occasus non longe respiciebat. Res itaque non post modicum ex condicto viri Dei effectum invenit, vivendique finem eodem nimirum anno ipse dedit. Quo de medio facto, quia caelestis[f] in se oraculi sententiam pro humilitate aliquantum declinare contendebat, in regimine Bernardum quendam succedere iubebat. Qui similiter annis vix duobus emensis, rebus humanis eximitur; nihilque exinde[g] quam metus cum stupore relinquitur. Ante proximam tamen exitus sui horam, fratribus sibi circumstantibus talem dictavit[h] sententiam, nullum excepto Dei famulo[i] Poppone promovendum[k] in regimine, ne similiter et ipse primo successionis vel promotionis suae deperiret in limine. Tandem ne divinum[l] ullo modo responsum evacuaretur, beatus Poppo idem coenobium sancti Maximini imperiali maiestate repetere iubetur. Sicque quod declinare frustra contenderat, licet invitus tunc subierat, atque ut in visione acceperat, manus suas ad pastoralia extensas praebuit, eoque ab alio ductus est quo ipse noluit. Sed Lintburg[m], cui similiter praedictus[n] dum advixit Iohannes praeerat, Gumbertus professione et loco sancti viri monachus regendum susceperat; sed[o] quod temere eodem beato non consentiente Poppone non suum praesumpserat, cum vita etiam sui non multo post amiserat, ita ut visceribus a se paulatim[p] digestis, diutina eum huiusmodi ad mortem usque pertraheret[q] pestis. Post quem Hagano nichil simile veritus subintravit; quem similiter gravis ad mortem casus occupavit. Godestinum[r] interea, cuius vita solitaria sanctitate et fama sui late iam percrebuit, a solitario et quodammodo heremitico proposito succedendi amor rapuit, ita ut reclusionis suae[s] claustra effringeret, solusque quasi ex sanctitate sui quod priores non poterant, ipse inpune se facturum[t] praesumeret. Sed quia cupiditatis suae se stimulis non sensit exagitari, quem fama sui usque adeo ab omnibus dedit hominibus[u] honorari, gravem viam mortis ex hoc incurrebat, quod velut suis ex meritis praesumere audebat. Nam tendens in altum cadit ab alto; quia quadam die in vallium ima a montis vertice casum dedit, mortisque occasionem exinde invenit. Sicque omnes qui erga beatum Popponem tam supplantationis quam concupiscentiae fraudibus utebantur, iu unum mortis locum colligebantur, paulatimque in dies coenobii illius status deperiit, et usque in praesens inopiae suae vestigia ostentare non desinit.

24. Residens ergo vir Dei Poppo Stabulaus, ubi stabilis laus a fidelibus perpetuo concinitur, ut hostias et laudes cum elemosinarum fructibus Deo persolveret, contigit quandam mulierem sensu perdito per montes et valles, campos et silvas, errando et dilacerando semet ipsam, ad locum ignoranter devenisse supradictum. Hospitio alioqui[v] vel municipio nullatenus teneri poterat, sed casu locum tunc memoratum subiit, et usque ad[w] secretarium viri Dei pervenit. Hora tunc erat, qua vir Dei missarum sollempnia expleverat, cum ministri aquam ad abluendas manus vel os porrexerant. Quod videns illa infelix mulier, eandem aquam in piscinam de more proiciendam petiit sibi hauriendam. Qua accepta, mentis insaniam non est ulterius[x] passa. Monstravit Deus in hoc facto, quanti meriti apud se extiterit

a) *ita* 1. *cum cod. Martenii;* honorem *rell.* b) rere 1. c) *deest* 3. d) regiminio 1. e) deseruit 1. f) *deest* 1. g) *deest* 3. h) sibi *hoc loco repetit* 1. i) e. prefato viro Dei P. 3. k) proponendum 1. l) diuino 1. m) Limburg 1. n) *deest* 3. o) sed — praesumpserat *desunt* 1. p) palatim 1. q) protraheret 1. r) Godestenum 3. s) *deest* 3. t) se facturum *desunt* 1. u) *deest* 1. v) *deest* 1. w) *deest* 3. x) amplius 3.

in virtute sacrae obedientiae cruentatis manibus lipsanas dispersas praesumpsit recipere, atque ad custodiendum fideliter in conclavi memorato retrudere. At ubi praedictus domnus abba, cuius haec absentia gesta sunt, rediens agnovit, omnipotentis Dei gratiam dignis laudibus extulit atque ipsum loculum cum pulvere sanguine cinere retro altare praedictorum apostolorum summa curiositate atque honore tumulandum tradidit; nec non ad recolendam tam praecipuam sanctificationem in posterum vario lapide marmoreo desuper strato eleganter decorare iussit.

sanctus iste. Quamvis enim dispar sanctitatis beati Benedicti patris monachorum fuerit, tamen in hoc opere imitator eius claruit; quia sicut ad illius specum[a] mulier sanata rediit per ipsius merita, ita ad istius cellam per aquam ablutionis manuum vel oris eius rediit et haec curata[b].

25. Stephanus quidam vir illustris, familiaritate beato viro coniunctus, deposito cingulo militiae in coenobio supradicto se contulit, ac monachum spopondit; qui senio iam fessus, diem exspectabat supremum. Visitatus ergo a fratribus dixit se velle mori, sed absque patris licentia non posse. Qui vocatus, benedictionem et viaticum ei sicut petebat indulsit, sicque discessum est. Vir Dei ad cellam[c] unde digressus est[d] rediit, et Stephanus viam universae carnis ingressus est. Quis non miretur tantam[e] patris auctoritatem, et fidem discipuli morientis? Antiquorum patrum gesta per hunc sanctum renovari videmus.

26. Atrebatensium interea rector Iohannes hac de luce subtrahitur, sanctitatisque beati Popponis occasio Balduino[f] marchiso pro successione[g] ingeritur. Qui super hoc internunciis sibi concurrentibus diu multumque laboravit, et licet sero, sancti viri ad id votum impetravit. Licentia tamen imperialis, quam in hoc idem marchisus adhuc restare videbat, non statim id fieri sinebat, praesertim cum multa tunc temporis esset dissensio, Orientaliumque atque suorum valida inter se contentio. Eadem tandem a rege licentia beato Popponi permittitur, atque ita Atrebatum[h] usque advehitur. Et primum a Naumene[i] civitate[27] cum Wazone episcopo Leodium devenit, qui sibi spiritualis occasione amoris semper animo insedit[k], quem etiam a Leodio olim invidia pulsum ipse suscepit, penesque se eum adprime accurare coepit, tum etiam aliquantis sibi succedentibus diebus illo unde exulaverat revocavit, consultoque sui et favore postmodum ad pontificium delegavit. His etenim inter eundum sermo de caelestibus exoritur, animusque ad superna pariter suspenditur: cum ecce beatus Poppo cursu ante praerepto: *Eya*, inquit, *iam nunc te praeeo;* aliud videlicet agens, aliud vero prophetiae spiritu super obitu sui iam imminente significare volens. Susceptis interim a praefato antistite his quibus se tunc ad praesens opus habere videbat, Atrebatum usque ut praelibavimus deveniebat. Ubi pari omnium affectu egregie suscipi meruit, utpote cuius sanctitas olim ipsis de se satis[l] experimento fuit. Singulis proinde res pro dilectione ipsius agitur; et quod cuique usque ad tunc suum fuit, coram ipso ponitur, ut vere apostolica inter eos tempora haberentur; dum singula ab ipsis quibus cor unum et anima una erat, ante pedes apostolorum ponebantur. His itaque[m] magis prodesse[n] quam praeesse coepit, et administrandis[o] cum utili et honesto eorum rebus Emmelinum virum prudentem praefecit, qui praefati antistitis Wazonis carne germanus, sanctique viri cooperator et ut vulgo dicitur dextera fuit manus. His ita se habentibus, ad beati viri de hac vita exitum stilum vertamus.

27. Praesciens itaque beatus Poppo discessus sui ex hac carne horam se prope respicere, iter quod Stabulaus spectat, perrexit intendere; ut locus ille, qui se artius sub monastica habuit institutione, sibi in sua non deesset depositione[p]. Discedens vero inde, caritatis vestigia suis reliquit, singulisque per tricenos[q] dies singulos dari biberes praecepit. Quod quidem caritatis edictum per totidem dies penes eos inolevit. Precibus itaque admissis, licentiam marchisi super hoc invenit, sicque reversionis suae viam adire coepit[r]. Praefatus tamen marchisus Marcianas[28] coenobium tutelae ipsius delegavit, et ut in ipso regressionis suae articulo singula illic accuraret, mandavit. Quod quidem oneris[s] magis invitus, quam spontaneus subiit, locumque illum tam visitatum quam accuratum abiit[t]. Ubi honestate et severitate[u] egregie distincta monachorum illic accurrit[v] processio, quae indicio videntibus fuit, quanta sanctitatis ipsius in illis extitit dilectio. Coepit interea cunctis singula quae usui forent[w] providere, et ut euangelicus ille dispensator necessaria sine typo praebere. Sed quia multimoda se rerum occasio alias trahebat, nec se solum ad omnia sufficere videbat, in administrandis his Balduinum, Atrebatensium postea abbatem, secundum sibi promovebat. Et iam ultimo exitus sui tempore imminente, seque in cella paululum sopori indulgente, sompnia

a) spetiem 1. b) est *add.* 3. c) in cella 3. d) erat 3. e) tanti 1. f) Baldewino 3. *constanter.* g) successore 3. h) Atrabatum 1. i) pr. anamtene 1. in Namnene 3. k) sedit 1. l) desatis 3. m) *deest* 3. n) subesse 3. o) et in a. 3. p) dispositione 1. 3. q) trecentos (*deest* per) 3. r) incepit 3. s) onus 3. t) habiit 3. u) securitate 1. v) illi occurrit 3. w) fuit 1. fuerant 3.

27) Namurcum scilicet, Gallice *Namur*, urbs celebris, quae hic Naumene dicta videtur a Namen, quo nomine a Teutonibus designatur. Nannetem in Aremorica interpretatus est Surius, sed quid hic cum Britannia commune? MAB. 28) d. Atrebatensis. Albericus abbas 4. Non. Ian. a. 1048. obiisse traditur.

fantasticis, immo diabolicis imaginata illusionibus se praetendunt, daemonemque quasi propter adstantem sibi ostendunt, qui minas viro Dei iniecit, illoque de loco eum citius migraturum adiecit. Cui vir Dei: ***Deus**, inquit, **cuius nutu huius loci in me processit administratio, per eum quando vult et quomodo vult, me hinc respiciet discessio.*** Et mox daemon impetu dato, 5 ipsum[a] nisus est appetere, gravemque ei[b] per visum molestiam inicere. Unde et fantastica illusione constrictus, versum illum ex 123. psalmo subinferendo exclamavit: ***Adiutorium**, inquit, **nostrum**[b] **in nomine Domini.*** Eoque clamoris sono tam ipse, quam qui coram se obdormierant, expergefactus evigilavit. Qui lucernam, quae sibi prae se eo quidem noctis tempore lucere solebat, extinctam conspexit; hocque inimicum efficere, evidenti praeteritae 10 visionis indicio intellexit. Nec mirum esse debet, haec in virum Dei per sompnia daemonem valuisse, quem nec per sompnia aut in enigmate[c], sed facie ad faciem ipsum verum Deum verumque hominem scimus temptando petiisse, tum de loco ad locum pro nequitiae suae voto duxisse. Ipse est etenim, qui humani generis calcaneo insidias fingit; et cum sanctis importuna malitiae suae bella intendit, nunc his visibilem quodammodo se praeferens, nunc 15 fantastico illis sompniorum horrore se ingerens. De quo etiam sompniorum genere illud[d] scriptum legimus: ***Multos errare fecerunt sompnia; et exciderunt sperantes in illis.*** Et licet paululum a proposito digredimur, tamen id quod propositi[e] occasione ingestum est loquimur. Sciendumque est, secundum plerosque sex, et secundum plerosque quinque sompniorum modos tantum inveniri. Et sex quidem, ut in[f] divinis paginis legimus, non ab re hic inter- 20 serimus, quae ventris plenitudine, inanitate, illusione, cogitatione simul et illusione, revelatione, cogitatione simul et revelatione, eveniunt[g]. Sed duo, quae prima[h] posuimus, experimento noscuntur; reliqua vero quattuor attestante beato Gregorio in divinae scripturae paginis inveniuntur. Et quidem beatum hunc virum Dei Popponem illusione constat temptatum, quem tamen ab eius laesione pro sanctitate sui, sibi Deo suffragante, vere credimus 25 conservatum. Qui vero praefatorum distinctiones sompniorum in quinque tantum modos nosse desiderat, Macrobium in sompnium Scipionis legat, dum nichil diversum inter utrumque reperiatur, si intime eorum significatio inspiciatur. Sed his occasione, ut diximus, propositi[i] intersertis, reliquum de beato viro his commendetur in scriptis, quem Deus a negotio perambulante in tenebris, et ab incursu daemoniaco defensionibus protegebat assiduis. Signo 30 interea crucis sibi facto, servitutisque divinae penso, quo reliquum noctis impendebat, peracto, valida febrium vi[k] incepit fatigari, atque inexhaustis doloribus iam ad ultima vitae provocari.

Eccli. 34, 7.

Dial. 4, c. 48.

Macr. III, 3.

28. Unde et domnum Everhelmum[l] Altimontensem abbatem, qui secutus eum usque illuc fuerat, ceteris una cum fratribus evocans, resolutionis suae diem imminere praedixerat[m]. 35 Deinde ad visitationem unctionemque sui praefatum abbatem nichilominus admonuerat. Adiecit insuper eidem, ad pristinum professionis suae locum Stabulaus se post mortem ab eo deferendum, corpusque sui[n] a laesione ferri alienum, illo dormitionis suae locum obtinendum; singulas[o] etiam declinandi mansiones sibi mortuo praevidens, quas si[p] utique adviveret, ipse vivus ad simile hospitandi opus esset eligens. Expletis deinde pro se omnibus, 40 cilicium quod sibi sterni fecit[q] nudis adierat pedibus, terramque tam pectore quam corpore prono deosculans[q], se supinum collocavit; tum responsorium se circumstantibus iniungendo, hoc[r] dumtaxat modo inchoavit: ***Subvenite, sancti Dei, occurrite, angeli Domini;*** quod quidem iniunctum circumstantium caterva fratrum excepit, atque in finem usque cum subiuncta etiam letania perfecit. Post cuius expletionem ipse mirum[s] in modum ad se rediens, rursum 45 resedit, initiumque loquendi ita insuper dedit: ***Noveritis certe, fratres, quaedam in agendis per me rebus restare, Deumque loquendi adhuc vobis spatium michi praestare.*** Nec ab re haec ad se rediens dixerat, quia quae oportuerant minusque necdum impleverat, dicendo et agendo postmodum effectui mancipaverat. Et primum in erogandis, quae sibi eatenus fuerant, rebus consultum admisit[t]: ex quibus quaedam ecclesiis Dei in augmentum misit, quaedam vero 50 amicis pauperibusque[u] Christi in monimentum sui dispersit; et ita omnem inimico avaritiae suspicionem ipse detersit, illud apostolicum recolens: ***Nichil in mundum hunc**[v] **intulimus, sed nec auferre quid**[v] **possumus.*** Theodericum interea, quem ipse olim, ut praefati sumus,

1 Tim. 6, 7.

a) in eum 3. b) *deest* 3. c) a. enigmata 3. d) id 3. e) proposite rei 3. f) *deest* 1. g) *deest* 1. h) primo 3. i) rei proposite 3. k) egritudine 3. l) Euerelmum 1. Euerlinum 3. m) predixit 3. n) suum 3. 55 o) singulis 1. p) quasi 3. q) f. n. a. p. t. t. p. q. c. p. deoscu *desunt* 3. r) *deest* 1. s) nimirum 1. t) amisit 1. u) *deest* que 3. v) *deest* 3.

in omni doctrina nutriebat, adire suis[a] quantocius[b] iubebat, ut imperialem praesentiam pro ipso suis ex verbis festinarent compellare, atque in regendo[c] sancti Maximini coenobio pastoralitatis curam subire. Cui cum adstantes dicerent: *Quid super Stabulaus decernitis agendum? Nichil*, inquit, *aliud michi*[d] *vobis super hoc dicendum, quam quod soli Deo illud a me est committendum. Hoc, ut dixi, soli certe Deo committo, nec alium quam ipse praeviderit rectorem admitto.* Sacerdotali demum auctoritate et stola criminum veniam fratribus impendit, orationisque verba cum manibus hunc in modum extendit: *Da, Deus inmense, ineffabilis et magne, ut si vere conversus sum, hoc eiusmodi indicium habeam, quatinus scilicet in*[e] *sancti Pauli conversione, quae hac quidem nocte instat, e carne transeam; quod ut fieret semper optavi, semper te Deum rogavi.* Et haec dicens, se cilicio recolligi praecepit, ultimumque loquendi finem dedit. Cum ecce mediae noctis articulo mirum in modum manus levavit, atque extremum, eo quo poscebat tempore, matutinali percurso officio, spiritum efflavit. (1048. Ian. 25.) Conclamatum est subito a circumstantibus: *Ecce, o beate Poppo, haec hora sanctitatis tuae indicio est omnibus. Ecce quantum bonitatis tuae gratia meruit, in sapientia sua Deus mundo innotuit.* Nec facile erat quemquam se a lacrimis tunc temperare, cum tam feliciter ad eum, cui semper vivebat, meruit migrare: feliciter inquam migravit, qui felicibus semper auspiciis virtutes in se augmentavit. Quas[f] quidem ne quasi negligentia praeterire videamur, in argumentum tam egregii exitus eius dicere, prout vires suppetent[g], aggrediamur. Erat enim ei compunctio cordis ex infusione sancti Spiritus affluens, cuius etiam primo conversionis suae tempore in tantum erat appetens, ut cum quosdam fratrum in lacrimas exinde excitari videret, seque similia non posse doleret, sumpto[h] lapide pectus eo contunderet, ut hoc forte modo vel modica compunctionis stilla sibi flueret. Qui desiderii sui compos non post modicum effectus, tantam compunctionis a Deo gratiam est adeptus, ut eo quo saepe genu centies flexo die et nocte orationi incubuit, omne lacrimis inundare pavimentum dederit. In celebratione proinde missarum casubulam[i], qua induebatur, lacrimis humectabat, interque prandendum magis lectione quam comestione pasci amabat; et vere pro lacrimis, quas exinde fundere solebat, cum psalmista dicere habebat: (Psal. 41, 4.) *Fuerunt michi lacrimae meae panes die ac nocte.* Quid vero super corporis sui dicam afflictione, superque carnis interitu et contritione? Quam in tantum ieiuniis flagellisque in se ipsum intendebat, ut quicquid vitiosum caro sui adversus spiritum concupiscebat, ipse flagellis propria sibi manu clam illatis extergeret, et pro hoc in se ipsum vindicta per se ipsum procederet. Balnearum[k] vero usus raro in infirmitate, qua assidue laborabat, numquam vero ante infirmitatem postque conversionem sibi admittebat; tum etiam a saginatis cibariis omnimodis abstinebat. Nec solum ad carnis macerationem huiuscemodi abstinentia suffecit, sed insuper ad crucifigendum se mundo peregrinationis sibi cruces adiecit, saepe limina adiens apostolorum, saepe etiam, atque ut ita dicam usitatius excubias ceterorum frequentans sanctorum. Nec dici potest quanta omne sui iudicium discretione temperaverit, quantum iusta illud miseratione honestaverit. (Iob. 29, 15.) Et vere cum beato Iob oculus caeco et pes claudo extiterat, causamque pupilli et pauperis ut suam, immo magis accuraverat; atque excepto quod cotidianis eos sumptibus alebat, trecentos quot Kalendis[l] Christi pauperes reficiebat. Destinabat etiam plura tam auri quam argenti donaria heremiticam solitariamque vitam ducentibus, quam plurimisque a regimine deiectis consulendo rectoribus, suis opibus et eos relevavit, et ad pristinum regiminis locum revocavit. Et ut omnes probitatis ipsius virtutes sub compendio procedant[m], et ex relatione antiquorum fidem legentibus concedant, erat fide firmus, spe longanimis, caritate non fictus, compassione singulis proximus, et ad omne opus bonum mente et vultu semper[n] accommodatissimus; arguebatque subiectos clementer, tolerabat patienter, et si quem pro quovis crimine corripiebat, in se prius descendens hoc velut suum plangebat, secundum illud apostoli: (Gal. 6, 1.) *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tempteris.* Et ut[o] vigiliarum orationumque ipsius[p] praetereatur instantia — libet enim praeterire communia — ceterum in carne vere angelus[q] vixit, dum[r] semper in caelestibus, ubi angeli facie ad faciem vident Patris, animum fixit[r]. Et pro hoc cuique fidelium miracula, et quae diximus, et quae dicenda sunt, ad fidem[s] sufficiant, proque sanctitate ipsius, totius diffidentiae caligine exclusa, satisfaciant. Obiit sane

a) suos 3. b) quam totius 1. *et hic et infra c.* 33. c) regendis 3. d) *deest* 3. e) s. i. *desunt* 1. 3. f) Quod 3. g) suppetunt 1. h) sumptoque 3. i) casuculam 3. k) Beneficio 3. l) t. quoque alendos 3. m) referantur 3. n) *deest* 3. o) ne 3. p) eius 3. q) angelum 1. r) dum — fixit *desunt* 3. s) satis *add.* 3.

8. Kalendas Februarii[29], anno incarnati Verbi 1048, indictione 1, aetatis suae anno 70, imperii vero Heinrici anno 10.

29. Sacerdotalibus interea infulis, ut sacris astare altaribus solebat, vestitur; ubi ex sacrosancto corpore ipsius[a] gratissimae suavitatis fraglantia[b] sentitur, quae olim sibi viventi in[c] virtutibus amplius fraglarat[b], et[d] nunc in carne ipsius redolere non cessarat[e]. Alba etiam casubula[f] sacrosanctum illud corpus fratres curabant vestire, cuius anima felicius[g] in caelestibus inter amictos stolis albis primam meruit stolam invenire. Oratorio[h] deinde exponitur, nox illa cum precibus iam in crepusculum lucis pro eo transigitur; cum ecce apparatis his, quae ad transferendum eum providerant, clam e patriae ipsius limine exierant[i].

30. Qui in eisdem hospitandi locis declinando[k], quae ab eo vivente didicerant, Leodium usque[l] devenerant, praemissoque nuntio beati viri adventum Wazoni eiusdem civitatis antistiti intimaverant. At ille vivum eum[m] tunc venturum gaudendo primum aestimavit, sed cum ei, ut se res super morte ipsius habuit, nuntius peroravit, clamoribus et lamentis insolabiliter se urgere, et quod dilectionis suae talem amiserit compotem, incredibiliter coepit dolere. Postquam vero lamentum, non dolor, aliquantulum conquievit, eiusmodi fama, quae omne Leodium iam implevit[n], auctoritate etiam pontificali hoc universis eiusdem civitatis coenobiis edictum dedit, ut cum crucibus, lampadibus atque tymiamateriis illud sacrosanctum corpus exciperetur, et ea quae talem Dei deceret servum honorificentia prosequeretur. Quod quidem permixtis sibi cunctis simul devotione et dolore fieri contigit; nec fuit quem compunctio cordis pro huiuscemodi rebus intrinsecus non tetigit. Et nos quidem, qui de eo haec scribimus, ipsi similiter totum in funere fuimus; quanto magis hii qui eius tunc exequiis interfuerunt, dolere[o] pro amissione tanti talisque viri habuerunt? Sed si ideo est dolendum, quod eum quem carum habuimus amisimus, multo magis certe gaudendum, quod in caelesti eum mansione intercessorem pro nobis praemisimus. Pauperibus praeterea Christi memoratus[p] antistes pro sancto viro elemosinarum stipem dispendit[q], et ad Stabulaus usque cum ceteris exequias illas venerabiles prosequentibus tendit[r]. Nec difficultas itineris aut temporis incedentes vel modice defatigavit, praesertim cum brumalis rigor omnem superficiem terrae tunc occupavit, Dei procul dubio virtute ibidem operante, servique sui translationi invisibiliter famulante. Tandem ad Stabulaus ut diximus pervenitur, omnisque loci illius tam laicorum quam monachorum turba doloribus eiulatibusque ambitur, ita ut psallentium voces eiulantium quidem clamor exuperaret, et in parvulis etiam gemitum affectus provocaret. Sepultura mox post missarum sollempnia illi in medio criptae, quo[s] ipse vivus elegerat, aperitur, ubi id officii sine angelica praesentia non praeteritur. Nam memorato antistiti, cui facile suis ex meritis hoc cernere fuit, visio angelica inter exequias illas apparuit; qui adstantem[t] sibi ministrum, utrum idem videret saepius repetens consuluit. Sed quod ille ex meritis, ut praefati sumus, videre meruit, non nostrum iudicare est, cur nemo id videre potuit; nisi forte quod nulli circumstantium ad praefatam visionem sanctitas sui suffecerit, vel quod nemini, excepto ipsi praesuli, revelare Dei gratia voluerit. Et iam sol sextum circa insepulti corporis funus diem perfecit, nec pristina in illo fraglantia defecit, ut certe eiusdemmodi[u] testes sint qui affuére, quod velut pulveris pigmentarii suavitatem in ipso sensere. Quasdam vero litteras exhortatorias, a venerando abbate Richardo olim de caritate sibi conscriptas, una cum calice pectori eius superposuere; quarum etiam litterarum exemplar in eodem monasterio posteris reliquere, ut in eo amborum consensus et dilectio experiretur, quidque caritatis gratia valeat a legentibus ibi inveniretur. Haec nos quidem de obitu translationeque beati viri dixisse sufficiat, de cuius virtutibus et miraculis fides legentibus non deficiat, praesertim cum ex testibus qui ea oculata[v] didicerunt fide adstipulentur, firmiusque his in scriptis roborentur. Ceterum cur ad sepulcrum eius miracula crebrius non fiant, nemo miretur, nec pro hoc ea quae vere de eo diximus causetur, cum ipse adhuc in carne vivens[w], plerisque fratrum audientibus attestatus fuerit, quod nunquam delectatus sit mirabilia facere, nec unquam hanc gratiam sibi dari a Deo expetere praesumpserit. Et quamquam pro humilitate favorem populi de se in vita timuit, non tamen miraculorum gratia

a) eius 3. b) *ita* 1. flagr. 3. c) in v. a. *desunt* 3. d) *deest* 3. e) cessat 3. f) casucula 3. g) felicibus 1. 3. h) Oratio 1. i) exierunt 3. k) declinandi 3. l) Leodiumque 1. m) *deest* 1. n) compleuit 3. o) dolorem 3. p) *deest* 1. q) dedit 3. r) prosequendo detulit 3. s) ubi 3. t) antistitem 3. u) eiusmodi 3. v) occulta 3. w) uiuus 1.

30) Ita etiam Necrologium Sancti Maximini et Stabulense MS.

mortuus caruit; quia post mortem nequibat latere, quem ante mortem ad hoc Deus[a] inspiravit, ut vellet latere. Pauca tamen e pluribus hic inseram, gloriamque Dei in sancto suo non sine legentium admiratione referam.

31. Herimannus eiusdem monasterii monachus simul et portarius, tribus ferme post beati viri depositionem mensibus emensis, infirmitate correptus ad ultima vitae suae devenit; loquendique finem in agone suspensus dedit, ita ut nec[b] suspirare ullo modo videretur, nichilque aliud in eo quam ipsa mors aestimaretur. Qui mirum in modum post duarum fere horarum spatium ad se rediit, et quod ad iudicium raptus fuerit, fratribus sibi adstantibus retulit, singulisque criminum suorum maculis in confessione detersis, pro uno tantum conventus fuerit, quod erga beati Popponis statuta admiserit. Aiebat namque: *Noveritis me de singulis actuum meorum criminibus confessionem fecisse, unum tantum oblivione reliquisse, quia agrum pascualem, quem beatus Poppo cuidam crediderat, hunc mea olim auferre superbia praesumpserat*[c]. *Pro quo et ego ad iudicium raptus, temeritatisque erga virum Dei sum exactus, tandemque eiusdem sancti viri intercessione huc remeare, crimenque huiuscemodi tam precibus vestris quam confessione permissus sum expiare.* Fratribus vero multa super[d] praefato viro Dei rogitantibus, id de ipso adiecit omnibus, se eum honestate et reverentia commendabilem inter caelestis aulae primores[e] vidisse; ibique intercessione ipsius redeundi occasionem accepisse, ipsumque rursus videndi spem sibi de reliquo accrevisse, si tamen preces ipsorum pro se ad Deum praemitterentur, atque ita contra ipsius statutum temere a se commissa expurgarentur. Proinde adiecit, neminem in virum Dei impune quid posse admittere, atque in eiusdemmodi[f] argumentum rem in se clarescere. Mox pro eo fratres orationi instabant, quodque contra viri Dei statutum deliquerat[g], precibus expiabant; cum ecce sine mora ultimum efflavit spiritum, ut profecto intelligi daretur, ipsum ideo in carne accepisse reditum[h], ut quod in virum Dei deliquerat, a se detergeretur, verumque de eo quod dixerat, indicium linqueretur[i]. Laetare ergo Stabulensium ecclesia, laetare inquam ex tanti viri praesentia, quia ut Turonica civitas in Martino suo super mirabilibus gloriatur, ita etiam in Poppone tuo status tui magnificatur; dum ille ei mortuum vivus suscitavit, et iste monachum ad iudicium extra se raptum mortuus revocavit. Magnum quidem est mortuum suscitare; magnum etiam est, hominem ad iudicium raptum ad se revocare; cum neutrum nisi in sanctis fieri valeat, quorum praesentia cum Deo semper esse habeat. Et vere in hoc patet, beatum Popponem post mortem etiam vivere, curamque suorum apud Deum semper gerere.

32. Alio itaque[k] tempore puer quidam Gozo et monachus viri Dei, scolari adhuc disciplinae subiectus, valida corporis infirmitate est correptus. Qui se mox visitari petiit, et oleo inungi, psalmisque et precibus Deo commendari. Quod cum ageretur, illique a fratribus in prece et infirmitatis suae visitatione astaretur, exclamavit subito daemonum phalangem Aeneae et Turni aliorumque ex Virgilio virorum vultus imitari, seque ab eis, qui[l] sibi in discendo plurimum usui fuerant, usque ad animam infestari. Fratribus vero ut sibi crucis signum praetenderet hortantibus, seque non posse respondente[m] omnibus, mox[n] domnum abbatem Popponem adesse exclamat[o], eumque fratribus ignorantibus quem significasset, inclinato capite salutat. Quem cum adstantium fratrum caterva quid videret inquisisset, aut quem salutaverit consuluisset[p]: *Num*, inquit, *domnum abbatem Popponem in medio vestri non cernitis, et ad eius praesentiam omnem daemonum phalangem effugisse non conspicitis?* Adiecit proinde, se eorum manibus praefato currente[q] abbate ereptum, securitatisque remedia de eis ultra adeptum. Quo ista prosequente, doloreque simul cum tremore in ipso conquiescente, spiritum ultimum exsufflavit, et tam verum quam manifestum eorum quae dixerat indicium ostentavit; ita ut cum beato Poppone vere inde migrasse crederetur, et in eo erga omnes fratres beati viri similis sollicitudo intelligeretur. Cuius quidem pueri corpus a coaetaneis sibi sociis favore pariter et dolore circumfultum, et ante scolas licet quibusdam invitis est sepultum, pro quo etiam gemitus ipsorum tanto fuit intolerabilis, quanto ad eum affectus omnium in vita ipsius extitit amabilis.

33. Eodem tempore extitit quidam magister carpentariorum vel latomorum, Thietmarus nomine, qui a viro Dei Poppone valde carus habebatur propter peritiam artis suae; nam

a) *deest* 1. b) *deest* 3. c) presumpseram 3. d) supra 1. e) primates 3. f) eiusmodi 3. g) reliquerat 1. h) redeundi facultatem 3. i) iudicium relinqueretur 3. k) quoque 3. l) que 3. m) respondere 3. n) *deest* 1. o) exclamavit 1. p) inquisisset 3. q) succurrente 3.

illi Deus inspiraverat, quemadmodum Beseleel opus perficere in domo Domini secundum voluntatem viri Dei, monstrante[a] videntibus praesentis basilicae structura mirabili. Hic synaxi vespertinali expleta venit ad quosdam fratres in claustro cum non parva, ut prosequemur[b], tristitia; et ecce praesens sedebat nepos sancti viri Everhelmus[c] Altimontensis abbas, qui percunctari coepit quid causae habuerit[d]. Respondit se privatum esse beneficio, quod sibi iure perpetuo concesserat[e] homo Dei Poppo. Et ille: *Non est enim mortuus dominus tuus Poppo, sed vere vivit; perge quantocius ad ipsum, et narra ei si quid habes.* Credidit homo sermoni quem audivit, et praepeti cursu ad sepulchrum viri Dei pervenit, ibique amarissime quaeque[f] sequuntur clamitando, super corpus sanctum se prostravit: *Heu mi[g] pater,* inquit, *et domine, ut quid me diutius sinis vivere in convalle plorationis? Contestor te per Omnipotentem, cui in hac vita fideliter servisti, ne me permittas in hac miserabili vita octo diebus vivere.* Ut ergo se exauditum credidit, surrexit, domi[h] rediit, in lecto se proiecit, viaticum petiit et accepit; et sicut a sancto viro petierat, ante octavum diem de hac luce subtractus est. Praeterea plurima sanitatum beneficia per eum Dominus operatur. Febricitantes[i], daemoniaci aliique languidi ad sepulchrum eius Deo cooperante curantur.

34. Unum tamen praeclarum, quod omnibus paene notum est, in medio[k] proferam, ut ex hoc fides credentium incalescat[l]. Aeger quidam diu vexatus ydropico morbo, adductus est ab occidentali plaga, et in basilica sancti ac apostolici viri Remacli, mirabilium factoris, et in praesentia corporis eius est collocatus. Qui per septimanam ibidem diu cupitam salutem praestolans, tandem fessus sopore deprimitur. Et ecce videt sibi[m] sanctissimum ac Deo dilectum Remaclum adstare nimio fulgore[n] radiantem, et haec sibi dicentem: *Surge et ad sepulchrum abbatis Popponis, quod est in hac cripta, propera; per eum enim tibi salus proveniet.* Expergefactus igitur surrexit aeger, et utcunque potuit, illuc pervenit celeriter; seque toto corpore super illius prosternens mausoleum[o], devotissime implorabat eius interventu Dei adiutorium: cum subito virus omne quod[p] per membra ac vitalia diffundebatur, conglomeratum ut quondam attactu sancti[q] Martini, immo Deo servum suum glorificante et quam grandis meriti apud se fuerit ostendente, more torrentis magno vomitu per gutturis meatum inundavit repente. Statimque homo incolumis surrexit, qui paene desperatus advenit; et gratias agens Deo in sanctis confessoribus suis, laetus ad propria repedavit. Quis non stupeat eventus[r] huius inusitati miraculi, mandans illud stilo memoriaeque in profectum posteritati[s], ut magnificetur Dominus, qui ipsum dignatus est per servum suum operari[t]? Idem praefatus adletha Dei, dum in terris hominem gessit, nimio sudore Christo sanctissimoque eius praesuli Remaclo servivit, unde et civis esse sanctorum domesticusque Dei diffamari in hoc facto meruit. O felix Stabulaus, tanti pontificis Remacli membra continens, cui ad tutelam loci ipsius adiunctus est famulus Dei Poppo, scutum inexpugnabile contra omnes insidiantes inimicos. Non enim accidentale nomen tibi, sed essentiale adhaesit[u] Stabilis laus, abiecto vulgari ignoranter Stabulaus[v]; quia tibi stabilis laus perpetuo non extinguetur, sicut luminaria cereorum brumali tempore flantibus ventis sub divo[w] non quibant extingui, quando susceptum est corpus beati Popponis a fratribus praefati loci.

35. Ego igitur Everhelmus[x] Altimontensis abbas hunc libellum positus in coenobio Blandiniensi summatim scribendo perstrinxi; non ut omnia, quae de beato viro dicenda erant, in hoc tomello comprehenderim[y]. Quem dum[z] deferre ad locum supra[*] memoratum disposuissem, socios itineris mei assumpsi, videlicet Onulfum monachum, qui in praefatiuncula huius libelli scriptus est, et Odulfum capellanum comitis Lamberti. Qui dum in via de vita et spe futurorum sedulo colloqueremur, frequenter etiam Odulfus hunc libellum revolvebat mecum, beatum beatificans virum, qui sic praesentis saeculi evasisset naufragium. Quid plura? Tandem pervenimus Leodium, ubi tunc temporis sancti Lamberti martyris recolebatur martyrium. Post missarum sollempnia inde digredientes, ut ad viri Dei properaremus[a] tumulum, Onulfus Odulfi consilio deceptus, recusat coeptum iter peragere mecum, nescio quid de sancti viri meritis proferens ad alterum. Aiunt ergo ambo: *Iter perage tuum; nos vero in sancti Trudonis coenobio tuum[b] praestolabimur reditum.* Ad haec ego, eorum

a) monstratur 3. b) prosequeretur 1. c) Euerelmus 1. Euerlinus 3. d) haberet 3. e) concessit 3. f) que 3. g) me inquit pater 3. h) domum 3. i) Febricitates 1. k) medium 3. l) excalescat 3. m) ibi 3. n) splendore 3. o) mansoleum 1. p) cum 1. q) *deest* 1. r) eventu 3. s) posteritatis 3. t) curare 3. u) *deest* 3. v) Stabolaus 3. w) duo 1. x) Euerelmus 1. Euerlinus 3. y) comprehenderem 3. z) cum 3. *) *deest* 3. a) properamus 1. b) *deest* 1.

fidem infirmam considerans, aio eos poenitere in proximo[a]. Et inde progressus, ad beati viri tumulum perveni[b], unius tantum contentus consortio pueri. Extrahens ergo libellum de[c] eius gestis editum, non sine contritione cordis super sepulchrum piissimi patris deposui. In crastinum vero ad comites mei itineris rediens, eos tristes maestosque nimium repperi. Nam alter percussi equi sui dampno graviter dolebat; Odulfus autem lurida peste multatus 5 gravius gemebat. Quem intuens, primo exorsus ille: *Heu michi*[d], *domine, cur tecum coeptum iter distuli peragere? Ecce nunc morbo dissinteriae*[e], *immo divina percussus virtute pereo.* Quem blande leniterque consolatus, hortatus sum monachicum suscipere habitum. Post haec abii; et ipse[f] non longe post obiit, exemplum suae praevaricationis relinquens posteris, ne praesumant detrahere virtutibus viri[g] Dei Popponis. 10

EXPLICIT VITA SANCTI POPPONIS.

a) proximum 3. b) peruenio 3. c) ex 1. d) me ait d. 3. e) sinterie 1. f) ille 3. g) *deest* 1.

Vita Bardonis auctore Vulculdo. C. Wirziburgensis.

Beatissimi Bardonis regis Moguntinis dignissimi presulis vitam Ingerit cum sinceritate eius L. Archipresul dignus quendam cappellanum suum nomine Vulculdum ob memoriam eius componere fecit

Triumphus S. Remacli. C. archivi Düsseldorf.

Qui abstulerit

subtractam pelliculã p quã pes pendebat p̃cide uolebat dolore constrictus. Gonterulus erat nom̃ seruuli. q̃ p̃mente angustia temere aiebat q̃ri derogando sc̃o confessori. Heccine est uirtus tua mi dñe. ut q̃d inimicis p̃meretib' forte differebas facere in tuo fideli t obsequẽti maluisti ɔtingere. Hec dũ uerba finierat cũ subito facta ossiũ collisiõe ex diuine uirtutis coopatiõe resolidat' fracta tybia. surgensq; sanus stetit utrisq; pedib' uelut in somnpnis exacta angustia. Tucui rerũt un

W. Wattenbach scripsit.

Benzonis panegyricus. C. Upsaliensis.

fol. 1.

A PECTORE SUCCENSO. VITÃ LV̄ VINCERE BENZO.
Audiat augustus que pfert ñ homo iustus.
Sed mage peccator fidei tamen altitonator.
Per quã fit fortis ridendo pericula mortis.
Sol uelut incelis ita fulget ubiq; fidelis.

fol. 75.

Agectarum uos columpne aureę tumentẽ flatum
non curantes boreę. in fide recta durate uiriliter.
state cũ rege om̃s unanimit' XL. ITEM ADDIONISIV̄
PLACENTINVM EP̄M. EX PARTE ALBENSIS EP̄I

SENEX puerũ portauit. porta puer uetulum.
quia nimis conturbatum me conturbat sc̃dm.
mei curam geras p̃cor. tu ógẽma p̃sulum.
Est humanũ atq; pium condolere miseris. cynis
enim obliuisci nũquã debeo cyneris. ora ergo
p infirmo liberior liberis. Que torquebat

Karolus Pertz scripsit.

BARDONIS
ARCHIEPISCOPI MOGUNTINI
VITA DUPLEX
EDENTE D. WILHELMO WATTENBACH PH. D.

I. VITA AUCTORE VULCULDO.

Liutpoldus a. 1051—1059 *archiepiscopus Moguntinus decessoris sui Bardonis memoriam posteris commendaturus, vitam eius scribendam mandavit capellano suo Vulculdo. Et Liutpoldus quidem a clero Babenbergensi assumptus erat, Vulculdum autem iam Bardonis tempore Moguntiae degisse et virum mitissimum — ea enim laude praecipue claret — cognitum habuisse etsi disertis verbis non dicat, tamen ex toto opere satis manifeste apparet. Auctor enim quum priorem Bardonis vitam minus accurate tradiderit, ea quae Moguntiae gessit optime perspecta habuit, et nonnulla scitu digna retulit, etsi multum abest ut desiderio nostro satisfaciat. Nam brevitatis nimium studiosus, ne synodum quidem illam celeberrimam, quam a.* 1049 *ipse summus pontifex Leo IX Moguntiae habuit, commemoravit.*

Hanc igitur vitam proponimus ope codicis bibliothecae regiae Wirziburgensis. Est chartaceus in folio numero 187 *signatus, et saeculo ut videtur XVI ex diversis partibus compactus. Folio primo inscriptum est:* Nicolaus Schmidt Vicarius Moguntinus iure me possidet pretio duplicis ducati a Colonello dicto Krichenbeck Iuliacensi. *De quo milite haec in ligatura codicis scripta invenimus:* Der Obrist Krichenbeck hat Bucher, konte kein Buchstaben lesen. wuste doch im Ellend wie er sie solt verkauffen. Atlasz Hondii ist auch sein gewest: ich hab die Bucher, das Geld hat er verschmiret, wirt doch noch im Elendt verderben. *Et infra:* Et factum est ita, zu Nackheim in patria, haec sunt mirabilia ein Weißgerber, ein Leudenand, ein Rittmeister, ein Obrister über drey Regiment zu Pferd, ein Bauwer, ein Sacktrager. *Nomini autem Nicolai Schmidt haec adscripta sunt:* Hic vero eundem Moguntinensium archiepiscoporum historiae accommodum mihi utendum concessit, venerabilis contra Haymonis episcopi Halberstadensis, coepiscopi Moguntinensis, commentario in XII prophetas minores pergameno longe praestantissimo, elegantissima simul manu scripto, figurisque longe plurimis una picto in pignus accepto, quem ipsum me volente idem moriens eiusque haeres Reverendissimo domino decano D. Marsilio in perenne gratitudinis debitum consignarunt. *Codicis autem nostri possessores sequentes demonstrat inscriptio:* Collegii Societatis Iesu Moguntiae. Ex antiq. *Nicolaus Schmidt vero quis fuerit, docet relatio eius de signo quodam Kal. Iun.* 1642 *in sole viso, cui haec addidit:* Subsecuta funestissima scelleratissimaque detruncatio Caroli Stuardi regis Angliae per proprios ministros perpe-

trata. Nicolaus Schmidt vicarius Moguntinus exul propter Suecos, pro tempore sacellanus aulicus generosissimorum comitum de Manderscheidt in Girolstain.

Hoc igitur in codice inter alia continetur Historia Moguntina, a. 1500 *compilata per Io. Hebelinum de Heymbach, canonicum Divi Mauricii Maguntinensis, autographa, cui auctor f.* 155 *hanc Bardonis vitam integram inseruit. Scripturae specimen ex codice magna cum benignitate nobis transmisso in tabula addimus; vitam ipsam ad fidem libri manuscripti accurate expressimus, paucis tantum, quae suó loco indicata sunt, correctis, et orthographia aliquantum mutata, ne saeculi undecimi scriptorem genuino habitu fraudaremur.*

BEATISSIMI BARDONIS GREGIS MAGUNTINI DIGNISSIMI PROVISORIS VITA INCIPIT QUAM SUCCESSOR EIUS L. ARCHIPRAESUL DIGNUS QUENDAM CAPPELLANUM SUUM NOMINE WLCULDUM OB MEMORIAM EIUS COMPONERE FECIT.

981. 1. Ortus est hic lucifer in Teutonicorum Francia, parentum gloria, ecclesiae columna, Maguntinae specialis corona; in pago vero Wedereiba dicto in villa Habprahteshoven[a] nomine nuncupata[1], mundanae procreationis sortitus est primordia. Fuit autem de cognatione et de gente illa de qua dicit propheta: *Beata gens cuius est Dominus Deus eius*, et de qualibus per Iheremiam prophetam loquitur Dominus: *Erunt michi in populum et ego ero eis in Deum, daboque eis cor unum et viam*[b] *unam ut timeant me et bene sit eis et filiis eorum post eos.* Pater vero eius Adelbero nomen habens proprium, vir erat religiosus ac timens Deum. Mater autem Christina nuncupata ipso christianitatis suae vocabulo praefigurabat indicia. Qui cum bene essent christiani et nobilis parentelae, Domino donante generantes protulerunt filium spiritualis gratiae nobilitate decorum.

Ps. 32, 12. Ier. 32, 38.

2. Igitur primaevo aetatis tempore, cum iam pueruli corpus sanctum, templum Dei mirum, ad sequentis usum vitae honesta aliqua informandum foret eruditione, ut Domino placuit, relictis mundialibus exercitiis parentes eum litterali scientiae assignare decreverunt. Unde mox dum prima didicit elementa, virtute Dei agnita, qua socia spirabat infantia illumque deinde[c] comitabatur exhortandi gratia, per supradictos parentes in Fuldensi ecclesia Deo sanctoque Bonifacio oblatus est sancta ac viva ac bene placens hostia[2]. Ibi divina favente clementia Dei famulus Bardo aggressus est viam quae ad gloriam illum provexit humanam et divinam. Mox primo ingressu litteralibus studiis inter coaemulorum turbas ceteris acutior[d] existit, aliorumque profectus profectuum[e] suorum celeri sagacitate premit. Et ut paucis perstringam quod verum fuisse coram Deo et angelis eius hodie in caelestibus liquet, hic praeditus est litterali scientia ut post praedicator effectus, mira pariter sapientia et facundia coruscaret. Caritas et humilitas illo crescente pariter nulla sancti sui pectoris occultata creverunt habitatione, de quarum una fratribus amorem et altera praelatis debitum inpendit honorem. Hiis geminis virtutibus in congregatione illa magnis et parvis factus est gratus; in tenera iam aetate tantae spei et tantae claruit industriae, ut fratribus sanioris sententiae non infructuosum videretur[f] aliquas illi in claustro obedientias commendare. Et sic a minoribus incipiens, Domini praecedente et subsequente gratia omnes maiores in illa ecclesia et gradatim singulas ascendit obedientias, non quidem sine gradibus meritorum, quibus sibi de die in diem propinquius iter parabat ad Christum.

3. Interim sicut in monte posita civitas non potest abscondi, divina disponente gratia in castro Wirdina dicto patri monasterii defuncto[3] in locum abbatis surrogatur beatus Bar-

a) Habprabhteshoven *cod. et in margine manu alia:* nunc Opperszhofen dicta. b) *deest in codice, lacuna relicta.* c) *ita emendandum putavi;* illum deum que *cod.* d) accucior *c.* e) profectum *c.* f) videtur *c.*

1) In Oppershoven, haud procul ab oppido Friedberg, Mabilionis tempore adhuc rudera paternae domus Bardonis monstrabantur; v. praefationem eius p. 5. Quatuor mansus ab eo parochiali loci ecclesiae donatos esse, refert Ioannis Rer. Mogunt. I, 468. Natus esse videtur a. 981, quum in vitae alterius c. 14. a. 1031 Kal. Iul. paene quinquagenarius fuisse, c. 28. autem a. 1051, 3. Id. Iun. plus quam septuagenarius obiisse dicatur. 2) sub abbate Erchanbaldo, qui a. 997—1011 praefuit monasterio. Vita altera c. 2. 3) Heithanrico, cui 1024 Sept. 10. Chuonradus rex privilegia monasterii confirmavit. Sed mira contradictione in privilegiis apud Lacomblet, Urkundenbuch des Niederrheins I, 104. 106. 107. a. 1033 Geroldus, 1036 iterum Heithanricus, 1040 Geroldus abbates nominantur. Ceterum Bardo etiam in Vita Meinwerci abbas Werthinensis appellatur.

do[a]. Cum vero iam pater monachorum nominaretur et esset, Domini servus circa gregem dominicum sibi commissum paternos gerebat affectus[b], et quicquid iam potuit boni exequi, studiosa non cessavit mente operari. Obedientiam quam ipse suis praelatis pridem subiectus praebuit, subditos sibi fratres ipsi et ceteris monasterii prioribus praebere instituit. Exemplo caritatis affectus incitabat. Omne divinum officium adeo circumspecta devotione[c], quod negligenter inordinatum nichil in Dei servitio dereliquid, dum famulatus amatores ad laudem Dei quam plures aggregaverat fratres. Praeterea cuiuscunque operis artifices ad utilitatem ecclesiae conquisivit[d], et illis necessaria et praemia ministrando, illorum artibus ex ecclesiastica familia alios instruxit; intus et foris apertos tenens oculos circa curam sibi creditam ut pater familias prudens vigilabat. Ipse et sui fide et veritate et dilectione, et per illud omne tempus frugum terrae habundanti fertilitate et pacis tranquillitate, Domino praestante securi vixere. Quantum suis et fratrum stipendiis superesse potuit, peregrinis et hospitibus partiri non distulit; ad haec indigenti cuique tribuit secundum apostolum cum omni hilaritate et simplicitate quicquid potuit. (Rom. 12, 8.) Ergo et sicut hilarem datorem Deus diligit, et ut ex praecedentibus meritis dona semper augentur iustis, dum forte interim abbas Heresfeldensis obiit mundo[4], in locum illius iubente Domino electus et substitutus est mitissimus Bardo. (1031.)

4. Cum itaque simul in duabus ecclesiis vir Dei providi rectoris fungeretur officio, propter excellentiam maioris ecclesiae priori non minus intendebat, sed omni studio sicut prius vigilare satagebat. Maior etiam ecclesia minori nichil nocuit, minor a maiore illius animum non avertit. Hanc et illam sic disponebat ut dum in una esset occupatus, ab altera penitus esset indivisus. Bona opera quis in minore ante sudaverat, secundum ampliores sumptus maioris ecclesiae omnimodis ampliare laudabili desiderio anhelabat. Die noctuque bonorum actuum lucernam tenens in manibus, viam[e] per quam grex Domini sequeretur, ostendit praevius. Quid multa? Non paucos in illo coenobio fratres Domino cooperante constituit; in clero et in populo liberos et servos sibi subditos ut populum Dei tractavit mansueta dominatione et paterna pietate. Opulentiam rerum qua exuberavit, copiose erogavit tam discrete, quatinus sui totius ubertate plenitudinis beatam vitam ducerent, et super vevientes quique caritatis ianuam patentem reperirent. Brevi igitur temporis intervallo fama viri percrebuit mundo, quae prudentiam pariter et pietatem praedicaret de illo. Et ita cognitus est in urbibus atque provinciis, atque adeo gratus et acceptus factus est Conradi imperatoris coniugi[f] Gislae prudenti feminae imperatrici augustae[5]. Hiis itaque transactis Aribo archiepiscopus sedis Maguntinae ingressus est viam carnis universae. (Apr. 6.)

5. Dei ergo omnipotentis nutu disponente et supradicta imperatrice augusta interveniente, Bardo Dei servus et monachus Maguntinae urbis factus est praesul venerandus. Igitur ut bonorum vita detrimentum est pessimorum, et ut zelant[g] mansuetum invidi, modestum superbi, insurrexerunt multi iniqua aemulatione continuo in servum Dei; monachum et hominem aspectu deformem Maguntinae praesidere sedi dedignantes deridebant, quae foris viderunt carneis sensibus diiudicantes, intus latentem spiritualium donorum gratiam nullatenus appretiantes. Animalis enim homo iuxta fidem et doctrinam apostoli non percipit ea quae sunt spiritus Dei. (1 Cor. 2, 14.) Conviciorum et detractionum non minimum accessit prout aemulantis linguae vanitas saecularis et propria consuetudo suggessit. Ille tamen ut divinae ipsum patientiae virtus ammonuit, humilis et timens Deum tam domesticas quam extraneas indignationes aequo animo sustinuit, se despicientes non despexit, non quid episcopus posset sed quid episcopum deceret considerans. Ex curia et ex domo et ad se undecunque venientes cum ingenti gratiarum alloquebatur dulcedine, illud iam implere festinus quod dicitur: *Quanto magnus es humilia te*[h] *in omnibus*. (Eccli. 3, 20.) Sublimationis novae sic temperavit initium, ut iam eius et mores in illum ascenderent gradum de quo dicit euangelista: *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum caelorum*. (Matth. 5, 3.) Sed haec spiritus paupertas sive humilitas quantum ad examen spectat humanitatis, non parvi beato viro extitit causa laboris. Regia illum

a) surrogatur B. B. *cod.* b) affectos *c.* c) procurabat *vel tale quid deest.* d) cūquesiuit *c.* e) *vocem quae in cod. excidit, ex coniectura supplevi.* f) coniuge *cod.* g) celant *c.* h) *deest in codice.*

4) Eodem modo etiam alterius vitae auctor c. 9. vel erravit vel veritatem occultavit. Nam deposito Arnoldo abbate *suggestione Gisilae imperatricis* Bardo successit, ut refertur in Ann. Hild. ad a. 1031; teste Lamberto dimidio anno post Ariboni successit, post paucos menses secundum Vitam Meinwerci c. 110. 5) Suggestione eius, cuius consanguineus fuisse dicitur in vita altera c. 7, iam abbatiam Heresfeldensem nactus erat.

eo amplius mandata urgebant suique eum econtra minus metuebant et quos proprii honoris invenire debuit fautores, suos invenit prohdolor desertores propriosque delatores. Milites namque sui despecto freno suae mansuetudinis ab eo recedentes, regalibus sese subdiderunt contuberniis. Nonnulli etiam ex servientibus ecclesiasticis, curialibus sunt mancipati servitiis; obsequiis quibus sibi erant obnoxii, apud imperatorem volebant esse obligati. Hiis quidem familiaribus inimicis deferentibus eorumque perfida instigante nequitia, assidue exigebantur dona ab eo magnifica, et graviora semper illi iniungebantur servitia. Sed unde[a] malignantium perversitas Dei servitio contrahere putabat cum dedecore contumeliam, excellente Deo faciente accumulavit ei honorem et gratiam. Nam in quocunque negotio Deus illi tantum concessit proventum, unde ipse et sedes sua exaltationis non parum tolleret incrementum.

6. Vir sanctus et mitis non restitit malo, verum etiam vicit[b] malum in bono, dicentem revolvens[c] euangelistam: *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.* [Matth. 5, 4.] Quidam comes suus, nomine perfidus Erkenbaldus, scilicet inmerito urbis Maguntinae praefectus [cf. Vitam alt. c. 18.] — ideoque dicam inmerito, quia in despectum et contumeliam archipraesulis mitissimi omnem iniustitiam et dominationem iniquam exercuit in hominibus sancti Martini — unum ex iudicibus civitatis bene natum et honorabilem virum comprehendit et virgis caesum totundit. Tribuno plebis insidias multas paravit; sic tandem nichil perficiens, apud imperatorem falsa illum accusatione pulsavit, donec homo dives et grandaevus ipse in aquam miserabiliter missus Dei iudicio iniectum crimen Domino auxiliante purgavit. Tertium quendam ex civibus Maguntinis eius instinctu imperator suis cathenis involvit, donec tandem pecunia membrorum suorum sanitatem redemit. Multos eiusdem civitatis alios idem Erkenbaldus malitia plenus diversis[d] laesit ubique periculis, atque ipsum beatissimum Dei famulum Bardum, dominum suum, apud aures imperatoris frequens susurro detractionis veneno polluit, et saepe usque ad satisfactionem illum iniquae[e] contaminationis inpulsione coegit. Ipse vero beatissimus Bardo propriam patienter iniuriam tulit, suorumque calumpnias lugens, fletibus incessanter amaris perfudit suorum cladem; suam aestimavit illam, doluit illam, Deo et sanctis eius assidue in orationibus inculcavit.

7. Quadam vero nocte dum vir sanctus quieti membra dedisset, arborem coram somnis adstare vidit, et per quandam vocem illud sancti Iohannis: *Ad radicem arboris iam posita est securis* [Luc. 3, 9.] audire promeruit, et factum est prout in euangelio promittitur: *Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur.* [Matth. 5, 5.] Post modicum vero tempus comes supradictus, ut Domino complacuit, in praesentiam beati archipraesulis ad iudicium venire consensit. Ibi vero commilitonum suorum iudicio abiudicatus beneficia perdidit, et fidelitatis rursum securitate adiurata, idem beneficium repetitione probrosa recepit. Nec diu fuit postea quod paralisi percussus illis inspicientibus, quibus antea tantam duritiam intulit, languidus et siccus usque ad finem vitae exaruit. Ille ea arbor exstitit, ad cuius radicem securim positam vox superius audita memoravit. Et hoc est quod legimus: *Patiens enim redditor est Altissimus*[f]. [Eccli. 5, 4.] Hinc et Iheremias ait: *Omnis homo qui comedit uvam acerbam, dentes eius obstupescent.* [Ier. 31, 30.] Quod et aliis verbis in eodem propheta dicitur: *Unusquisque in iniquitate sua morietur.* [ibid.]

8. Per omne hiemis tempus et aestatis venerabilis antistes post primae dormitionis quietem semper intempesta nocte ante matutinas horas solitus erat ad ecclesiam venire, non surdus auditor dicentis prophetae: *Memor fui in nocte nominis Domini.* [Ps. 118, 55.] Ibi diu inmobilis fixus vigiliis et orationibus cum Domino loquebatur in caelestibus. Quadam vero nocte in urbe Maguntina circa aras in ecclesia inventus solus ab hostiario, sub specie ignoti alicuius fuste fuit non segniter verberatus. Proximo mane cum ceteris pauperibus ad elimosinam suam idem stetit hostiarius. Quem ut vidit recognovit, unoque[g] denario dato pro elimosina, alterum pretio dedit pro verberatione suscepta. Quotiens quidem matutinis laudibus interesse iam coeperat, diu protractis lectionibus sacrae fluenta scripturae sitibundo pectore haurire consueverat, sicque eo saturabatur cibo de[h] quo Dominus ait: *Meus cibus est ut faciam voluntatem patris mei.* [Ioh. 4, 34.] Et bibebat[i] aquam salientem in vitam aeternam, et particeps factus est beatitudinis de qua in euangelio dicitur: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam quoniam ipsi saturabuntur.* [Matth. 5, 6.] Super populum procurationis suae numquam fuit episcopus maioris misericordiae; clericos et laicos ex humili loco plerosque Domino exhortante in magno con-

a) inde *c.* b) vincit *c.* c) dicente se volvens *c.* d) dimorsit *c.* e) unquam *c.* f) paciens et redditorē alt. *cod.* g) imoque *cod.* h) dominus ait de quo *c.* i) bibeat *c.*

stituit honore. Dicebat saepe sancti Martini divitiis merito subveniri debere pauperibus suis. Nec solummodo suis hanc pietatem agebat, sed ad notos et ignotos corde et animo sic suavis erat. Miseris ioculatoribus valde fuit benignus, nulla scurrilitatis specie conductus, sed propter Deum inopiae miserorum[6] consulens, memor verbi quod testatur dicens: *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.* [Matth. 5,7.]

9. De simplicitate viri non est multum necesse loqui. Nam adeo simplex hominibus videbatur, quod simplicitas sua non magna sapientia putaretur, nisi quod postea miraculis claruit, quam accepta Domino simplicitas sua fuit. In simplicitate cordis Deum quaesivit, et ille cor mundum in eo creavit; et Dominum sine dubio videre meruit, sicut in euangelio legitur: *Beati mundi corde quoniam ipsi Deum videbunt.* [Matth. 5,8.] Quod dicit apostolus: *Si fieri potest quod ex vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes*, [Rom. 12,18.] ipse exercebat ad omnes. Et sic ascendit in illum gradum, de quo dicit euangelium: *Beati pacifici quoniam ipsi Dei filii vocabuntur.* [Matth. 5,9.] Inthronizationis suae primis temporibus a fratribus et coepiscopis contemptus, sicut a Spirense episcopo qui perfidus Sibicho cognominabatur[7], et despectionis persecutionem et perfidiae iniuriam perpessus est, non misericordiam. In hoc etiam beatus propter patientiam et iustitiam. Sed hiis octo beatitudinum meritis illis quibus vir sanctus primum erat despicabilis, novissime omnibus gratus effectus[a] est et venerabilis.

10. Hiis debemus breviter apponere, quae per illum egregie gesta sunt Maguntiae. Maiorem ecclesiam quae nova dicitur in comparatione veteris, sine tecto et condensam intus invenit aedilibus instrumentis. Ea scilicet silva eiecta a tecto aedificare coepit, sicque domum Dei laquearibus, pavimento, et parte fenestrarum parietibus dealbatis, dedicationis consecrationi praeparavit. Deinde Conrado christianissimo imperatore eiusque coniuge Gisla imperatrice augusta una cum eorum serenissima prole Heinrico tertio rege et nobili coniuge sua Conigunde[b] invitatis, decem et septem episcopis conlaborantibus eandem domum Dei honorifice dedicavit[8], [1036. Nov. 10.] veteris ecclesiae rebus cunctis cum dote et congregatione in novam translatis. Postea claustrum cum porticibus et officinis ad hoc pertinentibus construxit, tanto fere sumptu quod ecclesia ipsa maioris non constaret. In veteri ecclesia[9], de qua priorem congregationem transtulit, pro remedio animae suae in honorem Dei et sancti Martini sua industria acquisitis praediis alteram congregationem restituit[10]. In nova vero quam ipse consecravit, ciborium auro et argento decoravit et supra altare sancti Martini fabricari praecepit. Postremo circa ultimum vitae suae finem honesta pictura insignire fecit eidem altari occidentalem arcum inminentem. Tandem felici fine cursu expleto longaevus et dierum plenus in senectute bona obdormivit in Domino. Amen. [1051. Iun. 11.]

II. VITA BARDONIS MAIOR.

Bardonis vita per Vulculdum scripta paucis innotuisse videtur, quum aliquanto post alter quidam anonymus eandem sibi spartam sumpserit, nullo vitae antiquioris respectu habito. Sed et haec vita posterior satis diu abscondita mansit, donec primus eam inveniret D. Papebroch, qui eam publici iuris fecit a. **1698** ***in Actis SS. Iun. II. p.*** **299**, ***unde acceptam iterum ediderunt Io. Mabillon in Actis SS. O. S. B. Saec. VI. P. II. p.*** **1** ***et Ioannis Rer. Mogunt. I. p.*** **474**. ***Servata est in magna illa vitarum collectione, cuius exemplaria passim per Austriam inveniuntur***[11], ***admodum quidem magni aestimanda, sed ut fit in eiusmodi libris, hic illic non integris operibus insertis nimis compendiosa. Et noster quidem auctor c.*** **24**. ***sermones Bardonis in tertium librum se differre ait, secundum miraculis reservans, ut probabiliter D. Papebroch existimavit.***

a) affectus *c.* b) Congunde *c.*

6) tunc praesertim, quum a nuptiis regalibus a. 1043 vacui et moerentes, teste Herimanno, recederent. 7) a. 1039—1054 episcopus fuit. Cf. Adam. Brem. III, 29. Remling, Geschichte der Bischöfe von Speier I, 279. 8) Marianus Scotus hoc a. 1037 refert, sed eo anno imperator in Italia fuit. Dies erat vigilia S. Martini. 9) S. Iohanni dedicata. 10) Ex hoc capite nonnulla in codice Latomiano servata invenit Serrarius. 11) Archiv X, 644. 650.

Cum utroque libro auctor collectionis etiam praefationem resecuisse videtur, quod saepe fecit. Itaque de scriptore nostro nihil compertum habemus, nisi quod aequales Bardonis novit[12], *et cuiusdam eius familiaris testimonio utitur*[13]*: ipse eum vidisse non videtur. Multus est in laudandis virtutibus eius, res gestas non multum curat et de parte quam in imperii rebus tractandis Bardo egerit, altum silet. Quae de electione eius refert, probare videntur, eum veras rerum causas vel non perspexisse, vel consulto tacuisse. Sermone utitur turgido et sententiis simili verborum exitu versuum quandam similitudinem referentibus gaudet.*

Opus igitur etsi Bardone non satis dignum, tamen ad res eius temporis cognoscendas non inutile edimus ad fidem quatuor codicum, qui ex uno fonte omnes emanarunt, testibus lacunis quibusdam quas in omnibus pariter invenimus. Sunt autem hi:

1) *Codex monasterii S. Crucis in Austria inferiori n.* 12. *mb. fol. saec. XII. ex. pulcherrime scriptus et pictus, cuius specimen tabula exhibet. Hunc potissimum secuti, contulimus etiam*

2) *Codicem bibl. caes. Vindobon. n.* 336. *olim Hist. eccl.* 5. *membr. fol. saec. XIII. inc. quo D. Papebroch usus est.*

3) *Codicis Admuntensis n.* 24. *mbr. fol. saec. XIII. inc. qui pluribus vitiis scatet, nonnullis tamen locis meliora praebet, partem maximam contuli, minorem*

4) *Codicis Zwetlensis n.* 24. *mbr. fol. saec. XIII. inc. qui ad* 3. *proxime accedit, sed novos errores non paucos exhibet.*

Sermonem vitae insertum, unicum quod superest specimen eloquentiae qua Bardo Chrysostomi cognomen meruisse dicitur[14]*, resecare noluimus, sed ut spatio parceremus, charactere minore exprimendum curavimus.*

CAPITULA IN VITAM BARDONIS.

a) acoetum 4. b) Conradi 2. Chuonradi 3. Chunradi 4. *et hic et infra.* c) *deest* 1. d) Werdensium 2. e) prophetauerit 2. f) Dorasticon 1. orasticon 3. 4. g) *deest in codd.*

12) cap. 5. 6. 18. 13) cap. 20. 14) V. S. Godehardi c. 4.

1. Bardo[b] qui et Bardeo[15], id est filius Dei, interpretari potest, ex oppido Germaniae[16], secundo Ottone Romanam monarchiam amministrante, bonis ex parentibus optimus natus est filius; cuius pater Adelbero, mater vero Christina[17] quantae sanctitatis fuerint, absque meo labore loquuntur mirabilia, quae ad eorum sepulchra fiunt inenarrabilia. Igitur fratres eius Heliso, barbarismatice vero ab eo quod Helyseus est credimus mutatum, et Harderath, omnisque illa prosápia et in catholica fide probatissima et expers omnis suspicionis macula, tantae virtutis habita est ut si aliquid generi demas, virtutibus addas. Fortes in armis, in fide praecipui, quod regi debebant amministrabant strennue, quod Deo debebant optime. Tali ex radice palmes ortus est, qui accepto fervore verissimi solis in uvas[c] virtutum intumuerit, omnique sicienti salutem poculum vitae postmodum effuderit, eo quod se ipsum sibi abnegaverit, et arrepta cruce mortificandi terrena sua membra Dominum secutus sit. Secundum catholicam igitur religionem sacrosancti sanguinis Christi tincto[d] baptismate, quidam compater eius ammirabili donavit eum munere, galea, agno, psalterio. Per quae dona materialia adverti possunt eius facta spiritalia, scilicet ut in primordio secundae nativitatis nobis resplendeat prodigium tocius sequentis aetatis. In galea quidem, quoniam[e] septus armis spiritalibus nunquam deserviebat voluptatibus carnalibus; in[f] agno praefigurata patientia, quae multa eum comitata est a prima adolescentia; in psalterii praefiguratione, quantum postmodum profecerit psalmodiae meditatione. Parentes siquidem eius et in divina sapientes et in humana prudentes, post ablactationem puerum cum ipso psalterio in loco ....[g] cuidam vetulae, nomine Benedicta, tradebant ad erudiendum litteras. Illa vero vetula in infantulo suum solata senium, quicquid novit docuit eum, in gremio suo positum; et inter pie desipiendi susurrum, brevi totum illum edocuit psalterium. Ipse vero horum non inmemor, post factus episcopus iam gerontae nutricis factus est nutricius, inopiamque eius multis solabatur largitionibus.

2. Non multo post cum didicisset psalterium, a parentibus Fuldam[h] deportatus est, ibique sub Erchanbaldo[i] abbate[18] scolaribus alis appositus, mirum in modum tenera aetas sapienti utebatur consilio; quoniam quidem spretis humanae philosophiae faleris fragilitatem meditabatur vitae praesentis; et quamquam in scolari facundia desudaret magistri timore, in ecclesiastica tamen simplicitate toto mentis versabatur tenore in psalterio, Ambrosiano, euangeliis et talibus ceteris. Quare iusto valde[k] divino iudicio in utroque ditatus est ámodo, et intus eum informante sancti Spiritus magisterio, suo defraudatus non est desiderio, sed sitienti pectore sapientiae fluenta hauriebat, et satis firma memoria hausta digerebat. Postquam autem aetatem iuvenilem consecutus est, piae mortificationis libens assumpsit habitum, monachicum scilicet indutus vestitum, et quod eiusmodi professus est indumento, virtutum non negavit emolumento; sed sicut cucullam accepit in qua pia Christi signatur infantia, et scapulare quod quadratura sui perfecta designat opera, ita secundum apostolum

a) *lemma hoc cum sequenti in codd. permutatum est.* b) ardo *a scriptore codicis* 1. *omissum est; alter in spatio vacuo supplevit* ea(tus). c) uias 2. ulnas 3. ūras 4. d) tinctum 2. e) quomodo 2. f) et in 2. g) *spatium vacuum servavit* 3. h) *ita bene correxit Papebr. pro* cuidam. i) Herchanb. 1. Erchenb. 3. k) *deest* 2.

15) *Bar* hebraice filius est, igitur *Bar-Deo* filius Deo. 16) Nomen excidisse videtur; v. supra p. 318. 17) Nomen quod in codd. deest, ex Bruschio Papebroch supplevit; servatum est in vita priori. 18) a. 997—1011. Itaque iam ad minimum 16 annos natus erat.

Petrum quasi modo genitus infans rationabilis sine dolo lac simplicitatis concupivit, ex quo lactatus virtutum aetatem acquisivit. Bránthoho etiam praeposito Fuldensi adhaerens affinis, sui[a] simplicitate dilectus est nimis; quare in ea disceptatione qua Erchanbaldus Moguntinae sedis episcopus contra Branthohum abbatem sibi in Fulda subrogatum desaevit, et eum sine divino humanoque iudicio ab Heinrico[b] imperatore sua dignitate destitui fecit, exeuntibus cunctis ingenuis et liberis hic sanctus vir, non fortunae sed virtutis amicus, Branthohum secutus est, et cuius laetis communicavit, eius nec tristia recusavit; tantoque tempore permansit cum eo, usque dum calumpnia illa interventu solaminis sedaretur, sicque sub abbate Bobbone[c] ad nidum suae rediit professionis, et pauper rebus, dives vero spiritu, incoluit dilectae locum habitationis[19]. Suae salúti vacans, fratrum studuit utilitati, totusque deditus erat inedicibili benignitati, et ex parvo quod valuit, ex toto fratribus prodesse voluit; pro eis serviendo, legendo, et cetera quae monasterialis usus novit agendo. Ita quoque circumquaque illis collectis fratribus — quoniam enutriti ibi paene omnes exierunt — brevi complacuit, ita ut prius innotesceret beneficio, quam reditus sui spatio.

3. Visa igitur in fratres eius benignitate, quamvis voluntatem[d] saepe frustrante paupertate, aliquotiens in conventiculis suis privatis, verum illi dantes testimonium benignitatis, querebantur inopiam eius spontaneae paupertatis, et piis eius pro moribus, dignum eum mussitabant[e] qui imperaret vel senioribus. Quod et factum est. Nam vir Dei simul cum gradibus aetatis scandens etiam gradus dignitatis, opinioni eorum nequaquam se minorem, sed centuplicato fecit maiorem, admodum ut gratulantibus electoribus eius singulis, multi eum dicerent suis primitus[f] electum consiliis. Fuit etiam in scala provectionis eius quiddam[g] admirabile, omniumque memoratu probabile, quoniam in monasterio nulla fuit obedientia, quae non administraretur eius diligentia; qui incipiens a minimis, finem scandendi fecit in maximis. Nam frugalitati deditus fraternae, lucratus est sibi nomen dignitatis paternae. Quemcunque enim fratrum angebat alicuius rei necessitas, evadendi necessitatem solatium primum sancti patris fuerat largitas; nec fefellit aliquem spes eiusmodi, quia nec habuit nec acquirere potuit quod petebatur, si negabat alicui. Quod tamen quia accidere inevitabile est, si aliquando evenit, pie consolatus petentes, anxietatis eis curas ademit; et si aliquem vacuum dimisit dono, non tamen sermone bono, memor illius: *Sermo bonus super datum optimum.*

4. Vir itaque mellifluae dulcedinis nil aliud agens studensque quam moribus consenescere, et econtra bene faciendi voluntate semper iuvenescere, nullum tempus lasciviae, nullum dedit otio; sed quid agi oporteret, sedulo vel didicit legendo, vel inculcavit faciendo. Quare mundus corde et corpore, sicut scriptum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, sancti Spiritus factus sacrarium, illum inhabitatorem promeruit, qui ait: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus;* filicem[h] carnalis cogitationis penitus eradicans falce spiritalis operationis, quicquid offendere posset oculos convivantis amici sollicitus abstulit, et quo illum advocari vel delectari crederet providus intulit. Illum amavit, illum suspiravit; et quia carne gravidatus, quo spiritu eum secutus est, corpusculo non potuit ascendere, illum etiam cum praesens esset, ad se invitavit descendere; unde, ut scriptum est: *Ibunt de virtute in virtutem*, iam illum divini consilii consortem caelestis novit curia, et amicum Dei in terra degentem inpléverunt caelestia sancti Spiritus oracula, ita ut in eum divinitus conferretur prophetiae gratia. Nam inter cetera sanctae scripturae flumina, quae sitibundus bibebat et bibendo sitiebat pius Domini discipulus, pastoralem curam maxime diligebat, eamque sine intermissa sedulitate legebat. Quod familiares eius fieri videntes, non sine divina voluntate, quamvis casu ut dicitur operante, quadam die illum percunctati sunt, quanam causa hoc ageret, ut hunc librum prae omnibus tanta cum diligentia legeret. Quibus sanctus pater iocunde et ut ita dicam ridiculose respondit: *Adhuc,* inquit, *cum rex stultus venerit et nullum antistitare volentem invenerit, forsitan me constituet antistitem, ad quod necesse est me praevideam scientem.* Tunc omnibus secum ridentibus nichilque minus suspicantibus, cum ridendo declaravit, quod ipse necesse noverat futurum, acsi possibile enunciavit.

5. His etiam pollens virtutibus, cum perfecta mente perfectam simul aetatem arripuit,

a) *ita codices interpungunt; mox nescio an corrigam* delectatus *vel* allectus. b) Heinricho 3. 4. c) Bobpone 1. d) uoluntate s. frustrate *codd.* e) musit. 1. *constanter.* f) eum *iterat* 2. g) quoddam 2. 4. h) silicem 1.

19) v. Ann. Quedl. a. 1013. SS. III, 82 et Thietmarum VI, 56. Branthohus a. 1023 ep. Halberst. factus est.

iamque quartam annorum septimanam, iuventutem scilicet egressus, quintam septimanam quae etiam in[a] virile robur adducit[b], ingressus est. Memor igitur caelestis sponsus amici sui, summus rex militis sui, et corona gloriae coronavit indutum et circumsepsit eum[c] armis virtutum, muniens eum clipeo humilitatis, galeatum patientia simplicitatis, et circumcinctum gladio discretionis, adornavit sagittis praedicationis; et protectum thorace iustitiae salutaris, superinduit eum clamide caritatis. Humilem quidem propter se, divina maiestas exaltavit apud se. Videntes enim coenobitae militem Christi sine fatigatione in procinctu positum, concedente abbate Richardo[20] unanimes decanum elegerunt, et conviatores angustae viae quae ducit ad vitam ducem fecerunt, qui nec ad dexteram declinaret nec ad sinistram; acsi diceret ad eum Dominus: *Amice*[d], *ascende superius.* (Luc. 14, 10) Qualis tunc esset, adhuc viventes multi testantur, qui etiam in servo carnis tantam libertatem spiritus unquam devenisse mirantur. Memorem enim eum illius: *Iudicem te constituerunt, noli extolli, sed esto cum illis quasi unus ex illis*, (Eccli. 32, 1) cum dignitate gradus et morum maturitate, cunctos humilitate subsequi vel invitus fatêri deberes. Inter magnos maximus, et inter parvos minimus; maioribus formidabilem, minoribus se dedit amabilem. Minores ad eum ut ad patrem accedebant, quem maiores ut iudicem attendebant; quia quod caritas iubebat, negligere nesciebat. Nullum condempnavit, nullum iudicavit; et cum interroget Petrus utrum dimittat usque septies, hic septemplicavit septuagies septies. Quodsi etiam a quoquam aliquando putredinem vulneris ferro correptionis abscidit, ilico se hominem esse memor, fomentum indulgentiae super aegrotantem linivit. Quicquid monasterio erat, omnium ut debuit esse docebat; nec obedientias habentes non habentibus, sed non[e] habentes praeposuit habentibus. Unde cum quidam cellerarius ibi cubam[21] aceto plenam haberet, unde negaret fratribus mittentibus ad se, saepius quam daret[f], proprietas haec servatoris ad patrem delata est. Qui memor olei quod negatum diacono beatus pater Benedictus foras[g] iussit proici, eâdem sancti Spiritus benedictione benedictus: *Ex hac*, inquit, *maledictione non gustabitur ulterius;* (Greg. Dial. 2, 28) et sine dilatione totum iussit effundi.

6. Interea praedictus bonae memoriae Richardus abbas regionem loci, id est Fuldae, ordinemque basilicarum in circuitu positarum, mente ratioque circuiens, invenit aliquid addere se posse, et quod placeret rationi, et aptum fieret divinae benedictioni. Versus enim septentrionem oppositus, in loco qui dicitur Mons episcopi, eandem plagam sustinenti, semper virginis Mariae vidit oratorium; altrinsecus autem sanctorum Iohannis baptistae et euangelistae basilicam ad austrum; cumque ex partibus orientis ubi in loco Uvesberc[h] beato Petro templum dedicatum invenit, ad occidentem reverteretur[i], et[k] hanc caeli plagam tali videret benedictione vacasse, intellexit vir Dei meritis suis augendis divinam providentiam hanc plagam reservasse. Dilatans ergo trigonum dico tres ecclesias in latus triangulum, in partibus occidentis citra Longum pontem, ad ripam aquae Fuldae tetragrammum integravit quadrangulum; et constructo in occidentis partibus coenobio, in honore sancti Andreae indidit vocabulum, ut Novum diceretur monasterium[22]; in quo pii patris meritum est laudabile, et ingenium admirabile, qui hoc excogitavit ut a septemtrione ad meridiem virgo respiceret virginem, et ab ortu solis in occasu apostolus fratrem. Habito ergo consilio teneram filiam abbas sancto viro commendavit, ut et temporibus infantiae lacte pasceretur, et sine austeritate disciplinata doceretur. Tum vir perfectae vitae pie se conformans infantiae, nutricum more et si assuescebat ad pedes Domini vitae theoreticae, gnarum tamen se ostendebat et practicae, imitans illum, qui cum tantae claritatis esset, ut desiderarent in eum angeli prospicere, assumpta obscuritate carnis nostro inventus est in corpore. Quantum se in hoc gradu fecerit exspectabilem, mihi opus non est declarare, quod tot testari videntur, quot adhuc eius exemplis illuminati reguntur.

7. Appropinquavit interim quod scriptum est: *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde;* (Isai. 52, 3) quia quem sanctus accendebat Spiritus, abscondere non potuit modius. Venit enim hisdem diebus rex Counradus Fuldam[23], et a beato patre Richardo

a) ad 2. e. iuuenile r. 1. b) ducit 2. c) deest 2. d) deest 1. e) deest 1. f) laudaret 1. 3. g) foris 1. h) *ita scribendum putavi;* uuesberc *codd. Schannat montem illum in antiquis monumentis Ugesberg et Hugesberg dici attestatur.* i) cumque *hic iterant codd.* k) *deest* 3. 4.

20) a. 1018 abbas factus, Poppone mortuo. Ann. Sancti Bonifacii SS. III, 118. Bardo igitur quintam annorum septimanam iam egressus erat. 21) Etiam et nos Galli dicimus *une cuve*. MAB. Et nos *Kufe*. 22) De hac re vide chartam Richardi abbatis in Schannati Dioec. Fuld. p. 248. 23) Fuit ibi circa Kal. Iun. a. 1025.

ad novellam adductus est filiam, ubi tum[a] nutricius eiusdem filiae, vir scilicet praedictus, obviam illis egressus est, et ut erat mitis et urbanissime educatus, congruo honore suscepit eos. Sed quia non inaniter venit, quem divina misit providentia, postquam oratione petita ecclesiam egressus est, singula de hoc loco percunctatus, quae illi essent servitia, qui fratres, quis pater; cum omnia resciret, hunc etiam patrem ex nomine audiret, subito repletus summo gaudio quod eum[b] videret quem dudum sibi diu[c] multumque fama loquebatur, iterato salutatum, amplexatum, osculatum, promisit cum primum nancisceretur copiam aut tempus, non dimittere se nisi redderet exaltatum. Erat quoque hic Dei servus reginae consanguineus, et exinde promissionis facilior fiebat accessus. Qui satisfaciens regiae dignitati, quod etiam ipse potuit non promisit sed dedit, videlicet kliotetram regio decore praeparatam, quam illuc venturo iussu et permissu abbatis sui Richardi praeparavit. Tunc denuo exhilaratus rex pro[d] accepta benedictione, erat enim dulce etsi non necessarium quod dedit caritas, laetus egressus est multum affirmata promissione.

8. Memor autem imperator promissi sui[e], non multo post misso nuncio ad Richardum abbatem, praefatum sanctum virum sibi mitti praefecit. Fama vulgatum est ilico, pium patrem a rege vocari. Flentibus ergo discipulis nuper congregatis aliisque familiaribus, quos et monitis illustrabat et exemplis sustentabat, regi missus est. Quem honorifice suscipiens imperator, circumstantibus amicis eum ostendit dicens: *Audistis*, ait, *de Bardone Fuldense aliqua?* Aiunt illi: *Multa. Quaenam?* inquit. Qui dixerunt: *Optima quaeque.* Et rex: *Si*, inquit, *audistis, credite quia vera sunt. Hic est ille ipse*, ait, *quem veraciter laudamus, aut quis sit laudabilis ignoramus.* Deinde exposito beneficio quod a pio patre susceperat, omnibus honorabilem et amabilem reddiderat. Post haec promovit eum imperator inter amicos, fecitque eum abbatem Werdinensium[24] dicens: *Sicut audivimus de te, sic videamus.* Tunc satis benivole tractatum, ad commissum ovile cum honore dimisit eum Deus in conspectu[f] regum[g].

9. Audito autem discipuli et amici eius, quia magnificavit eius absentiae[h] tristitiam eventus laetitia, solabantur, securi de moribus, certi de vita; quia quem bene subditum videbant, bene etiam praeesse posse[i] sciebant. Ipse vero quod dicitur potentia contempnens, et quod paternitas dicitur[k] attendens, ad consuetos mores conversus, nec aliquid mutans nisi forte ut scriptum est: *Ibunt de virtute in virtutem*, illud sibi dicebat sedulus: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Qua de re impleta est in illo scriptura dicens: *Super quem requiescet spiritus meus nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos?* Sed et illud: *Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea*[l]. Quasi enim nulla essent quae fecit sibi Deus, ita visa sunt datori parva, ut ad ostendenda dilecti sui merita pro nichilo ducerentur beneficia praeterita. Ergo opus erat novis honoribus, ut rursus et potestate cresceret, qui novis semper crescebat virtutibus. Unde acsi monogamus paupertate premeretur, digamus subito factus est, tradita ei a rege Herfeldia, pastoris sui morte[25] viduata. Servus autem Dei videns quia caritas exigit quaerere[m] non tantum quae sibi prosunt, sed quae magis alteri, quae caritatis sunt cogitavit, loquebatur et fecit; ut quocunque divina voluntate pastor statueretur, nichil umquam nisi[n] dulce videri etiam a subditis diceretur. Qua de re tamen argumentari potest vita eius, omniumque communiter; quia qui placuerit his in quos habet potestatem, necessario placebit his in quos privatus solam exhibet caritatem. Illam diaboli adinventionem, dico detractionem, illud inremediabile vitium aut potius veneficium, fraternam in invicem accusationem, acsi fieret inde reus homicidii penitus abhorruit, abiecit, et respuit, illud memorans sedulo: *Quoniam proiectus est accusator fratrum nostrorum.* Si quis adulando ad eum absconse clamque venerat, et hoc et illud si forte negligentias aliquas viderat, enarraverat: *Vos*, inquiens, *nescitis quanta surgat vestri periculo protervia, quanta insolentia, arrogantia; neminem iuventus reveretur, pro nichilo reverentia seniorum habetur;* patienter ille parumper audiens: *Quid?* inquit, *quid agit decanus?* Illo dissimulante omnemque in partem accusationem temptante: *Decanum*, inquit, *habent, ille magister est, pater ego. Quod ipse me celaverit, scire fas non est.* Sic itaque ut prudens

Margin: 24 (at "que eum abbatem Werdinensium"); Psal. 83, 8. Eccli. 3, 20. Isai. 66, 2. ibid. 42, 1. 1031. 25 Apoc. 12, 10.

a) *ita corr. Papebr. pro* cum. b) cum 1. 4. c) diuque 1. 3. d) *deest* 2. e) *deest* 2. f) conspectum 2. g) *ita codd. sed addunt* absentie *quod ex sequenti sententia irrepsisse videtur.* h) *deest codd. supplevit Papebroch.* i) *deest* 1. k) *deest* 2. l) anime mee 2. 3. m) *deest* 2. n) *deest codd. lacunam indicant* 2. 3.

24) v. supra p. 318. 25) imo deposito Arnoldo abbate; v. supra p. 319.

1031. apicula circumquaque collectis virtutum floribus in alvearia suorum coenobiorum, quocumque mansitabat et memoriam dulcedinis et fructum reliquit pinguedinis.

10. Dicat nunc aliquis de hoc famulo Dei, utrum illi Deus largiens largior, an hic foret humilior? Respondebimus, maius quidem nos non novisse, magnum tamen utrumque nosse, et quia largus Dominus, humilis erat famulus, et quoniam humilis famulus, largus erat Dominus. Quicquid tamen hoc erat, Dei erat gratia, ut et[a] hic humilis esset in promerendo, et ipse largus in reddendo. Sed quid dicimus reddendo, cum scriptum sit: *Aut quis prior dedit* (Rom. 11,35.) *ei, et retribuetur ei? quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, ipsi honor et gloria in saecula saeculorum, amen.* Qui transgressorem praecepti sui non reicit sed revocat, non perdit sed reparat, qui promerenti mala reddidit bona, qui seductum remonuit, iacentem erexit, qui filium irae fovit misericordia, servum peccati libertatis gloria; cuius opus pietas, flagellum caritas, misericordia iustitia, iustitia misericordia; cuius voluntas opus, imperium salus, praemium ineffabile, consilium admirabile. Qui saltem illi grates[b]? Quis servit? Servire ei regnare est. Et quis serviet? Ecce in isto servo Dei quam largus esset non comprehendimus[c]. Et quid dicemus? Non tantum sufficiebat ei, ut hic carne in terra gravidatus, caelum inhabitaret spiritu, nisi etiam ipse clementissime descendens, eius inhabitaret spiritum, ut impleret quod ait: *Ego sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam et ape-* (Apoc. 3, 20.) *ruerit michi, intrabo ad eum, et coenabo cum illo.* Vere enim ad hunc vel potius in hunc intravit, quem secreti sui conscium faciendo laetificavit, ut quia non multum eum laetificavit potestate terrestri, laetificaret ut dignum erat praescientia caelesti. Rursum spiritu prophetiae reddidit eum clarum; rursus quod electus esset et praeelectus esset[d] apud se, etsi obscure fecit planum. Abbas enim duorum locorum cum sollempnitate quadam ad regem venisset[26], stans iuxta primos, utpote archipraesulem Mogontiae[e] Aribonem, contigit eum (26) ferulam quam[f] optimam in manu portare, ut haec solet potestas. Cui ait episcopus temere — erat enim Noricus[27] genere —: *Heus abbas! haec ferula convenientius imperaret manu nostra quam vestra.* Ille autem ut erat filius caritatis, econtra placide respondit: *Et si placet vobis, non multum difficile est, ut acquiratis;* et tacuerunt ambo. Cumque venisset abbas ad caminatam, sumpta ferula et ferro mire caelato, in quo mensales oblatae coquebantur, et quodam sarcîle ex lana Graeco facto opere, per manus Rohingi, qui tunc secum commanens, postea ad Fuldam imperabat[28], haec omnia supradicto misit episcopo. Illo autem revertenti, (28) ait servus Dei: *Quonam modo nostra accepta est oblatio?* Illo haesitanti, ait ipse: *Quonam modo? eya dic!* Qui ait: *Satis bene,* et ille: *Satis?* inquit; movensque caput ait denuo: *Quid si haec omnia nobis servata quandoque reddentur?* Et iterum: *Non multum ut credo tempus intererit, et erunt rursus haec omnia nostrae ditionis.* Quod ita factum est. Factus enim in Mogontia non multo post episcopus, omnia haec in camera sicut prophetaverat invenit, et Deo gratias recepit.

11. Necesse fuit quandoque venire, quod totiens prophetaverat, ut fieret quod ait etiam alter propheta, quia propheta cum prophetaverit, veneritque verbum eius, et inplebitur, (Ierem. 28, 9.) scietur propheta ille quod verax est. Defunctus enim non multo post est praefatus episco- (Apr. 6.) pus, et virga potestatis eius ad regem delata[g] ubi tunc manebat[29] tempore . . . .[h] (29) Congregati sunt fideles orthodoxi, habitumque concilium in eodem loco cum eisdem ecclesiae patribus. Quibus ait rex: *Quia vobis*[i] *divina vox scriptis innumerabilibus et terrorem suum et honorem loquitur, estisque divini consilii secretarii et praecones: non meam*[k] . . . . *voluntatem, sed sempiternam potius maiestatem ut ex vobis eligatur, in quem firmissimus sanctae ecclesiae paries secure innitatur.* Admoniti quippe consultius agentes, nunc hunc, nunc illum alter et alter nominabat, quem esse idoneum estimabat[l]. Diu multumque frustratis, fuit aliquis ibi qui diceret, ex privilegii censura Fuldensem exigi pastorem, eo quod tertium antistitem sedis Mogontinae mittere Fuldense deberet ovile. Placuit itaque regi differre concilium, quousque congruum de hoc caperent consilium. Consulta igitur privilegia eadem loquebantur, et priorum regum in hoc consensum testabantur. Communi vero consilio

a) *deest* 2. b) *ita codd.* c) *ita edidit Papebroch;* reprehendimus *codd.* d) *deest* 2. e) Moguntiae 2. f) *deest* 2. g) *ita* 1. *sed manu s. XV; lacunam litterarum circa* 24 *exhibent* 2. 3. h) *similem lacunam habent* 2. 3. i) nobis 2. k) *lacuna litterarum circa* 13. *in* 2. 3. l) existimabat 2.

26) Aribo exeunte a. 1030 natalem Domini cum imperatore Paderbornae egit; inde post Kal. Febr. iter Italicum aggressus est. 27) de palatinis Bawariae. 28) 1043—1047. 29) Imperator pascha Noviomagi celebravit, ibique per Aprilem mensem mansit.

1031. senatus super hoc habendus dilatus est, quoniam adhuc homo non invenitur quem vellet Deus.

12. Igitur et abbas Richardus adductus ex privilegiis eadem ratus ventura, disposita domo sua multorum ibidem eum lacrimis prosequentibus curtim pergere iter aggressus est. Ibat quidem gravis meditationibus et anxius, spe biformi in incerta raptatus, anne fieret ex decretis episcopus; sed parum cupidus terrenae potestatis, exspectabat tantum velle divinitatis. Quare sicut ait psaltes[a] egregius: (Psal. 30, 2.) *In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum;* de incertis cito certus factus, eo quod inviolata spe omnibus suis Deum advocaret sedulus, de his quae ad se non pertinebant, praegravari diu permissus non est. Tempore enim umbrifero cum sole inferius mundi hemisphaerium emetiente, terrae diametros sui obsistentia tenebras in caelum funderet quod nox dicitur; somnus etiam oblivionis minister, ad diurnas curas ingenii reparator, virium quoque pridie lassescentium[b] in crastinum redintegrator, aegris se mortalibus infunderet; praedictus abbas post vigiliarum hostias lecto redditus, secundum quod dictum est: (Ioel 2, 28.) *Iuvenes vestri visiones videbunt, et senes vestri somnia somniabunt,* somnium vidit. Experrectus igitur aurora procedente, iam certus divinae voluntatis quis futurus esset episcopus, post iteratas orationis victimas, coram stantibus ait: *Ne multum contristemini, fratres, de me, quasi abstrahar a vobis episcopatus causa: divina largiente gratia*[c] *Fuldense*[d] *nobis sufficiat solium; nam Mogontinum exspectat alium.* Et divinam praescientiam ammiratis[e]: *Hac,* inquit, *nocte in quodam fui campo, ubi econtra stantem mirae celsitudinis vidi montem, in cuius cacumine quo ego ascendere non valebam, fratrem Bardonem stare videbam, sub cuius pede fons purissimi fluenti saliebat. Quem quia me celsiorem videbam diligenter intuitus, virgam in manu eius quasi oves minantem*[30] *aspiciebam, ipsasque oves circumquaque pascentes.* Cuius interpretationem subiciens continuo ait: *Mons quidem principatus est sublimitas, virga correptionis subtilitas; fons doctrina quam congeret in eo divina sapientia; oves autem populi pascendi gramine caelestis pabuli. Ille,* ait, *electus est, summae voluntati volentes cedamus.* Qua in re admirandi sunt ambo tanti patres, quos in terra positos caeleste non latuit consilium, qui in corpore seiuncti, spiritu spiritale[f] iunxere collegium.

13. Ivit quoque et hic famulus Dei de quo loquimur etiam et ipse ad regem, non anxius quidem quis episcopus fieret, sed qui fieret qualis fieret. Ergo hi duo columbi in quodam diversorio[g] convenientes in invicem resalutati[h], datis complexibus ad capellam quae ibidem erat ibant[i] iunctis comitatibus. Cumque ad ianuam ecclesiae pervenissent, ambo constiterunt, et alter alteri ingressum praebuerunt, hic ut antiquo magistro, ille ut ei quem noverat electum in Christo. Diu illis alternantibus ait Richardus: *Quod ultra faciendum est, hic habeat initium: praecedat ille quem divinum elegit beneficium.* Ille vero acsi nota audiret, nichil haesitavit; sed pede currens obedientiae celer intravit. Ante divinum igitur intuitum merito praecessit, quem aestimatio divina praeposuit. Egressi vero post orationem ecclesiam, pius conservus pio conservo narravit, quod piissimus eorum Dominus sibi revelavit. Pernoctantes ibidem, crastino uterque commeatu suo adiuncto, ambo quo[k] volebant singillatim pergebant. Praecedens autem hic pietatis amator, prior venit ad curtim. Quem cum aliqui viderent qui cognoscerent, mussitantes invicem: *Hic est,* aiunt, *ille, quem nobis percunctantibus de pastore imperatrix praedixit*[31]. Circumquaque enim consiliantes rex et regina post priorem conventum, talem se nullum nosse fatebantur, qualem hunc Dei famulum testabantur. Erat ergo mensis Iunius, et appropinquavit sanctorum apostolorum Petri et Pauli (Iun. 28.) festivitas. Venit ergo principum pastorum vigilia, et personuit fama Mogontinae sedis quemcunque futurum die crastina. Praesto enim fuit quem Deus[l] in hoc ipsum elegit.

(Iun. 29.) 14. Altera autem die cum mundi oculus sol confinium septentrionis et orientis aspirando serenasset, et mortis ymaginem somnum horroresque tenebrarum pepulisset, rex ex cubili sui penetralis egressus cum regina primo diluculo ecclesiam ingressus est; fusa ergo precum oblatione, divinas aures pulsabant intenti, ut ostendere dignaretur quem ipse sciret in hoc officium congruentis meriti. Egressi deinde, pia fidelium turba congregata, residerunt pariter consulturi de praesenti causa. Mira populi mussitatio hoc illudque dicentis, et famam diversis confabulationibus lacescentis[m]. At ubi erant hi de quibus ait apostolus: (1 Cor. 3, 9.) *Dei adiuto-*

a) psalmistes 2. b) lassencentium 1. 2. 4. sassescentium 3. c) *deest codd.* d) *deest* 2. e) *ita corr. Papebroch pro* ammiratus. f) principale *superscr. alia manu* 1. g) diuersio *codd.* h) resulati *codd.* i) *superscr. manu illa alia* 1. k) qui *corr.* quo 2. l) Dominus 2. m) *ita* 3. lascessentis 2. lacessentes 1. lacessentis 4.

30) i. e. ducentem, Gall. *mener*. 31) Imperatricis machinamento subintrasse dicitur V. Meinw. c. 110.

res sumus, et nos spiritum Dei habemus, alius de patientia, alius loquebatur de continentia, 1031. iste de sobrietate, ille de humilitate; hic de proximorum condescensione, ille agebat de supremo[a] omnium contemplatione; et quemcumque his praeditum[b] aliquis noverat, de hoc secundum conscientiam testimonium dederat. Quibus vero regis patuit voluntas, verba cuius-
5 que ex industria suspendentes, verbum regis exspectabant, ipsi consentire volentes. Aliquantum[c] diei processerat, cum res adhuc fluctuabat. Petito ergo silentio post tot horas, incipiens imperator: *Quod audivimus*, inquit, *et probavimus, patres et fratres, annunciamus vobis. Virum scio magnificae virtutis, perfectae sanctitatis, ingenii singularis, vasculum castitatis, sapientiae filium, corporis dominum; magnum humilitate, praecipuum caritate, mundo paupe-*
10 *rem, Deo divitem; cui nostra favet auctoritas, si quid digne iudicare novit mortalitas.* Verbum regis omnes maiores loquebantur, et quod ille testatus est omnes testabantur. Qui autem quem dicerent celato nomine nesciebant, quemque ut erat proximus quem diceret perquirebant. Auribus ergo eorum benivole praeoccupatis, tandem vocans eum imperator ex nomine, dixit: *Pater*, simulque digito innuens praecepit ut accederet. Qualem tunc eum vide-
15 res, quam constanti animo, quam immutabili facie, quam moderatum gressu, dum incederet palatium. Cunctis eum in invicem adnotantibus: *Hic hic est ille!* oculi omnium ad pium patrem, aures intendebant ad regem. Cum ergo iam staret ante solium: *Novimus*, ait rex, *Fuldense privilegium, nec infringimus statutum praecessorum nostrorum; sed quia non desunt qui noverint, qua causa non promoveamus abbatem, te eiusdem ovilis antistitare statuimus*
20 *secundum priorum voluntatem.* Commissa igitur sibi plebe Mogontina, cuncti laetabantur, ductumque cum laude Dei ad ecclesiam, promoverunt eum consecrantes in episcopatus gradum. Tunc vere potuit ad eum dicere Dominus: *Amice, ascende superius.* Induit ergo se Luc. 14, 10. anulum sanctum tertio mense[32], et cingulo castitatis praecinxit se, indutus stola iustitiae. 32 Seniores igitur filiorum ecclesiae verum Aaron consecraverunt, ut esset ei testamentum
25 sempiternum, simul et sacerdotium magnum. Inter haec ergo nec divina caruit consecratione, quoniam ditatus est omnium gentium benedictione. Non enim dereliquit eum Dominus, donec afferret illi sceptrum regni. Consecratus igitur pontifex verus custos vasorum paene quinquagesimo aetatis suae anno, post festivitatem sanctorum apostolorum ad commissum ovile cum honore dimissus est.

30 15. Senator ergo curiae caelestis, cui cum apostolo datae sunt claves regni caelorum, potestas siquidem ligandi et solvendi terrae ac caeli, nequaquam potestate usus ut luderet in avibus caeli, aut in bestiis terrae, sed cum piscatoribus apostolicis in omni piscatus monte secundum prophetam, et in omni colle, quodcumque superbum invenit, rete circumdedit Ier. 16, 16. humilitatis; quod pro peccatis humile invenit, spe irretivit consolationis, hoc semper cupidus
35 ut ante conspectum summi patris familias non appareret vacuus. Deinde thesauri non parcus quem vigiliarum acquisivit mercimonio, aerarium sapientiae aperuit; pauperes spiritu, hoc est pusillanimes, consolatione pavit; nudos peccatis, poenitentia indusiavit, caecos illecebris, monitis caelestibus illuminavit; claudos in itinere quod ducit ad caelum, suo ducatu praeviavit; ut esset carnaliter ac spiritaliter quod beatus Iob ait: *Oculus fui caeco, et pes* Iob 29, 15.
40 *claudo.* Venit deinde ad regem in nativitate Domini et Salvatoris nostri, et honorifice sus- Dec. 25. ceptus est: erat autem[d] tunc Goslariae[e]. Die ergo nativitatis Domini secundum primatum dignitatis suae missas die prima coepit agere, stansque post euangelium in gradibus, sermonem declamavit verbis non pluribus ....[f]... nabatur ad vesperam. Cumque ad altare regrederetur, fuerunt ibi aliqui, qui quasi aditu invento invidiae suae fel evomuerunt; cau-
45 santes tantae rusticitatis homunculum tam praecelsae sedis factum episcopum; re autem vera invidentes eum esse monachum. Doluit quoque etiam imperator tanta eum laude se coram omnibus[g] extulisse, poenituitque umquam eum antistitem fecisse. Celeberrime igitur die illa auditi sunt qui dicerent: *Monachus est, aliquid esse potuit in suo monasteriolo, nequaquam tali congruit solio.* Et quicunque aliquod in eum iaculabantur convicium,

50 a) summo 1. b) predictum 1. c) Aliquantulum 2. d) ergo 1. 3. e) *ita Papebr. ex Ann. Hildesh. supplevit lacunam codicum.* f) *codd. lacunam litterarum fere 20 exhibent.* g) *ita* 2. 4. hominibus 1. omnibus ominibus 3.

32) scil. post mortem Aribonis, nisi quis praefert coniecturam Hahnii, Reichshist. 2, 271. n. dd. Maium mensem tertium dici, quoniam initium anni apud
55 nonnullos Kal. Mart. erat. Auctor citatus ibi disserit de annulo quem Bardo iam in festo pentecostes (infra c. 24. et Mar. Scotus qui diem 3. Kal. Iun. itaque a. 1031. addit) clam acceperat et nunc publice protulit. Sed ex hac temporum ratione patet, quantopere in antecedentibus biographus hallucinatus sit.

1031. hoc in prima parte linguae iacuit, ut dicerent eum monachum[a], ut aperte intelligi posset,
quidnam in illo sibi maxime displicuisset. Rex paene inpransus est, nullas quaesivit delicias
Dec. 26. ciborum, quoniam ipse amare morsibus carpebatur lacerantium. Dies venit altera, et Metensis episcopus Diodericbus[b] missas celebrans, quicquid novit prodigus effudit. Laudatur ille
Prov. 29, 11. ab omnibus, dicentibus: *Hic est episcopus.* Vir autem qui non nescivit: *Totum spiritum suum* 5
profert stultus, sapiens autem reservat in posterum; nec aura favoris elatus, nec invidiae
morsibus inclinatus, patienter sustinuit, certissimus quid ipse facturus sit.

Dec. 27. 16. Venit dies tertia, missumque est ad pium patrem quis deberet missas agere. Qui
se professus divina comitante gratia; averterunt eum amici eius callide, quasi causa laboris
magni hortantes ut super hac re iuberet alicui, re autem vera verecundati super sermone, 10
Es. 42, 8. quem declamavit pridie. Ille vero cogitans intra semet ipsum: *Gloriam meam alteri non*
Gal. 6, 5. *dabo*, ait humiliter: *Unusquisque onus suum portabit.* Qui cum causarentur laborem: *Quid,*
inquit, *michi utilius est, agendis dare studium, an negligentiae aditum?* Paratus itaque cum
timore divino ad altare ingressus est. Post euangelium vero repraesentatus in gradibus
Psal. 17, 3. hanc sermonis telam orditus est: *Prae fulgore*, inquit, *in conspectu eius nubes transierunt.* 15
Levatisque parumper oculis cum gemitu ac si suum advocaret amicum, rursusque in terram
defixis humili habitu et voce humillima locutus est populis: *Super sermone,* ait[c], *psalmigraphi, consultus*
praeco divinus Iohannes euangelista, cuius hodie festa colimus, magna ex parte aperiet nobis quae involuta sunt obscurissimis sensibus. Sed prius videamus hic Iohannes quis, qualis, quantusque sit, an et auctoritati eius credendum sit? Hic
est Iohannes natura homo, virtute virgo, officio euangelista, dignitate apostolus. Rememoratur Iohannes homo fuisse, ut eo 20
laudabilius sit, fragilitati carnis obnoxium tantum robur virtutum acquisisse; virgo, ut notum sit, quanti mercimonio laboris
consecutus sit honorem virginei decoris. Quadam enim singularitate praecellit eius virginitas, quoniam inter nuptiarum epulas, et ante titillationem thalami sponsam seminudam reliquit, ut esset fortitudinis maioris, matrimonia relinquere in flamma
connubii proximioris. Quare hoc? Quia in Galilea gustato vino ex aqua producto, secundum consequentiam ordinis relicta
insapôra littera legis, ad vineam dulcedinem transmigravit euangelicae novitatis[d]*; transiens ad illam cui ait sponsus caele-* 25
Cant. 8, 5. *stis in Canticis: „Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.“ Ad ipsam quippe*
arborem mali punici roseam cruore dominicae passionis, virtutibus fecundam spiritalibus, idem ipse Iohannes stabat, ubi
corrupta et violata est synagoga Iudaicae sectae seditionisque quae est synagoga satanae, et suscitata est virgo euangelica,
in qua non est macula vel ruga, ei nupta qui eam[e] *lateris sui dedicavit sanguine, in lacrimis desponsata et in gaudio coniugata. Cuius eiusdem virginis idem ipse dispensatorius, praefiguratricem eius matrem, scilicet Domini, secum ad eandem* 30
arborem stantem, in suam tutelam virgo virginem suscepit maxima affinitate, gratissima societate. Virgo inquam suscepit
virginem, quae prima cum sigillo virgineae integritatis fructum meruit maternae fecunditatis: virgo virginem, dominam servus, matrem familias vernaculus, servus Domini matrem Domini. Ut quid hoc? ut pareret dominae voluntati, obsequeretur
necessitati, domum Domini administraret, familiae imperaret. Quam domum? cui familiae? Domum mundum, familiam populum. Totum enim mundum amministravit cum quid[f] *acturi essent homines annuntiavit; amministravit, cum annunciavit,* 35
1 Ioh. 3, 18. *annunciavit cum imperavit, imperavit ut de multis aliquid proferam, cum ait: „Fratres, non diligamus verbo nec lingua,*
sed opere et veritate.“ Quantus est iste servus Domini, dominus mundi, creatura creatoris, creaturae dominus, praepositus
ut apostolus caelitus, dispensans apostolica auctoritate caelestia!

Quoniam, inquit, *audivimus, quis, qualis et quantus sit, videamus an et auctoritati eius credendum sit. Ait euange-*
Ioh. 15, 24. *lium: „Et qui vidit testimonium perhibuit, et scimus quia verum est testimonium eius.“ Quaerimus quid viderit, quia scimus* 40
Ioh. 1, 1. *quid testificatus sit. Ait enim: „In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in*
principio apud Deum,“ et post aliquanta: „et Verbum caro factum est et habitavit in nobis“: quorum si quid viderit, quaerimus; et si vidit, quia verax est credimus. Et si non vidit, quomodo verum est testimonium eius? sed vidit et credimus,
et verum est testimonium eius. Quid vidit? Quis audeat dicere vidisse Iohannem quod ait: „In principio erat Verbum?“
sed si hoc non vidit, nec illud[g] *vidit quod sequitur, quomodo Verbum caro factum sit, et habitet in nobis. Sed quid vidit?* 45
Ambulantem Dominum et[h] *passum. Sed non dixit cum claudit euangelium: „Et qui vidit ambulantem Dominum aut passum;“ sed tantum: „Qui vidit testimonium perhibuit;“ ut credatur tantum vidisse, quantum dixisse. Et quid mirum si aliquid acutius Iohannem dicimus vidisse? cum inter animalia caelestia in forma aquilae credatur visus fuisse? Novistis aquilam quomodo veteribus pennis depositis, novis elevatus caeli emetiatur altitudinem, in solis radium attendat, inde lumen*
recipiat. Novistis et Iohannem quomodo vetustatem litterae deposuerit, pennas euangelicas acceperit, verum solem petierit, 50
inde acutiore visu inflammatus altiore clangore iubilaverit, ita connectens: „In principio erat Verbum.“ Quid mirum, si
Apoc. 1, 9. *aliquid acutius vidit, qui corpore terram, spiritu caelum inhabitavit? Nam quid de Iohanne scriptum est? „Ego Iohannes*
frater vester et particeps in tribulatione et regno et patientia in Iesu, fui in insula quae appellatur Pathmos, propter verbum Dei et testimonium Iesu; fui in dominica die in spiritu et audivi post me quasi vocem dicentem michi: Quae vides
scribe.“ Cumque multa vidisset, quae etiam scripsit[i]*, audita sunt septem tonitrua loquentia voces suas*[k]*, sicut et in psalmo:* 55
Psal. 17, 14. *„Intonuit de caelo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam.“ Scripturus etiam illa, vocem audivit dicentis: „Noli ea scribere“ ut non tam admirabilis sit, quod aliis audienda viderit, quam quod nulli videnda vidit. Et quid mirum si nulli videnda vidit, qui etiam nulli audienda audivit? Et hoc dicimus: non quod doceamus Iohannem illam inaccessibilem lucem*
2 Ioh. 3, 7. *perspexisse, cum ipse dicat: „Deum nemo vidit unquam“; sed more aquilae acutius attendisse. Et qui vidit testimonium*
perhibuit. Vidit oculis cordis quod non potuit oculis carnis. „Et qui vidit, inquit, testimonium perhibuit, et scimus quia ve- 60
rum est testimonium eius.“ Ergo si verax est, credi ei oportet. Quare consulamus eum super sermone psalmigraphi, ut involuta nobis enodet sapientia sui. Fratres, sermo difficilis est, attentionem nostram exspectat.

Postquam hic magnus Domini dispensator thesaurum lucrandum accepit, ut puto non in tribus talentis aut quinque vel
etiam in decem, sed credo mille, commissi sibi conservis largus magnum statim censum profudit dicens: „In principio erat
Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, et hoc erat in principio apud Deum.“ Et postquam de hoc 65

a) mo 2. b) Diodericus 1. c) *deest* 2. d) nativitatis 2. e) *ita* 1; *deest* 2. 3. *spatio relicto*; et manu *corrector* 1. 4. f) quid — cum *desunt* 3. g) hoc 2. h) aut 2. 3. i) scripsisset 2. k) sua 2.

divino fulgore aliqua subnexuit, ut quantae aestimationis fuerit, aliqua similitudine declararet, post pauca quandam magnam 1031.
nubem vel potius lucem introduxit, quam in collatione huius fulgoris nullam esse dixit. Ait enim: „Fuit homo missus a Deo, Dec. 27.
cui nomen erat Iohannes;“ et deinde: „Non erat ille lux;“ scriptum quippe de Iohanne est: „Erat lucerna ardens et lu- Ioh. 5, 35.
cens,“ sed Iohannes euangelista: „Non erat, inquit, lux.“ Et si hic non est lux, cui inter natos mulierum nullus maior est,
5 nec minor aliquis in natis mulierum lux est. Si enim maior non est, multo minus minor est. Exposuit Iohannes senten-
tiam psalmistae qui dixit: „Prae fulgore in conspectu eius nubes transierunt.“ Quis est hic fulgor? quae nubes? Euange- Matth. 17, 2.
lista ait quia refulsit vultus Iesu cum se transfiguraret in monte, et resplenduit sicut sol. Ecce fulgor. Et de nubibus
Esaias: „Qui sunt hi qui ut nubes volant?“ Fulgent, inquit, sanctorum coetus, ut nubes; immo supra nubes, ut scriptum est: Isai. 60, 8.
„Fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.“ Fulgent, alius castitate, alius simplicitate, alius paupertate spiritus, alius ad- Matth 13, 43.
10 modum pacificus ut dici mereatur filius Dei; alius sanguine laureatus, alius virginitate dealbatus, alius mitis ne quenquam
noceat, alius sapiens ut ignorantes doceat; et ut concludam generaliter, aliquis aliqua virtute fulget specialiter: sed quan-
tum hoc est, totum pariter in Deo est. Fulgor enim ille, lux de luce, Deus de Deo, Patris Dei Deus Filius. Fulgor in-
quam ille, de quo iste Iohannes ait: „Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venienten in hunc mundum.“ Virtu-
tum omnium seminator, totius pietatis largitor, totius sanctitatis auctor, quod in singulos partitus est, ipse totum habuit;
15 quod in partibus seminavit, in hoc totum habundavit; cuiuscumque bonitatis esset aliquis, nequaquam ad eum comparari
potuit, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. Non est enim homo qui non peccet, nec unius noctis 1 Petr. 2, 22.
infans, si sit vita eius super terram: caeli enim non sunt mundi in conspectu eius, quanto magis homines qui habitant do-
mos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea? Cuiuscunque claritatis aut sanctitatis electi sint,
cum illo divino fulgore comparari nequeunt, quoniam in eius collatione nullius momenti sunt. Sancti illi, ille sanctificans;
20 lucidi illi, ille illuminans; participantes illi, ille dispertiens. Quicquid illi sunt, est etiam ille; sed non quod ille, illi. Unde
bene scriptum est in Iob: „Et innocentem et impium ipse consumit.“ Quod impium consumat, in propatulo est; quod etiam Iob 9, 22.
innocentem consumat, etsi in dubio est, aeque tamen verum est. Innocentem consumit quia eum in se vertit: quia qui
innocens est, in Deo innocens est; ut nemo de suis meritis praesumat, sed qui gloriatur in Domino glorietur. Aut inno-
centem consumit, quia sui comparatione ad nichilum deducit, unde scriptum est: „Numquid iustificabitur homo compositus Iob 4, 17.
25 Deo, aut factori suo purior erit vir?“ Et psalmista: „Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.“ Vivens inquit, sive Psal. 142, 2.
enim vir, sive vivens non iustificabitur; quia clarus virtute non comparabitur. Non ait: „Non iustificabitur in conspectu tuo
omnis homo,“ sed: „omnis vivens“ [a]. Nichil enim diffinisset, si hoc quod nemo dubitavit superflue proposuisset dicens: „Non
iustificabitur in conspectu tuo omnis homo“; sed quod voluit, apte propositum diffinivit dicens: „omnis vivens“. Vivens inquit,
simplex, innocens, castus, mitis, modestus, pauper spiritu, humilis, aut aliqua sanctitate vividus non comparabitur. Quare?
30 Quoniam quis in nubibus aequabitur Domino, aut similis erit Deo in filiis Dei? Deus qui glorificatur in consilio sanctorum, Psal. 88, 7. 8.
magnus et terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt. Quis inquit in nubibus aequabitur Domino? Nemo. Ecce nubes,
sed prae fulgore in conspectu eius transierunt. Transierunt, hoc est illuminanti fulgori nubes illuminatae aequari non va-
luerunt. Tolle quod illuminat, et illuminatum obscurum est. Tolle solem, et nubes sunt in tenebris: adde solem, et sere-
nantur nubes. Tolle divinum, et nichil est humanum: adde divinum, et magnum est humanum.

35 Nec nos, ait, moveat quod scriptum est: „Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes.“ Aliud est enim esse Hebr. 2, 11.
adoptivum, aliud substantivum. Multi quippe filii Dei dicti sunt, ut de pacificis: „Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.“ Matth. 5, 9.
Et multi dii, ut dictum est: „Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes;“ sed adoptive, non substantive. Filius Dei substantive Psal 81, 6.
unus, adoptive plures; nec adoptive unus, nec substantive plures. Adoptivi quidem participant substantivo; substantivus autem
dispertit adoptivis: nec ille participat, nec illi dispertiunt; sed illi participant, ille dispertit. Eadem est apostoli sententia
40 quamvis aliquid contra sonare videatur in eo quod ait: „Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Hebr. 1, 9.
Deus tuus, oleo exultationis prae participibus tuis.“ Prae participibus inquit, quod ita sonare videtur, ac si participet Deus,
id est partem capiat; quod minime ita se habet, cum secundum apostolum in eo habitet omnis plenitudo divinitatis corpora- Col. 2, 9
liter. Sed attendamus priora, ut plene intelligamus posteriora; ait enim: „Dilexisti iustitiam;“ et post pauca: „Unxit te
Deus prae participibus tuis oleo laetitiae,“ et propheta: „Oleo sancto meo unxi eum, nichil proficiet inimicus in eo.“ Cum Ps. 88, 21. 23.
45 enim dilexerit Filius Dei iustitiam, dono eius dilexerunt et alii, erantque diligentes diligentis participes; sed ille prae omni-
bus unctus est, quia nichil profecit inimicus in eo. Si autem amplius placet, ut in assumpta humanitate participet — se-
cundum quod ait apostolus: „Non confunditur fratres eos vocare dicens: Ecce ego et pueri mei, quos mihi dedit Deus;“ Hebr. 2, 11. 13.
et iterum: „Quia [b] pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse simul participavit hisdem“ — in idem revolvamur. v. 14.
Quia in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: illis vero, alii datur per spiritum sermo sapientiae, alii sermo
50 scientiae, alii discretio spirituum, alii gratia curationum, alii aliquid dividiturque singulis prout ipse vult; sicque illi partici-
pant, ille dispertit. Quare, etsi de sanctis dicitur: „Vos estis lux mundi;“ sed participialiter, non substantialiter. Parti- Matth 5, 14.
cipant namque de illo, qui est lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Nam etsi de Iohanne
baptista scriptum est: „Ille erat lucerna ardens et lucens;“ et hic tamen adoptive, non substantive; unde et ex quadam
parte detexit infirmitatem eius euangelista, cum Dominum de Iohanne loquentem inducit, ita connectens: „Et voluerunt ad Ioh. 5, 35.
55 horam exultare in luce eius.“ Voluerunt inquit, et tacuit, fecissentne, ut quodammodo taciturnitate sui innotesceret, quod
exultare voluerunt, sed non valuerunt; erat enim lucerna ardens et non incendens, lucens et non illuminans. Et haec nubes
tam magna et [c] lucida, in conspectu divini fulgoris pertransiit, quia comparari non potuit. Ipse enim ait: „Non sum dignus Marc. 1, 7.
solvere corrigiam calciamentorum eius.“

Magnae nubes et magnanimiter lucentes a principio mundi fuerunt, sed quantaecunque in conspectu divini fulgoris
60 pertransierunt. Omisso enim dicere quid sit inter hoc quod est sine initio, et quod terminatur ex tempore, cuius proportio
nec momentalis est, illa dico aeternitate, animo omnia terminante incomprehensibili, quando non dicam non erat homo, sed
nec angeli quam homo determinet mentio [d], unde scriptum est: „In principio erat Verbum.“ Verbum in dicente, lumen in
lumine, in aeternitate aeternitas, in sapiente sapientia, principium in principio, Deus in Deo, Filius in Patre: de quo dici
non potest, nec quantus, nec qualis, nec cui, nisi Pater Filii, et Filius Patris, aut unitas trinitatis, et trinitas unitatis; nec
65 ubi, nec quando, nec situs aliquis, nec quomodo, nec actus: actus cuius inicium [e] motus est; nec aliqua passio, sed incom-
mixta et sincerissima simplicitas, indeterminabilis aeternitas, illabilis stabilitas; aut ut breviter totum comprehendam, quod
dici de eo credimus, quicquid [f] est. His inquam omissis; omissa unitate illa, in qua Dei Verbum totum quod factum est
excellens, soli omnia facienti consubstantivum et coaeternum, apud eundem idem est; de quo euangelium „et Verbum erat
apud Deum,“ omissa etiam dignitate, cui quicquid illud est quod creatura dicitur, sive hoc spiritus immortalis, sive morta-
70 litati obnoxius, sed tamen rationi deditus; dico sive hoc angelus sive homo est, asspirare non valet, cui sola euangelistae
sententia adpropinquat cum dicit „et Deus erat Verbum:“ omissa quoque illa indeterminabilitate, quod hoc Verbum, hoc est

a) sed quod voluit 1. b) quos *codd.* c) tam 1. d) *ita codd.* e) in ictum 2. f) Quis q̄d. et est *codd.*

1031. Dec. 27. hic fulgor divinus, immo ipse Deus, in se ipso in deitate sua, in principio in Patre, apud se ipsum in unitate theologa permanens, ut in euangelio: „Hoc erat in principio apud Deum;“ in cuius contextu illa prima propositio est aeternitatis, secunda theoricae unitatis, tertia incomparabilis dignitatis, quarta simplicis stabilitatis: omisso inquam hoc cui nubes nullae quantalibet luce splendeant, adpropinquant; illud docere conemur, ille de quo scriptum est: „Non est species ei neque decor, (Isai. 53, 2.) et vidimus eum et non erat aspectus; et desideravimus eum novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem: 5 et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum;“ quomodo hic vel fulgor sit vel in conspectu eius nubes transierint. Primo de primis. Sunt angeli, archangeli, throni, dominationes, principatus, potestates, virtutes, Cherubym[a] incendia, Seraphym[b] ardentia: magnae nubes, semper in lumine, semper de lumine, semper cum lumine; non tamen ipsi lumen. Et si lumen, non incircumscriptum, non incomprehensum. De his scriptum est: „Qui facit angelos suos spiritus, (Hebr. 1, 7.) et ministros suos flammam ignis.“ De illo fulgore scriptum est: „Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae (v. 3.) 10 eius.“ Illi facti, substantivus ille; illi innumerabiles, ille unus; magni illi, maior ille, ut scriptum est: „Portansque omnia verbo virtutis suae.“ Verbo portans omnia, et angelos et cetera. Dixit enim, et facta sunt. De illis aliquibus dictum est: „Et qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis repperit pravitatem;“ (Iob 4, 18.) et peccato violatum est nomen illud universale angelus. De illo: „Purgationem peccatorum faciens,“ (Heb. 1, 3. 14.) et si non angelorum peccantium. De illis: „Sunt omnes administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis.“ Sed de illo: „Sedens ad dexteram (v. 3.) 15 maiestatis in excelsis.“ Unde et[c] psalmista de eo: „Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.“ (Ps. 109, 1. 2.) Et ut pateat, quod nubes istae quae caeli caelorum dicuntur, in conspectu illius fulgoris quasi nil sint pertranseant, apostolica auctoritate de illa comparatione fulgoris et nubium dicamus: „Tanto melior (Heb. 1, 4.) angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit.“ Nomen differentius, ut sint illi angeli administratorii; ille angelus magni consilii. Et quoniam patet ex ipso stilo apostolico, in quo hic fulgor his nubibus maior est et melior, scili- 20 cet quia differentius prae illis nomen hereditavit: et in hoc etiam quod nulli angelorum dictum est: „Filius[d] meus es tu, (v. 5.) ego hodie genui te;“ et rursus nulli dictum est: „Ego ero illi in patrem, et ipse erit michi in filium;“ quoniam inquam in hoc collatio tota conclusa est, adiciamus nos quomodo sit angelis melior effectus, cum non sit factus. A facio quidem efficio, et ab efficio efffectus, et tamen est effectus qui non est factus. Considerata enim illa aeternitate, quod solus est ille et non est alter, quoniam se ipso nec maior nec minor[e] esse potest, nec mage bonus est, nec optime bonus, sed summe 25 bonus, considerata autem universitate sui operis a se diversa, distantia illa quae inter efficientem et factum est, melior effectus est. Cum enim infra Deum est aliquid quod bonum est, collatione illa Deus melior est; melior quidem effectus est occasione alterius minoris boni efficiente, non aliquo maiore faciente. Cum enim solus sit Deus, summe bonus est, nec melior, nec optimus: cum sit angelus bonus, melior est Deus; adde etiam hominem bonum, cui sit melior angelus, et Deus est optimus. Unde apostolus: „Tanto, inquit, melior effectus.“ Sed quid deprimimus angelicam dignitatem per illam inde- 30 terminabilem maiestatem? (Heb. 1, 6.) De illo comparemus cui species non est neque decor. Ait apostolus: „Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.“ Quis est iste primogenitus? An ille, de quo dicitur: „Proprio filio suo non pepercit Deus?“ (Rom. 8, 32.) Vere ipse est, vere languores nostros ipse tulit, et peccata nostra ipse portavit. (Isai. 53, 4.) Disciplina pacis nostrae super eum: vere cum iniquis reputatus est, et tamen de illo dicitur: „Et adorent eum omnes angeli Dei.“ Ubi nunc quaeso illa nubes est? Prae fulgore in conspectu eius pertransiit. 35

Ascendamus nunc, fratres, quae sursum sunt sapiamus, ubi Christus est in dextera Dei sedens; dicamusque plana voce et plena Spiritu sancto, quia nemo potest dicere dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto, (1 Cor. 12, 3.) quia hic ille fulgor est, a vero sole paternae maiestatis procedens, et illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, de quo psalmista: „Et permanebit cum sole et ante lunam.“ (Psal. 71, 5.) Cum sole inquit iste permanebit, quoniam nullus atius invenitur, qui non prae fulgore in conspectu eius pertransierit. Prae fulgore enim in conspectu eius nubes transeunt, sol cum sole permanet, et permanebit cum 40 sole. Dicturus enim: „Descendet sicut pluvia in vellus,“ (v. 6.) ut ostenderet ita eum elegisse de terra matrem, quatenus caelestem non relinqueret[f] Patrem: praemisit „et permanebit cum sole“. De quo subdidit: „Orietur in diebus eius iustitia“. In diebus eius, in sanctis eius; ut sint non tantum nubes, sed etiam dies: quorum dierum sol ipse sit, ut non sit similis ei inter filios Dei. Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius ad illum: hic adinvenit omnem viam disciplinae, et dedit eam Iacob puero suo, et Israhel dilecto sibi. Post haec in terra visus est, et cum hominibus conversatus est. De quo 45 vox paterna: „Hic est, inquit, Filius meus dilectus, in quo michi complacui“, (Matth. 3, 17.) et apostolus ad Ephesios: „Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto.“ (Ephes. 1, 6.) Dicamus Iesus, non enim aliud nomen sub caelo datum est hominibus in quo oporteat nos salvos fieri. In nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus est in gloria Dei Patris. Ergo prae fulgore in conspectu eius nubes transierunt. Trans- 50 ierunt, inventae non sunt nubes omnes filii Dei in conspectu, in comparatione, prae fulgore, prae Deitate. In nomine enim Iesu omne genu flectitur, caelestium, terrestrium et infernorum. Hic est ille panis angelorum quem manducavit homo, qui ipse ait: „Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.“ (Ioh. 6, 41.) De quo Iohannes: „Qui de caelo venit super omnes est.“ (Ioh. 3, 31.) Quantus est iste, in caelo dominus, in terra servus, sicut scriptum est: „Exinanivit semet ipsum, formam servi accipiens“; (Phil. 2, 7.) in caelo creator, in terra creatus; ut scriptum est: „Rorate caeli desuper, et nubes pluant iustum, aperiatur 55 terra et germinet salvatorem, et iustitia oriatur simul.“ (Isai. 45, 8.) Statimque: „Ego Dominus creavi eum.“ Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui magnificus in sanctitate? terribilis, laudabilis, faciens mirabilia. Nonne tu percussisti impium, vulnerasti draconem? Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis? qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati? Qui sperant in te mutabunt fortitudinem, assumentes pennas sicut aquilae, current, et non laborabunt; (Isai. 40, 1.) laborabunt, et non deficient. Quo current? ad habitaculum sanctum tuum, quod firmaverunt, Domine, manus tuae, 60 assumpti in expansas alas tuas ut portares[g] eos in fortitudine tua. (cf. Exod. 15, 13.)

Quod cum sanctus declamasset episcopus, ingemuit; et suffusis oculis paullisper rore lacrimarum terrenamque habitationem fastidiens: Quid enim, inquit, michi est in caelo, et a te quid volui super terram? (Psal. 27, 25.) Et rursum: Michi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in domino Deo spem meam, ut annunciem omnes praedicationes tuas in portis[h] filiae Syon. (Psal. 72, 28.) Dilectissimi, inquit, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quod erimus: scimus autem quoniam cum apparuerit, (1 Ioh. 3, 2.) 65 similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Videbimus eum. Quem? illum divinum fulgorem, sive ipsum verum solem, de quo scriptum est: „Timentibus nomen meum orietur sol iustitiae“, (Malac. 4, 2.) et nos fulgebimus sicut sol in regno eius, ex quo omnis paternitas in caelo et in terra. Orto hoc sole super omnes, qui in perfectam diem creverunt ab initio mundi, patres nostros, qui meruerunt dici stellae, dederunt lumen suum; vocatae sunt et dixerunt: „Assumus“: et luxerunt ei cum iocunditate qui fecit illas; nullus inventus est qui excesserit in aliquo, eum qui nostri causa factus est homo: ita ut 70

a) cherubin 2. b) seraphin 2. c) *deest* 2. d) Filius — est *desunt* 2. e) melior 2. f) reliquerit 2. g) portarent 2. h) *deest* 2.

inter gloriosos sit gloriosior, et inter depressos humilior. De Abel quidem scriptum est, quoniam propter innocentiam 1031.
eius, postquam interfectus sit, sanguis de terra clamaverit ad caelum. Mira res, ut tacentis tacens sanguis clamaverit! Dec. 27.
sed quid apostolus de Iesu? „Accessistis ad testamenti novi mediatorem Iesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem Gen. 4, 10. Heb. 12, 24.
quam Abel.“ Noe vir iustus atque perfectus in generationibus suis, ambulavit cum Deo. Cui post mitigatum diluvium dixit
5 *Deus: „Terror tuus ac tremor sit super cuncta animalia, cum his quae moventur in terra“; sed psalmista de Iesu:* Gen. 9, 2.
„Omnia inquit subiecisti sub pedibus eius“; non solum quae in terra, sed etiam quae in caelo, et ipsam terram et ipsum Psal. 8, 7.
caelum, et quae supra caelum, ut apostolus ad Ephesios: „Secundum operationem virtutis Dei quam operatus est in Christo, Eph. 1, 20.
suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in caelestibus, supra omnem principatum et potestatem et vir-
tutem et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro“ Abraham pater
10 *noster, ad eum dixit Dominus: „Benedicam benedicentibus tibi“, ut sit dignus benedictione, qui Abraham in benedictione* Gen. 12, 3.
receperit; sed de Iesu euangelista: „Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.“ Magna po- Ioh. 1, 12.
testas esse filium Dei, benedictio maxima. Eidem dictum est: „Exi de terra et de[a] *cognatione tua, et veni in terram* Gen. 12, 1.
quam monstravero tibi.“ De terra inquit, in terram exi. Exiit, et propter obedientiam in alienis ditatus est; de isto
dictum est: „In propria venit, et sui eum non receperunt.“ Ysaac filius eius paternae virtutis heres, interroganti ei: Ioh. 1, 11.
15 *„Pater, ecce ligna et ignis, ubi est victima holocausti?“ pater respondit: „Deus providebit sibi victimam, fili mi.“ Intelli-* Gen. 22.
gens puer voluntatem patris, obedivit usque ad colligationem et strictum ensem. Christus autem factus est Patri obediens Philip. 2, 8.
usque ad mortem, mortem autem crucis. Cum diceret „mortem autem crucis“, separavit eum in ignominiam et inproperium
crucis; unde et alio loco: „Propter quod et Iesus ut sanctificaret populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad Heb. 13, 12.
eum extra castra, improperium eius portantes.“ Quid est hoc improperium? „Maledictus qui pendet in ligno.“ De quo
20 *idem apostolus: „Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est; his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei* 1 Cor. 1, 18.
est.“ Igitur Ysaac a iusto iuste oblatus ad occisionem colligatus est in gloria; Iesus autem a iusto iuste oblatus, ab in-
iustis iniuste occisus, passus est in ignominia. Fuit enim obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod Philip. 2, 8. 9.
Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen. Filius gaudii Iacob, primogenita quae natu non
habuit, acquisivit merito, ut prioratum primogenitorum suis relinqueret nepotibus. De Iesu apostolus: „Ut sit primogenitus Rom. 8, 27.
25 *in multis fratribus.“ Et Iohannes: „Primogenitus mortuorum et princeps regum terrae.“ Et iterum Paulus: „Qui est* Apoc. 1, 5.
imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae.“ Et rursus idem: „Qui est principium, primogenitus ex mortuis.“ Coloss. 1, 15. ibid. 18.
Idem Iacob benedictionem Israhelitici nominis a suo colluctatore consecutus, iuxta nominis interpretationem temperans vo-
cem: „Vidi ait Dominum facie ad faciem.“ Et apostolus ad Philippenses: „Hoc sentite in vobis quod et in domino Iesu, Philip. 2, 6.
qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.“ Ioseph venditus viginti argenteis, dominus
30 *factus est terrae Aegypti. Iesus autem triginta argenteis venditus, secundum psalmistam: „De torrente in via bibet, pro-* Psal 109, 7.
pterea exaltavit caput.“ Quo exaltavit? Ipse ait alio loco ad Patrem: „Nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.“ Psal. 26, 6.
Et apostolus: „Videmus Iesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum.“ Ille sua providentia salvator mundi
ab Aegypto appellatus est: Iesus sua clementia salvator mundi a toto mundo verius appellatus est, cum dicitur Iesus. Hoc
enim nomen angelica dignitas exposuit; ait namque ad Mariam: „Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen eius Luc. 1, 31.
35 *Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.“ De Ioseph in benedictione ait Iacob: „Filius accre-* Gen. 49, 22.
scens Ioseph, filius accrescens, et decorus aspectu“; Daniel de Iesu ad Nabuchodonosor ......[b] *et David de pulchritu-*
dine: „Speciosus forma prae filiis hominum.“ Et sponsa: „Pulcher es, inquit, dilecte mi, et decorus aspectu“; unde in Psal. 44, 3. Cant 1, 15.
alio loco pulchritudinem eius describens, dicit: „Dilectus meus candidus et rubicundus.“ ib. 5, 10.

Transeamus ad Moysen, de quo dictum est: „Erat Moyses vir mitissimus in omni terra.“ O virum laudabilem, cui Num. 12, 3.
40 *nemo de terra comparari potest! sed quid dixit ille qui venit de caelo? „Venit inquit Filius Dei, non ut iudicet mundum,* Luc. 19, 10.
sed ut salvetur mundus per ipsum.“ O virum incomparabilem! venit filius hominis quaerere et salvum facere. Quid? quod
perierat. Tempore enim quo nullus excusari potuit, Filius Dei non iudex sed intercessor venit; unde apostolus: „Iesus Heb. 9, 15.
novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum praevaricationum quae erant sub priore testa-
mento, repromissionem accipiant qui vocati sunt aeternae hereditatis.“ Dicturus enim: „Discedite a me omnes qui ope-
45 *ramini iniquitatem“, mutata sententia ait mitissime: „Venite ad me qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos“,* Matth. 11, 28.
et in domo publicani: „Non est opus sanis medicus, sed male habentibus“, et ad paralyticum: „Fili, remittuntur tibi
peccata.“ Dicturus: „Remittuntur tibi peccata“, mitissime praemisit: „Fili“; et ad languidum iuxta piscinam sanatum: „Ecce Ioh. 5, 14.
sanus factus est, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat“: innotescens quod vulneratus reatibus ante iacebat
languidus. Et ad illam mulierem, illam meretricem, illam in adulterio deprehensam: „Mulier, ubi sunt qui te accusa- Ioh. 8, 10.
50 *bant? Nemo te condempnavit? Quae dixit: Nemo, Domine. Et ille ait: Nec ego te condempnabo. Vade, iam noli pec-*
care.“ Meretricem enim adhuc pollutam, adhuc rubentem labiis, attritam immundis basiis, vitta semicincto capite depen-
dentem, suam recognoscens Salvator, quam homines puto simillimi trahebant ad se iudicem, defensam ad domum remisit.
Ecce iudex in loco defensoris. Quid de illa dicimus, quae pedes Domini lacrimis lavit et capillis tersit; cuius cogno-
mentum non ex uno vitio, ut diceretur meretrix, sed ex multis ut diceretur peccatrix? Abhorruit? respuit? reiecit? ex-
55 *pulit? iudicibus tradidit? accusatoribus commendavit? Minime. Quid de illa iudicavit? „Remittuntur ei peccata multa,* Luc. 7, 47.
quoniam dilexit multum.“ Ecce peccatrix, ecce iudex, ecce sententia: „Filia, fides tua te salvam fecit, vade in pace.“
Deus iudex iustus, fortis et patiens, numquid irascetur per singulos dies? Septies cadit in die iustus, peccator autem ut
credo milies et tamen: numquid irascetur Deus per singulos dies? de quo Abacuc: „Cum iratus fueris, misericordiae re- Hab. 3, 2.
cordaberis.“ Et apostolus: „Conclusit Deus omnia sub peccato.“ Ad quid? ut perderet? Non, sed ut omnium misereatur. Gal 3, 22.
60 *Quis quaeso mitior*[c] *est, Moyses an Iesus? Chore, Dathan, Abyron, et On insurrexerunt in Moysen, tantum levi quo-* Num. 16.
dam murmurio moti humanitus in hominem; stantibusque illis in sacrificii probatione, Moyses maledixit eis, dicens ad
Dominum: „Domine, ne respicias sacrificia eorum“; et descenderunt in infernum viventes. Maria soror Aaron quia mur- Num. 12.
muravit paulisper contra eundem Moysen — quid[d] *enim magnum potest homo in hominem? — lepra percussa est. Ubi*
ille vir mitissimus? Iesus autem contra se Deum a diabolo commotis mitis quid dixit: „Pater, ignosce illis, non enim Luc. 23, 24.
65 *sciunt quid faciunt.“ Qui Moysen ultus est, suas oblitus est iniurias. Sed magnum aliquid de Moyse scriptum est, quia*
loquebatur ei Dominus ore ad os, sicut loqui solet homo ad amicum suum. Si autem sermonem ipsius Veritatis memineri- Exod. 33, 11.
mus, in collatione alterutra Moyses peccator est. Ait enim: „Ego et Pater unum sumus.“ Et rursus: „Pater in me Ioh. 10, 30.
manens ipse facit opera.“ Ad Phylippum quoque[e]*: „Phylippe, qui videt me, videt et Patrem: an nescis quia ego in Patre,* Ioh. 14, 10. 9.
et Pater in me est?“ Ergo vir iste laudabilis, Iesu est incomparabilis. Aaron excelsus in gloria sua, statuit illi Dominus
70 *testamentum sempiternum, et dedit illi sacerdotium magnum: sed numquid simile illi sacerdotio, de quo dicit psalmista:* Psal. 109, 4.

a) *deest* 1. b) *lacuna satis ampla in codd.* c) minor 1. d) M. lepra p. est. Quid e. m. p. h. in h. ubi 2.
e) quippe 2.

1031. Dec. 27. „Tu es sacerdos in aeternum?" Quamquam magnus Aaron, unxit tamen eum Moyses; sed quid ait Petrus de Iesu: „Vos scitis verbum quod factum est per universam Iudeam, incipiens a Galilea post baptismum quod praedicavit Iohannes, Iesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute." O unctio magna! unde propheta: „Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritos corde, et praedicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem." De Aaron scriptum est, quia post interfectionem contra se et Moysen murmurantis populi, apprehendit thuribulum, et stans gemebundus, inter vivos et mortuos oravit et plaga cessavit. Sed quid apostolus de Iesu? „Qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum, qui posset illum a morte salvum facere, cum clamore valido et lacrimis offerens exauditus est pro sua reverentia."

Act. 10,38. Isai. 61, 1. Num. 16. Hebr. 5, 7.

Samuel post mortem mirabiliter prophetavit, rursusque ius mortis passus[a] amplius. Iesus post mortem resurrexit, ambulavit, locutus est, manducavit, numquam ultra moriturus est, ut ait scriptura: „Christus resurgens a[b] mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: quod enim vivit, vivit Deo." Et alio loco: „Decebat eum propter quem et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare." Item alibi: „Christus semel pro peccatis mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu." Item: „Si confitearis dominum Iesum in ore tuo, et in corde tuo credideris quod Deus suscitavit illum a mortuis, salvus[c] eris[c]." De quo propheta: „Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra." Idem: „Et Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum." Introducamus David, de quo scriptura: „Inveni David filium Iesse, virum secundum cor meum." Magnus iste ut ante subtilitatem divini examinis nichil ei auferatur, nichil addatur, sed sit secundum cor divinae perfectionis. Sed Iesus maior est. Dixit enim David: „Ecce enim in iniquitate[d] conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea." Ad matrem autem Iesu interrogantem: „Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?" angelus ait: „Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi." De illo dicitur: „Iuravi David servo meo, usque in aeternum praeparabo semen tuum, et aedificabo in generatione et generatione sedem tuam." De Iesu dicitur: „Erunt reges nutricii tui, et reginae nutrices tuae, vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent[e]." Et iterum: „Gens enim et regnum quod non servierit tibi peribit." Et in psalmo: „Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae; reges eos in virga ferrea, tamquam vas figuli confringes eos." Et alibi: „Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi; virga aequitatis, virga regni tui."[f] .... De exercitu vero Iesu scribitur: „Et vocabuntur in ea fortes iustitiae, plantatio Domini ad glorificandum." Et Sapientia: „Fortitudo et decor indumentum eius" ......[g] „Laetabuntur coram te sicut qui laetantur in messe, sicut exultant victores capta praeda, quando dividunt spolia." Salomon filius eius, qui sapientia et dignitate supergressus est omnes reges, qui fuerunt ante se, videamus an non transeat[h] prae fulgore in conspectu fulgoris Iesu. De illo refert scriptura, quia in diebus eius habundavit pax in Israel; de Iesu propheta: „Quam pulchri inquit, supra montes pedes annunciantis et praedicantis pacem, annunciantis bonum, praedicantis salutem, dicentis Syon: „Regnabit Deus tuus." Et ut omnem magnificentiam eius depromamus[i], audiamus in euangelio loquentem: „Regina austri surget in iudicio cum generatione hac, quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis; et ecce plus quam Salomon hic." Natus in diversorio, positus in praesepio; ecce quid dixit, ecce plus quam Salomon hic.

1 Reg. 28. Rom. 6,9. Hebr. 2, 10. 1 Pet. 3, 18. Rom. 10,9. Isai. 53, 5. v. 6. Act. 13, 22. Psal. 50, 7. Luc. 1,34.35. Psal. 88, 4. Isai. 49, 23. Isai. 60, 12. Psal. 2, 8. Psal. 44, 7. Isai. 61, 3. Prov. 31, 25. Isai. 9, 3. 3 Reg. 4, 24. Matth. 12, 42.

Helias in turbine raptus in caelum, dignitatis suae magna profert indicia[k]. Conferamus et hunc. Oratione sua caelum clausit, ne plueret annis tribus et mensibus sex. De Iesu scriptum est: „Qui ligat aquas in nubibus, ne erumpant pariter deorsum." Et iterum: „Si continuerit aquas, omnia siccabuntur; si emiserit eas, subvertent terram." Et rursus: „Qui pluit super iustos et iniustos." Helias in Sarepta missus ad viduam: „Haec inquit ait Dominus: Hydria farinae non deficiet, nec lechytus olei minuetur, usque in diem qua daturus est Dominus pluviam super faciem terrae." Sed si ad quinque milia quinque panibus et duobus piscibus saturata, et ad fragmenta duodecim cophinorum respicias, nichil est quod in hydria aut lechito laudes. De Helia dictum est, quia ascendit in aurigam igneam[l], et vectus est in caelum, infirmitate eius in adiumento alieno ostensa. De Iesu psalmus: „Ascendit Deus in iubilatione, et Dominus in voce tubae." Helias quo vectus sit nescimus; de Iesu certum habemus, quia ascendit super caelum caeli ad orientem. Helisaeus vir magnus et incomparabilis, in eo spiritus Heliae duplus requievit. De Iesu autem dicit apostolus: „In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi." Super illius sepulchrum proiectus est mortuus, et revixit. Iesu autem sepulto et resurgente, scimus quia multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt. Quid multa dicemus? Magnae istae nubes sunt, sed prae fulgore in conspectu eius[m] transierunt.

3 Reg. 17. Iob 26, 8. Iob 12, 15. Matth. 5, 45. 3 Reg. 17. Psal. 46, 6. Coloss. 2, 3.

Patet et alia via huius sermonis exponendi. Scitis solem, scitis radios, scitis nubes. Nubes quidem a longe radiis solis oppositae, quamdiu in conspectu solis sunt fulgescunt; accedunt, quantoque propinquiores, tanto clarius lucescunt; si vero in eundem punctum et sol et nubes concurrerint, ita ut ubi sol est supra, nubes ibi sint infra: nec nubes vocantur nec sunt, sed tota illa claritudo solis esse dicitur. Quid hoc esse dicimus, fratres mei, nisi quandam similitudinem caelestis regni? Quid nubes quae a nubilo vocantur, id est ab obscuritate, nisi genus humanum peccatorum nocte obnubilatum designant? Quid solis claritas nisi divinae claritatis lucem insinuat? quid autem radii nisi illuminantia opera Christi? Nubes ergo sui natura obscurae, radiis solis aspiratae fulgescunt: quia parvitas humana Christi operibus illuminata resplendet. Quae quanto propius ad solem verum accesserit, tanto clarior erit; et virtutes quas sui natura non habuit, illuminatione veri solis Christi recipit. Quae si in eundem punctum operationis deificae successerit, quod est perfecte mundum relinquere, solamque divinam voluntatem sedula contemplatione respicere, et cum apostolo dicere: „Nostra autem conversatio in caelis est," iam Deitatis nomini participat, ut non homo sed etiam Deus dici debeat. Unde Dominus in euangelio cum pro discipulis orasset ait: „Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me; ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te: ut et ipsi in nobis unum sint." Non tantum in nobis unum dicantur, quod magnum est, sed unum in nobis sint, quod maximum est. Unum inquit in nobis sint, hoc est nubes istae, michi soli succedentes[n] in nostra claritate nubes esse perdant et sol sint. Ergo nubes a solis conspectu in tenebris sunt, peccatores etiam ab operibus divinis recedentes tenebrescunt: nubes igitur in conspectu solis fulgescunt[o], et homines in studio divinorum operum accensi, virtutum lumine clarent. Quanto autem nubes soli adproximant, tanto clariores sunt; et in deificis operibus studentes, quanto efficaciores tanto meliores sunt. Si vero in eandem catabibazon sol nubesque convenerint, nulla fiet mentio de nubibus, sed tantum de solis ardoribus: et homines mundum penitus despicientes, solique acumini contemplationis intenti, participare merentur divino vocabulo, ut dici mereantur dii. Sive enim a solis conspectu nubes remotae, sive in e ....[p] solis successerint, perdunt ne nubes sint, tantum in conspectu solis nubes transeunt. Ibi enim potius tenebrosum quiddam sunt, ibi corpus lucidum. Et homines ergo caelitus accensi, prae fulgore

Philip. 3, 20. Ioh. 17, 20.

a) deest 1. b) ex 2. c) desunt 1. d) iniquitatibus 2. e) linguent 2. f) hic 2 habet lacunam trium versuum. g) vacuum spatium verbis aliquot relictum est. h) eat codd. i) deprimamus 2. k) iudicia 2. l) ita codd. m) deest 1. n) succedens codd. o) refulgent 1. p) lacuna litterarum fere 20.

in conspectu eius, id est illuminantis fulgoris, transeunt, ne natura filii sint irae sicut et celeri, sed in Deo Dei Filio unum sint, vero participantes soli. 1031. Dec. 27.

Multis ergo talibus disputans, postquam eos rore sanctarum scripturarum perfudit, ad confessionem inducens, lavacro lacrimarum eos infudit, mactansque illos in ara spiritalis 5 contritionis, optulit Deo holocaustum suavissimi odoris. Sic ergo ad altare regressus, omnium ora convertit in stuporem: quoniam qui paulo ante in[a] tantum viluit ut rusticulus, voce omnium praedicabatur dignus esse, qui summus fieret episcopus. Detractorum vero vultus superfusi rubore ore taciti, conscientiam accusabant confusi vultus confessione. Postquam ergo ad mensam regis ventum est, rex hilari vultu: *Hodie,* inquit, *natalis Domini michi est* 10 *agendus, quoniam confusus conticuit lacerantium nos chorus.* Rursusque ex nimia laetitia quasi desipiens: *Ubi sunt,* inquit, *detractores nostri?* Et iussit episcopo priori aquam in manibus dari. Episcopus autem nec pridie tristior, nec hodie laetior, sicut tunc de vituperantibus, sic et nunc tacuit de laudantibus. Qua ex re magis ac magis admirabilis, ex illa die effectus est magnus nimis.

15 17. Multo igitur habitus apud regem honore, cum recordaretur quia maritatum suae decet domui providere, regio honore prosecutus Mogontiam repedavit, ibique vitam suam secundum verissimam agricolarum sectam instituit ad exemplum eius, de quo ait aeterna Dei sapientia: *Pater meus agricola est.* Sic enim agricola galli succentu excitatus diurnum (Ioh. 15, 1.) laborem nocturna sollicitudine praevenit, domesticos inclamat, hesterni caloris favillam ex-20 plorat, inventam scintillam flatu suscitat, sarmentis educat, disponit quid quisque agat; mane primo agrum petit, terram proscindit, semina iacit; iamque sole acrius incendente, domum repetit, suavem ex labore panem gustat cum suis, propter intollerabilem meridiei fervorem aestum declinat, dormiens in umbra culminis; surgensque repetit reliquias imperfecti operis: die decedente labori decedit, assidensque prunis postquam potu maduerit, ali-25 quid dulce praecinit, secuntur pueri; sicque omni hora certus quid iam iamque agat, laborem sine labore resumit ex consuetudine. Ita hic piissimus pater ad omne hoc opus simul accessit, nisi quod ille in spiritu operatur carnaliter, hoc egit iste in carne spiritaliter. Numquam enim gallum cantantem ipse non cantans exspectavit; quia, ut ait psalmista, media (Ps. 118, 62.) nocte surgebat ad confitendum Deo. Semper de nocte mundana consurgens, ad divinam 30 lucem sollicitus anhelabat; nec hoc solus, sed quemcumque invenit, secum invitabat, compulit, trahebat, iuxta illud: *Et qui audit, dicat: Veni.* At vero, si quem favilla delicti ali- (Apoc. 22, 17.) cuius sopitum invenit, scintillam in eo penitentiae explorabat, flatu consolationis in flammam produxit lacrimarum, sicut scriptum est: *Aqua comburit peccatum.* Disposuit quid (cf. Eccli. 3, 33.) quisque ageret, illum suadendo ad penitentiam, illum ad continentiam, illum ad humilita-35 tem, illum ad caritatem et cetera talia. Semper mane primo exiit, sequens eum qui ait: *Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, et tollat crucem et exiet post me.* Mane au- (Luc. 9, 23.) tem sicut scriptum est: *Mane astabo tibi,* terram cordis sui spiritu proscidit contritionis, (Psal. 5, 5.) seminans eam patrum exemplaribus, unde sibi virtutis et aliis cresceret fructus salutis. Si quando autem acrius in eum incendebantur humanae molestationes, quia scriptum est: 40 *Omnes qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur;* humilitatis ingressus (1 Tim. 3, 12.) refrigerium, quasi sub umbra patientiae humanos declinabat aestus; et rursus quasi surgens exaltatus divino iudicio, toto corde reddebat quod debebat pro divino beneficio. Ergo sive decedente sive accedente die, semper ille integer ad Dei accedebat pensum. Tota nocte inter caelestes convivatores epulatus, ad prunas caelestis incendii sedebat, potuque lacri-45 marum deebriatus, Daviticum poema cum suis pueris intentus et frequens canebat: sicque laborem semper resumpsit ex consuetudine, ac si nulla premeretur sollicitudine.

Aliquid modo dicendum est de hoc sancto viro, quod quia parumper acescit reticere cupio: sed tantae auctoritatis pondus silere non audeo. Quare autem hoc loquar invitus, si placet audite. Amarum est quod dicendum est, et Bardo noster dulcissimus est; nollemque 50 de dulcissimo quicquam nisi dulcissimum loqui. Quis enim umquam Bardonem nisi dulcissimum expertus est? Vultu hilaris, verbis amabilis, moribus suavis. Quis coram Bardone tristis? quis illius consolatione non est effectus laetus? Pauper coram illo nullius indiguit, dives apud illum nichil perdidit. Idem ipse Bardo et dominus ditione et frater voluntaria conditione, parvipendebat timeri, agens magnopere diligi. Talibus eius studiis invidens 55 diabolus, etsi vincere illum non valebat, sed temptabat. Incitavit in eum discordiam prae- (cf. Vitam priorem c. 6.)

a) deest 2. a. interim v. 3.

toris urbis Mogontinae, qui magnum aliquem arbitrabatur se futurum, si prae ceteris negligeret episcopum; patientia enim episcopi, hoc sibi visum est posse fieri; et unde miser debuit melior, inde factus est deterior. Observans igitur die noctuque episcopum, si forte aliquid illicitum admitteret, cum in omnibus eum inveniret inreprehensibilem, ad commenta fallaciae conversus, qua ex re nescio maiestati reum finxit apud regem. Sed cum talis mendacii stipula veritatis igne citissime consumeretur, cum[a] etiam episcopum adhuc patientem vidit, quem credidit totis se viribus velle ulcisci, despexit eum, sua se potestate defensum credidit; iamque per se ipsum in episcopum conari non distulit. Igitur quemcumque amplius familiarem antistiti vidit, sibimet finxit contrarium, ut cum in pontifice nullum haberet subsidium, vi[b] et[c] arte offenderet in episcopum. Ergo res processit longius, ulciscenda severius. Comprehendit autem ficto mendacio quendam dispensatorem episcopi, eumque nullo modo dimittere disposuit, nisi in purgamento iudicii. Sed sanctus episcopus videns eum absque ratione abuti sua patientia, itemque quanta sine causa paterentur in sua studiosi servitia, semel saepiusque rogavit tanta praetorem cessare molestia, ut etiam hic qui falso criminabatur, evaderet absque iniuria. Praetor autem laetus effectus est, quod aliquid invenerit, quo cor pontificis doloris vulnere tetigerit, quod penitus invulnerabile credidit; et iam omni amoto dubio iudicium exquisivit. Ergo ad iudicium ventum est. Tunc vir Dei patienti compassus, iustum fieri iudicium Dei petiit, ut eventus probat, non tantum de eo qui passus est, sed et de eo qui fecit iniuriam; nam et ille qui molestabatur, Deo adiuvante sancti viri precibus inculpabilis; et ille iudicio divino praeventus, abscessit insanabilis. Etsi enim non statim sensit, sed statim tamen praeventus fuit: quia qui contra virum Dei iudicium paraverat, paratum iudicium minime evaserat; et qui longo iam tempore virum Dei molestaverat, abhinc et deinceps usque ad diem obitus infirmitatis molestiam non evaserat. Igitur amara relinquentes, de dulcissimo dulcissima loquamur.

18. Multa de eius patientia dicere possumus; patientiam enim eius secundum antiquorum patientiam novimus, qui cum apostolo dicebant: *Blasphemamur et obsecramus, tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsima usque adhuc.* (1 Cor. 4, 13.) Cum horum inquam patientia fulget patientia Bardonis; aequa vere, nisi forte maior, quia cum multi eorum ulcisci se non valebant, necessitatem in voluntatem laudabiliter convertebant: is autem cum se posset ulcisci, voluntatem suam sibi necessariam faciebat, ut non quaecumque vellet sequeretur, sed cum multa valeret, multo plura vellet ex parte qua Spiritus hortaretur. Quis ergo vivente Bardone in carne, audiens quid derisori suo fecerit, non etiam ipse factum derideret, et hoc non potius vanum quam effectu niti crederet? Nunc autem quoniam planum est, quam recto stamine quaeque texuerit, omne factum Bardonis amatur, cum delectatione narratur, auditur cum suspirio, sine controversia laudatur, cum gaudio rememoratur. Sed quid derisori fecerit, dicamus. Sedens aliquando ad mensam infirmitati corporis satisfacturus, inter ciborum alimoniam cunctis convivantibus eructavit[d] spiritus ebrietatem sobriam; quia illi Christus semper in corde, semper erat in ore, assumenti consilium dicentis: *Si quis loquitur quasi sermones Dei.* (1 Pet. 4, 11.) Docente ergo illo omni affectione consedentes, iuvenis quidam carnalibus titillationibus intentus potius quam divinis illius sermonibus, coepit ridere quod tam inania garriret episcopus: *Animalis enim homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei.* (1 Cor. 2, 14.) Iniecto igitur casu in eum vultu episcopus, deridere se iuvenem comprehendit, furtivi cachinni et susurri motibus; motoque capite sedit paulisper tacitus, viditque iam[e] omnis conviva quod deridentem se comprehenderet, eiusque rei causa taceret. Omnes igitur expalluerunt illi misero infensi, quia tantae potestatis virum graviter se ulturum crediderunt. Intelligens autem vir prudens quoniam dandi exempli tempus est, ut quae paulo ante de patientia docuerat verbis, nunc etiam confirmaret exemplis, sumpta aurea scutella quae coram eo[f] stabat, plena carnium frustis, derisori suo cibum vasque dari praecepit, causa mercedis. Quo facto non solum peccantem ad penitentiam, sed et omnes lucratus est ad amplectendam patientiam.

19. Potuimus aliquid dicere de eo, mirabile quidem si tantae admirationi sunt quae creduntur auditui, quam quae subiecta sunt visui; nisi forte magna sui miraculo, minora faciamus indigno relatu nostro. Dicemus tamen ut possumus, quoniam melius iudicamus, utcumque admiranda agnosci, quam digna memoratu memoria tabescente oblivisci. Quotiens

a) eum 2. b) *deest* 3. c) armis et *add.* 2. d) eructuavit 1. e) *deest* 1. f) *deest* 1. 3.

sanctus pater Adeldvile[a] [33] quoniam ad suam diocesim pertinuit devenit, mirabiles semper hospites habuit, volucres scilicet quasdam forma nominibusque ignotas omnibus, a quibus seu comitabatur seu visitabatur episcopus; quae numquam ante eum venientes, numquam post abscedentem remanentes, solum eo veniente turmatim in obviam congregatae, in arboribus consederunt, et quandam suae modulationis armoniam concinuerunt; satagentes cunctis esse pro miraculo, quod irrationabiles rationis utebantur consilio. Sed pius pater cantoribus suis non minimum laetatus, caritatem exhibentibus non apparuit ingratus; et quas in sua conari vidit obsequia, cottidiano porco satis fecit pro illorum alimonia; et carne imposita scutis, cottidianum sumptum providit hospitibus suis. De volucribus istis quid dicamus dubitamus; utrum formam inspicientes simplices eas volucres credamus, an rationem intendentes aliquos spiritus fuisse dicamus. Nam quoniam solis spiritibus ratio inest, ratione utentia melius est ut spiritus credamus, quam ut irrationale ratione uti concedamus. Quid autem has volucres nisi ratione usas esse dicimus? Et quidem cum veniente venerunt, et cum abeunte abierunt; ad hunc unum sine errore venerunt, soli uni[b] concentum suae modulationis concrepuerunt; ad intuitum eius homines non fugerunt, cibum ab hominibus inperterritae susceperunt, et silvestres ut videbantur, blandientium motus mansuete susceperunt. Haec enim agere rationis consilium est. Si autem hoc aliquid abhorret, ne spiritus fuisse videantur, quoniam corporeo pastu alebantur, nonne horum exempla multis in locis inveniuntur? Ad Abraham nonne spiritus angelici venerunt, et de caelo descendentes fessi vocati, qui numquam esurierunt, cum ipso comederunt? *Idcirco*, inquit, *declinastis ad servum vestrum.* (Gen. 18, 5.) Medicus Tobiae Raphahel nonne diebus aliquantis visus est cum hominibus pransisse? qui tamen reversurus dixit: *Videbar quidem manducare vobiscum, sed ego cibo invisibili et potu qui ab hominibus videri non potest utor.* (Tob. 12, 19.) Videbatur comedere et non comedebat; et tamen cibus illi appositus non est inventus amplius: ut vere credatur talis comestio potius aliqua dispensatione consumpta esse, quam spiritalem levitatem aliquam corpoream gravitatem insumpsisse; unde et ille spiritus cui Gedeon coxit pulmentum, cum ius super petram effunderetur, manum extendit, cibos virga tetigit, et pulmentum illud flamma procedente consumpsit. Ab his ergo volucribus qui scimus utrum ille comestus sit cibus, an aliqua incomprehensa virtute consumptus? Nam si tantopere carnali victu indiguere, cum ab illo aberant, quid comedere? aut cur apud hunc et non etiam apud alios comedere? Aut si volucres erant, numquid creduntur semper simul fuisse? si autem dispersae, quis[c] credimus congregavit eas nuncians episcopum Adeldevile futurum esse? Et quare nusquam aliô visae? et si visae cur nulli agnitae? Cur autem harum volucrum cantus pontifici plus aliarum vocibus placuere? Aliquid igitur hinc spiritale coniectamur; quod utrum verum sit, omnimodo[d] non probamus. Locus ille a vulgo Eldevile[e], vero autem nomine Alta villa vocatur, et ibi sive volucres in superioribus volantes, sive aliqui spiritus sancti in superioribus habitantes, sanctum virum visitabant; quia qui se in altitudinem contemplationis erigunt, angelorum visitatione digni sunt. Ergo iuxta quod credimus coniectamur, quicquid autem hac in re veritati innititur, quia spiritale credimus veneramur.

20. Dubitanda forsitan haec viderentur, si nullius perspicacioris miraculi certitudine faverentur: sed quoniam patent adhuc in eo magna cum delectatione ac veneratione dicenda certioris rei mirabilia, quae obscuriori dispensatione facta conicimus fiunt credibilia. Vir Dei aliquando iter agens per subiecta abbati Rohingo Fuldensi, ipso abbate praebente diversorium et servitium, transegerat in quodam loco nocturni temporis spatium; postquam vero transacto prandio ad recessum pausandi secessit, duo tantum cum eo gradiebantur, unus camerarius qui lucernam coram eo portabat, alter quidam familiaris eius, qui et ipse hoc nobis narrabat. Cum ergo portitor lucernae coram eo extracto lumine staret, casu accidente ut saepe fit lumen extinctum est. Turbabatur camerarius gressuque veloci candelam reaccendere festinabat, et usque ad fores caminatae pervenit; cumque iam altera manus candelam portaret, altera ianuam citius aperiendam corriperet, subito candela inflammata est, ambosque illos admiratio circumdedit, ultra quam credi potest. Tremens ergo camerarius festine regreditur, positoque lumine ad pedes eius sanctissimos paravit procidere. Vir autem Dei compescuit eum dicens: *Stato, ne cadas, sed age Deo gratias; et me vivente in*

a) adelouile 3. b) unum 1. c) quid 1. d) omnino 2. e) Adeluile 2.

33) nunc *Eltville*.

corpore, cave ne umquam alicui dicas; commonuitque eum per iusiurandum super his verbis: *ut ne alicui quod factum est dixeris, quousque me viam huius carnis ingredi videris: quod si aliter feceris, a consortio et*[a] *gratia mea in aeternum separaberis.* Ergo si factum istud intendimus, satis iusto iudicio Dei hoc evenisse perpendimus; ut qui numquam peccatorum tenebras admitteret, praeter quod inevitabile est humanitati, nec ad momentum felici careret luce, caelesti lumine se illustrante.

21. Senuit ergo iam vir Dei, qui nisi maiora praemia in morte laturus, pietatis suae merito numquam esset moriturus. Ergo et ex aetatis accessione et infirmitatis senium consequentis successione corporis molestia gravi praeventus est. Qui visitatus a sancto viro Leone papa, ut recuperandae sanitatis gratia esu carnium reficeret rogatus est. Obedivit et comedit, sed quoniam ostium eius semper patuit viatori et peregrino, vespere sero et mane primo, quidam peregrinus monachus ad eum venit[b], susceptus est et ad mensam ductus. Cumque pisces ibi deessent, eo quod episcopus carne vesceretur, monacho illi carnis pulmentum episcopo iubente appositum est. Qui oblitus sententiam Salvatoris qua ait: *Manducate quae apponuntur vobis,* carnes horruit, monachumque se signis et nutibus quibus potuit pontifici innotuit. Quem in se ipso provocans episcopus, et se ipsum ostendit monachum fore, et tamen carnes comedere, dixitque: *Frater, pisces nobis desunt, nostra licentia manducate quae apud nos sunt.* Sed ille nescius obedientiam summam esse vitae monasticae, studiosus continentiae, securus fuit obedientiae. Videns autem antistes eum non acquiescere, manu extensa, sanctae et individuae Trinitatis nomine ter sanctae crucis signum fecit: et natura ius suum obliviscente, mirabiliter carnem convertit in piscem, pulpam scilicet carnis in fragmen suavissimi esocis. Expavescentem igitur monachum, et ad pedes eius procidere parantem, prout tempus permisit aspere increpavit; docens totius divini servitus summam esse obedientiam: *propter quod,* inquit, *et Christus factus est obediens patri usque ad mortem.*

1049. Oct. — Luc. 10, 8. — Philip. 2, 8.

22. Requirimur fortassis inter dona Dei in eo, aliquid etiam de ipso dicere, essetne[c] ieiuniis deditus necne, ceteraque talia; sed Deo teste paene nichil singulare de eo potui investigare, nisi forte in eo magis sit laudabilis, quod meritum eius investigabile sit paucis, assumentis consilium eius qui dixit: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Qualis sit omnes modo scimus, sed qualiter ad hoc pervenerit, omnes nescimus. Quae de ceteris sanctis scripta sunt, quia aut ieiunaverunt, aut homines fugerunt, aut cetera similia, nisi alio ordine nulla in eo inveniri possunt. Primum enim ieiuniis dedisse operam numquam audivimus, nisi forte hoc ieiunium ieiunavit, quod divinum iudicium magis probavit, ubi ait: *Nonne hoc magis est ieiunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes: dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpe. Cum videris nudum, operi eum.* Vitiis ieiunavit, et necessitati manducavit, et omnibus egentibus panis sui buccellam communicavit. Immunis fuit eorum qui ad hominum intuitum runcantes sive grunnientes, sibi tantum vacant solitarii, quia caecorum, claudorum, aridorum semper eum sequebantur centenarii; ita ut paene non esset claudus aut caecus, quem ex nomine non sciret episcopus. Ostium eius ut et ante diximus viatori patuit, et cum ab egenis inclamaretur ut moris est multis, intus clausus[d] non latuit; sed totis apertis foribus exiliens, cum omnibus profuisset laetabatur regrediens. Semper hilaris et laetus, semper pacificus et quietus, comitantes et advenientes semper hilares reddidit et laetantes; si talibus non placuit nescio quibus placuit. Frustra ergo videtur michi dicere eum misericordem, compatientem, humilem, nisi aliquod eorum indicium[e] exempli causa ponamus. Misericordia eius paene omnibus superflua videbatur, ita ut etiam aliqui dicerent quia eius negligentia in episcopio multa fierent inconvenientia. Quod etiam in exemplum sumens sanctus papa Leo: *Quis,* inquit, *huius sancti viri patientiam unquam asscriberet misericordiae et non potius socordiae?* Cumque populi multitudinem ad eius sepulchrum cum votis et oblationibus concurrentem[f] vidisset: *Nunc,* inquit, *Bardo aedificat, si ante neglexerat.* Erat enim proverbium populo, quoniam Bardonis aedificium fornax esset, quem cum ceciderit tribus lapidibus reaedificasset[34]. Ergo compatientiae eius aliquod ponamus exemplum. Paschali tempore cum alicubi iter ageret, quidam ei obviam factus est, qui reatu[g] homicidii suscepta sententia, paschalibus diebus fuit in penitentia. Ad quem episcopus: *Tu,* inquit, *cuius respicis imperium?*

Matth. 6, 3. — Isai 58, 6.

a) cons. meo in 2. b) et *add.* 2. c) esse. ne. ieiuniis delitus. nec ne 2. d) claudus 2. e) iuditium 2. f) concurrente *codd.* g) reatu 1.

34) Quomodo hoc cum Vitae prioris capite 9. conciliari possit, non video.

Respondit: *Vestrum.* Cui ille: *Quis ergo te communis evinculationis tempore vinculavit?* Ait rusticus: *Peccatis meis instigantibus feci homicidium, et ideo libens hoc patior iudicium.* Non tulit hoc ultra episcopus, sed ait ad capellanum suum: *Depone ab eo sententiam.* Et ad rusticum: *Tu*, inquit, *ad tuum vade sacerdotem, et dic ei ex me, ut unum de duobus deliberet; aut ipse sententiam tuam impleat, aut te secum suis orationibus redimat.*

23. Aliquod etiam humilitatis eius indicium[a] proferre placet. Fuit Fulda quidam monachus nomine Luydnandus[b], moribus gravis et maturae aetatis, huic sancto viro valde familiaris. Hic ergo quadam nocte vidit se quasi[c] in via profundissima, nigerrima et lutulentissima; cumque ibi diu viae nescius cum magno labore pererraret, subito in margine laci aspexit quendam iuvenem aetatis florentissimae et vestis candidissimae. Qui ait ei: *Quo*[d] *tu, miserrime, graderis? Erras,* inquit, *nescis quo devenies.* Ait monachus: *Ita est, domine. Miser ego, unde aut quomodo huc venerim ignoro, et quo deventurus sim nescio.* Et addidit: *Rogo te, adiuva me.* Misertus eius iuvenis extensa manu attraxit eum ad se; ducensque eum per pratum viridi[e] graminis et diversorum florum, ostendit ei magnae dignitatis sedile, duosque iuvenes in eodem eminenti loco stantes et illud sedile custodientes. Et ait ad monachum iuvenis: *Nosti haec cuius sint?* Qui respondit: *Non, domine.* Ait iuvenis: *Archipraesulis Bardonis haec sedes est, quam in tanta dignitate sola meruit humilitate. Qui astant eam sibi custodiunt, usque dum exutum corpore in eadem sede recipiunt*[f]. His dictis monachus expergefactus, somnium hoc nobis cum magna dulcedine narravit.

24. Post hoc eius studium et opus cum divina benivolentia censeret, eum transferendum (1051.) ex temporali inconstantia et labore, ad statum et quietem felicitatis aeternae: ipse quoque conscius secretorum divinorum multis orationibus et aliquanto attentioribus sancto Martino se commendavit; aggressoque itinere ad Poderbrunnun properavit, ibique regem inventum humillime salutavit. Die ergo sanctissima pentecostes agens ibi missarum in publico sollempnia, (Mai. 19.) post sancti euangelii lectionem stabat locuturus ad plebem. Sed quoniam nos in hoc libro in profundum navigavimus, modo festinamus ad huius tematis litus, ut ne saturato lectori taedii pituitam[g] proponamus. Sermones autem eius omni humana divinaque praecellentes sapientia[h] legere volentes in tertium libellum differimus, in cuius campo studioso lectori nos satisfacturos credimus. Et digni sunt non oblivisci, quoniam et hunc sermonem quem modo differimus declamavit[i], Spiritum sanctum per os eius loquentem dicere vocem omnium incitavit. Ergo postquam sermonis finem fecit, interiecta paululum silentii mora, suspiravit ex intimo corde, dixitque prophetica voce: *Iter acturus sum, patres et fratres, ad quod minus caute paratus sum. Longum est iter, sed sumptum brevem habeo, et quid faciam aestuo. Ad castra enim regis aeterni vocor, ubi in me totum bellum vertetur, totus aestus proelii; ubi si victus fuero, meritis enim meis stare non valeo, quid placandi causa iudici offeram nescio. Vestras igitur preces praecedere me precor et subsequi, quatenus ante maximum Iudicem sine iudicio merear ingredi: non enim iustificabitur in conspectu eius omnis vivens. Et vos,* inquit, *si quid boni a me audistis umquam, rogo servate, et*[k] *dignos vos regno ad quod vocati sumus praeparate; tempus enim breve est. Nunc ergo vos commendo,* dixit, *ei qui vos michi commendavit, Dei Patri omnipotenti et Verbo eius Iesu Christo domino et Spiritui sancto, in quo ista dies celeberrima est, ut ab omni hostili incursu protecti, ingredi mereamini semitam operis recti. Ne ergo, filii, contristemini, quod ultima dico de me: quoniam amplius taliter non audietis me*[35]. Tum vero eiulatum non populi sed ecclesiae audires: quoniam alii quasi exanimes obriguerunt, alii in fletus resoluti graviter gemuerunt; omnibus uno ore dicentibus: *Ei nobis, quando te tale carebimus!* Sic ergo eadem die qua summi praesulatus anulum suscepit, eadem die ultra audiri deposuit. Quamquam enim in festivitate sanctorum apostolorum Petri et Pauli consecratus sit, die tamen sancti pentecostes anulum accepit.

25. Transactis igitur diebus sollempnibus accepta regis licentia Mogontiam redire aggressus est, corpore quidem positus in itinere, sed caelo mente[l] intentus[l] agebat iam cum Domino causas suas, iudicii districtionem, consolationis spem; ita quidem ut iam iamque vultus eius testaretur, quam alienus sibi mundus haberetur. Erat ergo vultum eius praeter soli-

a) iuditium 2. b) Luidnandus 3. c) *deest* 2. d) Que 2. 3. e) *ita codd.* f) recipiant 2. g) pituita *codd.* h) *deest* 2. i) *alterum verbum abundare videtur.* k) *deest* 2. l) *ita manus recentior in* 4 *supplevit lacunam codicum nostrorum.*

35) cf. Lambertum ad a. 1051.

1051. tum disparem videre, nunc pro carnalibus gementem nunc pro spiritalibus laetantem; ut omnibus manifestum fieret indicium[a], quod cor eius inter spem ageret et iudicium. Saepe quoque primates eum comitantes causa consilii ad eum accesserunt, et bis terque aliquid proponentes, cum totiens eius sententiam super hac eadem re sciscitarentur, ille quid vellent percunctatus est. Illis vero iterum iterumque multotiensque eadem proponentibus, ac si nusquam ibi praesens esset tacitus permansit. Quem cum excitandi gratia ut fieri solet aliquando veste traherent, quasi de somno excitatus sive ab extasi reversus subito contremuit; et quid vellent ac si nichil ante dicerent requisivit: ita ut monstro simillimum censeretur, quod vultu motuque vigilans sensu dormire videretur; corpore enim solum inter homines positus, extra humana corde conspicabatur[b], et amplius de futuris[c] quam de praesentibus meditabatur. Cum interim in locum qui Nemus spinarum[d] vulgo autem Dorneloh dicitur devenit, ibique casu collisus corporali molestia praeventus est. Dolore vero ex hora in horam crescente, manifestum factum est quod letum[e] non evaderet. Misit igitur sub omni celeritate ad suffraganeum suum Abbelinum[f] episcopum[35], qui eo[g] tempore Fuldam morabatur, utpote vocatus illuc a venerabili patre Egberdo abbate ad sollempnitatem dulcissimi Iun. 5. et sanctissimi patroni Bonifacii, ut si eum vivum vellet videre, non tardaret ad eum venire. Hisdem etiam verbis ad aequivocum suum Bardonem iuniorem, filium fratris sui[36], monachum praenominati loci, ut quantocius venire properaret ad eum. Qui ambo arripientes iter, cito venerunt ad eum. Utrique igitur ante eum praesentati, cum ambos in lecto iacens solita dulcedine salutasset, insuper etiam aequivocum suum causa consolationis dulcius compellasset, tandem eiectis omnibus praeter episcopum, huiusmodi ad eum aggressus est eloquium: *Dies vocationis meae prope est, saepe michi optatus, semper formidatus. Et nunc non est meum populum Christi desolare, quasi mortem non sim evasurus; cum certissime sciam quod sim moriturus. Tu vero mecum quod michi certum est dissimula, et si te quispiam interrogaverit, nec hoc scire te assimula: quia gemitum populi ferre non valeo. Iam nunc ergo ut filius sapientiae scias quid facias, ut populo dolenti consolationem facias[h]; michi vero secundum orthodoxae fidei religionem sacri olei exple unctionem; certum enim habeo quod infirmitatis huius molestiam evadere non debeo.* Qui tanti viri verba non ferens, cum ex imo cordis traheret suspirium: *Quid,* inquit sanctus vir, *facis affligens cor meum? Quaeso de laetitia mea laetare, et tantum huiusmodi gratia ingemisce, ut in conspectu Domini laetus merear intrare.* Sic expletis sermonibus, expleta sunt omnia quae mandavit episcopus.

Iun. 11. 26. Venit igitur hora multos gemitus motura, multas lacrimas roratura, et ille vir Dei paene oblitus infirmitatem propter instantem laetitiam, quasi iam propinquans ad gloriam, cilicium in terra iussit sterni sibi, seque super illud levari. Quod ut factum est, ex animi dolore cunctis obrigescentibus et usque ad effusionem oculorum lacrimis effluentibus, sanctus pater pie commotis super illis visceribus graviter ingemuit; et quicquid rideri potuit, causa obliviscendi maeroris audientibus protulit[i]. Ridens ergo ore flensque corde: *Eya,* inquit, *quando etiam tantae duritiae stratum incubui?* Et omnibus humido vultu ridentibus, et invito corde mirantibus etiam in tanta eum molestia posse ridere, intellexerunt[k] haec omnia fieri gratia consolationis movendae. Quidam autem ex illis accedentes ad eum aiunt ei: *Spem tuam, pater, firmiter in Deo pone, ac de eius inmensa bonitate praesume, certus quia non derelinquet te.* Causa enim humanae infirmitatis eum fluitare putabant, et ideo salubris admonitionis ei verba ministrabant. Ille vero verbis huiuscemodi commotus: *Et quid,* inquit, *omnibus diebus vitae meae egi, si hoc non egi? Ipse novit an sperem in eum, et[l] si umquam alio spem meam posuerim nisi in eum. Opus eius ego, ille spes mea est. Quod placeat Domino operetur in servo.* Sicque versis ad caelum oculis, instante termino iam aegrius[m] dixit: *Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.* Deinde non tantum dolore carnis coactus, quantum instantis angustiae conscius, ipse sibi oculos reverenter clausit, ceteraque sibi membra composuit; solusque laetus, tristibus omnibus, solus securus, sollicitus dudum mundo mortuus, tandem vitae redditus, laetus relictis carnalibus exuviis, obdormivit sociis laetabundus angelicis. Quo viso cuncti quasi tum[n] primitus gementes: *He*

a) iudicium 1. 2. b) conspicatur *codd.* c) *ita in* 1. eternis *in* 4. *lacunam sarsit manus secunda.* d) spicarum 2. e) lectum *codd.* f) abbellinum 2. g) ex 2. h) consolatione faveas 2. 3. i) pertulit 2. k) intellexerant 1. 3. l) *deest* 1. m) egris *codd.* n) dum *codd.*

35) Hic in Pontificali Gundachari SS. VII, 249. dicitur Appulin Friteslariensis; cf. infra Tr. S. Remacli I, 16.
36) postea abb. S. Albani Moguntiae, ut patet ex praef. Goswini ad Vitam S. Albani in Actis SS. Iun. IV. p. 88.

1051. Iun. 11.

pater, inquiunt, *cui nos dereliquisti?* Et rursus: *Pro parte*, inquiunt, *nostra reddat quod debet tibi Dominus: quia quem contristaveris ex nobis non est unus ex omnibus.*

27. Postquam ergo dolori cordis multo planctus satisfecere, tandem omnia quae de sancto corpore facerent deliberavere; et tunc depositis in eiusdem loci ecclesia pietatis visceribus, quoniam quidem mediae fuit aestatis temporibus, utpote 3. Idus Iulii[37], ipsum corpus feretro imposuere, ut ad Mogontiam deportaretur humandis honoribus[a]. Sed interrupto hic ordine antequam de hoc loco egrediamur, beneficia quae ibi Dominus operatur per sancti confessoris sui merita prosequamur. Sexta fuit feria cum sancta illa anima sancto egrederetur de corpore. Quod[b] cum eodem die lotum esset[b], aquam in qua abluebant eum, fuderunt ad radicem arboris aridae quae ibi stabat in aequore. Ipsi quidem quem lavissent non attendebant, sed hominem alicuius tantum bonitatis praesumebant: sed quantae fuerit aestimationis apud Deum innotescunt mirabilia, quae propter eius merita operatur ibidem divina benivolentia. Nam eadem feria eodemque momento quo aqua fusa est ad radices arboris aridissimae, omni eadem feria sexta eodemque momento ex arido ligno in salutem multorum Deo gratias fluunt aquae plenissimae. Sed ad ordinem revertamur.

28. Igitur exequiarum obsequia circa viri Dei corpus ambitiose celebrantes, levatum tandem cum feretro et equis super perrexere secum illum deportantes; ubi cum devenissent et miseras congregationes vultu squalidas et gestu lugubres obviam invenissent, oritur utrimque[c] clamor, fletus, et multi ululatus; ita ut psalmodia[d] et cetera quae canebantur vix exhiberi potuissent. Crederes enim unumquemque patrem, matrem, fratrem, aut aliquem sibi maxime necessarium deplorare: ita enim inremediabili anhelitu non cessabant lacrimas rorare pupilli, orphani, cives et advenae, iuvenes, senes, viri et feminae. Omnium vox erat unanimis: *Heu, heu, pater amabilis!* Iudei etiam quibus nulla bona curae sunt, ei obviam facti, ut venerandi viri feretrum viderunt, terrae consternati caput pulvere consperserunt, et dixerunt: *Heu, heu, pie pater! heu, pie pater!* Addebantque: *Si christiani anima unquam requiem meruit, merito tua requiescere poterit.* Talis clamor et luctus numquam visus est nostris temporibus. Nullus alium consolabatur, nullus consolari recordabatur; unicuique certum et proprium incommodum erat, quod defleret, ne dum alius alium consolantem haberet. Tandem ad oratorium sancti Martini pervenere, quo ingressi, sancti viri corpus in medio ecclesiae ante sanctam crucem deposuere. Providentes ergo post haec ne forte corpus aliqua tabesceret corruptione, cum ad loculum secretius accederent pro hac eadem re, solutis quadam ex parte his quibus innexus erat tergoribus, non solum incorruptum eum invenerunt, sed insuper fraglantem[e] thureis odoribus. Res tam magna pro nichilo habita est, quia multis eius ignoratis virtutibus putabant odorem illum thuris esse quod accendebatur humanitus. Igitur die undecimo postquam ad omnia oratoria eum circumduxerunt, post sacrificia sollempnis oblationis et supplicationes ecclesiasticae intercessionis, tandem deportaverunt in locum depositionis. Horret nunc michi mens, tabescit cor, deficiunt verba, lamenta populi explanare debentia. Quam lividae eorum facies, quam incompti[f] crines, quam incompositae vestes! Taceo deflenda, subprimo gemenda; ad laetiora veniam, ut quid tum[g] ibi fecerit divina benignitas proferam. Multis ergo populi fletibus immolatis, quos illi peperit miseratio, quae cum illo ex matris egressa est utero, cum in oratorio sancti Martini ante crucem sepulcro imposuere, tales odores qui facile cuncta vincerent aromata persensere, ut in tanta suavitate daretur intelligi, odorem illum fluxisse ex paradisi amoenitate. Requievit igitur anno aetatis suae plus quam[h] septuagesimo[i]; nequaquam illum expertus laborem de quo psalmista dicit: *Si autem in potentatibus octoginta anni et amplius eorum labor et dolor,* (Psal 89, 10.) sed in senectute bona et vita iocunda deponens[k] temporalem, sine dilatione laetitiam invenit aeternalem, anno episcopatus ter septeno, numero misterii pleno. Nunc autem clarescit signis et virtutibus, quae per illum operantur divinitus.

29. Pauca de Bardone diximus, si verba nostra cum factis eius conferre cupimus, sed quis verbis comparabit Bardonem? Ergo non tantum nostra praevalet infirmitas, quantum ipsius meretur dignitas; ideoque nostrae concedet devotioni, quod minus congrua suo dixi-

a) *ita codd.* b) *deest codd. supplevit Papebroch.* c) utrumque 1. 3. d) psalmodiam 1. 3. e) flaglantem 3. f) incompte 1. 3. g) dum *codd.* h) *deest* 1. i) nonagesimo 1. q. s. *desunt* 3. *spatio relicto.* k) ad *addunt* 2. 3.

37) ita codices. Sed Herimannus cum necrologiis Mogunt. Lauriss. Salisb. et S. Maximini diem 4. Luneburg. Hild. Werthin. Prum. Seonensi diem 3. Idus, Necrol. Mollenbeccense diem 5. Idus Iunii. Idus Iunii tuetur, Marianus Scotus cum necrolog. Horum vero nullus eo anno in feriam sextam cecidit.

Iob 29, 11 sq. mus honori. Hic est Bardo quem auris audiens beatificabat, et oculus videns testimonium reddebat sibi, eo quod liberasset pauperem vociferantem, et pupillum cui non erat adiutor. Benedictio morituri super eum veniebat, et cor viduae consolatus est. Iustitia indutus est, et vestivit se sicut vestimento, et diademate iudicio suo. Oculus fuit caeco, et pes claudo. Pater erat pauperum, et causam quam nesciebat diligentissime investigabat; conterebat mo- 5 las iniqui, et de dentibus illius auferebat praedam. Radix eius aperta est secus aquas, et ros morabitur in messione eius. Gloria eius semper innovabitur, et arcus eius in manu eius semper instaurabitur. Qui eum audiebant exspectabant sententiam eius, et intenti tacebant ad consilium eius: verbis eius addere nichil audebant[a], et super illos stillabat eloquium eius; exspectabant eum sicut pluviam, et os suum aperiebant quasi ad ymbrem serotinum. Si 10 voluisset ire ad eos, sedebat primus; cumque sederet quasi rex circumstante exercitu, erat ib. 30, 25. tamen maerentium consolator, flebat super eum qui afflictus erat, et compatiebatur anima ib. 31, 13. 16 sqq. eius pauperi. Non contempsit subire iudicium cum subiectis, non negavit quod volebant pauperibus. et oculos viduae expectare non fecit. Non comedit buccellam suam solus, sed semper comedit pupillus ex ea. Non despexit praetereuntem eo quod non haberet indumen- 15 tum, sed benedixerunt sibi latera pauperum, et de vestimentis eius calefacti sunt. Quis loquitur haec? numquid ego? Non, sed totus mundus. Loquitur terra, loquitur caelum, loquitur Deus in multis quae per eum operatur mirabilibus. Ergo non recedet memoria eius, et nomen eius requiretur a generatione in generationem.

a) audiebat 1. *ubi correctum est manu alia.* 2. 3. 20

TRANSLATIO

S. DIONYSII AREOPAGITAE.

EDIDIT D. RUD. KŒPKE PROF.

Propria haec erat indoles, quae prae ceteris medii aevi hominibus illis potissimum, qui saeculo undecimo vivebant in Germania, innata et insita erat, ut non modo christianae religionis summo amore incenderentur, sed etiam sacra eius externa ferventissimo studio amplexi, ad superstitionem prolaberentur, resque naturales augustiore quasi splendore ornantes, ubique miracula sibi deprehendisse viderentur. Itaque factum est, ut cresceret mirum in modum sanctorum numerus, quibus arae ecclesiaeque dedicabantur, aliorumque sanctorum reliquiae obscuris in locis saepissime detegerentur, quae summo cum populi gaudio e terra tolli solebant. Ex quorum patronorum nomine et sanctitate singulis urbibus et monasteriis, in quibus asservabantur, haud parva gloria et divitiae redundabant; itaque superstitionem paullatim subsecuta est invidia. Haud raro enim inter episcopatus et monasteria acerbissimae exarserunt contentiones de fide reliquiarum, et utrum verae an suppositae essent diu ac vehementer disputatum est. Quis nescit bella illa Casinensium et Floriacensium monachorum de corpore sancti Benedicti? Neque alia desunt exempla[1]*. Sed inter huiuscemodi quaestiones non sane levissima est, quae medio saeculo undecimo inter monachos Sancti Emmerami Ratisbonenses et Sancti Dionysii in Gallia de vero corpore sancti Dionysii Areopagitae exorta, per postera tempora usque ad medium saeculum decimum octavum ducta est. Quum enim iam constaret inter omnes viros doctos, qui antiquitatis tenebras arte critica dispellere conarentur, Dionysium illum Areopagitam in Galliam nunquam venisse, minimeque esse eundem ac Parisiensem, monachi obscuram hanc contentionem ex favilla suscitarunt, utrum horum monasteriorum vera illius Dionysii ossa possideret. Haud falso igitur Launoyus hanc controversiam ludicram et umbratilem appellavit*[2]*, quod Ratisbonensibus bilem non leviter movit. Sed medii aevi hominum animos vehementer commovebat haec quaestio, neque monachi solum sed reges, imperatores atque pontifices horum bellorum socii facti sunt. Aliis ut ad ea scribenda animum adverterent, occasionem praebuit, ita ut nobis etiam fructum aliquem ex eis percipere liceat. Quum vero res ipsa de qua erat controversia,*

1) Eckhardt Francia orient. II, 745. Muratorii Antiquitat. Ital. V, 2. ubi in dissertatione 58. de pia erga sanctos religione furtorum reliquiarum afferuntur haud pauca exempla. 2) in observatione 11. Opp. II, 1. p. 579.

paullo sit perplexior, falsaque veris non modo miscerentur, sed merae proferrentur fabulae, quo magis in aperto sit, tota res videtur ordine proponenda.

Primus, quod sciam, ex illorum temporum scriptoribus qui huius contentionis mentionem fecit, est Ekkehardus, qui in chronico universali ad annum 1052 *haec narrat:* Qui papa *(Leo IX.)* veniens Ratisponam, reliquias beati Dionisii martyris, de quibus diu dubitatum est an ibi haberentur, presentibus Parisiorum legatis perspexit, ibique teneri probavit. *Quod qui in dubium vocare velit nemo est, nam integra est viri fides, papamque anno* 1052 *cum Heinrico tertio imperatore revera in Bavariam venisse testis est Hermannus Augiensis*[3]. *Quo tempore detectae sint illae reliquiae, quodque temporis spatium usque ad Leonis sententiam praeterierit, non satis apparet. Narrant Ratisbonenses tempore Reginwardi abbatis, qui monasterio sancti Emmerami praeerat annis* 1048—1064[4], *ossa illa reperta esse in muro occidentali ecclesiae, quum post incendium restauraretur. Neque credam hoc de Dionysio commentum priore tempore emersisse; Arnoldus enim praepositus Ratisbonensis, qui librum de miraculis sancti Emmerami temporibus Udalrici abbatis* 1037—1044 *ad finem perduxit, in quo haud pauca sui monasterii sacra accurate descripsit, ne verbo quidem sancti Dionysii reliquiarum mentionem fecit*[5]. *Si iam quaeris quibus argumentis Sancti Emmerami monachi Leoni papae persuaserint, se vera habere sancti Dionysii ossa, coniecturae vix iusto plus indulsisse videaris, si haec eadem esse dicas, quorum notitiam nobis dedit Ioannes Baptista Kraus, abbas Sancti Emmerami, Dionysii Ratisbonensis defensor acerrimus*[6]. *Sunt haec veritatis documenta qualia in huiuscemodi litibus proferri solebant, inscriptiones, quas in monasteriis miro modo repertas esse dicebant. Tabula parva Krausii tempore in Sancti Emmerami scriniis adhuc est servata, quam cum tribus aliis una cum reliquiis a Reginwardo in muro ecclesiae repertam esse uno ore narrant posteriores Ratisbonensium scriptores. In tabula illa haec legebantur verba:* Hic reconditum fuit corpus sanctissimi patroni nostri Dionysii Ariopagite. *Si tabulae specimen, quod aere incisum dedit Kraus, inspexeris*[7], *facile credas has litteras revera saeculo undecimo exaratas esse. Sequuntur tres lateres cocti, sub quibus ossa capsis inclusa, in muro erant recondita; et in his lapidibus erant inscriptiones. In primo legebatur:* Emmerāmus Aquitan. Dionisius Areopagite hic requiescit sub Arnulfo imperatore et Odone r.; *in altero:* Sub Ebulon. abbate mon. sci. Dionisii Gisalbertus furavit; *in tertio:* Furatus e. V. N. Iun. huc ven. II. Dec. temp. Tuton. epi. *Et horum lapidum, quos integros custodiri dicit Kraus in ecclesia sancti Emmerami, specimina dedit, in quibus litterae quadratae eodem fere saeculo scriptae proponuntur*[8]. *Neque primus erat Kraus qui has inscriptiones in lucem emisit, quod iam fecerant nonnulli Bavariae scriptores saeculi decimi sexti. Habes easdem apud Hofmannum*[9], *Aventinum*[10] *et Laurentium Hochwart*[11], *et post eos apud Coelestinum abbatem Sancti Emmerami*[12] *et Mabillonium*[13]. *Earundem tabularum mentionem fecit auctor translationis sancti Dionysii, quam primus idem Kraus ex duobus codicibus saec. XV. edidit, quamque iam nos repetituri sumus, his verbis*[14]: Rem tamen tribus tabulis

3) Cf. Hermann. Aug. 1052. 1053. Mense Iulio imperator Ratisbonae erat. Vid. Boehmer Reg. 1634—1636. 4) Ann. Sancti Emmerami minor. Monum. Germ. I, 94. 5) Mon. Germ. SS. IV, 544 sqq. 6) De translatione corporis S. Dionysii Areopagitae. Ratisb. 1750. 4. p. 117. 7) l. l. pag. 116. spec. 1. 8) l. l. p. 116, 55. 9) Hist. epp. Ratisbonensium. Oefele I, 549. 10) IV, 20, 4. 11) Catalog. epp. Ratisbonensium II, 10. Oefele I. 12) Mausoleum S. Emmerami. Ratisb. 1650. p. 38. 13) Iter Germanicum p. 51. 14) c. 39. Cf. epistolam ad Reginwardum historiae translationis praemissam sub finem.

cocti lateris incisam per elementa memoriae mandavit, hasque occidentali parte muro inclusit (*scil. Tuto episcopus Ratisbonensis*). *Si igitur facile tibi persuadeas haec eadem esse veritatis testimonia, quae sancti Emmerami monachi ob Leonis papae oculos posuerint, sine ullo tamen dubio reiicienda est illa bulla sive litterae ad Heinricum primum regem Franciae, quibus Leonem sententiam suam confirmavisse inde a saeculo decimo quarto audacter contendebant Ratisbonenses. Hanc bullam esse suppositam hodie sane nemo negabit*[15]. *Sed Leonis*

15) Ne ea desit commentationi nostrae, summam bullae hoc loco repetere liceat. Haec sunt signa chronologica quae indictione excepta sana sunt: *Datum et actum Ratisponae p. m. Friderici diaconi bibliothecarii et cancellarii s. Rom. eccles. cathol. et apost. anno Dom.* 1052, *anno pont. d. Leonis IX papae* 4, *ind.* 5, *Non. Oct.* Hi sunt gravissimi textus loci: *Nam cum per instantiam serenissimi imperatoris Heinrici ad partes Germaniae visitandas, ac praecipue ad urbem quae dicitur Ratispona vel Regensburg evocati essemus, ad venerabile corpus beati Wolfgangi eiusdem urbis episcopi transferendum, hoc ea qua decuit reverentia et devotione peracto, tui, Francorum rex, in Christo fili carissime, nos legati tuorumque omnium vice solliciti rogarunt, quatenus litem, quae inter vos et urbem praedictam super sacrosanctis ossibus beatissimi Dionysii Areopagitae diutissime ventilatur, veritate discussa dirimere curaremus, vobis quidem eadem apud vos esse dicentibus, civibus autem atque incolis praefatae urbis astruentibus e converso, ea per invictissimum Arnulfum quondam imperatorem ad ecclesiam beati martiris Emmerami esse translata ibidemque contineri. — Id ipsum nihilominus venerabilis abbas Reginwardus ac fratres eiusdem ecclesiae cum universitate Ratisponae instantissime petiverunt fieri. Nos ergo utriusque partibus precibus inclinati, nec volentes ulterius corda fidelium huius dubii ambiguo caligare, in fratrum nostrorum ac plurium episcoporum ac praelatorum praesentia et conspectu scripta Arnulfi augusti ordinemque rei diligentissime perlegentes, nec eo contenti capsas, thecas et scrinia, in quibus sacrae reliquiae conditae dicebantur, ac titulos ac epigrammata eorum oculo tenus sollerti examine discutientes, nihilque omittendo quod ad indagationem certitudinis pertinet, tam imperialibus quam papalibus antecessorum nostrorum litteris sufficienter instructi, picturis quoque parietum multiplicibus et sculpturis vetustissimis exprimentibus indicia veritatis et notas indubitata fide comperimus, dicti doctoris et martiris ossa venerabilia, excepta particula unica simul et minima manus dextrae, apud memoratum beati Emmerami coenobium integraliter contineri.* Cf. Jaffé Reg. pontif. Rom. p. 948. CCCLXXXVIII. Nihil dicam de alia Leonis IX. bulla a. 1049 scripta (Jaffé 3183), in qua de monasterio sancti Dionysii haec leguntur verba: *ubi ipse sanctus in corpore requiescit;* sed aliis argumentis ducti, iam viri docti saeculi septimi decimi eam impugnarunt ob elocutiones quibus in initio usus est scriptor minime usitatas, ob litteras imperatorum et pontificum priorum, quas in lite de sancto Dionysio datas esse dicit, quae vero nullibi inveniuntur, ob voces quae occurrunt *papalis* et *Alemannia* pro *Germania.* Primus qui suspicionem de hac bulla movit, erat Doublet Histoire de l'abbaye de S. Denys p. 144. Paris. 1625, post eum Halloix Iesuita Leodiensis in libro de illustribus ecclesiae orientalis scriptoribus. Duaci 1633. p. 217; Millet Vindicata ecclesiae Gallicanae de suo Areopagita Dionysio gloria. Paris. 1638. p. 190; Launoius l. l. Mabillon in Annal. ord. S. Benedicti IV, 490, 495; Dubois Histor. eccles. Parisiens. Par. 1690. I, 652. Félibien Histoire de St. Denys p. 123; Pagi ad Baron. 1052; Natalis Alexander Histor. eccles. VII, 8; Byeus in Actis Sanctorum Octob. IV, 975; contra quorum argumenta haud prudenti consilio bullae defensorem se fecit Eckhardt Fr. or. II, 740. et, quod nemo miretur, Kraus p. 58. Equidem illis quae de mala fide bullae dicta sunt unum addam Leguntur etiam haec verba de S. Emmerami ecclesia: *quae — ab omni aliorum subiectione ac iuris libera dictione et exempta ad ius atque proprietatem beati Petri apostolicaeque sedis immediate pertinere dinoscitur oblatione videlicet excellentissimi Romanorum imperatoris Caroli M. ac posterorum ipsius* etc. Karolus Magnus talia nunquam fecit; at S. Emmerami monachi haud paucis corruptis aut suppositis chartis talem libertatem a iurisdictione episcopi Ratisbonensis suo monasterio vindicare conati sunt, quae contentio haud ante initium saeculi undecimi exarsit. Vide Zirngibl Process der Kirche zu S. Emmeran gegen das Hochstift Regensburg, et Rettberg Kirchengeschichte Deutschlands II, 270. Arcte igitur supposita Leonis IX bulla cum aliis corruptis cohaeret chartis. Primus, quod equidem sciam, qui huius bullae mentionem fecit, est Henricus de Hervordia in chronico suo quod usque ad annum 1355 perduxit. Leguntur apud eum haec verba Aet. VI, 76 in codice Berolin. Lat. mss. f. 224: *Arnulphus imperator beatum Dyonisium argopagitam de Gallia transtulit in Ratysponam, ubi nunc requiescit, quamquam Franci nuntiantur adhuc se corpus illud sanctissimum habere, non obstante testimonio et diffinitione Leonis pape, que sub bulla Ratyspone visuntur sub hac forma* etc. Iam sequitur bullae textus, omissis signis chronologicis. Itaque ante medium saec. XIV. sine ullo dubio supposita est bulla. Ex Henrico de Hervordia ex parte eam transscripsit Hermannus Cornerus ad 898. Eccard II, 504 et Andreas Ratisbonensis in Chron. univers. cum continuatione Chrafti ibid. I, 2061; mentionem eius fecit Hofmann Hist. epp. Ratisb. Oefele I, 549. Aventinus IV, 20. et Hochwart in catal. epp. Ratisb. II, 18. apud Oefele I. qui habet: *Leo IX — ossa S. Dionysii — attrectavit et apostolico diplomate, quod illic servatur — comprobavit et confirmavit.* Paullo infra: *originale tamen non vidi.* Neque idem vidit Kraus, qui p. 62 bullam in codice 517 saec. XV. legi testatur, neque unquam exstitit. Baronius eam ad a. 1052 proferens *mendosam* appellat, eamque

iudicio ne Germanorum quidem animis omnes scrupuli sunt exemti, nedum Gallis, qui se vera sancti Dionysii ossa in monasterio eiusdem sancti ab antiquissimis temporibus habuisse, et patrum traditione et libris scriptis et chartis constanter affirmabant. Centum enim fere annis post Leonem papam novam de hac re movit dubitationem Otto Frisingensis in chronico his verbis[16]*:* Tradunt ibi *(apud Sanctum Emmeramum)* scriptumque monstrant, quod praedictus rex *(Arnulfus)* sanctum Dionysium a Gallis ad praefatum monasterium transtulerit. Quod ut utrum sit, ipsi viderint. *Qui quum verba illa scriberet,* scriptum monstrant, *ni fallor in mente habebat inscriptiones illas et tabulas, quas supra proposuimus; sed minime iis sibi persuaderi passus est Otto verum sancti Dionysii corpus Ratisbonae asservari. Sed Sancti Emmerami monachi non contenti parvulis illis tabulis, quo maiorem fidem narrationibus suis facerent, mox alia praesidia sui Dionysii protulerunt. In tabulis illis translationis historia in paucissimorum verborum compendium erat redacta. Hoc fundamento narrationes posteriores sunt superstructae, atque pauca illa verba in longissimae fabulae telam sunt deducta.*

Iam ipso saeculo XI vel XII auctor quidam Ratisbonensis has res ordine perscribere conatus est, cuius brevissimae historiae fragmentum e codice Sancti Emmerami[17] *edidit Kraus, quod hoc loco repetere minime abs re esse puto:* Audite, fideles populi, causam rumoris maximi, quae sub temporibus modernis Noricis contigit terris. Beatissimus namque Dionisius, Athenis quondam episcopus, quem sanctus Clemens direxit in Galliam propter praedicandi gratiam, ibidemque martyrio coronatus comperitur et tumulatus, hic idem sub tempore iam contiguo inde translatus est Norico in Emmerami beati cenobium satis celebre et famosum. Sed hoc quali perpetratum constet modo, vobis breviter nuntiabo. Imperator fuit quidam eximius nomine etiam Arnolfus, ex illius prosapia gloriosi pontificis quondam Arnolfi clarissimam tenens carnis originem, eiusdemque sequens virtutem. Ille ergo invitatus confinia petiit occidentalia, commissurus bellum contra quasdam gentes iam Gallica regna prementes, quas incolae non illius provinciae per se valebant superare. Cumque per Omnipotentis auxilium ita vim deleret hostium, ut de exercitu eorum immenso non restaret vel unus homo, cum tanti triumphi gloria reversus, venit ad urbem Parisius. Qua dum per dies aliquot resedisset, et de diversis tractavisset, coepit hoc etiam secreto tractare omnimodisque explorare, qualiter valeret corpus sanctissimi Dionisii obtinere. Ad haec multi respondentes quoque multa varia dabant consilia, sed postremo quidam . . . . . *Hoc loco desinit fragmentum; reliqua codicis folia Krausio teste erant excisa. In hac narratiuncula, quae rythmicis inclusa est versibus, in uno contextu interque se coniuncta habes, quae in tabulis erant disiecta membra, et quamvis est mutila, tamen eandem deprehendis indolem atque in longa illa translationis historia, de qua iam pauca videntur praemonenda. In utraque narratione audimus Arnulfum imperatorem Parisios contra hostes profectum esse, in utraque eum molitum esse quomodo sancti Dionysii corpus Gallis surripere potuerit. Quae res in longiore narratione copiosissimis verbis sunt involutae, inque modum fabulae Milesiae ita exornatae, ut mirificas et incredibiles eas esse merito dicas.*

Debemus historiam translationis sancti Dionysii Krausio saepe-

ex collectione Antonii Augustini episcopi Ilerdensis dedit. Post eum saepissime repetita est a Coelestino, Halloix, Launoyo, Eckhardto, Mansio, Byeo et aliis.

16) VI, 11.

17) n. 257. Specimen codicis dedit p. 116; ipsum fragmentum legitur p. 66. quod Kraus Othlono adscribere volebat. Coniecturam hanc non valde probam in medio relinquo. Cf. Mon. Germ. SS. IV, 523.

laudato, qui eam, ut Ratisbonenses suos novis armis defenderet, e duobus Sancti Emmerami codicibus saec. XV. primus edidit[18]. *Hac quoque narratione haud leves moveri dubitationes ei minime mirum videbitur, qui priora a nobis proposita paullo accuratius secum consideraverit. Nam res ipsae quae narrantur cum rerum veritate minime conveniunt. Legimus Arnulfum magno cum exercitu non modo Galliam intrasse, sed etiam Parisios venisse, ut Karoli Simplicis et Odonis litem diiudicaret*[19]; *at Arnulfus neque in Galliam neque Parisios unquam venit. Ebulonem abbatem, qui eo tempore praeerat monasterio sancti Dionysii, tanquam virum simplicem et stolidum describit auctor*[20], *sed minime is erat quem anonymus vult eum fuisse. Frater Ranulfi Pictaviensis comitis, abbas Sancti Dionysii erat Ebulo annis* 881—893[21]; *sed rebus ecclesiasticis minus deditus,* 886 *inter fortissimos Parisiorum contra Nordmannos erat defensores, eumque Abbo saepius appellat Mavortium abbatem*[22]. *Dein contra Odonem regem facta rebellione in obsidione castri* 893 *occisus est, ipseque rex abbatiam in suam potestatem redegit. Neque Tuto episcopus Ratisbonensis, qui sancti Dionysii ossa in Bavariam transtulisse dicitur*[23], *Ebulone vivente cathedram adeptus est; sedebat enim annis* 894—930.[24] *Pretiosissimum evangeliorum codicem, tempore Karoli Calvi conscriptum, ab Arnulfo una cum Dionysii reliquiis in Bavariam allatum esse e monasterio Sandionysiano fabulatur auctor*[25]; *eundem codicem accurate descripsit Arnoldus praepositus, qui eum sancti Emmerami monasterio donatum esse dicit ab Arnulfo imperatore, quum ex Moraviensi expeditione victor redierit*[26]. *Quae de Karoli regis et Odonis contentione proferuntur, turbata sunt minimeque stare possunt*[27]; *Karolum sanguinis externi hominem fecit auctor*[28], *et Odonis, cuius falsam genealogiam proponit, atavum Karolum Magnum fuisse contendit*[29]. *Nihil denique scimus de Beringario fabuloso Saxonum duce et de Iringo Noricorum comite palatino, quos auctor Arnulfi tempore vixisse vult*[30]. *Haec omnia sunt merae fabulae, quae saeculo undecimo vix scribi aut narrari poterat.*

Sed audiamus quid de se ipse statuerit auctor. Si in primis libri verbis subsistas, auctorem audis se nominare servum servorum N. qui cum epistola dedicatoria librum suum ad Reginwardum, a quo ad scribendum fuerit impulsus, transmiserit. Quae si vera sunt, aequalis ad aequalem scripsit de reliquiis ab ipso Reginwardo inventis. Talem ubique se gerit auctor; quae narret se chartis debere a Reginwardo sibi datis[31] *affirmat; historiam translationis a Parisiensi (id est Sancti Dionysii) et Remigiensi quodam abbate se accepisse dicit, quum in Gallia commoraretur*[32], *et in ipso sancti Dionysii monasterio. His, quibus in alio fidem facile haberemus, hoc in libro haud pauca illaque gravia obstant argumenta, quibus quominus auctorem Reginwardi tempore vixisse credamus impedimur. Nam ab animo vix impetrare possumus, quin hunc libellum saeculo undecimo compositum esse statuamus*[33]. *In epistola enim ad Reginwardum auctor tanquam verum vendit fabulam, Ratisbonam antiquis temporibus Tiburtinam appellatam, ab imperatore Tiberio fuisse conditam. Cuius vanae gloriae prima vestigia posteriore demum tempore deprehenduntur, quod equidem sciam, in supposita quadam bulla Leonis tertii papae, quae recepta est in codicem*

18) p. 117; et huius codicis specimen dedit p. 116. 19) c. 10. 20) c. 18 sqq. 21) Ann. S. Germani Paris. Mon. Germ. III, 167. Ann. Vedastini 892 et Regino 893. Félibien Histoire de S. Denys p. 99. 22) Mon. Germ. II, 783 et alias. 23) c. 39. 24) Ann. S. Emmerami min. Mon. Germ. I, 94. Ried Codex dipl. Ratisb. I. XIV. 25) c. 37. 26) I, 5. Mon. Germ. IV, 551. 27) c. 6 sqq. 28) c. 7. 29) c. 1. 30) c. 11. 31) Vide sub finem epistolae. 32) Ibid. 33) Quod fecit Byeus Act SS. Oct. IV, 954, etsi libro fidem denegat. Kraus p. 123 Othlonum auctorem fuisse falso opinatur.

Udalrici[34]. *Accedunt alia quae satis mira sunt. Giselbertum, qui ut Arnulfi voluntati satisfaceret, ossa sancti Dionysii pia fraude e monasterio furatus est, haec verba loquentem facit auctor:* Memini me puero quando Parisius studui etc. *Quis quaeso credat Germanum presbyterum saeculo nono exeunte talia loqui potuisse, aut scribi a Bavaro monacho saeculo undecimo? Haec verba eo demum tempore scribi potuerunt, quo Parisiensis litterarum universitas iam late gloria celebraretur, quod ante saeculum medium duodecimum vix factum est*[35]. *In descriptione Ratisbonae urbis auctor haec profert verba*[36]*:* Ibi aula regni late porrigitur. Hic curiae dux residens, omnium negotiorum civilium publice et privatim ut nobilissimus moderamina disponit. — Hic exercentur iudicia et docentur fora omnisque sciti solertia. *Quis est dux curiae? Num comes palatinus? At nunquam, quod sciam, comitem palatinum appellarunt ducem curiae, neque inter imperii dignitates saeculi undecimi occurrit dux curiae. Si vero audis eum civilibus negotiis et iudiciis praefuisse, quidni coniicias auctorem cogitasse de iustitiario curiae? Haec vero dignitas a Friderico secundo instituta est in concilio Moguntino anno* 1235.[37] *Itaque, si hac coniectura inniti licet, tertii decimi saeculi habemus auctorem. Quae si vera sunt, hic falsarium tenemus, qui Reginwardi tempore se vixisse simulans, librum suum conscripsit, ut Ratisbonensium de sancto Dionysio narrationem contra Sandionysianos defenderet. Quo in consilio exsequendo mira arte usus est; ipsos enim Sandionysianos monachos auctores fecit ossa martyris surrepta et Ratisbonam translata esse. Sic ipsorum testimonio quibus pretiosissimus ille thesaurus ereptus dicebatur, suae narrationi maiorem fidem facere conatus est*[38]. *Sed mirum est, auctor ipse fraudis suspicionem movit; veretur enim, ne quis haec omnia mera esse mendacia dicat. En verba eius*[39]*;* At si quis callidior haec liventi oculo perstrinxerit, non quidem sententiae applaudet simplicitate nixae, sed quasi mendacio adstipulante deridebit. Unde necessaria cautio est, quamvis summatim tamen cautissime rei gestae ordinem per singula ordiri *etc. Alia pluraque de auctore afferri nequeunt, neque tempus quo scripserit accuratius circumscribi potest, nam silentii tenebris bene se texit. Hoc unum stare videtur, quod Sancti Emmerami fuerit monachus, nam alii cuidam talia scribere in mentem venire non potuit. Eum post medium saeculum quartum decimum scripsisse vix contenderim. Vidimus supra Leonis IX bullam suppositam primum occurrere apud Henricum de Hervordia, cuius chronicon usque ad annum* 1355 *est deductum. Haud pauca praesidia corrasit auctor, quibus narrationem suam probare conatur, de Leonis bulla ne verbum quidem. Si notitiam eius habuisset, non sane silentio eam transiisset, sed summi pontificis auctoritate sine ullo dubio librum suum muniisset. Ideoque statuendum est eum tabulam illam non novisse, et altero dimidio saeculi tertii decimi sive priore quarti decimi scripsisse. Iam de fontibus e quibus hausit auctor pauca sunt monenda. Inscriptionum supra mentionem fecimus, quibus accedunt chartae e scriniis Sancti Emmerami sine dubio petitae*[40], *Hilduini epistola ad Ludovicum Pium de sancto Dionysio, Rustico et Eleutherio*[41], *cui qua se exornare conatur debet doctrinam, nominaque*

34) Eccard. Corp. med. aev. I, 33. ubi haec leguntur: *Iuxta muros civitatis Tyburniae, quae a Tyberio Caesare Augusto aedificata est, quae modo vulgo appellata est Reganispurch.* 35) Savigny Gesch. des Röm. Rechts III, 344. 364. 36) Epist. ad Reginwardum. 37) Mon. Germ. Legg. II, 317. 38) Hoc praesertim in epistola ad Reginw. demonstraturus est, in qua et haec leguntur verba: *sicut a veracibus viris Gallorum, scilicet sapientissimis, audivi.* 39) in prooemio. 40) Ep. ad Reginw. sub finem. Cf. cap. 25. Eadem charta legebatur in codice quodam s. XVI. apud S. Emmeramum; vide Kraus p. 55. 41) Surii Act. SS. V, 637. In auctoris sermone pro defensione Dionysii Areopa-

quae saepius iactat, Eusebii, Hieronymi, Gregorii Turonensis, Bedae et fabulosorum auctorum Aristarchi et Visbii, haec omnia ex Hilduino ad verbum sunt descripta; dein ni fallor Meginfridi vitam sancti Emmerami ante oculos habuit, libere eam potius sequens quam exscribens[42], *et e Reginone quaedam desumsit, quibus veris falsa sua admiscuit*[43]. *In reliquis haud indoctus vir erat, etsi satis perplexe scripsit; elocutionibus Horatii*[44], *Virgilii*[45], *Lucani*[46], *Sallustii*[47] *saepius usus est. Postero tempore ex inscriptionibus illis nostrique auctoris narratione memoriam translationis sancti Dionysii transiisse in lectionaria, sequentias et hymnos, quibus utebantur monachi Sancti Emmerami, in picturas, et denique ad Aventinum*[48] *devenisse, nemo est qui miretur. Oleum operamque perdidit Kraus, qui dubiis hisce argumentis in translationis veritate probanda inniti posse sibi videbatur*[49].

Sed iam a Ratisbonensibus ad Sancti Dionysii monachos nos vertamus. Qui quum falsis narrationibus pretiosissimum suum thesaurum, sancti Dionysii martyris ossa, sibi surripi vidissent, cuius patrocinio Galliam prae ceteris terris gaudere credebant, ad defensionem animum verterunt. Quo ex consilio originem duxit Haymonis *monachi Sandionysiani libellus, qui genuina fide scriptus est, ut Ratisbonensium commenta refutarentur. Narrat Haymo Heinrici primi, Gallorum regis, legatos, qui tunc forte Ratisbonae commorarentur, quum reliquiae detegerentur, asseverasse coram imperatore verum sancti Dionysii corpus in Gallia servari; dein Heinrico rege iubente sancti Dionysii sepulchrum esse apertum, ossaque martyris examinata, ut Sancti Emmerami monachorum vana gloriola refelleretur. Quod praesentibus multis episcopis et abbatibus factum est die* 9. *Iunii anno ut videtur* 1053.[50] *Hoc est quod quatuordecim capitibus memoriae prodidit Haymo. Quod etsi satis accurate fecit, tamen de tempore quo hunc librum composuerit dubitari potest. Hugonis cuiusdam abbatis tempore monachi Sandionysiani reliquias examinarunt, et ad Hugonem abbatem librum suum conscripsit Haymo. Ne eum illo Hugone IV abbate, qui monasterio praeerat annis* 1049—1061[51], *vixisse credamus, ipse vetat Haymo*[52]. *Probanda igitur videtur Felibieni coniectura, qui librum temporibus Hugonis V vel VI conscriptum esse arbitratur, qui alter alterius successor monasterio praeerant annis* 1186—1204.[53] *Equidem credam auctorem paullo post a.* 1191 *scripsisse, quo teste Rigordo*[54] *reliquiae sancti Dionysii sociorumque eius publice exponerentur, quo fortasse factum est, ut prior illa ossium detectio in hominum memoriam revocaretur. Vetustiorem quandam auctoritatem in accurata sua narratione sine dubio secutus est Haymo, quam indicavit in capite octavo, ubi legitur* de litteris indicibus primi erroris et subsecutae veritatis, *quae in sancti Dionysii sepulchro essent positae. Hanc, ni fallor, sive chartam sive libellum ante oculos habebat, cui sine dubio episcoporum nomina debebat, qui sepulchro aperiendo interfuerant. Num ex posteris scriptoribus Rigordus, qui erat ipse Sancti Dionysii monachus, Haymonem secutus sit, vix dicere ausim; versionem*

gitae haec leguntur: *Verum ea qui nosse curet, legat eius gesta, quae Hildwinus abbas efficiente Ludwico rege ex singulis auctoribus coacta, nil Graecorum eloquentiae cedens, in unum volumen redegerat, qui in epistola quam ad eundem regem conscripserat* etc. Cf. ep. ad Reginw. c. 13. 36. De eodem cogitasse videtur, quum in eodem sermone auctores Gallicos et librum Gallicum de S. Dionysio laudat. 42) Ep. ad Reginward. Act. SS. Sept. VI, 486. 43) c. 3. 6. 44) c. 2. 6. 10. 45) c. 32. 35. 36. 46) c. 1. 47) c. 3. 48) IV, 20. 49) p. 48. 54. 59. 64. 66. 68 sqq. 50) quod Rigordus in gestis Philippi Augusti ad a. 1050 narravit. Brial XVII, 19. 51) Félibien Hist. de St. Denys p. 121. 122. not. a. 52) Haymo in c. 6. dicit: *Inter quos etiam abbas, qui tunc* (quum ossa detegerentur) *ipsius sancti loco praeerat, Hugo nomine adfuit.* 53) Ibid. p. 206. 212. Gallia christ. VII, 382. 54) Brial XVII, 35.

Gallicam narrationis illius dederunt les chroniques de St. Denys[55], *neque minus auctor chronici regum Francorum Haymonem habet auctorem*[56].

Sed alia in monachorum Sancti Dionysii scriniis asservabantur arma, quae haud infeliciter contra Ratisbonenses verti possent. Erat haec longa illa chartarum series, quae de donationibus Sancto Dionysio factis conscriptae erant, quibus hoc demum probari potest, saeculo undecimo vulgarem fuisse hominum sententiam, verum sancti Dionysii corpus in Gallia conditum esse. Quod probatur tabula Odonis regis 894[57], *Edgardi regis Anglorum* 960[58], *Ottonis II imperatoris* 980[59], *Roberti regis Galliae* 998[60], *Eduardi regis Angliae* 1059[61], *Nicolai II papae* 1061[62], *Alexandri II papae* 1066[63], *Philippi I regis Galliae* 1067[64], *et Guillelmi I regis Angliae* 1069.[65] *Sed etiam antiquiores rerum Germanicarum auctores contra Ratisbonenses ex parte Gallorum stant. Ita Widukindus*[66], *qui quum narraret sancti Dionysii manum a Karolo Simplice transmissam esse Heinrico primo, firmissime sibi persuasum habebat, verum sancti Dionysii corpus esse in Gallia; Bruno in vita sancti Adalberti scripsit a.* 1001*:* Parisium — venit, ubi et sanctus et pretiosissimus martyr aryopagyta Dionysius fuso sanguine corpore requiescit[67]; *et eandem sententiam anno* 1024 *Thangmarus in vita sancti Bernwardi amplexus est*[68]. *Quae iam igitur redundant ex omnibus quae hucusque proposuimus? Reliquiae, quae in sancti Dionysii monasterio asservabantur, nunquam translatae sunt in Germaniam. Quae narrantur de tali translatione vanae sunt fabulae meraque somnia monachorum Sancti Emmerami. Hoc unum verum est, quum altero dimidio saeculi noni Nordmannorum pericula ingruerent, ossa sancti Dionysii a.* 859 *translata sunt Novigentum*[69]*; a.* 865 *Nordmanni per viginti dies monasterium sancti Dionysii occuparunt*[70]*;* 876 *eandem ob causam ad Curtem superiorem in agro Remensi,* 887 *ad Fulconem archiepiscopum Remos reliquiae latae sunt*[71]. *Vana illa opinio, Ratisbonae verum esse corpus sancti Dionysii, nata est inter annos* 1037 *et* 1052, *posterisque saeculis magis magisque in fabulosam narrationem deducta est. Antiquissima denique haec contentio ad recentiores devenit viros doctos, qui argumentis ex arte critica petitis fabulam de Dionysio Ratisbonensi impugnarunt, Halloix*[72], *Doublet*[73], *Millet*[74], *Launoy, Mabillon*[75], *Dubois, Felibien*[76], *Pagi*[77], *Natalis Alexander*[78], *Byeus*[79], *contra quos Ratisbonensium traditionem frustra tueri conati sunt Eckhardt*[80] *et abbates Sancti Emmerami Coelestinus et I. B. Kraus.*

Ex libro anonymi Ratisbonensis damus epistolam ad Reginwardum et historiam ipsius translationis, reiecimus sermonem copiosissimum de defensione Dionysii Areopagitae, qui magnam partem ex Hilduino descriptus, minimi est

55) Bouquet XI, 405. 56) Ibid. p. 393. 57) Doublet Histoire de l'abbäye de S. Denys. Paris 1615. p. 810. Félibien pieces justif. p. LXXVII. *abbatia S. Dionysii — ubi preciosus martyr cum suis sociis requiescit.* 58) Ibid. p. 817 et p. LXXIX: *preciosorum martyrum S. Dionysii, Rustici et Eleutherii quorum sacra corpora honorifice posita sunt in Francia.* 59) Ibid. p. 818 et p. LXXX: *in memoriam et honorem egregii Christi martiris Dionysii usque hodie ibidem corporaliter habiti.* 60) Ibid. p. 820 et p. LXXXII. 61) Ibid. p. 831 et p. LXXXV: *dedi S. Dionysio qui apud nos quidem celebris memoriae nominatur, apud Francos autem et colitur et habetur.* 62) Doublet p. 464: *ubi* (in monasterio S. Dionysii) *ipse domnus in corpore requiescit.* 63) Ibid. p. 466. 64) Ibid. p. 835 et LXXXVII: *basilicae domni Dionysii, peculiaris patroni nostri, ubi ipse inquam pretiosus martir cum sociis corpore requiescit.* 65) Ibid. p. 839 et LXXXVIII. De his omnibus vide quae collegit Doublet I, 142. 66) I, 33. 67) c. 19. 68) c. 41. 69) Ann. Prudentii ad h. a. 70) Ann. Hincmari ad h. a. 71) Flodoard. hist. eccles. Rem. IV, 8. Vide de his Byeum in commentatione iusto copiosiore de S. Dionysio sociisque eius in Act. SS. Octob. IV, 940. 72) Argumenta Halloixii, Launoyii, Mabillonii ipsorum verbis repetiit Kraus p. 1—36. 73) I, 142 sqq. 74) Vindic. eccl. Gall. glor. p. 177. 75) Acta SS. ord. S. Bened. saec. V, 107 sqq. Annales ord. S. Bened. III, 247. 612. IV, 490. 495. 76) p. 120 sqq. 77) ad Baron. 1052. 78) Hist. eccles. VII, 8. 79) Act. SS. Oct. IV, 987. 80) Franc. orient. II, 746.

momenti. In textu constituendo secuti sumus Krausium, qui eum ex duobus Sancti Emmerami codicibus solus edidit, quos ita descripsit[81]: Character vero, quo ista singula in codice, ex quo ea deducimus, scripta fuerunt, pertinet ad seculi XV. initium; alia enim quae hoc charactere in isto codice adhuc annotata vel descripta fuerant, ultra annum 1409 non excedunt. — Manuscriptum istud apographum seu copia tantum est, una quidem manu et eodem charactere descriptum, sed mendosum, uti legenti patet. Descriptor huius copiae autographi ipsius ductus non satis intellexisse videtur. — Adest aliud exemplum seu copia, ut vocant, huius epistolae papyraceum sec. XV. exaratum. *Mendosum textum hinc inde ex nostra sententia correximus.*

Ex Haymonis libro damus praefationem et capita 1—9; *reliqua, quae exhortationes et miracula continent, resecuimus. Usi sumus codice Parisiensi membr.* 4. 2447. *saec. XV, in quo est collectio librorum de sancto Dionysio, desideratur vero Haymonis praefatio; fragmenta quaedam ex hoc codice descripsit Bethmann. Praefationem et nonnulla alia desumsimus ex editione Felibieni, qui antiquum Sancti Dionysii codicem secutus est. Primus qui partem huius libri prelo submisit est Duchesne in Script. rer. Franc. IV*, 157 *Thuani codicem secutus; item fragmenta quaedam Mabillon in Actis Sanctorum saec. V*, 113, *integrum in lucem eum edidit Felibien in appendice historiae Sancti Dionysii p. CLXV sqq., cuius textum recepit Bouquet IX*, 467.

Scribebam Berolini mense Aprili 1850.

R. KÖPKE.

ANONYMI RATISBONENSIS TRANSLATIO S. DIONYSII AREOPAGITAE.

INCIPIT EPISTOLA CUIUSDAM PRESBYTERI AD REGINWARDUM ABBATEM.

Venerabili abbati Reginwardo sanctorum martyrum Emmerami necnon suis temporibus a Deo revelati, specialis omnium fidelium et maxime in se sperantium protectoris, Dionysii, matriculario[82] etc. N. Dei servorum servus aeternae felicitatis benedictionem exoptat et gratiam. Gratulanti animo epistolas tuas, pater venerande, suscepi, quas ut par esset te imperitante officiosissime exciperem[83]. Quamvis inhianter expostulasti, ut tibi intimarem ac stilo memoriae mandarem, qualiter sanctissimi Dionysii ossa Parisiis sublata vel Gallia translata sintque Ratisbonae locata. Exultante, inquam, hoc annimo enodabo tale tantumque decus patriae a Deo collatum, quod reticere noluissem, etsi a quocunque prohibitus fuissem. Revera etenim super omnem laudem eius, qui in sanctis suis semper mirabilis est, adiicimus[84], quoties sanctorum, qui summi capitis, Domini, membra esse dinoscuntur, gloriam predicamus. Enimvero sine cuius permissu avis non cadit super terram, quomodo unuslibet eorum, quorum etiam capilli capitis omnes numerati sunt, non dico de loco ad locum, verum etiam de regno in regnum poterit transferri? Nimirum sanctorum gloria centuplicato foenere cumulatur, quoties doctrina eorum vel materia aut miraculorum insignia sanguinisve victoria, ad ultimum[85] eorum membra latius fuerunt dispertita. Floreat ergo Athene, fandi et eloquentiae nutrix, philosophorum genitrix, theosopho illustrata Dionysio, Graecia tota tanti praesulis miraculis et doctrina, eius sanguine Gallia, postremo, ad quam commigravit, Germania, et maxime, quae nunc eius ossa continet, Ratispona. Dulce vero sit ac universali iucundum ecclesiae, tanti viri immorari laudibus, quem, qui a patre oleo unctus est exultationis prae participibus suis, speciali privilegio muneris prae cunctis donaverat sanctis. Nam ipsa petra ecclesiae Petrus necnon Andreas, eius frater mitissimus, Iesum vocantem relictis retibus et navi sequuntur; pari modo filii Alphei ad verbi vocantis verbum, in omnem terram verbum laturi, patrem cum retibus reliquerunt; electus in aevum virgo Iohannes, Christo necessarius, nuptiis vocatus abstrahitur; Matthaeus telonei lucro, Ethiopes horridos verbo lucraturus, eximitur; magister gentium Paulus e coelo vocatus et in terram prostratus, ex persecutore effectus est vas electionis; postremo omnis electorum coetus universalem ecclesiam verbo et sanguine vocati pepererunt. Solus Dionysius in tenebris adhuc infidelitatis et mortis umbra positus —

81) p. 117. Cf. etiam p. XXXVII. et 62. 82) i. e. servatori, custodi. Alias matricularium esse sacristae adiutorem vide apud Ducangium sub h. v. 83) Coniungendum *quas ut exciperem par esset.* 84) Est tmesis, *superadiicimus laudem eius.* 85) i. e. denique.

quoniam mortem Christi non ferens sol radios suae lucis abscondit, antiquumque chaos mundo reinducturum minavit[a] — totius mundi veram lucem consultus adventuram signavit, atque Deum humano generi affulsurum serena dignatione dictavit. Ad haec, quod gloria perpes erit sanctorum, sancta[b] agnita veritate Dei praeconia extollere, et pro testimonio veritatis certando occumbere, solus Dionysius supergressus est. Nam a magistro gentium Paulo, suo autem speciali praeceptore, de ignoto Deo requisitus, praedicatorem praedicando praevenit, ac Deum, licet incognitum, seculo futuro venturum, et ipsum in coelo et in terra regnaturum, et regnum ipsius finem non accepturum, verumque hunc Deum et verum hominem mundum renovaturum protestatus est. Qualiter autem, postquam sacro est fonte lotus et Spiritu sancto inflammatus, ultra humanum evolans, quam perspicace indagine coelestia contuenda secreta rimatus fuerit, qualiterque de coelesti principatu et de ordinibus angelorum — sicut revera is qui in coelo os suum posuerat, ubi corde et conversatione degebat — divino usus stilo, ierarchiam solus vel primus ediderit, quaelibet in consequentibus latius tractare interim omitto. Quomodo vero de Gallia sit translatus, vel quis eum furto Parisius tulerit, vel sub quibus principibus actum sit, tam ab ipso Parisiensi abbate quam et ab aliis ipsius monasterii fratribus, quorum diu contubernio delectabar, uti manifestius in consequentibus clarebit, fateor, saepius non sine gemitu et contritione cordium secretius audivi. Hoc autem tenore intestinus Gallorum dolor de translatione sanctissimi Dionysii mihi perlatus est, ut, si fide interposita Bauwariam accederem, atque quali tutela sacrosanctae reliquiae inibi servarentur, vel si quo modo hinc auferri potuissent, cautius explorassem, salva mercede mea, perpetuum mihi memoriale apud se conquirerem gloriamque cumularem. Diu super hac ratione scrupulo quodam incertus detinebar. Nam de translatione eiusdem martyris perspicacius disserentes certificabant, de urbe Ratispona ludificabant; siquidem barbari nescio quam novam, interdum alteram Dionysii ossibus sublimatam nominabant Ratisponam. Sed casu Remorum abbas superveniens, sicut ante seriem translationis apertissime perdocuit, sic et huius erroris retinaculo absolvit. Nam, ut duo pariter abbates egoque in secretario consedimus, sermo super Dionysii translatione repetitur; ac antecessorum negligentia, necnon imperatoris Arnolfi, qui tantum Galliae damnum intulit, astutia, ad haec tam nobilis furti audax facinus factique auctor Gisilbertus, postremo suorum pigritia, qui saltem, an sancta reduci praeda potuisset, inexploratum reliquerant, in commune culpantur. Tum me sancti loci abbas intuens — sanctum namque locum incolae idem monasterium nominant — ait: *Cur tam saepius rogatus, hospes kare, moraris? perge, quaeso, nostris orationibus comitatus, nostrisque opibus sufficienter donatus, et utrum lux Galliae pecunia dolove aut vi reduci possit, cautius explorato. Si id pecunia effici possit, nulla sit mora, in promptu erit pecunia; sin dolo vel astutia, ipse rem tentabo. Caeterum de vi eripiendi supersedendum est, nam scio, si vi temptatur, summis regni illius viribus defensatur.* Ad haec ego, quamvis longe aliter mens esset, inquam: *Quam libens tua, pater, iussa haud segnis exequerer, si utinam tam mihi posse quam ad tuae voluntati satisfaciendum suppeteret facultas! Sed ad quam me redigere gestis urbem Ratisponam? Nescio novam vel alteram praeter unam metropolim antiquam.* Tum haec subintulit Remorum abbas: *Si pro hoc negotio miseris, quidni*[c] *nihil impetrabis? mihi namque vera credito narranti, quia, ut ex patrum traditione res sub aspectum cadit, Dionysii corpus Ratispone sancti Emmerami monasterio contineri, maxime nobis quam ipsis incolis notum est. Siquidem ego, licet nuper segnitie culpatus, iam vice sub terna, peregrino habitu, ne agnoscerer, Ratisponam accessi, sed inexploratum linquens negotium redii. Verum ne tuae voluntati videar obesse, mitte quem missurus; forsitan clemens Deus, qui ipse percutit et manus eius sanat, quique tanta nos patrono privatos terribiliter orbavit, gemitibus et lacrymis nostris repropitiatus, aliquo efficiente, patriae patronum reducet; aut certe maiori nostro damno per nos declarato*[d] *maiori apud exteros gloria martyrem suum Deus ibi*[e] *altabit. Quod de bino urbis nomine turbat, paucis, adverte, docebo. Equidem urbs quam vidi, Ratispona ipsa est antiqua eadem et nova, una magnarum urbium metropolis in confinio Hircaniae*[86]*, prospiciens Bohemiae terminos, posita, media inter Panoniam superiorem et Alamanniam iacet; qua nihil habet Germania clarius. Danubio*[f] *praeterfluente aquilonari parte cincta, ubere gleba foecunda, vinetis ubertim effluentibus dilatata, auri, argenti, seu caeterorum metallorum copiis, bissi, coccini, cunctigenisque mercimoniis, navium quoque ac vectigalium commeatibus et divitiarum cunctarum affluentiis ultra alias urbes cumulata redundat*[87]*. Ad hoc, quod his omnibus carius ac pretiosius est, monasteriis clericorum, monachorum ac virginum referta, in Dei laudibus quam nobilissime floret. Ad ipsam urbem cum iam tertio, aliquantulum quam antea cultior, venissem, togatos urbis proceres devitavi, et primo vulgi omnia recognoscentis animos pertentavi, atque si quis ibi sanctus Dionysius dictus acquiesceret, investigavi curiosius, nilque ab his exquirere hac de re potui,*

Quippe revelatus necdum Dionysius almus
Hic latuit; lateat, dum finis secula claudat.

Quadam itaque die dum ad sancti Emmerami oratorium utrorumque suffragia imploraturus procederem, praepositum monasterii, honesti habitus hominem, Arnolfum, si bene memini, nomine, super utilitatibus monasterii tractantem offendi. Isque me intuens diligentius — eram enim honesto comitatu officio stipatus — misit ministrorum astantium unum, qui aut unde essem, mandans exquiri a comitibus. Cumque

a) *ita legendum videtur; textus* mitavit; *Kraus coniecit* minitatus est. b) s. *textus.* c) ń *textus.* d) declaratum *text.* e) ı *textus.* f) *ita legendum;* danubii *textus.*

86) Hircania, vox corrupta ex Hercynia, videtur idem esse quod pagus Nordgau; Hircanus saltus in Annal. Lauriss. 805 est Nortwalt in finibus Francorum et Bohemorum. 87) Similem descriptionem vide in Meginfredi vita S. Emmerami c. 4. Act. SS. Sept. VI.

subpresso, uti condictum erat, abbatis nomine, me monachum de Gallia audiret, astantes dimittit, meque oratorio redeuntem praestolatur. Deinde benigne salutatum cum considere fecisset, causam attentius perquirit itineris. Tum ego: „Causa, inquam, orationis huc veni exul, et te moveat genuinae charitatis affectus, quo nihil in homine, quod quidem ex subiecto accidat, constat esse praestantius, quo mihi remoto velis intimare ambiguo, utrumnam antiquam novamque Ratisbonam accesserim. Nam fama penes nos est, duas eiusdem nominis urbes hac plaga pollere, sed illam novam magnifice sanctorum martyrum a Deo in se collatorum beneficio sublimatam; cuius visendi gratia patria decessi." Ad haec ille subridens: „In nova, inquit, residens, antiquam conspicis." Et surgens, ut in editiori loco stabat, ipsam urbem digito monstrans, trifariam dispertivit: „Aspice, inquit, pergrande illud palatium orientem versus; hic sedes est augustorum, ibi aula regni late porrigitur, hic curiae dux residens omnium negotiorum civilium publice et privatim ut nobilissimus moderamina disponit. Ipse augustus palatio residens diversis gentibus vel urbibus leges condit, aliis vel iura tradit vel meliorando mutat. Hic exercentur iudicia, et docentur fora omnisque sciti solertia. Circa monasteria clericorum et virginum[88] et pontificum tam provincialium quam exterorum magnificae aedes[89] curtim regiam ambiunt. Itaque omnis illa regio orientalis, a Danubio ad australem usque[a] urbis terminum porrecta[b], regni domatibus referta, regius pagus appellatur. Huius ad occiduum a boreae plaga incipiens, ubi magni operis templum deifico cultu sublatum vides, cathedra pontificis est, ad cuius dioecesim urbis non solum ambitus, sed et provinciae pleraque pars pertinet. Ergo a praedicto templo, ultra basilicam sancti Iohannis quae baptisterium vocatur, quod[c] ab aquilone ad austrum in longum porrectum vides ac muro cinctum, atrium pontificis Danubium vergit. Ultra prospicito et ad meridiem, ubi duo monasteria sanctimonialium altrinsecus posita sunt[90]; a clericis et eorum officialibus sanctimonialiumque officinis, aliquibus mercatoribus intermixtis, urbis regio secunda incolitur, quae Pagus cleri appellatur. Ibi urbs antiqua, a Tiberio quondam augusto munitissimis moeniis inter mellitos, ut sic dictum sit, rivulos et flumina satis pinguissima constructa, quae antiquitus Tiburtina dicta fuerat, extremo vallo desinebat. Enimvero ab illo quem propter[d] aspicis angulo totus et maximus muri ambitus — ab aurora incipiens, et per meridiem flexus atque ad occasum extensus, boreae plaga in Danubium se explicat — pro honore et reverentia huius loci protectoris, sancti Emmerami martyris, urbi adiectus est. Et haec est urbs nova dicta Ratispona." Tum ego inquam: „Quia desideriis meis, prout cupieram, satisfecisti, quam maximas ago grates. Vellem etiam te referente certius scire, quis, cuiusve patriae oriundus fuerit sanctus Emmeramus, quem patronum colitis, vel cur eius causa urbs tanta tam magnifice sit aucta et innovata, ut eius meritorum preconia per me cognoscens Gallia aeque vobis martyrem concelebret, simulque ipsius patrocinia imploratura locum frequentet." Tum vero prudentem virum cerneres, atque aureo ore facundum maxima tanti praesulis gesta summatim perstringentem mirareris, quae quantulumcunque memoriae retinui, ni pigeat audire, retexam. „Sanctus igitur, inquit, martyr Emmeramus — cuius doctrina et meritis paganismi surculo radicitus exstirpato, in Dei notitia et laudibus primum effloruit et in perpetuum florebit ista metropolis — Aquitaniae provinciae Pictavis urbe clarissima, celsa progenitorum stirpe natus,

Stella matutinis rutilans ceu surgit in oris,

caeco mundi in turbine emicuit. Hic statim a primaeva aetate sitibundo pectore cum fluentis doctrinae cervi more haustum Deum fontem vitae inbibit totis praecordiis, scandens iuvenis in virtutem de virtute, donec vir, mactae virtutis pater ut emeritus, maternae urbi ordinatur episcopus. O qualem se episcopatu sumpto quantumque praestiterit, digne explicare quis poterit? Et si singula de eo virtutum eius gesta, quae scripta retinemus, enodare voluero, ante vesper Olympum claudet, quam sermo cesset. Post ergo suos sufficienter informatos in extremam manum virtutum composuit; audiens Avariae gentem ydololatriae deditam ritu adhuc squalere veterno, illuc arma fidei verbo pugnaturus extollere disposuit, eo scilicet tenore, ut aut ipsam gentem verbo lucratam ecclesiae associaret, aut mole vincendi ipse martyr futurus oppeteret. Itaque propria decenter ecclesia disposita, patria decedens ad hanc urbem venit. Eo tempore Dieto dux nobilissimus primatum in hac urbe agens, Bauwariam strenue administrabat. Qui nuper baptizatus, necdumque plene in fide roboratus, Dei virum officiosissime suscepit, et causis itineris auditis, eum subnixa prece a coepto cohibuit, melius esse dicens gentem[90'], quae partim fidem rudis adhuc susceperat, ne denuo in paganismi errorem proruat, in fide roborandam, et quae partim daemonum adhuc cultibus perdite insudabat, Domino lucrandam, quam inimicissimam sibi gentem damno sui suorumque Dei notitiam anticipare. Belli enim incendia inter illum et Avariae regem fervebant. Quid plura? Vir Dei flexus, precibus ducis annuens, hic substitit, et pro lucrandis animabus invigilans, plures Bauwariorum raro ferro domitos, dulci verbo domuit, ac matre ecclesia Deo Patri agnos ex lupis pater assignat. Plures vitiis expaleatos in horrea Domini recondit, plures charismatum donis, sicut a Domino impetraverat, imbutos in apicem virtutum composuit, ac sui sequaces familiae Christi idoneos reliquit dispensatores.

O quantis aegris fuit hic medicina salutis,
Quanta Deo lucra, sathanae fert quantaque damna!

Lucus ante urbem hoc in colle fuit, ubi diversorum simulacra idolorum variis illusionum antiquitus colebantur dementiis. Tum vero superstitione sedata, vilia erant tesqua. Ibi sanctus aram Dei, in honorem sancti Georgii martyris consecratam, tugurii more extremis facto ora-

a) ad *repetit text.* b) procerum *text.* c) quam *textus.* d) ppr̃ *textus.*

88) sanctimonialium in Niedermünster, ut observat Kraus p. 122. 89) eodem teste episcoporum Salisburgensis, Brixiensis, Bambergensis aedes. 90) monasterium in Obermünster et alterum sancti Pauli, teste eodem Krausio. 90') scil. Bavarorum.

toriolo septam — quae et hactenus ob eius reverentiam, quia hic primum martyr conquievit, in meridiano latere nostrae cernitur ecclesiae — reperiens, sibi iuxta secretum habitaculum statuit, ubi quando a praedicando cessaret, solus soli Deo vigiliis et orationibus vacaret. Hic mysticum lavacrum exercebat, hic mysteria agens divina, renatas animas coelesti viatico reficiebat, hic signorum efficacia quod ore praedicabat confirmante, ceu quondam dux Moyses gentem moerore mortis et tenebris errorum, velut Aegypti latebris, emersam per undas mystice Christi sanguine rubicati maris transducens, ac duodenis apostolorum dogmatum non secus acsi Helim fontibus potatam coelestique manna refectam, decalogi mandata revelato velamine cordium tabulis inscribens, atque per desertum huius ipse columna, charitate zeloque Dei ignitus, cum nube melliflui oris procedens, ad promissam verae hereditatis terram et ad municipatum coelestis Ierusalem septena vitiorum gente superata perduxit. Hic talis tantusque vir ad martyrii palmam pervenit hoc ordine: Eiusdem itaque ducis filia, quam pater unice charam egregie diligebat, omnisque domus cura hac in sola pendebat, a quodam iuvene est stuprata. Ubi utero puellae intumescente diucius crimen celari non potuit, iuvenis una cum puella de periculo vitae metuentes, pro tempore capto consilio ad sancti pontificis compatientiae asylum confugiunt, eius pedibus advolvuntur, veniam precantur, consilium auxiliumque efflagitant. Diu, quid super his ageret, sanctae Trinitatis hostia hoc eventu futura deliberabat. Si sub obtentu veniae admissum scelus prior patri intimaret, verebatur, ne quod adhuc aliquamdiu celari poterat, dum veniam impetrare nequivisset, quasi proditor obiurgaretur; sin vero se absente facinus inclaresceret — nam ipso articulo temporis Romam ire parabat — nullo praesidiante, a miseris supplicium sine retractatione sumeretur, et post parricida sero facti poenitens, se, qui non divina auctoritate prohibuerat, incusaret. Quid ageret? Tandem Iesum, qui aliena peccata in corpore transtulit suo super lignum, imitatus, in se crimen translatum iri mandat, se, qui quasi virgini vitium obtulisset, periculo opponi imperat, ut, aut sui quondam reverendi nominis stupore, donec paululum ira conquiesceret, causa diludiaretur[a], *aut, quod res erat, pro fratre animam, sicut Deus pro nobis, ponendi, prout deliberaverat, copia daretur. Quid multa? recedente episcopo crimen proditur, puella gravida grandi cum dedecore patri praesentatur. De moecho interrogata, sanctum virum accusat, vixque haec patri furibundo*[b], *mucrone eam iugulare paranti*[c], *astantium manibus eripitur, perpetuo tum exilio exhaeredata damnatur. Ast frater puellae Lampertus nomine alto felle livoris infrendens, ac saeviens ob stuprum sororis, virum Dei truculentus insequitur, atque in iugulum innocentis, iniurias quasi sororis ulturus, fervidum furorem evomens, comprehensum primum verbis dehonestat, dehinc pectus sanctum, unde thesauri sapientiae et rivuli scientiae late in populos Gallorum et Germanorum profluebant, baculo impegit. Inde scalae superligatum, manus et pedes paulatim per singula membra resecando discruciari imperat. Illi vero cerebrum sapientiae cordibus caecati luminibus terebrant, naribus, auribus, ah nefas! verendis et membris truncum, in aeternum Deo venturam hostiam, transmiserunt ad superos. Cuius corpus pro eadem incuria vilius quam decuit tumulatum patres id temporis venerandi, divinis revelationibus ammoniti, ac miraculis per sancti martyris merita coruscantibus exhilarati, inde sublatum ad hanc urbem, utpote sedem propriam, revehentes, ante altare, quod praefatus sum, sancti Georgii sepelire, templumque Dei hoc, ut venustum cernis, super eum aedificare. Tunc plebs urbis et senatus, pia erga patronum et doctorem suum devotione fervens, muros urbis occidentali parte deposuit, ac veluti monstratum est, monasterium hoc muro cingens, inibi inclusit, hocque urbem appellavit novam. Haec, quod rates undecunque mercimonia portantes hic in portu ponuntur, Ratispona vocatur; haec post ambitum Sancti Emmerami latum frequens regio mercatoribus incolitur, quae opum ditissima Pagus mercatorum exprimitur. Dux vero Theodo facti poenitens, pro scelere commisso natum sempiterno damnat exilio, ac plura ac maxima praedia sancto martyri in dotem tradidit, Deoque isthic militantibus perpetualiter ad victum concedit. Exinde collecta sub regulari disciplina semper hic monachorum degebat caterva, omnigenis virtutum studiis exercita. Hi stadium fidei legitimum haud incerta ad praemia percurrentes, et spirituales agonithetae non aerem pugno verberantes, sed corpus proprium castigantes et in servitutem redigentes, theoreticae vitae inhiantes, mundo nudi, Deum deorum in Sion contemplabantur. Crederes, licet urbe degentes, antiquae Thebaidos contuendos eremitas, Antonio vel Marcario ducibus instructa acie, communi labore, quamvis singulari certamine, spiritales nequitias contra dimicare, et aut saucios, fraterno ex solacio acrius pugnaturos, bella instaurare, aut victores, nigrorum satellitum acie tetrae voraginis charybdi submersa, vere Israelitas, mundani turbinis mari transito, iugi speculatione Deo laudes decantare. Etiam nostris adhuc temporibus hic viros invenies probabiles, in libris agyographis novae legis et veteris et maxime perspicaces, et in perspectis, operum exhibitione efficaces. His sub alieno imperio vivere cordi est, ab his decalogus vere contrutinatus inspicitur, et inspectus perficitur; his non consumptus cum mactabitur agnus,*

Corpore de proprio mactatur et hostia Christo.

Sic haec vilia quondam tesqua, perpetuo virtutum fructu vernantia, vicos et electos lapides coelesti Ierusalem inserendos quotidie procreant. Haec te, inquit, hospes, Ratispone didicisse sufficiat; haec, cum te domi receperis, Emmerami praeconia laudibus efferto." — Tum ego: „Dic, inquam, hospes, an hoc solo metropolis haec patrono tueatur Emmeramo, an alius quis martyr sive confessor participato hic cum illo honore servetur." At ille: „Inter innumeros, inquit, sanctorum cineres etiam sancti Dionysii corpus hic teneri patrum traditione comperimus." Tum ego stupidus curiosius sciscitari volens: „Quatuor, inquam, Dionysios viros legimus probabiles, qui simul dignoscuntur confessores; horum aliquem habere potestis, verum non nostrum Parisiensem areopagitam martyrem." — „Non solum, inquit, nos verum, et vos Dionysium areopagitam

a) diludiaretū *textus.* b) patris furibundi *text.* c) parantis *text.*

habere, venerabilis Beda presbyter in tractatu actuum apostolorum contradicit, verum liber passionis eius [91], *nec non antiphonae, quas autumamus a sancto Gregorio editas, vobis super Dionysio ariopagita consentiunt." Haec dicens antiphonas decantabat: „Sanctus Dionysius, qui tradente beato Clemente," et: „Beata nimirum et Deo nostro grata societas." Hic ergo, fateor, derisi hominem, qui testimonium ex cantilena et sub autumatione proferret, cum utique certa de Eusebio, historiae quae ecclesiastica titulatur auctore, proferre posset, nec non de aliis pluribus, et maxime de ipso Beda, qui, quod in praefato opere secus quam debuit dixerat, ipse se reprehendit, et reprehensores suos praeveniens, retractationis librum edidit. Et inquam: „Tu tuo sis, hospes, contentus Emmerano, vel si quem habeas Dionysium; nostrum sit, quem laribus retinemus Dionysium defensare, atque eundem martyrem areopagitam nobiscum calculum ponentibus comprobare." Tum vir facundus conticuit, an ex re sibi incognita, an quod prodiderat quae fortassis celare convenerat, incertum est, mihique valedicens, concitus claustro se recepit. Haec est urbs quam vidi Ratispona, pro nostro quidem damno detestanda, pro reverentia vero Dionysii amplectenda; vere secunda Athene, aeque studiis florida, sed verioris philosophiae fructibus cumulata, ad quam noster Dionysius transmigravit. Quia ei nostra Gallia sorduit, utpote crebris discordiis et intestinis bellorum motibus quassata, unde ei pacifica complacuit Germania.* Haec huic epistolae per digressionem inserere, tibique innotescere, pater, curavi, ut Gallis celebrem tuum noscens Emmeramum hilarescas, sisque de Dionysio Gallorum assertione certior, de thesauro sancto servando cautior, certissime sciens, post locatas Dionysii reliquias Ratispone semper insidiatum iri, in diesque a Gallorum sapientissimis, si qua venerandum corpus arte possit auferri, satis calide explorari. Libentissime autem me tuis desideriis satisfacturum non abnuat divina precatio, sed quod meis meritis nequeo, obtineat apud Deum tua sancta oratio, ut — sicut eiusdem sanctissimi et antiquissimi Dionysii generatio, et quam in terris exercuit conversatio, vel quali martyrio victor decesserit, ad haec miraculorum eius insignia tam Graecorum quam Latinorum scriptorum devota sedulitate mundo sunt declarata, sic, quod paucis adhuc cognitum, pluribus manet incognitum, scilicet eius translatio ac tuis temporibus acta revelatio cum per te declarata florescat — exinde non apud cives solum, sed et per omnem Germaniam grande tibi meritum concilies, et memorabile perpetuum acquiras. Deprecor autem humillime tuam, cuius plane domicilium esse probaris, sapientiam, ne in his, quae revera amore patriae et tuae benevolentia petitionis scribenda aggredior, non dictationis leporem, sed purissimae veritatis, sicut a veracibus viris Gallorum, scilicet sapientissimis audivi, partim etiam tuis chartis, quibus rogatus annuo, perdidici, quaerere studeas simplicitatem. Quid enim rhetorici coloris obscuritas, ubi per se pura claret veritas? Etenim translatus, si inventus non periit syllogismus, manet et ab antecedenti argumentum, cum providentia Dei praeclara patrum mentibus indidit, memoriam translationis cocto lateri incisa per elementa memoriae mandare; et pariter designatis Emmerami Aquitani et Dionysii areopagitae, qui ibi requiescerent, nominibus, addito Arnulphi imperatoris et Odonis Gallorum regis, sub quibus translatus est, nomine, necnon Ebulonis abbatis, qui inscius lumen universalis ecclesiae, plus Gallia atque Germania valentem auro Dionysium vendidit; etiam Gisilberti, qui cum laudabili furto ipso concedente tulit, non tamen pro furti huius crimine Gallorum iudicio corvos in cruce pasturus, sed Germanorum laudibus semper extollendus designato; ad hoc tempus Tutonis episcopi, quo Ratisponae perlatus atque locatus est, probabile atque firmissimum iudicium erit. Perpetua etiam firma, o pater, cautio est, ut, qui felix sanctissima membra oculis vidisti, manibus coram fidelibus testibus tractasti, caput etiam venerabilissimum — quod mirum dictu truncum cadaver se erigens, angelico ductu regente gressum, pendulis brachiis vectitabat — amplexus, dulcia oscula impressisti, si fortuitu, ut evenire potest, seditio inter te Gallosque exoritur, cum tabulas cocti lateris rei seriem litteris exprimentes, quas tibi Deus mirabiliter revelavit, obtuleris, iurgia licet concident, iurent, minentur, probra furiose obiiciant, tamen veritatis cuspide confossi, velut quondam Iudei e cruce Domini, te cum tuis tripudiante, percutientes pectora sua revertuntur. Iam incipiendum, iam tuis desideriis esset satisfaciendum, sed ut ex chartis tuis agnovi, nondum garrula levitas eorum cessat, qui contendunt hunc quem tenes Dionysium areopagitam non esse, sed Chorinthiorum episcopum, quem constat confessorem fuisse, et fatentes martyrem Parisiensem, negant Atheniensem. Unde prius est hos contra luculento sermone conflictum scriptis promovere, et si mecum calculum ponant, veracibus testimoniis convincere, deinde translationis seriem, quam verissime possim, intermixto laudum eius tractatu deflorare.

EXPLICIT EPISTOLA.

INCIPIT PROEMIUM SEQUENTIS LIBRI.

Diu opus promissum, non quidem ullo livoris aut levitatis retinaculo intermissum, sed charitativo admonitionis, quem anxia necessitas imperabat, fervore diludiatum, iam tandem tempus monet incipiendum. Ad quam rem promulgandam longae sunt ambages, longi[a] verborum circuitus, quia necesse est singula prosequi, quibus causis sanctas reliquias translatum iri contigerit, vel quibus regnis sanctissima praeda Gallia abradi potuerit. Cuius quidem brevissima argumenti ratio patet; scilicet Arnolphum imperatorem causa expulsi regis Karuli exercitum in Galliam ductasse, et Gallia armis domita, Odoni denuo regnum ipsius Galliae concessisse, et inter hoc agitando per quemdam prudentissimum clericum Dionysium furto Parisius tulisse, necnon avorum titulis celeberrima[b], quam maxime

a) longe *textus*. b) celeberrime *textus*.

91) Hilduino auctore.

coluit, urbe Ratispona locasse. Haec quidem, quia vera ratio, dum quisque simplex legerit, facile ad credendum impelli poterit. At si quis callidior haec liventi oculo perstrinxerit, non quidem sententiae applaudet simplicitate nixae, sed quasi mendacio adstipulante deridebit. Unde necessaria cautio est, quamvis summatim, tamen cautissime rei gestae ordinem per singula ordiri, qua causa Carolus pulsus regno excesserit, vel quomodo Arnolphum augustum patrio regno hostem induxerit, qualiterque hac occasione, per tot annorum curricula maxima cautela servata, sacrosancta praeda sit ablata, quatenus vera assertione cuique ad credendum facile suadeatur, quod verum esse, Gallis nolentibus et Noricis volentibus, utrisque tamen fidem rei monstrantibus, liquido comprobatur.

EXPLICIT PROEMIUM.

INCIPIUNT CAPITULA.

1. *Quantis temporibus Dionysius Parisius requieverit, et de genealogia Odonis regis, et de initiis miseriarum ipsius.*

2. *De intestinis discordiis Gallorum, et qualiter Oddo auctoribus discordiarum bellum intulerit.*

3. *De eruptione Northmannorum, et qualiter fines Gallorum Burgundionumque vastarent.*

4. *Qualiter Oddo exploratores Northmanorum cepit, vinctosque callide e castris quasi pro adventante exercitu dirigit.*

5. *Quanta astutia rex hostes regno expulit, castraque diripiens praedam liberavit.*

6. *Ubi fugatis hostibus rex vota gratiarum exsolvit, et qualiter, cum in suos debachatur, in eum tota Gallia conspirat.*

7. *Qualiter Oddo regno expulsus ad Arnolphum imperatorem confugit.*

8. *De Gisilberto clerico et oratione Oddonis regis, et qualiter eum augustus in gratiam recepit, et pro eo legatos in Galliam mittit.*

9. *De legatione imperatoris et responsis Gallorum, et qualiter Gallis bellum*[a] *indixit.*

10. *Ubi Arnolphus imperator exercitum in Galliam duxit, et Gallia in deditionem concedit, ac rebelles profugi Nortmannos aliasque gentes contra Odonem ducunt.*

11. *Ubi audita eruptione barbarorum augustus Odonem consilio auxiliisque instructum contra barbaros dirigit, ac Romano more aciem ordinari imperat.*

12. *Ubi imperator a rege digrediens sanctum locum adiit, et ierarchiam Dionysii cum gestis eius secum in castra detulit.*

13. *Ubi a rege digrediens Gisilbertus augustum lectionis stupore attonitum offendit.*

14. *Ubi Gisilberto votum suum imperator aperuit, atque ut pro sanctis reliquiis auferendis animum intendat, oratione accendit.*

15. *De consilio Gisilberti pro Dionysii reliquiis auferendis.*

16. *Ubi denudata verisimili proditione Gisilberti legatus cum charta augusto praesentatur.*

17. *De querimoniis augusti et interminatione eius, de falsa proditione.*

18. *De oratione Ebulonis abbatis, ubi pro Gisilberto intercessit.*

19. *Oratio auctoris increpative in Ebulonem prolata.*

20. *Ubi interventu Gallorum incolumem a se augustus Gisilbertum dimittit.*

21. *Ubi dimissus Gisilbertus, gaza onustus varia, sermocinatione cum Ebulone abbate ad monasterium contendit, et qualiter ipsum abbas fratribus commendat.*

22. *Ubi monstrata pecunia Dionysii corpus sibi ostendi petiit, et conversionem spondet.*

23. *Congratulatus Gisilberto abbas Ebulo, spondens in omnibus ei consensurum.*

24. *Ubi cryptae introductus aureo malleo*[b] *sepulchrum sibi reserari impetrat.*

25. *De charta in tumulo inventa.*

26. *Ubi orando Gisilbertus dona ponit.*

27. *Ubi tumulo resignato convivium ministraturus impetrat.*

28. *Qualiter imperator clero patefacto consilio orationis suffragia implorat.*

29. *De convivio Gisilberti fraudulento.*

30. *Increpatio auctoris, et qualiter Gisilbertus licentiam in ecclesia excubandi orat.*

31. *Ubi noctu Gisilbertus custodes vino inebriavit, et sopitis custodibus Gisilbertus tumbam perrupit, et sancta ossa duabus peris inclusa abstulit.*

32. *Ubi sanctas reliquias in castra ad augustum detulit.*

33. *De fonte qui sub sanctis reliquiis ebulivit, et qualiter Gisilbertus reliquias secum cito Gallia emitti orat.*

34. *Ubi imperator clero et senioribus sanctas reliquias cum fonte monstrat, et de Gallia cum Gisilberto emittuntur.*

35. *Ubi surgens sancto loco custos sanctas reliquias ablatas monstrat, et de querimonia Ebulonis abbatis.*

36. *De tenebris sanctum locum biduo contegentibus, et consolatio auctoris ad Galliam, et defensio Dionysii.*

37. *Ubi in castra contendens Ebulo, negatis sibi sanctis reliquiis, rem silentio contegi orat, et de libro euangeliorum, cuius fabricam mirabiliter imperator exposuit, quem et in pretium consilii dari poscit.*

38. *Qualiter Eleutherii ossa ablata clam in castra Ebulo detulit, et pro Dionysii reliquiis retulit, et qualiter Rustici ossa Arnolpho*[c] *augusto sunt tradita, et de interitu Ebulonis abbatis Parisiensis.*

39. *Ubi recepto exercitu Gallia imperator rediit, et qualiter Odo rex cum donis ei Wangionis occurrerit, qualiterque augustus Dionysii reliquias cum libro et altari aureo tradidit, et sanctas reliquias Tuto episcopus abscondit.*

EXPLICIUNT CAPITULA.

a) *deest in text.* b) patt *text.* c) Heinrico *textus.*

INCIPIT LIBER TRANSLATIONIS DIONYSII ARIOPAGITAE.

1. Sanctus igitur Dionysius ab ultimo Domitiani anno, quo martyrium consummavit, signis praeditus, miraculis coruscans, ita ut non modo Gallorum gentes, verum exterae quoque nationes locum precibus frequenter expeterent, et prosperis successibus levati, undique ovantes domum redirent, usque ad Arnolphi imperatoris tempora, a quo translatus est, Parisius requievit. Quo imperante Gallica sceptra Odo quidam, paterno genere Hispanus, materno sanguine Magni Caroli — nam eius atavus fuit — descendens, gerebat[92]; vir quidem morum ornatu et sapientiae nitore regali reverentia dignus, et quantum in se iustitiae tenax ac rigidus[a] servator honesti, sed nimis levis ad subiectos, et ut quidam poetarum dixit, *aequitas et ius regni non conveniunt, et exeat aula, qui vult esse pius*[93]. Nam dum nimis indulgentius studet gubernare subiectos, nec Gallorum motus, quibus alterutros intestina clade vastare gestiunt, regia auctoritate reprimens, ni[b] auxilio consilioque fratris sui Rudperti[c] adiutus, et ut subinde patebit, defensus fuisset, regno depulsus, vitam cum dedecore privatus duxisset.

2. Etenim benignissimae lenitati eius primo Gallorum singuli applaudebant, munificentiam et humanitatem eius mire extollebant, qui non more maiorum merita animadversione errata subiectorum corrigeret, sed paterno affectu singulorum mores actusque tolleraret[94]. Nec multo post, ubi levia quoque peccata dimisit multa, statim contemptui eius gravior protervitas inolevit. Deinde leves Galli, semper ad motus promptissimi, demum laxa lege potiti . . . . alius alium primo verbis dehonestant, plerique alios obtruncant, mox patria moenia invadunt, dein municipia aut castella alterutris diripiunt; postremo gens in se divisa omnia in se disturbant sua mole ruitura[95]. Nec mora, plures Gallorum laesi regem pro defensione interpellant, tandem quasi somno gravatum excitant; rex sero desidiae poenitens, placita indicit, auctores iniuriarum crebris internuntiis, ut a coepto desistant et ad placita veniant, atque pro defensione sui satisfaciant, imperabat. Sed quia perversi difficile corriguntur, rebelles iam spoliis aucti, regis iussa floccifaciunt, indiesque maiora flagitia ausi, numero et opibus augentur; tandem rex, iusta ira permotus, bello in desertores certandum et sanguinem decernit vindicandum.

3. Sed quia concordia minimae res crescunt, discordia maximae dilabuntur[96], per idem tempus, incertum est, utrum a Gallis, qui sibi de periculo metuebant, evocati, an, uti mos gentis est semper rapto vivere, semper alienis insidiari, effera gens Northmannorum Galliam infestabat. Cuius crebris eruptionibus quassata, enerviter succubuit Gallia, et quae toties unanimi concordia Romana victrix arma impulit, quamque vix Caesar cognomento ferreus decenio consulatu perdomuit, iam intestinis discordiis dissociata, male latronum incursibus patuit profliganda. Nam rege Odone bello in suos occupato, Northmani navibus per Sequanam hostiliter Galliam invadunt, caedibus, incendiis, rapinis omnia disturbant, et iam Parisiorum suburbana nullo resistente devastant, adeo ut, a Sequana usque in Sichionnam[97] per terram tractis navibus, Burgundionum fines armis populantibus pessumdarent. His Odo rex cognitis, ancipiti malo perculsus, undique aestuabat anxius. Nam nulla sibi copia cum his confligendi[98]. Etenim rebellium nullus, quorum magna pars erat, ad defendendam patriam armis eum prosequuntur, quippe quorum factione, ut fama est, exciti barbari talia gesserant. Verum et hi, quos maxime sibi fidos aestimabat, metu perculsi, paulatim castris defecerant, seque cum suis in munita loca receptant. Sic fugientes Galli, ne quid regnum detrimenti patiatur, regi procurandum mandant.

Cf. Regino 888. — 97 — 98

4. Et rex cum paucis derelictus, quamvis exercitum congregandi nec hostibus occurrendi copiam haberet, tamen imperterritus loco manet,

891?

Spem vultu simulans, premit altum corde dolorem.

Virg. Aen. I, 209.

Dehinc itinera hostium callide explorat, simulque, cuneis hostium ad praedandum emissis, insidias tetendit. His congredi cupit et licet impar viribus, dum hostem sauciaret, se ad meliora reservandum minus curabat. Quadam autem nocte clam se castris subtraxit, et protectionis sanctissimi Dionysii suffragia imploraturus, sanctum locum adiit, ut precibus sanctissimum patronum mitigaret, quem offensum distortis[d] Gallorum moribus tanta in se valere cruentos latrones permisisse senserat; cuius preces pius Macharius audivit, atque in perditis rebus celeri auxilio levavit. Nam primo mane sancto loco digrediens, exploratores hostium incurrit, quos et agnitos secum in castra usque perduxit. Tum vero callide secretius exploratores convenit, et non parva pecunia promissa, uti exercitum sibi proderent, persuasit. Demum Celtice, ne hostibus consilium pateret, votum suum innuit, palam Gallice edicens nuntios e castris dirigit, duci suo imperans, ut ad se in castra cum copiis Gallorum ipsa die maturaret. Alios Burgundionibus, qui quasi praedas sibi ablatas ad eripiendum hostes insequerentur,

a) rigidi *text.* b) in *textus.* c) Rud'perti *textus.* d) discortis *textus.*

92) Longe aliam originem duxit Odo rex; avus eius erat Witichinus, advena Germanus, si fides habenda est Richerio I, 5, pater Rotbertus, cui Karolus Calvus ducatum inter Ligerim et Sequanam commisit teste Reginone 861; cum cum Karolorum domo sanguine coniunctum fuisse illius temporis scriptores non tradunt. 93) Lucan. VIII, 494. Sed paulo aliter sunt versus:

— Exeat aula
Qui volet esse pius; virtus et summa potestas
Non coeunt. —

94) Regino 888 eum fortem sapientemque virum fuisse dicit, qui rem publicam viriliter rexerit. 95) Cf. Horat. Od. III, 4, 65. 96) Sallust. Iug. 10. 97) Yonne. 98) A. 888 Odo Nortmannos vicit ad Axonam; eodem et sequenti anno Parisiis contra eos castrametatus est. 891 in pago Vermandensi a Nortmannis fugatus est, et 892 proceres ab Odone deficere coepere. Dein Nortmanni a. 896. 897 iterum Sequanam ingressi sunt. Cf. Ann. Vedast.

dirigit, hisque, ut se frontem impellente hostes ab latere incurrant, denuntiat. Nihilominus quasi Francis sibi auxilio adventantibus veredarios celeres dirigit, simulque aliud hostium latus Burgundionibus aversum ut invaderent, imperat, se inquiens Deo prosperante celerius in hostes iniurias ulturum, aut in armis volenti animo casurum. Sic strenui militis et boni imperatoris officio functus, cum pene nullas copias haberet, se formidolosum hostibus effecit. Interea exploratores, quo haec audita hostibus referrent, castris fugere permisit. Qui velocius ad suos revolantes, maximum terrorem barbaris incutiunt. Mox undique contractis copiis, utrum bello decertaturi operirentur, an secundum exploratorum dicta viribus impares regione discederent, celeri consilio hostes ventilabant.

Sall. Cat. 60.

5. Nec minus rex sapienti consilio usus, tubicines sub coeca nocte castra hostium a longe vallare, et quasi pro significatione tubis clangere iussit. Inter hos collisiones armorum ordinavit, sicque hostibus exanimatis improvisam formidinem incussit. Etenim castrorum vigiles haec audita citius exercitui renuntiant, simulque: *Arma! arma! hostis adest!* proclamant. Tum vero barbari de improviso excitati, maximum super se exercitum irruere suspicati, nec bello obniti, nec merito[a] exacerbatos hostes operiri satis sibi tutum rati, confusis ordinibus fugae praesidia intendunt. Nec mora, dimissa praeda, naves celerius conscendunt, et plurimis suorum sauciis, necnon duce suo, qui correptis armis socios ad resistendum hortatur, oppresso et mortuo, reliqui integri abeunt. At rex Gallorum hostem turbari eminus videns — nam ignes in castris rem prodiderant — simulque *Naves!* vociferantium sonus aure captans, paulatim, ne rara acies appareret, propius suos accedere iubet. Igitur ante auroram hostium castra ingressus, mille captivorum miserandis vocibus auxilia vociferantium excipitur. Quibus solutis, de fuga hostium certior factus visu, per ripam palantes[b] usquequaque prosequitur, nec prius ventilatione tubarum abstitit, donec propulsatum hostem Gallia detrusit.

6. Iam vero pulsis hostibus, prosperis successibus rex Odo elatus, tamen primo sanctum locum vota gratiarum soluturus adiit, sanctissimi protectoris Dionysii altaria captivo auro cumulat, et ut in reliquum patriae, quam sibi proprio cruore peperit, pari modo defensor clarescat, instantissime vota congeminans supplicat. Deinde captivos propriis restituens, omnia ablata spoliis supplet. Nec mora, in Provinciam progreditur, immodice contra illos qui a se defecerant ira frendens, nec cautius, quia quod a multis peccatur multum est, pertractans, rebellibus quidem mortem, his autem qui a se defecerant, proscriptionem intendit; minus quidem caute perpendens, si pariter subiectis perniciem struxisset, quibus adminiculantibus hoc esset effecturus vel regnum defensurus. Etenim si quis poenitudine ductus in manus eius venerat, beneficiis aliisque bonis nudatum dimisit abire privatum. Sic primum nimium lenis in subiectos, postea, et *ne quid nimis* indiscrete pertractans, immodice in proprios saevivit, dum regnum cum vita amisit. Nam eius acerbitate permota Gallia, quae tanto triumpho laetari debuerat, intestina damna gemebat; nec tamen gemens poenitudinis quaerebat remedia, sed magis exacerbata in se furit mole ruitura. Unde quam primum per legatos, deinde per se alterutros compellant, postremo Aurelianis omnes ex condicto conveniunt[97], ac primum discordantes inter se male concordi foedere iungunt, et mox pariter de rebellione conspirant. Quibus Odo rex cognitis perterritus, celeri animo de salute pertractans, tandem cedendum tempori ratus, in Aquitaniam se contulit[98]. Ubi eo commorante, Gallorum principes maxima ex parte ab eo deficiunt, et agentibus Falcone archiepiscopo, Heriberto et Pippino comitibus, in Remorum civitate Carolus, filius Ludovici ex Adelheide regina natus, in regnum elevatur. Qui quamvis Odonem non ignoraret ab Arnolpho imperatore regem Galliae creatum, tamen haud veritus est eius regnum usurpare. Unde nec sibi in prosperum cessit, nam simul imperatorem Odonemque minus suspiciens, incautius principatus sui initia praecavit. Etenim Gallos devote obsequentes inclementius tractare coepit, dicens non se Odonis exemplo illorum levitates laxa lege inolescere ad detrimentum sui permittere velle, sed eorum solitos motus regia auctoritate, ne quid contra se audeant, cautum praecavere. Inde nulla quidem saltim vel levia peccata dimisit inulta, sed auream deserens discretionis mediocritatem[99], plerosque vinculis mancipavit et in multis afflixit. Unde acerbiori motu coacti, plerique Gallorum ab eo deficiunt atque ad Odonem confugiunt. Igitur Odo, vir praestantissimae virtutis, cui[1] prae ceteris formae pulchritudo ac proceritas corporis et sapientiae magnitudo inerat, in spem recipiendi regni adductus, legatos ad fratrem Rupertum similiter regem[2] dirigit, ut sibi ad colloquium festinus occurrat. Haud mora, Rupertus, relictis propriis quibus implicitus erat negotiis, festinus fratri occurrit. A quo cum causas infortunii audisset, scilicet ob ereptam barbaris patriam quem decuisset triumpho extolli pro meritorum ac laudum praeconio, alienatum esse a regno, et qualiter Carolus regnum eius invasisset, et quomodo Gallos afflixisset, et quemadmodum miseria ducti, denuo eum revocassent; quibus Rudpertus auditis, suadet fratrem exercitum congregare, regnum redintegrare, se spondens cum omnibus copiis auxilio adfore, et quam primum celeri nuntio Gallorum animos, si se recipere sibique parere vellent, pertentare. Cuius consilia Odo devotus exequitur, Gallos clam crebris compellat internuntiis, hortaturque, ut sibi, quem sponte regem elegerant, auxilia contra pervasorem regni Carolum ferant, neve sibi, quem cum consensu imperatoris Arnulphi regem super se statuerant, quemquam privatum et externi sanguinis hominem anteponant. Suasu Odonis Galli, motu leves, excitati, undique frequentes conveniunt, ut Odoni

a) meritis *text.* b) balantes *textus.*

97) A. 893 Remis convenerunt inimici Odonis. 98) contra Ebulonem ipsum abbatem Sancti Dionysii, qui rebellium erat caput. Ann. Vedast. 892. Sequentia Reginoni debentur. 99) Cf. Horat. Od. II, 10, 5. 1) Reginonis verba. 2) Rotbertum a. demum 922 regem factum esse omnes sciunt.

adversus Carolum auxilia ferant, pari consilio plerique deliberant. Igitur Odo[3], compositis in Aquitania rebus, cum fratre Rudperto copioso apparatu adversus Carolum in Galliam proficiscitur.

5 7. Haec Carolus comperiens, ut sibi auxilio veniant, Gallis edicit. Sed eius iussa parum pendunt, eum ignavum et externi sanguinis hominem appellant, postremo pariter, si de vita curaret, celerius uti regno excedat, denuntiant. Ergo in 10 ipsum coniurat omnis Gallia, se perpeti damno laesura. Quibus rex auditis, quid ageret incertus aestuabat. Armis confligere copiam non habebat; contra decus regium se salvo regni statu sublaturos[a] orabat, prout anxia necessitas poscebat. Et 15 quamvis iustae animadversionis sententiam remitteret, impunitatem rebellionis promitteret, contradictioni veniam donaret, nil tamen remissius Gallica feritas agebat. Tandem rex compulsus, quam maximas potuit undequaque copias contrahit, demum 20 in concionem ducit, atque ut secum pericula subeant hortatur: *Fors*, dicens, *adiuvat ausum*[4], *et iusto libramini superni inspectoris non est difficile salvare in multis vel in paucis.* Quibus ex sententia bellum detrectantibus, et ut se ad meliora reser-25 varet hortantibus, potius cederet, nam utrum victus vel victor bello decederet[b], dicentes, quod tunc regnum hostibus proderet, et hostium maxima copia, quibus impar viribus esset, propinquaret. Unde Carolus rex necessitate compulsus, excessit regno, 30 suarumque rerum incertus, ad Arnolfum augustum cognomento Largum, qui tunc Agripinae[5] morabatur, confugit. Quo cum pervenisset, felox fama regia implevit atria, Gallicum regem regno pulsum advenisse. Unde singuli iuvenum curiosius scisci-35 tari volentes, ardent virum compellare, causas adventus exquirere, infortunii casus perdiscere. Quibus rex facillime effecit, ut causa et nomen eius aures augusti usque perveniret.

8. Erat in ministerio imperatoris quidam cle-40 ricus nomine Giselbertus, vir liberalis ingenii, litteris apprime eruditus, rhetor facundissimus, consiliis aptus, vultu reverendus, moribus honestis conspicuus, quem ob ingenii famam imperator Gallia excitum, sibi auricularium et praeceptorem a se-45 creto statuerat. Quem Arnolphus accitum huiusmodi edicto dirigit ad regem Gallicum: *Tuae gentis homines advenisse audio, quos conveniens ex nomine nostro, qui sint, cur veniant, quo nos rumore requirant, interrogato.* Qui palatio egrediens, regem ut 50 agnovit, vicissim et agnoscitur, ambo in colla ruentes, largo fletu genas humectant. Deinde Gisilbertus causam adventus a rege perquirit et audit, moxque augusto renuntiat, atque ut coram fandi regi copia daretur, devotus implorat. Ad haec im-55 perator respondit: *Aquisgrani palatio veniat, ibique regem audire oportet; locum coram dicendi quae velit, dabimus; post hinc quid faciendum sit, fidelium nostrorum consiliis deliberabimus.* Nec mora, Aquisgranis veniens imperator palatio resedit, in 60 cuius praesentiam miserando habitu rex venit, et ut procubuit humile in terra, ab augusto erectus, huiusmodi edidit verba: *Pro munifica humanitate vestri late divulgata, rex, ego suplex, a nefandis hominibus regno pulsus, venio, sub alas vestrae miserationis confugio, consilium auxiliumque flagito. Scio autem, quia regnum Galliae, quod vestrum est, sine vestro permissu usurpavi, miserationem non mereor, sed istius modi,* inquit, *servitutis devota sedulitas* — et praeclara dona offert — *erga serenitatem vestram deleat, quod mea protervitas praesumptuose in vos deliquerat. Etenim si sanum saperem, regnum sorderet, quod non tua dextera, augustorum invictissime, traderet; sed praedo malignus Gallia pulsus latuit, periuri Galli sua sponte me accitum sibi regem elegerant, fidem sacramento firmaverant, ideoque Gallos instabiles, semper ad motus promptos, non precavi. Tibi quoque, licet tali tantoque, revera — quod non dubito, quia iuramenta infringere non piget — regnum Galliae, si impune ferant, alienabunt. Quapropter ne pravorum praevaleat iniquitas, oro, prohibeat vestri clemens auctoritas; et quia vobis iure concedit monarchia, rectorem vos sentiat protervitas Gallica. Regnum quod dehonestavi iam non desidero, solummodo vitam defendi exoro. Si me clementi oculo inspexeris, revivisco, sin alias, exul ego aeternumque fugatus ingemisco. Postremo miseret te, reverendi nominis regem, ab ignavis hostibus dehonestatum esse, et in tantum his regalem unctionem sorduisse.* Haec dicens denuo collabitur, vestigiis augusti prosternitur. Quem imperator throno exiliens sustollit humo, ac solatur familiari alloquio: *Solve*, inquiens, *metus animo! Dabitur tibi tranquilla dies, divino praesidio et salvo imperii statu de adversis prospera sentis; siquidem eadem mens circa te manebit mihi subiectis.* Sic dicens, regem dimittit hospitio, ipse in secreta cubiculi secedit, consilio huc proceres regni vocat, et quid super tali negotio faciendum sit, ipsorum arbitrio deliberat. Quorum omnium unum fuit verbum, regi in perditis rebus succurrendum, et quam primum celeri nuntio censent perquirendum, si Galli coepto velint desistere regemque revocare. Ad hoc nuntius eligitur Gisilbertus, quem imperator huiusmodi edicto in Galliam dirigens: *Vade*, ait, *Gallorum proceres convocato, atque iis ex nomine meo dicito, non se rem dignam gessisse, seseque gravi noxae obligavisse, et gravissimo imperii cauterio notavisse, qui regem eiecerunt, quem sponte elegerunt. Etenim regem dehonestare facinus est execrabile, et quem alicuius sceleris piget, cui regalis unctio sordetur? Ad haec ex nostrae lenitatis iis*[c] *suade clementia, ex imperialis rigore auctoritatis impera, ut quem sine nostro velle et nosse regem super se, Odone communi deliberatione prius rege destituto, constituerunt, me iam volente et approbante, regno pulsum revocent, suoque vel demum errore resipiscant, regem cum honore ad proprium decus recipiant; sin alias, vereor, ne in se divisum desoletur Galliae regnum. Etenim, qui ad nos fugit, non dimittimus, sed in quantum Deus concesserit, opibus auxilioque iuvamus.*

9. Eius iussa nil moratus celer exequitur. Gallorum proceres Parisius conveniunt, ibi curiosi imperatoris edicta audiunt, sed non se digna responsa remittunt, dicentes, nil de se suisque ipsum attinere, semet suaque pro libito ordinare, sibi

a) supplicaturos *text.* b) dubium esse, *vel tale quid excidit; corruptus est locus.* c) ei *text.*

65 3) E Reginone. 4) Virg. Aen. X, 458. 5) Wormatiae, teste Reginone.

considerandum esse, cur et quam ob rem regem pepulissent, et rursum, quem ipso digniorem recepissent. Attamen Gallorum proceres secretius virum conveniunt, et ut se apud imperatorem, qui multitudini obesse non possent, orant, excuset, suo neque consilio neque voluntate protestantes destitutum, simulque precantur, ut per se augustus veniat regemque reducat, ne quid imperatori adventuro contradicatur acturos. Hac legatione percepta, Gisilbertus egreditur e Gallia, et Wangionum urbem — ibi enim augustus natalem Domini celebrabat — nuntia reportat. Quibus auditis imperator paulisper motus, inquit: *Nolint velint, regem recipient*[a]. *Non quidem eis arma intendimus, aut bella minamur; veniet rex ipsorum, certe redit in regnum, quem nos vocati consequimur. Rex a quibus laesus sit, videat, et semet ipsum in quantum valeat vindicet; nos tantum ab infensis Gallis corpora armis tegimus. Attamen miles spoliis a me non prohibetur, et quid debeam vel valeam, contumax Gallia experietur.*

10. Nec mora, per totam hyemem Arnolphus expeditionem in Galliam praeparavit, et vere novo, cum primum pecudes gramina tondent, rege Carolo ductore, Galliam maximo exercitu intravit[2]. Moxque efferatis animis praedae Gallia patuit, et prius in se divisa, tandem ruina damna sensit laesa. Nam permisso milite agri vastantur, villae cremantur, cedunt muri machinis, urbes populantibus armis. Quam maxime tamen augustus potuit, ab humani sanguinis effusione militem cohibuit. Nulla vero senioribus reverentia, sed uti quisque in manus venerat, aut verbere caesus, vel membris truncus, aut crine barbaque rasa dehonestatus, propria damna gemebat. Unde acerbo motu coacti, undique frequentes Galli conveniunt, et quid de perditis suis rebus agendum sit, seniores consulunt. Quorum quidam armis decertandum et bello censent hostibus occurrendum, pulchrum esse dicentes pro patria mori, seque paratos vitam pro laude pacisci. (Horat. Od. III, 2, 13. Virg. Aen. V, 230.) Alii hac sententia dissentiunt, et periculosum augusto contraire contendunt, quippe cui impares viribus esse cernebantur. Odo autem plerosque amicos imperatoris auro corruptos, ut sibi augustum conciliarent, supplicat, et ut monerent se cum consensu Arnolphi regem creatum, Carolum iniuste regnum eius invasisse, promittens se, prout augusto placeret, ad omnia quae vellet consensurum. Igitur (895.) Arnolphus muneribus flexus, utrosque in concionem adducit, iustior qui regnum obtineret iudicatus est Odo[3], Carolus vero in Burgundiam post ipsum regnaturus succedit. His ita decretis, ipse rex Odo primus, demum secum omnis Gallia, exceptis paucis qui auctores coniurationis se reos maiestatis poenas luituros metuebant, in deditionem concedunt. Hi gravi comminatione conventu patriaque discedunt, dein ad Northmanos veniunt, hosque edocent, qualiter nuperrime dehonestati, quo astu Gallia sint depulsi; simulque, ut nefandissimam gentem, singulari rabie effrenem, quod facillime poterant, multis promissionibus illectos denuo evocant, et iniunctis sibi Hyspanorum et Visigottorum copiis, contra regem Odonem, suppresso nomine imperatoris Arnolphi, qui secum tunc morabatur, infinita tunc multitudine, quasi iniurias sibi illatas ultum ire, pergunt. Imperator autem, quamvis omnis Gallia suplex in deditionem concessisset, tamen in coepto non destitit, sed peragrato regno a maioribus singulis necnon urbibus et municipiis acceptos obsides in Franciam remittit, ipse regem throno reinthronisaturus Parisius pergit[4].

11. Interea certior nuntius advolans regem Odonem gravi nuntio perculit, immensum exercitum contra se versum tendere denuntians, qui mox augustum adiens, rem omnem edocet, atque precatur, ne scutum protectionis vel manum auxilii retrahat, sed secum furentibus barbaris obviam pergat. His imperator auditis, non ad voluntatem eius, sed commodius precibus accomodaturus, respondit: *Si in reliquum tibi in rem esset, tecum bello hostibus obviare non refutarem; sed scio, aequato agmine nos ambos pervicax hostis non sustinebit, sed de denuo gravi praelio impulsurus cedet, et vereor, ne nobis absente nutantibus Gallis vel efficientibus opprimaris. Sed et si maiora viribus audente hoste victoria nobis contigerit, meo nomini adscribitur, tu contemptui habitus, quasi incentor belli et in quem iniuria ulcisci valeat, vindictae subiacebis. Unde consilio nostro obtemperans, contracta omni Gallia, quae ut nuper in gratiam recepta devotissime tibi paret, insuper sex legionibus nostris suffultus, hostibus obviam ito, hisque praetoriam cohortem nostram addam, quos aeque mei custodes tui capitis ponam. Quibus undique praemunitus,*

Princeps o fortis, postpone pericula mortis,
Christi spe sola praecedens incipe bella,

sicque boni imperatoris et strenui militis officium assumens, ne degenerare te paterno generi accipiam, caveto. Quod si male pugnando desidia aut casu victus bello discesseris, ego in urbem praesidii post terga relictus, celer auxiliator advolabo; sin vero victor, ut spero, redieris, ego te triumpho promoturus Parisius, quia pascuis locus abundat, praestolabor. Miles mihi qui stipendiis abundat, praedare non permittitur, et si quid tumultus post terga reliqueris, nobis efficiente comprimitur. Haec dicens legiones, quas regi submitteret, numerari praecipit; hos sub manu Peringarii Saxonum ducis et Iringi Noricorum palatini comitis tradens[5], dimisit, ipse cum rege castris usquequaque progreditur, quem et familiarius instruens: *Vide,* inquit, *quam viritim more maiorum exercitum ordines, bellaque miles ut emeritus geras. Tribus ordinibus totidemque signiferis frontem exercitus munito, aquilam in medio, ventosos dracones utrinque ad frontes, extrema et cornuum initia*[b] *sistito. Primus ordo fundis iaculisque bella gerat, nec minus et pilis, cum in manus ventum sit; secundus itidem pilis et gladiis bellum administret; tertius vero ad signa cedentibus primis machinis hostem feriat. Supernumerarii post ordines in medio locentur, ut integri pro sauciis accersentur. Expediti equites obnixi elaborent, ut si*

a) recipiunt *text.* b) inita *text.*

2) Minime ipse Arnulfus Galliam invasit, sed exercitum misit, qui sine ullo fructu Odonem aggressus est. 3) Wormatiae. Arnulfum revera ambos invitasse, sed solum Odonem venisse probant Annales Vedastini. 4) Parisiis nunquam erat Arnulfus. 5) Merae fabulae.

peditibus hostis violentior ingruerit, lanceis detrudant. Maxime vero averso sole militem sistito, ne fulgor armorum aciem reverberet oculorum; ubi vero pugnare coeperitis, paulatim cornua procedant, atque utrumque ab latere hostes incurrant.

12. Talibus instructum ubi regem dimisit, quasi quid oblitus celer sonipedem reflexit, atque inquit: *O rex invicte, si cuneis hostis*[a] *fortior incedat, tu forficem pandens excipito; si forficem hostis obpandat, tu cuneis hostes confertissimos irrumpito. Si propulsatus facile hostis obteritur, sic ex sententia victoria obtinetur.* Tunc demum regem exosculans dimisit, simulque Gisilbertum clericum suum cum eo dirigens, ut dicta firmet, cum ipso in castris pernoctare iubet. Cui et ad solatium ut regi intimaret, imperat, quia faciem eius non reveriti, se ibi[b] commorante contra eum arma movissent, perpetuo Northmanos se hostes sensuros. Quod et postea rei probavit eventus. Nam saepe ab illo fusi bello et fugati, pene sunt ad internecionem deleti.

13. At imperator rege digrediens, sanctum locum venit, sanctissimi protectoris Dionysii suffragia imploraturus. Quem tunc eiusdem loci abbas Ebulo[6] pro modulo suo sibi congruo honore suscepit, summoque studio humanitatis obsequia impendit, eundemque patrem patriae appellans, qui vera[c] sapientia nixus, male in se ad interitum armatam Galliam facillime concordi foedere iunxisset, ac regem regno regnumque regi incolume restituisset, necnon barbaris, ut spes esset tunc et in reliquum, suis viribus eruisset. Monstrat praeterea donaria magnifica, quae ab antecessoribus et patribus suis sancto Dionysio collata, et maxime a bonae memoriae Dagoberto rege sunt amplificata. Qui quamvis plurima sanctorum templa spoliasset, pluraque ornamenta male his abrasisset, tamen quem maxime coluit Dionysio cuncta contulit. Sed quia Deus est diligens iudicium, et odio habens rapinam in holocaustum, idem rex vita exemptus, cum ad tumulandum per longa terrarum spatia deportaretur, utpote iratis sanctis aliquibus sanctorum templis exanime corpus nec inferri potuit, sed ut tunc abbas augusto retulit, ad declaranda Dionysii merita, cum de eius anima desperaretur, sub eodem momento quidem vir Domini raptus vidit eiusdem regis animam superni iudicis aspectibus praesentatam. Quem primus theotocos virgo Maria, et post hanc plurimi sanctorum, quorum templa spoliaverat, constanter accusabant, et iam iamque instabat horrenda vox,

Hunc quo terribilis damnet sententia Patris.

Processit ante thronum Dei ariopagita Dionysius martyr, caput abscissum quasi brachiis vectitans, millia pugnarum recensens, pro anima defuncti regis, qui se devote coluit, subnixa prece intercessit. Cuius preces non aspernatus audiit Omnipotens, moxque Dagobertum poenis extorrem usque in diem iudicii per diludia amoenissimis locis martyri tradidit reservandum. His imperator accensus, ubi tantis xeniis satis regios pavit aspectus, in nullo patrum exempla degenerans, illuc amplifica dona obtulit, sicque magnifice laudatus discessit. Sub arrabone ierarchiam Dionysii ac gesta eius, quae Hiltwinus abbas imperante Ludwico rege rutilanti stilo e diversis collecta in uno volumine digessit, in castra secum detulit, atque in hac scriptura genuino oblectamine mentem pavit.

14. Sequenti die a rege regressus meridie advenit Gisalbertus, moxque, quia semper ei regiae fores patebant, tentorium ingreditur. Augustus, ut in lecto residebat, ierarchiam sinu continens expassam, gesta Dionysii sinistra manu retinuit, atque ex his quae legerat mirandae[d] materiae, quasi mentis excessum passus, residebat attonitus. Miratur vicissim Gisilbertus, qui dum ei fuisset semper familiarissimus, cur tam diu stetisset imperatoris alloquio frustratus. Existimans autem eum pro emisso milite tristari solicitum, ita prior affatur augustum: *Omnes actus sapientis viri decet consilio praemuniri, nec sit incepti nimis properus, ne postmodum eum sit non coepisse satius. Sed ne te reddam commotum, exue, quaeso, curis animum, crede fautore Deo salvum militem recipies; nam ipsos virtus et prudentissimi tutabunt duces.* Ad haec imperator: *Non pro militibus,* inquit, *solicitor, cognosco Bawaros semper invictos, Francos quamvis superbos cedere tamen nescios, Saxonum equitum velocitas acies sternet inimicas, quos scio adunato agmine quia tantos latrones strarissent, etsi Galli auxiliatores non venissent. Verum aliud est, quod his libris inspicio, et in perspectis vehementer stupeo; videlicet quemquam mortali carne gravatum meritorum praerogativa in tantum potuisse polo fieri contiguum*, et ierarchiam ostendens, *ut hic*, inquit, *claret fuisse Dionysium. Etenim in vita contemplatica, quae, ut audio, hic incipiens ipsam essentiam divinitatis conspicit ei perenniter commansuram*[e]. *Nunquam alter quis par conspicitur Dionysio, qui angelicam naturam ita protulisset ratione perspicuam*[7], *qui sint angeli, dum Dei conspectibus parent, et qui, cum ad officia consignata hominibus apparent. Est et aliud quod mente gero, et quod voto, si fieri potest, paro, et ad hoc, mi dilecte, ut ad effectum perveniat, opus habeo quae in te sita sunt, fide, sapientia et taciturnitate.*

15. Sic dicens, ministrum qui solus adstabat — omnis enim exercitus meridie castris quiescebat — tentorio excedere iubet, et suspensis undique velis, imperat eidem ministro, ne quis accedere valeat, cautius procuret. *Quia Deo adminiculante, quod nulli antecessorum contigit, Gallia sine sanguine nobis paret, haud parum laetor; attamen hoc regno nil memorabile me gessisse piget. Nam pacis conditione ubi maximae discordiae sedantur, in brevi silentio tegitur. Bella famosius gesta et praeclari actus in longum scriptis divulgantur, unde fert animus aliquid memoriae dignum nostrisque commodis profuturum hic agere, quo nomen nostrum gloriamque in longum possimus propagare. Cum innumera gesta sanctorum quae legi recolo, nullum invenio parem Dionysio, et ne te diutius protraham, eius*

a) hostibus *text*. b) sibi *text*. c) vere *text*. d) miranda *text*. e) commansura *text*.

6) Ebulonem iam a. 893 interfectum esse vide in praefatione. 7) Excidisse videntur verba nonnulla; *ut ostenderet* vel tale quid.

corpus sanctissimum hic acquirere, domumque ad tutelam mei meorumque posterûm, etiam totius regni, mecum asportare gestio, sed quomodo hoc obtinere valeam ignoro. Ad haec Gisilbertus: *Si pro hoc,* inquit, *regem Odonem interpellabis, qui utique bene erga se merito nil tibi negare poterit, celerius impetrabis. Si pro hoc,* inquit augustus, *Odonem solicitabo, scio, quia celerius obtinebo, sed me in regna recedente propria, iustis motibus agitata, utpote quam tanto patrono privaverit, omnis in eum Gallia poenas ab eo sumptura consurgit, et ego, qui auctor necis ero, male tantum decus obtinebo. Ad postremum multus sanguis humanus effunditur, cum prout nostri nominis censura poscit, pro hoc vindicta consequitur. Unde quia non succedit hac via, aggrediendum est alia. Tu ergo, quem*[a] *singulari scio prudentia et astutia ubi si res poscit praeditum, quaeso, age accingere ad hoc tam egregium tamque laudabile furtum, et si unquam erga te commerui, sine exorem te tali periculo opponi. Si impetrabis, semper non apud me solum, sed et per omnia nostra regna grande tibi meritum conciliabis gloriamque cumulabis.*

16. Ad haec plurimum celeri ingenio volvens respondit tandem Gisilbertus: *Prudentia rerum exitus metitur, et ante initia exitus sunt cogitandi. Difficilimum est furto tolli, quem constat maxima cautella servari. Memini me puero, quando Parisius studui, mihi monstratum, ubi Dionysius requiesceret, quod memoria excidit. Etenim si quaeritur, ubi sepulchrum eius monstratur, scio, quia non invenitur. Nam ut patrum prudentia praecavit, haud facile inveniri poterit. Sed si ita animum induxisti, nec in hoc nec in ullo voluntatem tuam demoror, sed votum tuum ultra vires devotus exequor, et si contingat, vitam ipsam pro laude tui paciscor. Sed ad hoc quod intendis negotium, audi bene, imperator, meum consilium; cui si acquiescis, credo, prosperis successibus gaudebis. Primum ipsum negotium minus aerario poscit parcendum; nulla enim erunt secreta, quae non prodat auri fames miseranda. Pretio cives sunt conciliandi, quo facilius, quae cupio, facultas detur impetrandi. Primum igitur, ut consequitur, ad proditionem tui et totius exercitus animum veri simulatione intendo. Unde et quasi iusta animadversione plectendus te offendo, et eiusmodi epistolam confingam, quam Gallorum duci in expeditionem mittam; scilicet ut efficientibus Gallis, qui barbaros evocaverunt, secretius secum foedera iungant et belli simulacra parent. Et cum utrinque productae acies constiterint, tui in fronte locentur, quos impigre bella tentantes, utrinque circumventos, barbari facilius feriant, Gallique terga cedant et fugam*[b] *capiant. Deinde tuis deletis, simul vincto agmine te ex improviso incautum opprimant; barbarus enim spe praedae facile huc illucque impellitur, aut certe te angustiis vallatum cogant, ut obsides reddas, nec ulterius in haec regna venias facta pactione, cum dedecore discedas. Et cum haec ita confinxero, quos mihi maxime aemulos cognosco, et quos clanculum mei nominis incidia mordet, his interposita fide consilium denudabo, hisque suadebo, uti sic patrato negotio his terris, quasi magnis honoribus sublimandi, remaneant. Hi, scio, statim tibi adulando consilium produnt, et me se circumvenisse putabunt. Tu impera fidem silentii, et iube legatum meum cum epistola emissum comprehendi. Mox denudato consilio, abbas Ebulo mihi propinquus advocetur, et tam eius quam in aliorum Gallorum praesentia causa ventiletur. Cumque me reum maiestatis sententia convicerit, ac publice securi plectendum addixerit, scio, quia pro me frequentes Galli interveniunt, utpote quorum causa tanta flagitia incepi. Quorum interventu vix exoratus, vitam mihi perdonato, et cum maximo dedecore e tuis conspectibus abiicito, et si de vita curem, interdic palam, ne ulterius tuis conspectibus appaream. Sic proiectus, minus Gallis ero suspectus. Tunc, quem fallere gestio, cum abbate Ebulone domum pergo. Interim in eundo et redeundo pura me comitatur oratio, et eleemosynarum prosequatur largitio, congeminentur vota, ut desideriis tuis satisfaciat clementia divina.*

17. Placet augusto consilium, et artificiosum viri miratus ingenium, orat citari negotium. Nec mora, charta confingitur, consilium augusto proditur, nuntius cum litteris capitur. Imperator haud ignota audit, Gisilbertum cautius mandat servari, Gallosque complures advocari; mox imperat cogi concilium, simulque exhiberi Gisilbertum. Adfuit et abbas Ebulo, quem intendebat omnis consilii machinatio, et prior augustus ingressum ac voce solicitat Gisilbertum: *Bene nunc et semper advenias, Gisilberte, nostrorum fidelium maxime intime, nostris consiliis unice servator, nostri capitis solus spes, magni tu confirmatio regni.* Respondit ille altrinsecus ceu tantarum rerum inscius: *Hactenus quidem quam maxime vobis pro modulo extiteram fidus, et in reliquum idem permanebo devotus. — Sine,* inquit augustus, *probasti, quali fide circa nos stetisti. Sed quid sis futurus, in reliquum iam manet conclamatum.* Deinde ad astantes: *Introducite,* ait, *illum nuperrime captum, ut quid afferat, nostrorum audiat coetus fidelium, et dum audiant, quid super hoc agendum sit velocius statuant.* Nec mora, introducitur miserando habitu legatus, medius et colla catenis adstrictus, quamvis consiliorum inscius, tamen manu tenens chartam cunctis qui aderant mirandam. Sed visa charta stupidus conticuit Gisilbertus, et vultum humi deiectus, coepit adstare tremebundus. Tum prior imperator: *Regis sententiam oportet esse clementiam, unde solvatur qui adstat, ut credo, consiliorum inscius; minus enim refutare quivit quae sibi dominus suus imperavit.* Sic dicens, iussit chartam resignare et in praesentia legi, cuius exemplar erat huiusmodi: *Theodoni viro iure militari saepe experto et probato, Gisilbertus. Cum pleraque patrum fortia facta recolo, haud parum animi excrucior, quod*

> *Perdita gens Rheni, quae necdum vincula fraeni*
> *Collo decussit, quae lex imponere iussit,*
> *Vilia victores Gallos ceu sternat inermes.*

Saepe Gallorum impulsu Romanae res fractae pene sunt et pessumdatae, et nisi Dei providentia servata fuissent, a Gallis victoribus capitolia Romana incendio conflagravissent, et antea Romana imperia Parthus extimuit, quam his Gallus cedere nosset; et nisi pene toto orbe subacto, decenni consulatu hanc ferreus Caesar vix summo labore perdomuisset, adhuc Romanis Gallia non pa-

a) quam *text.* b) deest *text.*

ruisset. Et quid mirum, si Caesar Galliam perdomuit, qui etiam quinque cohortibus universum orbem victor impetivit? Sed isthaec commemoratio sit in adversis exspatiantis animi roboratio. Regem Galliae pessumdari indoluisti, saepe mecum laesae patriae damna flevisti; etenim Gallica sceptra hominum indignissimus gerit, unde et in perpetuum incaveatur Gallia, Francis subacta gemebit. Quare me scito[a] *reperisse consilium, cui si obtemperabis, his malis emersurus patriam tecum liberabis, pristinamque libertatem redintegrabis*

Fraternas acies moturus, vadis ad bella

partim detestanda partim exhorrenda. Utrinque Galli ductores, barbarus hostis praemiis aut spe praedae facile huc illucque impellitur. Unde pacis conditio cum hostibus placeat, cum his secretius foedera iungite, alia[b] *bella simulate. Ubi ad rem ventum erit, scio, Teutones, ut milites invicti, alacres, in bella proruunt, et necdum oppansis cornibus hos utrinque allatos hostis faciem Gallus terga cedat et capiat*[7]*, et ne quis evadat cautius forficem praecaveto. Post iunctis agminibus augusto obviare ipsi*[c] *necesse est, nuntio territus cedat; egomet vero id officii mihi iniungo, et id sedulus ago, ut receptis belloque captis imperator obsides reddat, et ne ulterius in haec regna veniat, facta pactione discedat. Mox augustum deseram, tecumque his regnis subsistam. Tunc meo praesidio tu in regnum subrogatus, per Gallicas urbes regnabis. Quid plura? fac, te virum sentiam. Etenim in negotio ventilando consiliis, in agenda re opus est animis.*

18. Perlecta epistola et declamatorie pronunciata, adstant testes, fidem scriptis dantes. Fremitus diverse tollitur. Teutones viro infensi, ceu iam proditione laesi atque in Gallis victoribus sint fusi et fugati, iratis[d] animis ad ulciscendas iniurias sunt incitati; Galli velut iam victoria elati, Gisilbertum victoriae auctorem quamvis dicere mussent, animis extollunt. Tandem imperator, indicto silentio, Gisilbertum, quid de his diceret, fateretur, negaretve, perquirit. Tum ille: *Nil quidem contradicere valeo, qui facti conscius, tantis testibus convictus assisto. Fateor, satis hactenus vobis fidelis extiti, et in hoc perstitissem, si non patriam a vobis laedi doluissem, et ob patriae libertatem huius consilii incepi machinationem. Quod si ad votum effecissem, libens hoc pacto victor oppetiissem. Nunc autem, quia Dei providentia mea impedivit consilia, pro criminis merito mori paratus assisto, et est mortis damnum leve, quod constat pro amore sustinuisse patriae.* Ad haec augustus: *Auditis,* inquit, *proceres regni, damnosam audaciam proditoris nequissimi, quem inopem et advenam suscepimus, maximo honore extulimus; crimen regni ut dilitias fovimus, et qui manducavit panem mecum, levavit contra me calcaneum suum. Ad illius consilium optimatum meorum gerebantur commoda, negotia regni arbitrio tractabantur praedonis maligni, eius sententia omnis sciti prodiit solertia, omnis aula ei paruit, cui voluit profuit, cui complacuit nocuit. Postremo ipso impulsore haec in regna veni, ipso interventore in regnum Carolum inhoneste pulsum restitui, et in*[e] *Galliam barbaris defendendam exercitum emisi. Sed quid ego plura? Ergo, Gisilberte, tanti pretii Romana imperia putasti, nec reverendi nominis puduit, qui pro praemiis verae virtutis nos proditione maculasti? Sed non impune tantas te nexuisse strophas, furcifer, senties, et solus exemplum mortalibus, supplicia lues, nec nostro imperio insultasse te impune gaudebis. An adeo lenitas publicam securim hebetavit, ut etiam caput ense rotare vis non sit?* Dixit, et afferri publicam securim, sententiamque dictari imperat.

19. Cum abbas Ebulo hoc decipiendus consilio quasi mature periturum propinquum indoluit — nam e conspectu pulsus, velut lictori fuerat tradendus — genua augusti amplexus, manus tetendit, et huiusmodi precantia verba profudit: *Pateat apud te, domine, precibus meis locus, quas tibi profundit animus miser amarissime turbatus. In Deum et te graviter miserandus nepos meus deliquit, seque gravissimo sceleri et sempiterno opprobrio obligavit. Nam consilium quod intendit nec te nocuit nec nobis profuit. Sola divina censura, quam ille ex merito offendit, te, qui iustitiam secutus es, defendit. Cum Deo sensisti, qui regem nobis iniuste pulsum restituisti, quem nisi tua maxima et benignissima virtus defendisset, impunita paucorum enormitas utique perdidisset. Unde si sanum sapiunt, semper apud Gallos nomen tuum, honor, laudesque manebunt. Nec immerito; qui nunc interim pro nobis pugnas*[8]*, quos nuperrime hostes acerbissimos tollerabas, gensque nefandissima pro nobis sentit tua arma. Pro multitudine a te gestorum, in nepotem meum pauca beneficia memorasti, quem egenum multiplici honore extulisti, et famosum a secreto tui auricularium celebrem effecisti. Qui quia collatum honorem, quo dignus non erat, infelix non servavit, se magis quam te laesit. Est tamen cautio iussionis Domini, ut homo ignoscat homini, dum conservum — omnes enim id sumus — solvit debito centum denariorum, ipse solutus debito laetetur, ut sunt delicta hominis in Deum decem millium talentorum; et quotidie dominica oratione postulamus, ut sic debita nostra nobis laxet Pater supremus, prout nos debitoribus nostris relaxamus. Deliquit in te homo malignus collato sibi honore indignus; te innocentia illaesum servavit, illum iusti moderaminis libra nefando molimine impedivit. Quam ob rem ad totius cleri reverentiam, meritam suspende sententiam, quem ille miser dehonestavit; unde et perpetuo probro subiacebit. Solve, piissime, compeditum, erige meritis allisum, ut dum veniam donaveris reo, a delicto maximo solvaris a Deo. Vae misero mihi, qui ipsum bene educatum ad tuum destinavi servitium, si modo merita sententia tollit, in quo omnis mea cura pependit.* Haec dicens, omnium vestigiis provolvitur, atque ut secum pro vita Gisilberti interveniant, precatur.

Virg. Aen. I, 609.

20. Quid agis mortalium stolidissime, maxima simplicitate nixe, pro persecutore preces fundis? pro deceptore intervenis? perniciem tui defendis? Gisilbertum, totius Galliae detrimentum ne reverearis? te magis ipsum diligit imperator, te magis quam ipsum laedit! Nam omnis haec artis structura te magis quam Gisilbertum erit laesura, et antea puto augustus imperio renuntiasset, quam eius in sanguine ferrum tinxisset. Sed ne quisque tibi

a) cito *text.* b) alam *text.* c) ipse *text.* d) ratis *text.* e) *deest text.*

7) Locus corruptus. 8) i. e. debellas.

sanum sapiens culpam succenseat, etiam orbem totum Arnolphus imperator movisset, si tanta versutia impulisset. Quae enim tanta est perversitatis machinatio, qualis dolosa simulatio? Securi se percussurum velut publicum hostem augustus simulavit, quem non segnius propria vita amabat. Etenim si vera proditione infamatus esset, et si inultum Arnolphus dimisisset, tamen ne deteriora efficere valeret, non liberum abire permisisset, sed interim, dum regione excederet, inclusum servasset. Sed nec dux augusto et regi per omnia fidus fidem violasset, etiam si ad eum proditionis[a] consilium pervenisset, qui firmiter hanc[8] tenuit, quando regnum Galliae tanto in turbine inconvulsum proprio regi servavit.

21. Peracta abbas Ebulo oratione, quam prosecutus est pro nepote instantissima prece, rursum utriusque partis diverse fremitus surgit. Teutones, itidem ut antea, viro infensi supplicium sumi poscunt, Galli omnes — nam singulos, etiam ipsum augustum illacrymari coegit — viro compassi, unanimiter Gisilberto interveniunt. Tandem imperator Arnolphus, ut in hoc facillime poterat, ad misericordiam flexus, precibus Ebulonis et ceterorum Gallorum annuens, dixit: *Quid agam super tali negotio, animo in diversa distractus ignoro. Esset quidem regni negotiis contiguum, malo exemplo perire scelerosum, ut ceteri metum haberent, ne posthac talia auderent. Sed quia Gallis obesse nequeo, quos bene valere cupio, pro amore Dei et reverentia totius cleri, inquam pro amore Dei, qui me tantis fraudibus circumventum servavit, in hoc, o Galli, vestrae annuo petitioni. Vivat licet nolit, inquam, vivat, sempiterno opprobrio pateat, pro nostri munificentia ei vitam concedimus, et ne vacuus abeat, proscriptione solvimus. Attamen si de vita curet, nunquam faciem nostram videat, nunquam in nostra regna veniat, in hoc triduum, dum se aliquo concedat, pace sequestra inducias habeat. Haec ei vestro interventu me indulsisse sufficiant. Nullus mihi posthac sicophantam nominet. Memoria iusti cum laudibus nostro corde deleatur homo damnosus.*

22. Sic dimissus, libere tentoria repetivit Gisilbertus. Dona plurima, quibus ab imperatore honoratus abundabat, secum asportans, cum Ebulone abbate onustus domum perrexit, rogans eundem iter accelerare, castra exosa relinquere.

Voto dissimili pergunt simul ecce gemelli,
Alter amore plenus fuit, alter fraude repletus,
Hic quo salvetur gerit, alter decipiatur.

Portatur Arnolphi gaza plurima Gallis detrimento futura. Multa in eundo et varia sermocinando saepius fertur Gisilbertus post terga respiciens dixisse: *O meum astutum consilium, peccatis meis annullatum, si ventum esset ad effectum, quantum te*[b]*, Gallia, promovissem, quantumque te, Germania, humiliassem.* Interim ad sanctum locum perveniunt, abbas claustro receptus, fratres convocat, quam ob rem ab augusto accersitus sit nuntiat. Tum casus nepotis enumerat, qualiter ob proditionem, quam ob amorem patriae occeperat, sit proscriptione damnatus mortique addictus; vix se interventore mortis sit imperio liberatus proscriptioneque solutus. Simul rogat omnes, ut viro compatienter asyllum pandant, eius casibus misereantur, et fluctuantem eius animum consolentur. *Nam sic est*, inquiens, *conditio cuiuscunque mortalis, fastu superbiae tumescentis, ut tunc miserandus cadat, cum se in perpetuum stare putat.* Deinde in collegium Gisilbertum advocat, eumque fratribus commendat. Qui iussis patris obtemperantes, eius fluctuantem animum variis consolationibus levant, variis scripturae sanctae paginis reficiunt, et qui pro patria haec pertulisset flocci-pendendum censent, cum pro meritis Francis sit odiosus, pro eodem nisu Gallis semper fiat festivus. Post haec omni humanitate exhibita, lautissime coenatus hospitio dimittitur. Quem dum dormitum dimisit abbas, valedicens sic admonuit: *Breves sunt, fili, in hoc triduum induciae. Quid de te statuendum sit, adhuc versatur in incerto periculo. Unde quid facturus sis, solerti cogitatione hac nocte praemeditato, idem et ego facturus ero. Nam periculosum est te mecum sic diutius retinere, cum regi et imperatori constat aeque te odiosum esse.*

23. Plurimum ipsa nocte animo volvens, insomnis permansit Gisilbertus. Sequenti die, ante solis ortum misso nuntio, Gisilbertus abbatem obsecrat, ut ad hospitium ad se veniat, et aliquos ex senioribus secum exhibeat. Qui in omnibus votis iuvenis paruit, celeriusque cum fratribus advenit. Mox semotis ministris, ita fari voce subdola incipit Gisilbertus: *Quia plurimis perturbationum fluctibus patui, hac nocte solicitus celeri ingenio aestuavi, et ut plurimus ingruit fluctus molestiarum, mens utique fluxit per plura. Per regna Arnolphi, ut aliquo militatum habeam, transire non audeam, ac terra Odonis regis metu residere non audeo; sub divo fusus undique vallat exercitus, etiam si voluissem, nusquam me abhinc subducere possem. Dum haec et plurima pertractat vigil animus, incidit in mentem ille psalmographi versiculus*[9]*: „Domine, refugium tu factus es nobis a generatione et progenie;" item et alius*[10]*: „Deus noster refugium et virtus, adiutor in tribulatione, quae invenerunt nos nimis." Dehinc, ut credo, ex respectu divino irrepsit utilis cogitatio praecordiis, quia varia sunt mysteria divinae vocationis, quae interdum vocat per prospera, vocat et per adversa. In prosperis dum florui Deum sequi dissimulavi, et ecce adversitatis turbo illisit, qui hoc tenore Deum sequi suasit; si sic vocantem Deum sequi contempsero, ne barathrum aeternae mortis incurram, vereor merito. Unde mundum relinquere, mundi fugientibus pompis renuntiare est animus, atque sub leve Redemptoris iugum concedere, vestroque collegio, si non principum formidine tacti trepidatis, cupio sociari, et si ita vindicta poscit, est mors corporis despicabilior, si prius egomet sponte mundo moriar. Et scio, si resciverit, idem augusto placebit, quia sic me minus suspectum habebit. Et ne hoc vobis durum videatur, non vacuus venio. Quidquid enim devota sedulitate servitutis promerui, mecum laborum praemia attuli. Ecce*, inquit, et apertis secum allatis scriniis, thesauros ostendit, ipsamque pecuniam in conspectum eorum qui adstabant trifariam dispertivit. *Haec*, ait, *pars cedat communiter utilitatibus fratrum, unde et ego perpetualiter velut unus ex vobis victum et vestitum sine murmure consequar. Hanc*, ait, *partem thesauri separatim, pater, concedo tibi, ut pro ambobus nobis partim*

a) *vel tale quid excidit in textu.* b) de *text.*

8) scil. fidem. 9) Psal. 89, 1. 10) Psal. 45, 2.

manu eleemosynaria distribuas, partim usibus propriis expendas. Et hoc promereri cupio, ut votum meum adimpleas, atque super hac tertia parte desideriis meis satisfacias; hoc enim voto retineo et toto nisu animi desidero, ni pater abnuas, et si non peccatorum molimina impediant, ipsam pecuniam super sanctissimi Dionysii corpus venerandum ponere. Vellem enim libentissime scire, quo loci hic situs sit martyr almus, ubi retinacula cordis pro indulta sibi potestate remittendi vera spe indulgentiae valeam profundere. Libet etiam pro memoria amborum nobili fabrica ornatum tali patrono praeparare, ante omnia autem, ut dixi, damnosa pectoris crimina ad sanctos cineres revolvere.

24. Ad haec abbas Ebulo: *Grates,* inquit, *Salvatori quam maximas refero sanctoque huius loci provisori Dionysio, quia, ut animo accepi, te invisit mutatio dexterae Excelsi. Hoc votis cupivi, hoc omni cordis nisu desideravi, et ut spero idoneus interventor cum meis omnibus hac nocte pervigili prece apud Deum obtinui, nec in hoc nullum terenum principem revereor, quin ovem Christo consignem ex lupo. Sit in hoc nobis adiutor Christus, verus omnium pastor, et te ovem deviam, maleque vellus per vepres divitiarum dissipantem, sacris humeris impositum, ad ovile Sion reportet, ubi congratulantibus caeli civibus, candidulo gregi assignet, et albo vellere indutum se aeternaliter prosequi faciat. Verum, quod postulas de thesauro super sanctissimi Dionysii corpus ponendo, accede! Adstant, ecce, post principale altare tres simul sarcophagi; continet medius corpus Dionysii, hinc inde alter Rustici et alter cineres servat Eleutherii.* — *Non ita,* inquit Gilsilbertus; *nam saepe creditur filiis, quod merito negatur extraneis. Qui te patrem eligo, non simulacra quaero. Scio, pater, ubinam isthaec crypta latet, quae simul sanctorum corpora continet. Memini enim, me puero, quia aliquando custodem ecclesiae lumen administrantem intus consecutus, mausolaea sanctorum inspexi, marmoreas tamen tumbas hac manu tetigi, sed quae Dionysii corpus contineret, imprudens non notavi. Unde, pater, precor, ne abnuas, sed desideriis meis in hoc satisfacias. Etenim si in altare obedientiae me mactaturus semel tibi colla submisero, semper fidus, stabilis utilisque manebo, et in hoc votis meis annuas. Non vili emo,* et pecuniam monstrans, *ecce*, ait, *pretio. Tu vero rogatus sis voti dator, tu ipse monstrator, et ut in consortium fratrum recipi merear, idoneus, quaeso, accedito interventor.* Adhuc cunctante abbate pro Gisilberto, quia singulos in praesentia seniores dono corruperat, interveniunt fratres devoti, dicentes, nullum hunc secretum celari debere, si secum Deo militantibus ipsorum velit sociari collegio; se vero felices fore, si viri[a] tali ingenio praediti mererentur consortio gloriari. Memorant praeterea tali thesauro ipsorum indigentiam posse expleri, pauperiem expelli, inopiam ditari. *Hinc te, pater,* aiunt, *dispensatore solantur viduae, hinc luctuosi avent pupilli, hinc templum hoc Dei venustissime poterit ornari.* His vocibus tandem abbas victus: *Mane,* inquit, *crepusculo diei incipiente, quia te salvum fore cupio, tuis, fili, desideriis satisfacio, quod a me non impetrasset etiam ipse imperator, si praesens adesset. Insuper simul cum fratribus nuntius satis fidus congregationem de te convenio, quin et tu ipse licenter aggredere, congregationi iungere, et quaecunque libeat, singulos fratrum conveniens licenter effare.* Paret ovans dicto Gisilbertus, singulos conveniens familiari alloquio, veteranorum quemque, ut antea sibi cognitum, nomine vocans, iuniorum genealogias requirens, illius generositatem, illius alterius hilaritatem, huius florens studium, istius laudat fortia facta patrum. Praeterea singulis, quibusque pro modulo, munuscula largitur. Unde et in brevi omnibus aeque charus, nulli fuit suspectus.

25. Igitur nocte consecuta matutinas horas praeveniens Gisilbertus, solito citius surgens, oratorio intromittitur, dum matutina synaxi celebrata fidem promissi praestolaretur. Mox fratres oratorio secluduntur, adest abbas cum tribus, quintus hic immiscetur Gisilbertus. Est in ipsa ecclesia sub sanctuario crypta latens, tribus fornicibus terra tenus mersa, mirandi operis, sed intus sanctorum ossa[11], pretiosissimas margaritas, quam fertur quondam Catula sanctis martyribus, quae corpora eorundem gurgitibus mergenda raperet, condidisse, ceu sibi suisque digna mausolea statuisse, in qua sanctorum corpora collocavit, in qua etiam plurimos christianorum occuluit, quando persecutionis fervor incanduit, quos etiam quasi diis manibus libamina deferens pavit. Ad ipsam cryptam aditus occultus, raris pervius, monstratur. Namque sub ipso ambone, unde euangelium pronuntiatur, et unde antistes Deum praedicat, ostiola latent, ubi caecis foraminibus crypta adiri poterit. Ibi abbas Gisilbertum, patrandi sceleris aditum praebens, introducit[b]. Intus simul martyrum corpora marmoreis thecis recepta iacebant. Sex hinc et sex inde, medius ceteris[c] eminentior, Pario[12] receptus, iacuit Dionysius. Tunc abbas: *Ecce,* inquit, *fili, decus quiescit Graeciae, spes hic iacet Franciae, apostolus, martyr, gloria, honor et protectio totius Galliae. Huc, fili, accedito, desideriis tuis satisfacio. Pone centuplicato foenore recepturus dona, prome securus de mercedis voto.* — *Faciam libens,* Gilsilbertus, simulque donum aperit, quod veste latebat, scilicet palliolum totum aureo intextum, quod imperator Graecorum Arnulpho augusto mirabile donum miserat, et hoc expanso, tumbam, in qua sanctus martyr iacuerat, totam obnubit; et ut expandit, statim mirantium oculis in rugam contractum[d] subtraxit: *Non ita,* inquiens, *pater condixisti, nec sic spopondisti. Cernuntur hic magni decoris marmora, nec dubito, quin maximi pretii claudant corpora sancta, sed nullum certius cerno signum quod illorum contineat Dionysium; hunc enim animus fert visere. Forsitan solers cura patrum insidias cavens, non in medio, fortassis in ultimo ipsum locavit. Unde, quaeso, mihi tumulum aperite*[e]*, ut certus donem, cui mea dona meque devovi; aut si displicet, dicite, si ego meaque dona vilescimus, celerius me alio conferam.* Sic dicens aureos Philippos manu tinire facit, muneribus excaecans oculos. Ad haec abbas Ebulo:

a) viri *et* praediti *text.* b) introducitur *text.* c) certius *text.* d) contracta *text.* e) aperiri *text.*

11) scil. occulens. 12) scil. marmore.

Ex quo, inquit, *praesens Gallorum apostolus hac est tumba locatus, nulli est corpore visus, nullus patrum est ausus sancta ossa contingere, nullus, ut maiori honore conderetur*[a], *ausus est abhinc levare. Sed si ista animum induxisti, nec in hoc nec in nullo tibi adversabor. Unde orationi pariter incumbamus, et in hoc praesidia sancti martyris imploremus.* Haec dicens, una cum fratribus diutissime orationi incumbit.

Virgil. Aen. III, 56.

Auri sacra fames quid non mortalia cogis Pectora? Non pura oratio funditur, ideo[13] interni arbitri aspernatur. Avaritia virum illexit; nam ni votis concederetur, se discessurum Gisilbertus minitabatur. Quid multa? Abbas nefando operi accingitur, et accepta dolabra summo labore, quinque viris adnitentibus, operculum dimovit, moxque admoto lumine, sanctissima membra, ut erant involuta, conspiciunt, et ad caput inventa et prolata est charta, huiusmodi praeferens scripta:

Haec charta in sepulchro est inventa: *In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Notum sit omnibus, quod hic est corpus sanctissimi Dionysii, qui a loco Ariopagita, et patriotico pronomine Ionicus, christiano autem agnomine est appellatus Macharius, a sancto Paulo apostolo Atheniensium ordinatus archiepiscopus, apostolica auctoritate beati Clementis papae universalis totius Galliae constitutus apostolus. Pro fide Christi sub Domitiano caesare, praefecto Sisinnio 7. Idus Octobris gloriosum martyrium perpetravit, et caput proprium per duo millia fere deportavit, usque ad locum, in quo nunc Dei dispositione requiescit humatum, sine cessatione te Deum laudans et dicens „Gloria tibi, Domine.“*

26. Perlecta charta iam certus Gisilbertus accedit, thesaurum quem decreverat apponit, et ut erat patens, sepulchro incubuit, palamque haec orationis verba profudit: *O pie omnipotens Deus, qui per legislatorem Moysen famulum tuum Israelitis mandasti, ne appareas in conspectu meo vacuus, cum nullius dono indigeas, sed magis sincerae mentis vota requiras, suscipe peccatoris oblationes et vota ex corde contrito et humiliato, quod tibi gratum sacrificium dedicasti, prolata, sintque haec*[b] *accepta et aeque compensata, ceu duo quondam viduae minuta, et eo magis gratiora tibi, quaeso, quo constat, totum quod habeo mecum tibi in hostiam trado. Dives ditiori voto, voluntarius autem pauper centuplicato foenore me locupletandum sperans, memet meaque tota depono. Hic scilicet deposita gibbi sarcina, aptus tuo regno per foramen*[c] *acus transire cupio, arctamque vitam et angustum iter ad te, Iesu, ducens arripere gestio, tu manum porrige lapso. Erige, piissime, nequissimi pervasoris milleformi machinatione allisum, alleva me prostratum, solve miserabiliter compeditum. Heu, heu, miser! quantum oberrans defectu huiusmodi ab Ierusalem tendens, latronibus vulnerandus patui; tu Samaritane — ecce paratus sum, suspicio — pone in iumentum, impende curam, infunde austeritatis vinum et gratiae oleum. Ecce, adstat stabularius, geminum denariorum pretio conductus, me avidum curet in stabulo, qui certus sit, quia, quodcunque supererogavit in me, mercedem accepturus est, in ultimo examine te redeunte. Tuque, sanctissime martyr Machari Dionysi, accede, quaeso, precator ad Deum pro votis devotissimi servuli, adsis adiutor in oportunitatibus, et quae invenerunt nos nimis, in his tribulationibus annue votis, adsta*[d] *praecibus easque infer Dei omnipotentis auribus, defer et hinc*[e] *veniam, quam me scis corde non ficto quaerere desideratam. Fac me nova incepturum, specialem te sentiam fautorem et patronum. Suscipe — ecce, reddo — vitulum labiorum, tu fac complaceat Domino, te impetrante super me vitulum novellum, cornu quandoque euangelicae praedicationis et ungulas divinae scientiae fodientes et inimici suasionibus recalcitrantes producentem.* Haec dixit. Dein quasi defectum passus, votum suum prosperari tacita prece submurmurat. Ergo unius horae spatio lacrymis et orationibus insistens, fletuum inundatione sancta ossa humectat. Tandem surgens, omnes hinc inde anfractus liventi oculo perlustrat. Demum ante pedes altaris corruens, grates refert dicens: *Iam, ut promisisti, velut desiderabam, certum me, pater, reddidisti; nullus remansit locus querelae, procul removisti molimina dubietatis anxiae. Resigna, pater, thesaurum desiderabilem in flores martyrum, inquam, resigna thesaurum. Serva Gallorum apostolum, nostrae tutelae in longum profuturum. Iam te, pater, efficiente, gustans gustavi, quam dulcis est Dominus; iam ipse ceu Maria ad pedes residens omnipotentis Domini, videbar mihi verba Dei intonantis et veniam promittentis audire. Itaque ad tam dulcem Dei gustum libet accedere, ac iugum eius suave et onus eius leve suscipere. Unum tamen est, quod oro repetens iterumque efflagito, et hoc apud te obtineat*

Charitas non ficta, quae semper odit delicta.

Libet enim paululum Marthae respirare et ex stipendiis, quae adhuc nullis meorum relinquenda exuberant sancta, coenulam, ni vobis, patres, displiceat, fratribus praeparare, postea Mariae optimam partem eligere et initiare, et huic in perpetuum insudare. Ad haec abbas: *Quando,* inquit, *maxima, et quae difficillima factu erant, tui causa libenter fecimus, quanto magis dulcia, blandia et usibus contigua amplectimur. Et te digna geris, quando te ipsum hostiam vivam, sanctam, Deo placituram mactare disponis, veterem hominem cum actibus suis depositurus, novum, et qui secundum Deum in iustitia et sanctitate veritatis creatus est, induiturus, more Domini sanctam coenam ministraturus adstabis. Nil contra ire volo; tua omnia tuque placetis animo.* His dictis, sepulchrum clauditur, crypta aeneo pessulo obseratur, thesaurus sacrario reconditur, abbas cum fratribus concedunt claustro, Gisilbertus refectionem paraturus, hospitio.

27. Interea in castris augustus nimis pro Gisilberto solicitus, episcopos, abbates ceterumque in exercitu clerum convocat, et prout secretum imperatoris celari conveniebat, interposita fide consilium denudat, rem omnem denuntiat, quantum mens aestuaret Dionysii reliquias acquirere et secum in regnum asportare, et qualiter pro hac machinatione has omnes turbationes confinxisset, et ob hanc rem Gisilbertum a se proturbasset, et quid deinceps faciendum animo praestruxisset. Deinde simul omnes implorat orationis iuvamina et elee-

a) condiretur *text.* b) hoc *text.* c) formanen *text.* d) adsto *text.* e) huic *text.*

13) *vox* excidisse videtur; id est conscientia.

mosynarum larga munimina. Ipse incoenatus toto triduo degebat, soloque vilissimo pane et aqua refocilatus, aegra membra recreabat, cordeque contrito et spiritu humiliato indesinenter Deo preces 5 fudit, et idem secum omnem clerum facere suasit. Quorum clamor in aures domini Sabaoth introivit, unde et ad effectum res pervenit. Vincitur enim tribulatio, ubi pugnat sancta oratio.

28. Nec interim sancto loco Gisilbertus vacat, 10 devota sedulitate laborans, praeparat convivium regio sumptu magnificum. Nam ex diverso apparatu, quidquid adhuc cupierat, clam sibi castris ab augusto, quasi ab[a] amicis sibi missa, advenerant. Aguntur canonicae horae solito maturius, sexta 15 expleta festinant, celerius obtentu charitatis refectorio discumbunt, ordine consueto convivio immoraturi insueto. Etenim exquisitis epulis replentur mensae peregrinis terris conquisitae, apponitur piscium copia, quos ex Danubio miserat Panonia, 20 nec deerat[b] Rheni fluentis diversi copia piscis. Ipse adstans devotus minister ac pincerna diversa circumfert calicibus vina, et prout cuique libuit, huic praebet vina Italiae, huic superioris Panoniae vina, sed haec omnia vicit sycera ex diversis pig- 25 mentis confecta. Circuit Gisilbertus, singulos inebriare avidus, nomine quemque vocans, hortatur convivare, laetum diem ducere: *Credo,* dicens, *quia non surripit ebrietas, ubi vina porrigit mera charitas.* Conticuit sancta lectio, et ut in conviviis 30 solet, inanis perstrepit fabulatio. Hic Gisilberti laudat habitum, iste modestum ingenium, miratur ille virum facundum, alius urbane eductum, nec silent composito gradu incessum. Postremo unice charus in omnium ore versatur Gisilbertus.

35 29. Parcius, quaeso, bibite! Ingreditur blande vinum, in novissimo mordens assimilabit colubrum, adstat convivator infaustus. Heus, inquam cavete!

Pelle sub anguina gerit hic male corda lupina.
Subdolus suasor credulis mox erit pervasor,

40 et quem modo unanimes laudatis, mox in perpetuum odiosum vituperatis. Protrahitur longum convivium serum in usque vesperum. Balbutientibus linguis celebratur vespertina synaxis. Iterum pulsatur signum, denuo invitantur ad refectorium. 45 Adstat Gisilbertus vino coronatas coronam manibus tenens pateras, ingenti auro celatas. Mirantur opus nunquam antea visum, bibuntque immoderate vinum, dum usque Gisilberto complacuit, et donec omnes nimia ebrietate fatigatos vidit. Deinde recepta vasa 50 hospicio remisit, fratresque quieti indulgere suasit. Parent vino, ut erant fatigati, pausare gestientes. Communiter ab omnibus omittitur collatio, pauci concedunt completorio, plures pausaturi dormitorio. Remansit abbas Ebulo cum Gisilberto solus, eum 55 hospicio secedentem valedicturus. Quem medium amplexus, versuta fraude alloquitur Gisilbertus: *Iam, mi pater venerande, nullus mihi remansit locus querelae, qui omnia quae desideravi a te facillime impetravi. Unum est, quod demum efflagito, et quod* 60 *ultimum mihi concedi desidero. Prope instat, pater, et adest, cum mihi alieno more vivendum est. Interim non plus ista nocte ad velle mihi concedito vivere, et cum custodibus hac nocte in oratorio permitte vigilias agere, ut initia conversationis praemuniant et dedicent vota orationis, et ut quod hodie amatissimo servitio occupatus omisi, vigili cogitatione, quis fuerim et quid futurus sim, mens expedita libere mihi valeat suggerere, mox te patrocinante distorta meorum actuum monimina corrigere. Ad haec, quid necessarium reor te scire, iam transierunt induciae, quare timeo Francorum insidias, pater diligende, quas si isthac una nocte tuo munimine devitabo, iam postea tuo collegio sociatus annullabo.*

30. Nil moratus abbas, ut eum manu tentum ductabat, apertis ecclesiae foribus, commendabat sui perniciem custodibus, praecipens, ut quemadmodum sibi placet, ita ipsis ministrantibus ipsa nocte in oratorio degeret. Ipse aeger morarum taedio infelici somno quieturus se collocat lecto.

Aderat nox infanda dolos Gisilberti tectura
ac perpeti maerore Gallos immersura.

Et primum breviter orationi incumbens Gisilbertus, moxque oratione surgens, dixit custodibus: *Hodie, fratres, quia vix obtinueram prout libuit fratrum servitio insudare, ideo et vobis minus valui curare. Quam ob rem placeat vobis consilium; advocare mihi curate*[c] *ministrum, ut apportet, si quid remanserit obsonii, ut et vos sanctae coenulae, quatinus dumque nobis erant dulcia, gustetis, in longum nostrum memoriale vobiscum manens charitative teneatis. Simulque libros meos facite afferri capsellis inclusos, et cetera quorum*[d] *usus est ad vigilias matutinas; cum hisc aetera quae iussi.* Forcipem enim paravit, cum quo claustra dissipavit, ad hoc malleum, cum quo tumbam perrupit. Parent custodes ovantes dicto. It, redit nuntius accitus cum quibus iussus erat, ministro totius consilii conscio.

Accumbunt epulis, funduntur damna Falernis.

Ipse interim orationi accumbit; interim ut laeti bibant, custodibus hortator accedit, nunc illa nunc alia porrigens, dum et hos incautos, vino deceptos, mentis inopes suique fecit impotes. Ipse deinde ministrum exclusit. Ipse in aspectu eorum ecclesiam clausit, innuens ministro, commeatum suum paulatim hospitio subducere, atque condicto loco se operiri, sibi autem equum stratum ad atrium sisti, et ibidem se adventurum praestolari.

31. Igitur ut ostia clausit, forcipem et malleum, quo scelus peracturus erat, tunica abscondit; palam peras, quasi libris onustas, manu tenens, custodibus accessit. Hisque blanditus dixit: *O fratres et commilitones, anxiae sunt vigiliae post labores; iugibus vigiliis vos hortor et moneo, paululum somno fessa membra levate, mihique ad horam vigiliae curas committite. Ego dum breviter munia hymnilogi exsolvo et vota orationis complebo, lectulus mihi inter vos ornetur, mox ego pausaturus excitabo. Quidquid autem in mea prima vigilia dissideat, mihi crastina die imputate, mihi perperam imponite, me solum omne damnum luiturum maneat. — Fiat,* inquiunt, *ita,* custodes, se somno sternentes. Gisilbertus, ubi omnia diligentius explorata ad votum concordare vidit, primulum orationi attentius incubuit, orans Dionysii clementiam, ut optimo imperatori concedens dignaretur invisere Franciam. Mox surgens, lustrato lumine, ubi custodes vino somnoque sepultos vidit, statim sanctissimam praedam rapturus, violentus praedo invasit, ac primo

65 a) *deest text.* b) necdum erat *text.* c) curare *text.* d) quibus *text.*

ianuas, quae ex claustro intromittebant, vectem circulo inducens, clausit. Deinde accenso lumine ostiola cryptae furtim petivit, cuius sine mora claustra forcipe distorsit, et ingrediens cunctos cryptae anfractus diligentius ut perlustravit, tandem ad tumbam sancti martyris pervenit. Ibi ter terrae prosternitur, tantummodo dicens: *Dignare, martyr, dignare.* O cor silice durius, o mens praesumptuosa, o damnosam viri audaciam! Tertio surgens, magni ponderis malleum libravit ab aure, totus surgens in ictum et ferit. Ast ille vi adactus marmor tumbae super impositum eodem ictu terebrans perrupit. Nec mora, celer ostiola repetivit, captans aure sonum. Concavitas enim bombum reddidit, sed forinsecus echo non paruit, quia superne principale altare per gradus non conscenditur, et eo altius terrae crypta mergitur. Sed ubi custodes alto sopore pressos stertere audivit, citius retro currens, secundum itemque tertium ictum apposuit, tantumque perforavit, ut una manu caput, altera pedes contingere posset. O res stupenda, o miranda spectacula! Admoto lumine, Deo dignissima membra linteaminibus discooperiuntur, et quibus dignus non erat mundus, vili empta pretio tolluntur, et dexterae partis membra cum capite et pectusculo sacratissimo, unde divini nitor eloquii ex profundissima scientia divini fontis hausta profluxerat, brandeo [12] involvens capsellae, quam diximus, ex corio factae, immersit. Pari modo sinistrae partis membra suscepit, altera pera inclusa, et ut totum convasavit [a], suspensis utrinque pectore dorsoque capsellis, mox ad pedes citoque gradu, lento tamen custodes praeterit, et aperto ostio, quod e regione provinciales admittebat, foras prosiliens, equum paratum offendit, cuius in terga festinus eques ut consedit, rapidum cornipedem calcibus tundens, in castra contendit.

(Virg. Aen. IX, 417.)

32. Ergo ut ad castrorum vigiles pervenit Gisilbertus, ab his, quis, aut unde esset, vel quo tenderet requisitus, respondit: *Ne me, quaeso, detineatis, sum iuvenis Gebo, si cognoscitis; e castris advenio a Beringario* [b] *duce missus, augusto bonum nuntium apporto.* Sic delusi vigiles, dimittunt virum et eius comites. Ille equum ad augusti tentorium deflexit, et ut equo desiliit, intus prosiliens dixit: *Surge, surge, bone imperator, adsum Gisilbertus, Dionysii portitor. Ecce, ut semper desiderasti, ut semper votis optasti, te regnumque tuum Dionysii ossibus sublimasti. Ego vero inter misericordiam et iudicium positus, desideriis tuis satisfeci devotus. Spero autem, quia nullus posthac, quo talia effeci, laborem aequiparabit, unde*

Et haec forsitan olim meminisse iuvabit.

(Virg. Aen. I, 203.)

Tu vero quia minus aerario pepercisti, ideo, quod voluisti, obtinuisti. Vix tertia pars in hoc efficiundo deest expensa, dupla adest aerario recondenda. Plura ostendi, sed pauciora expendi. Sed eo magis oro, apud te inveniam gratiam, qui tui causa, quod minus debui, decipiens pessumdedi patriam, quae posthac scio aeternum gemet, quia me proditore tali patrono carebit. Haec dicens ubertim lacrymas profudit. Augustus lecto prosiluit, procidens ante sanctas capsellas, agens prosperatori Deo sanctoque Dionysio grates innumeras. Congeminat vota, simul et accusat conscientiae secreta; praesens enim aderat, qui criminum nexus relaxare poterat, quare et ipse imperator erat in se errorum castigator, quia praesens erat criminum indultor. Diu amplexibus immoratur, crebro capsellas osculatur. Tandem surgens ab oratione, Gisilbertum amplectitur, et sic taedio maeroris affectum amica voce consolatur:

Releva, inquit, *o dilecte, curas, omitte querelas.*
Fidus enim seniori approximat honori,
Quem merito tibi conciliasti, quia vitae dispendio
nobis praecipiente haec impetrasti.
Idcirco quamdiu Romana imperia stabunt,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt [13].
Sic dicens, ubertim lacrymas genas humectat,
Gaudia dant lacrymas gratulanti corde profusas.

33. Cum Gisilbertus: *Optime*, inquit, *imperator, aquam mihi dari praecipito, quo valeam manus abluere, quia sancto pulvere sunt delibutae, unde me nusquam audeo contingere.* Ad haec augustus: *Aquam tibi minus quidem hoc conticinio, quia longe abest, tibi possum conquirere, sed, si vina velis, accipe, manus ablue, simulque, quia opus habes, ut video, corpus defessum refocilato.* Cum interim respiciunt, et ecce, inter ipsas peras, sacrosanctas reliquias continentes, ut contra candelabrum steterant, mirabile dictu, fons limpidissimus emanabat, quin levi murmure per tentorium serpens circumquaque discurrebat; ad extremum vero per clivum — ad clivum enim augusti tentorium suffixum pendebat — idem fons se in rivulum derivavit. Quo viso, ambo attoniti, pene mirando deficiunt. Tandem resumpta fiducia, et manus abluit Gisilbertus, et sancti fontis liquorem uterque sorbuit avidus. In quo loco impetrante augusto ab Odone rege in honorem sancti Dionysii monasterium est constructum, et 40 fratribus cum his quae ipsis ad victum sufficiebant, cumulatum, quod usque hodie in Dei servitio claret ordinatum. Ipse locus, quia ibi per se sanctus Dionysius augusto apparuerit, et ei regione excedere iusserit, ab ipsis incolis Apparitio Dionysii nominatur. Interea sic Arnolphum imperatorem Gisilbertus alloquitur: *Secretum regis celare, opera Dei convenit manifestare. Evidentibus indiciis quae fecimus probat divina virtus. Iam, quaeso, te iubente advocetur cum clero episcoporum coetus, et cum his praecipe* [c] *omnes convenire, quos par sit hoc scire, ut, cum talia tamque stupenda haec Dei opera vident, pariter Deum praesentemque martyrem eius pro modulis laude concelebrent. Simulque cum celeri consilio ventiletur, qualiter iste inaestimabilis thesaurus ad tutelam regni in perpetuum servetur. Si enim sacrosanctas reliquias tecum in castris retinebis, horrisonos cito et duros motus Gallorum audiens sustinebis. Etenim cum prima clara dies Gallica damna detexerit, quem pridem falsa proditione defensabant, me meritum ad supplicia poscent* [d]*; et ni celerius et in hoc momento hac terra mecum deportetur, plurimus humanus sanguis funditur. Non enim a se dimittit Gallia inultum suum protectorem, doctorem, apostolum martyremque.*

34. Statim igitur, ut Gisilberto complacuit,

a) convasit *text.* b) ab Eringario *text.* c) praecipue *text.* d) poscunt *text.*

12) i. e. velo. 13) Virg. Aen. I, 609.

pontifices et abbates cum omni clero et senioribus plebis Arnolphus imperator convocavit, quibus et monstravit sancti Dionysii ossa, callidissimi consilii machinationibus conquisita. Monstrat etiam 5 simul inpendens liquorem sancti ac dulcissimi fontis, quem sibi solatio de terrae venis merita sanctissimi elicuerant martyris. Qui omnes pariter terrae procumbunt, laudes, vota orationesque ineffabili gaudio exhilarati profundunt, bibentes laeti 10 fontem purum variis medicaminibus profuturum. Etenim quidam pestilens morbus plerosque in exercitu invasit, quem huius aquae gustus sanavit. Sed horum laudes et fremitus vix post horam compescuit augustus, inferens senioribus et clero, quod 15 sibi darent consilium super tali thesauro conservando. Enarrat et ipse primus, quale sibi super hoc consilium dedisset Gisilbertus: *Ipse est auctor tanti muneris, illius paremus in hoc omnes consiliis.* Nec mora, quingentis lectis equitibus cum Gisil-20 berto sanctae reliquiae eodem momento diriguntur e Gallia. Cui praecepit imperator Wangionum ad urbem properare, et ibidem se adventurum praestolari. Ipse tamen augustus e sanctis reliquiis unum membrum secum retinuit, quod in manu me-25 dium connectit brachio digitum. Ipse vero utrasque peras scriniis imposuit, et hinc ipse augustus, illinc Tuto Ratisponensis praesul super sagmarium levavit. Ergo, ut imposuit sanctas reliquias caballi dorso, fertur praesago spiritu dixisse sanctus epi-30 scopus Tuto: *Complaceat Petro et Paulo ubi conquiescant Roma, tibi, Machari Dionysi, in aevum Ratispona.*

35. Interea segnior solito surgit frater custos, sancto loco signum pulsaturus, fratres ad vigilias 35 excitaturus, incedit nutanti poplite, hesternam coenam eructans anhelo pectore. Et cum lumen accendit, quasi duo sub glaucomate vidit. Sed cum veniret ad ecclesiae valvas, introrsus reperit clausas. Miratur quid fuerit, pulsat, clamat, quia in-40 trare gestivit, nunc voce quemquam vigilum vocans, nunc nomine Gisilbertum inclamans. Percussit illico cor attonitum mens praesaga malorum [13]. Iterum dormitorio recurrit, portarium excitavit. Hi pariter reseratis foribus claustro excedunt, 45 atria cuncta perlustrant, atque illa parte valvas ecclesiae reseratas offendunt. Mox introgressi vigiles alto sopore pressos inspiciunt et inspectos praetereunt. Accenso deinde lumine, singula altaria lustrant, hospitem sibi suspectum quaeritant, re-50 currunt ad hospitium, nullus ibi reperitur hospitum. Denuo exanimati oratorium veniunt, dissipata sanctissimae speluncae claustra offendunt; ulterius progrediuntur, malleus proiectus assumitur. Veniunt ad sacrosanctum tumulum, inspiciunt malleo 55 perruptum; curiosius deinde inspectum cernunt sancto corpore vacuatum. Foras furibundi prosiliunt, crinem lacerati et unguibus ora foedati; lectulo abbatis assistunt. Quem excitans custos: *Surge*, ait, *surge! evigila, pater miserande! Quid* 60 *sopore deprimeris, qui posthac sempiterno probro patebis?* Respondet pater: *Cur vel quali me probro obiicis, frater?* At ille subintulit:

Venit summa dies et ineluctabile tempus [14]
Galliae. Vae, quid ad hoc vivi pervenimus [15]*! patronum patriae Dionysium perdidimus. Forcipe distorta sunt claustra terratenus cryptae latitantia, malleo perrupta est tumba, disparent sanctissimi martyris ossa. Evasit latro Gisilbertus nobis insultans cum sanctis ossibus.* Prosiluit lecto mentis inops abbas Ebulo, terque quaterque volvitur pavimento, saepius assurgere conatus, velut exterrebratus et amens revolvitur. Tandem utrinque sustentatus currit, patratum nefas inspicit, et viso pene exanimis corruit. Sed postquam vix refocilatus convaluit, tandem in lacrymas resolutus ait: *Vae mihi misero, qui inscius auro Dionysium vendidi, patriam pessumdedi, regnum Galliae perdidi, sanctum hunc locum delevi, gregem Domini avaritia illectus rapacissimi lupi morsibus laniandum dereliqui! Hoc protectore Gallica regna stabant, et in omni bellorum turbine inconvulsa manebant. Quis posthac ab insidiis nos tuebitur hostis? quis pestilentias depellet? quis infirmis medetur? quis claudis gressum, caecis visum, surdis donat auditum? quis defendit populum? quis supplicem clerum? Ubi, quaeso, Gallorum apostolus et pius pastor Dionysius quaerendus erit, qui hactenus a luporum morsibus suas oves pace custodivit? Veniant in me, saeviant in me, crimen omne exaggerent, in me furorem evoment, me lacerent! Ego, qui commerui, reus sum, fateor, dignus; auro captus peccavi, lupum in agno latitantem non agnovi, ambiguos vultus non deprehendi, spiritum, si ex Deo esset, non probavi. Heu me! quem a puero nutrivi, quem alui, quem ipse egregie eductum ipsi imperatori, quia noster rex eo dignus non videbatur, contradidi, eius dolis devictus enerviter succubui! Eia Gisilberte, haud aequa lance merita compensas! Iam tandem imperatoris Arnolphi versutias stolidus sensi, quas, si mens non laeva fuisset, pluribus indiciis res ipsa cavenda monuisset.* (Virg. Aen. II, 54.) *Sed praestat in castra contendere, augusto supplicare, forsitan — scit enim condescendere reis — nostri miserebitur, forsan miseris compatitur.* Taliter abbate effundente querelas, adveniunt fratres — cunctis enim iam res innotuit — pugnis pectora tundentes atque unguibus ora lacero crine foedantes.

36. Quis unquam huius diei luctus explicare poterit? vel quis recolens a luctu se temperare valebit? Undique luctus resonat, *Vae vae*que ubique perstrepit. Cum quis dolorem

Incipit effari, mediaque in voce resistit. (Virgil Aen. IV, 76.)

Ipse abbas equos comitesque poscit, sitque an adhuc dies oborta requirit. Mirum in modum cum iam orto sole suda coeli esset facies, totum idem monasterium quidam caligo, veluti cum luna in nebulis lucet, toto biduo obtexit. Aeger doloris taedio inter manus producitur abbas Ebulo, et ut in terga caballi levatur, dixisse fertur: *Aut modo miseris, o imperator Arnolphe, condescendens miserescis, aut mea commissa in sempiternum, o Gallia, ingemiscis.*

Consolatio Galliae.

Consolare Gallia, consolare, minus enim vales divinae praedestinationi resistere. Possessor homo coelorum in terris recipiet centuplum. Gemuit primo quia a se Dionysius Graecia, ingemiscis et tu modo, Gallia, quia eius ossa lucrata est Germania. Sed haec amborum querimonia Dionysii est

65 13) Virgil. Aen. X, 843. 14) Virg. Aen. II, 324. 15) Virg. Ecl. IX, 2.

gloria. Etenim nullum suorum ipse deserit, sed merito laudum praeconio semper promptiores assumit. Gloriatur tanto primo praesule Graecia, recenset apud se felix mater millia eius desudata proelia, incubat sanguis, quia victoriose apud te procubuit, Gallia; continet eius ossa postremo, quae lucrata est haec Germania. Et quid mirum, si eius gloria germinando crescit, cuius maximus labor in mundo nitescit? Nam plus omnibus discipulis laboravit Paulus, et si fas est dici, plus Paulo Dionysius. Ab Ierosolymis usque in Illiricum replevit euangelium, Dionysius ab Alexandrinis Macedonumque finibus per latissima regna terrarum ad usque fines Galliarum. Addidit et his plura, cum te verbo tangit, alter orbis Hispania. Veniet, crede mihi, veniet, prope instat tempus, et adest, cum te Deo consignat primus praesul, Graecia, teque, quam apostolus sanguine Deo peperit, Gallia; sed ambobus propiorem nec invideas, quae se non lucrantem lucrata est, o Germania! Tunc nimirum te, Gallica Parisiensis et Athena, vos ambas Christo Dionysius offerens percellit Ratispona. Felix tunc homo erit, cui Dionysius in lapidem offensionis et petram scandali non erit Quam ob rem hortor et moneo, nec in subreptione Bedae, quam ipse in se reprehendit, aut in autumatione Gregorii haereant, Hilduin. et Eusebii Caesariensis historiam et Aristarchi Graecorum cronographi ad Onesiforum primicerium epistolam, et Visbii[a] conscriptionem[16] perquirant et relegant, ibique discerni poterit, quis iste Dionysius fuerit.

Igitur ut in castra Ebulo pervenit, audacter imperatoris tentorium ingrediens clamavit: *Redde, imperator, redde! da, quaeso, et profer nobile furtum! Quem tenes, Gallorum est apostolus, non Francorum furtis debitus. Quid mirum, si me vicisti, quem nil adversi suspicantem tantis dolis appetiisti? Etenim universum orbem movisses, si tali versutia impulisses.* Ad haec imperator quasi commotus dixit: *O hominem furiosum quis intromisit? quae probra obiicit? et iam furto nos obligat?* Cumque ab assistentibus increparetur, ut taceret atque tentorio excederet, respondit: *Nolite, viri, exasperare me hominem miserrimum, undique angustiis vallatum. Date veniam, si quam protuli stultitiam; miserationem quaero, misericordiam peto.* Sic dicens ad pedes augusti corruit, et multa gemens, eius familiare colloquium expetiit. Quod dum augustus miserans concederet, eius pedes stringens, ut ossa Dionysii sibi redderet, omnimodis supplicavit. Hoc cum augustus se facturum negaret, inquit: *Sciebam, quia non reddis, nec enim eo tenore conquisisti; sed ne divulgetur, permitte ut a te impetrem, et ne factum in palam veniat, mecum elaborato. Alioquin sanctus locus desolabitur, maleque mecum grex meus lacerabitur.* Ad haec augustus: *Difficile,* inquit, *tale valet factum celari; vigiles, qui fuga dilapsi sunt, factum produnt. Sed habes penes te librum euangeliorum totum auro conscriptum, simul exterius auro gemmisque variantibus magistra arte redimitum, cuius in superficie quasi quoddam aedificium in quadrum positum cernitur, quo coelestis Ierusalem figuratur, gestans undique calices, qui significant martyrum passiones. Etenim coeli cives septies auro recocto sunt puriores. Sed et calices superne diversorum lapidum sustentans receptacula, quasi electorum in coelo habitacula, manet coelestis illa urbs eximiis et electis lapidibus construenda.*

Huius et in medio sedet Omnipotentis imago; quia quos lapis ille angularis coelesti Ierusalem adglutinat, ipse per se verus iustitiae sol Christus illustrat. Hoc opus mirandum praedecessor meus Ludewicus sancto Dionysio contulit. Ipsum ergo librum si mihi concedis in pretium, dabo consilium, confero et auxilium, quo releves curas, simulque omnes motus componas.

37. Ergo dum hoc libenti animo se facturum abbas spopondisset, imperator dixit: *Celeri cursu monasterium repetito, fratresque convocans dicito, te apud me sancti Dionysii corpus reperisse, quod apostata Gisilbertus furto sublatum mihi attulisset, ut in gratiam eo pacto rediisset, sed me ipsum cum dedecore abiecisse, sanctas vero reliquias, ipso fuga dilapso, mecum retinuisse, tibique, ni abnuant, condicto pretio redditurum esse. Deinde paucis senioribus adhibitis, clam sepulchra sanctorum accedito, et sociorum Dionysii unius vel alicuius martyrum, quorum numero abundas, sepulchro membra levato, et palam librum, clam reliquias ad me in castra deferto. Meum est, tibi parare duas ex corio peras, his in quibus Dionysii corpus allatum est simillimas; has sanctis reliquiis, quas intulisti, infarciri facio, quibus unum, quod penes me retinui, Dionysii sancti membrum admiscens tibi contrado. Namque per sinecdochen pars accipitur pro toto, ut possis sacramento confirmare, te vere Dionysii corpus receptum tenere. Sic onustus, palam nostro comeatu tripudians, e castris domum contendito. Quo dum perveneris, alacris in ambonem conscendito, furentique populo nuntiato, te quemdam erroneum et apostatam a me extrusum et proscriptione mortique damnandum iure propinquitatis eruisse, simulque conversionem mentitum in monasterium te suscepisse; ipsum tibi Dionysii reliquias furto rapuisse, ut tali dono nostram gratiam redintegrasset, quem ego in vinculis iniectum, malo vellem cum exemplo ut periret, elapsum fuga disparuisse; te vero tanti libri pretio donassem Dionysii corpore sancto.* Accepto ergo tanto solatio tantoque consilio, celer monasterio revolat abbas Ebulo, fratres celerius convocavit, eisque augusti erga se munificentiam retulit. Qui omnes pro hoc beneficio non solum quem postularet librum concedendum, sed etiam Galliae, si postularet, suadebant dimidium regnum.

38. Post haec cum senioribus, de quorum fide et taciturnitate securus erat, cryptam latenter intravit, et alterius sancti ossa sepulchro levavit pro Dionysii ossibus deferenda, sed et venerabilis cuiusdam viri ossa, ne locus vacuus appareret, ipso vacuato sepulchro relocavit. His ergo ita patratis, uti condictum erat, ad augustum in castra recurrit, cui offert librum, recipiens clam concambiendo ipsis quas advexerat reliquiis immixtum Dionysii membrum. Quae tunc abbas Ebulo laeto suscipiens dolo[b], clero populoque comitatus sancto loco reportavit, moxque in ambonem conscendens, qua-

a) Iusbii *text.* b) *ita videtur legendum;* collo *text.*

16) De suppositis hisce libellis vide Byeum in Act. SS. Octob. IV, 704. 706.

liter sanctas reliquias perdiderit qualiterque receperit, furenti populo — iam enim fama vulgata Parisiensis plebs confluxerat — pronuntiavit. Ergo membrum iam dictum, ut in pulpito stabat, vere 5 ariopagitae Dionysii hoc corpus esse sacramento firmavit. Deinde utrum veteri sepulchro corpus sanctissimum recondi placeret cautiusque locari, in medium contulit. Quibus simul acclamantibus, cautius debere locari, in aspectu multitudinis ipsa membra 10 scriniolo imposuit plumbeo, hocque argenteo, itemque haec duo venustissimo ex eodem auro quod Gisilbertus attulerat fabricato collocavit, ut quando libuisset in palam potuisset efferri, itemque sacrario custodienda recondi. Si quis vero secretius Gallos 15 super Dionysio consulerit, hoc metallo conditum monstrabunt. Crypta vero pari decreto aeneis vectibus quasi in sempiternum clauditur. Sed ne tali relatione Gallos offendamus, vel perpetim Ratisponae urbi aemulos constituamus, scilicet ne sola [17] 20 Galliae damna intulisse videatur, audacter affirmamus, etiam Rustici ossa in Germania locata, nec tamen cum Dionysii ossibus, Arnolpho imperatore efficiente, sublata. Sic Dionysii ossa Parisius sublata, sic de Gallia sunt translata, sic eaque tali 25 artificio imperator Arnolphus acquisivit, sic mira astutia omnes motus composuit. Postea abbas Ebulo in expugnatione cuiusdam urbis Odoni regi [18] comes adfuit, ubi incaute tentorio progressus, rotatu balearis fundae caput ictus interiit, et ita de30 mum negligentiae suae commissa luit.

39. Quinta post haec die imperator Arnolphus recepto exercitu, indiciis Gallorum victor cum triumpho Gallia rediit. Cui sequenti anno rex Odo (895.) Wangionis occurrit, magnificaque dona pro gratiarum actione offerens rediit. Igitur quam diu Arnolphus incolumis vixit, sancti Dionysii ossa secum retinuit. Tandem morbo correptus, quando finem sibi imminere sensit, Dionysii ossa sancti Emmerami monasterio perpetualiter servanda tradidit una cum euangeliorum libro, quem praemisimus, et altari aureo venustissimo ciboriolo coopertus, ubi et ipse prope altare situs, felici pausatione quiescit. Tunc Tuto Ratisponensis praesul praecavens Gallicas insidias, et ne qua praepotens persona inde sanctas reliquias praeriperet, strenue praecavit. Nam omnes huiuscemodi rei conscios, ne quis Dionysii ossa proderet, sacramento constrinxit, dicens: *Cum tempestivum fuerit, haec oportunius praedestinatio divina revelabit.* Ergo sancta ossa vili scriniolo recondens in sarcophago posuit, rem tamen tribus tabulis cocti lateris incisam per elementa memoriae mandavit, hasque occidentali parte muro inclusit, et ita consignans inquit: *O quam felix erit, cui minus suspicanti adversa haec olim Deus revelaverit.* Sic Dionysii ossa Ratisponam sunt locata. Qualiter autem ea Deus revelaverit, alia pagina enarrabit.

EXPLICIT TRANSLATIO SANCTI DIONYSII ARIOPAGITAE.

INCIPIT.

Igitur temporibus Gallorum regis Heinrici quidam fuit custos ecclesiae Parisiensis, vir memoria dignus, promptus in Dei servitio et in omni vir35 tutum exercitio. Is ut solitus erat nocturnas vigilias praevenire, quadam nocte surgit expedicius, ut preces Deo funderet solitarius. Et ut orationem complevit, surgens quomodo redderet horologium intendit [a]. Haec dum, ut in notulis patuit, octava 40 noctis hora matutinales ymnos poni suaserat. Interim frater fessus ut in subsellio resederat, ulnas genibus, caput imponens manibus obdormivit, visus est consistere in pavimento vir nivea canicie venerandus, angelico vultu coruscus, colobio nive candidiore vestitus, purpureo pallio, radiantibus gemis distincto, circumdatus, et desuper stola stellarum more coruscanti contectus. Quo viso, frater diriguit stupidus, et tamen desiderabili vultu nequit expleri tuendo. Cumque aliquamdiu mutuo aspectu fruerentur, videbatur, qui apparuit vir . . . . . [b]

EX HAYMONIS LIBRO DE DETECTIONE MACHARII AREOPAGITAE DIONYSII SOCIORUMQUE EIUS.

1. *Epistola Haymonis monachi ad Hugonem abbatem Beati Dionysii.*

45 *Domno abbati Hugoni, bonorum operum fructui Christo suffragante studium propensius accomodanti, Haymo sub eo in loco beati Dionysii regulariter degentium minimus, praesentis prosperitatis refocillari gaudio et aeternae beatitudinis donari bravio. Quum ex testimonio divinarum scripturarum discretio mater habeatur ceterarum virtutum, temeritatis est, si quis quodlibet aggredi temptaverit propositum, quod non huius virtutis soliditate in initio et fine ex50 titerit roboratum. Qui enim transcensa quantitate suarum virium altiora se appetere conatur, sub ipso immoderantiae fasce succumbendo tabescit et labitur, ceu qui nullius rationis habenis aut moderamine vegetatur. Ad innotescendam igitur huius rei veritatem certius occurrit, quod in libro proverbiorum replicat Salomon eloquentissimus, omnem hominem sollicitum esse debere,* (Eccli. 3, 22.) *ne studeat scrutari aut quaerere altiora et fortiora se, recolens beatum eum qui semper est 55 pavidus fore hominemque mentis durae in malum otius corruere. Cuius tam evidentis periculi immanitate simul et terrore ego concussus — revolvendo mecum, quod nullius praerogativa*

a) *tale quid videtur legendum. Haec est textus corrupta lectio* quo mono redde horologi intend'. b) *reliqua desiderantur.*
17) scil. Ratispona. 18) Cf. Regino.

scientiae sim adeo suffultus — inter tria videlicet metum, gratiam atque spem varia distractione animi vacillo penitus. Metum ideo praenominavi, quoniam si voluero obducere clausura silentii quod explicandum memoriae tradere proposui, vereor, ne id displiceat clavi[a] scientiae rectori. Si autem promendi studium arripuero, perspicaci notitiae probabilium virorum huiusmodi opere delato, meae praesumptionis ignaviam erubescendo non parum veraciter formido. Deinde vero subiunxi gratiam, quoniam septemplicis spiritus dono suggeritur verbum ori muto, linguisque infantium datur satis idonea disertio. Subsequitur et spes, cuius amminiculo, si morositatis prolixitas in fastidium non vertitur, quod non videtur, speratur et creditur, et quod promittitur, attingetur et recipietur. Post haec tuae, venerabilis pater, iussionis auctoritate compulsus sum ad id supplendum animum divertere, cui, acsi divinitus imperetur, fas aequumque est omnimodis obtemperare. Ceterum sicut nequit fieri absque periculoso exitio subditorum, si respuerint famulatum praebere decretis iussionibusve praelatorum, ita sollicite cavendum est pastoribus, ne pro collatae potestatis auctoritatibus alicui creditarum ovium iniustam perturbationem inferant ultra modum difficile imponendo onus. Quia ergo autenticorum virorum exemplo prolatum est obedientiae virtutem probabilem fore, adeo ut etiam victimae praeemineat obsequio, si Omnipotentis clementiae munificentia solita erga me dignaretur procurare beneficia, in peragendo nullatenus pigritari studeret parvitas nostra. Videtur autem probabile tuae sanctitatis eminentiae, ut tradam memoriali litterarum sollertiae seriem rationis continuae, cur haec excelentissimi protectoris nostri Dionysii festa celebria hoc novissimo tempore fuerint a nobis reperta. Verum labor hic non est modicus, philosophorum etiam sillogisticis argumentationibus, ipsa sui inextricabilitate difficilis et horridus; quin etiam hoc me penitus esse indignum dupliciter perspicio, tum quia scelerum enormitate sum depressus, tum quia non videor mihi esse in litterali scientia momenti alicuius. Sed quia potens est magis impendere divina pietas, quam valeat petere aut intelligere humana fragilitas, temptabo quod pollicitus sum iuxta moduli nostri facultatem implere, paternae benedictionis ubique praemunitus largitate. Quocirca praesentiae serenitatis tuae precum affluentiam effundo, ut mihi tanti pelagi volubilitatem transcendere conaturo tuarum orationum indesinenter assistat protectio, ne lintris meae callem obliquet ventorum adversa impulsio, ne Sirenarum fallax detineat modulatio, sed expeditius praetergresso Sircium vado, Caribdisque voracis immunis periculo, te patrocinante et remigante quieti portus adepta gratuler amoenitate.

INCIPIT DETECTIO CORPORUM MACHARII AREOPAGITAE DIONYSII SOCIORUMQUE EIUS, QUAE FACTA EST ANNO AB INCARNATIONE DOMINI PLUS MINUS CIRCITER 1050, IMPERANTE APUD ROMANOS HENRICO AUGUSTO, REGNANTE APUD FRANCOS HENRICO, ROBERTI PIISSIMI REGIS FILIO.

2. *De versutia antiqui serpentis pacem semper et concordiam perturbare machinantis.*

Ceterum quoniam diabolice astucie et fraudis est, famulorum Dei successibus invidere, pacisque et quietis amicam concordiam subigendo turbare, hoc tempore quo Henricus[15], incliti regis Roberti filius, monarchia sublimatur Gallie, aliusque eiusdem nominis imperator[16] principatur capiti orbis Rome, malum contigit exoriri inopinabile. Nam[b] in Baioariensi natione Radisbonensis urbs perhibetur esse, in qua probabili devotione antiquorum constructum habetur sub titulo[c] sancti[d] Hermentranni[17] monasterium, cui deservit sub abbatis imperio degens concio monachorum. Qui cecitatis et ignorantie tenebris miserabiliter involuti divinique timoris obliti, suum locum exaltare non erubuerunt figmento cuiusdam mendatii, arroganter verbosando, penes se esse corpus beati Dyonisii. Quod omnino frivolum esse veritas indicat prefate rei. Et quia eorum exterminanda garrulitas est prosequenda[e] latius, huic narrationis inite seriei censuimus inserere, unde huius exordium nequitie sibi dicantur arripuisse.

3. *De corpore cuiusdam mortui, quod falso asserebatur esse corpus ariopagite Dyonisii.*

Prefato loco succedentibus prosperis, rebusque eius Deo fideliter adherentium devota munificentia ampliatis, probabile visum est abbati[18], ut diruta structura operis vetusti, quoniam vilis erat pretii, in melius studeret honestando construere monasterium predicti sancti

a) *ita legendum;* clavum *Felibien.* b) *ita* Fel. hac *cod.* c) capitulo *cod.* d) sacri *cod.* e) persequenda *cod.*

15) primus; regnavit an. 1031–1060. 16) Heinricus III. 17) S. Emmerami. 18) Reginwardo, qui praefuit monasterio inde ab anno 1048; cf. Ann. S. Emmerami M. G. I, 94.

Hermentranni. Cui operi dum studiosius insudaret, priscorumque fundamentorum loca diligentius inquireret, iuxta vanam assertionem eorum unius mortui hominis corpus inventum est integrum, quem sub testimonio fallacium et adinventitiarum litterarum non veriti sunt appellare ariopagitam Dyonisium. Extimplo incolas diversarum nationum velox fama cepit 5 peragrare adeoque increbescere, ut multos inanimaret huiusmodi neniis fidem accommodare. Quin etiam memorate urbis episcopus[19], vicinis accitis pontificibus, ab eis studuit efflagitare, quid inde eis consilii placeret dare, indicans sibi esse animum ponendi inter sanctos hoc corpus elevatum. Quorum conventu favente, id taliter actu dignum esse, designata elevationis die, rogatisque eisdem tunc illic iterum adesse, in sua quique eorum rediere. 10 Interea episcopo plures diversorum ordinum circumquaque directis litteris invitare sollicito gratum visum est, supplicare Henrico imperatori, quatinus tanti copiam gaudii cumulare atque venustare dignaretur serena presentia sui. Qui licet non satis auditis verbis credulus, tamen multimoda prece devictus, se in hoc assensum prebiturum esse, non distulit eius voluntati spondere. Quo ita iuxta voti effectum peracto, constituto presignate diei imminente 15 termino, convenit non modica utriusque ordinis atque sexus multitudo. Quin etiam iuxta promissum imperatorem non piguit venire cum primatum nobiliumque curia, domni etiam pape Leonis noni non absente presentia[20], quorum testimonio cercius roboraretur inchoate rei summa.

4. *De adventu nuntiorum regis Francorum ad imperatorem Romanorum.*

20 Sub eiusdem igitur temporis articulo, tanto ad id supplendum conglobato populo, duo repente Dei nutu supervenere nuntii Francorum regis[21] eximii nomine Henrici, ab eo ad imperatorem secundum regum[a] morem pro aliquibus responsis forte directi; quoniam ipsi duo tunc erant amicissimi[22]. Qui conspecta tanta numerositate populi, nec mora ceperunt cuius rei gratia convenisset sollicite perscrutari. Cognita ergo totius rei serie, alacritateque 25 vultuum simulata spe, presentati imperialis obtutibus presentie, pro quo venerant rationabiliter studuerunt indicare. Prefato vero principe verborum que detulerant legationem gratanter audiente, sollicitaque secum perscrutanti consideratione, mox ab eo acceperunt responsa pro oportunitate rationis et temporis iuxta eorum opinionem congrua. Cumque eos putaret velle discedere, libera abeundi concessa facultate, illi nichilominus dudum tecti ran30 coris memores, huiusmodi impresentiarum dicuntur protulisse rationes:

5. *De efficacia allegationis nuntiorum Francie coram papa et imperatore.*

Non incognitum tue, serenissime imperator, prudentie cogitamus, inconstantem per omnia eum fore, cui duplex inest animus. Cuiusmodi vitium utcumque despicabile sit in minoribus, tamen vituperari et condempnari debet abhominabilius, si id dominationem[b] *aliquam exercere* 35 *contingit in regibus. Quoniam velut quislibet dignitatis amministratione sublimatus, si virtutibus decoratus fuerit, amplius pollet, ita qui a vitiis in possessione honoris minime se continet, eo magis in conspectu hominum vilescit et sordet. Quare autem tale initium nostre sumpserimus disputationis, optimum ducimus tue notificare celsitudini maiestatis. Ad presens a te nobis iniunctis verbis germanam amicitiam erga nostrum regem in omnibus te servaturum* 40 *esse polliceris, sed operum effectui abrenuntiando obsistere aliquantulum, ut putamus, videris. Nam hunc populum, qui congregatur hic sub edicto per diversa loca invitatus, huius rei gratia convenisse accepimus, ut pro beato Dyonisio ariopagita nescimus cuius defuncti hominis defossa eleventur ossa, cum aliorum pignoribus sanctorum sub veneratione amodo colenda. Quod quam absurdum sit credere aut agere, facile valet perpendi tui probabilis ingenii per-* 45 *spicacisque sensus alto acumine, si competenter rei seriem volueris indagando coniectare. Nam sicut didicimus plurimorum autentica sententia, quos in litteralium atque liberalium disciplinis studiorum maioris utilitatis ac pretii aiunt esse in nostra patria, in regis Dagoberti evidentissime reperitur gestis descriptum*[23]*, quemadmodum memoratum sanctum cum duobus sociis honorifice posuerit in scriniis argenteis, artificiosissimarum serarum atque obicum mirifica at-* 50 *que subtili diligentia, ut adhuc hodieque videri potest, interius munitis, collocavitque post altare*

a) regium *cod.* b) damnationem *cod.*

19) Gebehardus III, 1036—1060. 20) Vide praefationem. 21) quorum unus erat Adalbertus monachus S. Remigii, de quo in capite 9. Haymo 55 haec habet verba: *Qui et ipse asseruit in praesentia imperatoris in hac patria sanctum areopagitam Dionysium esse, quando unius mortui hominis corpus pro eo de terra voluit extrahere.* 22) Verum est; anno 1048 Ivodii foedus inierant. 23) c. 3. 17. 29.

in cripta tante profunditatis, ut usque ad genua omnino se intromittat, si quid inde voluerit abstrahere aliquis. Quin etiam antequam ad corpora sanctorum perveniatur, criptula quedam aureis gemmis extrinsecus decorata habetur, in qua duabus seris diligenter munita dominici clavi et corone condita servantur pignora, nulloque alio aditu preter hunc scrinia sanctorum videri aut ab aliquo possunt ullatenus tangi. Ecce, quomodo corpus sancti Dyonisii munitum nulla adimi possit arte latronum. Preterea cum non ignotum sit tue providentie, eum totius Gallie apostolatui presidere, eiusdemque regni coronam et victorie summam tanti patroni suffragiis hactenus feliciter perstitisse, miramur, cur huiusmodi proposito studium accommodaveris tam incaute, qui verbotenus fatearis asserere, in amicitia nostri regis germane te esse conexum vinculo caritatis. Quapropter omnino videtur nobis indignum, tibique regno Francorum inhonestam molestiam inferendi prorsus esse animum, si ad effectum hoc perducere temptaveris, nisi prius amico tuo, videlicet principi nostro, suaseris, quatinus non omittat perscrutari diligentissime, utrum prefatus sanctus habeatur procul dubio erga se. Tumque demum, si illic esse non audieris, probabilius erit effectum adhibere tuis initiis, quoniam magnum hoc pacto discidium futurum esse speramus[24]*, si aliter egeris.* His igitur decentissime prolatis, respondit imperator, se inde habiturum consilium cum domno papa et caterva ducum et optimatum suorum. Quorum responso sententia legatorum probata iusta, alacriter ab imperatore remissi sunt ad sua.

6. *De reditu nunciorum regis in Franciam et narratione rerum, quas viderant, et convocatione pontificum et principum ad detectionem corporum.*

Ingressis denique Galliarum finibus, regiis praesentati obtutibus, omnem rem seriatim notificaverunt, redditis prius quas detulerant legationibus. Quo in eius praesentia taliter intimato, clericalis laicalisque ordinis personas non piguit invitando convocare sub termino diei assignatae. Eis ergo ex regalis iussionis decreto pariter congregatis, rex, iuxta quod ei enarratum fuerat a suis legatis non modici moeroris anxietate obfusus, replicavit et quid eis actu dignum inde videbatur, inquisivit; inter quos etiam abbas, qui tunc ipsius sancti loco praeerat, Hugo nomine adfuit. Quorum solertis industriae consilio est repertum, nullatenus posse tanti erroris avelli morbum, nisi ostensione corporis sacri manifesti fides daretur indicii, atque huius curae onus providentiae iniungeretur abbatis, ut circumquaque directis litteris diem, qua licentiam id peragendi haberet, edicere non pigeret, et interesse huic conventui omnes, ad quorumcunque notitiam sui nuntii pervenirent, invitaret; illisque qui huius erroris exordii caput extiterant, hoc indicare non omitteret, ne novissimus error priore deterior fieret. Hac igitur salubrioris consilii utilitate reperta, quique illic congregatorum rediere ad sua, ab eodem abbate rogati, tunc iterum secum adesse, quando eis terminus denotaretur ex eius allegationis relatione. Abbas denique rediens ad coenobium, quod audierat flebiliter enarravit convocato coetui fratrum. Qui compatientes iuxta apostolum paterni doloris gemitui, verentes communis periculi inevitabilitati subici, vacillabant inter spem et metum ambigui. Tandemque relevati eius inspirante gratia, in quo est spes credentium defixa, dominicae se protectionis dispositioni commiserunt, omni ambiguitate postposita, censentes ieiuniis, vigiliis orationibusque publicis ac privatis cum divina et fraterna charitate tanti propositi studium devotissime praevenire. Quorum gratanter audiendo sententias, ieiuniorum numero cum orationum exercitio indicto generaliter, abbas ex regalis iussu decreto circumquaque studuit mittere litteras, non oblivioni tradendo Radisbonensis urbis incolas, in quibus notavit destinati experimenti terminum sub die 5. Id. Iun. (Iun. 9.)

7. *Qualiter aperto nobili scrinio coram episcopis et principibus Francorum inventum est interius venerabile corpus magni areopagitae Dionysii.*

Ergo, ubi peracta sunt a fratribus ieiunia ceteraque exercitiorum genera, quibus subvenire peccatoribus divina saepe non evitat clementia, die imminente constituta, undique convenit multitudo non modica, in qua contigit fuisse episcopos, abbates, monachos, clericos, nobiles atque ignobiles, et utriusque sexus quamplures. Quorum consortio non defuit victoriosissimi regis Henrici frater nomine Odo, ab eo directus cum curialium pluribus ad diligenter percipiendum et luculenter enarrandum, quo ordine suorum adesse fidelium precibus optata prospera revelando dignaretur conditor omnium dominus, quoniam se agnoscens sarcinis peccatorum depressum proclamabat indignum corporeis oculis videre tanti viri corpus gloriosum. Sed tamen divinam clementiam fideliter esse credens adfuturam,

24) Revera amicitia eorum longe aliis de causis turbata est anno 1050. Cf. Lamberti ann. ad h. a.

misit sanguineam purpuram ad involvendam pretiosi corporis glebam, in hoc beatus vaticinandus iuxta vocem euangelicam, quod non visis rebus fidem adhibuerit devotam spemque penitus inconcussam. Pridie autem quam huius nuncii insudaretur proposito, Domini facie generali praeventa a fratribus ieiunio scilicet, et sequenti nocte continuato [a] orationum, vigiliarum lacrimarumque exercitio, post consummationem officii matutinalis, praesentibus episcopis praefatorumque ordinum probabilibus plurimis, in afflictione eorum desideria prosperari rogantibus Dominum, reverenter in medio delatum est argenteum scrinium, prisca adhuc subtilitate artificiosissime munitum. Quo cum magna difficultate reserato in adstantium praesentia, repente pretiosissimi martyris Dionysii reperiuntur ossa, pallio tantae vetustatis nimietate consumpto obvoluta, ut inter manus tenentium evanesceret in similitudinem telae aranearum. Unde perfusi suavissimi odoris fragrantia, asseruerunt nullius ad hanc esse delectationis pigmentorum genera.

8. *De ineffabili laetitia omnium, qui tantae rei interfuerunt, et repositione scrinii cum litteris intromissis in locum priorem.*

Tunc pro inenarrabilis gaudii diu postulata visione Domini experta pietate, qui numquam sibi placita rogantibus dedignatur adesse, iubilando prorumpunt in laudibus gratiarumque actione, permixtis devotis singultibus inopinabiliter ortae laetitiae. Post haec, ablatis vetusti pallii reliquiis, cum aliisque pignoribus vestimentorum sancti Dionysii sociorumque eius studiose conditis, ossibusque devotissime ab abbate involutis in pallio ad hoc a rege destinato, magnalia Dei votis poscentium declarata pastores ecclesiastici enuntiaverunt omni populo voce praeclara. Qui quanto exsultaverint tripudio, iocunda, qua longiuscule a monasterio prosecuti sunt sacra membra, indicavit processio. Praefato vero Odone regi per ordinem iuxta quod viderat alacriter cuncta referente, ille Domino solutis multiplicibus gratiarum actionibus pro collatis ab eo votis fidelium prosperis effectibus, intermissis regiae pompae dignitatibus, eodem die gratum duxit venire nudis pedibus, tanti patroni suffragium humiliter asciturus. Ibique se confitens deliquisse, in quibus solitum est humanae fragilitati divinae conspectum maiestatis offendere, seque cum suis omnibus devovens sancti martyris famulatui et patrocinio, recessit, pro munere pallio magni pretii oblato. Delato vero a processione cum praeeunte et subsequente plebis frequentia sacro corpore, 15 continuis diebus dimissum est super principale altare; in quibus e diversis regionibus causa visitandi suffragiumque expetendi plurimi utriusque sexus convenere. Et tunc sibi mutuo ad custodiam succedentibus fratribus, diei noctisque vicibus tam diu est diligentissime custoditum, donec intromissis litteris indicibus primi erroris et subsecutae veritatis, seris obicibusque munitum sacros artus continens subtili artificio scrinium, quampluribus praesentibus, suo priori loculo honorabiliter fuit restitutum.

9. *Nomina personarum, quae praesentes sanctorum detectioni corporum interfuerunt.*

Sed non praetereundum videtur aliquorum nomina hic ad posterorum memoriam inserere, qui potiorum dignitatum insigniti claritate, praesentis dicuntur celebritatis gaudio interfuisse, atque omnia quae tunc gesta narrantur in praesentiarum vidisse, ut eorum testimonio fallax sopiatur opinio, veritatisque subnixae fiducialius roboretur promulganda traditio. De episcopali ordine isti convenere: Wido Remensium archiepiscopus, Robertus Cantuariorum archiepiscopus, Imbertus Parisiorum episcopus, Elinandus Laudunensium episcopus, Balduinus Noviomensium episcopus, Walterius Meldensium episcopus, Froelandus Silvanectensium episcopus. Unusquisque quorum clericalis laicalisque ordinis adduxit probabiliores personas secum. De ordine abbatum isti adfuerunt iterum: In primis domnus abbas Hugo coenobii sancti Dionysii, Albertus abbas Maioris monasterii, Ioannes abbas Fiscannensis coenobii, Landericus abbas Sancti Petri Carnotensis, Robertus abbas Sancti Petri Fossatensis, Rodulphus abbas Sancti Petri Latiniacensis, Adalbertus monachus Sancti Remigii, qui et ipse asseruit in praesentia imperatoris, in hac patria sanctum areopagitam Dionysium esse, quando unius mortui hominis corpus pro eo de terra voluit extrahere; Gaufredusque abbas Columbensis coenobii. Quorum unumquemque devotos et Dei fideles monachos secum non piguit habere. Isti autem astiterunt de ordine laicorum: Imprimis Odo, memorati regis frater atque fidelis nuncius, Walterius comes Pontisarensis, Wilhelmus comes Corboilensis, Ivo comes Bellomontensis, Walerannus comes Melledensis, et alii nobiles multique devotae fidei gregarii milites.

a) *ita legend.* continuata *Fel.*

EX OTHLONI OPERIBUS.

EDIDIT ROGERUS WILMANS.

Othlonus sive Othloh[1], *in Baioaria*[2] *ineunte saeculo undecimo natus, puer ut scribendi artem edisceret primum ad Hersveldense*[3], *deinde ad Tegernseense*[4] *monasterium, post etiam circa annum* 1024[5] *in Franciam missus est. Iam tunc studium ferventissimum, quo in hanc artem incumbebat, multorum admirationem movit atque ipsum paene oculorum lumine privavit. In patria redux canonicus factus atque a Meginhardo episcopo Wirziburgensi scribendi causa evocatus*[6], *tandem invito patre*[7], *religionis monasticae votum, quod puer in se susceperat, anno* 1032[8] *in monasterio S. Emmerammi abbati Burchardo*[9] *professus est*[10]. *Ibidem ob eximiam scientiam scholae praefectus*[11], *post vero, sc. inter annos*

1) Ita codex Windbergensis vitae S. Wolfgangi saec. XII exaratus atque a Pezio inspectus. Thesaur. Anecdd. Noviss. III, 613. 2) ni fallor in dioecesi Frisingensi. Cf. Visionem III. ap. Pez l. l. p. 555. 3) cf. infra Visionem V. 4) infra lib. de temptationibus. 5) ibidem: *ibi* (in Francia) *fueram, quando obiit caesar Heinricus et factus est rex Conradus.* 6) Vid. infra Visio VI. 7) Cf. Visionem III. ap. Pez p. 555; de doctrina spiritali c. XV. ib. p. 456; de temptationibus part. priorem ap. Mabill. Anal. Vetera p. 112. Patris mors circa annum 1062 accidit. Cf. Vis. XII. ap. Pez p. 582. 8) In libro de temptationibus tradit se sancti Emmerammi coenobium anno 1062 reliquisse, postquam per triginta annos ibidem substitisset. 9) Monasterium rexit ab a. 1030 ad a. 1037. Cf. Annales S. Emmer. min. SS. I, 94. 10) Visio III. p. 556. *Relictis ergo ad tempus meis omnibus perrexi ad Ratisponam civitatem, ibique Burchardum venerandum abbatem coenobii sancti Emmerammi pro mei susceptione rogans, cito impetravi rogata, pro eo scilicet, quod coenobii eiusdem monachi profectuosum sibi fore arbitrabantur meum scire in scribendo vel in docendo canonicos quoslibet. Interea ergo cum ibidem aliquamdiu hospitarer, contigit quadam die, ut ante fores hospitii dati residens in lectione Lucani occuparer*[1]. 11) Vis. III. p. 562: *Igitur ex infirmitate etiam illa celeriter ad sanitatem pristinam restitutus sum, excepto, quod pene per omne tempus, quo extra monasterium convalescendi gratiam praestolabar, visione varia in somniis inquietabar. Quasi enim cuiusdam interitum minitantis, nisi, quod nuper vovebam, cito complerem, imago saepe astare videbatur. Et haec fuit causa maxima, quae me in monasterium citius ire compulit. Quae vero deinde mihi acciderunt tam ex solita divinae pietatis subventione, quam diabolicae fraudis machinatione, licet multa utrimque fuerint — nam nec Deus consuetae misericordiae et correptionis quicquam in me minuit, neque adversarius solita nequitia me impugnare cessavit — tamen quia ab incepto opere longius evagari me faciunt, et in alio opere latius eadem iam protuli*[2], *duo tantum hic, quae tam vigilando, quam quiescendo passus sum, quam brevissime queo, edere studeo. Post tempus igitur nonnullum, quo aufugi in coenobium, quia existimabar instructus aliquid in liberali scientia, commissa est mihi licet inmaturo doctori invisa puerorum disciplina. Cum autem inter eos plures provectioris essent aetatis, qui scilicet, sicut illa solet aetas, saepius excederent disciplinae metas, unum ex eis, qui maxime protervus mihi videbatur, corripiens coram aliis, plus quam decuit probrosis asperrimisque afficiebam verbis: adhuc enim*

1) Hunc se maxime amasse testatur de doctrina spirit. c. 14:

Illa tripertita Maronis et inclyta verba,
Lectio Lucani, quam maxime tunc adamavi,
Et cui iam nuper divinae legis adulter
Sic intentus eram, quo vix agerem reliquum quid,
Atque legentem ipsum cepit me haec passio primum.
Sed necdum poenas credens exinde futuras
Languidus, ut poteram, legi studiosus eundem,
Donec ullius vigor exstiterat mihi sensus.
Quam veniae causam, qualemque dabant medicinam,
Cum nec signa crucis potuissem ponere fronti,
Et sine spe positus constringerer undique poenis,
Quas nec proferri facile esse reor, neque credi.

2) De doctrina spirit. c. 17. — Cf. etiam De cursu spirituali c. 21. et De tempt. infra.

1052 *et* 1056 *decanus factus*[12], *litteras minime neglexit, sed duos* de Doctrina spiritali *et* de Tribus quaestionibus[13] *libros composuit atque vitas sanctorum Nicolai, Wolfgangi et Altonis conscripsit. Triginta annos in monasterio sancti Emmerammi commoratus, iuniorum fratrum infestationibus cessit, et venia ab abbate Reginwardo impetrata, anno* 1062, *paullo ante incendium quod celeberrimum illud coenobium delevit*[14], *in Fuldense monasterium se contulit, ibidemque per quatuor annos libris conscribendis operam navavit atque* Visiones *quas ipse expertus fuerat vel ab aliis acceperat, libros* Manualem *et* Proverbiorum *et* Vitam sancti Bonifacii *in lucem edidit*[15]. *Anno* 1066 *Ratisponam a fratribus revocatus Fuldam quidem reliquit, at primum in Amerbacense coenobium divertit atque unum paene annum ibi subsistens, sermonem composuit:* Quomodo legendum sit in rebus visibilibus, *qui ad nostra tempora non pervenit. Anno denique* 1067 *ad Sanctum Emmerammum reversus, litterarum studia ad mortem usque prosequens primum* de Confessione actuum *suorum libellum composuit, qui ni omnia fallunt, prima libri* de Temptatione *pars est. Pluribus annis post alterum* de Cursu spirituali *edidit, in quem multa ex priore libello de Temptatione tamquam* scripta cuiusdam fidelis mihique notissimi fratris *recepit*[16]. *Post vero, cum iam, ut ipsius verbis utar,* aetati *suae* advesperasceret, *epistolam ad amicum* Cur Deus bona et mala hominibus accidere permittat[17] *in lucem emisit, et* confessioni actuum *secundam partem*[18], *in qua de libris a se conscriptis luculentam notitiam dedit, subiunxit atque integrum opus* de Temptatione *vocavit*[19]. *At praeter laudatos libros* Vitam sancti Magni, *sermones,*

propriae alienaeque fragilitatis ignarus credebam, nil mihi fore noxium, quocunque modo increparem eum, qui mihi iure subditus erat, adolescentem stolidum. 12) Visio IV. p. 564. *Ante decennium agente me decaniam in monasterio nostro, et abbate non iuxta regulae sanctae instituta, sed secundum episcopi praeceptum vel iuniorum quorundam affectum plurima illuc disponente, ego iugiter, quantum potui, praeceptis huiusmodi consentire nolui: qua de re inter me et abbatem nostrum discordia magna exorta est, cum neque ille sua, nec ego mea vota mutare vellem. Interea vero saepe per memet ipsum, saepe per alios illum rogans, ut, quia mores mei sibi omnino displicerent, me a decania commissa absolveret, nec hoc per tempora multa obtinere valui. Unde factum est, ut, quia nulla apud eum impetrare potui, zelo plus iusto ductus aspera incautaque dicta quaedam ita contra eum proferrem, ut me quoque maledictione connecterem. Pro quibus, licet poenitentiam tunc coram abbate egissem, tamen quia coram Deo, in quem solum maxime peccavi, idem facere neglexi, post dies paucos in infirmitatem decidi. Haec autem ita esse credo, quia correptionis divinae gratiam a pueritia usque in praesens habui, saepiusque hoc a Domino petii, ut quotiescunque aliquod peccatum grave clam seu palam committerem, continuo vel post paucos dies gravi etiam infirmitatis seu tribulationis alicuius molestia afficerer: unde et infirmitatem proxime dictam credo pro ea causa, quam modo protuli, evenisse. Infirmitas autem eadem ita facta est.* 13) Ultimus non ante a. 1051. in lucem editus est. Cfr. ea quae hac de re in libro de Temptatione post annum 1067 conscripto dicit: *Tertium vero libellum quem ante annos* 15, *ut reor, scripsi.* 14) Idibus Aprilis. Cfr. S. Emm. Annal. minor. SS. I, 94. 15) De quibus omnibus fusius in notis ad librum de temptationibus agimus. 16) De cursu spirituali ap. Pez c. 21—25. p. 359—389. ad verbum conveniunt cum libro de Temptatione pag. 108—116. ap. Mabill. Anal vet. 17) apud Pez l. c. pag. 253—256. 18) Cfr. infra: *Postea senectus et infirmitas varia me prohibuit.* 19) Quo tempore hoc opus in lucem ediderit ex ipsius verbis: *Postquam vero redii* (ad Sanctum Emmerammum) *vitam sancti Magni scripsi, compulsus fratrum duorum precibus . . . . . Wilhelmi scilicet ex congregatione nostra et alterius qui ad nos discendi causa ex monasterio S. Magni venit Adalham dictus quique nunc in S. Afrae coenobio abbas est constitutus,* illustrari posse videtur. Attamen tempus, quo Adalham coenobium rexerit, certo definiri non potest. Nam catalogus abbatum sanctorum Udalrici et Afrae quem editores Monumentor. Boic. XXII, p. 11 ex chronicis domesticis, ut ipsi aiunt, concinnaverunt, huius nominis abbatem non exhibet. Quo teste sederunt Heinricus annis 1030—1044, Theodo 1044—1050, Adalbero 1050—1065, Theodemarus 1065—1080. At Adalberonis nomen perperam pro Adalhamo sive Adalhalmo positum esse, ex catalogo episcoporum et abbatum Augustensium evincitur, qui in codice Hanoverano (olim SS. Udalrici et Afrae) chronici Ottonis Frisingensis saeculo XII medio conscripto, ad marginem catalogi paparum exaratus invenitur quique per hoc tempus abbates recenset sequentes: *Heinricus, Tieto, Adalhalmus, Diemar.* Similem errorem annorum numero inesse oportet. Nam Othlonus, ut ipse tradit, vitam S. Magni iam in monasterium S. Emmerammi reversus conscripsit. Quod a. 1067 factum est. Tunc

epistolas et minora quaedam scripta, una cum magna copia librorum cultui divino inservientium exaravit. — Quando vero foecundissimus hic scriptor diem supremum obierit, ignoramus.

Libelli de Temptatione *secundam partem ex edit. Mabillonii (Anal. vetera. Nova edit. Paris.* 1723. *p.* 117—119) *qui ab Anselmo Grabnero veteris codicis apographum nactus erat,* Visionum *vero fragmenta ex Pezii Thes. Noviss. Anecd. III,* 2, *p.* 547—613, *qui codicem autographum Sancti Emmerammi servatum consuluit, hic damus. Quae cum typis iam excusa essent, V. Cl. Föringer, ea qua iam dudum studia nostra fovet benevolentia, horum librorum codices manuscriptos Monacenses cum editionibus contulit adnotatasque varias lectiones nobis Berolinum transmisit. Quarum quod participes facti sumus, multum gaudemus, praesertim cum liber de Temptationibus multa eaque gravia additamenta inde nactus sit. Codices vero, quos V. Cl. Föringer in auxilium vocavit, hi sunt:*

Libri Visionum Cod. Em. G. LVII, *fol. quem signavimus* 1.
De Temptatione Cod. Em. b. 10. *fol. sign.* 2.
De Cursu spirituali Cod. Tegernsee. 611. 4to *min. sign.* 3a *et*
„ „ „ *Cod. Em.* E. CXIII. 4to *mai. sign.* 3b.
De Doctrina spirituali Cod. Em. b. 10. *fol. sign.* 4.
Liber Proverbiorum Cod. Em. E. CXIII. *fol. sign.* 5.

ROGERUS WILMANS.

EX OTHLONI LIBRO VISIONUM.

VISIO QUINTA[a].

Quam detestandus in clericis luxus vestium sit, cuidam ostensum[b].

Cum puer adhuc ad monasterium Herveldense scribendi causa transmissus fuissem, contigit me agnoscere visionem magnam de cenobio Hildinesheimensi. Inde namque duo canonici a beatae memoriae Gotehardo episcopo[20] discendi gratia ad scolam, quae per idem tempus sub abbate Arnulfo[c. 21] ibi satis pollebat, missi[d] sunt; quorum iunior Boto, alter vero Wolfharius dicebatur. Hic[e] igitur Wolfharius considentibus[f] saepe nobis in collatione tam spiritalis quam carnalis doctrinae, et utrisque de sua patria aliquid narrantibus, referebat mihi de suo monasterio dicens: „Ante annos quam plures consuetudo fuit talis in monasterio nostro, ut nemo clericorum aliis nisi pretiosissimis uteretur vestimentis tam in cottidianis quam in festivis diebus. Simili quoque ornatu sedilia simul et lectisternia eorum habebantur: quantoque quisque locupletior erat, tanto pretiosiorem suppellectilem habebat. Cumque haec sine iudicii superni respectu diu gererentur, apparuit angelus Domini cuidam vicino clerico in visione dicens: „Vade et dic episcopo civitatis huius, ut et se et suum clerum ab inmoderato inlicitoque ornatu contineat, ne forte super eos ultio divina veniat.“ Evigilans autem clericus, et visionem pro delusoriis somniis reputans, iussa neglexit. Sed angelus Domini iterum clerico praedicto similiter apparens, ait: „Quare praecepta mea contempsisti? Cave, ne ultra facias. In veritate enim dico tibi, quia, si amplius feceris, non inpunitus evaseris.“ At clericus, licet aliquandiu de visione tractans pertimesceret, tamen, ut prius, tandem neglexit. Tertia autem vice angelus adveniens, non ut antea clericum per somnia ammonuit, sed palam excitavit eum dicens: „Cur toties praecepta mea contempnere ausus

a) Alia visio 1. *et ita deinceps, numero non addito.* b) Quam det. — ostensum *desunt* 1. *sicut omnes sequentes capitum inscriptiones.* c) Arnolfo 1. d) *ita* 1. mihi *edit.* e) *ita* 1. hinc *edit.* f) *ita corr. manus recentior;* consedentibus 1.

primam partem libri de Temptatione composuit, pluribus vero annis post alterum de Cursu spirituali edidit, et ultimo loco libello de Temptatione secundam partem de Scriptis suis, de qua hic agitur, adiecit. Quod certe ante annum 1070 evenisse nequit. Ad hoc usque tempus etiam Adalhalmum monasterio S. Emmerammi praefuisse clarum. 20) a. 1022—1038. 21) a. 1005—1031.

es? Nonne dixi tibi, quia si amplius contempneres, ultionem aliquam sentires?" Cui clericus respondens, ait: „Non, domine mi, contempnens talia feci, sed quia tantam senioris mei episcopi indignationem exinde commovendam sciebam, ut nisi signum aliquod monitis talibus adderem, periculum maximum incurrerem." Ad haec angelus: „Si", inquit, „signum a 5 me exigis, suscipies pro certo." His dictis sumpsit quoddam flagellatorium, et cum eo diutius caedens clericum dixit: „Ecce signum, quod petisti!

Sin alias nostris non curas credere verbis,
Signum donamus, cui differt credere nullus.

Vade ergo nunc, et perfice nostra iussa." Qui mox nil dubitans abiit ad episcopum, eique 10 angelicum retulit mandatum. Caeterum episcopus audiens huiusmodi dicta, indignatione conprehenditur nimia: „Quare, inquiens, tales somniorum tuorum nugas stolidissime praesumpsisti mihi referre? Haec et haec mihi Deus addat, si praesumptionem tantam nequitia tua impune ferat." Quibus dictis clericus progrediens ab eo pusillum exuit se vestimentis, citoque regrediens ostendit dorsum nimiis verberibus exaratum, dicens: „En quale signum 15 accipere merui, cum te nimium metuens Deo rebellis exstiti! bis namque iussus a Deo eius tibi deferre mandata, sed propter tuum timorem non obediens talia pertuli flagella." Talibus igitur dictis simul et visis exterritus episcopus mandavit fieri synodum, in quo conveniret omnis turba clericorum. Quo cum advenissent, omnibus mandata divina innotuit, omnes ad poenitentiam, omnes ab incongruo vestimentorum ornatu abstinere 20 ammonuit. Hac instructi ammonitione coeperunt omnes se aedificare, vestiumque ornamenta mutare. Deinde vero non multo tempore transacto, et hoste antiquo ad id, quod consuetudo mala inlexerat, retrahente, paulatim omnes ad consuetas totius suppellectilis faleras redierunt; tunc iterum ad eos misso eodem clerico per angelum Dei ammoniti sunt ut supra, simulque denuntiatum est eis, ut si tertio repeterent solita, ultione 25 punirentur severissima; quod et ita factum est. Nam dum sicut canis revertens ad vomitum suum, ad noxia voluptuosi ornatus blandimenta more solito omnes remearent, accidit, ut quodam[a] die inter missarum celebrationem tantus fulgurum tonitruumque fragor igne discurrente permixtus ecclesiam invaderet, qui et durissimos eiusdem ecclesiae muros quodam loco quadrifida incisione, sicut hodie videri potest, penetraret, et subdiaconum interea legentem per 30 medium scinderet, presbyterum vero ac diaconum ad missas paratos semivivos efficeret. Praeterea nemo clericorum vel in ecclesia vel in coenobii claustris usquam commorantium relictus est, qui non aliquam corporis debilitationem tunc perceptam in reliquum tempus semper retineret. Unde factum est communi consilio, ut omnes ibidem conversantes clerici non solum superflua vestimentorum ornamenta, sed etiam inutilia quaeque morum abicerent 35 fastigia. Ex illo namque tempore usque in praesens nemo clericorum apud nos commorantium protendentes pellitii sui manicas pallio pretioso ausus est circumponere, quae ab aliis clericis, ut libet, usurpantur. Haec autem ita esse in meo probare potes pellicio, quod nullo serico ornatu sed tantum linteamine honesto videtur circumdatum."

Talia igitur mihi retulit ille praenominatus clericus, cum olim conscolastici essemus; 40 quae etiam ego ad aedificationem refero aliorum, illorum scilicet, qui cum pastores sint ecclesiae, aliisque pro religionis speculo praeponantur, nullum arbitrantur esse vitium, quod semet instar sponsi omnimodo adornare conantur, quasi ad se non pertineat id devitare, pro quo agnoscunt alios non solum correptos, sed etiam condempnatos.

VISIO SEXTA.

45 *Iniusta bonorum alienorum exactio et direptio quanta in purgatorio poena castigetur.*

In habitu canonico adhuc constitutus iuvenilique aetate a beatae memoriae Meginhardo Wurzburgensi episcopo[22] scribendi causa vocatus sum. Quo dum venissem, in ipso adventus 22 mei initio audivi ab hospitibus meis quandam visionem ibi noviter accidisse, quae Christi fidelibus intimata potest prodesse. Fuere namque ibi duo tribuni sub uno tempore sua pote- 50 state potiti, quorum unus Adalricus, alter vero, ut memini, Engilpertus est vocatus. Sed Engilpertus ancillam quandam habuit, quae in magna infirmitate diu posita tandem obiit. Qua defuncta dies altera expectatur, ut interim, quae sepulturae essent necessaria, praeparentur. Cum autem die crastina adveniente plebs non modica ad deportandum funus pro-

a) quadam 1.

55 22) 1018—1033. Cf. Chr. Wirzib. SS. VI, 30.

cederet, ecce subito defuncta iam iamque deportanda ad tumulum sese erexit: quod factum omnes, qui aderant, perterruit, putantes hoc potestate diabolica fieri. Sed quae revixit, errantes cito correxit dicens ad illos: „Nolite, quaeso, propter me aliquo errore seduci. Vere enim reviviscens illa sum, quae et prius, per Dei gratiam a morte revocata, ut vivis quibusdam eius mandata referam. Celeriter ergo vocate Adalricum, quia ad eum missa sum.“ Quo 5 vocato et astante dixit: „Pater vester Ruotpoldus[a] in poena maxima infernali constitutus misit me ad vos, ut pro Dei amore et eius relaxatione illum curtilem locum reddatis, quem causa iniusta ab illo usurpatum sciatis. Sed et hoc intimari vobis petiit, quia nisi ille locus ei, cui iniuste ablatus est, fuerit redditus, nec elemosina[b] nec ulla beneficia a vobis facta illum ab aeterna poena absolvere possunt. Pro eodem quoque mater vestra, quam in paradyso inter 10 multa sanctarum virginum milia constitutam, illuc translata, vidi, unice obsecravit, ut et vos et patrem a perpetuo cruciatu liberare curetis.“ Multa quoque alia, quae iam non recolo, de eadem muliere resuscitata mihi dicta sunt.

Hoc autem modo, ut audivi, ille curtilis locus iniuste fuerat a Ruotpoldo[c] ablatus. Erat namque in civitate quidam urbanus ita pauper, ut dominici census debita per unum vel duos 15 annos reddere nequiret. Cumque ob hoc ab eodem Ruotpoldo[d], quia magister eius erat, saepius facto concilio ad reddenda tripliciter vel amplius dominici census debita, quae statuto tempore non sunt reddita, cogeretur, et ille pro paupertate nec simpla dare posset, postremo necessitate nimia coactus, tum etiam eiusdem Ruotpoldi[e] avaricia impulsus, curtilem locum, qui ei[f] ex paterna hereditate provenit, quique, ut mihi dicebatur, prope basilicam 20 sanctae Helenae in plaga septentrionali iacet, traditione publica ipsi condonavit, sicque illa pericula, quae pro debitis sustinere cogebatur, evasit. Ruotpoldus[g] vero locum sibi traditum magnificis aedibus exornans post obitum suum reliquit filio Adalrico, quem ego etiam vidi. Sed idem Adalricus ea, quae sibi denuntiata vel mandata sunt a patre et matre defunctis, nullatenus implere voluit, eligens magis cum patre aeterna morte dampnari, quam tellure 25 parva privari. Huius visionis relatio etiamsi illi, pro quo specialiter facta est, non profuerit, aliis tamen, qui aliena rapere et in potestatem suam redigere nituntur, patefacta prodesse valet.

VISIO SEPTIMA.

Exemplum sacrilegi monasticorum bonorum direptoris, in altera vita puniti. 30

Huic quoque similem pene visionem hic adnectere volo, quam mihi notus quidam frater retulit nuper, qui hanc se a sancto Leone papa nuperrimo referente dixit agnovisse. Referebat autem hoc modo: quia cum praedictus papa in Germaniam venisset, et in loco quodam missam celebrans sermonem faceret de varia cenobiorum destructione per iniustam possessionum ablationem facta, postremo intulerit hanc visionem dicens: 35

„Ut ergo apertius agnoscatis, quanto reatu implicantur raptores iniusti, exemplum quoddam vobis memorabile dicam. Duo igitur fratres, cum simul pergerent equitantes, repente viderunt turbam magnam in aere non procul a terra commeantem. Qua de re valde mirantes atque trepidantes sanctae crucis signum sibi indiderunt, et adiurantes eos in nomine Domini, qui essent, interrogaverunt. Tunc unus ex illis tam in habitu quam equitatu strenuo militi omnino si- 40 milis transiens ad eos dixit: „Ego pater vester rogo vos suppliciter, ut illud praedium, quod scitis me a cenobio illo iniuste abstulisse, pro amore Dei liberationisque meae causa reddatis. Si enim non reddideritis, nec ego, nec vos, nec ullus posterorum idem praedium retinentium effugiet ignem perpetuum.“ Cui respondentes filii dixerunt: „Quomodo, pater, possumus relinquere tantam possessionem, qua nec tu in hoc mundo positus, nec nos post te carere vale- 45 mus? Sed nec ulla re videris indigere, qui in habitu satis ornato iam procedis.“ Ad haec pater ait: „Pro dolor! qualis est iste decor, quo hactenus utor. Ubicunque enim mihi contingit esse, intolerabili torqueor igne. Sed et omnia, quae visu, auditu vel tactu contingo, comburere me sentio. Et ut hoc ita esse absque dubio sciatis, hastam hanc, quam in manu teneo, apprehendite“, nam eam in manu ferre videbatur; moxque unus illorum probare vo- 50 lens, quae audivit, concitus eandem hastam arripere studuit. Sed priusquam coepta perficere posset, prae nimio calore dimisit eam. At pater antequam in terram cadendo pervenisset,

a) Routpoldus 1. b) elimosina 1. c) Rudpuldo *corr.* 1. Roudpoldo. d) Routp. 1. e) Rotpoldi 1. f) *add.* 1. g) Routp. 1.

celeriter sustulit dicens: „Scito, quod, si ipsam hastam proiecisses in terram, maiorem mihi exinde efficeres poenam.“ Deinde vero priora repetens dixit: „Iterum peto, filii mei, ut impleatis preces patris vestri.“ Quibus dictis nusquam comparuit imago colloquentis. Tunc iidem fratres instinctu divino correpti coeperunt inter se diligenter tractare super pater-5 na petitione dicentes: „Si retinentes praedium, quod[a] pater noster iniuste abstulit, ei non subvenimus, nos pariter procul dubio perimus. Quid enim proficimus, si mundum totum lucremur, animarum vero nostrarum detrimenta patiamur? Faciamus ergo, quod et patri et nobis prosit, reddentes in primis praedium ad hoc, unde ablatum fuerat, monasterium. Deinde omnia haereditatis nostrae bona illuc tradamus, nosque ibidem tam pro parentum, 10 quam pro nostrorum peccaminum venia monasticam vitam suscipiamus.“ Cumque huiusmodi colloquia agerent, subito pater non eo, quo prius habitu apparens, eorumque pedibus se advolvens dixit: „Gratias ago vobis, quia pro eo, quod firmiter decrevistis petitionem meam implere in reddenda possessione, iam iam per Dei gratiam deputatus sum a poenis ad requiem transire.“ Quo dicto iterum evanuit ex oculis eorum. At illi eo devotius citiusque pro-15 missa impleverunt, quo celerius patris absolutionem factam audierunt.“

Hanc igitur relationem praedictus papa ad populum faciens testatus est, se eosdem fratres in habitu monachico vidisse, et ab eis visionem istam audisse. Quam etiam ego audiens aliorum notitiae simul et aedificationi litteris pandere decrevi.

VISIO OCTAVA[b].

20 *Conflagratio monasterii Tegernseensis futura, cuidam ostensa.*

Ante annos quam plures visionem quandam audivi a monacho quodam venerabili mihique secundum carnem proximo in cenobio Tegrinseensi constituto. Cum enim ad praedictum coenobium ob eiusdem monachi dilectionem saepe quondam venissem, et cum eo interdum de spiritalibus rebus colloquens sedissem, solebat mihi referre dicens: „Priusquam 25 monasterium istud nuperrime arderet, et per nocturnas horas, quibus mihi secretius licebat orare pro peccatis meis, in ecclesia deambularem, saepe mussitationes[c] quasdam in ea fieri audiveram. Ego autem in primis quidem per[d] delusiones diabolicas hoc fieri arbitrabar. Postquam vero tanto sonorius, quanto frequentius fieri senseram, tractare coepi non ex diabolo, sed ex aliqua divinae pietatis dispensatione actitari: ideoque quantum ausus eram, propius, 30 ubi haec audivi, accedere studebam. Cumque aliquoties accederem, quasi aliquos psallentes et intime orantes audivi. Quo audito intellegens, quod pro aliqua periculi futuri causa permutanda et pro inhabitantium monachorum negligentia[e] emendanda sancti Deum precibus intimis exorarent, accessi ad abbatem[20]: et quia aperte de morum emendatione eum ammonere non audebam, petii tantummodo humiliter, ut ecclesiae thesauros librosque in loco 35 cauto poni iussisset. At ille haec audiens et ex aliqua somniorum revelatione dicta putans, increpavit me dicens: „Vobis gerontis nihil gratius dulciusque videtur esse, quam somniorum vestrorum nugas attendere, atque aliis referre. Numquid propter vestra somnia debeo evertere omnia? discedite a me, et videte, ne ultra a vobis audiam talia.“ Ego autem huiusmodi increpatione contristatus, nihil amplius ex his quae audieram propalare ausus fueram, sed 40 tacito corde dolens sustinui, veritus cottidie quod futurum erat. In proximo autem antequam arderet monasterium[21], in nocte quadam audivi iterum quasi aliquos orantes et suspiria crebra nec non singultus quosdam luctuosos proferentes ante sancti Quirini altare. Sed licet haec aperte audirem, et periculosum aliquid significare scirem, accedere tamen propius non praesumpsi. Unde claram diei lucem expectans accessi ad locum, ubi audivi 45 turbam moerentium, et inveni pavimentum adhuc madidum effusione lacrimarum. Tunc miratus simul et contristatus de tantae rei signo, lugebam omni modo, quod periculo tali nullatenus subvenire potui, quae tamen sub mea cura tenueram[f], diligenter contra pericula observavi futura.“

VISIO NONA.

50 *Negligentia abbatis Ellingeri a defuncto clerico reprehensa et castigata.*

Referam et aliud, quod postea in praedicto audivi contigisse monasterio eidem abbati,

a) *ita* 1. quo *edit.* b) *manu bibliothecarii addita* 1. *loco* Visio septima, *quae ibidem primo habebantur.* c) musitat. 1. d) *add.* 1. e) neglegentia 1. f) tenueram cura 1.

20) Ellingerum, teste visione nona. 21) a. 1035. Cf. Chron. Tegerns. apud Pez Th. An. Nov. III, 3, 510.

22 sub quo ardebat, qui etiam Ellingerus[22] est dictus. Nam cum diutius et semet ipsum et coenobium ageret commissum negligenter[a], in magnam incidit infirmitatem. Antea vero non longe defunctus est ibi quidam clericus nomine Duringus non solum magnae in saeculo dignitatis, sed etiam magnae apud Deum sanctitatis, qui, ut se penitus a saeculo secerneret, illic habitare elegit. Qui nimirum clericus abbati aegrotanti in visione apparens et eum in 5 latus percutiens, increpando dixit: „Cur ita neglegenter agis in rebus commissis? Si ergo non emendaveris, aliqua profecto dura quandoque sustinebis.“ Abbas autem evigilans diu quidem lateris patiebatur dolorem. Saepe etiam clamabat Duringum sui esse percussorem: ea vero, pro quibus increpatus et percussus est ab eo, parum emendabat. Unde etiam secundo depositus est ab abbatia. Haec itaque duo de Tegrinse dicta monachos simul et ab- 10 bates omnes ammonere possunt, ut adtendant in quanta solicitudine pro sua neglegentia sancti iugiter consistant, quantasque preces pro eorum salute emittant.

VISIO DECIMA.

De sancti Emmerammi monasterio. Diversa visa et dicta Adalberti monachi Emmerammensis morituri. 15

Nunc ad sancti Emmerammi coenobium relatio nostra redeat, et quas visiones exinde comperimus, proferat. Denique ante annos paucos defunctus est ibi quidam frater nomine Adelpertus inlustri quidem et nobili parentela ortus, sed quia adhuc erat iuvenis, atque sub eo tempore tam ob abbatis quam episcopi incuriam omnia disciplinae vincula in coenobio eodem laxata sunt, ipse etiam neglegens extitit in multis, sed orationi assiduae intentus erat. 20 Hic igitur infirmitate correptus multa atque miranda vidit non per somnia, sed visu vigilanti, quae fratribus coram astantibus intimavit: quorum pauca fratrum quorundam relatu audivi, 23 quia tunc ad monasterium Fuldense profectus[23], ibi praesens esse nequivi. — —

Inter haec namque bonae memoriae caesar Heinricus[b] huius parvuli regis modo regnantis Heinrici pater nisibus omnimodis tractavit, qualiter eundem locum a durissimo Pharaonis 25 imperio, id est ab episcopi potentia eriperet. Sed illo talia tractante praediaque quaedam ab episcopo Gebehardo[24] ablata restituente, postremo etiam propter amorem Dei et propter privilegia monasterii nostri interim inventa in regiam potestatem idem monasterium recipiente, quia pro dolor! nos monachi pro tanta gratia perficienda non solum solitas neglegentias non minuimus, sed etiam inter tot beneficia novum quoddam scelus addidimus, cre- 30 dentes scilicet absque labore aliquo sublimia posse mereri, sperantesque magis in humano quam in divino auxilio, repente spes nostra cecidit. Nam priusquam illa iam commemorata consummarentur beneficia a praedicto caesare, defunctus est, tantaque episcopi persecutio exinde super nos esse coepit, qualis nunquam antea fuit. Sicque verum fuisse probatur, quod ex fratris Adalperti visione praedicebatur. 35

VISIO UNDECIMA.

Visio cuiusdam mendici de Henrico III caesare, Gebehardo episcopo Ratisponensi etc.

Quidam mendicus in Ratispona erat cottidie sedens vel in ecclesia vel ante portas ecclesiae sancti Emmerammi, ut ab introeuntibus elemosinam peteret. Hic igitur ante paucos menses, quam praedictus caesar Henricus obiisset[c], in visione quadam plura vidit, quorum 40 pauca mihi relata aliis quoque referre volo. Visum namque est ei, quod a quodam praepotente transferretur in locum, ubi habitaculum instar candentis ferventisque metalli constructum erat nulla fenestrarum foramina retinens. Cumque a ductore inquireretur, si, qui intra habitaculum tale inclusi forent, sciret, seque nescire responderet, ille adiecit[d]: „Ibi,“ inquiens, „omnes sunt inclusi nuper defuncti, qui caesari Heinrico pacem undique patrare 45 studenti resistere praesumpserunt. Quamvis enim idem caesar in multis sit reprehensibilis maximeque in avaritia, tamen quia pacis commoda ampliare studet, Deum adiutorem in hoc habet: sed scito, quia non diu victurus erit, nisi se ab eadem avaritia abstinuerit.“ Deinde in campum spaciosum ferebatur, ubi puteus altus in medio esse videbatur. Ad quem puteum plurimarum viarum vestigia tendebantur, quarum una quidem callis triti, caeterae vero 50

a) neglegenter 1. b) Henricus 1. c) *ita* 1. abiisset *edit.* d) *ita* 1.

22) Monasterio praefuit ab anno 1017 usque ad annum 1026, quo officio suspensus est; anno demum 1031 idem regendum iterum suscepit, at 1041 denuo depositus est. Pez l. c. p. 509. 23) anno 1062. 24) tertio, episcopo Ratisponensi, qui anno 1060 obiit.

omnes antiquae solummodo profectionis indicia habere monstrabantur: ipse quoque puteus quasi exhaustus parum aquae habebat. Quibus visis ductor eius dixit ad illum: „Scisne, quid hic puteus exhaustus, quidve multarum viarum indicia pene iam deleta, quid etiam illa via una calle trito significet?“ „Nescio“, inquit. „Tu, rogo, mi Domine, mihimet dignare referre.“
5 At ille dixit: „Viae multae ad puteum quondam tendentes, sed nunc ita deletae, ut vix vel indicia eorum agnosci valeant, significant, quod sub temporibus pristinis multa elemosinarum studia agebantur tam a principibus quam a mediocribus, quae in tantam paucitatem modo redacta sunt, ut vix aliquis inveniatur iuxta priores elemosinas faciens. Idem etiam puteus significat exhaustus, qui quondam plenus undecumque venientes animas haustu facili
10 reficere potuit, nunc aridus in tantum constat, ut ipsum[a], quod in eo est, difficulter quis hauriat.“

Deinde assumptus est in montem excelsum, ubi monasterium excellens stare videbatur, ad quod similiter, ut ad puteum praedictum, vestigia plurimarum pertingebant viarum, quarum nulla nisi tantummodo una callis noviter triti monstrabat indicia: reliquae omnes ar-
15 bustis antiquitus inolitis ita sunt deletae, ut vix agnoscerentur ibi olim esse. Tunc ductor eius intimato primum monasterii vocabulo, quod mihi non convenit publicare, ne, dum generaliter omnes cupio aedificare, quosdam videar specialiter infamare, post haec subiunxit dicens: „Viae, quas ad monasterium istud olim quidem undique tendentes, nunc vero pene deletas excepta una aspicis, significant, quod plurimi quondam huc advenientes per omni-
20 moda disciplinae sacrae exempla aedificati recesserunt: nunc vero locus iste a malitia inhabitantium in eo in tantum adnullatus est, ut vix praecedentium patrum indicia hic remaneant. Maius enim studium fornicandi aliaque vitia agendi hic habitantes habent, quam ad divinae servitutis officia agenda.“

Pauper quoque praedictus vidisse se dixit arborem quandam molis magnae, quae ab
25 imo usque ad summam frondium arefacta est per medium. Quam cum videret, a suo inquisitus est ductore, sciretne, quem significaret Illo autem respondente: „Nescio.“ „Ista“, inquit, „arbor Gebehardum episcopum significat. Ille enim sicut arbor haec iam diu ex parte aruit. Quia vero post paucos annos ad integrum arescere debet, securi divina abscisus morietur.“ Huius itaque visionis veritatem citatus episcopi eiusdem et caesaris obitus probavit.
30 Nam cum inter illud pascha et pentecosten, quo in subsequenti autumno caesar tertio Nonas Octobris obiit, visio haec facta fuerit, et deinde paulo plus duobus annis episcopus supervixerit, vere praevisus est utriusque obitus. Dixit praeterea mendicus talia multa, quae non audivi, nec ab ullo noscere quivi[24*]: sed qui praedictis cupiunt intendere paucis, non parvam possunt exinde capescere causam aedificationis.

1056. Oct. 5.

35

VISIO DECIMA TERTIA.

Obstinati Iudaei sempiterna damnatio.

Homo quidam in Ratispona de inferioris monasterii familia infirmitate tenebatur. Ad quem dum plures visitandi gratia accederent, subito sursum aspiciens clamavit dicens: „O qualia iam video!“ Tunc ab adstantibus[b] interrogatus, quid videret, respondit et dixit: „Abra-
40 ham Iudaeum[c] video igneis catenis trahi in infernum.“ Cum autem de adstantibus[b] quidam haec verba pro insania magis quam veritate dicta esse arbitrarentur, iterum infirmus affirmavit dicens: „Si non aliter mihi credere vultis, mittite ad domum eius quaerentes, quid sit de illo nuperrime factum.“ Moxque missis nuntiis ad Abrahae domum, agnoverunt eum noviter esse defunctum. Ego vero, qui eundem Iudaeum[c] satis agnovi, id de illo veraciter at-
45 testari valeo, quia in tanta cordis malitia et insania constitit, ut si quisquam[d] praesente ipso loqueretur de domino nostro Iesu Christo, mox quasi canis oblatrans blasphemias nefandas contra Deum emitteret. Quamvis ergo brevis consistat visio talis, utilis tamen esse sentitur ad aedificamen illis, qui poenam dubitant restare futuram[24*].

VISIO DECIMA QUARTA.

50 *Quorundam etiam sanctorum purgatorium beati Guntheri discipulo Isaaco revelatum.*

A beato Gunthario heremita cenobium quoddam constructum est in Poëmia[25]. In quo videlicet cenobio fuisse fertur monachus Isaac dictus praedicti viri disciplina tanto magis 25

a) id ipsum 1. b) astantibus 1. c) Iudeum 1. d) quispiam 1.

24*) versus. 25) Brevnowe. Cf. Vitam Guntheri eremitae supra p. 279.

instructus, quanto prolixiora tempora gerebat cum eo conversatus. Hic igitur, ut a plerisque fidelibus in Ratispona agnovi spiritaliter raptus multa vidit miranda, quorum ad notitiam nostram pervenerunt haec pauca. — —

Quibus peractis sanctus Guntharius[a] rediit cum monacho ad locum, ubi primum inventus est ab eo, ubi etiam duo sedilia ignea videbantur posita, unum quidem maius altero. Sed beatus Guntharius referebat monacho maius episcopi Ratisponensis, minus vero episcopi Pragensis[26] esse, pro eo scilicet, quod ille prior habens plebem subiectam ad convertendum faciliorem, alter autem indoctiorem, neuter quicquam doctore dignum fecisset, et ideo uterque deputatus esset gehennae. Quae postquam vidit, subito excitus remeavit. — —

VISIO DECIMA QUINTA.

De caesare Henrico III, quomodo eius in audiendis pauperum causis et precibus negligentia a Deo punita fuerit[b].

Visionem quoque quandam terribilem et cunctis saeculi principibus verendam de caesare Heinrico proxime defuncto factam, quam in narratione praeterita, cum de eo quaedam visa referrem, oblitus eram apponere, iam volo dicere. Hanc autem a venerabili Humperto episcopo[27], illo videlicet, qui beati Leonis nuperrime papae comes iugis consiliariusque acceptissimus extitit, agnovi. Illo namque cum papa Victore in Ratispona posito[28], et ad eum multis confluentibus accessi etiam ego pro causa quadam, et audivi eum plura de huius saeculi insolentia et maxime de principum negligentia loquentem, inter quae addidit ista dicens: „Videtur mihi nulla maior regum vel aliorum principum culpa, quam quod pauperum querelam student contempnere. Solent enim pro dolor! imperatores vel reges nostri pauperibus causas necessitatis suae sibi referentibus nihil aliud solatii praebere, nisi tantum dicere: „Expecta, donec tempus congruum mihi veniat, quo tuas querimonias possim audire, teque a tuis persecutoribus eruere.“ Et ut haec ita esse sciatis, referam vobis visionem de illo, qui nuperrime defunctus est, caesare Heinrico, ex qua satis conicere potestis, quantum peccatum si pauperum causas negligere[c], et de die in diem ad regendum differre.

Eo namque tempore, quo iste noster papa, qui hic iam commoratur, mansit cum praedicto caesare Heinrico in partibus istis Germaniae[d], profectus est hic quidam ex principibus Romanis. Cum autem non longe ad illum locum, quo tunc papa cum caesare iam in extremis constituto mansit, haberet, in quodam vico hospitatus, ibi se sopori, utpote longo itinere fatigatus, in meridie tradidit. In quo videlicet sopore, ut postea evigilans retulit, eundem caesarem in solio regali residentem, nec non multa procerum turba circumdatum vidit. Ubi, cum plurima de lucris saecularibus disputarentur, subito quidam pauper advenit clamans ad caesarem et petens, ut dignaretur necessitatis suae causas audire et regere. At ille indignanter respondit dicens: „Expecta, stolide, donec tempus mihi concedatur audiendi te.“ Ad haec pauper: „Quomodo,“ inquit, „o caesar, hic diutius expectare valeo, qui hic per dies multos iam commoratus, omnia, quae habui, pro victu meo expendi?“ Cui iterum responsa dantur: „Vade, improbe, in odium Dei, et expecta, usque dum possim te audire. Nam tanta mihi cura modo alia audiendi et regendi, ut tu frustra me invoces.“ Haec ergo audiens pauper tristis abscessit. Moxque accessit et alius pauper, qui eodem modo, quo[e] prior, ad caesarem clamavit, sed similiter in vanum laboravit. Post pusillum quoque venit pauper tertius eadem narrans, eadem rogans, quae et anteriores. Sed et ille in vanum laborans discessit mestus, Domino mox talia questus[29]. Adhuc illo queritante et Dominum invocante vox de coelo sonuit dicens: „Auferte istum rectorem, et facite eum inter poenarum moras discere, quomodo pauperes valeant iudicia sua expectare: quae dedit, accipiat, quae sit dilatio discat[29].“ His dictis subito raptus est a conventu illo.

Interea vero, cum Italicus dormiens talia in somnis vidisset, intimatus est in eadem domo, qua hospitabatur, caesaris obitus. Cumque vigilans audisset omnes de eodem obitu flebiliter sermocinantes, nec tamen, quia linguam non noverat, sentire posset, interrogavit unum de suis comitibus linguae Teutonicae gnarum, quid tam luctuosa sermocinatio signifi-

a) Cunther 1. b) Visio de cesare Heinrico 1. c) neglegere 1. d) *post ab Othlono additum* 1. e) *ita* 1. ut *edit.*

26) Severi. Cf. Vita Gunth. l. c. 27) Silvae Candidae, qui a. 1054 a Leone IX legatus Constantinopolim missus est. Cfr. eiusdem libros adversus Michaelem patriarcham et Nicetam Pectoratum apud Canis. Lectt. ant. ed. pr. III, 112. 28) Ibidem a die 25. Dec. 1056 usque ad medium Febr. 1057 commoratus est. Vide Jaffé, Regg. Pont. p. 380—381. 29) versus.

caret. At ille respondit dicens: „Noviter, domine, cum tu somno deditus esses, nuntiatum est hic, quia caesar, ad quem tu volebas pergere, defunctus sit. Pro hoc ergo tristantur cuncti, super hoc sunt tanta locuti.“ [29] „Et mihi“, inquit, „modo dormienti de obitu eius quaedam per visionem revelata sunt.“ Statimque suis eandem visionem, quam praefatus sum, retulit, et 5 ad defunctionis eius locum quantocius properavit. Praedictus igitur princeps Italicus talia mihi in eodem tempore nuntiavit. Unde nimis invocandus est Deus, ut misereatur nobis dando principes tales, qui et se et sibi subditos tam pauperes quam divites regere valeant. Nam in isto parvulo rege nostro per multa tempora pro dolor! nil regiminis habere possumus.“ Haec itaque egomet a praedicto venerabili Humperto episcopo referente agnoscens 10 aliis quoque ad aedificationem credidi esse intimanda.

VISIO DECIMA SEPTIMA.

Theophaniae imperatricis ob luxum vestium in purgatorio poenae.

Reminiscor adhuc cuiusdam visionis, nescio a quo mihi quondam relatae de Theophanu imperatrice. Sed cum sensum sermonemque dicentis certissime retinerem, et quod 15 non ob aliud, nisi ad aedificationem dixerit, sciam, nescio quid mihi obsit, quod persona referentis a memoria excidit. Dictum namque est mihi, quia praefata Theophanu cuidam venerabili Deoque dicatae virgini in habitu miserabili apparuerit per visionem, eamque, ut pro se oraret, suppliciter petierit. Quae dum interrogaretur, quis esset, respondit dicens: „Ego sum Theophanu, quae olim de Graecia veniens in Franciam coniuncta fueram connu-20 bio [a] caesaris Ottonis.“ Ad haec virgo: „Et quomodo“, inquit, „nunc tua res sese habet?“ Respondit: „Pessime, quia in maximo tormento posita sum.“ „Quare?“ ait. Iterum respondit: „Quia videlicet multa superflua et luxoriosa mulierum ornamenta, quibus Graecia uti solet, sed eatenus in Germaniae Franciaeque provinciis erant incognita, huc primo detuli, memeque eisdem plus quam humanae naturae conveniret circumdans et in huiusmodi habitu no-25 civo incedens, alias mulieres similia appetentes peccare feci. Haec sunt enim mea peccata maxima, pro quibus merui aeternam dampnationem pati. Quae nimirum peccata tanto graviora fuere, quanto minus ea vel esse peccata existimavi. Nam si talia scirem esse peccata, poenitentia utique diluissem aliqua. Nunc ergo quia mihi divina gratia concessum est, ut tibi apparens, et peccata mea et tormenta, quae pro his patior, intimarem [b], tu pro amore Dei 30 in oratione tua memento mei. Scio enim, quia quantascunque meruerim poenas sustinere, pro eo tamen, quod in fide catholica perseveravi, si aliqui servi Dei pro me constanter orare vellent, de dampnatione perpetua liberare possent.“ His igitur dictis discessit imago loquentis [29]. Quid vero pro causa petit afecerit virgo, cui revelata est haec visio, scire nequeo. Ego tamen eiusdem visionis dicta recolens ob hoc scribere hic decrevi, ut aliqui ista agno-35 scentes pro imperatricis praedictae absolutione Deum exorare, seque, ne similia patiantur, studeant emendare.

VISIO VIGESIMA TERTIA.

Ecclesiasticis bonis vi vel fraude direptis demon ditatur et delectatur.

Mirum quoddam nuper audivi, quod licet inter visiones suprascriptas nequeat computari, 40 tamen quia aedificationem magnam conferre potest omnibus, qui delusiones diabolicas cupiunt evadere, volo hic scribere.

Dictum namque mihi est, ut recolo, quia cum in Saxonia nuptiae cuiusdam praepotentis essent agendae, et ad has histriones [c] multi, sicut vulgo solent, properarent venire, quidam histrio [d] et fama et dignitate caeteris praestantior, nomine Vollarc, simul properavit. Sed ne 45 tantae dignitatis vir solus pergere videretur, acquisivit sibi alios eiusdem artis gnaros octo, et cum eis quasi militibus stipatus ad nuptias profectus est. Cumque simul equitantes pergerent, contigit, ut et diabolus in similitudine celebris personae se coniungeret equitando, illis nil minus quam factum hoc arbitrantibus. Unde et simul pergentes omnia, quibus noti et familiares uti solent, verba conferebant. Sed et hoc exquirebant ab eo, quod illi nomen 50 esset. At diabolus respondit dicens: „Nithart vocor“, quod Latina lingua odiosus vel valde malignus dici potest. Et merito tali nomine sese dicebat nuncupatum, a quo odium omnisque malitia venit in mundum.

a) conubio 1. b) *ita* 1. intimare *ed.* c) hystriones 1. d) hystrio 1. 29) versus.

Veruntamen nec Vollarc nec eius comites per nominis huius indicium attendebant, quem conviatorem haberent. Sole autem ad occasum appropinquante coeperunt tractare, ubi nocte illa potissimum valerent manere. Tunc diabolus: „Si“, inquit, „mecum proficisci volueritis, dabo cuncta necessaria vobis. Est enim contigua domus et habitatio mea. Sed in hoc sollicite vos debetis observare, ut quia servos et milites nequissimos habeo in domo mea, nullus vestrum in aliquo negotio vel colloquio se commisceat illis.“ Hanc igitur promissionem et admonitionem[a] fideliter factam credentes libenter audierunt, et secum proficisci, quocunque ipse vellet, decreverunt. Moxque ipse diabolus quasi dux itineris praecessit, et eos in vallem quandam magnae longitudinis deduxit.

Deinde vero cum iam magis ac magis nox tenebrosa immineret, duxit illos in sylvam[b] densissimam: in qua aliquamdiu[c] profecti subito viderunt plurimos sibi cum lampadibus et facibus honorifice occurrentes. Inter quos etiam nonnulli, qui videbantur splendidis pretiosisque vestibus induti, prorumpebant certantes, quis eorum prius equos vel ipsos susciperet, et ad hospitia omnigenis necessariis referta deduceret. Postquam vero omnia, quae hospitibus grata et necessaria esse solent tam in se quam in equis pascendis copiosissime exhibita sunt, convocabantur ad principis domum. Qui statim advenientes iussi sunt considere. Deinde mensa praeparata itur ad coenam, in qua optimi generis fercula et pocula nonnisi aureis vel argenteis vasis afferri videbantur. Sed et ipsius domus parietes atque laquearia palliis cortinisque pretiosissimis circumdata monstrabantur.

At Vollarc eiusque comites licet de his omnibus mirarentur, et in veritate facta arbitrarentur, memores tamen praedictae admonitionis, quae magis ex gratia divina quam provisione diabolica evenisse credenda est, sub omni disciplina sese continuerunt. Cumque coena peracta videretur, ad cubitum ire iussi sunt, equisque suis abundans pabulum praeberi iubebatur. Altera autem die mature surgentes et ad principem venientes petierunt, ut ad praedestinata loca ire permitterentur. At ille: „Non“, inquit, „hodie, sed cras vos proficisci permitto, et tunc cum donis[d] talibus, quae et me decet dare, et vos suscipere. Hodie enim volo nobis sit communis laetitia, commune convivium, ut postmodum aliis enarrare valeatis, quae sit et gloria mea, et quae gratia vobis sit a me exhibita.“ His auditis nil contradicere praesumpserunt, sed ita, ut iussi sunt, fecerunt, necdum sentientes diabolicae delusionis potentiam.

At ubi prandii tempus adesse videbatur, et mensa ponebatur, tanta multitudo servientium, talis ciborum apparatus, tanta vasorum insignium copia erat, ut vix apud reges ditissimos huic simile inveniretur. Cumque Vollarc esu potuque satis percepto hilarior effectus sibi videretur — nam omnia visa potius quam gesta sunt — assumens fiduciam, ut histriones[e] solent, interrogat diabolum dicens: „Si, domine, praesumerem, libenter te pro quadam re interrogarem. Valde namque miror, unde venerit tibi tanta copia auri atque argenti aliarumque rerum, quas non solum in cibo et potu, sed etiam in omnigenis ornamentis plus coram te video, quam coram principe ullo vidissem appositas.“ Cui respondens diabolus dixit: „Noli ergo in hoc mirari, quia omnia bona, quae vel ecclesiis et monasteriis sanctis vel pauperibus et viduis vel cuiquam iniuste rapiuntur, mea sunt, meaeque potestati subiciuntur.“ Quo audito Vollarc obstupuit, et nimio pavore contremuit. Veruntamen ne aliqua diaboli suspicione ipse pavor agnosceretur, continuit se ab omni tristitiae habitu, et hilari constitit vultu, sola fide et intentione Deum invocans.

Finito autem huiusmodi convivio, et universis circumquaque sedentibus, Vollarc etiam egressus est, et comites suos clam convocans ait: „Vae nobis miseris, quoniam venimus in foveam perditionis. Iste enim princeps, qui nos huc tantopere secum ducens hospitio recepit, quique hodie tantam potentiae suae gloriam nobis ostendit, ipse pro certo diabolus est. Unde, quaeso, commendate vos Deo, tota mente supplicantes, ut recordatus misericordiae suae hinc nos eripere dignetur. In omnibus tamen estote cauti, ne plus solito tristiores videamini. Sed iam cito ad eum revertamur, ne diutius hic simul stantes videamur.“ Moxque ingressi domum convivii eodem quo prius habitu et animo apparuerunt. Deinde interrogati, si quid vellent plus bibere, responderunt se velle. Cumque allato poculo se satis bibere simulassent, Vollarc petiit diabolum, ut se suosque sequaces abire permitteret. At ille: „Non modo“, inquit, „sed cras abire permitto. Hunc enim diem totum[f] laeti et convivantes debemus

a) ammonitionem 1. *semper*. b) silvam 1. c) aliquandiu 1. d) *ita* 1. domis *ed*. e) hystr. 1. f) *add*. 1.

simul perducere. Sed et dona, quae vobis promisi, hodie sunt danda, ut cras, quantocius vultis, abire valeatis."

His igitur dictis, licet formidolosi, consenserunt promittentes omnia secundum eius imperium semet facturos. Facta autem vespertina hora videbantur afferri coram diabolo multifaria dona tam in aureis quam argenteis vasis, quam in vestibus eximiis. Quae omnia ille singulis laetanter distribuit, et ad hospitium ire permittens dixit: „Ecce omnia, quae vobis promisi, iam satis implevi. Ad haec etiam, quod solum restat, faciam vos cras deduci in viam itineris vestri." Moxque adstantibus quibusdam dixit: „Cras, hora qua ipsi voluerint, ducite hos hospites in illum locum, ubi se recognoscant huc divertisse." Quae postquam dicta sunt, Vollarc eiusque sequaces egressi sunt ad hospitium invisum, praestolantes vix mane futurum. Nam licet viderentur muneribus ditati, cibo potuque repleti, maxima tamen cura impediebat eos quiescere: ideoque tota nocte illa clamaverunt ad Dominum, ut de necessitatibus eorum liberaret eos.

Mane igitur facto venerunt duces itineris, et ducentes eos in locum, ubi se recognoscebant, dixerunt: „Nunquid adhuc in viam notam venistis?" At illi dixerunt: „Utique. Iam enim satis agnoscimus, quo pergere debeamus." Porro duces missi nusquam sunt postea visi. At Vollarc eiusque comites tantam mox infirmitatem prae inedia et in se et in equis suis sentiebant, ut vix ultra progredi valerent. Quaerentes etiam dona in sarcinis reposita nihil invenerunt nisi quaedam aranearum texta. In qua nimirum causa verum esse probatur, quod Dominus in euangelio dicit de diabolo: *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur. Quo nihil est peius, quia mendax et pater eius*[28*]. (Ioan. 8, 44.)

Haec quicunque legit, hinc cautior esse valebit
Adversus varias daemonis insidias.

EX OTHLONI LIBRO DE TEMPTATIONE CUIUSDAM MONACHI[a].

Haec igitur[b] clericus supradictus scripsit, ut his, qui in conversionis initio sacram scripturam legere cupiunt, ostenderet, qualiter immensam[c] diabolicae fraudis astutiam, qua omnes eandem[d] scripturam legentes impugnare solet, agnoscere et praecavere, qualiterque etiam divinae inspirationis gratiam agnoscere et invocare debeant. Scripsit et idem clericus multa alia, quaedam quidem dictando, quaedam autem alio modo, quae scilicet utraque subsequenter pandere volo; sed dictata prius, post haec quoque cetera pandam[28*]. Sic[e] ergo incipit scribere de librorum dictamine.

Quia igitur alternis uti delectabile est, non solum ob depellandum taedii molestiam, sed etiam ob recreandas animae et corporis vires studui quondam dicta diversae qualitatis scribere, sed nunc reserare libet quae scripserim. Tres nâmque libellos diverso tempore diversoque stilo edidi in primis, quos volui in unum volumen quasi ad unam convescentium mensam colligere, instar videlicet trium pulmentorum, quae nobis sanctus pater Benedictus coenantibus largiri iubet in Regula; ut qui ex uno nequiverit refici, ex alio reficiatur. Confido itaque in Domino, quia omnis[f] spirituali cibo delectatus in aliquo illorum inveniat, per quod spiritualiter refici valeat. Sed haec de omnibus generaliter sint dicta. Nunc vero reserare cupio, quae causa fuerit singulos scribere, ut lector aliquatenus exinde instructus noverit, me nequaquam frustra in talibus desudasse.

Primum ergo libellum metrice prolatum, cui imposui titulum de spiritali[g] doctrina[29],

a) *hunc titulum quem teste Mabillonio l. c. p.* 108 *vetustus codex praeferebat restitui.* b) *ita* 2. Hoc ideo *edd.* c) inmens. 2. d) eamdem *edd.* e) *ita* 2. Si *ed.* f) *ita* 2. omni *ed.* g) spirituali 2.

28*) versus. 29) ap. Pez l. c. p. 431—475, ex quo praefationis finem et fragmentum c. 14. afferre lubet:

Quandoquidem noviter mundana relinquere discens
Quod vel versificando aliquid fruor arte priore,
Hoc fateor faciam magno non absque timore.
Sed quia non aliter sensum modo promere possum,
Atque opus est variis memet constringere curis,
Ne male torpentem seducant otia mentem[a].
Si quid erit pravum sacra verba retexere metro
Id Deus, ut spero, sub culpa fert leviori:
Quin magis ex toto, quo dimittet, precor ipsum.
At te suppliciter posco, qui legeris ista,
Si quam reperias hic esse superfluitatem,
Quae sit seu metro vel in ullo crimine facta,

a) *Versus* Atque opus — mentem *ab Othlono post* 4. *inserta sunt.*

scribere huiusmodi erat causa. Cum enim quondam ex infirmitate maxima convalescens, ad monasticae professionis vitam venissem, tunc in brevi, plus quam credibile sit, factus sum sospes; ex qua sospitate veritus ne aliquod dampnum spirituale mihi oriretur, prece Dominum intima rogavi, ne me in tanta sospitate positum otio inutili torpescere, sed aliqua temptatione, quam mihi congruere sciret, pulsari permitteret. Post hanc orationem non multum temporis 5 fluxit, et ecce variae temptationum molestiae accedentes in tantum me circumdederunt, ut et incaute me orasse, et magis ad interitum quam ad proventum exauditum esse aliquando 1Cor.10,13. vererer. Sed saepius retractans illud apostolicum: *Fidelis Deus, qui non patietur vos temptari supra id quod potestis, sed faciet cum temptatione proventum ut possitis sustinere;* laboravi, non quantum debui, sed quantum fragilitate mea permittente ipsoque Domino adiuvante potui, 10 ne in conspectu adversariorum meorum corruerem. Ideoque in tanta molestia temptationis, quae eo magis imminebat, quo maior sospitas corporalis inerat, omnimodo tractare coepi, quali studio qualique labore corpus spiritui subicerem. Nam ea quae communiter cum ceteris fratribus in coenobio agere docebar, sed et illa quae speciali devotione scribendo vel[a] legendo seu etiam ieiunando sponte subii, non satis affligere corpus videbantur. Cumque diu 15 tractarem, quo potissimum studio memet in tantis periculis constitutum aptissime iugiterque constringerem, occurrit animo ut in dictamine me occuparem aliquo; quia[b] et saepe expertus sum, mentem lascivam cuiuslibet scholastice instructi in nullo posse magis[c] constringi quam studio dictandi. Huiusmodi igitur occasione accepta, libellum primum scribere coepi metrico scilicet stilo, quo maxime in saeculari vita positus me exercebam, ponens in eo varias spiri- 20 tualis doctrinae sententias, quibus me solummodo contra temptationes imminentes instruens roboravi. Et ut[d] pravitatis meae quantitatem, quam cum ceteris clericis communiter in mundo exercebam, pertinaciamque, quam specialiter prae multis ibidem retinebam, magis attenderem, atque litteris expositam maiori poenitentia[e] diluendam agnoscerem, inserui in eodem etiam[f] libello sermonem quendam lamentabili stilo editum, prius quidem disputans de diversa 25 30 clericorum negligentia[g] necnon avaritia[h. 30], deinde narrans de miserabili improbitatis meae vindicta, tam spiritualiter quam corporaliter patrata. Ignorabam enim tunc, si quo loco postea[i] proferenda forent huiusmodi dicta, quae licet in medio[k] sint posita, post cetera tamen, cum me aliquid perspicaciori intuitu agnoscere coepissem, a me constant edita. Hunc sane libellum[l], quia metricis prolatus est verbis, quae pueris et intrantibus ad discendas litteras a 30 multis primitus exhiberi solent, in primis quoque ponere decrevi, ut ex hoc quilibet ad veritatis viam conversus sumat quasi prandium conversioni suae congruum, sicque leviori cibo refectus ad lautiores dapes sacrae doctrinae capiendas aptior accedat.

Librum vero visionum, licet post duos scripserim, in ordine tamen secundum ideo posui, ut illa doctrina quae in priori libello variis prolata est sententiis, in hoc quoque variis[m] corro- 35 boraretur exemplis; eoque[n] tenacius praemissa animo inhaereant verba, quo[n] maiori testimonio tam pietatis quam severitatis divinae in subsequentibus commendantur, in morem videlicet lautioris cibi, qui primo aqua pura coctus, deinde aliqua aceti vel etiam piperis adiectione accuratius praeparatur. Sola enim lenitatis verba in docendo prolata, quasi quidam cibi in sola aqua excocti possunt intelligi; sed cum dehinc aliqua severitatis exempla admi- 40 scentur, velut amaro aceti seu piperis additamento condita fercula, ut suaviora efficiantur, non incongrue intelliguntur. Apparet igitur, quia sicut cibus tam amaris quam suavibus condimentis coctus avidius sumitur; ita et doctrina blandimentis quidem inchoata, sed deinde alicuius severitatis commixta exemplis studiosius auditur. Unde et apostolus doctorem quem- 2 Tim. 4, 2. libet instruens ait: *Argue, obsecra, increpa,* id est blandimenta terroribus admisce. His igi- 45

a) *ita* 2. aut *ed.* b) *ita* 2. quod *ed.* c) magis posse 2. d) *ita* 2. rob. aut pr. *ed.* e) penit. 2. f) *deest* 2. g) neglegentia 2. *semper.* h) avaricia 2. i) *add.* 2. k) *ita* 2. modo *ed.* l) Hunc sane libell. *desunt ed.* m) variis quoque variis 2. n) *ita* 2. eaque — quae *ed.*

Hanc propriae causa mercedis rectius aptes.
Saepe magis sensus quam metri iura secutus
Legem syllabicam paulisper discutiebam,
Lector ad extremum precor hoc quam maxime solum.
Quatenus Othloni quandoque velis memorari,
Qui licet indoctus haec sum componere nisus. — —
Quid mihi tunc Socrates, vel Plato Aristotelisque,
Tullius ipse rhetor, mundanae dogmatis auctor?
Dic quid enim misero mihi tunc prodesse volebant?
Quos si non legi, per tempora multa cupivi,
Affectuque ipso discendi adii loca quaedam, 50
Quae pro mundanis mihi cultibus optima duxi.
Sed me praeveniens Domini clementia ubique,
Quam prius exposui, ratione retraxerat inde.
Illa tripertita Maronis etc.
quae supra p. 376 ad n. 11. dedimus. 30) Sermonem *ad avaros* innuere videtur. Pez Thes. III, 2. p. 475. 55

tur praelibatis de secundi ordine libelli, iam vero subiungere volo, ubi et qua occasione scriptum fuerit. Cum ergo monasterium nostrum in urbe Ratispona constitutum varia episcoporum persecutione destrui viderem, ibique per triginta annos meliora sperans subsisterem, occulto Dei iudicio longe aliter quam sperarem evenit. Qualiter autem destructio tanta evenerit, quia nec breviter proferri valet, nec ineptias tantas hic exponere libet, aliis proferenda relinquo, hoc solummodo enarrans, quia cum exteriora et interiora monasterii nostri commoda penitus destrui sensissem, et contra haec nil praevaluissem, quin immo a fratribus quibusdam iuvenibus, quibus displicebam, apud episcopum[31] accusatus, varias mihi minas ab illo illiusque familiaribus agi saepius audissem; tunc petita ab abbate licentia, ad monasterium Fuldense, quasi cito reversurus, perrexi. Verumtamen non dubito, quin tantam destructionem nemo in nos agere posset, nisi iusto Dei iudicio peccatisque nostris exigentibus permissus; quod scilicet exinde palam datur intelligi[a], quia in ipso discessionis meae anno, qui erat ab incarnatione Domini 1062, miserando semperque lugendo igne combustum est coenobium nostrum[32]. In Fuldensi igitur monasterio positus, et optatae tranquillitatis atque caritatis dono ibidem potitus, frequenter tractavi, qualiter pro eiusdem tranquillitatis gratia Deo, a quo mihi data est, grates referrem. Magnum quippe mihi tunc videbatur, in eodem monasterio pacifico incessu posse deambulare, qui[b] in monasterio meo per multum tempus nec in lecto sine metu mortis potui quiescere[b]. Quapropter animum ad deferendas Deo gratias omnino convertens, et si qua dictandi materia apte occurreret diutius exquirens, reperi tandem quandam dictandi occasionem, visiones[33] videlicet, quas et ego quondam vidi et ab aliis per loca diversa profectus audivi. Has namque ad multorum notitiam deferre ideo utile esse arbitrabar, quia credo ad omnes homines pertinere, quoties quilibet visitatur a Deo, aut[c] per castigationem, aut[c] per consolationem, sicut et ipse in euangelio dicit: *Quod uni dico, omnibus dico.* [Marc. 13,37.] Incitabar etiam ex hoc ad scribendum, quia cum olim libellos duos ediderim, tertium pro sanctae Trinitatis honore, si ipsa Trinitas dignaretur inspirare, saepius optavi addere. Tali itaque causa incitatus, librum visionum, de quo iam locutus sum, scribere studui.

Tertium vero libellum, quem ante annos 15, ut reor, scripsi, cur in extremo ordine posuerim primo dicendum, deinde qua causa scriptus fuerit subnectendum. Quia enim multorum accuratis epulis coenantium mos est, ut in prima et secunda vice viliora quaeque fercula — quae non ideo viliora dicimus, quasi sint vilia, sed quod sint optimis inferiora — in extrema vero lautiora et aliqua arte praecipua cocta sibi apponere iubeant, cupientes in hoc non tam suae gulae quam aliorum, qui forte invitati sunt ad convivium, delectationi et honori deservire: ego econtra simile aliquid moliter[d] volui in extremo aliqua lautioris sententiae verbula ante faciem legentium, quasi ad mensam convescentium ponere, quae quilibet lector avidus, licet indigno stilo edita, generosae tamen materiae dignitatem retinentia, pro dapibus lautis potuisset gustare. Nam quae sententia lautior et suavior valet esse quam de gratia Dei, et cur credenda dicendaque sit gratia, iudicia quoque quam vera iustaque et necessaria sint, sed et quantam bene agendi facultatem a Deo concessam habeamus, nisibus totis inquirere atque pluribus testimoniis approbare? Haec quippe tria per trium quaestionum solutiones in illo libro, quem in tertio locavi ordine, stilo quo potui per dialogum protuli, numero scilicet et ordine tali desiderans sanctam Trinitatem venerari. Sed et in hoc eandem Trinitatem venerari studebam, quia in tertia quaestione, quam velut fercula quaedam praecipua ritu sagaci contexta et allata in extremo ad lectionis coenam considentibus apposui, de ipsa sancta Trinitate et Unitate iuxta intelligentiae meae vires brevi et aperta probataque, ut spero, variis exemplis et argumentis ratione disserui. Spero etiam me in eodem libello omnibus, tam in saeculari quam spirituali vita positis, aliqua aedificationis verba protulisse, per quae quilibet esurientes et sitientes iustitiam refici possunt. Haec quidem de libri extremi ordine sint dicta, cui titulum imposui de tribus quaestionibus[34], id est de divinae pietatis agnitione, iudiciorumque divinorum diversitate, necnon de varia bene agendi facultate. Deinde vero subiungimus qua causa fuerit scriptus. Quidam namque monachus de Augiensi coenobio, nobilissima Alemannorum stirpe ortus, nomine Heinricus, cum ab Ierusalem[e] re-

a) intellegi 2. b) qui in — quiescere *desunt ed.* c) vel 2. d) *ita* 2. inoliter *editt.* e) Hierusalem 2.

31) Gebehardum III. Ratisponensem, de quo etiam in visione XI. egit, supra p. 382. 32) Cf. Ann. S. Emm. min. SS. I, 94. a. 1062: *Combustio coenobii S. Emmerammi Idibus Aprilis.* 33) apud Pez l. c. pag. 547—613; supra pag. 378—388. 34) apud Pez l. c. pag. 134—256.

verteretur, apud nos aliquandiu hospitatus est. Hic ergo quia in sacra scriptura satis studiosus fuit, me frequenter quasi doctorem adiit, suppliciter rogans pro quibusdam sacrae scripturae sententiis, ut eas sibi exponerem. Ego autem humilitatem atque importunitatem petitionis eius attendens, prout potui, ad quaeque rogata respondi. Cumque haec collatio saepius inter nos habita sibi placeret, postremo illud deposcere coepit, ut eandem collationem litteris ex- 5 ciperem; quod licet diu tam pro desidia quam pro ignorantia differrem, aggressus sum tandem, scribens quidem per dialogum, sed sine titulo auctoris et absque personarum notarum litteris, ne facile pateret cuius opus esset. Inter haec vero ille ad monasterium suum vocatus proficiscitur, et post non multum tempus ad nos iterum revertitur. Tunc videns quae scribere coepi, qualiterque ea adumbravi, unice petiit, ut et causam scribendi illustrarem[a] pro- 10 logo, et utriusque personae, mei videlicet ac sui, memoriam patefacerem in dialogo; quod mox, ut poteram, scribens implere studebam. Haec igitur causa dialogum me scribere 35 fecit[35]; quam idcirco reseravi, ne videar frustra scriptis alia addere scripta; utque cognita caritate qua impellebar[b] ad scribendum, quilibet in quorum manus iste liber venerit, eadem caritate incitentur ad legendum. Haec sint dicta de supradictis libris, quos in unum com- 15 ponere volui. Nunc etiam libet pandere qua causa studuerim alios libellos scribere.

Cum igitur persecutionem, quam in monasterio nostro, ut supradictum est, passus eram, fugiens ad Fuldense monasterium venirem, ibique per annos quatuor cum tranquillitate magna commoratus viderer, dictandi scribendique studium frequentare postulabar a 36 quibusdam eiusdem monasterii fratribus, ut sancti Bonifacii vitam[36], difficili stilo editam, 20 aliquid facilius ederem; quam petitionem, licet diu denegarem, postremo tamen compulsus importunis precibus, ut potui, quod petitus eram implevi. Causa ergo tali librum sancti Bonifacii promptus scripsi. Alium quoque libellum quem appellavi Manualem[37], pro ammo- 38 nitione clericorum et laicorum scriptum ibidem positus edidi. Item libellum Proverbiorum[38]

a) inlustr. 2. b) *ita* 2. impellebat *ed.* 25

35) Initium subiungo Pez l. c. p. 143: *Appetis, Heinrice mihimet specialis amice, ut illam confabulationis nostrae ratiunculam, quam de pietate divina rebusque aliis fecimus quondam, literis more dialogi inter nos habiti exponam. Quam petitionem ex parte devotus, et ex parte studeo implere invitus. Devotus quidem ideo, quia prae mortalibus multis charitati tuae gestio parere. Invitus autem; quia, sicut a me accepisti, ipseque legendo probasti, eandem rationem sine proemio, sine authoris titulo volui proferre, ut, si forte quispiam invidiae vel detractionis peste captus, dicta huiusmodi rugosa ut solet fronte torvaque facie legendo adiret, nesciens quem operis huius auctorem persequeretur, invidendo vel detrahendo levius insaniret. Invidis namque et superbis pene erit inevitabile, ut cuiusquam notae vilisque personae scripta vel dicta absque irrisione possit agnoscere. Unde precor, ut, quia votis tuis obtemperans per alternantes dialogi personas, nominis mei mentionem cogor facere, tu quoque digneris hoc omnino providere, ne parvitatis meae verbula, ad aedificationem humilium solummodo prolata, invidorum et superborum fiant ludibria. Haec igitur dixi propter quorundam insolentiam. Si quid vero in his desipui, ignoscant quaeso mihi. Deinde omnes, qui haec legere vel audire dignantur, obsecro unice; ut, si quid hic sapientiae sale conditum reperiant, Deo gratias referant, qui, quando vult, brutis quoque animalibus loquelam praestat congruam, mihique, qui nil ex me, sed ex eius dono haec protuli, hoc beneficii munus impendant, ut pro peccatis meis intercedant. At si quid inepte vel inique prolatum agnoverint, quod etiam sanctis patribus legitur evenisse, imperitiae magis quam malitiae meae deputent, ideoque sic noxia resecent, ut utilia non condempnent. Scio enim, quia tam sanctam tamque arduam materiam nullo stylo aut sermone congruo promere potui. Verumtamen ideo utcunque proferre studui, ut a peritis aliquibus proferretur in melius.*
36) Mon. SS. II. p. 357. 37) Vide libellum ma- 30 nualem de admonitione clericorum et laicorum apud Pez 403—428. 38) apud Pez 485—536. Ex prologo haec damus p. 487: *Proverbiorum autem hic collectorum dictis parvuli quilibet scolastici, si ita cuiquam placeat, possunt apte instrui post lectionem* 35 *psalterii. Sunt enim multo brevioris et planioris sententiae, quam illa fabulosa Aviani dicta; sed et utiliora, quam quaedam Catonis verba, quae utraque omnes pene magistri legere solent ad prima puerorum documenta, non attendentes, quia tam parvulis* 40 *quam senioribus Christi fidelibus sacra potius quam gentilia rudimenta primitus sint exhibenda, ut in his aliquatenus instructi, postea saeculares litteras arti grammaticae congruas securius discant. Nam licet parvuli minus idonei sint discernere inter bonum et* 45 *malum, facilius tamen et tenacius eis inhaerere solet malum quam bonum. Ideoque qui studiosi esse velint pro bono instruendorum parvulorum exitu, studeant etiam aliquid pro bono eorum introitu, id est pro discendi initio, sciantque, quia difficillimum est* 50 *homini recedere a malo, quod usu comprehendit diuturno. Praeterea attendendum est, quia cum Deus prospiciat super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum, cernit etiam quae sit cura vel*[a] *intentio magistrorum in doctrina discipulo-* 55 *rum, utrum eos doceant pro appetenda et obtinenda gloria saeculari, an pro spirituali.*

Haec vos discipuli, pariterque notate magistri,
Haec rogo devote pueri et iuvenes legitote.

a) *ita* 5. et *editt.* 60

in eodem monasterio positus scribere coepi. Cum autem assiduis epistolis per monasterii nostri fratres quosdam revocatus ad patriam nollem cito reverti tam[a] propter persecutionem supradictam quam[a] propter[b] illorum fratrum, inter quos tunc commorabar, petitionem, — omnimodis enim precibus ut illos non desererem efflagitabant — vix tandem ab illis
5 remeandi licentiam obtinui.

Verumtamen ad monasterium nostrum prius pervenire nolui, quam indiciis aliquibus explorarem, qualiter omnia agerentur ibidem. Qua de re ad monasterium Amarbach dictum perrexi, cupiens illic exspectare, quousque certus fierem de suspecta[c] monasterii nostri qualitate. Cumque ab eiusdem monasterii abbate susceptus omni humanitate et pietate retinerer,
10 et de sacrae scripturae quaestionibus multis inter nos sermo assiduus ageretur, placuissetque ei saepissime responsio mea, accidit ut iuxta paschalia festa dixisset ad me: *Credite mihi quod si vobis praecipere aliquid possem, absque dubio praeciperem, ut in hac sollempnitate proxima sermonem faceretis ad populum.* Cui ego respondi dicens: *Cur talia dicitis ad me, qui nihil huius rei scio, qui numquam consuevi populum alloqui in publico?* Illo vero eadem
15 repetente, coepi mox cogitare intra me dicens: *Quid facerem, si aliquis, cuius iussa transgredi non praesumerem, talia mihi praeciperet? Unde huiusmodi opus assumendum est mihi sponte, priusquam ab aliquo compellar potente: ut sic probem quid facturus essem.* Continuoque stilo accepto scribere coepi in modum sermonis, sumens exordium de psalmistae dictis: *Dominus de coelo prospicit super filios hominum* et cetera[d]. Quae nimirum dicta, quan- (Psal. 13, 2.)
20 tum potui, similitudinum argumentis roboravi, credens per haec aliquos aedificari; cui videlicet operi titulum imposui, quomodo legendum sit in rebus visibilibus[39]. Cum autem in eodem loco unum paene annum manerem, venerunt nuntii ex monasterio nostro missi, cum quibus exinde ad patriam reversus sum[e]. Quosdam[f] quidem laetos de reditu, quosdam autem eodem modo quo prius me detestantes inveni[f].

25 His igitur dictis, dicam quoque qua de causa ceteros scripserim libellos. Ex petitione namque fratrum nostrorum, vitam sancti Nicolai[40], necnon sancti Wolfgangi[g][41] emendans, sicut in utriusque vitae prologo intimatur, scripsi, antequam proficiscerer ad monasterium Fuldense; sed et vitam sancti Altonis[42] una cum quibusdam carminibus ad eumdem sanctum pertinentibus[h]. Postquam vero redii, vitam sancti Magni[43] scripsi, compulsus fratrum
30 duorum precibus intimis et assiduis, Wilhelmi[i] scilicet ex congregatione nostra, et alterius qui ad nos discendi causa ex monasterio sancti Magni venit Adalham dictus, quique nunc in sanctae Afrae coenobio abbas est constitutus.

Post haec autem cum viderem simul et audirem undique christianae religionis destructionem, rectorum et principum negligentiam in subditos, tam in spirituali quam saeculari
35 vita positos, doleremque iugiter pro talibus, cogitare coepi, ut quia nullus dignaretur me audire communi sermone loquentem, pro miseriaque tanta condolentem, vel scribendo aliqua sacrae scripturae verba proferrem, unde aliquos aedificare possem. Hac igitur causa scripsi librum mei quoque operis novissimum, cui titulum imposui de cursu spirituali[44]. In

a) tam — quam *desunt ed.* b) per 2. c) *add.* 2. d) et cet. *desunt ed.* e) *deest* 2. f) Quosdam—inveni *add.* 2.
40 g) Wolfkangi 2. h) sed et — pertinentibus *litteris minoribus manus coaeva in margine superiore add.* 2. i) Willihalmi 2.

39) Hoc opus adhuc latet. 40) mihi non notam. 41) Vide Mon. SS. IV, 521. 42) eandem fortasse, quae exstat Acta SS. 9. Febr. p. 359 teste Bollando saeculo undecimo conscripta. 43) cuius vitam
45 Othlonus non composuit, sed legendam iam diu conscriptam amplificavit et interpolavit. Consulas Bollandianos in Act. SS. 6. Sept. p. 701: *Quidquid sit de incerto huius vitae scriptore, illud certum est, eam iam saeculo undecimo Theodori ac Ermenrici*
50 *nomine venisse. Id vero liquet ex exemplari eiusdem vitae ab anonymo quodam Ratisponensi monacho interpolata, quodque in fronte sequentes notas praefert. Ex perg. antiquiss. cod. Ms. Augustae ad SS. Udalricum et Afram ab anno* 700 (?) *conscripto, in*
55 4. *Titul. leg. aliq. SS. lit. Z. n.* 36. *Huius vitae scriptor nomen suum nusquam indicat, sed post medium saeculum XI scripsisse facile ostenditur.* Auctorem Othlonum esse, editores recte ex praefatione suspicantur l. c. *Iuxta intelligentiae meae parvitatem complevi, quod tibi, dilecte frater Adelhalme, promisi.* 44) apud Pez l. c. p. 259—398. Ex praefatione haec exhibemus p. 259: *Audiens simul et videns longe lateque detineri*[a] *illa erroris et afflictionis signa, quae in euangelio, necnon in aliis libris praedicta sunt de novissimis huius saeculi temporibus, sed pene nulli valens prodesse consilio vel exemplo — unusquisque enim, quem ammonere praesumpsi, dicebat se necessario sequi aliorum gesta, nec aliud posse facere, nisi quod principes rectoresque huius mundi videret facientes — cogitare coepi, quid ad haec facere possem. Dolor namque, qui pro negligentia tanta mihi inerat, nunquam me sine cura permiserat. Et quomodo possem vel sine cura vel sine maxima ammiratione*[b] *esse, cum peritissimos*

a) videns late det. 3a. *ita prius etiam* 3b, *ubi tamen post correxit auctor* v. longe lateque. b) ammir. maxima 3a. 3b.

quo videlicet libro quantum per sacrae scripturae maximeque per psalterii et euangelii campum currere potui, scribendo protuli. Inter haec et sermones[45] quosdam, necnon epistolas[46] pro communi utilitate scripsi: quas si quis forte legere voluerit, apud nos invenire poterit. Scripsi etiam ante plures annos librum de confessione actuum meorum[47], ut si qua infirmitas vel subitanea mors me in extremis impediret a debita confessione, saltem[a] per scripta patefacerem, quis ex memet ipso, quis ex Dei gratia essem.

48 Adhuc proferre libet duarum orationum[48] verba. Attendens enim saepius, quia plurimos exemplis pravis seduxi, talia orationis verba scribere studui, in quibus unusquisque satis doceri potest, quomodo et[b] pro se et pro aliis orare debeat: quae scilicet orationes, cum a quibusdam iam habeantur, in hoc opusculo describere nolui[c]. Hae autem[d] orationes aliaque superius de dictandi dono prolata tanto magis pietati divinae constant referenda, quanto amplius notum est me vitiis plurimis quondam deditum nihil horum meruisse. Ideo autem haec protuli, ut iuxta hoc quod ipse Dominus in euangelio cuidam daemoniaco a se liberato praecipit dicens: *Vade in domum tuam, et narra quanta fecerit tibi Deus*, ego quoque narrarem, quanta mihi beneficia Deus exhibuerit. (Luc. 8, 39.)

Unde adhuc libet enarrare, quanta scientia quantaque facultas scribendi mihi data fuerit a Domino in primaeva aetate. Cum igitur parvus scholari disciplinae traditus fuissem, literasque et cantica quae cum literis discuntur[e] celeriter didicissem, coepi etiam longe ante solitum tempus discendi sine iussu magistri artem discere scribendi. Furtivo enim et insolito modo, necnon sine docente nisus sum eamdem artem scribendi apprehendere. Qua de re contigit, ut pennam ad scribendum inrecto usu retinere consuescerem, nec postea ab illo docente super hoc corrigi valerem. Nimius namque usus prohibuit me emendare. Quod cum viderent plures, dixerunt omnes numquam me bene scripturum. Sed aliter evenit ex gratia Dei, sicut plurimis notum est. Nam cum in pueritia, ipsoque tempore, quo tabula mihi data est cum aliis pueris ad discendam scripturam, viderer aliquid scribere nosse, miraculum non parvum praebui videntibus: deinde vero non post longum tempus tam bene scribere coepi, tantumque affectum ad hoc habui, ut et in loco illo quo talia didici, id est in coenobio Tegrinseę dicto, multos libros scripsissem, et in Franciam translatus adhuc puer, ibique in tantum multa scribendo laborassem, ut inde rediens paene visu privatus fuissem. Haec ergo ideo proferre decrevi, ut aliquos incitarem ad similem affectum laborandi, gratiamque Dei quae tanta mihi beneficia praebuit, aliis narrans, eos ad magnificandam eamdem gratiam Dei mecum traham. Et ut hoc amplius faciam, proferre libet quantum laboraverim scribendo postea, cum reversus fuissem de Francia: ibi quippe fueram quando obiit caesar[f] Heinricus, et factus est rex Conradus[g]. (1024.)

Postquam igitur in sancti Emmerammi coenobium ad conversionem veni, mox quorumdam prece pulsatus tanto iterum scribendi studio occupabar, ut raro, nisi in festivis diebus aut[h] in aliis horis incompetentibus, ab hoc opere cessarem. Interea successit et alius labor. Nam pro eo quod saepius legere aut[h] scribere aut[h] dictare videbar, scolasticorum cura mihi commissa est: ex quibus nimirum omnibus ita per gratiam Dei constringebar, ut saepe cor-

a) saltim 2. b) *deest edit.* c) *hunc locum plane diversum exhibet* 2: Que scilicet orationes, quamvis a quibusdam habeantur, ego tamen in hoc opusculo decrevi scribere pro monimento. Premissis igitur quibusdam precibus intimis ex psalterio sumptis, ita incipit una: O spes unica, o salus eterna et refugium omnium in te sperantium, Deus miserere mihi misero et peccatori gratiae tuae praesidium inquirenti. Adiuva me, Domine, et ad preces meas intende, quas pro nulla meritorum meorum fiducia. *Tunc sequuntur orationes apud Pez I,* 1, 421. *et III,* 2, 480 *editae.* d) igitur 2. e) et cantica — discuntur *desunt editt.* f) cesar 2. g) Chounradus 2. h) vel 2.

quosdam clericos audirem optima quaeque aliis praedicare, sed mox post praedicationis horam pessima iubere et perpetrare? Quid enim peius potest esse, quam iudicia quaeque subvertere, nullam iudicii veri spem subiectis relinquere, res alienas iugiter concupiscere, easque occasione qualibet auferre, monasteria Deo sanctisque eius mancipata destruere? Quibus si vel unus ager[c] *ad eorum proprietatem pertinens auferretur, seu a censu sibi placito minueretur, maximam sibi iniustitiam factam quererentur. Nec tamen scire valent, quantam ipsi iniuriam Deo in locis sibi commissis faciant. Tantam igitur miseriam saepius attendens, nec emendare valens*[d], *tractavi vel scribere aliqua de scripturis sanctis exhortatoria dicta, ut*[e] *qui sermone communi dedignantur corripi, lectione saltim sacra corrigantur. Unde precor omnes, qui haec legere dignantur, ut et propria et aliena pericula attendentes studeant se aliquatenus emendare, et quoscunque possint ammonere, ne quis credat se peccantem ideo minus puniendum, quod multitudinem imitatur peccantium.*
45) Ex quibus sermo in natali apostolorum exstat apud Pez l. c. p. 539. 46) Una superest apud Pez p. 253. 47) Cfr. quae in praefatione de hoc libello adnotavimus. 48) Vide Scholion *c.* Quaedam Othloni opera minora apud Pez p. 477—482 et p. 398 invenies.

c) unus hobus 3[a]. *post corr.* una huba. d) nec emendare valens *desunt* 3[a]; *in* 3[b]. *autem post addita supra lineam.* e) *post* ut *vox* clerici *erasa in* 3[a].

pus quieti necessariae non permitterer tradere. Cumque dictandi studium inesset, ad hoc saepissime non habui tempus, nisi in festivis diebus, aut noctibus, constrictus videlicet et puerorum cura ad docendum, et illorum petitione, quibus scribere coepi, ad scribendum. Ergo praeter libellos a me dictatos, quos tam sponte quam petitus pro aliorum aedificatione dandos scripsi, uno minus 20 libros missales scripsi, decem quidem abbatibus aut[a] fratribus in monasterio nostro positis, quatuor autem fratribus Fuldensibus, et quinque in aliis locis commorantibus; tres quoque libros euangeliorum, et duos cum epistolis et euangeliis, qui lectionarii vocantur, nec non[b] volumina duo sancti Augustini, in quorum uno 8, in alio 5 libri habentur; collationes patrum et ierarchiam scripsi[b]. Ad haec etiam scripsi quatuor matutinales libros, quorum unus quibusdam amicis in Poemia constitutis scriptus tantae plenitudinis erat, ut per anni circulum iuxta morem nostrum tam in feriis quam in aliis diebus conscriptus habeatur. Quae scilicet cum tantae utilitatis esse videretur, quidam frater noster Reginpertus scribi fecit, et apud nos habetur. Hic[d] ergo ex libris multis conscriptus his quos librorum penuria constringit[c] satis necessarius erit[d]. Multa et alia minoris quantitatis scripsi, multaque scripta notavi; quae omnia quia videbantur parvi operis, numerare nec potui nec volui. Post hunc vero librum, quem proxime iam dixi a me scriptum, nil ultra magni operis preter psalterium scripsi, quia et[e] senectus et infirmitas[f] varia me prohibuit, maximeque inquietudo diuturna, quae mihi ex variis curis et moerore pro monasterii nostri destructione exorto per tempora inolevit multa. Ei autem qui omne bonum praestat, et solus cuncta gubernat, quique mihi indigno concessit plurima dona, sit laus aeterna, sit honor per saecula cuncta[g. 49].

Libet etiam proferre, quantum reminisci valeo, quot libros quibusdam coenobiis aut[h] amicis tradiderim. Et primo quidem fratres Fuldenses nominare volo, quia pro eo quod apud eos maxime laboravi, scribens scribique faciens[i] libros multos, quos monasterio nostro tradebam; ideo apud nos quoque scripsi libros, quos ipsi non habebant. Tradidi namque eis, sicut memini, 7 libellos, Herveldensibus autem duos libros. Cumque ex partibus illis remeassem, et ad Amarbach venissem, tradidi eiusdem loci abbati unum librum. Postea vero cum fratre nostro Wilhelmo[k] profectus, dedi ei quatuor libros, inter quos erat missalis liber satis pretiosus: abbati de Lauresheim unum librum, abbati[l] de Campidona librum unum, abbati de Heremitis unum librum, episcopo cuidam de Lingones ad nos venienti unum librum, abbati de Sancta Afra unum librum[l], abbati de Eberesperc[m] unum librum, ad[o] Altaha duos libros, episcopo de Augusta[n] unum librum, episcopo de Pabinperc unum librum[o], amicis quibusdam in Poemia positis quatuor libros, amico cuidam in Patavia posito unum librum, qui[p] et pergamenum mihi dedit, cuidam nonne de Eihstat unum librum, cuidam monacho de Sancto Burchardo unum librum, abbati de Frisingen unum librum[p], ad Tegrinsee[q] duos libros, ad Weltinpurc[r] librum unum matutinalem scripsi; similiter ad Augiam librum matutinalem magnum scripsi, sed exinde sumptus mihi est datus[r], ad Pryelense[s] coenobium prope nos positum volumen unum, in quo tres libri erant. Sed et filio sororis meae ibidem posito unum librum variasque epistolas dedi. Ad Superius quoque monasterium tres libros, ad Sanctum Paulum duos libros[t], ad Inferius monasterium[50] unum librum dedi. Praeterea multis aliis dedi aut[u] misi aliquando sermones aut[u] proverbia seu aliqua aedificationis scripta. Talia autem laboris mei indicia hic ideo protuli, ut aliquos monachos otiositati deditos converterem, et ad aliquod opus monasticae vitae congruum incitarem. Si enim tam magna nequeunt, faciliora[v] agere possunt.

a) vel 2. b) nec non — scripsi *recepi ex* 2. c) constringere 2. d) Hic — erit *literis minoribus in margine inferiore add.* 2. e) Quorum unus—quia et *add. ex* 2. f) Postea senectus et infirmitas *edd.* g) *signo* ⁊ *apposito librarius* 2 *hic (fol.* 109*) referri iubet ad fol.* 111, *ubi haec literis minoribus leguntur:* Quae post duo folia sunt scripta hic addidi legenda:

Hec quicumque legis, precor, illius memoreris
Talia qui scripsit et dictando reseravit.

Tunc sequitur: Explanatio qualitatis hominis iuxta numeri mysterium (*Incipit* Agnoscens aliquantulum; *explicit* subtilia relinquo investigando.) *quem tractatum excipiunt ultima libri de Temptatione verba inde ab* Libet etiam proferre *etc.* h) vel 2. i) scribique faciens *in marg. add.* 2. k) Willehalmo 2. l) abbati de Campidona — Afra unum librum *add.* 2. m) Ebersperg *ed.* n) augusto 2. o) ad Altaha — Pabinperc unum librum *add.* 2. p) qui et perg. — Frisingen unum librum *add.* 2. q) Tegernsee *ed.* r) ad Weltinpurc — est datus *add.* 2. s) Proulense 2. t) ad S. Paulum duos libros *add.* 2. u) vel 2. v) vel faciliora 2.

49) *quique — cuncta* versus. 50) *Ober-* et *Niedermünster*.

BRUNWILARENSIS MONASTERII FUNDATIO

EDENTE D. RUDOLFO KŒPKE PH. D.

Libellus, quem de Ezonis comitis palatini familia illustrissima composuit monachus quidam Brunwilarensis anonymus, paucorum etsi capitum angustis finibus circumscriptus, ad res Germanicas saeculi undecimi cognoscendas est utilissimus. Quod priori tempore probarunt viri in patriae historia versatissimi Leibnitius Crollius postque eos alii. Optatissima enim lux affertur genti Herimanni comitis, quae affinitatis vinculo cum Ottonum augusta domo coniuncta, in clarissimas imperii Germanici familias evecta est. Nam ex hac gente originem traxerunt Lotharingorum comites palatini tres Herimannus, Ezo et Heinricus, Bavarorum dux Cuno, Suevorum dux Otto, Coloniensium archiepiscopus Herimannus, Poloniae regina Richeza et celeberrimorum sanctimonialium monasteriorum abbatissae[1]*. Nobilissimae huius familiae memoriae quasi sacratum erat monasterium Brunwilarense, quod in dioecesi Coloniensi fundarunt Ezo comes palatinus et Mathildis, uxor eius, filia Ottonis II imperatoris. Fundamenta monasterii posita sunt anno* 1028, *ibique postea paene omnium illorum cineres sunt conditi, ita ut gentilitium sepulchrum merito appelletur. Itaque iusta quasi eorum manibus solvit monachus, qui et gentis gloria et beneficiorum memoria incitatus, historiam familiae illius posteritati tradendam esse apud animum constituit. Brunwilarensem monachum fuisse libelli auctorem, etsi non ipse clare indicavit, tamen satis elucet ex copiosa rerum narratione, ex fontibus, ex quibus hausit, et acri denique studio, quo contra Annonem archiepiscopum monasterii partes tuitus est. Nomen eius latet, sed tempus quo scripserit accuratius videtur posse definiri. Post annum* 1063 *librum esse compositum aperte*

1) Hoc est stemma genealogicum familiae Ezonis:

Otto II. imp.		Herimannus comes palat. c. 993. uxor Heilwig.	
Otto III. imp.	Mathildis † 1025.	Ezo comes pal. † 1034.	Hezelinus com. in pago Tulpiacensi c. 1020.

Ludolfus primipilarius Colon. † 1031. ux. Mathildis filia Ottonis com. Zutphaniae.	Otto dux Sueviae † 1047.	Herimannus arch. Coloniensis † 1056.	Richeza. mar. Misecoll II. rex Poloniae † 1063.	Adelheid abb. Nivellens.	Ida abb. S. Mariae Colon.	Mathild abb. in Dedinkiricha et Vilica.	Theophanu abb. Asindens. 1039.	Heilwig abb. Nussiens.	Sophia abb. Gandershem.	Heinricus com. palat. 1075.
Heinricus comes. — Cuno dux Bavariae † 1055.			Kasimirus rex Polon. † 1058.							

patet[2]*; facile igitur coniicias Wolfhelmi abbatis temporibus, qui monasterio praeerat annis* 1065—1091[3] *hoc factum esse, et ni coniecturae iusto plus dedisse videar, annis* 1076 *et* 1079 *scribendi tempus accuratius circumscribam*[4]*. Neque ultra hunc terminum reiici potest, nam suae narrationis habebat auctor testes, qui Ezonem et Mathildem viderunt, Adelburgam vetulam, quae caecam Mathildis mirifica ope se sanatam esse credebat, et Rudolfum Ezonis villicum*[5]*. Non uno etiam loco illorum tempora ob religiositatem praedicat felicissima, suaeque aetatis miserias queritur et calamitatem, quod ad civilium turbarum tempestates, quae tunc ingruebant, facile referas*[6]*. Fontes in auxilium adscivit praeter Brunwilarensium sepulchrorum epitaphia*[7]*, chartas, quas e monasterii tabulario petiverat*[8]*, monachorum narrationes*[9]*, et fabellas, quae in populi ore circumferebantur*[10]*. Ipse anno* 1061 *videtur interfuisse monasterii consecrationi secundae, quam fecit Anno archiepiscopus*[11]*. Scriptis libris, si quid video, usus non est; uno tantum loco Herimanni Augiensis chronici vestigia deprehendisse mihi videor*[12]*, sed sunt illa levissima. Ex veteribus scriptoribus se legisse Sallustium una Sallustiana elocutione indicavit*[13]*. Scribendi genus est amplum illud et tumidum, quod apud omnes paene Lotharingiae invenies scriptores, est falsa illa scribendi elegantia, quam in scholis monachicis sectabantur.*

Sed una restat solvenda quaestio. Ni fallor, ad iustum finem auctor librum non perduxit. Hoc enim in primo capite scribendi sibi proposuit consilium, se velle frequenti miraculorum illustratione dicati loci memoriam litteris *mandare, paucaque tantum de Ezone ipso afferre. Dein pergit:* His etenim et ceteris perpaucis hoc eodem in codice commemoratis, ordo signorum congruum acceptat locum, ut veritatem *etc. Sed frustra quaeris signorum illum ordinem, quem Ezonis vitae subnectere volebat auctor. Nam duo quae leguntur miracula, deberi videntur interpolatori cuidam, qui ipse monachus Brunwilarensis, ineunte saeculo ni fallor decimo tertio supplementa sua addidisse videtur, quae etsi fabellas redolent, tamen minime plane sunt contemnenda. Duo vero miracula illa ob diversum scribendi genus priori auctori vix adscribas. Posteriorum scriptorem inveni unum, qui nostrum libellum et interpolationes exscripsit, auctorem chronici Sancti Pantaleonis Coloniensis*[14]*.*

Praesidia editionis nostrae, quibus uti nobis licebat, sunt haud ita magna. Bethmannus vir clar. contulit codicem Bruxellensem 8568. *saec. XVII. in quo haec leguntur annotata:* Ex msc. Sancti Martini maioris Colon. in 4. ante 200 annos charactere abbreviato valde illegibili[15]. *Itaque copia est ex vetustiori quodam codice Coloniensi descripta. Ex hac pauci hinc inde textus loci sunt emendati, sed, quod est dolendum, desiderantur interpolationes. Itaque quum*

2) c. 22. 3) Annal. Brunwilar. Mon. Germ. I, 100. Ante annum 1090 librum esse scriptum censet Papebrochius in Act. SS. Mai. V, 48. 4) Quod indicari videtur verbis in c. 16. ubi de Gazimero, Richezae filio regeque Polonorum, haec leguntur: *cuius generosa posteritas divitiis et potestate nobiliter insignis permanet usque hodie.* Gazimerus enim duos reliquit filios, Boleslaum secundum et Wladislaum, quorum ille quum regium nomen sibi imposuisset anno 1076, e patria exsul pulsus anno 1079, fratrem habuit successorem, qui minime laetis auspiciis Poloniae sceptrum gessit usque ad mortem a. 1102. Vide Röpell Geschichte von Polen p. 198-204. Polonorum res posteriores cum illis quibus usus est auctor verbis minime conciliari possunt. 5) c. 9. 13. 6) c. 19. 20. 7) c. 10. 14. 8) c. 20. 21. 9) c. 13. 10) c. 4. 5. 6. 17. 11) c. 22. 12) c. 17. 13) c. 2. 14) Vid. chron. S. Pantal. ad a. 1011. 1036. quae res lucem quandam affert interpolatoris tempori. Chronicon Coloniense antiquum apud Fellerum in Monumentis ined. hist. p. 4, quod laudat Crollius in libro Erläuterte Reihe der Pfalzgrafen zu Aachen p. 34, est idem chron. S. Pantaleonis. Quid sit chronicon msc. Browilrense de gestis abbatum, ex quo pauca verba idem dedit eodem loco, nescio; annales Brunwilarenses in Monumentis Germ. I, 99. II, 216. luci dati nihil habent commune cum illis, at ex interpolationibus libelli de Ezone videntur verba illa esse desumta. 15) Archiv VIII, 514.

ad manus non essent alia subsidia, petendae erant illae ex Actis Sanctorum, ubi ex codice Brunwilarensi magna earum pars, sed neque hic ad verbum leguntur omnes. Qui scrupulus sine dubio eximi potuisset amplissima historia monasterii Brunwilarensis, auctore Francisco Kramero, quam calamo exaratam vidit Würdtwein, qui argumentum libri dedit[16]. *Sed et hic liber latet in bibliotheca nescio qua. In Bruxellensi copia textus in capita erat divisus, quibus nos apposuimus numeros.*

Editiones exstant duae, una a Papebrochio parata in Actis Sanctorum, qui usus erat textu quem ei transmiserat Gamansius; textum hic ex codice Brunwilarensi ex archivio monasterii verbotenus transscribi fecerat[17]. *Altera editio est Leibnitii in collectione scriptorum rerum Brunswic. I,* 313. *in qua repetita est editio prior, resectis interpolationibus, si excipias unam, omnibus. In utraque editione iustus capitum ordo inversus est, ita ut caput ultimum in fronte ponerent editores, quod a nobis reparatum est.*

Scribebam Berolini mense Octobri 1848.

R. KÖPKE.

1. Fundator monasterii sancti Nicolai in Bruwilre erat praeclarissimus dominus Herenfridus, comes palatinus, qui post Ezo nominatus est, cum gloriosissima coniuge sua Mathilde, filia potentissimi Magni Ottonis[18], nati de Saxonia. Quod autem Herenfridus primum, sed Ezo postmodum est appellatus, hocque nomine insignior habebatur, praecedentium gratia patrum imbutus est[19]: quibus mutatis semper nominibus virtus maior meritumque divinitus est insignitum[a]. Cuius cum sacri Deoque frequenti miraculorum illustratione dicati loci memoriam litteris, et per eas posteris mandare curassemus, placuit nobis eisdem prius inserere, quae viro a pueritia vitae institutio, quanta in militari virtute strenua actionis perfectio, quamque perfecta ad ultimum in christiana religione fuisset devotio. His etenim et ceteris perpaucis hoc eodem in codice commemoratis, ordo signorum congruum acceptat locum, ut veritatem historiae habens fundamentum, spirituale praecellens aedificium sui latius fulgoris praetexat ornamentum.

2. Multi cum legunt vel audiunt fortium facta virorum, ad eorum imitationem accenduntur, sed si vitam moresque religiosorum, Deo scilicet devotorum hominum inspexerint, multo in his salubrius quid agere, quid vitare, qua discretione mentis cuncta perpendere debeant, instruuntur. Ut enim se res habet, pleraque illorum tantum in viribus suis confidentium facta cum vita depereunt, quia dum domum suam, quae est suae opus fortitudinis, super arenam labentis humanae laudis construunt, semet ipsos, ut ita dicam, ad impulsum miseri mortalis lapsus destruunt. Sed enim hi fortes in Deo facti, suae considerantes cursum naturae, quod scilicet vita hominis, qui[b] vapor est ad modicum parens, demum exterminabitur, eo proficere deliberant, ubi pro mortalibus aeterni fiant[20], ideoque in his profectuum conatibus, ut ipsius verbis Domini loquar, domum suam supra petram aedificant, quam nec ventorum, id est demonum illusiones, nec fluctuum, nequam videlicet hominum, inundationes diruant. Nam etsi quid rei publicae vel curae domesticae inservientes fortiter gesserunt, non hoc ad suam, sed illius virtutem et laudem referunt, qui illud Davidicum concinunt: *Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.* (Ps. 117, 14.)

a) *ita videtur legendum esse: copia habet falso sine dubio* insitum. b) *deest copiae.*

16) Nova subsidia diplom. V, 268. dicit Würdtwein opus anno 1773 confectum prelum nondum subiisse *ob suggestas forsan praeconceptas vanasque aliorum opiniones.* 17) Act. SS. Mai. V, 48. De miraculis duobus subiunctis idem testatur editor se fuisse persuasum plura legi in codice illo, ideoque de hac re dedisse literas ad reverendum patrem Schorrenbergh, qui nonnisi eadem duo miserit, quae in vetusto libello conscripta essent. Itaque ille etiam hanc amplexus est sententiam, aut non conscripta esse plura miracula, aut periisse secundam libri partem. 18) Voce *filia* pro *nepte* auctor videtur usus esse, nam infra cap. 3. bene scit Mathildis avum fuisse Ottonem primum, patrem secundum, ita ut vix credas eum minorem hanc Mathildam cum maiore filia Ottonis I abbatissa coenobii Quedlinburgensis confudisse. 19) Hoc nihil esse, sed Ezonis nomen contractum esse ex altero Erenfridi nemo non videt. Praecedentes patres sunt patriarchae. 20) Sallust. Iugurtha 1.

3. Fuit itaque praeclarissimi generis[21] Ezo comes palatinus, qui[a] tum propria virtutum actione, tum etiam gloriosissimae coniugis suae Mathildis pia ac Deo devota religione venerandus semperque praedicandus, manifesta suorum reliquit indicia gestorum, in quibus nulli sit ambiguum, eum consortium tantorum, de quibus paucis praelibatum est, adeptum esse virorum. Denique totius Galliae[22] principum cum esset corporis elegantia venustissimus, mentis industria prudentissimus, animi magnanimitate fortissimus, ad disponenda negotia tam privata quam publica discretissimus, regalis palatii apicem iure paterni sanguinis strenuissime gubernando, eo profecit honoris, ut suam semper gloriam pluris quam accepisset, efficeret decoris. Nam ut altius rerum primordia inchoantes, in similitudinem amnis a fonte decurrentis usque ad certum narrationis limitem derivemus, mox ubi primum adolevit, nullis se corrumpendum puerilis ineptiae lusibus dedit, sed ut esset tam validus corpore, quam erat animi virtute. Etsi prae nobilitate, qua summe praeditus fuerat, vestium aureo fulgebat nitore, plus tamen equitatu, venatu[b] atque quolibet militari corporis motu desidiosa proterens otia, valitudine armorum delectabatur et fulgore, quatinus inimicis terrori et amicis esset amori. Nullum est virtutis exercitium, quod per invidiam ignaviae non execretur vitium; et quidem ignavia se virtuti per livoris aemulationem inimicam ostendit, et eius tamen timore percussa tabescit. Quoniam omnis virtus ad alta se subrigens, in suis se indificienter augescit, ideoque memorabilem hunc virum quanto secum altius sustulit, tanto fama clariorem universis Romani regni principibus extulit. Nec mirum, si multis[c] sui temporis potentibus viris, tametsi divitiis praeclare pollentibus, potentior esse poterat atque praestantior, qui omnibus procul dubio claruit uxoris generositate liberorumque honestate fortunatior. Quod enim ingenium, quae lingua, quae facundia tantam explicabit Romanorum gloriam, quanta excrevit terra marique[d] Ottonum temporibus augustorum? Quorum praedicta Mathildis, clarissima scilicet femina, primum habuit avum, alterum patrem, germanum alterum.

4. Verum quales successus superna disponente clementia sortiretur ille vir illustrissimus ad conducendum sibi eiusdem feminae tam excellentis matrimonium venerabile, hinc sumatur exordium, quo nullum laetius hac dumtaxat in serie audiri poterit eulogium. Siquidem imperatrix[23], in disponendis Galliae Germaniaeque negotiis viri prudentissimi domini Ezonis semper intenta consilio, cuius numquam ad haec decenter perficienda vacabat auxilio, in Aquisgrani palatio interim moratur cum filio, qui inter reliqua admirandae in eo sagacitatis indicia, adeo peritus effulsit in constituendo sive dissolvendo flexuoso alearum scemate[24], ut neminem crederet fore, qui in hac arte praevaleret adversum se. Quadam ergo die dominum comitem palatinum compellat, quatinus secum ad tabulam alearum e regione sedeat ordinemque disponat, pariterque iocosam congressionis stropham[25] promoveat. Ea vero altrinsecus proposita conditio est, ut cui per tres continuas vices victoria proveniret, alterius potiretur rebus, optimis etiam, quibus vellet. Pariter igitur consident[e], ludo confligunt, dominus Ezo, invocato sanctae Trinitatis auxilio, ter victor extat. Deinde, tametsi impetrare desperaret, quod divinitate procul dubio inspirante diu optaverat, sororem eius sibi ab ipso dari in coniugem postulat. Cernens ille ludum ad seria processisse, simulque ex consultu eorum, qui interfuerant, tractans eam rem ex Dei nutu provenisse, non esse regii honoris, si mendax fieret suae sponsionis, ipsum etiam apud avum, apud patrem, postremo apud semet ipsum plurimum potuisse, propositae conditionis fidem manus in manum confirmat impositione, quatinus iuxta apostolum castum connubium et thorum immaculatum cum sua servaret sorore. Palatinus comes collectis suorum copiis Asinde[26] properat, venerabilem puellam edicto regis ad praesentiam vocat; fratre iubente, matre volente, eam suam fore

a) *deest c.* b) *deest c.* c) nullis *cop.* d) t. m. *desunt cop.* e) considunt *cop.*

21) Filius erat Herimanni comitis palatini teste Thietmaro IV, 38. qui comes vocatur in pago Bonnensi in diplomate a. 970 ap. Lacomblet Urkundenbuch f. d. Niederrhein I, 66, pagi Eifliae in tabulis annis 975 et 978 scriptis, quas vide apud Hontheim I, 319. Anno 993 item comes palatinus comesque pagi Bumarchgouwe occurrit in tabula quadam Ottonis III. Orr. Guelf. IV, 468 et in alia eodem anno data apud Eccardum in hist. princ. Sax. sup. pag. 287. Crollium in libro Erläuterte Reihe der Pfalzgrafen zu Aachen p. 23 in magnum incidisse errorem, quum hunc Herimannum confunderet cum Herimanno Suevorum duce, satis effecisse mihi videor in Iahrbücher der Sächsischen Kaiser I, 2. p. 101. Ezo comes in pago Bonnensi vocatur a. 1020. Lacomblet I, 96. 22) Lotharingiae. 23) Theophania quae obiit anno 991; ex regestis saltem non patet Ottonem vivente matre saepius Aquisgrani commoratum esse. 24) scaccorum ludo. Hoc fabellam esse nemo non videt, similemque occurrere constat in Karolingorum fabellis. 25) simulationem, imitationem. 26) Essendia, *Essen.*

27 sponsam enuntiat. Amita vero eius pertinaciter obsistit[27], sed sive eius potestate, sive regia maiestate territa cedit. Mathildis sponsalium more annulo subarratur[28], in Bruwilre praedio c. 990. comitis palatini nuptiae parantur, atque in ambobus a sacerdotibus Christi patriarcharum benedictionibus completis, eundem ad locum non tam velociter quam laetanter festinatur. Nam laetitia, quae tunc secularium more agebatur, Christi ecclesiaeque ibi fore copulam in 5 1Cor.15,46. spiritualium conversatione protestabatur, iuxta illud apostoli, *quia non prius quod spirituale sed quod animale, deinde quod spirituale est*, et alio in loco, ad constituendum sponsi et sponsae, Christi et ecclesiae, coelestem thalamum, trahens a veteri testamento viri et mulie- Ephes.5,31. ris exemplum: *Propter hoc*, inquit[a], *relinquet homo patrem et matrem, adhaerens uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in* 10 *ecclesia*.

5. Praeterea ubi ad supradictum locum ventum est, fertur quod memorabilis Ezo ramusculum[29] arboris eiusdem terrae involutum cespite acceperit, et cum eodem Brunwilrense 30 praedium et alia proprii iuris plura eidem suae venerabili sponsae in dotem tradiderit[30]. Ubi mox illa, nullam retractionis morulam perpessa, sed ecclesiolam sancti Medardi, quae 15 inibi antiquitus constructa fuerat, ingressa, Christo Deo Salvatori nostro simulque sanctis eius, et quorum in suis praesentia reliquiis aderat, et his etiam quos specialiter honorificare devoverat, eamdem dotem suam[b] sollempni traditione condonavit, idemque ramusculus, in boni testimonium facti longa viroris gratia iocundus permansit. Nuptialis interim apparatus, festiva procuratur celebratio, proceres togatos splendidioris ambit amictus accuratio, pauperes 20 victus recreat, indumentum consolatur; et quo semet ipsam liberalitas excedens plus[c] singulis suffragatur, eo laudabilior ab omnibus praedicatur. Apud omnes ergo gaudium ingens exortum est, quia felicissimi illius proventu connubii multis postmodum gaudere et laetari divinitus provisum est. Siquidem legitimo humanae procreationis tempore exacto, nati sunt eis 31 filii tres, Hermannus, Otto, Ludolphus; filiae septem, Richza, Adelheit[31], Ida, Mathild, Theo- 25 phanu, Heylewig, Sophia, quibus talem tantamque gloriam gratia divina contulit, ut memoriam eorum et apud Deum et apud homines immortalem esse nulli[d] dubium sit. Nam et ipse numerus — septem enim et tria decem sunt — cum pro eo quod ceterorum infra se omnium summam concludat, perfectissimus atque ex decalogo legis idem sit sacratissimus, indicio est, venerabiles eorum parentes non solum in dilectione Dei et proximi sacratos, sed et, 30 quantum cura secularis eos non impedierat, in omni observantia mandatorum Dei fuisse perfectos. Alio etiam modo et ipsa 7 et 3 quae 10 constituunt, magnorum in se sacramentorum plenitudinem exprimunt, sive propter vitae praesentis tempus[e], quod septem diebus volvitur, sive propter septiformem sancti Spiritus gratiam, quae prophetica lectione septempliciter distinguitur, seu etiam propter sanctissimam Trinitatem, qua ad fidem imbuimur. 35 Nam ambo in hac vita constituti, et eadem gratia sancti Spiritus adiuti, fidem suam bonis in se vixisse operibus luce clarius praemonstraverunt, non solum sese videntibus, verum etiam post se futuris cunctis fidelibus.

6. Ludolphus, maior natu, quod erat animo acerrimus et corpore robustissimus militarique prorsus virtuti aptissimus, praeter parentum glorias et divitias comitatum seu prae- 40 fecturam adeptus est, scilicet ut ingruente bellicosi discriminis articulo Coloniensis archiepiscopi legionis signifer, id est primipilarius, esset. Hic filiam Ottonis comitis de Sudveno[32] nomine Mathildem in coniugem accipiens, duos aeque per omnia sibi simillimos ex ea gene- 1031. ravit filios, Heinricum videlicet et Cunonem; quorum alter suam post mortem[33] eius[f] comitatum, alter vero Bavariae meruit ducatum[34]; verum a vita excessit uterque sine ulla stirpis 45 35 successione[35]. Sed Cunonis interitus haec causa extitit, quod contempta imperatoris Hein-

a) t. a. v. t. v. e. m. e. P. h. i. *desunt cop.* b) *deest cop.* c) *deest cop.* d) nullum *cop.* e) *deest cop.* f) *deest cop.*

27) Mathildis abbatissa Quedlinburgensis, quae obiit anno 999. Paulo aliter ac noster Thietmarus IV, 38. rem se habuisse narrat, qui matrimonium multis displicuisse dicit, idemque imperatorem patienter tulisse, quia unica soror esset Mathildis. 28) arrhabone desponsatur. 29) Est donatio per festucam. 30) Ne vilesceret innata sororis gloria, Ottonem ei plurima dedisse probat Thietmarus l. l. 31) Teste interpolatore tumulata est in loco Brauweiler in crypta. 32) Zutphania. 33) Ex capite 15. infra patet obiisse Liudolfum anno 1031. 50 34) Quod factum est anno 1049 teste Herimanno Augiensi. 35) Haud ita diu post patrem Liudolfus vita videtur excessisse. Anno 1054 Richza regina mentionem eius fecit his verbis: *Possessiunculam etiam Ottinge dictam quae data est pro anima* 55 *Heinrici comitis, filii fratris mei Liudolfi subiungo* etc. Lacomblet I, 121.

rici[36] filia, quam uxorem accipere debuerat, et ob hoc sui ducatus honore depulsus[37], sed propere Ungaris amicitia coniunctus est. Horum etenim auxilio moliebatur eum non solum bello pulsare, sed et regno privare si posset. Quod tale tantumque facinus frustra conatus est; nam veneno, quod coquus suus per immissionem imperatoris pro pactione pecuniae prandio eius immiscuerat, extinctus est[38]. Cui imperator non solum pecuniam non dedit, sed et pro magno munere, ne se deinceps videre praesumeret, concessit. Dux autem ibidem est tumulatus, sed per Coloniensem archiepiscopum Annonem post aliquot annos Coloniam translatus, atque in ecclesia sanctae Mariae ad Gradus est humatus. Porro Adelheit in Nivella monasterio, Theophanu in Asinde[39], Heylewig in Nussia, Mathilt in Didinckkirica atque Vilica[40], Ida in monasterio sanctae Mariae Coloniae[41], Sophia similiter in monasterio sanctae Mariae Moguntiae atque Gandersheim sanctimonialibus feminis sunt praelatae loco regiminis. Quarum fere singulae, et pro coelestis vitae conversatione et pro Christi amore, in semet ipsis habita corporis ac Spiritus sanctificatione, acsi viventes in carne, suis in locis pro virtutum etiam operatione summo frequentantur honore. E quibus Theophanu, virum se moribus agens, Asindense monasterium cum universis eius officiis, iam partim vetustate collapsis, ab ipsis fundamentis novo erigens opere, mirabiliter amplificavit; unde et ibidem eius memoria semper in benedictione erit[42].

7. Post hoc gloriosissimus heros pari nobilissimae suae coniugis voto tractat, quonam in loco oratorium servis Dei congrua divinas excubias agentibus habitacula construat. Cuius voti propositum, sibi divinitus insitum, ut ratum inveniat consilium, sanctissimi viri Romani pontificis Iohannis[43] praesentiam, ambo Romam profecti, expetunt; commissa, quae vel domesticis occupati curis, vel publicis regni negotiis obnoxii nullatenus vitare praevaluerant, per confessionem aperiunt. Quibus idem papa post absolutionem cum pretiosissimis sanctorum Dei reliquiis cruciculam donat auream, propter consummandam in eis apostolicam benedictionem, simul sua eis iniungens auctoritate, quatinus, ut voverant Deo, in propria hereditate monachorum instituant collegium, quorum et arctioris vitae conversatio, et iugis die ac nocte ad Deum profusa oratio, sibi plenum etiam[a] coelestis vitae posset conferre remedium.

8. Reversis autem ad patriam, quantum reverentiae, quantum honoris et gloriae ubique adventantibus impenderetur, postremo quam laetis suorum animis quamque festivis occursibus susciperentur, satius est tacita id opinione aestimari, quam quibus non valeas verbis iuxta modum aestimationis effari. Igitur ille sedulus explorat, ubinam locorum, quae propriae possessionis essent, placitum Deo in fundando sanctae religionis coenobio suum expleat votum. Duysburg[44] praecipue seu insulam sancti Swiberti[45] diiudicans ad hoc aptissimam esse, seu propter Reni fluenta, seu propter maximae amoenitatis locis in ipsis iocunda quaedam oblectamenta. Nam bene ad collocanda in Duysburg fundamenta desiderium eius proveniret, si uxor[b] tenacioris animi ipsi non obstitisset, Bruwilre omnibus anteponens locis,

a) *deest cop.* b) illa *cop.*

36) tertii 1053. 37) Martesburgii anno 1053. Heinricus ducatu eum privavit fortasse ob contentionem cum Gebehardo episcopo Ratisponensi. Vide Herimannum ad annum 1052. 1053. 38) Ekkehardo teste in Pannonia mortuus est anno 1055. 39) Anno 1039 ut legitur in Annal. Hildeshem. 40) Dedikirchen apud Bonnam et Willig ad Siegam e regione Bonnae. 41) De sepulcro eius vide Gelenium de magnitudine Coloniae p. 329. 42) *Hic interposuerat interpolator caput integrum, quo narratur quod Otto tertius Heriberto Coloniensi commiserit insignia imperii ad sororis maritum Erenfridum deferenda; quae quum intercepisset Henricus, regnum integro anno vacavit, quumque insuper iura palatini idem Henricus invaderet, hic contra eum arma sumpserit, adiunctis sibi Lotharingis, qui Henrico odedientiam praestandam pro decennio suspenderint. Interim acta Moguntiae causa quum pro Henrico iudicaretur, discessisse Erenfridum statimque fixisse in Odernheym, ubi eum invadens Theodericus Mosellanorum dux proelio victus captusque sit cum tanta suorum strage, ut in proverbium res abierit soleantque amicis optare ne in Odernheym umquam veniant Tandem pacem eo pacto initam ut Henricus Erenfrido insulam S. Suiberti, Duysburg et Salavelt cederet; deinde interventu Henrici Mizeconi Polono iunctam Richezam, palatini filiam.* Deficiente interpolationis codice hunc locum ipsis editorum Act. Sanct. verbis repetivimus, ne penitus hic desiderentur; etsi iam viderunt illi haec magnam partem mera esse figmenta, quod accurata Thietmari narratione probatur. 43) XIX, qui sedit a. 1024 ad 1033. Error nihilominus hic videtur latere, nam Iohannes XIX papa post monasterii institutionem mense Augusto a. 1024 consecratus est. Itaque Romae videntur fuisse tempore Benedicti VIII antecessoris eius, qui sedebat annis 1012 — 1024. 44) ad Ruram Rhenum influentem. 45) Kaiserswerth.

propter revelatam sibi quamdam visionem gloriae coelestis. Erat enim sollempnis ei consuetudo numquam e vicino loci illius iter facere, quin secedens de via in ecclesiolam sancti Medardi, orationi solito prolixius insisteret aut psalmodiae. Unde contigit ut quadam die, et itineris labore et solis ardore aestuans, expletis in sacri ambitus aedicula consuetae devotionis suae precibus, refrigerandi se gratia, sub umbra arboris sicomori, quam Teutonici mulbom appellant, quae e regione stabat, supra cespitis amoeni thorum accumberet, et parum dormitans somni caperet. Cum ecce — ut sibi visum est — aperto desuper coelo globus lucis, ipso sole splendidior, super eumdem Deo placitum locum descendit, tanta eum claritate perfundens, ut omnem circum adiacentem regionem iocundam atque coruscam in magna sui admiratione efficeret. Hac visione venerabilis heros cognita, moxque omni ambiguitate postposita, unum idque simile cum ipsa animo volvebat, nullo scilicet in loco consultius divinae mansionis habitaculum fundari quam in eodem, quem et paterni laboris instantia, iam dudum densissimo arboribus nemore cum tribulis et vepribus radicitus extirpato, pro bestiis, quarum prius tuta ibi lustra fuerant, incolis hominibus habitabilem fecerat, et religiosissimae suae coniugis visione[a] coelestibus ad hoc esse notatum indiciis noverat. Et quoniam per semet ipsum qualiter id foret inchoandum minus discernebat, abbatis Popponis, apud quem tunc temporis religio maxime monachica cum regulari discretione vigebat[46], patris scilicet monasteriorum sanctorum confessorum Christi Maximini et Remacli, consilium atque solatium per allegationem archipontificis domini Piligrini[47] expetebat. Qui, ut semper paratus erat piis obedire precatibus, septem fratres vita religiosos, doctrina simul et actione probos, ad hoc opus, non secus ac ab ipso didicerant, instituendum ei mittebat.

1024. Apr. 14. 9. Annus dom. inc. 1024. iam hinc instabat, et defuncto apud Bavenberg[48] episcopium suum imperatore Heinrico, imperium Conradus agebat; cum illi, accepta paterna benedictione atque fraterna, venerunt ad praedictum locum 18. Kal. Maii, feria simul et hora diei tertia, ut annunciarent in Sion nomen Domini, in conveniendo populos in unum, ut servirent Domino, quibus ipse in suo nomine diceret congregatis: (Ier. 7, 3.) *Bonas facite vias vestras et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto in sempiternum.* Igitur omnia, quorum gratia eo venerant, certatim accelerant[49]. Fundamenta monasterii non in eo tamen loco, quo ecclesiola supra dicta erat, sed ad eius aquilonalem partem, 18 fere passibus longius ab eo locantur, ea de causa praesertim, quod cuiusdam infantis defuncti corpus, dum terrae ibi fuisset humatum, toties egesta humo, tumuli sit quiete privatum. Dum ergo remotiori loco fundantes monasterium pro sepultura mortuorum soliciti sunt, inter ipsa laeta sanctae operationis exordia, ipsius ornatissimae virtutum operatricis Mathildis Deoque devotissimae matronae tristi morte turbati sunt. Quae quidem quam diu sano et incolumi valuit corpore, praeter solicitam intentissimamque secretae orationis atque elemosynarum operam, praeter hoc etiam, quod in servis Dei monachis cum Martha Iesum excepit in domum suam Bruwilrensem gaudens, circa quorum frequens erat ministerium; nec minus praeter[b] hoc, quod cum Maria sedulo lectionibus sacris, velut ipsius Domini verbis intendens, integrum quotidie decantabat psalterium; nullius unquam septimanae sabbatum, quo tantum balneo uti liceret[50], praeteriit, quin aliquem de turba inopum, sibi secretius adductum, calidis per se ipsam aquis perfundens sordes ablueret, crines comeret, indutumque vestibus seu novis seu non multum vetustis, consolatum abire permitteret. Qua de re contigit etiam, ut mundissimarum ex huiusmodi operibus manuum eius facta in aqua ablutione, aliqui caecitate praedampnati aegris orbibus suis remedium videndi inferrent, qui hoc eius merita posse indubia fide crederent.

a) iussione *cop.* b) praestet *cop.*

46) Cf. Vita Popponis supra pag. 305. 47) Coloniensis qui sedit annis 1021—1036, qui et ipse monasterii constitutionem confirmavit in tabulis datis 1028 in Actis academiae Theodoro-Palatinae III, 133 sq. in quarum una legitur: *quia Erenfridus comes palatinus nostram adiverit humilitatem obsecrans ut monasterio suo quod in vico Brunwilarensi, id est in dote piae memoriae Mathildis coniugis suae, crebra eius suggestione edificari inchoaverat, et ea immatura morte praeventa atque ibidem sepulta pro anima illius et sua voluntarius iam confirmaverat, gratiam libertatis — confirmaremus — — filiis eius Herimanno et Ottone pie annuentibus qui in praesentiarum positi patris in omnibus favebant voluntati.* Postea mentio quoque fit Hezilonis comitis, fratris Erenfridi. Alia Piligrimi tabula a. 1028 eiusdem fere tenoris Lacomblet I, 102. 48) In Grona palatio mortuus Bambergae sepultus est. 49) Vide Annal. Brunwilarenses ad h. a. Mon. Germ. I, 100. 50) Notant Act. Sanct. editores balnei usum aliquibus diebus ab ecclesia prohibitum nuspiam legi, et videri hic talem aliquam in ecclesia Coloniensi consuetudinem indicari.

Ad quarum testimonia virtutum quaedam Adelburg ad nostra usque duraverat tempora, iam veterana, quae solebat nobis referre, quia cum caeca fuisset ab infantia, in[a] adolescentiae perveniens aetatulam, eo quo praediximus modo diu optatam commeruit lucis videre gloriam. Eamdem etiam sanitatis gratiam in Tonaburg castro[51] ab ipsa quaedam caeca coram sancta cruce, ipsius nimirum — ut indubitanter credi potest — crucifixi Domini medicabili dextra adiuvante, consecuta est, propter quod eadem crux sancta ad venerationem sui maiorem, per se ipsam Brunwilre honorifice translata est. Quid plura? omnem curam omnibus subinferens ministravit in fide sua virtutem, scientiam, abstinentiam, patientiam, pietatem, amorem fraternum atque caritatem, ut per bona opera certam suam vocationem faciens, introitum sibi pararet in aeternum regnum gloriae Christi Iesu.

10. Instabat iam annus post eum quem superius commemoravimus proximus, incarnationis scilicet Domini 1025, cum Hezelinus comes, cognationis[52] imo impendendae venerationis atque munificentiae gratia, illam Acheze[53] ad suum accersitam convivium, omni, quo potest, honorificat obsequio. Quam non minus, ut credi fas est, Christus interim coeleste vocatam ad convivium laetificare disponit in gaudio perenniter cum vultu suo, simulque[b] consortium suarum, Sarae[c], Sefforae atque Elizabeth, honorificare contubernio. Nam expleto convivii gaudio, levi mox inprimis corripitur febricula, cuius per singulos dies acrius ingravescente molestia, septimo tandem post eum diem, quo aegra decubuit, accepto salutis viatico, reliquit suos lugentes et flentes, quia de hac convalle lacrimarum transivit ad contubernales suas, in vera perpetuae beatitudinis vita sine fine gaudentes. Cuius transitum in Aquisgrani palatio propere cognito — nam ibi tunc comes palatinus erat, occupatus cum totius Lotharingiae maiorum colloquio — assumptis eis secum, quorum alii se dominam, nonnulli decus et imperii gloriam amisisse dolerent, gemerent et plangerent, velocius pervenit ad conthoralis[d] suae corporis exanimi pignus venerabile. Quibus cervices suas feretro subiicientibus, aliis ex sacro ordine psallentibus, aliis lampades et cereos praeferentibus, ad Bruwilrense transfertur oppidulum, poniturque extenso desuper tentorio infra monasterialis ambitus medium. Tota Coloniensium turba, ultimum eius funeri officium reddditura, cum venerabili suo archiepiscopo Piligrino eo convenit, tribusque diebus ac noctibus continuis, ad eius exequias, qui tantae dolor foeminae atque amissio exigebat, cum psalmis et vigiliis missarum sacramenta explevit. Donec demum quarto die ab archiepiscopo, infra ipsum tentorium, altare in honorem sanctae Mariae consecratum est, ante quod eius corpus venerabiliter humatum est, et epitaphium supra eam huiusmodi scriptum est:

Otto avus, Otto pater fuerant huic, Ottoque frater,
Sub quos Roma potens subdidit omne nocens.
Haec huius tecti structrix, dux femina facti,
Mathildt nobilibus suscipit inde genus.
Arcitenens[54] ipsam quarto sub lumine fixam
Transtulit ad vitam, lucis in arce sitam.
Cui quod debemus quia non implere valemus,
Tu fer solamen, Christe redemptor. Amen.

11. Decubuerat autem in eadem praefata Archtese villa, qua et ipsa, eademque febris molestia quidam miles eius, nomine Harnic, qui post ipsam quidem die sequenti defunctus est, sed ante ipsam primus sepulturae quietem ante fores adhuc rudis aedificii sortitus est. Attamen venerabilis heros tanto instabat inchoato operi studio, ut quinto anno ad integrum perfecto eodem monasterio, dedicationem eius supradictus antistes 6. Idus Novembris consummaret[55], atque iuxta morem praedia, quae liberorum suorum permissione pius ipse sacrati loci fundator et auctor praecipuis Christi confessoribus, sancto videlicet Nicolao atque Medardo, delegaverat, quaeque[e] liberis relicta, ab eis postmodum absque heredum poste-

a) *deest cop.* b) *deest cop.* c) sacrae *cop.* d) concorporalis *cop.* e) quae *cop.*

51) *Tomberg* in pago Eifliae. 52) Quem Ezonis fratrem fuisse testatur Piligrimus archiepiscopus in literis laudatis. Anno 1020 Hezelinus comes erat in pago Tulpiacensi, ut patet ex tabula Heinrici II ap. Hontheim I, 355. 53) *Esch.* Interpolator addit esse pagum Esich prope Niederemb. 54) Sagittarius, id est November, die quarto. In necrologio S. Maximini apud Hontheim Tom. prod. II, 990. legitur: 3. *Non. Mathildis palatina.* Vid. Ann. Brunwilarenses Mon. Germ. I, 99. 55) Probant Ann. Brunwilarenses Mon. Germ. II, 216. Obiit Ello a. 1053. In tabula supralaudata Ello iam a. 1028 abbas vocatur.

ritate libera fore speraverat, banno suo rata in perpetuum confirmaret[56]. His ita, non secus ac abba Poppo reverendissimus voluit, patratis, ipse aliorum cura monasteriorum occupatus, providit a suis electum fratribus proprium eidem loco abbatem, moribus religiosum, verbo vero et opere divino atque humano[a] per omnia insignem et probum, nomine Ellonem, cui euangelica quidem villicatio ab ipso domino Ezone commissa est, et sic ad curam accepti [1030.] regiminis agendam anno dom. inc. 1030 benedictione praefati[b] archipraesulis ordinatus est. Huius igitur abbatis et fratrum, quorum, exceptis minoribus, qui ad eorum disciplinae formam instituebantur, 16 erant, religiosam conversationem atque ferventissimam omnimodis in divinis cultibus devotionem adeo amplectebatur et diligebat, ut sub serica veste atque aureo baltheo conversatus, moribus ipse potius quam habitu monachus esse putaretur.

12. Unde etiam contigit ut quadam vice sui militis cuiusdam, qui monachis libenter detrahebat, oblocutione satis procaci offenderetur. Nocte ergo sequenti, quae sollempnis erat, ubi signum ad explendas laudes divinas sonat, iubet eumdem, quod ante non solebat, accensa lampade ad ecclesiam se cum lumine sequentem praecedere, atque ibidem, donec perageretur, subsistere. Iussa facit, et ut ventum est ad hoc, ut dominica oratio sub silentio diceretur, aestimans omnia esse finita, volebat accensa[c], ut advenerat, lampade, sed sine nutu imperantis non audebat, quoquam recedere; arctabatur etenim, sola subsistens in camisia, nimio gelidissimae noctis frigore. Fecit[d] ergo secunda vice et tertia similiter, cuius angustias ad correctionem eius pius et prudens heros se scire dissimulans, nusquam declinavit, sed semper sollempnibus, usque quoad integrum decantaretur[e], hymnis et suis ut solebat placitis nimium Deo precationibus[f] intentus, fixus eodem loco permansit. Ita ille correctus artificiose potius quam aspera increpantis invectione, coepit dominum suum assidue et vehementer compellere, nihil sibi reliqui dimittere, se suaque omnia simul Dei servis monachis dedere, solos illos sua etiam sententia esse contestans, quamvis euangelicae nescius doctrinae, qui eum hic deficientem in aeterna deberent tabernacula recipere.

13. Neque hoc praetereundum est, quod ex eius fidei virtute miraculum factum est; [Ioh. 14, 12.] *opera enim quae ego facio,* dicit Dominus, *qui credit in me, et ipse faciet,* a cuius verbis neuter sexus, nulla conditio aut professio, et — ut pace virginum viduarumque dixerim — nec etiam coniugatus aliquis excludi potest. Contigit enim ut villicus eius, Rudolphus nomine, in eiusdem Brunwilrensis praedii agro nonnisi purum tritici semen seminaret; messis vero tempore perparum quidem tritici, per totum autem siliginis sementem atque in execrabile lolium versum, id ipsum, ad eius praeceptum in horrea recondendum, admissa falce meteret, quod a suis excussum paleis, exaratis eiusdem iterum terrae sulcis recommendaret. Factum est ergo ut praecepit, et in cuius nomine omnia credenti prosperantur, sequentis anni messe, non siliginem aut lolium, sed purissimi tritici sementem recepit. Non hoc solummodo ipsius Rudolphi, sed omnium senum illius regionis accolarum certa narratione nobis relatum est. Nec mirum si ante suae finem vitae alienus in se ipso non fuit a fidei virtute, qui florens adhuc primaeva iuvenilis aetatis lanugine, sancti Udalrici[57] episcopi, propterea quod eius erat consanguineus[58], familiari miraculorum ipsius frequenter est iocundatus dulcedine. *Cum* [Psal. 17, 28.] *sancto,* inquit psalmista, *sanctus eris, et cum electo electus eris.* Contigit enim quadam vice beatum virum instante Christi nativitate, Ottonis Magni imperatoris cum reliquo episcoporum conventu iter ad curiam in ipsa hyemis asperitate fecisse, cui per quandam silvam ire fuit necesse. Verum illi, ut evenire solet, equitanti ramusculus arboris obiectus impedimentum itineris intulit, quem avulsum dextra, psalmorum et orationum sacro semper frequens murmure, secum in via tulit; qui mox sanctae manus suae calore, velut aestivo solis adanimatus fervore, gemmis turgentibus expansisque foliis virentibus effloruit. Quod cum, egregio iuvene secum familiarius commeante, stupefactus ipse cerneret, volens latere quod evenit, ramusculum abiecit, quem ipse protinus equo dissiliens collegit. Sed ut ei vanum favorem vulgi nullum[g] excitaret ex virtute miraculi, a sancto pontifice mandatum accepit, quod et omni quoad vixit tempore observavit, semperque pignus amabile conspicuo virore iocundum

a) a. h. *desunt cop.* b) *deest cop.* c) *deest cop.* d) facit *cop.* e) decantarent *cop.* f) precatibus *cop.* g) nemo *cop.*

56) Charta donationis Ezonis ad S. Nicolaum in Braunweiler scripta a. 1028 vide Lacomblet I, 103.

57) qui obiit a. 973. Ezo natus erat circa a. 954.

58) Udalricus episcopus e prosapia ducum et comitum Alemanniae erat oriundus; posteriores eum Kyburgensium comitum familiae adscribunt. Tolnerus et post eum alii Heylwigam, Ezonis matrem, ex eadem gente ortam esse mera coniectura contenderunt.

ac desiderabile secretius apud se servatum habuit. Nam postea huius praecipue miraculi gratia Hermannus archiepiscopus, venerandi patris eiusdem filius, in sancta Coloniensi ecclesia sancti confessoris Christi sollempnizare instituit festa.

14. Ut vero ad maturiores eius actus stylum reflectamus, post obitum religiosissimae 5 coniugis suae cum iam decimus annus instaret[59], maximo suorum — ut semper — comitatu 1034. stipatus, ad suam provinciam Salaveld profectus, et prolixiore ibidem tempore commoratus et infirmatus, 80 prope annos aetatis habens, congruo suae fidei, spei et operationi fine defunctus, et vere beatis, qui in Domino moriuntur, in illa, qua nemo moritur, vita, spiritu coniunctus est. Corpus vero eius ad dilectum sibi locum, quem, ut verus Abraham patri- 10 archa, non ab indigenis terrae, sed a Christo et sanctis eius datis rebus suis in sepulturam emerat, delatum, et ab archiepiscopo supradicto iuxta corpus consortis suae devotissimae Deo Mathildis sepultum est*, et hoc epitaphium super ipsum descriptum est[60]: 60

Versus.

Nomen Erenfridi tribuat super aethera scribi,
Nomine pro cuius structa stat ista domus.
15 *Ad quod eum factum coniux carissima tractum*
Flexit, et haec obiit; liquit, et hic subiit.
Cuius foecundi dederint cum pignora lumbi,
Subtraxit natis quod daret hic monachis.
Quem sub bis senis Gemini misere Kalendis, Mai. 21.
20 *Qua fovet ille domo, qui Deus est et homo.*

15. Ludolphus solus filiorum eius tribus ante transitum eius annis in ipso Brunwilrensi 1031. oppido, cuius advocationem primus post patrem habuit, relinquens eam filio suo Cunoni, defunctus, et ibidem est conditus; iuxta quem et Henricus filius eius situs est. Otto igitur filius eius, qui erat aspectu venustus, statura procerus, affatu iucundus, patriis rebus et ho- 25 nore dignus haeres substitutus est. Et non multo post etiam frater eius Hermannus, Piligrino archiepiscopo transmigrante, Conrado adhuc imperante, sanctae Coloniae archipontificatum gratia Dei et electione totius cleri atque favore universi populi adeptus est.

16. Eodem tempore Richeza regina, facto inter se et regem coniugem suum[61] divortio, 61 per odium et instigationem cuiusdam suae pellicis, cum ei iam peperisset Gazimerum, cuius 30 generosa posteritas divitiis et potestate nobiliter insignis permanet usque hodie, veste mutata, paucis se fugam clanculo agentem adiuvantibus, utpote fastus eius intolerabiles simul et barbaros Sclavorum pertaesa ritus, venit ad imperatorem Conradum in Saxoniam, a quo et venerabiliter ipsa suscepta est, et ipse nihilominus gloriosis ipsius xeniis magnifice honorificatus est. Accepit namque ab ipsa duarum ipsius regisque sui coniugis coronarum in- 35 signia[62], concessitque ei eadem in suo, sicut in regno proprio, quoad viveret, auctoritate potiri semper eademque gloria, congrua plane sibi reddita vicissitudine; cuius totum venit ex munere, quicquid suum extra limitem Romanum imperium magnificentiae eius ad sese contraxit in tempore. Nam patrata mox super Polonos expeditione[63], triumphatoque sub 63 tributo Misechone cum tota Sclavorum gente, victoriae trophaeum duplici quoque sub co- 40 rona sortitus est. Sed hac in brevi functus sicque defunctus est, et Henrico filio eius summam rerum agere concessum est. Qui cum regnare coepisset, exorta contra eum Godefridi 1044. ducis[64] atque Baldewini[65] comitis invidia, ad excitandum plurimis perniciosissimum mortali- 1047.

* Scilicet in ecclesiola beatae Virginis quae fuit olim in viridario, ubi postmodum stagnum factum est. Translata deinde sunt utraque corpora ad medium chori atque in tumba lapidea 45 elevata decentius et honorificentius recondita. *addit interpolator.*

59) Vide Ann. Brunwilarenses. In Hildeshemensibus ann. legitur eum a Thietburga concubina veneno necatum esse. Sed frater eius Hezel iam 29. Sept. 1033 comes palatinus vocatur ap. Lacomblet 50 I, 105. 60) Errant igitur iidem annales qui eum 16. Kalendas Iun. Augustae in ecclesia sancti Udalrici sepultum esse volunt. 61) Miecislaus II rex Poloniae est, qui obiit eodem anno 1034, ad quem et Chronogr. Saxo reginae fugam refert, quod in 55 fontibus eius non invenitur. Errat igitur auctor in describendo tempore. Longe aliter Polonorum scriptores rem narrant, qui eam post mariti mortem expulsam esse volunt. Vide eorum examen quod instituit Roepell, Gesch. v. Polen I, 662 et Dethier epistola inedita Mathildis Suevae, sororis Gislae imperatricis ad Misegonem II, p. 33. 79. 62) Coronam et alia insignia Miecislai frater Otto tyrannus misit Conrado. Cf. Ann. Hildesh. 1030 et Wippo supra p. 269. 270. et Dobneri comment. ad Hajecium V, 177. 212. 63) Facta est annis 1029 et 1031, et Lusatiam recuperavit Conradus II. 64) Lotharingiae, qui seditionem movit a. 1044 et 1047. 65) quinti

bus tumultum, multa quidem passus est adversa: quae quamvis cum difficultate, supradicto tamen archipraesule Hermanno et fratre eius Ottone comite palatino, quos prae omnibus sui semper laboris et gloriae consortes habuit, laboriosissime secum decertantibus, simul et eum gloriosissime in omnibus adiuvantibus, superavit universa. Siquidem imperatori comitis palatini non solum fidem, sed et virtutem sibi summopere appetendam fore ea res maxime suadebat, quae et tunc recens erat, et magnam ubique viro laudem circumferebat.

17. Fuit in saltu Sclavorum, qui ob densitatem nemoris umbrosam iuxta linguam eorum Levia[66] dicitur, quique ob immensae latitudinis et longitudinis vastam solitudinem infinitam ursorum nutrit multitudinem, ursus quidam naturali rabie ceteris saevior et crudelior, et ipsa etiam enormi corporis mole maior ultra quam credi possit et immanior. Huius tanta rabies erat, ut non solum venatus cervorum raptusque damularum atque aliarum conculcatio bestiolarum ad mitigandam immanem[a] sui ventris ingluviem non sufficeret, quin etiam sub clara luce diei ferali ausu ad nullorum pavidus occursus venatorum, horrida rictibus ora trahens, in patentes e vicinitate regiones e cubili suo potenter emergeret, et valida iumentorum et fortia boum corpora, sive adiuncta carpento sive subiugata aratro invaderet, suffocaret, voraret. Compulsa ergo tota gens illa est[b] a tali suarum rerum, immo vitae suae execrabili vastatore, aut illum, si praevalerent, omnes quoquo modo pariter insequentes suis a finibus exturbare sive necare; aut, si id agere non possent, alio sub coelo quieta suisque commoda usibus habitacula quaerere. Afflictis suis rabida peste rebus tandem, quamvis sero, remedium id solum fore explorant, si dominum palatinum comitem ad hoc humili precatu flectere queant, quo se communi hosti, victoriam a[c] Domini procul dubio dextera et virtute percepturus propria, opponat; nam suimet ipsius provinciam Salaveld maxime devastaverat. Quod imploraverant ocius actu consequuntur; ascenso equo, atque emissario comitante licisca[67], quod est genus canum iubis inflexis villosum atque fortissimum, venatum aggreditur, ceterisque venatoribus cum tubis raucisonis circa spissiora saltus loca occupatis, bestia immanis, quidnam circa se agatur exploratura, egreditur, et solum e vicino cernens adesse, emisso horrendo satis micatu simulque erectis in altum brachiis, cum plantis minacibus eum aggreditur; cuius mox primus impetus, licisca gravi aurem eius morsu lacerante, impeditur. Nam ut est iniuriae natura impatiens, dum ad eum versa planta cum asperis unguibus se ulcisci nititur, abscisa protinus eadem, venabulum in medio occipitis excipiens, ad terram eliditur. Paratis post hoc, ut par erat, carnibus eius in escam, laetum convivium instauratum est; corium vero eius 15 pedum longitudinis spatium habuisse probatum est. Sunt qui dicant, quod non provectioris, sed recentioris aetatis tempore has theatrico dignas spectaculo monomachice patraverat palaestras; quod eo vicinius laudi est, quo constat quod tenuis aetas tale quid agendi suam virtutem non habet. Imperator autem maioris volens dignitatis gloria virum extollere, accepta ab eo insula sancti Swiberti atque Duysburg, munificentiae gratia Suevorum ei committit ducatum[68], Henrico, (1045.) patrui[69] eius filio, ad palatii officium substituto, qui traditum sibi ducatum, omnium fere mortalium favorabili erga eum habita dilectione, gloriose gubernans, tertio proh dolor! eiusdem ducatus anno 7. Idus Septembris immatura morte in Tonaburg[d] castro diem clausit extremum. (Cf. Herman. Aug. 1047 Sept. 7.)

18. Ea tempestate imperator expeditionem supra Flandrenses acturus, sanctae Mariae (1047.) festum celebravit apud Xanctum[70], ubi pius Hermannus archipraesul exhortationem instanti periculo congruam ad plebem faciens, universosque admonens, quatenus a superna clementia pro concinnanda regni pace imperatori filium dari secum implorarent, cognita per nuntium morte fratris, flebili voce finem allocutionis fecit, et omnes ad lamenta perturbatos incitavit. Expletis autem missarum sollempniis, iuxta frequentem omnium et ipsius imperatoris petitionem, quod prope nec ad momentum eius solatio carere poterant, retentus est, et episcopus Tullensis Bruno, qui ex virtute animi vel fidei Leo[71] appellatus, papa Romanus

a) *ita legendum; cop.* inanem. b) *deest cop.* c) et *cop.* d) *ita interpolator.* Conabs *cop.*

Flandriae comitis. 66) Ante et Louvia appellatur; cf. Ann. Quedlinburg. M. G. SS. III, 32; videtur esse *Thüringerwald.* 67) canis lupo similis. 68) Quod Goslariae factum est; cf. Hermann. Aug. ad h. a. 69) Hezelini comitis, quod probatur tabula Heinrici III a. 1051. Böhmer 1618. Hunc Heinricum eundem comitem palatinum fuisse quem Lambertus in infamiam incidisse narrat 1057, evicit Crollius p. 57. 70) Vere dixit auctor; Heinricus III die 7. Sept. 1047 tabulam scribi iussit *Troiae quod et Santum dicitur.* Vid. Böhmer Reg. n. 1570. 71) nonus; inde ab anno 1049.

postea factus est, ad tumulandum fratrem eius Brunwilre missus est. Quo devote quae vel iussus vel postulatus fuerat expleturus adveniens — erat enim iste vir ipso corporis statu vultuque terribilis simul et amabilis, verbo etiam et opere ad aedificationem corporis Christi mirabiliter insignis — omnia, quae tristibus exequiis usus ecclesiasticus sancivit, pro requie 5 ipsius reverenter et competenter explevit, sicque eum venerabiliter iuxta[a] suorum ossa parentum sepelivit.*

19. Qua die soror eius Richza ita etiam deplanxit eum, ut ipsa prope moreretur. Omnem ornatum suum, lunulas et torques et monilia et inaures et gemmas et vittas, omnia aut auro textilia aut penitus aurea in divinos convertenda cultus principali altari imponit, accepto- 10 que a sancto pontifice sacro velamine caput obnubit, sibique sepulturam iuxta fratrem fore disponit, suorumque fidem super hoc, quod id ipsum superstites ipsi fideliter compleant, exposcit. Qua de re abbas Ello, ipsius permagno confisus auxilio, vetus monasterium funditus destruxit, et aliud validioribus fundamentis ambitiosius construendo novo opere inchoans[72], imperfectum reliquit. Iam ante ecclesiola sancti Medardi destructa, eius altare sub- 15 motum sine laesione infra ambitum prioris monasterii transferre voluit, sed non valuit, nam penitus confractum est. Et quia locus sacratus, cui prius inerat, quadam immunditia contaminatus est, divino verbere, putredine scilicet unius cruris, graviter tactus est; alias autem praeter hanc causam, in omnibus felix et prospere agens, ex hac luce subtractus est, et a successore suo Tegonone, qui iam pridem ordinatus fuerat, honorifice sepultus est. Verum 20 quid pius Hermannus archiepiscopus pietatis aut potius tutelae eidem loco praeviderit, si quis scire desiderat, apostolici papae Leonis epistolam legat, et contra eam agentes, neque divinas neque humanas leges iustitiae cultui commendantes, sed contemnentes expavescat, nostrique temporis miserias, totis visceribus ad Deum conversus, defleat. Exemplar vero huius hoc est:

72 1048. Iun. 30.

1053.

25 20. *Leo episcopus servus servorum Dei Hermanno sanctae Coloniensis ecclesiae venerabili archiepiscopo, ac per eum suis successoribus illuc canonice intrantibus in perpetuum. Convenit apostolico moderamini pia pollentibus religione assensum praebere pietatis, ut et nobis proficiat ad aeternam beatitudinem, et ecclesiis ad perpetuam defensionem. Quia nuntius tuus Romam veniens, fili carissime, sollicitavit nos precum suarum nimietate, ut per apostolicae defensionis* 30 *paginam confirmaremus ecclesiae tuae abbatiam sitam in Brunwilre, sicut praeceptum carissimi filii nostri imperatoris Henrici videtur continere. Inclinati igitur tuis iustis precibus confirmamus et corroboramus tuae ecclesiae praedictum monasterium nostra apostolica auctoritate, ut habeat et possideat cum omni sua integritate, et quod habet modo et quicquid acquirere poterit in futuro, secundum diffinitionem, qua diffinitum est ante praesentiam filii nostri sere-* 35 *nissimi imperatoris, statuens apostolica censura, ut nullus imperator, rex, archiepiscopus, dux, marchio, comes, vicecomes, vel quilibet cuiusdam potestatis exactor molestare vel infringere audeat, sed sicut a te est constitutum, permaneat. Si quis autem contra hanc defensatricem paginam venire temptaverit, nostri anathematis iaculo perfossus ad vitam numquam surgere mereatur; qui vero custodierit immaculatam, nostram benedictionem habeat cumulatam*[73].

1052. Mai. 7.

40 * Sed exuviae eius deinde ad ecclesiam translatae sunt et iuxta latus altaris sancti Ioannis Baptistae in elevato sepulcro collocatae. Epitaphium sepulcro tale appensum:

Virgineum sidus dum septem terminat Idus,
Admonet huc veniens ut legat ista gemens,
Heu! ruit Ottonum flos regum magnificorum,
45 *Imperiale quibus cessit in orbe decus.*
Flos hic eorumdem tulit Otto nomine nomen,
Cui Mathild mater, cui fuit Ezo pater.
Dux qui Suevorum, moriens fit planctus eorum:
Sed vi morte, Deus, hunc repara melius. add. interp.

50 a) s. v. et i. *cop.*

72) De tempore vid. Ann. Brunwilarenses M. G. I, 100.
73) Haec sunt bullae signa chronologica, quae ex autographo legitur in Act. acad. Theodoro-Pal. III, 152: *Data Non. Mai. per manum Friderici diaconi* 55 *s. Rom. aeccles. bibliothecarii et cancellarii vice domini Herimanni archicancellarii et Coloniensis archiepiscopi anno domini Leonis noni papae* 4. *ind.* 5. Haud semper eundem animum fuisse Herimanno, neque tantam eius erga parentes pietatem ut non fundationem eorum infringere conaretur, probatur tabula quadam Heinrici III data d. 17. Iulii 1051 Couphingin ap. Lacomblet I, 114. in qua hic occurrit locus qui haud parvam his rebus lucem affert: *Postea defunctis supradictis principibus* (Ezone et

Siquidem Henricus imperator, sicut haec carta testatur, iuxta praedicti pontificis votum eumdem iam sua auctoritate et privilegio confirmaverat locum. Ubi cognita prioris et nostrae aetatis distantia, facile discernitur, in quam periculosa devenimus tempora, cum a statu suo Deo placita et hominibus commoda immutata sunt omnia. Nam sicut ait Veritas: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* (Matth. 12, 24.)

(1056. Febr. 11.) 21. Anno etenim dom. inc. 1056 defuncto pio archipraesule Hermanno, successit ei in episcopatum vir venerabilis Anno, qui quamvis sanctae religionis approbatus cultor fuisset, interdum tamen proprii plus arbitratus quam iustitiae cultus tenax, eidem loco nihil pietatis impendebat aut affectus. Quod sentiens Richeza regina, habito prudentum apud se consilio, ratum duxit esse pontificem beneficiis placare, veniensque ad eum in insulam sancti Swiberti, commorantem cum imperatore, Sancto Petro Saleveld et Coburg[74], Sancto Nicolao vero Cloteno per manum mundibordis sui, Henrici comitis palatini, de placito sibi[75] ad vitam usu fructuario sub sollempni dedit traditione. Ubi mox archiantistes eodem animi[a] voto eademque sententia, qua Sancto Petro et sibi Saleveld et Coburg, Cloteno Sancto Nicolao et abbati Tegenoni, qui praesens erat, ut ipse imperator, sub divo hoc agi, iustum fore dicebat, banno suo, terribili sub anathemate dampnatis invasoribus earumdem rerum, perpetuo possidenda confirmabat. Super quo etiam piae actionis negotio ipsius reginae privilegii carta descripta est, quae in redargutionem impiorum, quibus iustitia poena est, adhuc usque eam legere volentibus, apud sacri cultores loci servata est.

(1061.) 22. Anno autem post hoc 1061, cum iam perfectum esset in Brunwilre monasterium, idem reverendissimus archipraesul Anno, quod sui erat officii expleturus, cum Egilberto Mindensi episcopo eo veniens, et sub veneratione sanctorum confessorum Christi pariterque pontificum Nicolai atque Medardi, eiusdem monasterii dedicationem 3. Kalendas Novembris (Oct. 30.) consummavit, et ita ut erat sacerdotalibus indumentis infulatus — Iesum testor! — Cloteno specialiter et reliqua generaliter praedia sacro illi collata loco, banno suo secunda iam vice confirmavit. Constructum est etiam ex eiusdem gloriosissimae feminae atque reginae sumptibus monasterium per Adelberonem Wirtzeburgensem episcopum, in loco ubi sancti Kiliani sociorumque eius sacrum erat martyrium, utpote cuius episcopium ex eius numerosa familiarium clientela, cum omnibus quae ad oppidum Salzo[76] pertinent, cum regia prorsus munificentia adauctum est.* Verum non multo post, anno scilicet dom. inc. 1063, 12. Ka- (1063. Mart. 21.)

* Fecit etiam ipsa construi venerandissima regina capellam in pago Clottenensi pro commodo suo, ut cum ibidem moram traheret, absque tumultu populi missas ad nutum celebrari faceret, quas devotissime audire posset. Quae capella, ut in antiquissimis litteris habetur, vocatur reclusorium dominarum, ideo quia, quum ibidem missa celebrabatur, ipsa cum pe-

a) cum *cop.*

Mathilde) *filii eorum, Herimannus scilicet carissimus noster sanctae Coloniensis aecclesiae venerabilis ac pius archiepiscopus, nec non sorores eius, domna Richeza, Bolemiae quondam regina, ac Theophanu Asnidensis monasterii abbatissa, hii inquam parentum suorum successores edocti ab legis peritis irritari posse traditionem illam, supradictum monasterium cum omnibus eo pertinentibus in hereditarium sibi ius legibus postularunt. Quibus loco et tempore concessis, domnus Herimannus archiepiscopus cum advocato suo Rûtgero, nec non domna Richeza cum advocato suo Gerhardo in Paderbrunnon, domna quoque Theophanu in Goselare in meam venerunt praesentiam, legem, ut supradiximus, in advocatum domus sancti Petri, Cristianum, legem de predicto postulantes monasterio. Quibus in mea praesentia placito indicto legibus discussis, filii parentum suorum hereditatem principum obtinuere iudicio. Sed mox timore et amore Dei commoniti, pro se suorumque parentum in gremio eiusdem aecclesiae sepultorum eterna memoria eandem hereditatem, prefatum scilicet monasterium cum locis subternotatis — — Deo sanctoque Nykolao in Brunwilre — in nostra presentia — tradiderunt.* 74) Haec de hac re leguntur in tabula Annonis archiepiscopi, scripta 1057, ind. 10, 7. Kalendas Iulii: *Dominam Richezam reginam super quibusdam prediis Salavelt videlicet et Koburk, quatenus de hiis precariam consentiens ea Sancto Petro Coloniae traderet, convenimus. Quod quum in aditu primo parum ad votum responderet, voluntas Dei fuit, ut non longo post tempore, quod querebamus, prosperum ac felicem haberet exitum.* Lacomblet I, 123. Vide de his donationibus Annonis tabulas a. 1071. 1074 apud Schultes Sachs.-Coburg-Salfeld. Landesgesch. Urk. II, 1 sqq. 75) id est de possessione sua. Sed Cloteno praedium ad Mosellam situm iam anno 1051 Richeza Brunwilarensibus tradiderat. Cuius extat tabula in Act. acad. Theod. Palat. III, 150; et repetivit hanc donationem anno 1056. Quod confirmavit Heinricus III charta data d. 17. Iulii 1051 l. c. in qua legitur eam praedium illud tradidisse *per manum Heinrici palatini comitis, filii patrui sui, sub cuius tunc mundiburdio manebat.* 76) in comitatu Hennebergensi.

lendas Aprilis[77], apud Saleveld ipsa defuncta est. Corpus vero eius religioso tantaeque feminae exequiarum congruo apparatu Coloniae delatum est, et archipontifice insistente, ibidem in ecclesiae sanctae Mariae, quae est ad Gradus, humatum est[78]. Hacque ex occasione, contra fas iusque divinum, excepto quinque librarum censu, sacer Brunwilrensis locus non solum confundatricis suae corpore, sed et Cloteno privatus est[79]. Super qua re, in uno temerato omni aequitatis iure, et industria abbatis et fratrum formata in persona sancti Nicolai epistola sibique in praesentia[80] reliquorum episcoporum iussu correptus est[81].

23. Operae pretium est, ut a maioribus nobis traditum est, commemorare, unde idem sacer locus iam olim nominatus fuit Brunwilre, qualiterque ibidem vera rerum investigatione repertum sit, quod sancti Medardi sacrum eidem loco inesset memoriale. Erat in diebus Hermanni comitis palatini *, patris memorabilis scilicet Herenfridi, qui, velut Abraham patriarcha, nomine mutato Ezo appellatus est, vir quidam in vico, qui Mannestede[82] dicitur, copiosum habens in sua possessione[a] peculium. Casu[b] contigit ut die quadam scrofa praegnans a silva, cuius minabatur ad pascua, cum reliquo grege porcorum non esset domum reversa, quia ad eiciendos foetus secretiora sibi nemoris elegerat loca. Nihil ergo ipse aliud quam quod evenerat arbitratus, accepta secum bipenne, lucum abscisis remotisque vepribus, quasi viam faciens, secretius quam soleret, intrat, et ecce! aediculam, ex ligno satis curiose constructam, lateribusque studiose ab infusione imbrium defensam aspectat. Explorat itaque aditum, tectum non sine admiratione novitatis ingreditur, altare, utpote in ecclesia, more consueto constitutum aspicit, suemque simul domesticam sibi a crepidine altaris cum decem porcorum capitibus occursantem laetus suscepit. Post hoc submoto lapide superiori, sancti Medardi et aliorum venerandas sanctorum Dei reliquias, cum carta in fa-

dissequis suis ac reliqua familia intus existens, claudi mandabat capellam, ne a tumultu ullo turbari posset. Tandem beata Richeza, postquam beato Petro eiusque aedi metropolitanae Coloniae coram Annone secundo archiepiscopo dedisset Salevelt, Koburg et Orla cum omnibus appertinentiis, cetera vero omnia se concernentia et corpus suum cum omni suppellectile et mobilibus Sancto Nicolao in Braweiler legasset, vitamque sanctissimam instar sanctimonialis duxisset, mortis debitum et ipsa solvit anno 1063. 12. Kal. April. Cuius corpus cum cimeliis, aliter quam disposuerat ipsa, immo et quam S. Anno iuratus promiserat, idem archiepiscopus violenter detineri iussit, et in suo noviter constructo monasterio ad Gradus sanctae Mariae Coloniae sepeliri conversis divitiis eius reliquis ad dotationem Siburgensis monasterii et praefati Coloniensis sanctae Mariae ad Gradus, haud dubie per consilia malorum suasorum ad hoc inductus. *addit interp.*

* Generosissimus heros Hermannus, comes palatinus, cognomento Pusillus, non mediocris reputationis inter magnates illustrissimi imperatoris primi Ottonis, cui in negotiis regni ac praeliorum periculis tam auxilio quam consilio fidelissime adstitit: et praesertim in praelio contra efferam Ungarorum gentem commisso, ubi hostilem pugnando aciem fortissime attrivit. Hic et diversis in locis plura dominia cum amplis possessionibus habuit, et Brunweilerensem locum primum hominibus habitabilem fieri procuravit, duos autem filios ex Helywiga uxore genuit, videlicet Erenfridum et Ezelinum. *interpolator.*

a) i. s. p. *desunt cop.* b) cuius *cop.*

77) In Ann. Brunwilarensibus Mon. Germ. I, 100 exstat 7. Kal. Apr. Hoc eius epitaphium servavit Gelenius de admiranda magnit. Coloniae p. 313: *Anno dom. inc. 1057. 2. Id. April. Richeza regina ab Annone secundo sedis huius venerabili archiepiscopo atque praesentis ecclesiae fundatore cum ingenti totius cleri et populi frequentia honorifice sepulta est, et per ipsum inducta pontificem duobus ornatissimis praediis S. Petro collatis Non. April. obiit.* Effigies lamellae plumbeae in qua haec scripta sunt exstat in Actis Theod. Pal. III, 70. Sine dubio posteriore tempore sunt conscripta. 78) Quod ipsa Richenza de loco sepulturae suae statuerit vide in testamento eius dato 7. Septembris 1050 apud Martene et Durand Coll. I, 424. 79) Cui rei lucem affert charta fundationis ecclesiae beatae Mariae ad Gradus ab Annone data anno 1075 Iul. 29.: *Ne quem vero moveat quod iniuriose Clotteno monachis in Brunwilere abstulerimus, volumus cunctis innotescere, quod pactum ipsa nobiscum fecerit, et nos postea cum monachis fecerimus. Ipsa quidem vivens monachis dederat Kanada quod solvit 5 libras, in qua re voluntas eius plurimum valet. Mihi vero reliquum dedit ut in quocunque monasterio sepeliretur eius monasterii prefatum predium esset.* Lacomblet I, 143. Quam controversiam Herimannus III archiepiscopus Coloniensis sedavit anno 1090. Cf. ibid. p. 159. 80) Ita copia: excidit unum alterumve verbum; fortasse *tradita* vel *recitata.* 81) Anno scilicet archiepiscopus. Tempore tamen Hildolfi successoris eius, qui sedebat annis 1076—1079, monachi Brunwilarenses receperunt praedium Clotem teste Vita beati Wolfhelmi abbatis Brunwilarensis c. 15 auctore Conrado in Act. SS. Apr. III, 77. (cfr. infra) ubi aperte indicatur quibus artibus Anno praedium Clotten usurpaverit. De Salaveld vide etiam Vitam S. Annonis I, 30 apud Surium VI. 82) *Mansdorf* prope Braunweiler.

sciculum compositas, a fossa altaris eicit, et secum illas auferendo praeposito Indensis monasterii[83], qui ex more eas in partes saepius venire consueverat, ostendit. Qui inspecta carta et cognita admiranda rei novitate — erat enim cognatus comitis palatini, ipsique ob hoc familiaris et notus — ad eum velociter properat, et quam inspexerat, ex ordine boni eventus, salutem illi laetanter annuntiat. Ille insperatum laetique ominis nuntium gratanter audiens, rusticum eundem, cui nomen erat Brun, ocius accersiit, cartam cum reliquiis inquisitam et exhibitam reverenter excepit, et hanc illi causam esse inscriptam cognoscit. Huius sacrae fundator aediculae et auctor, Bruno nomine, germanum habens vocabulo Berechonem, vir potens et nobilis, non procul hinc in silva, quae ex sui magnitudine Vela[84] dicitur, constructa tutissima degebat in munitione. Quam quidem tyrannus, Heymo nomine, subita invadens incursione, interfecto eiusdem fratre Berechone cum reliquis fere omnibus, hunc cum paucis praesidio fugae vitam servantibus, suis a finibus extorrem fecit et in Franciam ire coegit. Qui Suessionis civitatem adiens, et flebilem suae calamitatis historiam coram omnibus pietatis affectum habentibus edicens, sancti Medardi reliquias ad constituendam in eius honore ecclesiam petiit et impetravit, cuius indubium ad revincendum hostem meritum et patrocinium sibi adesse speravit. Ad votum omnia, suffragante illi pio salutis suae protectore, prosperantur, ecclesiola fundatur et dedicatur. Verum huius dedicationis auctor quis esset, incertum adhuc usque manet, quoniam aviditate rustici, qui maxime pecuniam esse sperabat quod invenerat, fragile cerae signum confractum est, sicque auctoris persona et nomen absconditum est. Verum tamen supradictus, ut fertur, acephala[85] a multis eatenus timore periculi devitatus, postmodum a praefato Brunone impetitus occiditur; et quamvis eius munitio triumphato hoste destruitur, idem locus tamen usque hodie Heymenburg dicitur. Fuerunt propere metropolitano episcopo Warino[86] comperta, quae fuerant comiti palatino iam cognita; altare reparatur, ecclesia instructis ex lapide parietibus innovata ab eodem archipontifice dedicatur, sacroque illi loco, congruentibus sibi veteris ecclesiae et antiqui auctoris et novi eiusdem inventoris nominibus, Brunwilre nomen aptatur.

MIRACULA DUO ADDITA, UT VIDETUR, AB INTERPOLATORE.

1. Constat autem venerabilem patrem Ezonem, praecipuum sacri illius loci innovatorem[a], necnon et Mathildam, religiosissimam eius coniugem, etiam[b] post mortem virtutibus claruisse, quod eo magis credibile est, quo longe superius digesta[c] oratio ambos adhuc in carne viventes his non caruisse in testimonio est. Nam et[d] earundem virtutum miracula, quae frequenter illic fiunt, si beatorum patrum Nicolai et Medardi meritis adscribenda sunt, hi tamen alieni illis non sunt, quibus auctoribus nomina eorum ibidem in saecula vivunt. Igitur in eodem vico fuit quidam adventitius nomine Lynmarus, fullonis officio deputatus, habens filiam septennem, cui ab ipso nativitatis exordio pedum denegaverat incessum contractio genuum. Instabat iam annus dom. inc. 1044; illuxerat etiam dies ascensionis Domini festus, cum ecce eam secum ad quietis amborum — nam simul adhuc conditi fuerant — detulit locum. Quam mox, cum adhuc pro ea incuratione[e] eius fidelis volveretur oratio, divina virtus in pedes erexit, et coram omnibus qui aderant admirantibus sanam ei restituit.

2. Erat quidam Gunzelinus nomine, cui simili modo, ut superius de puella relatum est, prima dies exordia vitae cum membrorum strage dedit, qui sicut ille quem beatus Petrus curasse in Actibus apostolorum legitur, ad portam monasterii quotidie ponebatur baiulorum manibus, quatenus ad limina sanctorum aut suae debilitatis plangeret miseriam, aut ab introeuntibus peteret eleemosynam. Anno itaque dom. inc. 1052 dominicae resurrectionis hora matutinali baiulorum adminiculo, qui cum reliquo christianae devotionis populo divino aderant servitio, in cripta iuxta chorum positus videt — ut ipse postea retulit — matronam operosis vestibus indutam, praecedentibus viris duobus pontificali dignitate fulgentibus, chorum intrare, et sibi nutu vultus ut sequatur imperare. Qui de visione admiratus, nescit an citius sit curatus, de nutu enim imperantis exsiliens, medicina potens, protulit incessus, quos non sibi contulit ortus[87]. Tertia debinc die dominicae resurrectionis panem non modicum super sanctae memoriae sepulcrum dominae Mathildis positum arripiens et avide comedens magnum omnibus Deum laudantibus miraculum praebuit, quia infantium more numquam antea solido cibo uti valuit.

(Margin: 83; 86; 1044. Mai. 31.; Act. 3.; 1052. Apr. 19. — line numbers 5–50)

a) inventorem *cop.* b) utram *cop.* c) digressa *cop.* d) ob *cop.* e) oratione *cop.*

83) S. Cornelii. 84) Leguntur haec verba in literis Piligrimi archiepiscopi supralaudatis. Vela silva est *Filk.* 85) Heimo, qui erat praedo, caput vel magistratum non agnoscens. LEIBN. 86) Coloniensi; sedit annis 975—985. 87) *protulit — ortus* versus.

GISLEBERTI

CARMEN DE INCENDIO S. AMANDI ELNONENSIS.

EDIDIT L. C. BETHMANN.

Sanctus Amandus circa annum 633 in districtu Pabulensi, dioecesis Tornacensis, media fere inter Tornacum atque Valentianas via, qua Elnon fluviolus Scarpo iungitur, coenobium fundavit, cui ab ipso fluviolo nomen fuit inditum Elnonis. Extabat ibi iam ante eum[1] *ecclesiola S. Martino Turonensi dicata cum habitationibus hominum, unde sensim accrevit oppidum Sancti Amandi in Pabula, iam St. Amand en Pevèle, cuius ditio sequentibus demum saeculis ad abbates Elnonenses translata est; ecclesia parochialis semper mansit antiquissima illa ecclesia S. Martini. Quam intactam relinquens, sanctus Amandus in fundo per regem Francorum sibi concesso prope Scarpum flumen alias construxit duas, sancti Andreae alteram in ministerium populorum, ubi clerici saeculares inserviebant una cum monachis*[2], *alteram sancti Petri, fratrum solummodo usibus destinatam, in qua etiam sepulturam sibi ordinavit. Sed* quoniam pro sui parvitate tanti praesulis tumulo visa fuit incongrua, atque etiam secundo sexui propter monachorum habitacula inaccessa: frequenti religiosorum virorum conventui visum est, aliam magnitudine praestantem debere aedificari, quae et utrique sexui ac confluenti illo sufficeret multitudini populari. Completo itaque Deo devotorum sumptu opere illius aedificii[3], *sedecim post sancti obitum annis sub abbate Iohanne consecrata fuit tertia ecclesia sub invocatione sancti Stephani, eoque* deportatum beati Amandi corpusculum, eadem die dedicatae basilicae intravit habitaculum, *ubi per aliquot dies populo expositum, episcopus illud in crypta angusta quidem et humili* altius telluri, ut tunc moris erat, credidit absconditum, videlicet ut omnibus non pie quaerentibus inveniendi illud negaretur facultas. *Quae sepultura causa fuit quod haec ecclesia cum sancto Stephano postmodum ipsum etiam sanctum Amandum habuit patronum. Unde quod de Gisleberto abbate anno 782 defuncto Alcuinus dicit in epitaphio*[4]: Hic pius ecclesiam sancti construxit Amandi cunctaque iam renovans claustra monasterii, *de hac ipsa ecclesia sanctorum Stephani atque Amandi intelligendum erit, quam Gislebertus* renovans construxit, *id est reparavit. Sed crypta*

1) *Ante alia et sacri septa monasterii* Alcuini carm. 34. Froben. Unde quod sancti Amandi successorem Andream hanc extruxisse quidam tradunt, error videtur. 2) Mabillon Acta saec. IV, 1, 65. 3) Verba sunt Milonis in sermone de translatione sancti Amandi, apud Acta SS. Febr. I, 875. quocum de tempore sedecim annorum conveniunt Annales Elnonenses: 661 *obiit sanctus Amandus.* 677 *dedicatio aecclesiae beati Stephani.* 4) carm. 265. Froben.

in qua sanctus requiescebat, quum esset humilis atque inundationibus exposita: Arno abbas frater Alcuini latiorem eam atque sublimiorem reddidit concameratione duodecim testudinum, sex columnis imposita, dicavitque sancto Michaeli archangelo; cui Alcuinus hos inscripsit versus[5]*:*

Dum sacra praesentis pervasit limina templi
Saepius accrescens cumulatum gurgite flumen,
Non tulit Arnonus foedari templa sacerdos.
Iusserat in melius renovari haec omnia praesul,
Latior ut fieret cripta et sublimior ista,
Supponens tectis firmatos ter quater arcus,
Mysticus ut totam firmaret calculus aulam.
Parvula praecelso consecrans tecta ministro
Michaelo, caeli Christo qui adsistit in arce,
Atque preces offert sanctorum regi polorum.
Hic quoque nostra ferat, rogitamus, vota Tonanti
Auxilioque pio nosmet defendat ubique.
Hlotharius custos fecit mandante magistro.
Semper in aeternum Christus conservet utrosque.
Qui legit hos versus, dicat, rogo, pectore puro:
„Alcuino veniam scelerum da, Christe, precamur."

Idem etiam Alcuinus tunc inscriptionibus[6] *ornavit ecclesiam ipsam sanctorum Stephani atque Amandi eiusque portam arasque quae in ea erant sanctorum Stephani, Laurentii, Michaelis archangeli, Hilarii et Victoris, necnon et vetustissimam aedem sancti Martini, duasque ab ipso sancto Amando extructas sancti Andreae atque sancti Petri, in qua et Gisleberto abbati* sepulto in ecclesia sancti Petri sub arcu[7] *epitaphium fecit. Quod autem Arno eodem Alcuino teste tunc etiam* sancti tumbam renovavit Amandi[8], *intelligendum videtur de lapide locum sarcophagi tegente. Sarcophagus enim ipse telluri altius absconditus remansit atque intactus, usquedum* anno 809 ultra solitum aquarum inundatio facta oras fluvii Scarp impleverat, qui beati Amandi tumulo pene contiguus, non amplius ab eo quam viginti passibus distabat, qui intantum excrevit, ut ad sacratissimi corporis sepulturam accederet. Huius itaque incommoditatis eventus .... Lotharium, sacri templi illo in tempore aedituum, non mediocriter perculit; cuius sagacis animi industriam operumque efficaciam, et corpora librorum nostro archivo indita ac totius coenobii in melius augmentata, etiamsi humana lingua taceat, fabricae structura clamat. Hic igitur ... fossores necessarios adhibuit, atque sarcophago elevando diligentiam impendit. Quod levatum ... per 32 dies supra terram manere permisit, ac die 10. Kalend. Nov. .... in loco praeparato recollocavit, urnamque sepulcri non ut antea fuerat, in profundioribus posuit, sed in superioribus, ita ut fundamentum illius videri et lumen sub illo accendi

5) carm. 29. Froben. Hoc carmen magnas difficultates fecit Mabillonio Act. II, 730. IV, 1, 63, quum Alcuinus obierit a. 804, elevatio autem sancti Amandi, ad quam illud refert Mabillon, omnium consensu anno demum 809 facta sit. At elevationis ne levissimum quidem vestigium in hoc carmine apparet, quae si tum iam facta fuisset, Alcuino certe non fuisset praetermissa. Neque ea memoratur in carmine 39, ubi vel magis eius mentionem fieri oportebat. Porro Milo in sermone de elevatione ista ne verbo quidem cryptae adeo immutatae mentionem iniicit. Quamobrem utraque res non potest uno tempore locum habuisse, sed Arnonis restauratio cryptae decennio saltem elevationem sancti corporis praecedit. Ita omnes difficultates levantur. 6) carmina 28—40. Carmen 124, quod de Elnone intelligit Mabillon Act. IV, 1, 63, ad Iuvaviam pertinet, ubi nunc etiam extat oratorium sancti Amandi. Cf. Beda Chronicon novissimum Sancti Petri Salisburg. p. 47. 7) Ann. Elnonenses. Est Alcuini carmen 265. Frob. 8) carmen 39.

posset, collocavit, atque in eo illum psalmi versiculum HAEC REQUIES MEA IN SECULUM SECULI . HIC HABITABO . QUONIAM ELEGI EAM suprascripsit. *Haec Milo*[9], *non amplius quinquaginta annis post scribens. Eius tempore Pipinus atque Drogo, Caroli Calvi filii gemini, Elnone sepulturam acceperunt, vivo etiamdum patre statuis atque epitaphio per Milonem composito ornatam*[10].

Nortmanni qui anno 884 abbatiam sancti Amandi devastaverunt[11], *rebus atque habitatoribus funestiores fuisse videntur quam aedificiis; nil enim tunc destructum audimus. Circa idem vero tempus Hucbaldus monachus sancti Cyrici ossa a Niverno detulit* in[12] sancti Amandi oratorium .... et accelerans artifices lignorum, fecit in media templi testudine congruum habitaculum construi, quo locarentur sancti ossa ... quare aedificatum est ibi altare. *Sed intra a.* 988—1004 *Susanna regina Arnulfi comitis vidua*, cernens minus condignam thecam ..... demandavit fieri opere anaglypho feretrum tabulamque coram altari, ac desuper ipsius passionis gesta; sed et in circuitu decenter distingui Pario lapide ac nigro, aediculae speciosae amoena ... Hoc autem opus omni dignum admiratione perseveravit usque ad concremationem ecclesiae. *Tunc etiam Werricus a.* 970—996 *abbas atrium coenobii muro lapideo clausit*[13]. *Anno* 1010 dedicatio turris, ab Harduino episcopo et a Robbode abbate condita *traditur in Annalibus Elnonensibus; quam turrem primam fuisse quam habuit monasterium, ex Alcuini maxime alto de turri silentio concludere posse nobis videmur. Anno* 1040, *testibus iisdem*, dedicata est cripta ab Hugone episcopo et a Malboldo abbate condita *vel potius reparata, ut monet Mabillon, qui eandem cum duabus utrimque aris sanctae Mariae sanctique Michaelis et duplici campanili amplissimam ad sua usque tempora perdurasse tradit. Forma monasterii Elnonensis qualis tunc temporis fuit, quodammodo perspici potest e picturis, quibus Baudemundi vita sancti Amandi ornata habetur in codice Elnonensi, iam Valentianensi I.* 6. 9. *saeculi undecimi. Quae picturae, summi ad architecturam priscam cognoscendam momenti omnibusque illius studiosis eo nomine summopere commendandae, aut hoc demum tempore compositae sunt, aut quod magis crediderim, ex antiquiore codice exceptae statum etiam monasterii temporibus Karolingicis repraesentant.*

Ita quum abbatia Elnonensis tribus ecclesiis cum crypta, turri, claustro, muro lapideo, domo hospitali[14], *oppido denique adiacente esset insignis, subito* anno ab incarnatione Domini 1066, a transitu vero sancti Amandi 406, sub 3. Iduum Februariarum, Elnone accensae sunt domus in foro, hora fere tertia. Unde et in ipsam praedicti pontificis ecclesiam plumbeis tabulis tectam per tegulas sub ipsis tabulaticis flamma prorupit, antiqui hostis ut credimus invidia. Quae ipsa cum omnibus claustris suis statim est incendio devastata; necnon et apostolorum principis, sed et alia germani ipsius ecclesia. Campanae fundendo in pulverem sunt redactae; diruta etiam quaeque ornamenta ecclesiae, columnas dico de Pario[15] lapide cum analogio[16] honestae fabricae. Ubi quiddam contigit relatu dignissimum .. nam mox ut ipsae campanae a flamma sunt invasae, coeperunt insimul nullius nisi solius Dei impulsu resonare, acsi divinitus monerentur plangere ruinam sui et ecclesiae, donec, ut praelibatum est, in pulverem sunt redactae. Cuius habitationis restituendae gratia fratres cum abbate ipsius loci, *Fulcardo scilicet*, ex consulto marchionis terrae, *Balduini*

9) in sermone de elevatione sancti Amandi in Actis SS. Febr. I, 879. 10) apud Mabillon Acta saec. IV, 1, 65. Acta SS. Iunii III, 35. 11) Ann. Elnon. 12) Verba sunt Philippi abbatis Bonae Spei, apud Acta SS. Iunii III, 34. 13) Gallia Christiana ex chronico Elnonensi ms. 14) diploma Caroli Calvi apud Mabillon Annales Ben. II, 752. 15) i. e. albo. 16) pulpito.

Insulensis, atque episcoporum, petitione quoque Francorum obnixa, feretrum quo corpusculum venerandi patris recubabat, per Galliam detulerunt; quos cum tanto thesauro Galli ubilibet locorum honorifice et summa cum devotione susceperunt. Excessimus sane monasterio 7. Idus Iunii, repedavimus in idem sub die 4. Nonas Iulii. *Ita Gislebertus orditur historiam huius itineris*[16*], *idemque in carmine iam edendo tradit, omnia omnino monasterii aedificia una cum turri combusta tum fuisse praeter cryptam, cui soli ignis pepercerit. Nova fundamenta iecit prioribus effossis abbas Fulcardus, opus continuavit Bovo, perfecit Hugo, qui ecclesiam* decentissime cum claustro et turribus et officinis aedificavit *teste Herimanno Tornacensi*[17], *atque iam* anno 1088 dedicatio aecclesiae beati Stephani a Rabodo Noviomensi et Gerardo Cameracensi, agente Hugone abbate, *facta est ex Annalibus Elnonensibus, quibus consentit tabula marmorea, sub cruce lapidea in summitate eiusdem ecclesiae reperta tum quum ipsa sub Nicolao tertio abbate deiiceretur ad novam condendam, cuius tabulae verba haec affert Mabillon:* Anno 1088 dedicata est ecclesia a Ratbodo Noviomensi et Tornacensi episcopo, undecimo ordinationis suae anno. Hugo abbas dedicationem hanc fieri instituit, et me hic componi praecepit. *Idem Hugo levavit etiam corpus sancti Andreae abbatis successoris sancti Amandi, primitus in ecclesia sancti Petri conditum, sed una cum sancto Amando translatum in ecclesiam sancti Stephani, et* mundato tumulo sollemniter hic relocavit *epitaphiumque inscripsit*[18]. *Eidem tempori tribuenda videntur epitaphia sancti Amandi, Lotharii custodis, Milonis, Hucbaldi, Fulcardi abbatis, Gisleberti sacerdotis*[19].

Insequentibus saeculis perpauca tantummodo mutata videntur. Eustachius a. 1182—1191 *abbas secundum Annales Elnonenses* dormitorium optime renovari fecit, et capellam sancti Andreae quae vetusta erat, reaedificavit. *Gualterus a.* 1204 *defunctus* ad honorem Mariae virginis imaginem speciosissimam auro et argento et gemmis pretiosis ornatam fabricari fecit, et ecclesiam palliis non infimis decoravit. *Anno* 1340 *Angli quum Tornacum obsiderent, monasterii muris effractis viam sibi per illud fecerunt ad oppidum sancti Amandi, quod tunc fuit devastatum. Sed praecedentibus omnibus maiorem mutationem subire coenobium coegit Nicolaus III abbas. Is enim funditus illud instauraturus, teste Mabillonio*[20] *solam tumbam sancti Amandi atque altaria duo servavit intacta, reliqua omnia funditus deiecit.* Anno 1639 pro labascente antiqua sancti Andreae ecclesiola, *ab Eustachio reaedificata*, novam construxit, inviolato tamen altari vetusto. Ecclesiam sancti Petri *antiquissimam, incendio vastatam quidem at non penitus destructam,* funditus evertit, sacellum dumtaxat eo in loco ponens ad posterorum memoriam, monachorum ibi sepultorum reliquiis collectis et in maioris basilicae cryptam illatis. *Ecclesiam sancti Stephani ab Hugone reaedificatam unaque cryptam ab Arnone constructam et a Malboldo reparatam, cui ignis pepercerat, a fundamentis deiecit,* intacta solummodo sancti Amandi tumba cum altari. *Quibus cum toto monasterio destructis, novum prorsus monasterium erexit, quod Mabillon ita describit:* Quadrum totius aedificii 600 pedibus constat, continens aedes abbatis et hospitum et officinas. Intra illud extat aliud minus 200 pedum, claustro dormitorio ceterisque regularibus officinis accommodatum, habens a parte australi maiorem basilicam sancti Amandi, longam 500, altam 126 pedibus, turris 300. *Dedicata fuit ecclesia a.* 1672. *Et ex tanta mole rerum Gallicarum revolutio nil nisi turrem reliquit.*

16*) de qua vide infra p. 413 sq. 17) de restauratione Sancti Martini c. 63. 18) apud Mabillon Acta II, 710. 19) in codice Paris. 2093, edita apud Mabillon Acta IV, 1, 62. Acta SS. Iunii III, 19. 36. 20) Acta IV, 1, 65.

Incendii tempore apud Sanctum Amandum vixit G i s l e b e r t u s, *ex clerico atque decano Sancti Andreae monachus factus Sancti Amandi, cuius feretrum ipso anno* 1066 *per Galliam comitatus est. Magnae eum apud suos auctoritatis fuisse, patet ex iis quae Hermannus Tornacensis tradit c.* 11. *de Tornacensibus:* cives ... episcopum Rabodum adeunt, ut Odonem in eadem ecclesia remanere exhortaretur .... Episcopus videns se parum proficere, quendam religiosum presbiterum Gislebertum accersit, qui in eadem regione tunc temporis acsi propheta quilibet honorabatur, quique nunc in ecclesia sancti Petri Helnonensis coram altari sepultus quiescit. Hoc ergo sibi iuncto, iterum totis viribus animum magistri nititur inflammare. *Magnae etiam in praedicando eloquentiae extitisse, domestica apud Elnonenses traditio ferebat. Abbatem fuisse, error est Oudini. Sacerdotem atque magistrum vocat codex noster Elnonensis, presbyterum Hermannus Tornacensis atque Annales Elnonenses. Obiit a.* 1095[21], *sepultus in ecclesia sancti Petri coram altari, cum hoc epitaphio*[22]*:*

Hoc Gillebertus sub marmore pausat opertus,
Formam pastoris nostris qui gessit in horis,
Dogmata diva serens et Christo totus inherens.
Tandem sublatus terris petit astra vocatus.

Scripsit Gislebertus c a r m e n d e i n c e n d i o m o n a s t e r i i s a n c t i A m a n d i, *versibus leoninis, in quibus homoeoteleuton in arsi tertii metri saepenumero syllabam brevem producit, sermone hic illic subobscuro, eo maxime quod omnia per allegoriam interpretatur auctor sensu mystico atque moralizante. Id enim praeter gratitudinem sancto Amando declarandam sibi proposuit Gislebertus in hoc carmine condendo, ut lectores Ninivitarum in modum moniti fierent atque contriti meditationibus quas narrationi suae connectit. Quod quum sentiret has allegorias non omnibus facile intellectum iri, ipse glossulas singulis vocibus superscripsit. Extat huius carminis hucusque pro deperdito habiti codex unicus Elnonensis, Sandero adhuc ibi visus numeroque* 56 *signatus, iam Parisiensis* 2093 *mbr. fol. Est is apud Sanctum Amandum exeunte saec. XII una manu nitidissima summa cum diligentia exaratus, atque continet Augustini quaedam, Gisleberti carmen et inscriptiones aliquot Elnonenses. Titulos atque notas* M o r a l i t a s, A l l e g o r i a *in margine saepenumero positas librarius ipse rubro scripsit, idemque vocibus singulis glossas superposuit atramento paullo nigriore, non suo Marte, sed iam ab auctore inditas, quas nos asteriscis appositis in margine collocavimus. Descripsit inde carminis textum Guilelmus Marty, Regiomontanus, quo multum usi sumus in codicibus Parisiensibus atque Bruxellensibus transscribendis; cuius apographum ipsi deinde accuratissime ex codice ipso correximus, carmenque inde prima vice editum hic sistimus.*

Scripsit etiam M i r a c u l a s a n c t i A m a n d i „Licet interdum — benedictum in secula . amen“ *cum annexo carmine* „Mos fuit antiquis — nunc ipsum munit euntem“ *Est relatio itineris Gallici a.* 1066 *instituti ad collectas pro reaedificatione monasterii faciendas, cui itineri auctor praesens interfuit, sermone pedestri sed difficili, veterum poetarum flosculis referto. Quae ibi narrantur, omnia et in carmine de incendio monasterii habentur; quare hoc opus non censuimus iterum nobis edendum. Habetur in codice Elnonensi, iam Valentianensi T,* 6, 9 *membr. quarto saec. XI, medio loco inter Baudemundi, Milonis aliorumque de sancto Amando opera; alia manus subiecit appendicem alius*

21) Annales Eln.: 1095 *obiit Gislebertus presbiter.* 22) Legitur in codice Elnonensi, iam Parisiensi 2093 intitulatum *Epitaphium Gilleberti sacerdotis et magistri.*

auctoris „Stili pandat — omnia secula seculorum amen". *Sine hoc appendice extat in codice Gandensi et in Belfortiano. Editum fuit inter Philippi abbatis Bonae Spei opera, Duaci* 1621, *tum in Actis SS. Februarii I,* 879 *atque inde apud Ghesquiere Acta SS. Belgii V,* 272. *Excerpta inde dedit Mabillon Acta II,* 732. *Expositio in omnes epistolas sancti Pauli, quam sub Gilleberti monachi Sancti Amandi nomine in codice Elnonensi n.* 165 *vidit Sanderus, utrum nostri sit an alterius, incertum. Sermones anonymi in codice n.* 188 *minore etiam cum veri similitudine ei tribuuntur a recentioribus. De reparatione huius monasterii non aliud est a carmine quod iam proponimus.* 5

Berolini, mense Februario 1850.

L. C. BETHMANN.

PROLOGUS MAGISTRI GILLEBERTI DE INCENDIO MONASTERII SANCTI AMANDI.*

* Hic G. sacerdos venerabilis sepultus est in ecclesia sancti Petri ante altare.

1066. Qui nimium mestis afflicti casibus estis,
Ne desperetis uti post tristia letis.
Claret in exemplum Solime memorabile templum,
Psal. 73,3 7. Cuius sic David casum prenotificavit:
5 *Quanta malignatus est trux inimicus in almo!*
Incendent igni tua sacrosancta maligni.
Et tamen id rursum, Iesu* monstrante recursum,
Vulgus captivum repedans fundat recidivum,
Tot laetando bonis post tot fletus Babylonis.
10 Fert id et ipse Deus de templo corporis eius,
Quod, sanctus Nazareth cum Spiritus aedificaret,
In thalamo matris servans decus integritatis,
Apparensque foris Solimae claresceret horis,
Haec sunt obiecta, quibus est mos urere tecta:
15 Canna levis, spinae blasphemia, ventus in igne.
Vertex* exili canna contunditur illi;
Materie sicca fomentis ignis amica
Cingitur et spinis; sufflat* Israeliticus ignis,
Ut consumatur velut id quod ab igne voratur.
20 Compago* cuncta labat huic per ferrea puncta;**
Pars etiam vasta terebratur militis hasta,
Qua fons emanat, qui mundi vulnera sanat.
Cumque cadit, ferre casum vult motio terrae,
Nec sua lamenta celare queunt elementa.
25 Cumque die terna, virtute levante paterna,
Regius hic murus non ultra iam ruiturus
Victor surrexit, o gaudia quanta revexit!
Astra patent furi talis per brachia muri,
Ac etiam multos lapides dat terra sepultos
30 Vivos surgentes et murum sponte sequentes,
Ne solus stratus ita surgeret incomitatus.
Vobis, ancillae, primo fuit obvius ille,
Ac accessistis eiusque bases tenuistis.
Sexagenorum spatium peragrans stadiorum
35 Emmaus attingit, hinc et procedere fingit.
Contra Iudeos post haec munit Galileos*,
Et timidos animat et pacis nomine firmat.
Nec maris hoc portus caruit, nec funebris orcus*.
Collis olivarum tandem fit meta viarum.

* sacerdote.
* caput Christi.
* iudicando.
* corporis. ** clavorum.
* apostolos.
* Maria stabat ad monumentum plorans.

1066.

40 Ex quoquo cunctos liquor hic sibi subrigat unctos,
Per nubis velum voluit conscendere celum.
Hoc Galileorum mirantia corda virorum
Stabant intenta, promissa manere talenta,*
Quae dispensarent, quibus aecclesiam fabricarent.
45 Hoc patris insigne donum cum venit in igne,
Qui dum nascentis calet aecclesiae rudimentis,
Ex tribubus cunctis trahit ad misteria fontis,
Et dum fervores mundus movet exteriores,
Aecclesiam mille tegit ignis ab ignibus ille,
50 Nec tot iacturae post paulo sunt sibi curae.
Nam dum Romanis iret* contraria fanis,
Illic seva satis ducibus fert damna necatis,
Hoc* manibus tensis, hoc** ictu protinus ensis.
Crux ligat Andream, gentem ne solvat Acheam.
55 Iacobus Alfei minor et maior Zebedei,
Qua* videre pati Dominum, sunt inde necati.
Aecclesiae biberant Asiae de fonte sophiae
Harum pincerna* largo de vite superna,
Cum subtractus eis abit ad convivia regis.
60 Tu* qui mersisti digitos in vulnera Christi,
Indis, dum pateris, tactu comperta fateris.
Nominis inde tipum patet implevisse Philippum,
Quod vere lampas germanas aggregat ambas
Et sic Ierapoli fundit tria lumina soli,
65 Subtractus levi lucris culpabilis aevi,
Quaerens thesauros per iusta negotia Mauros,
Mercem iocundam persolvit sanguinis undam.
Quos pie viserunt, a Persis interierunt
Symon, Tadeus, et ab Indis Bartholomeus.
70 Hos precessores imitata neophita proles,
Pro patribus nati, matrem fulcire parati,
Hanc complectuntur, dum patres morte sequuntur,
Et gremium matris cumulatur cedibus atris.
At confessores his multo liberiores,
75 Quos pax tranquilla rabie protexit ab illa,
Tantis fomentis curam gessere parentis,*
Ut legis vescens epulis et robore crescens
Ubere fecundo daret omni pabula mundo.
In nova sic lacrimas convertit gaudia primas,
80 Cedes natorum reputans in parte lucrorum.
Sic praecurrentes planctus plaususque sequentes
Hic sunt narrandi de templo patris Amandi,
Quod prius indignis disiectum casibus ignis,
His fundamentis manus inchoat omnipotentis;
85 Quod facit egrotos plures a peste remotos,
Ad manifestandum, quod ad illud opus reparandum
Has gazas caeli* servo daret ipse fideli.
Cum simul immensum conferret Gallia censum,
Nos eius servi, quis non sunt aeris acervi,
90 Quos aliquo dono decet huic servire patrono,
Has ferimus cartas, licet his virtutibus artas,
Quis gens Francorum rutilat ceu luce polorum.
Quotque poli signis Phebeus inestuat ignis,
Donec iter magnum repetat, qua caeperat annum:
95 Tot sol mirandus signis radiavit Amandus,

* Spiritum sanctum.
* ecclesia.
* Petro. ** Paulo.
* Ierusalem.
* Iohanne.
* Thoma.
* ecclesiae.
* virtutes.

1066. Febr. 11.

Egris lustratis, qui caeli sunt deitatis,
Diruta dum rursum sua vertit ad atria cursum.
Sic, Deus, haec presta nobis intexere gesta,
Ut modo morali sensu, modo spirituali
100 Illa subornemus et iunctim continuemus.
Nunc Te donante luctus describimus ante,
Plausus ut hinc natus sit post mage notificatus.

EXPLICIT PROLOGUS. INCIPIT TEXTUS.

Ergo Deus signis nostri nos corripit* ignis,
Ut sic contritis veniam det ceu Ninivitis,
Simus et Helnone, velud urbs bene credula Ionae
Solis victa minis, ut nos vel vincat hic ignis,
5 Hora qui prima, cum sol iam linqueret ima
Institit ardere, signans nos ima cavere
Et velut ad cursum solis fervescere sursum.
Extitit istarum mulier nutrix lacrimarum,
Ceu fuerat mundo sexu mors orta secundo.
10 Illa quidem lignis flammas dum pasceret ignis,
Estus reptantes admisit virgea crates;
Et non invita, quia sepe calore petita,
Hinc crepitans ignis sua iungit acumina tignis.
Torres ambustos perfundens flumine custos
15 Dum videt ardorem proprium superare laborem,
Prodidit heu! seris instantia damna querelis.
O mala servatrix nec cautior auxiliatrix,
Quam sero clamas, cum fert domus undique flammas!
Nescieras fari, dum fas foret auxiliari!
20 Illius tota questu vicinia mota
Omnibus abiectis fervet procurrere tectis
Et flammae plenis infundere flumen aenis.
Sed mox fervores fusos odere liquores,
Cum se munirent scutis, ut cominus irent.
25 Vellitur insertis tecti compago lacertis.
Sic irritatus dans ignis in alta volatus,
Prunas, scintillas fert fumiferasque favillas.
Quas ubi convolvit ventus, per tecta resolvit.
Non ibi cunctantur, quin otius enutriantur.
30 Raptis fomentis cannalibus in tegumentis,
Hinc iunctis lignis, violenter inestuat ignis
Percurritque forum, quia sic coit ordo domorum,
Ne qua focos tardet, paries ubi proximus ardet.
Iure forum villae fervor magis occupat* ille;
35 Fervor enim crevit, ubi lis fervescere suevit.
Qua consuetudo fuerat dare brachia ludo,
Brachia tolluntur et pectora percutiuntur.
Ex domibus latis nutricibus ebrietatis
Ignis agit potum lacrimarum flumine totum.*
40 Sic fiat, Christe! focus haec loca puniat iste!
Puniat haec tantum, nec eat quid perdere sanctum!
Aecclesiis parce, fervores eminus arce;
Non avertaris! domus est tua, quam tuearis.
Esto memor, Christe, quam terribilis locus iste,
45 Quem modo sic linquis culpis offensus iniquis,

cf. Hor. Ep. I, 18. v. 84.

* vel erudit.

* vel circumdedit.

* vel fotum.

1066. Febr. 11.

Illuc ex villa, quod clades transvolat illa,
Et tu quam mire moliris flamma subire.
Imas exploras plumbati tegminis horas,
Iniciens saltum laquear nutrienda per altum
50 Incoquitur pestis. Sancti, vos eminus estis.
Scilicet ante forum tristesque chori monachorum,
Amplius ignari vicinis auxiliari,
Quam per vos horum finem poscendo malorum
Intenti. Sorsum surgunt graviora retrorsum,
55 Nubes fumiferae, quae templo prosiliere
Per plumbi rimas, per partes tegminis imas.
Eheu! quod dico quis vidit lumine sicco?
Quosve domus carae potuerunt sollicitare,
Omnibus intentis domui mage cunctipotentis?
60 Pro dolor! hanc seri nimium caepere tueri.
Annosis lignis dominatur maximus ignis,
Ac incentivos plumbi vomit undique rivos.
Ergo nec irrorant flammas fluviove soporant,
Credunt et serum multas exponere rerum
65 Quod tamen evincunt, ast igni marmora linquunt.
Sic cupidi mores fluxos tutantur honores, MORALITAS.
Despiciuntque foris animae decus interioris.
Ultro campanae, vibrantes vos per inane,
Quae nova signatis. sonitum dum continuatis?
70 An res divinae, quas miscet flamma ruinae,
Vos etiam tantum compellunt clangere planctum?
An, quoniam talis crepitat sonus exequialis,
Dum qui privantur vita, tandem tumulantur,
Ecclesiae cladem specie defletis eadem?
75 Heu rationalis homo, vix est vox tua talis,
Ausa Deum verbis etiam turbare superbis
Luxuriosorum tamquam clamor Sodomorum.
Vox expers veri non aequiperabitur aeri,
Quod sonat exempli causa super ardua templi,
80 Tanquam tu, Paule, vel summae ianitor aulae, ALLEGORIA.
Ac Domini vernae, stantes in monte lucernae
Signis fulsistis, sermonibus intonuistis.
Hinc quoniam morbus languet tribus anxius orbis MORALITAS.
Mentibus et linguis manibusque gravatus iniquis,
85 Haec tria signantur, ubi nunc tria templa cremantur,
Primo prefatum, post hoc duo caetera fratrum,
Fratrum nascendo[*] fratrumque crucem paciendo.
Utque recordentur, qui claustri lege tenentur,
Quae maneant sedes, claustri focus abstulit edes.
90 Cripta reservatur; turris tamen excumulatur.
Sic humiles tuti vivunt, te. Christe, secuti; MORALITAS.
Alti plus equo pereunt in carcere caeco.
Illa dies horum gravitate referta malorum
Traxit inexpletum facto iam vespere fletum;
95 Nec minus ingenti gemitu flent nocte sequenti,
Quos nec in exili locat area sueta cubili.
Sic scintillat humus fluitatque per omnia fumus.
Sanctis evectis, ut egentibus et sine tectis,
Actos sorte pari suasit nox associari.
100 Quos ubi luctisona circumsedere corona,
Sub stellante polo substrati cespite solo,

[*] Petri et Andreae.

1066. Febr. 11.

Necdum pacantur, quin sic nova monstra querantur:
O dolor! o mira caelestis iudicis ira,
Qua nos invadit et sanctos insuper addit,
105 *Ceu sit sanctorum causae par causa reorum.*
Nobis vel latus terre debetur hiatus,
Debetur vere; sed sancti quid meruere?
Cur hominum custos fert hic procumbere iustos?
Forsan ut infensis, abigit quos flamma forensis,
110 *Nobis post edes templi sit inhospita sedes?*
O semper grande nobis solamen, Amande,
Cur loca sprevisti, quae tu prior excoluisti?
Nos potius puni; tibi post locus hic vacet uni;
Quando voles heremum magis hic inolescere demum
115 *Et vicinarum taciturna frutecta ferarum,*
Quam nos infandos, nos funditus intolerandos.

Febr. 12.

Cum sic exsomni statione queruntur alumni,
Extera lamenta ciet illuc fama cruenta,
Quam gravius portans, tanto velocius hortans
120 Notos, ignotos, affines sive remotos,
Tam nova tam mirae spectacula cladis adire,
Perdita merentes, reparandis dona ferentes.
Et non cunctatus comes et procerum comitatus
Adsunt cum donis, caput hoc flentes regionis,
125 Quo confidebant bellique domique vigebant.

EXPLICIT LIBER PRIMUS. INCIPIT SECUNDUS.

Meror, habe finem! satiasti fletibus ignem,
En! via letandi meritis aperitur Amandi.

Iun. 7.

Exulat hic presul, ut eas his finibus exul.
I, sacer antistes, egros i visere tristes;
5 Gallia sit sospes, qua tu successeris hospes;
Tum caeli iura pandens per Gallica rura
Nostro deserto speciosa trophea referto.
Currite divinum terrestres ad peregrinum!
Grex gerit Helnonis summae civem regionis
10 Ceu missum terrae caelestia nuntia ferre.
Iam liquido pandet, virtus quid caelica mandet,
Signo veraci primum populo Cameraci.
Quin Cameracenses vicos stipate forenses,
Legatumque Dei cernentes more Zachei
15 Cleri stante choro velut ascensa sichomoro,
Cum cruce, quam vestra sequitur processio festa.
Sumite dona, Deus domui quae contulit eius.
Hic quoque salvandus locus est, quem visit Amandus.
Nam pacis munus demens mox accipit unus,
20 His ubi cum turbis infertur menibus urbis
Sanctus, qui dixit crebro: *Pax huic domui sit!*
Morem ne mutet, urbem quin pace salutet.
Eius praefati geminis penis agitati
Artabat gressum compes, dementia sensum;
25 Hostis erat cunctis etiam sibi sanguine iunctis,
Presertim cuidam, quam non patitur sibi fidam,
Sed pro se gemitum danti dat cuspidis ictum,
Tam magis impresse, quam pressum se videt esse,

1066.

Hac mage, iam pridem matertera cum sit eidem.
30 Ledere ne quiret, ut in hanc lesura rediret,
Hunc horrent linqui post extra vincla propinqui.
Est in communi metus, hoc quod contigit uni.
Nunc non ignari, per sanctum posse iuvari,
Hunc presentatum sibi tradunt in famulatum.
35 Servus adhuc vinctus liber iam solvitur intus,
Recta revertentis nactus moderamina mentis.
His fas pensandi servi retinetis Amandi,
Quod decus est vobis maius quam regibus orbis,
Et ceu regnando patri servitis Amando.
40 O quos primatus vobis parit hic famulatus!
Reddit vos vobis, prefertque potentibus orbis.
En! demens ille feretrum comitatur herile,
In cetu magno iam non immitior agno.
Huic vos herete Domino per verba prophetae
45 Iumentum factus, apud ipsum presto ligatus.
Tum vocem cleri decet alta mente teneri,
Cum qua servandus ibi tempore noctis Amandus
Est introlatus ad sedem pontificatus.
Voce Dei veri fruitur iubilatio cleri.
50 Sint lumbi vestri precincti, sintque lucerne.
Quos Venus exercet lumbos cestonque cohercet,
Zona cingatis speciosae virginitatis,
Consimiles vernis, qui stant non absque lucernis
Et prestolantur, dum sponso progrediantur.
55 Sic cum candelis Cameraci turba fidelis
Ad pernoctandum celebrem circumdat Amandum.
Dum nitor Aurore caelum vestivit honore
Et face solari lux caeperat amplificari;
Cum sol laudandus Cameraco prodit Amandus,
60 Qui tenebras nescit, quo terra polusque nitescit.
Numquid de sanctis testatur sermo Tonantis:
Fulgebunt ut sol in regno patris eorum. (Matth. 13, 43.)
Hic modo prolatus radiis est mirificatus,
Quos passim fundit, ubi signa micantia condit.
65 Arva, domus, calles, urbes, vici, iuga, valles,
Et locus hinc omnis, remanent plenissima donis.
Sic quod de Christo legimus, renovatur in isto:
Montes et colles decantabunt sibi laudem, (Isai. 25, 12.)
Lignaque silvarum plaudent manibus venienti.
70 Verrulii parvis quid grande patravit in arvis?
Illic in stratis annis bis quinque peractis
Procubat indigena, morbi quam frenat habena,
Nec laxis nervis sociam sinit ire catervis,
Quo se proriperet, quae vel vix ossibus heret.
75 Quod potius quivit, scala precis astra petivit,
Fas vel reptandi poscens post agmen Amandi.
Vox ea, vox humilis intra penetrale cubilis
Non adeo parce clarescit in etheris arce,
Quin revehat stratis egrotae plura rogatis.
80 Hoc etenim dono te pollet, Amande, patrono,
Quod plus ac oret mulier compacta refloret.
Nec pecudis more, sed recto prosilit ore;
Ancipites plantae desuetis passibus ante
Temptabant primo moliri tramite firmo.

1066.

85 Mox exploratis donis summae pietatis
Cursus optatos mulier citat immoderatos
Ad deportandum qui se mage portat Amandum.
En! quem querebas, a quo procul esse gemebas,
Cernens admotum, satia tibi, femina, votum.
90 Ulnas appone, non leta minus Symeone,
Qui tulit et Christum, benedic et fer simul istum!
Exhinc sint curae nobis documenta figure. MORALITAS.
Femineus sexus, languoris pondere flexus
Et fixus lecto, nos signat nomine recto,
95 Quos male dissolvit et humi discordia volvit.
Utque resurgamus, rectorem corde colamus;
Quod sic est dandum, si iure precemur Amandum.
His fundamentis struitur thronus Omnipotentis;
Hac specie vecti sub pleno pectore recti,
100 Qua, quem dilexit, scapulis ea femina vexit.
Neu mentes fratrum fel litis inebriet atrum,
Sed conpingantur. Ex hoc rata signa probantur,
Femina prefata quod taliter est medicata,
Ut sibi cognatus mox sit medicamina nactus,
105 Octo cui metas lustrorum volverat aetas,
Corpore praestanti, sed gutture verba neganti.
Matri lactiferae fastidia longa fuere,
Atque parentela doluit tardante loquela.
Sed sacer hic presul, prius illum viseret exul
110 Ac aditum fandi praesentia ferret Amandi,
En venit, et peregre — iam nemo moram ferat egre! —
Audit et hunc mutum sibi pectoris ore locutum.
Dum petit acclinis feretrum manibusque supinis,
More subit servi torquem de tergore cervi.
115 Cui dixit Milo cetu sibi iunctus in illo:
Si ius imponis huius tibi conditionis
Nec sonat os mutum, quod solvas inde tributum,
Sat, Berengari, digitis valet insinuari.
Exprime nummorum numerum numero digitorum.
120 Iamiam, Milo, sile; digitus magis exprimat ille
Auctor signorum pro libertate suorum.
Rege resistente Nilotica regna tenente,
Unde Magi Moysi contraria fingere nisi,
Victi clamatis: *Est hic digitus deitatis.* Exod. 8, 19.
125 Hic digitus curet, digitis ne verba figuret
Servus heri tanti, diva cui voce vocanti
Paret defunctus, parent sol, sydera, pontus.
Immo Sigebertus, quem rex genuit Dagobertus,
Huic fontis sancti mysteria sanctificanti,
130 Fert Hebrearum responsum litterularum,
Cum quadraginta soles lac fugeret intra.
Annorum totidem vir nunc obmutiat idem.
En! ubi se dono traditque legatque patrono,
Solvitur introrsus ac hiscit taliter orsus:
135 *Quatuor hinc dando nummos famulabor Amando.*
Vox haec una doces ibi melle fremiscere voces;
Quae laudes Christo reboant eiusque ministro,
Ad cineres cuius signi iubar emicat huius;
Laudes tam multas cui sit formare[a] facultas.

a) *deest haec vox in codice; supplevi eam ex Historia miraculorum a nostro conscripta cap. 4 ex.*

1066.

140 Sed tamen haut nuto, cum sit facundia muto,
Quin referam mutus, sed Amando preside tutus,
Quid tipicum prodat os, quod pater almus enodat.
Aula creatoris aditu male proditur oris, — MORALITAS.
Per cuius pestes pravos inducimus hostes.
145 Sed clavis David, ea quae baratrum reseravit,
Os reserat strictum, confessio dirigit ictum,
Et pervasores eliminat interiores.
Rex redit ad sedem propriamque reconsecrat edem,
Eque sinu cordis tonat os celestibus odis.
150 Nunc quoque productus de carnis origine mutus
Disce, Berengari, iusto moderamine fari.
Sic exemplar eris his, quos signare videris
Actibus et linguae plectro iam quatuor inque.* — * id est dic.
Sis bonus interpres, quae sit prudentia perpes;
155 Iustitiam de qua vigeas, huic comminus equa,
Fortia condensans, operum moderamina pensans,
His tanquam nummis virtutibus utere summis.
Census hic est dandus, ut honorificatur Amandus,
Quem regi caeli libra dedit ipse fideli.
160 Olim lucratus per multiplices cruciatus,
Aecclesiae tandem libram bene liquit eandem,
Qua mater natos libraret ad astra piatos.
Quid mater quaedam tibi convenientius edam,
Quae modo consertis natum librando lacertis,
165 Causa curandi feretro sustollis Amandi?
Namque sub annorum spaciis puer ille duorum,
Debilis inferre matri vestigia terrae,
Te succumbentem premit affligitque parentem
Itque tuis plantis, quam cogit amor pietatis
170 Heu longas cunas nato dare pectus et ulnas.
Ast age iam, mater! vector tibi subvenit alter,
Fasque repausandi pia dextera patris Amandi
Prestat, et ignoras, pondusque tenere laboras.
Quin puer, infundi vires sibi gnarus eundi,
175 *O genitrix*, inquit, *pestis me torpida linquit,*
Et robur grande solidat; sed brachia pande.
Illa refert proli: *Cupis id, sed credere noli.*
Vix etiam fortes possunt has ferre cohortes.
Et truncum linquam? sta sic; sta tutior, inquam.
180 Dixit et astrinxit; cui natus talia fatus:
Credis adhuc lentum me, sed fac experimentum.
Nil prodest si fers, sed obest ubi gaudia differs.
Dixit et aggressus maternos vincere nexus
Tortilis exivit, sed rectis nisibus ivit.
185 Mater se victam laetatur sicque relictam.
Sic homo contortus limo, cum quo fuit ortus, — MORALITAS.
Funere felici bene subtractus genitrici
Ecclesiae vere, quae mallet eum retinere,
Iustitiae plantis sequitur convexa Tonantis.
190 Mater questa pati corpus miserabile nati
Primo deplorat, quem post veneranter honorat;
Flens pie vexari, gaudens pie sanctificari.
Ut legitur: *Non vult consolari quia non sunt,* — Matth. 2, 18.
Quos ulnis vectat, duplici cum federe nectat.
195 Cursibus annorum duo tempora cerne duorum,

1066. Quis Moyses legem, mater tulit innuba regem,
Qui tot sicut herus reparavit secula verus.
Nuncque suus miles annos reparat pueriles.
Rex[a] cruce conspectus, sed teca miles opertus;
200 Rex nece ditatus, miles nec despoliatus.
Rex bene ditatis terris Deo deitatis
Hinc limum terrae dignatus ad aethera ferre,
Ex quibus elati sunt hostes precipitati
Miles ditatis egris dono pietatis
205 Grande ferens munus, qua mons supereminet unus,
Quatinus antiquum sic pelleret hinc inimicum.
Mons hic Lauduni, studio iam deditus uni,
Hospite caelesti nova promere gaudia festi,
Cultu florescit, plausu simul exhilarescit,
210 Inque suum culmen levat hoc mirabile lumen
Non occultandum modio sub noctis Amandum.
Sed iubar hoc clarum veritus princeps tenebrarum
Inque suos tractus colubrino more redactus,
Serpit ad internas hominis sub corde cavernas,
215 Quas teneat tutus, miseri per membra volutus.
Victum plasma Dei vi turbinis et rabiei,
Per carnis gestus testatur pectoris aestus,
Quos nec multimodis compescunt vincula nodis,
Donec amicorum turba cohibente suorum
220 Ire coartatur, qua lux predicta locatur.
Hec ubi sub costis in claustro fulgurat hostis,
Fit fulgor menti, fulgur sub monte latenti,
Quem ferit arcendo, ne quid gravet egrediendo.
Hunc ita non linquit, ut eum de quo liber inquit:
Marc. 9, 25. 225 *Clamans et multum discerpens exit ab illo,*
Sed silet et cesus, et abhorret ledere lesus.
Sic instar somni rabie liberrimus omni,
Vir pacis vultum figit per singula multum.
Quae loca, qui plausus, quid eo foret agmine clausus,
230 Quo perdat penas, quo portet agente catenas?
Donec presentes eadem docuere parentes.
His precedentes similari credo parentes, MORALITAS.
Qui nos traxerunt post se necnon docuerunt
Nos patuisse domum per lamentabile pomum,
235 Quam coluit coluber, donec mons extulit uber;
Psal. 67, 17. Uber mons, in quo Domino placitum est habitare,
Qui locus est factus clavis teloque foratus,
Inque foraminibus petre tantisque cavernis
Maceriae ponis nidum pullosque reponis,
240 Sancta Syon, * turtur quatiens lacrimabile guttur, * aecclesia.
Ne sit ab angue vago nova seducenda propago.
Quo pacto? collis * vertex, ** ubi pignora tollis, * Christi. ** caput.
Sepitur spinis, quibus icta recedat Erinis,
Turribus a castis elongans talibus hastis.
245 Ut quia Lucifero similis voluit fore vero,
Usurpans astra fugiat post spinea castra
Virginis ad vermem, fore se compertus inermem.
Hac precor, hac funda pullos turtur gemebunda,
Includens nido pennis et pectore fido;
250 Tum freme * ploratu, ne quis ruat absque volatu; * vel pete.
Sique tener spreta tecum statione quieta

a) *ita correxi. res codex.*

Egressum temptet, ut eum Deus ipse retentet. 1066.

Signa retentandi patris exitus egit Amandi,
De tam securis excluso demone muris,
255 Ad miseram quandam miseranda peste levandam,
Quae, descensivum qua dant iuga vitea clivum
Haut procul a portis, est cruribus egra retortis,
Nec stat nec vadit, sed tractu compita radit;
Cum male membrorum mutata lege suorum
260 Palmae sunt plantae, facies replicabilis ante;
Sicque rotundatur, ut ceu globus aspiciatur,
Incumbens omnis terre manuumque columnis.
Dum consolator pius et promptus relevator
Et baculus fortis prodit tibi, femina, portis,
265 Descensumque parat, qua te sors dextra locarat:
Mox accedentis accedere munera sentis,
Nec fore credis opus librare rotabile corpus;
Sed vigor illatus totos simul explicat artus,
Ac alacris surgens feretrumque tenaciter urgens,
270 Ut manibus pressas manibus postrepere cessas.
Agminibus densis cives populusque forensis
Auctorem facti cingunt ita conglomerati,
Ut tam vectores primi quam posteriores
Non eluctari valeant cetu populari.
275 Hoc illos urget, qua rupes saxea turget,
Ex humeris lassis sanctum superaddere saxis.
Istinc sublimis clarescit cetibus imis,
Quos unguentorum trahit huc in odore suorum,
Ut credant gestis, quorum stat femina testis,
280 Post segnes tractus agiles ubi promovet artus.
Nunc quoque contracti scelerumque rotatibus acti — MORALITAS.
Ne versentur humi; surgant ut virgula fumi.
Vertice quo mentis manibusque prius lutulentis
Ac pariter plantis peragant ita iussa Tonantis,
285 Ut mens interna teneat sine fine superna,
Et sit opus palmis redolens virtutibus almis,
Conversique pedes invisant pauperis edes.
Quos quae per talem ducat lux previa callem,
Inde secuturam dabit haec res gesta figuram.

290 His signis crebris aderat sexus muliebris,
Luce carens, verum sectans miracula rerum.
Nec radii frontis nisum moderantur euntis,
Verum palpando tamen appropiabat Amando;
Neu plebs arceret, quae circum densa coheret.
295 Eius iter cecum miserando regebat in aequum
Dans de stricture spatium quo prestet iturae.
Femina rimatur, qua sic iter amplificatur.
Dum sibi progressae dicunt, quem querit adesse,
Quae simul incertos studet affectare lacertos,
300 Lucifluique patris lectum fricat orbibus atris.
Non nisi stellata facies est hinc revocata,
Quam nox immanis septem possederat annis.
Hoc quid coniectem numero, nisi crimina septem, — MORALITAS.
Quae deceptarum terebrant oculos animarum?
305 Ipsa suo telo depulsa superbia caelo
Quamprimum fera corda fimum subvertit in unum,
Incuba deiectis ut iniquo pondere vectis;

1066. Et sic natorum super haec ciet arma suorum.
Plausibus inanis huc gloria currit insanis. VANA GLORIA
310 Invida cura venis, lacrimis ridens alienis. INVIDIA
Ira modum nescit; ferit et referire calescit. IRA
Tristitiae dorsum clitelas decutit orsum. TRISTITIA
Hiscit avara lues et aenos incitat ungues. AVARITIA
Ingluvies stillat, vomitu gressuque vacillat. INGLUVIES
315 Luxuriae vena manant sub melle venena. LUXURIA.
At decus hinc palmae rapiens tibi, Spiritus alme,
Flammigeris septenus heris tua castra tueris.
Hoc quod lex odit vel amat, sapientia prodit. SAPIENTIA
Neve sit incertum, facit intellectus apertum. INTELLECTUS
320 Consilium callet, id quo munimine vallet. CONSILIUM
Unde valitudo feret hosti prelia nudo, FORTITUDO
Nec lassata cadet ceu iuncta scientia suadet, SCIENTIA
Dum pietas, nuda subiens et fletibus uda, PIETAS
Et timor ipse Dei peragant insigne trophei. TIMOR DOMINI.
325 His oculis septem cecantur crimina septem
Hi, — velut in montem caecam dixi subeuntem
Tramite difficili, donec lux redditur illi, —
Adsunt, si quando stricto quis calle meando
Alta poli scandit, ubi rex sua lumina pandit.
330 His septem donis quantum sequar hinc rationis
Da, Deus, inceptem loca sic adscribere septem,
Ut par donorum numerus pariterque locorum
Sensu per queque typico sibi concinat aeque.
Huic igitur gesto sapientia iam typus esto.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS. INCIPIT TERTIUS.

Naturae predam perpessa puellula quaedam,
Cui manet os mutum, cum sit fere corpus adultum,
Hoc restaurandum per eundem quaerit Amandum.
Ac utrique parentes hanc utrinque regentes
5 Ducere nituntur, ac pro reticente loquuntur.
Pandebat velle devotio sola puellae.
Sic procedebat, sic ora manusque ferebat,
Sic vice verborum, quia fas erat id labiorum,
Nisu constanti lecto dabat oscula sancti.
10 Hic igitur certa verborum clave reperta,
Os designatum pandit rationis hiatum,
Et laus non parca prodit de pectoris arca.
Sic specie muti nostrum cor creditur uti. MORALITAS.
Ni simul est exlex, regat illud legifer et lex;
15 Iste creando pater, haec dando pabula mater.
Hac ope fomenti daris, o sapientia, menti,
Que fontem noris, quo ferveat impetus oris.
Hinc intellectus a sancto flamine vectus
Intus fundatur, velut hac ratione probatur.
20 Turba comes sancti, studio quem vectat ovanti,
Cetibus it densis, qua fert via Calneiensis.
Iam parat abscondi Febus sub margine mundi;
Cintia iam claret, quo nubila noctis inauret;
Et chorus astrorum pingit convexa polorum.
25 Calneii castrum quam clarius excipit astrum,

Hospitium dando cultori lucis Amando!
Huc pernoctatum venit et fert femina natum,
Quae graviter merens ut proxima iugiter herens,
Aut gerit aut dextra caecum regit intus et extra,
30 Nunc gremio stringens, qua lux ea sistitur ingens.
Stat, prestolatur; sed lux reparanda moratur.
Nox ruit orbe vago; proli stat noctis imago.
Lux oritur solis; perstat cecatio prolis.
At gemitus clari nequeunt a matre morari.
35 *Ergo lues, inquit, nullo me tempore linquit?*
Heu longum morbum matris, quae parturit orbum!
Post uterum cunis, post cunas hunc vehit ulnis!
Et quem tantorum finem rear esse malorum,
Cum regi Christo vel tempore displicet isto
40 *Spem dare solandi? causa presentis Amandi*
Vos rogo presentes per Christum compatientes,
Copia sanctarum quibus est hic reliquiarum,
Hac ope veraci vultus tangantur opaci.
Hoc pietas flentum quam mox init experimentum!
45 Frontis enim fossae tanguntur presulis osse
Aere super culto, quod iam pastore sepulto
Nonnullis annis, cum censeretur inanis,
Evulsum quondam patefecit sanguinis undam,
Pastorale pedum, quod ovem sic rexit et hedum,
50 Hanc ut portaret, ast hunc feriendo domaret.
Nunc ad portandam lucem noctemque domandam
Ut tangit cecum, tangit lux influa secum.
Quam vere perstas in sancto prisca potestas!
Quam rationalis, vivens quam pontificalis!
55 En! baculo pellis furvum velamen ocellis;
Dens generat lucem, velut olim sermo salutem.
Haec duo, dens, fustis signat duo congrua iustis; MORALITAS.
Dente serunt verbum, castigant fuste superbum.
His tactae mentes intellectuque calentes
60 Sunt illustratae, Dominum cernendo beatae,
Hic ut figantur et consilio teneantur.
Consilio dignum promemus in ordine signum,
Si det depromi, quod claruit hinc Noviomi.
His nam rumoris volitatio publicat horis,
65 Hunc tanti iuris sanctum succedere muris,
Quo virtus talis illuxerat hospite Gallis.
Occurrens illi presul stipatus ovili
Suscipit, et tantum gaudent imponere sanctum
Civiles alae genitricis virginis aulae.
70 Inde tamen cunctas mentes subit una voluntas,
Hunc reddi turbis mediis in tractibus urbis,
Nec tam prodesse sacris sacra comminus esse,
Quam si prosistant his qui sibi crimine distant.
Sic [*] igitur sacer egeritur passimque coitur,
75 Qua reserantur eis tentoria fixa plateis.
Hunc ibi sistentes ac appropiando frequentes
Angustant clausum. Sacer hunc amor ingerit ausum.
Hic voces laetas omnis dum digerit aetas,
Nescia laetorum mulier pro mole malorum
80 Inter cursantes riget ac gemit inter ovantes.
Cui caput egrotum, quod agit corpus grave totum

[*] vel hinc.

1066. Angor atrox tantae vertiginis egerat ante,
Ut modo marcescens et eo marcore rigescens
Conversum tolli nequeat moderamine colli.
85 Ulla de parte nulla versabilis arte
Ante retentatur, nec ea de parte iuvatur,
Cum proprium lumen morbi terebravit acumen.
Taliter astanti presens miseratio* sancti — * vel clementia.
Reddit* naturae cervicis pondera durae, — * vel sic dat.
90 Ut queat ad votum facilem convertere motum,
Et motu verso visu radiare reverso.
Haec cervix sicca mens est erroris amica, — MORALITAS.
Quam dolor innatus versat scelerumque rotatus,
Ut codex *in circuitu impius ambulat* inquit, — Psal. 11, 9.
95 Cui dolor increscit, donec cecata stupescit.
Consilium tandem miserando revisit eandem,
Ac sermo Christi loquitur cum pluribus isti
Dicens: *His autem fieri incipientibus, ipsi* — Luc. 21, 28.
Respicite atque levate caput, cor scilicet ipsum.
100 Sic caput attollens divo iam lumine pollens.
Per carnis postes circumspicit et cavet hostes.
Quos, si concursus ineant opponere rursus,
Forti fuget -tudo, cuius nunc signa recludo.
Illuc contractum nec ab ima parte peractum
105 Virtutis mirae rumor persuaserat ire.
Dum nequit ipse pedes, currus notissima sedes
Excipit hunc sursum; subtus movit orbita cursum,
Prompta volutari ducis ad temptoria clari.
Quo simul est ventum, circumflua turba parentum
110 Redis eiectum portans in mobile tectum
Sancto praesentat et pendula membra retendat.
Munere tum certo sensim sub mente reperto
Quo vigor haud parcus genuum iam dirigit arcus,
It nervis laxis, solitus nec queritur axis.
115 Sic ubi deponis mentem, currus Pharaonis, — MORALITAS.
Ne simul abscondas versam sub criminis undas.
Illam cervici superaddunt eius amici,
Scilicet hi sancti, qui fundunt vota Tonanti,
Ne versetur ita, quam ducit pendula vita.
120 Strenua sic virtus vestigia dirigit intus,
Quae per iter lucis quo more scientia ducis,
Instanti gesto narratrix quesumus esto.
Tristitiae pondus servans Helnon gemebundus,
Ex cuius pena paritur requies aliena
125 Et dat convallis lacrimarum gaudia Gallis,
Sepe gemiscebat, quia solitudo monebat,
Pontificis cari solatia sera morari.
Ille nec externis patiens nec defore vernis,
His per virtutes manet impensasque salutes,
130 His reddens sese mentis solatia laesae.
Ad loca deserti parat instauranda reverti,
Neu cum clareret vadens, redeundo lateret.
Qua transvectatur, qua pernoctando locatur,
Blanda liquet virtus; demon procul exulat hirtus.
135 Acria mansuetis cedunt et tristia laetis;
Ira favet paci, donec statione Duaci
Taliter insignem faciunt* miracula finem. — * vel capiunt.

Illuc est ventum, dum iam sibi nocte retentum — 1066.
Circa vicinum, circa reducem peregrinum
140 Cetus ovans psallit, sed cunctos femina fallit,
Quae sordes cordis celat communibus odis.
At scelus occultum ne multiplicetur inultum,
Ultio mox sancti de cetu iam remeanti
Palmas ceu clavo fixas adglutinat alvo.
145 Sicque pedes punit, quod talos renibus unit.
Plebs mirans causam, quid eam sic autumet ausam,
Quam sic angebat, qui tot leviare solebat?
Quod sit tollenda sancto pro pace petenda,
Iure cohortatur, qui percutit ut medeatur.
150 Qui versum David in sese mirificavit:
Virga tua et baculus tuus, haec solantia sunt me, — Psal. 22, 4.
Virga flagellando, baculus post alleviando.
Nunc ut det nosse, se largius haec duo posse,
Huic sibi delatae vi consulit et pietate,
155 Tollens quam stravit, solidans quam debilitavit.
Quisque Deo laudes fictis dare vocibus audes, — MORALITAS.
Et claris hymnis velut aes aut cymbala timnis,
Occidis abscessu mentis seu femina gressu,
Et velut haec palmis, tu cessas actibus almis.
160 Ast aures laetae si sugant verba prophetae:
Psallite regi, psallite vos sapienti, — Ps 46, 7. 8.
Psallite non tantum, nisi sit sapienter adauctum.
Interius scandit aditumque scientia pandit.
Sensus ut infusus operumque paratior usus.
165 Dum studiis oris nexu copulantur amoris,
Vere laudetur, qui verax solus habetur.
Sed quia currentis non est id, sed miserentis,
Te decet, o pietas, reditus hic figere metas.
Grex Helnonensis claustri populique forensis — Iul. 4.
170 Ut scit preconum dictis, remeare patronum,
Atque quod indignis incommoditatibus ignis
Digressus pridem redit haud inglorius idem:
Caepit eis pietas mentes tam reddere laetas,
Quod faciens lacrimas lacrimis dulcescere primas
175 Et fletum tollit et fletu pectora mollit.
Nec satis est multis campis excurrere cultis,
Verum per saltum pietas iter indicat altum
Sparsim per multas turbas, ut cuique facultas.
En expectatus, en nocte dieque vocatus
180 Dux et spes omnis occurrit Amandus alumnus,
Horis* Francorum rediens dives spoliorum, — * vel regno.
Pluribus adductis, quibus est dator ipse salutis,
Qui circumstabant; contraque sui properabant
Laude resultanti, tanquam sententia sancti
185 Dicat eis: *Mea turba, meis occurre tropheis!*
Taliter exultant plaudunt Dominumque salutant.
Quem circa terrae non sufficit oscula ferre,
Sed velut est moris, ostendere pingnus amoris,
Ora manus mille tendunt, qua preminet ille;
190 Ac omni parte scapulis subeuntibus arte,
Ad dulcem vicum revehunt hoc pondus amicum.
Nec tamen, altari cum turbae sit populari
Accessus parcus, sub criptae clausilis arcus,

1066. Iul. 4.

Ast intra murum congestos expliciturum
195 Sistunt et vallant, noctis quo tempore psallant.
Excubiis actis pastaque famę pietatis,

Iul. 5.

Post reditum lucis relocatur sarcina dulcis
Intra prescriptae secreta sedilia criptae.

EXPLICIT LIBER TERCIUS. INCIPIT QUARTUS.

Ceperat hortari Domini timor hunc operari,
Qua iacet ipse cinis ac omnia plena ruinis.
Ergo solum nudant, ut fundamenta recludant,
Inque pedem vivum consistat opus recidivum,
5 Quod tam robustum fundant adeoque venustum,
Ut si fundarent, vix id mage nobilitarent
Robur Sansonis et consilium Salomonis.
Plebs, quid festinas veteres haurire ruinas
Fractis cementis a fundo pulverulentis,
10 Cum dent saxa sonum iactu quesita ligonum,
Ac evertantur, cum robora subiciantur?
Depositosque foris fossae propioribus horis
Hic elegisti, iam tunc quoque disposuisti,
Quos mage fundares in prima sede molares.
15 Sic Deus antiquos antiquae legis amicos

ALLEGORIA.

Eligit et fundat, ut in his opus utile condat,
Inventosque foris locat in se pluribus horis.
Longius ut vadam: matutinum locat Adam
Plasmate limosum, sed imagine perspeciosum.
20 Huic silici sevam silicem conglutinat Evam,
Ac insons mixtis Abel superadditur istis.
Isti maiores alios clausere minores,
Ut sic arte Dei stent instar maceriei,
Quae nunc Elnone fundatur ea ratione,
25 Ordo saxorum quod duplex ęditiorum
Leva seu dextra parvos tenet et sedet extra.
Machina sic illos Adae conplexa lapillos
Crescit ab aurora, dum tercia claruit hora.
Iamque Noe lapidem verus lapis attrahit idem,
30 Per fluctum multum quem transportavit inultum,
Donec in hac fabrica cum coniuge fixit amica.
Sunt etiam nati dextra levaque locati;
Sic lapillorum mediant genus in numerorum.
Hic hora sexta stat Abrae generatio texta.
35 Sara subest, saxum senio non germine laxum,
Eque sinu Sarae lapis est, qui congruat arae.
Sed fundamentis opus est ope semen habentis,
Circumcisarum ne sint hac mole petrarum
Astra poli vel harena soli numero potiori.
40 Hic quoque non parce gravitatis sunt patriarchae.
Nam quod Abrae cultro pendens aries datur ultro,
Fit, Domino sponte crucis in ramis obeunte.
Quod cruce iam Christi duodena cohors cecinisti.
Orbs Isaac cecum sequitur, quia non videt aequum.
45 Aecclesiae natis dum pars nocet impietatis,
Ingeminant ecce pugnas in ventre Rebeccae.
Quae dum pro nato natum defraudat amato,

Iudeos abici monet et gentes benedici. 1066.
Dumque venis, Christe, quo mundus pascitur iste,
50 Iacob, procedis patris cum pinguibus hedis,
Hedinisque pilis manus est decepta senilis,
Cum non credebat mundo, quod carne latebat,
Virtus divina velut hic sub pelle caprina.
Iacob, te laudo bene stans ibi vel pede claudo;
55 Totque facis stare, quod non vacat enumerare.
Sub spatio none decernitur a Pharaone
Ne tantas moles attollat mascula proles.
Vase tamen vili lapis it per flumina Nili,
Quem pariter durum virgo produxit iturum,
60 Et tamen it late; nec sunt sibi pro gravitate
Vertex in Syna, vertex in mole marina,
Dum fundamentum subit aequo more parentum.
Huc etiam David de campis funda rotavit,
Occursuque viae frons est effossa Goliae.
65 Hic per verba lire facit ultro saxa venire;
Tu lapides Iesu redimis libaminis esu,
Hicque recomponis, quos sparsit rex Babilonis.
Hic chorus est vatum, reddens opus amplificatum,
Qui lapidem spondet, qui cunctos undique fundet.
70 Hora sed undena fit eo veniente serena;
Nec lapidum ritu quo pervenit insonat ictu,
Sed sic de caelis callem parat os Gabrielis,
Ceu pluviam vellus quod cum bibit, integra* tellus,
Et pudor est salvus et petram germinat alvus.
75 Que, ne qua dextra fossoris prodeat extra,
Per se de porta clausa comparuit orta.
Qui loca vix restant, nisi quae presepia prestant,
Donec inauratur; ac aurum, quo poliatur,
Dextera fert regis Arabum, licet inscia legis;
80 Nec Bethlem castrum sciret, nisi panderet astrum.
Ac ut odoratis dulcedinibus deitatis
Fraglet eo terra, colit hunc rex thuris acerra.
Tum mirrae munus liquet hoc portendere funus.
Quo tumuli lapidem post haec lapis introit idem.
85 Hunc odis aliosque fodis, gladiator Herodis,
Ut noceas illi. Quot sunt in strage lapilli!
Sed tenet Egyptus, pro quo tot conseris ictus,
Transvectum cunis, Ioseph famulantibus ulnis,
Ut gens peccatrix eius sit et hospes et altrix.
90 Quem frustra censes rex posse dolare per enses,
Causa monet pungi clavis, sputisque perungi.
His cedet; labor iste sedet, gladiusque recedet,
Ni tantum dentes et linguae bella ferentes.
Hoc etiam nondum poenae genus est subeundum,
95 Sed lapides primo quadros tracturus ab uno
Hic verus lapis est, in quo locus omnibus hiis est.
Est labor hoc more nostrae fossoribus horae,
Illac istorsum saltûs exquirere dorsum,
Et prius occultos lapides effundere multos,
100 Raptos ceu gratis per tam minimum gravitatis,
Ut, simul auferre quis caepit opercula terrae,
Iam mora non restet, quin saxea viscera prestet.
Hinc rupes turget, qua fluminis impetus urget,

* vel aurea.

1066. Marmore fecundam prestatque meantibus undam.
105 Huc, ut erat promptum, naves lathomos quoque sumptum
Cum ferramentis agimus, rapimurque fluentis
Littus ad undosum iuxta montem preciosum.
Hic onerat rupes inculto marmore puppes,
Quod lathomi secuere domi, fecereque promi.
110 Inde columnarum nimium decus et tabularum.
Haec species omnis hiis est simulanda columnis, ALLEGORIA.
Quas elegisse fertur Deus et coluisse:
Symon et Andrea, quos repperit in Galilea
Caeno sentine pressos usuque carinae.
115 Post hunc auditis primis sermonibus itis.
I petra, dignare petras tibi multiplicare.
Sunt et in hoc amne Iacobus cum fratre Iohanne,
Quos socio lapides iam mox a patre* recides,
Ut tibi transfundas, quia nulla quies super undas.
120 Tramite sic docto subeunt hos quatuor octo;
Et bis sex facti currunt divinitus acti
Ad lapidem verum, cui cedit machina rerum,
Tam mare quam venti famulantur progredienti,
Et dum Iordanis fert undam dextra Iohannis,
125 E caelis ales fert undas spirituales,
Et quae fel nescit, in petre melle quiescit.
Quamvis in melle foret haec a ventre puellae,
Eius nunc alis volitans petra spiritualis
Desertum visit, ubi te ter, inique, relisit,
130 Qui ter conaris, ut quid queat, experiaris.
Secula fregisti, sed in hoc frangi doluisti.
Te fractae pennae volvunt sub claustra gehennae.
Hanc per mortales caelestis devehit ales,
Caecis et mutis reparantem dona salutis,
135 Morbos curantem, defunctos vivificantem.
Ad Lazari tumbam lapidem vexisse columbam,
Mors, gemis et morsum revomis conversa retrorsum
Post ipsum funus; sed non hic sufficit unus.
Huc alios trade morsus a morsibus Adae.
140 Os tibi maxille terebrabit iam lapis ille.
Nosti quo pacto? diademate sentibus acto,
Arbore quadrata, clavis et cuspide lata.
Hac armatura paulo post es peritura.
Nec conscendit equum gesturus praelia tecum;
145 Sed pecus imbelle suffecit, pullus asellae,
Cui viles falerae si vestimenta fuere,
Per vestimenta rexit vestigia lenta,
Et per palmarum ramos necnon olearum,
Ac nec olivetum fore vult in pace quietum;
150 Quamvis id generet, cui pacis forma coheret;
Quin concidatur quia pax venit, ut patiatur;
Pax, quam plebs magna colit et conclamat: *Osanna.*
Post paulo dixit: *Reus est necis,* et crucifixit.
More quidem furis certans educere muris,
155 Introduxit eis quem primum nomine regis.
Et quia tam fortis petra sic est eruta portis,
Iure parant laxa compage fatiscere saxa,
Ne sint securi fracto fundamine muri.
Turba, vides, quia flent lapides, que vulnera* rides?

* Zebedeo.

* vel et garrula.

160 Ignorantque magis hiis conformes fore plagis, — 1066.
Quis petre verae facis inclita membra ruberę,
Quam si fundantur velut huius membra forantur,
Et rupti cedant, ceu signum scilicet edant,
Ut cruce descendat ac urbis ad atria tendat.
165 Ast ut plagatis mos est incombere stratis,
Dum dolor exclusus ad vitae suscitet usus:
Ex saxo sectum subit hic post vulnera lectum,
Missus dormitum sub petrae grandis amictum.
Ast ubi procedit lux terna, soporque recedit,
170 Non cohibent illum lapis aut hostile sigillum;
Sed simili specie, qua liquit claustra Mariae,
Undique signatum liquit funebre grabatum,
Currens, per pacem turbam revocare sequacem,
Mortales multos immortalesque sepultos.
175 Hos lapides multa passuros, hos nichil ultra
Dum se post funus bis quinque sequuntur et unus
Ad sanctam sedem, qua condere caeperat edem.
Hic petras iustas retinet vix sola vetustas,
Ni confirmatae restent ipsa novitate.
180 Ecce lapis, vere dum curris eos retinere
Illac egresse qua caeperat angulus esse,
Ac illos tecum veteres componis in aequum
Omnibus equatis is ad sedem Deitatis,
Atque domus omnis curam committis alumnis
185 Ut foderent et opus gererent, uti semper haberent
Te consistentem terris, licet astra tenentem,
Cum patre regnantem, sed cum famulis operantem:
Sic omni cura rimantur agrestia rura
Atque lavant tetras divino flumine petras,
190 Quotquot lucrantur, sed dum livore vetantur
Plures lucrari, tamen haud cessant operari,
Sese figentes ob petras deficientes.
Hoc nunc Elnone fit opus simili ratione,
Cum festinantur instantius atque parantur
195 E templo veteri veteres lapides removeri;
Cum quoque fossores aliunde petant propiores
Huc advectandos ac antiquos glomerandos.
Ex gravibus saxis, quae vix fert stridulus axis,
Fundavere pedem, laetam qui fulciat edem.
200 Sic duodenorum gravitas sita discipulorum — ALLEGORIA.
Pes fit in aecclesia, patris edificante sophia.
Dum chorus hiis vatum nectit se consociatum,
Augmentum grande domui fert aedificandae.
Sicque vetustorum fit concors atque novorum
205 Numine compactus canit aequos numinis actus.
In fundamenti iam fine supervenienti
Cum foret Elnone cepta templi statione,
Post fundamentum terrae super equora ventum
Hinc operatores iuvat apparere labores
210 Alte nitentes, multa simul arte cluentes,
Fornicibus latis hinc illinc continuatis.
Quarum flexuras typice si noscere curas,
Quae quamvis pronae solida sistant statione:
Signant, quod recti nequeunt ad crimina flecti,
215 Cum flectant artus in tormentis, velut arcus

1066. Arcubus oblique, quibus est crux unica cuique[1];
Crux, quia plectuntur et pro Christo moriuntur.
Stat crux oblique, quoniam cruciantur inique.
Quasque cruces tractus, ut fascia dirimit actus,
220 Martyribus sacris quia fascia stringitur acris
Ductis ad penas per nexus atque catenas
Qui conculcantur; hinc arcus hiis simulantur
Ad conculcandum plani super atque meandum,
In verbo quorum fit opus vehementer honorum
225 Fines marmorei tam procinctae seriei,
Quod circacinctus paries hiis pollet ab intus.
Sic lapidis donas preciosi, Christe, coronas
Vita transacta, velut arcus margine facta.
Hinc arcus fixi super hos quos antea dixi,
230 Iam non plectendi crucibus pedibusve terendi,
Significant, sanctos cruciatus vincere tutos
Ac infinitam post haec attingere vitam,
Qua non plectuntur crucibus pedibusve teruntur,
Sede sed aeterna laetantur in ede paterna;
235 Separe sede quidem, quia non honor omnibus idem,
Sed plus pro meriti plus sunt mercede potiti.
Haec ita distare, censetur significare
Ordo columnarum super arcus dispositarum,
Stans in deciso muro, velut in paradiso.
240 Hic confessores fore vitro splendidiores,
Inde fenestrarum situs ostendit vitrearum,
Quae dant exemplo sanctorum lumina templo.
Cum tenebrascentes faciant clarescere gentes,
Hii splendore Dei, velut hae splendore diei.
245 Virginibus dignum dant templi tegmina signum,
Cum templum servent, ne sordes intus acervent.
Sicut adumbratis cultricibus integritatis
Mos est abscondi contra spectacula mundi.

1) Kreuzgewölbe.

TRIUMPHUS SANCTI REMACLI DE MALMUNDARIENSI COENOBIO.

EDIDIT D. W. WATTENBACH PH. D.

Teste Lamberto ad a. 1063 *Adalbertus Bremensis archiepiscopus cum Wernhero comite, postquam summa in imperio potestate potiti sunt, in monasteria regni „impetum faciebant atque ea inter se tanquam provincias partiebantur, rege ad omnia quae iussus fuisset puerili facilitate annuente." Tunc Adalbertus ipse Corbeiam et Lauresham occupavit, Annoni autem Coloniensium archiepiscopo Indam et Malmundarium concessit. Sed abbates cedere nescii omnem lapidem moverunt, ne de statu suo pellerentur; qui quum in regis curia diu pro iure suo certaverint, gestorum narratio multa scitu digna continet de temporum illorum conditione et de his quae circa regem agebantur. Quorum partem Chronicon Laureshamense servavit, partem hic quem edituri sumus libellus. Stabulensis enim abbas, cui Malmundarium pertinebat, corpore sancti Remacli curiae regali illato tandem impetravit, ut iniusta donatio cassaretur. Eius rei narrationem luculentam nobis servavit auctor aequalis, monachus Stabulensis, qui ipsum se rebus quae tradit interfuisse, non semel commemorat. Sed fidem eius in dubium vocaverunt, imo totum libellum posteriore tempore suppositum esse contenderunt Malmundarienses, propugnatorem nacti virum acrem Ignatium Roderique*[1], *cuius impetitionibus iusto libello respondit Edmundus Martene*[2], *tam validis usus argumentis, ut rem confecisse videatur. Nam codex MS. qui tunc adhuc Stabuleti servabatur, cuiusque specimen dedit, est saeculi XII, eique alterum nunc addere licet saeculi XII vel XIII, cuius specimen in tabula adiectum vides, quin imo tertium saeculi XI, dum scribimus detectum; praeterea autem et narratio ipsa tam bene cum ceteris qui de his temporibus scripserunt convenit, ut omnem posterioris aevi figmenti suspicionem excludat; singula enim quae cum aliis conciliari nequeas, apud omnes fere scriptores invenimus, quos in universum fide dignos esse novimus. Et de tota quidem re certissime constat, etsi in vita Annonis ne verbum quidem de ea invenias; nam praeter Lamberti*

1) I. R. Disceptationes de abbatibus, origine, primaeva et hodierna constitutione abbatiarum inter se unitarum Malmundariensis et Stabulensis, oppositae observationibus Edm. Martene et Urs. Durand. Wirceb. 1728. f. 2) Imperialis Stabulensis monasterii iura propugnata adversus iniquas disceptationes Ign. Roderici. Vindice Edm. Martene. Col. Agr. 1730. f.

locum a. 1071 *extat epistola Dietwini episcopi Leodiensis ad Imadum episcopum Paderbornensem quam ex MS. Abdinghofensi edidit Edm. Martene Coll. ampl. I,* 487. *Ibi haec verba legimus, quae per omnia fere cum nostro conveniunt*[3]*:* Ac ne quid vobis de iocunditate nostri conventus subtraham, ea quae gloriose facta sunt apud nos his diebus, fideliter aperiam. Post multas corporis beatissimi Remacli repulsiones exquisitione bonorum Malmundariensium, etiamnunc apud nos retemptare fuit consilium, ut quasi quod per se non poterat, pietas divina per cooperatorem suppleret Lambertum. Ventum est ad nos cum ammirabili plebis multitudine simul ac devotione, feretrumque iactatum super mensam coram rege; cum ne sic quidem cor regis, quod in manu Dei est, ad misericordiam devolveretur, sed potius ad iracundiam concitatus, exiliens de accubitu conclavique receptus secum stomacharetur. Qua perturbatione grex antea devolutus (*an* devotus?) velut ex desperatione labitur in iram, et pro precibus solitis omnem verborum ingerunt contumeliam. „Vel nunc, inquiunt, ignavissime senex, luce clarius patet quid valeas, quando in adventu tuo nedum postulata consummet, etiam loco stare indignatur regia potestas". His atque similibus ymnis in eodem loco noctem circumsaeviunt unam, cum mane vix extorqueri posset ut referretur in aecclesiam. Ubi consociatis praesulis utriusque meritis tanta confestim subsecuta est gratia, ut manus et pedes contracti solverentur, orbatae mulieris oculi aperirentur, clericelluli cuiusdam pedes distorti relocarentur. In quo nulli dubium fuit, Trinitatem sanctam fidelibus suis evidenter affuisse, ubi per merita sanctorum tres illi sani videbantur astare. Fit inenarrabilis populi commotio, cantat aecclesia, contremiscit aula, rex accurrit anhelus, bona quae abstulerat sanctissimo corpori utrisque repraesentat manibus. *Accedit privilegium Heinrici IV a.* 1089 *Stabulensibus concessum*[4]*:* Et quoniam monachis Malmundarii constitutis sanccita antiquorum regum vel imperatorum non suffecerunt, sed sub duobus abbatibus rescindere eadem monasteria laboraverunt, quod a temporibus sancti Remacli adhuc manet inconvulsum; propter hoc, inquam, ne aliqua deinceps inter eos controversia fiat, quod evenisse temporibus domni imperatoris Ottonis II constat, quodque infra annos pueritiae nostrae per nos quorundam non sano depravatos consilio per quinquennium et eo amplius tempore contigit evenisse, sed apud curiam nostram Legiae celebratam in pascha, anno videlicet inc. Dom. 1071 ipsi sancto Remaclo nobis praesentialiter oblato causa expetendae iustitiae, qui utrorumque coenobiorum fundator extiterat, illic per miracula quae Deus omnipotens per eum nobis et fidelibus nostris praesentibus dignatus est ostendere, claruit esse veracissime, quod a nobis erat discissum iniuste, fatemur nos iuste sibi redditum perpetualiter redintegrasse. *Et privilegium Friderici archiepiscopi Coloniensis*[5] *anni* 1128, *cuius autographum ab omni suspicione exemtum in tabulario regio Dusseldorfiae servatur; ibi enim haec legimus:* Tempore quoque domini Heinrici imperatoris huius nominis quarti per domnum archiepiscopum Annonem rursus facto divortio abbas quidam Malmundarii ordinatus est, sed per beatum Remaclum in curia regis miraculis inestimabilibus coruscantem, convictis omnibus qui adversae partis aderant, receptum est Stabulensibus Malmundarium. *Gesta*

3) Damus ea emendata ex eiusdem codicis apographo per Waitzium olim facto. Codex iam Treveris servatur in bibliotheca cathedrali. 4) Mart. Coll. II, 75. Autographum, sigillo imperatoris munitum, servatur in tabulario regio Dusseldorf. et attestante V. C. Lacomblet sine ullo dubio genuinum est, non obstante introitu perquam insolito: *Respectu divinae miserationis electus tertius Heinricus gratia Dei Romanorum imperator augustus et patritius.* In chartario saec. XIII. verba *Resp. d. m. e. t.* et *et patritius* omissa sunt. 5) Chapeav. II, 7. Mart. Coll. II, 87.

autem abbatum Stabulensium, quae Chapeavillius et Martenus in partes vocaverunt, recentioris aevi sunt, quam quibus quidquam tribuere possimus. Sed obiicitur nostro, quod initio statim dicit: Regnante Heinrico IV postea Romanorum augusto, *quum in libri II. prologo Theodericum abbatem alloquatur, qui* 5 *Kal. Nov.* 1080 *obiit. Ea autem verba facile postea addi potuisse, iam Edm. Martene observavit. Alterum est quod in temporum designatione subinde a veritate recedat, praecipue quum in paschali sollemnitate Leodii acta esse referat, quae post quindecim dies evenerunt. Verum accurate observandum est, utrum ipso festo die rem gestam auctores referant, an quod saepe factum est, ali-* 10 *cuius praecipue festivitatis nomine usi sint, quo tempus circa quod acciderit, designetur. Noster autem tantum abest ut ipso paschalis die haec acta esse contenderit, ut in ipso totius operis prologo diem* 7. *Idus Maias distincte expresserit, in quem pascha numquam cadere potuit.*

His igitur iam dudum exaratis, perlata est ad nos notitia de codice per 15 *Bethmannum nostrum detecto, quo collato universa huius opusculi ratio mirifice illustratur. Est autem hic*

A) codex Vaticanus Christinae reginae 1316 *(olim* 615*) mbr. saec. XI. in quarto minori; continet Notkeri vitam sancti Remacli, pulcherrime scriptam; fol.* 51'. *Miracula, quae incipiunt* Post gloriosiss. *(Acta SS. Sept. I,* 696*); fol.* 81. 20 *Miracula alia quae incipiunt:* Igitur Karolo *(ib. p.* 705*). Deinde folia* 95—97 *vacua sunt relicta; tum sequitur Triumphus sancti Remacli, alia saeculi XI. manu scriptus, sed ita ut statim ab initio cum reliquis miraculis coniungendus fuisse videatur. Est autem monobiblus, et solus ibi legitur triumphus ipse, liber scilicet secundus, praemissa epistola cum ad alios tum ad Fossatenses directa:* 25 *inscriptio addita est longiuscula*[6], *quam postea vel a primo auctore vel ab alio* 6 *quopiam ita ampliatam esse apparet, ut in dimidiam voluminis partem excresceret. Sed age, verba ipsa apponamus:*

Incipiunt virtutes ac miracula preciosissimi confessoris Christi Remacli, quomodo Malmundarium monasterium cum appendiciis suis ab Annone tunc temporis Coloniensium archi- 30 presule dono regis a ditione patroni nostri ablatum, per virtutes et miracula que per eum apud curiam Legie quondam sue pontificalis sedis facta sunt, omnibus timentibus periculum regis ab ipso rege sibi est publice restitutum. Nam rege adhuc puerulo cum praefatus archipraesul vim sibi faceret, et regalis curiae providentiam sibi per annos aliquot usurparet, egit etiam ut idem rex plurima de regni sui dominicatione ei traderet et testamento confirmaret, 35 quod actenus Agrippinae Coloniae sedis successores, sicuti tunc confirmatum est, inconvulsum tenent: solo Dei confessore patrono nostro signis et prodigiis exigente, ut quod de suo predictus pontifex iniuste sibi vendicaverat, quamvis invitus amitteret. Cum autem septem annis propemodum haec iniusticia duraret, anno dominicae incarnationis 1071°, supra memorato rege Heinrico quarto regni gubernacula regente anno 13°, Theoderico viro illustri nostri 40 loci rectore, contigit septimo Idus Maii restitui, ut in subiectis patebit lectori. Est vero idem de quo agitur Malmundarium, cui sanctus Remaclus ut legimus salvo suo honore beatissimum praefecit Babolemum[7]. 7

Fratribus aecclesiarum Dei per orbem ubique diffusis et precipue fratribus Fossatensibus fratres Stabulenses salutem et pacem bonam ex animo. Regnante Heinrico quarto, regni sui 45 anno 14, ab incarnatione vero Domini 1071, de his quae erga Dei confessorem beatissimum Remaclum nosque eius famulos et locum nostrum acta sunt, scribimus vobis exultantibus animis in Domino, cum antea quidem amplius quinquennio undique intus et extra vehemens incubuerit nobis dolor et tribulatio. Sed de his omnibus a Deo magnifice liberati, tam vestris qui compatiebamini orationibus, quam meritis eiusdem protectoris nostri Remacli interve- 50 nientibus gratias ipsi plenissime agimus, utpote qui tali patrono fideles, malis semper obnoxii

6) litteris rubris et nigris, per singulos versus alternatim sibi succedentes scripta. 7) ita codex; indicatur Herigeri cap. 52. SS. VII, 187.

usque in finem perseveravimus. Acturi igitur septenis Idibus Maiarum omnibus aetatum successionibus commemorandam celebritatem, divinae operationis, quae manifeste fieri visa est ad honorem tanti et incomparandi Christi confessoris dignum duximus vobis significare ut et vos quoque, si placet, agatis diem[8] glorificationis habitae, in quo beneplacitum fuit Deo in populo suo notam facere sui virtutem, ut sua gratia exaltaret mansuetos in salutem. Itaque et nunc ut semper magnificate Deum nobiscum, et invicem exaltemus nomen eius in id ipsum, qui in sanctis suis iure mirabilis predicatur in saeculum. Igitur dicemus, qualiter glorificans Dei omnipotentia suum antistitem clarescentibus virtutum signis mundo fecerit admirabilem.

Sequitur liber plenioris operis secundus (Regalis curia *etc.*), *qui urgente tempore totus cum editis conferri non poterat; sed loca aliquot insigniora Bethmannus contulit, quae in universum auctoritatem codicis Malmundariensis confirmant, et totam narrationis seriem ab auctore intactam in amplioris voluminis librum receptam fuisse ostendunt, quum inserto libro priore, novum quoque alteri prologum aptaret, et in primo prologo nonnulla mutaret.*

B 1) *Aucti operis codex Stabulensis saeculo XII. scriptus periisse videtur; ex eo fluxit editio Chapeavillii in Gestis pontificum Tungrensium excusa*[9], *parum quidem accurata, ut patet ex specimine codicis apud Mart. l. c. p.* 125. *Quo maioris faciendus est*

B 2) *codex Malmundariensis, qui Triumphum cum vita Popponis continet, minime vero privilegium Friderici Coloniensis, quod ex illo Chapeavillius edidit. Codex noster, quem supra p.* 292 *descripsimus, multis locis correctiora praebet, mendis tamen non paucis scatet; ibi editionem priorem secuti, variam huius libri lectionem textui subiecimus; aliquoties codicem* A *in partem vocare licuit. Ceterum pro simplici* e *quod codex tantum non ubique praebet, diphthongum plerumque retinuimus.*

His ergo subsidiis emendatum sistimus libellum, ab auctore coaevo et fide satis digno compositum, etsi sine ira et studio eum scripsisse non dixeris. Scripsit autem intra proximum decennium post rem gestam, stilo simplici, nisi quod versus finem sermonem versibus miscuit; ex antiquis scriptoribus Sallustium novit, et nonnumquam imitari studuit. Posteriorum nemo, quod sciam, eo usus est, praeter Aegidium Aureae vallis monachum in Gestis episcoporum Leodiensium.

INCIPIT PROLOGUS SEQUENTIS OPUSCULI.

Fratribus ecclesiarum Dei quae sunt in orbe Romano, fratres Stabulenses salutem et pacem bonam ex animo. Regnante Heinrico IV postea Romanorum augusto, anno Domini 1071, *regni autem ipsius anno* 15, *de his quae erga Dei confessorem almifluum Remaclum nosque eius famulos et locum nostrum acta sunt, scribimus vobis exultantibus animis in Domino, cum antehac quidem utrobique intus et extra vehemens incubuerit nobis dolor et tribulatio: sed de his omnibus a Deo magnifice liberati, tam vestris qui compatiebamini orationibus, quam meritis eiusdem patroni nostri Remacli intervenientibus, gratias ipsi plenissime agimus, utpote qui tali Domino fideles, malis semper obnoxii, usque in finem perseveravimus*[a].

Acturi igitur septenis Idibus Maiarum omnibus aetatum successionibus commemorandam celebritatem huius divinae operationis, quae manifeste fieri visa est ad honorem tanti et incomparandi Christi confessoris, dignum duximus vobis significare, ut et vos quoque, si placet, agatis diem glorificationis habitae, in quo beneplacitum fuit Deo in populo suo notam facere sui

a) *ita* A. *et* B 2. perseveremus *Chap.*

8) Margini manus eadem litteris rubris inscripsit: *Quod est VII. Idus Maii.* 9) Vol. II. Leodii 1613. 4. p. 517—574. Excerpta hinc desumpta leguntur in Actis SS. Sept. I, 721. et in Actis SS. Belgii III, 522. cum notis Io. Veldii.

virtutem, ut sua gratia exaltaret mansuetos in salutem. Itaque et nunc et semper magnificate Deum nobiscum et exaltemus nomen eius in id ipsum, qui in sanctis suis iure mirabilis praedicatur in saeculum. Vellem[a] *siquidem eum nostris utcunque laudibus efferre super his mirabilem, sed excellentia ipsius magnificentiae qua fecit hunc sanctum omni virtute commendabilem, nostrum exile succumbit ingenium. Unde efflagitandum est erigi nos ab ipsius cooperatoris Spiritus sancti gratia, ut eo inspirante astipulatione veritatis et ex simplicitate verborum libere currat purae narrationis hystoria. Neque id annitendum, ut ipsa cuiuslibet artis fucata mendacio, quasi quaedam meretricula, procedat in publicum sermone pompatico. quaesitura tantum favoralis aurae plausum a populo, et non potius quae et quanta fecerit nobiscum Deus*[b], *praedicatura humili simplicique colloquio. Ergo ut dictum est, glorificans mirabilis Deus suum antistitem, dicemus suis in locis qualiter fecerit per se divinis beneficiis aeque admirabilem. Sed nunc interim ne diutius immorando proemii velut simile quiddam protrahamus, ut quaeque digna memoria gesta sunt, hoc primo in opere ab incepto singula percurramus.*

Psal. 33, 4.

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

a) Velle B 2. b) *deest* B 2. d) Malmundrens B 2. *passim.* e) semper B 2. f) Stabulau B 2. g) Thegeno B 2. h) proficitur B 2. i) repetat B 2. k) perlato B 2.

19. *Abbas Romam veniens apud Alexandrum papam suas exequitur causas, qui etiam pro eo suas Coloniae mittit epistolas, sed totum id fuit frustra.*

20. *Gerlasius procurator episcopi ex ipsius nomine iterum invadit Malmundarium, sed audito rumore incerto citius festinat reditum.*

21. *Abbas a Roma revertitur parum epistolis apostolicis adiutus, immo per Fredelonem quendam*[a] *acrem virum persecutio ipsi et nobis innovatur, et per Gerardum qui Deo iudice postea est pessumdatus.* 5

22. *Episcopus Romam proficiscitur, abbas noster insequitur, ante papam et senatum discutiuntur, ad ultimum sine aliquo nostro profectu dirimuntur.*

EXPLICIUNT CAPITULA. 10

INCIPIT LIBER PRIMUS.

1. Cum igitur perspicuum sit, hunc sanctum de quo loquimur Remaclum, haec duo struxisse coenobia, quem apud Deum singularem patronum se gaudet habere tota paene Gallia; itemque suis successoribus ea reliquisse conditione qua rexerat habita, ut utrisque 10 non longe sepositis sub uno rectore, sub una lege cor esset unum et una anima[10]: alterius 15 partis fuit semper quodam morbo magis dissentire, quam vinculum fraternitatis sinceriter retinere. Hic morbus inquam erat animae, ut quia[b] unum eorum respitiens erat ad metropolim Coloniensium, nostrum vero claudebatur procinctu parrochiae Leodiensium, nitebantur qui erant illius partis, aut dominationis ius sibi vendicare, aut non violandae pactionis discidium facere. Quae res ridiculosa clandestinis[c] saepe agitata contrectationibus[d], cum ali- 20 quando pervenisset in medium, repressa est et offuscata[e] privilegiis et auctoritate maiorum[11]. Ipsi etiam Agrippinae archipraesules inducti in hunc[f] eorum errorem, casso labore antistites ac praedecessores nostros fatigatos, sed non permotos reddiderunt, sive per occasionem, seu per vim. Nunc vero quia ex voto prospitiebat eis hoc tempus quibusque bonis incom- 12 modum, ac proinde corrupti mores, et quae multos mortales falsos fieri subegit, ambitio[12] 25 consenserat principum, aggressi sunt hoc se posse perficere, quod retro actis temporibus, satis licet elaboratum, non contigit ad effectum pervenisse. Ab initio enim alii pro aliis succedentes causamque ad hoc pulcrum facinus perpetrandum suscipientes, ad haec usque infortunata nobis tempora pertraxerant, semper id fieri annitentes[g].

1061? Aug. 1. 2. Aderat festivitas sancti Petri quae vocatur ad vincula, in qua contigit apud nos curiam 30 regalem haberi cum magna principum frequentia. Rex adhuc puerulus annos infantiae non excesserat, sed mater imperatrix pro eo vices in re publica satis agebat. Inter plures coepiscopos affuit et Anno Coloniensis archiepiscopus, qui postea non sine iniuria regiae dignitatis, iniectis in dominum[h] suum manibus ac quasi tutandi gratia puero a matre per vim abstracto, non dubitavit ad se transferre ius dominationis ausu temerario. Hunc quia vir erat magnae industriae 35 acrisque ingenii, adeunt Malmundarienses monachi, talemque consulendum utile sibi profuturum putant de intentione sui consilii. Post plura quibus cautum hominem in sui familiaritatem asciscunt, ad locum suum videlicet Malmundarium visendi gratia invitant, tutoremque rerum suarum, quasi in quo sitae forent spes opesque omnes ac fortunae suae, conciliant. Habebant tunc corpus cuiusdam probatae sanctitatis, quem dicunt Ailulfum, quem etiam tradunt annales 40 13 primo abbatem Stabulensem, postea vero fuisse Agrippinae[i] archiepiscopum[13]. Hunc ut

a) *deest* B2. b) animae. in quā unum B2. c) clandenstinis B2. d) concertationibus *Chap.* e) effuscata B2. f) hanc B2. *et Chap. qui pro* errorem *post* labore *posuit* sententiam. g) admittentes B2. h) domnum B2. i) agripine B2. *passim.*

10) Nescio an respiciat Herigeri c. 55. Privilegium hac de re nusquam allatum est. 11) Ottonis II. 980. Iun. 4. in Mart. et Dur. Coll. Ampl. II, 50. 12) e Sallustii Cat. 10. 13) Antiquiorem de Stabulensi eius origine locum non inveni. In libro de translatione et miraculis sancti Quirini, qui post translationem sancti Agilolfi exeunte saeculo XI. scriptus est, haec de eo traduntur (Acta SS. Oct. V, 557): *Nobili stirpe editus Anglino loci huius abbati a parentibus est traditus sub institutione monachi regulariter informandus. Qui patris spiritualis mores et vitam spiritualiter imitatus, eiusdem ex* 45 *voluntate Dei successor est factus; dein sedi Coloniensium antistes datus, abbatis etiam non deposuit onus, donec utrumque strenuissime gubernando propter fidem regni apud Amblavam coronatus est martyrio, atque apud nos ubi abbatis nomine praefuerat* 50 *et opere, usque dum Deus voluit, locum habuit sepulturae.* Sed multa tunc de Agilulfo ficta sunt, idemque auctor, ut I. Binio visum est, etiam fabulosam istam Passionem Agilulfi compilavit. Cf. Rettberg, Kirchengeschichte Deutschlands I, 538. 55

a domno abbate Theoderico sibi expetat, prava sollicitant suggestione, ut eo translato quasi eius obtentu speraretur ea de re locus sub ipsius ditione. Quod utrum eius voluntate sit factum, nescimus; tamen ita evenisse indignum tulimus. Domnus abbas tanquam ignarus eius rei, rogatus annuere non distulit, quod postmodum, licet eo non animadvertente, totius 5 sequentis mali occasio claruit. Nam ut tunc plerique quodam praesagio mali significavere, eo ex tempore cum illis paene omnia ei adversa fuere. Igitur archipraesul susceptas venerabiles reliquias huius quem praefati sumus sancti, honore condigno recondidit in loco, quem[a] decebat martyrem Christi[14].

3. Post haec quidam qui consultores dicebantur in ipsis, quique auctores erant huius ut 10 videbatur, Coloniam adeunt, et cum archiepiscopo confirmato consilio suae quam praediximus intentionis, voti sui compotes domum redeunt. Hi regressi improbe nobis insultando, sibi vero congaudendo cum sodalibus[b] suis, dicuntur hoc nuntium ab archiepiscopo detulisse, nichil eos de se vel suo promisso diffidere, sese illis tanquam filiis patrem affuturum in omni iuvamine; praeterea se esse securum ac si iam eos in manus haberet, cum loco omnique 15 loci possessione. Quibus verbis in spem illi certam adducti, feliciores se nobis deinceps fore iactitabant, utpote quos contingeret pacatius diutiusque sub illo vivere non secus quam volebant. Ac ne forte ab illis falsa pro certis finxisse arguamur, idoneis quibusdam ex ipsis pro teste utimur: dixisse videlicet haec verba Lambertum, unum ex his qui adierant[c] episcopum, qui post immatura morte praeventus, cum vita in medio[d] reliquit consilium. Ne ergo quis 20 aestimet haec mala de confratribus nostris iccirco nos meminisse, ut malimus eos perperam quam recte fecisse; sed nefas putamus praetereundum silentio, quicquid dicere postulat suscepti operis ratio. Eo igitur ex tempore archiepiscopus animum illo intendere, moliri, opportunitatem quaerere quoquo pacto potiundi. Nec suberat ei strenuo valentique ingenio fidere, quodlibet factu tam esset difficile, quin coeptum posset ad quos vellet exitus vir cautissimus 25 perducere. Post illam quam praefati sumus violatam regiam dignitatem, qua rex puer haud spontaneam devenerat sub ipsius pontificis tuitionem, indigne ferebant magistratus et optimates regni quasi expotestativum factum suum regem; praeterea administrationem rei publicae in dispositionem novi hominis cecidisse. Etenim eo tempore infamabatur a nonnullis, quod exactam commutationem reciperet pro dignitatibus cuique adipiscendis, et maxime pro 30 honoribus ecclesiastici ordinis. Quam invidiam sibi conflari intelligens, ac non ignavo astu honori famaeque suae iuxta consulens, egit strenue ut sub honestae rei occasione administratio illa tuitioque regia transferretur in alterum, Pregmensis videlicet ecclesiae archiepiscopum. Quem statim ita sibi devinxit familiaritatis gratia, ut alterutrum paciscentes inirent hoc inviolabile foedus, quatinus alter os esset alterius. Videns itaque Pregmensis ille omnia 35 sibi ex sententia cedere, nitebatur patriarchatum in sede sua constituere. Sed quia vires ad supplendum deerant, temptavit augere ex his quae regii iuris erant; et quia ut dictum est inter utrosque statutum ius erat eius pactionis, ut alter alterius faveret commodis, ad hoc etiam non erat eis[e] difficile obtinere quae vellent ab regis simplicitate. Actum est ex consensu Agrippinae Coloniae antistitis, ut ille duas imperiales abbatias Corbeiam et Laurisan- 40 num vendicaret suae dyocesi[15]. Sed frustra vendicatas quomodo valuerit obtinere, alias inquirenti satis poterit patere; nos nostra habemus exequi non sine maerore. Ipse compari suo volens rependere vicissitudinis gratiam, de regalibus beneficiis quae noverat illum sibi competere, facit eum obtinere dono regio Malmundarium et Indam. Qualiter ea sit facta quasi furtiva traditio praeter ius fasque, ac non praeter iniuriam regiae dignitatis, quamvis 45 memorari sit dolor, tamen non incongruum duximus transferre[f] posteris.

(Margin: 14; 1062. Mai.; 15)

4. Eo tempore, recurrente principis apostolorum martyrio decorata annua sollempnitate, curia regalis apud Treviros habebatur non sine detrimento huius ecclesiae. Susceperat hospitio domnus abbas apud Sanctum Maximinum[16] archiepiscopum Coloniensem, cui[g] magno devotionis et karitatis obsequio impenderat omnem humanitatem, utpote qui nichil adversi 50 suspicabatur ab eo sibi moliri ob anteactam familiaritatem. Sed ille ex amico factus inimicissimus, non inveniens quid ex aequo inferret iratus, quaesivit astutus quod ex iniquo aufer-

(Margin: 1065. Iun. 29.; 16)

a) quo *vel* qui *legendum videretur, nisi similem locutionem infra inveniremus c.* 14. b) consodalibus *Chap.* c) aderant B2. d) morte B2. e) *deest* B2. f) tradere *Chap.* g) cum B2.

14) in ecclesia S. Mariae ad Gradus. 15) Donationis privilegia data sunt 6. Sept. 1065. Cod. Dipl. Hamb. I, 91. Sed res pridem agitata erat, v. Lamb. a. 1063. et Chron. Laur. ubi absentia Annonis usus esse dicitur, qui a. 1064 Italiam petierat. 16) erat enim Stabulensis simul et S. Maximini abbas.

1065. ret temerarius. Nam ignorante eo retro tendens insidias ut leo, pro nichilo duxit in se adimplere luctuosam psalmistae decantationem: *Qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem.* (Psal. 40, 10.) Ipso etiam tempore in ipsa curia, impetrante domno abbate, recitatae erant cartae nostrae inpraesentiarum, et ipse rex auctoritate sua renovaverat praecepta praedecessorum imperatorum, et ut inviolata permanserant ad usque suum tempus, sic deinceps permanere confirmaverat per subscriptionem manus[17]. Porro ut erat puer in utramlibet partem flexibilis, male consultus horum decurionum suadibilibus verbis, statim sua et antiquorum statuta infirmavit, violavit, in manus alienas sine iure et iudice contradidit. Denique discessum erat iam undique de curia, cum nil adhuc domnus abbas perceperat de huiusmodi veritate clanculo perpetrata. Nam nefas putabat credere, quem habebat velut amicum unanimem, in se potuisse committere sine causa tantam impietatem. Verum in redeundo, ubi etiam ipsi[a] rogatum dabat servitium, quid actum sit primum sibi est indicatum, bonum videlicet sancti Remacli per legatos suos illum invasisse, vendicasse Malmundarium. Quis haec memorando tenere potest animum, nisi quod tristicia illa modo magis versa est in gaudium? Cum fama illa nostrorum attigit aures, quantus dolor et maesticia nostras aeque cum illo perculit mentes! Quid ageret, quo se verteret, in dubio erat animus, nisi quod hanc iniusticiam Deo commendare, id esset melius.

5. Itaque reversus domnus abbas Malmundarium, non inutile sibi ratus est de huius rei instanti necessitate consulere ducem Fridericum, communem videlicet ex iure antiquitatis utriusque ecclesiae advocatum. Nam is tunc erat vir tam probatae fidei tantaeque[b] probitatis, ut non frustra speraret post Deum in eo fidere pro defensione huius offensionis. Ad haec ipse dux egregia nobilitate non minus quam pietate itemque iusticia praestantior omnibus ac veritate, spondet se omnimodis affuturum re, consilio atque iuvamine; se quidem quod factum erat graviter ferre, nunquam vero quo adviveret permissurum separationem fieri boni huius ecclesiae. Aiebat praeterea se malle occumbere, quam non sic relinqueret, ut in advocationem acceperat, inviolabile. Statim ergo mandat per internuntium archiepiscopo, ut si quicquam de vita curare haberet cum honore terreno, ab hac intentione et inceptis desisteret omni modo. Interim cum militari manu Malmundarium venire disponit, commeatum habunde praecedere facit, non ignaviter[c] defensurus locum, quae usui forent parat et instruit. Dein pro repellenda hostili manu munitione quadam montem proximum occupat, iuxta ac si hostes adessent, vallo atque fossa muniendo cum suis invigilat, ubi etiam mensem integrum cum expeditione consummat. Dum haec his partibus geruntur, res huiusmodi ad curiam delata per aulicos ventilatur; et reus uterque, dux et domnus abbas, quasi contra rem publicam fecisset, hostis publicus adiudicatur. Igitur ab his decurionibus, quorum consilio ut diximus corrumpi videbatur dignitas regiae potestatis, tanquam ex nomine regis diriguntur litterae, hos utrosque rationem reddituros ad curiam proficisci debere. Quod dux indignum sibi factum ratus, legationem hanc indignatus respuit, conquestus multum de iniusticia, quam rex[d] consilio depravatus sacerdotum sancto Remaclo sibique fecerit. Praeterea comminatus hoc regi remittit nuncium, nisi restituat sancto quod subtraxerat bonum, se illi regnoque suo cum suis omnibus obesse plurimum.

6. Ea tempestate qua sibi usurpaverat archiepiscopus bonum Christi confessoris, nepotem ipsius ducis Cuonradum scilicet[18], acrem virum, asciverat sibi militem pro beneficio huius advocationis. Is quidem ante infestus domno abbati, dicitur ex voto suscepisse advocationem Malmundarii, ut eo graviores inimicitias exerceret ultioni. Quod ut inopinate perventum est ad ducis ipsius patrui auditorium, non minor quam de priori fama indignatio eius perculit animum. Accito tamen illo paterna correptione redarguit insolentiam eius animi, conquestus multum cur offensa sui gratia, itemque non servata reverentia debiti honoris et provectionis, ausus sit, super se attemptare, quod sui erat iuris et negotii. Illo quidem expurgare se volente, non quicquam contra bonum honestumque eius affectasse, praeterea salva eius gratia nichil praeter morem coaequalium fecisse, comminatus est, id ulterius ne auderet praesumere, quod noverit sibi in prosperum non cedere. Iterum ergo mandatur domnus abbas ex regis nomine, ut si non properaret ad curiam indicto die vel tempore, praeiuditium pati haberet totius boni quod tenebat ex rege. Qui diffidens quidem suae prosperitati, sed

a) *deest* B 2. b) tamque B 2. c) grauiter B 2. d) *deest* B 2.

17) Privilegia Stabulensi et S. Maximini coenobiis concessa, data sunt Treveris a. 1065, in Mart. Coll. II, 70. Honth. I, 406. 18) comitem Lucemburgensem, filium Giselberti fratris Friderici ducis.

non desperans de misericordia Dei, iter illo tristis est aggressus, non minus se Deo quam fidelium suorum commendans orationibus. Huic dux suum procuratorem Roricum functum legatione itineris comitem adhibet, qui pro se vices causasque coram rege suisque satis ageret. At ille ubi propter quae venerat coram exponit, alii aliter assensere, alii vero a quibus, ut dictum est, privato magis quam publico negotio curia regi videbatur, rem omnem perturbavere, utrosque videlicet, quia vim contra regnum fecissent, meritos praeiuditium subire. Quod malum ille intelligens non minus sibi parari quam suo domino, inconsultus rediens domum, abbatem reliquit in periculo. Hic archiepiscoporum consilio detinetur ad curiam, quae tunc habebatur apud Triburias sedem regiam[19]. Illic cum rationem sui in medio habitam ex recto iustoque firmare conaretur, iudicantis magis odio quam iure iudiciario discutitur, calumpniatur, iniuriis quoque secus quam dignum pati erat egregiae nobilitatis virum, attrectatur. Nam saepe iussus pastoralis curae baculum reddere, dicitur adeo renitendo[a] virtutem tenuisse constantiae, ut diceret non nisi in partes e manibus ereptum iri, quia teste Deo et conscientia non erat quid evidens, unde deberet iuste praeiudicari. In qua sententia fixus totum paene mensem praeter spem detinetur exilio, multas incommoditates itineris non minus quam famis passus, denegato sibi totius humanitatis adminiculo. Tandem amicorum precibus qualicunque emissione a rege impetrata, tanquam qui vix ereptus rabiem leonum declinat, celeriter remeavit ad propria. Nobis ergo non sine dolore saluti vitaeque illius iuxta timentibus et ex eo quod per internuntios audieramus reditui eius diffidentibus, improvisus adest de se semper sollicitis et colloquentibus[b].

1065. Iul. 19

7. Statim eo recepto cum lacrimas invicem fundimus prae gaudio, ecce iterum super ingruente tristicia, inopinato perculsi turbamur nuntio, de quo non minus quam de priori inremediabiliter dolemus infortunio. Audimus pro dolor ducem, quem non nisi morte praeoccupante indefessum praediximus ecclesiae nostrae defensorem, invalescente languoris molestia ad extrema laborantem. Confestim domnus abbas visendi eum gratia illo se proripit, et cum episcopo Leodiensi[20] peractis omnibus, quae ritu catholico competebant eius viatico, non laetior quam si pariter occumbere contingeret, rediit. Postera die vir cui fide et honestate omnis erat mundus inferior, excessit e medio[21], nobis aeque ac suis, verum et omnibus bonis, non tam miserum de se dolere, quam pium flere relinquens[22] in saeculo. Erat igitur ea tempestate videre miseriam; dolebat quidem inconsolabiliter tota illius familia, sed non minor ob instans periculum destitutos nos omni[c] humano iuvamine possidebat tristitia. Verum non minima nos tenebat admiratio, quod cum magis prodesse videretur, facta sit nobis tanti viri repente sublatio, nisi quod peccatis promerentibus, quae[d] per eum reprimi posset, transire habebat in nos haec tribulatio. Ergo ut vivens statuerat nunquam discedere a sancti Remacli patrocinio, sic mortuus implevit, ut honorificam haberet sepulturam in eius monasterio. De his pro re satis meminisse sufficiat, dum ad ea quae maeroris sunt plena, prosequenda necessario accingi non pigeat.

20 Aug. 28. 22

8. Archipraesul comperiens occubuisse quasi cedendo sibi unum adversarium, statim quod timore illius intermiserat repetit, ad id quod coeperat peragendum. Continuo Cuonradum comitem, cuius supra fecimus mentionem, illo dirigit satis ad id voluntarium, ut sibi quod alterius iuris erat vendicaret, solidaretque Malmundarium. Praeterea ex ipsis monachis

a) retinendo B 2. b) inquirentibus *Chap.* c) nos humani tristitia B 2. d) quod p. e. deprimi B 2.

19) ibi rex die 8. Aug. 1065 Annoni privilegium concessit. 20) Dietwino. 21) Diem indicat Necrol. S. Maximini cum Epternacensi, a. 1065 etiam Sigebertus habet, et consentit Chron. S. Huberti c. 17. Certissimus testis est Adalbero III ep. Metensis, qui a. 1065 post mortem Friderici fratris sui Trudonensibus privilegium concessit, SS. X, 325. Sed difficultates cient duae chartae in Mart. Coll. II, 72. de donatione facta per Fridericum ducem et advocatum Stabulensem a. 1067. Aug. 30. quum infirmatus visitaretur ab abbate Theoderico et fratribus, et sibi locum sepulturae iuxta Gerbergam coniugem petisset. Quarum altera relatio est vel notitia a Theoderico abbate dictata, sigillo abbatiali munita, teste V. C. Lacomblet nulli suspicionis notae obnoxia. Hanc vero scribendi nullam occasionem fuisse monet, si charta donationis ab ipso duce expedita fuisset; chartae Friderici nomine scriptae autographum nullum reperiri. Sed habetur in chartario Stab. saec. XIII, et autographum describitur in Ernstii Hist. Limburg. II, 114; munitum autem est sigillo S. Remacli. Quare utramque chartam aliquanto post, quum donatio voce tantum peracta minus tuta videretur, iussu Theoderici abbatis confectam existimo, errore circa tempus actae rei admisso. Plane eiusdem generis sunt chartae de concambiis quibusdam Stabulensium, in eadem Martenii Collectione ex chartario nostro publicatae. 22) Cf. Horat. Carm. I, 24, 10.

1065. omnes priores ac quosque valentes indicto die ad se conduci iubet, ut si forte inter eos idoneus reperiretur, abbatem eis praeficeret. At ille non ignaviter facturus quod iussus erat, propere aggreditur quod patrui sui reverentia omiserat, utpote qui abbati nostro plurimum obesse ardebat. Parum quid quod supra praetermisimus, his inserendo repetere non incongruum duximus. Domnus abbas post eam quae sibi[a] facta est iniuriam ab archipraesule, 5 diffidens suis viribus obniti posse contra illius potentiam et ingenium valentius omni humano conamine, admonuit Malmundarienses monachos de sibi servanda fidelitate, itemque secundum regulam sancti Benedicti de obedientia et professione. Quibus simulata perfidia spondentibus se illi omnia servare, interdixit sub Christi obtestatione, ne praeter se susciperent alium quemlibet, nec paterentur admitti alienum dum ipse adviveret. Quae qualiter serva- 10 verint, luce clarius post patuit. Credebat nempe se illis quadam simplicitate tanquam fidissimis, nec quisquam tam manifesta referre poterat de illis, quin semper velut immunes eos aestimaret huius facinoris.

23 9. Ergo ubi Cuonradus de adventu suo illis opinantibus[23] mandat, et apparatum sibi abunde fieri imperat, videres eos laetos festinare, discurrere, illum velut angelum Dei ve- 15 nientem suscipere, se ipsos sumptusque itemque alia quae usui forent, officiose impendere, ne quam offensam novus advocatus videretur incurrere. Postquam ex nomine archipraesulis obligavit sacramentis homines ecclesiae, admonuit illos de his quae in mandatis habebat, si abdicato Theoderico abbate, ei cui donati erant, vellent obedientes esse. Paucis quidem non assentientibus, pars maxima sine cunctatione profitentur se ita facturos velocius. Quae res 20 nobis luctuose comperta, velut nox lucem ingruentibus tenebris, sic nos operuit maesticia. Quidam tamen ex nostris cum baculo patroni nostri illuc adeunt, revendicatoque loco ex nomine eius, quod irritum fuit, ab illis invisi redeunt. Comes praedictus satis indigne tulit id factum iri super se, efferatisque animis cupiebat hoc ulcisci tam super monachos, quam super laicos ecclesiae. Unde et maxima persecutio incubuit nostris, ut nec quoquam aude- 25 rent palam progredi, diffusis ubique locorum militaribus insidiis. Placuit ergo communi consilio fratrum venerabile corpus domini nostri Remacli exponi in medium, sicque cum eo cui fiebat iniustitia, propensius esse supplicandum. Hoc modo qualecunque dolor exigebat remedium. Iusta enim causa dolendi erat suis omnibus, proprium videlicet bonum eatenus inviolatum ereptum iri ab iniustis mortalibus. Eo ex tempore non defuit nobis dies noctesque 30 luctuosa decantatio: *Aspice, Domine, quia facta est ecclesiae tuae desolatio; eam quae sedet in tristitia, non est qui consoletur, nisi tui solius miseratio.*

10. Malmundarienses igitur tametsi ex nomine domni abbatis progressus eis contradiceretur, tamen uti res erat pro voto Agrippinam Coloniam proficiscuntur. Inquisiti ab archiepiscopo de sua voluntate et abbatis ordinatione, consulti referunt se magis aliunde quam 35 24 ex suis id velle. Quibus ad sua remissis evocatur abbas Tegeno ex coenobio Bruwilre[b, 24], quem propriis privatum non sine industria facit episcopus aliena suscipere. Nam eum abbatem vere exordinat Malmundariensium, quem velut furem aliunde cogit intrare, sed non per Sept 28. ostium. Ergo fiducia et conductu comitis Cuonradi venientem suum abbatem suscipiunt Malmundarienses monachi, nocte videlicet qua erat celebritas Michahelis archangeli. Cui in- 40 tranti tanquam ad subripiendum per noctis tenebras, illi voluntarii ad suscipiendum adhibent faces et lampadas. Nec iniustum hoc quidem fuerit, ut qui nocte latenter intraverit, velut fur fugatus rapina caruerit. Domnus abbas tunc temporis inter nos non aderat, quia post obitum ducis re consilioque destitutus, quid ageret, quo se verteret, in dubium venerat. Neque enim illius similem inter mortales invenire habebat. Verum quia Godefridum, qui 45 tunc marchio erat Longobardiae, non ignorabat valere prae ceteris potentia et dignitate, itemque apud[c] regem et optimates posse plurimum consilio et familiaritate, ad illum recuperandi gratia se totum contulit precio precibusque. Is nimirum tunc affectabat in[d] ducamen praedecessoris sui succedere, cui domnus abbas Stabulensem advocationem annuens, malebat etiam ab rege simul appetere. Enimvero, quod salva eius gratia dixerimus, in hoc minus 50 recte fecisse reprehenditur, quod in humanis auxiliis spe recuperandi nimium fidisse dicitur; cum minime sit tuta defensio, quae per hominem posse consistere putatur.

a) que facta sibi iniuriam B 2. b) Browilre B 2. c) ante B 2. d) ut B 2.

23) id est, ni fallor, *exspectantibus*. 24) ab a. 1053; illic ei a. 1065 Wolfhelmus successit. Mon. SS. I, 100; ob. 1072. ib. II, 216. 55

11. Igitur[25] Godefridus vir quidem potens et strenuus bonusque consilio, fide tamen ac veritate longe discrepabat a Friderico; quos utrosque viros egregios quoniam res obtulit in praesenti narratione, indignum putavimus de virtute[a] et eorum moribus silentio praeterire. His genus, aetas, potentia prope erant aequalia, magnitudo quoque animi par et gloria; sed alii aliter alia. Friderico innocentia et vitae integritas inerat, cui severitas cum honestate reverentiam dignitatemque addiderat; rebus etiam ipsis palam dabat intelligi, quod neque amicitiam, neque propinquitatem generis, ad hoc nec sublimitatem regni iustitia et veritate unquam potiora habuerit. Ast in Godefrido ingens virtus corporis et animi, bellis militaribusque exercitiis enitens, claritudinem viro parabat, in quo eloquentia aeque ac prudentia acri ingenio praeminebat. Verum verbis non minus quam factis sui famam nominis extendere, item honores dignitatesque saeculi ambire, magnum exercitum parare, bella interdum movere, laboribus dies noctesque invigilare, caedes, incendia praedasque bellicas facere, his omnibus pro re et tempore non inglorius uti habebat delectabile, qualia nunquam in altero locum invenere. Huic, id est Friderico, semper pax fuit carior bellis, pacatumque reddebat prudenti ingenio quicquid in bella et seditiones moveri sentiebat ex adverso. Cum in altero esset malis exitium, in isto miseris erat perfugium[b]. Nunquam in eo dominus suus invenit contrarium sibi aut reprehensibile, quia mentiri vel peierare[c] semper illi fuit pro crimine: bonus esse quam videri malebat, et ideo magis gloriam assequebatur, quam minus appetebat. Fatemur et[d] in Godefrido fuisse artes optimas, quas tamen aliquando praepediebat cupiditas. Id erat in illo unum minus laudabile, quod saepe rogatus, cum posset auxilium ferre, dicebatur pollicitando magis differre quam prodesse, ut animadverti potest in huius textus prosecutione. Cum ergo domnus abbas illum, ut diximus, adisset velut fidissimum amicum, magnificis pollicitationibus dat satis fidere, tanquam per se quod perdiderat recuperaturum; sed minimum profuisse in hoc rerum genere satis habemus compertum. Itaque pro hac eius suique utilitate suadet secum proficisci ad curiam, ubi pro eo spondet plurimum impendere se sui operam.

1065.

12. Interea domnus abbas fratres, quos tristes reliquerat, habuit revisere, veniensque venerandum corpus domini nostri sanctique[e] Remacli invenit depositum in pavimento iam multos dies iacuisse. Insuper quo tristius nil audire poterat, alienum loco suo audit Malmundariensibus praesidere. Visum est ergo ipsi rectius inito consilio, ut si corpus sancti referretur[f] in locum suum honore debito, non iccirco nobis minus deesse[g] suo, cum vellet, auxilio. Quod et ita factum est. Post haec non inconsulte agens, se regente patientia, cum facile suas ulcisci posset iniurias in illo suo adversario, continuit se magis benivolentia, et per quosdam seniores ex nostris mandat illi secundum haec verba: *Si iuste agis, quisquis es, contra me, tuimet sapientumque*[h] *iudicio aestimandum vide. Si malum esse scis supplantationem fieri, cur in hoc reprehensibilis sedem meam alienus invasisti, quam non iure nec iudicio unquam culpatus amisi? Ne ergo durius, cum recte possim, videar tecum agere, precor et moneo sub Christi nominis obtestatione et sancti Benedicti regulae, ut si habes Deum aliquando timere pro hac iniustitia, ne fraudulenter retineas aliena, sed discedens nobis relinquas propria.* At illo nil certi ad haec respondente, non ex voto consulti nostri rediere.

13. Post haec cum marchione Godefrido ad curiam Goslar abbas proficiscitur[26], ubi ille ducamen cum advocatione Stabulensi adeptus, magister militiae Lotharingiae denuo sublimatur. Domnus vero abbas de illata sibi iniustitia conquestus, privatim et publice quibuscunque potest Romani imperii episcopis et ducibus non cessat rem suam notificare, quos etiam sibi suffragari postulat in hac sui necessitate. Multis ergo huiusmodi compassione suscepta iniustum hoc esse factum profitentibus, veritatemque regi non occulendam benigne suggerentibus, decretum est tandem iudicari debere, si licitum fuisset id fieri sine causa et iudice. Godefridus dux admonitus legem dare iudicii, recte iudicat vicario sancti Remacli bonum debere restitui, quod ab eo nefas fuisset auferri. Cuius sententiae multis ex aequo assentientibus, solus ex adverso obnitens contradicit archiepiscopus. Sed ut multi tunc dixere, post iudicium latum contradicentem illum satis ex iusto rectoque posset evincere, si fidelis advo-

a) de v. *desunt* B2. b) profugium B2. c) periurare B2. d) Fatetur in B2. e) sancti *Chap.* f) conferretur B2. g) *an* adesset? h) tumet sapientiumque B2.

25) In sequentibus imitatus est quae de Catone et Caesare Sallustius scripsit Catil. 54. 26) Ibi per totum auctumnum rex fuit, v. Lamb. a. 1065. Udalricus quoque Laureshamensis abbas ibi 2. Nov. comparere iussus est. Chron. Laur. I, 182.

1065. tus aeque ac Fridericus retinendo ac propugnando voluisset bonum sancto solidare; nisi quod
27 suspectum habens eum pro beneficio quod ex eo tenebat[27], facere dubitavit id ipsum avaritia
Habac 1, 4. praepediente. Nam et tunc impleta prophetia videtur, quae dicit: *Factum est iudicium et iudex accepit, propterea lex subvertitur, et ad finem iudicium non perducitur.* Interpellatus ab omnibus qui aderant rogatur episcopus adquiescere iusto iudicio, sed ut erat vir inflexibilis 5 a sua sententia, cum aliter non posset evadere, induciis acceptis consilium differt in proxima curia. Ex tunc de curia in curiam induciarum semper extenditur dilatio, et domnus abbas vanis licet frustratus pollicitationibus fatigaretur saepenumero, non tamen defessus quievit id iniustum saepe proclamando, donec respectus misericordiae proveniret ab Altissimo. Quicquid preciosius videbatur in rebus ecclesiae, semper in spem recuperandi adductus profutu- 10 rum sibi putat liberaliter distribuere, per amicos videlicet quos his beneficiis habebat sibi
1066. adquirere. Rex pluris aestimans aerarium, captus est ipse avaritia, expetit in partem suam ex his cedere aliqua. Erat commutationis indicta vicissitudo, ut si quantitas pecuniae regis inferretur aerario, statim boni quod substractum erat, absoluta fieret redemptio. Sed expoliato templo, et his quae supererant sublatis, hic cumulus malorum nostris accessit infortu- 15 niis; nam irrita nobis mansit promissio imperialis.

Mart. 14. Eodem anno Aquisgrani celebratur regalis curia, quo tempore agebatur quadragesimalis parsimoniae observantia. Domnus abbas annuente rege placitum acceperat illic adesse, in propatulo locuturus tam de sua quam de[a] sanctuarii rectitudine. Rex enim de his quibus[b] res erat in dubio se iuste facturum promiserat, si praeceptis et privilegiis praedecessorum 20 posset infectum iri quod fecerat; sed id iterum frustra fuit. Nam animo episcopi male fixa sententia minime avelli potuit, immo ipsius regis animum, quem possidebat velut quoddam man-
28 cipium, pravo ingenio a recti sententia deduxit[28]. Effecerat insuper apud eundem de cetero nil profuturum huiusmodi clamorem. Quod ut nobis compertum est ita evenisse, visum est communi consilio fratrum corpus patroni nostri Remacli illuc deportari debere, ut eo prae- 25 sente vel sic compuncti vererentur adversarii bonum eius iniuste retinere. Itaque delatum est ad locum, eius quondam dyocesim, non sine dolore et gemitu, prosequente non parvo eiusdem familiae comitatu. Ubi Malmundarienses de sacri corporis evectione percipiunt, statim cum celeritate archiepiscopo id intimare non differunt, obsecrantes eum é contra tenere sui constantiam, fidemque quam cum eis firmaverat non facere irritam. Qua de causa 30 ille rege adito, ex eius nomine domnum abbatem constrinxerat gravis necessitatis articulo, quod nisi vetaret nos propius accedere, dono regio haberet ex toto carere. Venit ergo quasi sic facturus tristis et maerens nobis obvius, sed eum super hac re minime audivimus. Continuo enim illo invito seque infelicem proclamando prosilimus, apprehensoque lipsano sancti, oppidum Aquense intramus. Audires luctum et vociferationes quales nunquam fuerint nostris 35 temporibus, qualibusque lacrimis nisi peccatis praepedientibus etiam ipsum caelum petere[c] non diffideremus. Sed his motus non est a sua sententia Agrippinensis ille, immo quia secus processit quam voluerat, dicitur dedisse operam contradictionis. Nam debitum honorem, quem decebat patronum totius Galliae, exhibere prohibuit a clericis ipsius quondam parrochiae. Cuius venerando corpori exequias incessanter celebrant angeli, cuiusque anima gau- 40 dium possidet paradysi: hunc iniuriando velut sui similem unum ex infimis mortalibus repellere praesumpsit a suis conspectibus.

15. Continuato ergo planctu et lamentatione, iniustitiam hanc proclamantibus in domo
29 Dei genitricis, missus a rege Spirensis episcopus[29] causam requirit proclamationis. Paucis pro re auditis, nichilque certi ab eo cognito, nos quibus pro muro erat animus fidens in Do- 45 mino, ascendentes palatium ad usque regias fores[d] procedimus; ubi pauci intro admissi cum baculo nostri domini flentes coram assistimus. Rex nichil dat responsi, sedens velut mutus et attonitus, sed eius vice pro voto respondet archiepiscopus, nil iniustum dando proprium fecisse dominum suum, nec se recipiendo quicquam peccasse in sanctum nostrum; quibus respondentibus hoc posse animadverti ex praeceptis et privilegiis maiorum, si licitum fuisset 50 id fieri, dilatum est in crastinum id diligenter examinari. Populis autem, quibus videbatur nil satis esse factum, adhuc proclamantibus, desuper proterve inclamat ille Spirensis episco-

a) *deest* B2. b) rebus B2. c) patere B2. d) foras B2.

27) sc. Annone, v. infra c. 15. et Ann. Altah. a. 1051. 28) Pulso Adalberto tunc Anno sine aemulo dominabatur. 29) Einhardus. 55

pus: *Efferte hinc, ait, glebam vestram, cum importunis clamoribus, quos indecens est pati dominum meum cum suis fidelibus.* Quod infame dictum graviter quidem tulimus, sed persuadente Godefrido duce, ne quid mali in nos fieri post doleremus, in ecclesiam sanctae Aldegundis, quae nostri iuris erat, sacrum corpus observandum detulimus. At ille Coloniensis veritus posse superari praemissa auctoritate, vel etiam iussu regio, tergiversationem faciens festinus abit ex palatio, duci Godefrido committens vices suas pro se satis agere super eius fidei sacramento. Postero mane velut iam fisi eo potiundi quod differebatur, palatium repetimus, nam sero ad balneas rex, pro quibus petebatur, omnia se facturum erat pollicitus; sed nefas illi fuerit, pro quo nos fefellisse criminis arguitur. Ducem Godefridum multis aggressum precibus prolocutorem nostri se pollicitantem, ad illum praemittimus. In eo solo una omnium pendebat fiducia, quasi ex animo nobis tunc adesset[a] impensa sui opera. Sed secus id processit, quam de illo a nobis credi debuit. Eo enim in tempore omnes interdum principes expetentes et iudices verba ad gratiam loquentes, promissionibus omnino fidem non facere, quasi quaedam invaserat tabes. Recitatis ergo inpraesentiarum praeceptis imperatorum ipsiusque genitoris[30], non fuit quicquam contradicere obniti volentibus adversariis. Dum ergo id esset eo deductum dictante iustitia, ut recte facere cogeretur rex auctoritate suimet atque paterna, dux intercepit consilium huiusmodi dicens, se fidei gratia nullo modo posse perpeti domino suo absenti vim ullam fieri. Sic induciis acceptis ubi adesset episcopus in aliam curiam, dies illa frustrata omnium spe nobis adauxit tristitiam. Videres iterum cum sancto corpore clamores fletusque tales fieri, qualibus putaremus ab ipso throno divinitatis ipsam misericordiam compati, nisi peccatis exigentibus compleri videretur illa prophetae vaticinatio, oppositam esse nubem ne nostra transiret oratio. Sed tribulatis corde nondum venerat tempus miserendi, reservabatur enim ex divina providentia tempore oportuniori maior glorificatio confessoris Christi. Qui viderant[b] nos venire cum tristitia, dolebant tristiores redire ad propria, cum adversariis nostris ex voto veniret laetitia. Verebamur praeterea velut inquietando iniuriam fecisse tanto sacerdoti, ne forte propter nos ab iniustis mortalibus in contemptu veniens, tanto habitus esset neglectui. Sed impie agere in electis Dei impune non cedit, ut sequens tempus etiam in hoc declaravit.

16. Necdum annus in se revolutus transierat, cum de his iudicium Dei[c] agitari iam coeperat; rex apud Frideslarense oppidum morabatur, ubi gravis infirmitatis apprehensus molestia cruciabatur[31]: qui morbo invalescente in secretioribus locis naturae, per singula momenta clamabat exanimari[d], nimia pressus doloris gravedine. Suggestum est a fidelibus ob iniustitiam sancto Remaclo illatam id illi non inmerito contigisse, divinam potentiam sui confessoris iniuriam ulcisci in eo coepisse: porro si vellet hoc evadere iudicium, quod iniuste subtraxerat sancto reddere non differret eius hereditarium. Ille ut libens sed tamen astrictus necessitatis articulo, adhibitis fideiussoribus Maguntino[32] et Frideslarensi[33] episcopis ac duce Egberto[e] bonum hoc committit eorum fidei sacramento, ut item eo recepto ab archipraesule qui tunc aberat, manu fidei sancto restituerent, cui abstraxerat. Evocatur iterum domnus abbas ad curiam, fideiussores deliberationem fidei manus suae fieri dant operam, sed archiepiscopus scire recusat huius deliberationis conventionem habitam, illis aliisque fidelibus nitentibus eum hoc modo persuadere: non sine Dei iudicio id actum fuisse, tam salubre consilium non rennui debere, quo remedium sanitasque domino suo videretur provenisse. Ille ut anguis lubricus ad latebras tendit, perspectoque aditu quo trilingue caput efferat, inducias petit. Nam qua nescio conditione inter se habita nil erat tam difficile, quod illi auderet rex licet ingrato abnuere. Sic et hac vice ad augendam nostrorum omnium miseriam, obfirmavit ille in nos sui constantiam. Etenim non multo post tempore visitatur et ipse plaga non dissimili in occultioribus item naturae. Torquebatur aeger non inmerito doloris angustia, sed durabat animo male fixa sententia. Cumque de vita desperatus de re nostra moneretur ab amicis — nam et falso rumore iam auditum erat apud nos de eius exequiis — dicitur pollicitus fuisse se facturum omne quod iustum erat fieri, de bono videlicet confessoris Christi. Sed

a) adesse B2. b) viderunt B2. c) *deest* B2. d) examinari B2. e) Engliberto *Chap.*

30) d. Nonis Iun. 1040. Mart. Coll. II, 59. 31) Cf. Lamb. 1066. 32) Sigifrido. 33) Appulin Friteslar. ep. teste Pontificali Gundechari SS. VII, 249. c. a. 1066 obiit. Abbati illius coenobii ex ruina proximi Buriaburgensis episcopii dignitas episcopalis sine dioecesi mansisse videtur, qua anteriore tempore abbates saepe usi sunt. Egbertum ducem notissimum illum regis patruelem esse, nullus dubito.

1066. quomodo sperabatur ad voluntatem eius id posse fieri, non ita dispositum erat ex sententia Altissimi, qui sine illo mirabilius id habebat operari.

Apr. 15. 17. Archiepiscopus Trevirorum[34] obierat, ipse[35] praepositum suum eius loco substituerat. Pro qua re a Trevirensibus iustas odii causas sibi conciverat, quia spreta eorum electione suam[a] invitis proposuerat. Iubetur ille magniloquus Spirensis episcopus conductum 5 praebere novo archipraesuli, ut ipse etiam divino actus iudicio crimen infamiae experiretur in se vindicari. Devenit in villam Biettemburghe[b. 36] non parvus utrorumque episcoporum Mai. 18. comitatus, quibus erat abunde supellectilium copiosus apparatus. Cumque dormitum esset, ecce advocatus Trevirorum Theodericus comes[37] cum hostili manu irruit, omnia vastat et diripit, ipsum novitium pontificem inhumane tractans in vincula conicit; Spirensis autem 10 episcopus in ecclesiam secus altare se proripiens delituerat, qui requisitus inventusque, non inmeritas solvit poenas, ob vicissitudinem quam sancto irrogaverat, dum glebam nostram efferri tumidus proclamaverat. Nam colaphizatus et propulsus a sanctuario, velut canis inmundus abstrahitur, et ut erat intectus nudisque pedibus vili iumento impositus, sic ad sua Deut. 32,35. redire praecipitur. Nec tamen ista sufficiunt eius iudicio qui per prophetam loquitur: *Mihi* 15 *vindicta, et a me erit retributio.* Denique pro his quae sibi non ex sententia obtigerant, dolore et tristitia confectus plurimum, vita excessit infra illius anni circulum[38]. Quid illi de suo fecerint episcopo, hic nunc persequi non vacat; quantum ad nos attinet, de his satis dixisse sufficiat. Attamen ad malum hoc illi a Deo in futuro non reputetur, propter quem tantum crimen tamque nefandum homicidium perpetrari potuisse creditur. Sed iam ad nar- 20 rationis seriem redeamus.

Dec. 18. Exacto tempore induciarum quas acceperat archiepiscopus, domnus abbas ad curiam redit in ipsis natalitiis diebus. Erat in ipsa celebritate rex apud Bavenbergam civitatem[39], ubi coram eo et optimatibus eius, non insolito repetit proclamationis suae mentionem. Sed obstinato corde etiam tunc renuente archiepiscopo, totus paene conventus curialium domno 25 abbati favebat ex animo. Ipse rex consentiens veritati, benivolus erat ad reddendum bonum Christi confessori, nisi quod in dubio erat, ne id faceret praeter eam quam suspectam habebat voluntatem episcopi. Nam antehac infra ipsum annum, cum apud nos esset cum regina[40], bonum hoc ipsi sancto Remaclo per baculum ipsius reddiderat, cum etiam sacrum lipsanum expositum hac de causa in medio, ipse revehens in loco eius condignis laudibus relocaverat. 30 Nos testes sumus qui audivimus et vidimus hoc fieri, quamvis postea timore pontificis nefas illi fuerit hoc inficiari. Attamen nunc animadvertens abbas tam eius benivolentiam quam ipsius optimatum, aggressus est eum deprecari, ut salva eius gratia, tametsi nollet episcopus, liceret ei revendicare locum in ius proprium. His iustis petitionibus rege non renuente, immo cunctis assentientibus id iustum fieri debere, domnus abbas Malmundarium rediit, ac ne illud 35 frustra videretur per se revendicare, per ipsius praesens corpus, cuius praedium erat hereditarium, maxime id facere decrevit. Nos non inviti statim illo maturavimus, sed viae nostrae contradictores illos invenimus. Ut enim auditum est apud illos de nostro adventu cum sancto corpore, videres omnium rerum dubios trepidare, exangues pallescere, ac ne quasi vinculo debitae servitutis astringerentur, totis nisibus elaborare. Nam pudor erat eos dici, quod 40 tamen diffiteri non poterant, servos sancti Remacli, cuius revera ipsi[c] beneficiis et opitulationibus[d] vivebant ingrati. Monachi laicos, laici monachos in hoc cohortabantur[e] se invicem, ut domno abbati, qui aderat, contradicerent venerandi corporis susceptionem, aut si invitis eis per vim inferretur, ipsi de contra monasterium vel locum egrederentur. Quibus abbas cognitis minis[f], nunc blanditiis tum terroribus repressit contumaciam servilis[g] audaciae, ut 45 tandem acquiescerent sine offensa dominum suum suscipere. Cum ergo domnus abbas ad praesens celebraret mysterium humanae redemptionis, ad laudes Deo nobiscum referendas nec unus quidem eorum interfuit missarum sollempniis; adhuc enim fidentes de potentia episcopi et suffragatione praesumebant, quia id eius non esse voluntatis non ignorabant. Sic

a) suis B 2. b) Bietthenburch B 2. c) ipsis B 2. d) opitationibus B 2. e) choarthabantur B 2. f) *ita scribendum putavi;* ruinis B 2. *deest Chap.* g) *deest* B 2. 50

34) Eberhardus. 35) sc. Anno Cunonem; cf. Lamb. h. a. 36) nunc *Bittburg*, media inter Treviros et Prumiam. 37) De eius, qui etiam vicedominus vocatur, munere v. Honth. I, 341. 38) 1067. Febr. 23. Epitaphium v. in Winkelmannii Beschr. v. Hessen I, 84. 39) Bertholdus Spirae fuisse dicit, sed Ann. Altah. Ratisbonae, et secundum Ann. Aug. ante purificationem Augustam venit. 40) Bertha, quam mense Iulio Triburiae duxerat. 55

1066. loco revendicato revocatisque abbas hominibus ecclesiae sub suo sacramento, itemque monachis licet infidis sub[a] regulari instituto, Stabulaus rediit nichil adversi suspicans illos moliri de cetero.

1067. 19. Ipse paucos infra dies Romam petiit, ecclesiaeque nostrae privilegia auctoritate apostolica innovaturus Alexandrum papam Romanorum adiit. Illic pro se, pro loco, pro adversis casibus, itemque pro iniustitiis, quas sancto Remaclo sibique intulerat Agrippinae Coloniae episcopus, satis pro tempore causam prosecutus, gratam admodum consolationem invenit ab illo et a rei publicae consulibus[41]. Nam ipse papa relectis praedecessorum suorum decretis[42], non mediocre periculum agnoscit archipraesulis, miratus tam sapientis viri deceptam prudentiam tam inconsulte potuisse desipere in his. Itaque tam rogatu domni abbatis, quam pro eo quod sollicitudinem de omnibus utpote universalis pastor gerere[b] habebat, ex auctoritate Petri apostoli in suis scriptis illi denunciat, ut ne quandoque pro his iuste dampnari habeat, ulterius alienis, quae sui iuris non erant, vim inferre timeat. *Multa*, inquit, *ex te bona opera ad sedem usque domini mei Petri delata cognovimus, quae velut quadam nube michi*[c] *obfuscari videntur his tuis praesumptionibus. Non ergo eget Deus offerri sibi quid ex iniustitia, quia sic fiunt ei victimae ex rapina, quomodo si mactet quis filium in patris praesentia, ac ne dando videaris offendere Petrum, relinque quod sancto illi est proprium, cuius vicaria vice abbas Theodericus nostrum implorat iudicium.* Horum exemplar ab ipsius legato cum accepisset archiepiscopus, non magis quam adamans ferro emollitur eius animus. Nam cum Romam iter ageret abbas, necdum excesserat patria, cum Malmundarienses de his quae erga se et locum acta sunt, illi mandaverant omnia. Et quia ipse non erat tunc in provincia, dicuntur Gerlasio procuratori eius dedisse praemia, ut ex ipsius nomine cito revendicaretur locus vice contraria. At tum[d] his ille cognitis, animi sui constantia retinens iracundiam, veniebat de loco Sarevelt[43] quo tunc morabatur, quasi adversus locum nostrum sui vindicaturus iniuriam. Ferebatur etiam tunc decrevisse firmari castrum in eisdem Malmundarii munitionibus, quas sibi contrarias ante firmaverat dum adviveret dux Fridericus. Sed ne id faceret dissuasus amicorum consiliis, alia via parat ulcisci suam iniuriam adversis iniuriis.

20. Igitur Gerlasius Malmundarium iterato invadens ex nomine pontificis revendicat, non veritus manum inexpertam possidentis ipsum locum[44], quem protegendum adhuc ex toto non reliquerat. Neque enim, ut nunc palam est, quis unquam illi auferre poterit, nisi quod absit pro peccatis inhabitantium ipse primum, ut Hieremias ait[e] [Hier. 12, 7.], hereditatem suam ultra non curans reliquerit. Ac non ideo toties calumpniando, toties remancipando[f] manum alienam super se patiebatur, quasi invalida manus eius ad defensionem illam deficere videretur, sed volens in adversis corripi servos suos ad tempus, quos videbat ex sompnolentia[g] labi in deterius, praevidebat oportuniori tempore recedentes etiam adverso humero ad se retrahere[h] beneficiis et mirabilibus. Vix patratis his pro quibus venerat miles temerarius, monachis etiam non minus quam laicis, utpote in quorum arbitrio res huiusmodi pendebat, relapsis ex voto sub alienis ditionibus, difficile moras[i] in redeundo patiebatur fugiens fure properantius. Nam rumor exierat tanquam ex nostris partibus multum exercitum supervenire, quo terrore perculsi per fugam delitescendo se invicem adeo debilitavere, ut equis deficientibus ad sua quisque vix posset proripere.

21. Interea domnus abbas reversus de sede apostolica nil certi ad nos retulit praeter auctorizata privilegia; nam et epistolam illam, cuius exemplar penes se habet, quam[k] dicebant ab apostolico missam esse[l] archipraesuli, nil profuisse persensimus rerum nostrarum utilitati. Post haec archiepiscopus Cuonradum comitem suosque familiares de sui fidelitate admonet, ut in abbatem eiusque fideles suas ulcisci iniurias operam dent. Sed cognitam inter abbatem et comitem graviter ferebat amicitiae conventionem, infidelitatis arguens suum militem, quod iniussu suo inimicis suis communicans non satis ageret pro se vicissitudinem.

a) l. insub. B2. b) genere B2. c) *deest* B2. d) tamen B2. e) Iheremias aut B2. f) t. r. *desunt* B2. g) sententia labi interius B2. h) trahere B2. i) mores B2. k) quem B2. l) *deest* B2.

41) Cf. infra c. 22. 42) Gregorii V, Silvestri II et Leonis IX bullas edidit Martene, quas contra Roderici obiectiones l. l. p. 101 defendit. Privilegii a Gregorio V a. 996 concessi autographum non habetur, sed copia coaeva servatur in tabulario regio Dusseldorfii. Admodum mirum est, abbatem in eo vocari Werinfridum, quum huic iam a. 980 Ravengerus successerit. Cf. supra p. 308, 10. 43) ita pro *Salevelt*, quod a. 1057. a Richeza regina acceperat, etiam in privil. Ottonis IV. a. 1198 scriptum est; v. Lacomblet Urkundenb. I, 123. 392. 44) scil. Remacli, quam non expertus erat.

Quare advocationem Malmundariensem ex nomine suo vice illius vicaria commendat acri aeque viro, Fredeloni, ut oportunior acriorque insisteret loci illius defensioni. At ille accepta potestate, tanquam maiorem adepturus ob hoc gratiam aut praemium, toto adnisu cum suis invigilat dies noctesque ad huiusmodi negotium. Maxima iterum nostris incumbit persecutio, adeo ut servos se esse sancti Remacli, non nisi discrimen passuris libera esset professio. 5 Unde et quosdam ex melioribus ecclesiae dirae captionis pergravavit infestatio. Sed sic valeant omnes volentes in nos insurgere, quo modo ille gaudere habet cum suis ob hoc pulchrum facinus in sanctum Dei surrexisse. Nam defluxisse liquet hunc de bona fama ad infamiam, itemque ex magna opulentia ad inopiam. Praeterea suorum quendam intolerabilis audaciae nomine Gerardum, qui ad caedes et incendia non minus quam ad praedas et latro- 10 cinia promptior efficatiorque in nostros efferebatur, velut animal rabidum, divino potius quam humano iudicio constat pessumdatum.

1068. 22. Post haec episcopus non diffidens suis viribus, tanquam austeritate sua devictis omnibus — nam et regem adquiescere fecerat, ne de hac re se interpellaret ulterius — Ro- 45 mam parat profectionem[45], quasi ab apostolico recepturus super hoc bono privilegii aucto- 15 ritatem. Domnus abbas satis utiliter necessarieque consultus a suis fidelibus, decernit illo pariter adesse, auctoritate videlicet maiorum contradictionem illi facere. At ille regia legatione functus, ibat potens per Italiam quasi perfecturus regis negotium, sed longe aliter ac ratus erat, ea res cessit in dubium. Ventum est ergo ad beati Petri confessionem, sed abbas praeveniens, eisdem quos ante adierat, eandem repetit proclamationem, de qua re sane 20 consultus a domno apostolico, advenienti episcopo in satisfactionem se exhibens, humiliat coram ipsius scilicet altari, cuius devotionis gratia veniebat. Sed pro nefas! neque timore nec amore dulcissimi Petri dolentem consolari, humiliatumque non respexisse dignatus dicitur, immo cum ea pertinacia ad celebrationem divinorum sacramentorum progreditur. Rursus inter ipsa sacramenta quae celebrat, abbas efflagitans se miserari humiliat, sed neque 25 sic a sua sententia pertinax animus discrepat. Ipse ut iussus erat si non impetraret, ad sedem apostolicam revertitur. Papa cum suis non magni pendens illius religionem, hanc impietatem execratur. Uterque ergo apud Lateranas ex eius praecepto ad publicam audientiam invitantur; habebat praeterea apostolicus in archiepiscopum iustam causam iudicii, quod suo iniussu communicaverit aemulo suo Parmensi videlicet episcopo, quem anathematis perhi- 30 bebant subiacere iudicio. Igitur ex senatus consultu iubetur ob hoc arceri a conspectu papae totiusque Romani concilii, nisi publica satisfactione purgaret offensam, quam commiserat contra ius honoremque vicarii Petri apostoli. Pro qua re ille consultus, pro delicto conductu marchisae Beatricis nudis pedibus procedit in[a] publicum, postque satisfactionem data indulgentia suscipitur in consortium. Illic domnus abbas coram Romanae ecclesiae iudicibus ac 35 46 rei publicae consulibus[46] exponit omnia quibus ille tenebatur obnoxius, omnem videlicet supplantationis consequentiam, praeterea contra fas usurpando bonum sancti Remacli factam ab eo iniustitiam, postremo tam praesentis papae quam antecessorum auctoritatem decretorum violatam. Quibus ille ex conscientia tanquam reus facti confusus oppallet[b], ac maxime omnibus in conventu illo id iniustum proclamantibus. Pauca ex industria locutus, satis 40 pro se ad praesens respondet, legato regis Romanorum per dedecus inferre vim ullam non debere; praeterea ut concessa sibi dono regio perderet, non ideo se illuc advenisse. Cum ergo rogaretur a papa, ut amore beati Petri suique in illo iustam humanitatem faceret, spondet se omnino facturum, dum in patria coram rege uterque veniret. Igitur post haec et alia quam plurima discessum est ab utrisque de Italia. Attamen nil horum obtinuit episcopus, 45 quarum maxime rerum ierat gratia. Reversus in patria, non solum quae promiserat facit irrita, verum et ipsum regem despectum aiebat in sua iniuria, ut in abbatem illius animum gravi permutaret inimicitia. Sed de diversis partium studiis, itemque de abbatis nostri laboribus maximis, postremo de qualitate totius adversitatis, si singillatim disserere velimus, tempus quam res nos deficiet maturius[47]. Quamobrem his finem facere, quae maeroris plena 50 videntur, tanquam earum rerum taedio fessis animo libeat; ad ea vero quae gaudii sunt et laetitiae, propensius accingi non pigeat.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

a) ad B 2. b) expallet *Ch.*

45) cf. Ann. Altah. a. 1068. Mox iterum Romam profectus, rediit 3. Id. Maias a. 1070. V. Ann. I, 33. Lamb. 1070. 46) Eosdem c. 19. commemorat. Scilicet ubique antiquitatis nomina affectat; sic decuriones, rem publicam, magistratus, 55 senatum, magistrum militiae habuimus. 47) Cf. Cic. pro S. Rosc. Amer. c. 32.

INCIPIT PROLOGUS LIBRI SECUNDI.

In textu prioris operis de adversis casibus, qui nobis obtigerant, tristem admodum explevimus historiam, exercitium vero sequentis operis ex secundis rebus, quae ad glorificationem sui confessoris a Deo successerunt, iam nunc percurrat parem apostolorum ex resurrectione 5 laetitiam. Quemadmodum enim illis tristibus de magistri sui morte gaudere contigerat in ipsius resurrectione, nichil nobis minus aeque tristibus, et iam quinquennio et eo amplius afflictis, provenisse quodammodo gaudemus ipso eodemque tempore in confessoris sui tam admiranda glorificatione. Tu vero, noster domne Theoderice abbatum reverentissime, laetioribus videndum animis accipe et hoc opusculum, inculto quidem stilo ex arca nostri ingenioli pro- 10 latum, sed tuo maturiori sensu examinando corrigendum. Petimus ergo tua corroborari auctoritate, priusquam in publicas aures diffundatur incorrecta garrulitate.

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIUNT CAPITULA.

1. *Quod*[a] *in progressu versus Legiam baiuli*[b] *corporis sancti Remacli conquerebantur*[c], *posteriores se trahi a praecedentibus, praecedentes se impelli a posterioribus.* 15
2. *De reliquiis sancti Symetrii, et quod per noctem in aere via ostensa sit ab oratorio Stabulensi usque ad domum sancti Lamberti.*
3. *Leodicensis episcopus corpori sancto obvius procedit, et cum clero omnique populo honorifice suscipit.*
4. *Regem de iniustitia poenitet, episcopus Vercellensis super hoc archipraesulem monet, ille negat constanter.* 20
5. *Fratres pedibus suis prostratos ad Sanctum Iohannem in Insula archipraesul dimittit sub responsione incerta.*
6. *Ad Deum intenta supplicatio, et clericorum ac laicorum intuentium pia compassio.*
7. *Scrinium sancti cum sonitu ab altari sublevatur, et inde consolatio plurima cernentibus datur.* 25
8. *Regem super prandium fratres circumveniunt; Bavebergensis episcopus iustitiam protelat in crastinum.*
9. *Corpus sancti inpraesentiarum afferunt super mensam, et de induciis conquerentes*[d] *petunt iustitiam.* 30
10. *Regem et episcopum a mensa exilientes insecuti fratres a palatio sunt prohibiti, et relato corpore super mensam, fabrica ipsa solo cecidit.*
11. *Tibia Guntheruli oppressa et contrita resolidatur, et usque ad fores regias perducitur.*
12. *Caeca mulier ibidem illuminatur.*
13. *Regem perturbatum episcopus obiurgat, referri corpus ad sanctuarium imperat, et tandem missis cubiculariis id fuit frustra, quoniam velut saxum immobile perdurat.* 35
14. *Episcopus haec omnia fantastice accipiens, corpus sancti e medio auferri iubet, sed missi revertuntur inanes, pecuniam pro hoc ipso offerentes.*
15. *Rex episcopum Leodicensem et cancellarium suum ad fratres misit, et parum profecit.*
16. *Abbas ipse ad satisfaciendum regi cum Ultraiectensi*[e] *episcopo venit ad vesperum, quo discedente in vacuum, nocturnas excubias fratres ibidem peragunt.* 40
17. *De duobus caecis assidentibus unus est ibi insperato illuminatus.*
18. *De columba de scrinio progredi a quibusdam visa.*
19. *De ioculario inter excubias de casibus ipsis cantilenas protrahente, et de rege auscultante, et in laneis et nudis pedibus pernoctante.* 45
20. *Mane facto sacrum corpus communi consilio ad sanctuarium revehitur.*
21. *A rege fratribus cruciatus et poenae parantur, et Bavebergensi episcopo corpus sancti destinatur.*
22. *Concussione non modica in templo facta, scrinium sancti cubito sublevatur in aera, et episcopus Cameracensis orans in cripta, divina et sanctorum perlustratur praesentia.* 50
23. *Ad exemplum commemorantur dicta sanctorum.*
24. *Mulier nimium contracta ante sanctum deportata statim est sanata, et ad hoc confluente populo impletur ecclesia.*

a) Quid B2. b) b. c. s. R. *desunt* B2. c) conquirebantur B2. d) conquirentes B2. e) intraiactense B2.

EXPLICIUNT CAPITULA.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

1071. 1. Regalis[b] curia condicta erat Legiae celebrari, dominicae videlicet resurrectionis adveniente tempore sollempni[47]. Illic omnes qui habebant causam iudicii, iussi sunt convenire de singulis partibus Romani imperii, inter quos etiam noster coenobialis pater Theodericus aderat, cui rex de dampno ecclesiae placitum illic indixerat, ut si ullo modo flectere posset Annonem archiepiscopum, qui sibi Malmundarium, quod sancti Remacli iuris est, cum omnibus appenditiis suis usurpaverat, ipse iuberet et laboraret reddi quod abstulerat. Praedictus quoque pater noster pro eo quod in vanum plurima dederat de ecclesiae thesauris, tandem affectus taedio et diffidens omnibus humanis auxiliis, licet sero seniorum nostrorum adquievit consiliis; quibus placuit ad eandem curiam corpus deferri eiusdem sancti Remacli nostri protectoris, in qua villa quondam ipse praefuit iure[c] pontificalis honoris. Quo consensu voti compotes facti, quod conceperant ad effectum, providentia Dei suffulti, perducere maturabant. (Mai. 5.) Sed aliquantulum nostra profectione tardante, domnus abbas pridie praecesserat, (Mai. 6.) nosque digne tractato sacro corpore sequi mandaverat. Quapropter in exitu nostro cum progrederentur celerius anteriores baiuli sacri corporis, quam sequentes possent ferre labores itineris, conquerebantur posteriores se trahi a praecedentibus, itemque[d] praecedentes se impelli a posterioribus. Ductis namque divino impulsu sacris reliquiis, prohibiti sunt portantes immorari vestigiis. Unde non dubitabatur sanctus Remaclus sanctum Lambertum velle visitare, cui pridem in carne factus est ipse refugium singulare; ut quomodo tunc alter alteri compassus est in persecutione, ita nunc alter alteri subveniret in redimenda possessione. Quippe satis evidenter ostendit eorum subsecuta coniunctio, quam pia coniunctionem illam praecederet intentio. Ex eorum denique sacratissima societate corporum nobis quidem incomparabile gaudium, infirmis autem et debilibus provenit salubre suffragium. Verum haec alias.

2. Cum autem venissemus in villam nostri iuris Lovineias[48] nomine, sancti martyris Symetrii a Ladernacho[49] nobis obviam delatas reliquias suscepimus honorifice, quae non

a) struma B 2. b) *haec in* A, *nullo interposito, excipiunt prologum libri I.* c) *ita* A *et* B 2. magister *Ch.* d) item B 2.

47) v. praefationem p. 435. 48) quae hodie *Louvegne* audit, media inter Stabulaus et Leodium, ut videtur Io. Veldio. 49) villae huius, 2 milliaria a Stabulaus distantis, postea *Lierneu* dictae, et ecclesiae S. Simetrii ibi constructae mentio fit in Mirac. S. Remacli II, 6. ap. Surium V, p. 35. Corpus sanctum Babolenus abbas, Remacli successor, Roma attulisse fertur, v. Acta SS. Maii VI, 361.

frustra in nostrum adiutorium simul delatae sunt Leodium cum sacro patroni corpore, sine dubio adaucta omnium spe ex utrorumque digna praesentia profuturae nobis Dei misericordiae. Nobis igitur illa nocte in villa eadem cum sacris reliquiis quiescentibus, hora matutinorum ostensum est Leodii quibusdam signum mirabile, sanctum Remaclum eo deferendum nescientibus. Videbatur ab oratorio Stabulensi usque ad domum sancti Lamberti quasi quaedam via lucida splendifero tractu in aere praetendi[a]. Cuius rei species quid portenderet dum videntes mirarentur, ilico tanti hospitis adventu solvebantur, cui rem visam procul dubio servire fatebantur. Nos quoque primo gallorum cantu surgentes de loco in quo quievimus, difficultatem viae sine labore et impedimento faciles gaudentesque peregimus. Nec deerant inter eundum[b] laudes Domini pro posse et nosse comitantis populi. Non longe tamen ab urbe praestolabamur nuntium praemissum ad domnum abbatem, qui reversus nuntiat praeter spem fidemque procedendi fieri contradictionem, nec audere domnum antistitem nostrum Theoduinum venerabile corpus sancti ut dignum erat suscipere, quia timebat id indignanti metropolitano displicere. Nos, tametsi res in dubio pendere videbatur, tamen diffidentes properanter illo progredimur.

1071. Mai. 7.

3. Interea episcopum adeunt, iniuriam sancti grave ferentes, archidyaconi ac de domo quique sanum sapientes clerici, protestantes praeter aequum bonumque id fieri: consulere debere non minus sibi, quam etiam totius urbis saluti, ut tantus pastor quondam eorum mirificus ac inter praecipuos Galliae sanctos famosus, honorifice ut decebat susciperetur cum Dei laudibus. Item ipsi adeuntes archiepiscopum, ad consensum flectere nitebantur eius animum. Qui licet alias aliter sentiret, in hoc tamen ne tam iustae cunctorum voluntati contraire videretur, praebuit assensum. Ilico parat se ad procedendum cum omni clero suo domnus noster episcopus, metropolitano remanente in palatio cum sibi consentientibus. Fiebat interea maxima nobis impressio undique cum laude Dei populis occurrentibus[c], in qua nec modice quidem laedebatur quisquam ex convenientibus, cum multi vi substernerentur[d] impellentium pedibus. In quo conventu, quis abstinere potuit a lacrimis, cum unus ex militia caelestis imperatoris, iam diu palmam obtinens perhennis gloriae et immortalitatis, expetendae iustitiae causa videretur adire curiam hominis regis? Maxime clericorum super hoc erat iusta consideratio, quorum corda ad lacrimas compunxerat de tanta iniustitia pia compassio, itemque de humiliatione[e] tanti confessoris non sine pavore digna admiratio. Ceterum domnus noster episcopus, licet ab initio huius mali satis pro tempore re et consilio sese impenderit, nunc tamen cum optimis suis clericis, cum ducibus et praesentibus coepiscopis id annitendo totum biduum impensius peragit, quatinus regem et archipraesulem utrosque huius facti reos ab incepti sententia deduceret.

4. Admodum quoque poenitebat regem in eas manus hoc bonum tradidisse, a quibus cum vellet non praeter iniuriam poterat retrahere; quem etiam susurrabant parem esse in crimine propter lapsus imperialis potentiae. Nam ipse archiepiscopus eo inflexibilem offirmaverat animum, ut si quando de hac re consuleretur, displiceret ei cum auctore omne consilium. Episcopus Vercellensis[50] quasi familiarior, rogaturus de hac re illum adiit, ac ei persuadere cupiens haec auribus eius humillime suggerit: *Si iustis*, inquit, *consiliis, domne*[f] *archipraesul, acquiesceres, tuaeque saluti rite consuleres, iustissimum videretur oportere te honorem Deo facere, sanctoque huic iustitiam impendere, quam iuste videtur expetere. Agnovimus iniustum id esse quod agis, agnovimus et ob hoc tibi imminens periculum, ni sententiam mutaveris, eoque*[g] *monemus, ut rectum suum recognoscas sancto illi, cui hoc adiudicat consensus principum totiusque populi; hoc velit*[h] *ipse rex magnopere, qui non frustra timet involvi eodem discrimine. Quid sani*[i] *consilii referam edicito, nam ad te consulendum*
veni transmissus ab illo.

Ille refert motus sic indignando locutus:

Desine me his, frater et coepiscope, desine me his inportune obtundere, quibus animo nil gravius unquam fuit intendere; nam definivi apud me sub iureiurando, velle me satius emori, quam ex me infirmari sententiam huiusmodi.
Quid tibi vis dicam? non his mutabimur unquam.

a) *ita* A *et* B2. protendi *Ch.* b) eundem B2. c) *ita* A *et* B2. accurrentibus *Ch.* d) *ita* A *et Chap.* prosternerentur B2. e) *ita* A *et Chap.* humilitate B2. f) domine A. summe *Ch.* g) *ita* A *et Chap.* eo quod B2. h) *ita* A *et* B2. vult *Ch.* i) *ita* A *et* B2. sane *Ch.*

50) Gregorius.

1071. *Etiam ipse quem dicunt sanctum, si corporali specie resumpta per se rogaturus veniret, nequaquam meo permissu suae petitionis compos fieret.* — *Bona,* inquit ille, *bona quaeso verba, ne ad pontificalis ordinis infamiam in publicas aures diffundantur haec minus honesta, vel etiam occasione huius sententiae abutantur potentes ceteri quasi quadam auctoritate. Ergo etsi non precibus neque consiliis amicorum, tamen credimus te id vel virtute Dei facturum.* — *Si hoc,* ille inquit, *dum vita comes fuerit, de manibus istis videris ereptum, spiritum simul eripi sit a Domino praeceptum.* O mira Dei clementia sanctique confessoris sui patientia, quia non statim cum erepta possessione subsecuta est vindicta, licet secundum suam optionem archipraesul pateretur iudicia recta; sed non est Deus ut homo gratis propitians conformi[a] limo.

Mai. 8. 5. In crastino, quae dies erat dominicae resurrectionis[51], nostri seniores ad templum sancti Iohannis in Insula, ubi dedicationis eiusdem templi agebat mysteria, prostrati pedibus eius: *Misericordia,* inquiunt, *Domini plena est terra. Ne ergo alienum ab illa te contingat fieri, fac eam quam quaerimus misericordiam, vel ob nomen Domini.* Ille non praeter solitum usque cauta locutione dubios dimisit sub incerta responsione. (Ps. 118, 64.)

6. Igitur ipsa die convocatis principibus et episcopis coram rege ad placitum, praesente domno abbate nostro cum archipraesule coepit de nostra re agitari consilium. Interea cum pro foribus praestolaremur rei eventum, incidit nobis omnibus his melius consilium, pro instanti necessitate auxiliatori[b] Deo soli magis esse supplicandum. Itaque assistentes in spiritu humilitatis sanctae Trinitatis altari, super quod iacebat venerabile corpus piissimi patroni nostri, *Veni creator spiritus* usque ad finem ymnificavimus, quo cum dulcissima supplicatione perfinito[c], septem psalmos cum letania percurrimus animo contrito. Deinde processionem fecimus decantando *Magna vox laude* ad sanctum Lambertum in cripta. Inde ad sanctam Mariam cum responsorio *Christi virgo dilectissima;* unde et reversi sumus ad sanctam Trinitatem cum antiphona *Te Deum Patrem ingenitum,* subsequentibus aliis orationibus ad impetrandum eiusdem sanctae Trinitatis auxilium. At vero quique clericorum ac laicorum intuentes vultum nostrorum immutatumque colorem indicantem[d] internum animi dolorem, mente vulnerabantur, confluentesque publica supplicatione nostri similes efficiebantur. Protendentes ergo manus in caelum universi deprecabantur Deum nobis propitium fieri. Non modica vero erat nostrorum obsecratio, immo et trepidatio, pro eo quod in contemptum venire videntes tanti confessoris reverentiam, loci desolationem timebant affuturam, amplius insultantium perpessuri blasphemiam. Sed qui non obliviscitur misereri Deus, extulit hac occasione sanctum suum sublimius.

7. Post expletam namque supplicationem, quae praedicta est, ambientes regis praesentiam, ut coram fandi saltem consequeremur licentiam, manifeste regis omnipotentis experti sumus providentiam, per virtutum suarum insignem et admirabilem potentiam. Etenim scrinium sancti, quod impositum erat sanctae Trinitatis altari, cum repentino sonitu visum est in aera sublevari. Quod nimirum in admirationem promoverat eos qui astiterant, quique una cum custode sanctarum reliquiarum excubias celebrabant, et quod visum est[e] digna fide nobis dubitantibus exponebant. Unde plurimum consolati, toto nisu Deo commendavimus finem facti.

8. Cum ergo moras nobis protendi ab rege et archipraesule intelligeremus — nam et domnus abbas iam dixerat nil certum sibi tractari ab aliquibus — consilium hoc in commune inivimus, ut adeuntes regem pro nobis ipsi, ut res poscebat, coram eloqueremur. Intrantes itaque pomarium, ubi regali magnificentia discumbebat rex cum suis optimatibus ad prandium, assistentesque cum pia supplicatione, uni commisimus praeloquium.

Rex, inquit, *domine, felix per saecula vive,*
Et victor regnes velut optamus Stabulenses.

Suggerimus humiliter tuae maiestati, ut quid facto opus sit videas; et quid commiseris in sanctum Dei, cui servimus, recognoscas, factaque recognitione cum patribus tuis in aeternum vivas. Obsecramus quoque te per statum regni quod possedisti, pro bono sancti quod cupiditate quorundam depravatus infirmasti, quodque sibi contulerunt et confirmaverunt potentissimi praedecessores tui, quod etiam inviolatum et inconvulsum permansit usque ad haec tempora tui dominii, ut sic praecipias illud restitui, quomodo privilegia testantur monasterii; vel si secus

a) *ita* A. *et* B2. conformari *Ch.* b) auxiatori B2. c) diffinito B2. d) indicatum B2. e) ē B2.

51) i. e. dies dominica, altera post pascha.

vis fieri, erit tibi causa periculi. Locus enim noster quondam honorabilis et opulentus videtur 1071. Mai. 8.
penitus desolari tuis temporibus, quem ante te coluerunt imperatores summis honoribus. Contraria namque illata conditione, undique distrahuntur illius optima quaeque. Ergo ne consistas cf Prov. 25, 5.
illis inferior, vel in aliquo regni statuto deterior, plantetur in corde tuo iustitia, et firmabitur
5 *tronus tuus in saecula.* Rex autem cum in archiepiscopum intenderet, quasi docendus ab ipso quid fieret, ipseque cupiditate boni tentus conticesseret, apposuit adhuc noster orator ut diceret: *Quid, domine rex, propter hunc solum hominem obmutuisti, cui contra decus regium indecenti discipulatu te subdidisti?* Conversusque ad circum sedentes: *Quid vos*, inquit, *episcopi regnique optimates? cur coram conticessitis, pro iustitia loqui timentes?* Ad haec vultu
10 mutato archiepiscopus: *Quid*, inquit, *vobis auferendo admisi reatus? aut in quo sancto vestro sum obnoxius? Nil causae ad impetrandum habentes frustra nitimini, quia nichil unquam vestri iuris attigi.* Ille e contra: *Non nisi rectum iusta causa quaerimus, praebendam scilicet nostram, quam inconsulte annuente domino rege invasisti temerarius. Qui enim ab initio constructa haec duo coenobia praesul et abbas rexerat, sicut in ambobus constitutis cor esse unum*
15 *et animam unam instituerat*[a], *sic ut una esset praebenda, omnibus aetatum successionibus tenendum reliquerat. Sic ergo et nos velle tenere non est, crede, iniustitia, sed te abstulisse quantum nefas vide, quantaque sit iniuria.* At episcopus Bavebergensis[52], qui provisor regiae domus erat tunc temporis: *Si iusta est*, inquit, *vestra petitio, cras dominus meus statuit examinari id generali iudicio; non enim patimur quicquam iniustum crescere in eius imperio, donec*
20 *auctoritas huius ordinis rei publicae aderit consilio.*

9. His episcopi verbis increduli, immo dubii facti de crastino, quia nichil satis festinatur cupienti animo[53], corpus patroni nostri inpraesentiarum afferre necessarium duximus 53
communi consilio; quo ex improviso exposito super mensam regiam: *En*, diximus, *ipsum cui rex facis iniustitiam, recognosce ergo ei, quod totus orbis ipsi adiudicat proprium; ecce*
25 *pro ipsa iniustitia tuum super terram requirit iudicium: vide ne negligas, ut non in caelis adversum te quaerat iudicem Deum. Propter te*, inquit rex ad archiepiscopum, *fit nobis haec importuna invectio. Sed quamdiu praeter morem maiorum meorum haec pati habeo? Animadverte quod nisi mutata sententia aliud decreverimus, de salute nostra periclitari ob hoc in proximo poterimus.* Sed illo nil nobis proficuum ad ea respondente, sed magis praeiudicante[b]
30 nos nimiae praesumptionis et audaciae, rex iterum sponsionem fecit per inducias in crastinum, se nobis omnem iustitiam pro voto nostro facturum, non esse, inquiens, oportunum tempori rem diffinire talis negotii. Identidem omnis consessus episcoporum hortabatur rogabatque, ut interim referretur in templum corpus venerabile. *Incertum est*, diximus, *quid paritura sit dies crastina, dum modo aeque bene facere non minus licitum sit imperiali po-*
35 *tentiae. Pro salute sua itemque pro stabilitate sui imperii regem petimus ne diutius nos suspendat his induciarum dilationibus.* At bonae indolis regina coniunx ipsius, cum prodesse quidem non posset, lacrimas fundebat pro precibus.

10. Cum persisteremus in his petitionibus et hac lucta, archiepiscopus exurgens apprehensa regis dextera: *Quid*, inquit, *rex, ignominiose hic sedes? Assultum tibi fecerunt cum sua*
40 *rusticana manu hi procaces monachi, vim ingerentes contra fas regiae potestati, quasi ad cogendum nos obtemperare suae voluntati. Non tui est honoris temeritatem eorum diu spectare, quos etiam pudor est palam audire.* Sic rex spreta mensa prosiliens cum suis omnibus, inconsultos nos, sed non defessos reliquit, et ipse inconsultus; habentes nobiscum eam fiduciam, qua nil poterat esse securius. Quid tunc fieret in promptu non erat consilium, nisi
45 regem, pro quo veneramus, si forte prodesset, abeuntem sequi in palatium; quo dum fuisset perventum, praecedentes cubicularii indignam sancto fecerunt repulsam ad introitum. Quis vero planctus repente quantusque maeror excreverit nostrorum omnium, quantus denique in caelum clamor popularium, qualesque voces hanc iniustitiam Deo proclamantium, quis fluctus eloquentiae, quae lingua potest evolvere? Cum ergo inter haec non pateret aditus quo-
50 quam[c] honeste progredi, nam undique clausum erat pomarium confluentia tumultuantis populi, monentibus ipsis curialibus, qui erga sanctum et nos benigne se habebant pia miseratione commoti, relatum est corpus sancti ad eundem locum super mensam regiam sub aspectu omnium miserabili. Quod[d] aestimandum videtur non praeter voluntatem ipsius con-

a) *ita* A *et* B2. voluerat *Chap.* b) *ita* A *et* B2. pronunciante *Chap.* c) quodam B2. d) Quod — Domini *praebent*
55 *Chap. et* A; *desunt* B2.

52) Herimannus. 53) Sall. Iug. 64.

1071. Mai. 8. fessoris Domini. Nam statim ut materies illa insensibilis quodam modo sensit sancti lypsanum, quasi non ferre praevalens pondus illud divinum, facillime instar cereorum dissoluta est in frusta, videlicet firmissimum robur illud tripodarum, demissumque in terram humillime iacuit ipsum pignus sacratissimum. Implebatur ilico de vicinia et tota urbe utroque sexu amplitudo totius illius pomarii, multiplicabatur in caelum clamor dolentis populi: *Cur iuste Deus iniustum hoc sinis in terra fieri?*

11. In[a] eius itaque quam diximus humiliatione quidam ex nostris servientibus ipsius familiae[54], dum mensae innixus[b] pedem supposuisset[c] incaute, ex ruina molis imminentis[d] fractum crus ad se non potuit retrahere. Iuvantibus vero sociis seorsum extractus, subtritam pelliculam per quam pes pendebat, praecidere volebat dolore[e] constrictus. Gonterulus erat nomen servuli, qui premente angustia temere aiebat, quasi derogando sancto confessori: *Haeccine est virtus tua, mi domine, ut quod inimicis tuis*[f] *promerentibus forte differebas facere, michi tuo fideli tibi obsequenti maluisti contingere?* Necdum verba finierat cum subito[g] facta ossium collisione, ex divinae virtutis cooperatione resolidatur fracta tybia[h], surgensque sanus stetit utrisque pedibus[i] velut insompnis[k] exacta angustia. Cucurrerunt undique plurimi ad hoc miraculum, multi etiam ex palatio convenerunt ad hoc spectaculum. Ad comprobandam igitur rem divinae operationis discalciari iuvenem fecerunt, et in loco laesionis pro cicatrice quoddam signum instar rubri fili tibiae circumducti non sine admiratione conspexerunt. Rei ergo veritatem ad dominum suum regem continuo retulerunt, ipsumque usque ad regias fores pro teste deduxerunt. Sed propter impressionem concurrentium non est admissus in medium.

12. Interea clarescentibus meritis glorificandi confessoris, factum est aliud quiddam mirabile, in praesentia videlicet omnium qui aderant in ipso loco quo iacebat corpus venerabile. Caeca mulier de proximo Leodii territorio deducta stabat ad venerationem sancti cum pia supplicatione, quae noctem continuam caecitatis se incurrisse deplorans iam longo tempore,

Dicitur exclusis lucem meruisse tenebris.

Haec accipiens crucem quae ibi erat, nemine sibi dante coepit venerabiliter deosculari, ac sic omnibus praedicare factam in se virtutem confessoris Domini.

13. Cum hoc utrumque factum celebre divulgaretur in palatio, et rex in re aliquid divini operis inesse intelligens, non frustra timeret ne sibi repente divina superveniret ultio: *Non bene*, inquit ad archiepiscopum, *nobis consulimus in hoc nostri ac rei publicae negotio; potestne nobis haec lux grata, aut caeli iocundus esse spiritus, quamdiu tantam proclamationem, tantam super nomine nostro infamiam tamque importunam insecutionem sustinuerimus? Num vides ora omnium in nos conversa non solum popularium, verum etiam totius regni mei principum, me, ut reor, non iniuste reum operis huius incusantium? Vere fateor egisse me nil unquam insipientius, quam quod a te male consultus*[l] *iniuriam sancto huic faciens, quod suum erat tuis contradidi manibus. — In me sit*, ait ille, *hoc peccatum et haec imprecatio*[m], *michi totum imputa quicquid ob hoc facinoris tibi obicitur ex adverso. Ne facile his credas, rex invictissime, quos iustius punire censendum est pro inaudito auso eorum superbiae. Quid enim simile aestimari potest huic eorum temeritati, quam*[n], *quod dici pudet, te tuosque de mensa regia surgere compulerunt, te inquam dominum totius Romani imperii? Putasne, si sapis, hoc parvi pendendum, ac non imperiali censura tanquam in reos maiestatis animadvertendum? Non ergo perturberis ex his quae modo dicuntur hic fieri mirifice, quia non nisi ad commovendum nos hic sanctus virtutes operari fingitur eorum molimine. Audi tamen ex consilio, quod interim salvo tuo honore faciendum censeo. Corpus sanctum, quod quasi pro acceleranda super nos ultione iactaverunt in terram, iube referri ad sanctuarium, quia importunas has proclamationes te tuosque ferre est incongruum.* Cucurrerunt ilico cubicularii deferentes nobis hoc, ut fieret secundum iussum sui domini. Abnuimus omnino velle nos id facere; remissa per illos ad regem satis congrua excusatione, nimirum debere credi hanc iniuriam et despe-

a) *hic locus* In — angustia *in specimine codicis Stabul. apud Martenum expressus est.* b) inuisus *Chap. solus.* c) supposuit *Chap. solus.* d) iminentis *spec. ubi lineola omissa esse videtur;* irruentis *Ch.* e) dolor *Ch.* f) *ita* A *et Chap. deest* B 1. 2.. g) subita *Ch. solus.* h) tibia *Ch.* i) uedibus B 2. k) insomnis *Ch.* l) insultus B 2. m) precatio B 2. n) *vel* qua *legendum videtur, vel* impudenter *seu tale quid supplendum. Sed concinunt* A. B 2. *et Chap.*

54) Lambertus ministrum regis, haud obscuri nominis virum fuisse dicit; Dietwinus eius non meminit.

ctionem displicuisse Deo omnipotenti, qui in electis suis etiam nunc patitur quicquid illis ingeritur adversi; decere saltem ut post contemptum ipso cum poenitentia redeunte, sic facta illi[a] iustitia referretur honorifice. *Quod si aliter rex velit, id casso labore experiri poterit. Valde enim indecens est, ut tantus Dei confessor ab illo repudiatus eatenus, illum se avertentem rogatum eat[b] ulterius.* Reversi igitur qui ab rege venerant, obstinatos nostrorum animos renunciant. Mandatur statim domno abbati ex regis nomine, cur tam proterve monachos suos in dominum suum sineret agere; praeterea non inpune putaret sibi cedendum, velut in quo conscio facti esset animadvertendum, quicquid a discipulis temere videbatur admissum. Porro si pro eo quicquam haberet facere, revehi quantocius faceret corpus venerabile. Asseruit abbas sub Christi testimonio, penitus id factum esse se nescio, nedum consilii conscio. Cum lacrimis insuper aiebat, nunquam se fuisse tristiorem, quia prorsus diffidens timebat consilium nostrum verti in perniciem. Venit ergo ad nos cum ministris illis et curialibus, aestimans vi cogi aut dirimi posse illos populares tumultus, sed obsistentibus multis velut ad propugnandum milibus, non magis illic valuit eius potestas aut humilis precatio, quam antea per internuncios ipsius regis iussio. Post haec quidam de cubiculariis irruperunt in turbas accensis animis, et ad sacrum corpus irruerunt quasi fortiter pro voto facturi. Cum igitur arriperent undique ad sublevandum illud sancti scrinium, tanto pondere sentiebatur divinitus affixum, ut ex eodem loco levari non posset velut immobile saxum. Quod illi admirantes tanquam deificum, voto frustrati redierunt, ac dominis principibus non sine admiratione retulerunt.

1071. Mai. 8.

14. Cum his adhuc fidem archiepiscopus non adhiberet, immo omnia fantastice fingi assereret, iussit ex nomine regis ire quamplures ex palatio, ut nobis gravissime multatis corpus sacrum vi auferrent e medio. Illis ergo illo irruentibus, factus est commixtae multitudinis clamor ingens et strepitus. Nam universis nostrae partis obsistentibus illis adversariis, satis pro re actum est, non tamen sine divinis auxiliis. Hoc illi viso, nutu divino facti velut attoniti, nec quicquam virium habentes iussa maiorum exequi, reversi ad eos: *Illis,* inquiunt, *res est pro anima, nichil, domine rex, ad hoc valet tuorum vis atque potentia. Experti enim sumus illic quiddam inesse divinum; nisi benivolentia et amore id feceris, aliud quodcunque velis manebit irritum. Crede, quavis potestate cogendi non sunt sancti illius fideles monachi; utrum moveri debeat an non, sanctus annuit eorum voluntati.* Omnes ergo prostrati pedibus eius cum lacrimis: *Domine rex,* inquiunt, *si bene ut suademus in hoc tibi consulis, eis[c] penes quos res agitur, nichil adversi feceris; fac satis voluntati eorum, quia iustam, ut comperimus, causam habent ad impetrandum. Nichil enim tuorum terrori est illis, defensorem habent fortissimum, quapropter tibi timemus imminens periculum. Volumus id potius quolibet pretio ab ipso archiepiscopo redimere, quin non impetret hic sanctus quod requirit magnopere.*

15. At[d] ille considerans satius esse bono vinci, quam malo vincere, domnum nostrum episcopum ad nos oratum misit cum aliis suis optimatibus, ut quod ipse vellet nos incunctanter faceremus, si quod petebatur impetrare ab eo vellemus; mandans praeterea hoc esse regiam dignitatem deturpari nota infamiae, si velut pro potestate cogi videretur ad obediendum subiectorum sententiae. Ille egressus a rege, ab alto circumspectans undique pomarium refertum populis, diffidensque pervenire ad locum deficiente valitudine, utpote vir debilis, cum abbate Sancti Laurentii[55] praemisit regis cancellarium[56], ut pro se legationem regiam perferret ad Stabulensem coetum. Quibus auditis ut rex mandaverat, responderunt pauca prout animo res inerat. *Si habet*[e], inquiunt, *rex pro se timere, tanquam instante periculo, quod facillime potest, dummodo vacat, effugere iustitiam exercendo, cur sibi salutem hanc*[f] *differt, ignarus quid futurum sit in crastino? satis agnovimus eius induciarum efficatiam, quibus totiens quaesitam et promissam differt huc usque iustitiam. Quid amplius opus est nos utrobique verbis diffluere? Nisi rex ipse veniens per se id fecerit, si tamen sic sancto confessori placuerit ut confidimus hac die hinc moveri non poterit.*

Pars his mota minis[g], reddunt contraria dictis.

Sed et hi similiter redeuntes: *Nichil,* inquiunt, *domine rex, nichil in hoc promoves; quolibet velis modo labores, fixos sua sententia illos invenies. — Quia parum,* ait, *ut volui proficio, proficient et ipsi minus ex me quam velint hoc consilio.*

a) f. est illi B2. b) erat B2. c) eos B2. d) *ita Chap. et* A. Et B2. e) habent B2. f) *ita* A *et Chap.* hac B2. g) *ita* A *et Chap.* nimis B2.

55) vel Everardo vel Wolbodone successore eius. 56) Adalberonem.

1071. Mai. 8. 16. Igitur in tanta tamque continua impressione, quae inevitabiliter fiebat piissimi confessoris Dei amore, in qua alii alios supergressi ab aliis impellebantur assidue, nemo laesus, nemo perturbatus dicitur doluisse, nisi pauxilla sitis anxietate, quae tamen nimii aestus incremento collecta, statim aura solvebatur aspirante gratissima. Domnus abbas volens manifeste purgari ab ea qua[a] impetebatur falsa suspicione ab apparitoribus regis, tanquam 5 obnoxius eis ipse auctor esset huius contradictionis, temptavit iterum tam per se quam per amicos potentes removere huiusmodi consilium a suis. Venit ergo iam advesperascente cum Willelmo episcopo Traiectense, sed nec modo magis pro reverentia tantae dignitatis admissus est ab illa populari multitudine, quae ut dictum est amore tanti confessoris in unum confluxerat pro ipsius defensione. Qui cum obsistentibus illis nichilo magis proficere possent, 10 id responsi a nobis acceperunt non adeo inconsulte, ne contra se putarent id a nobis fieri temere, quia non erat locus, ut ipsi videbant, quicquam eiusmodi nos pro voto nostro facere; praeterea valde incongruum videri, ut qui eatenus divina virtute affirmabatur non posse moveri, nos praeter sui voluntatem id praesumendo efficere conaremur ingrati. *Video,* inquit episcopus, *casso vim ullam his posse inferri, satius est sic dimitti, quam quicquam,* 15 *quod cum periculo fiat, moliri.* Post haec claudente diem vespera, nocturnas excubias peregimus non sine divinitatis ope mirifica.

17. Ipsa hora procubuerant duo caeci remedii gratia coram sancti corpore, iuxta quos assedimus acturi congrua pro re et tempore. Contigit ergo ex oblatione illic offerentium de scrinio cadere nummum ante vultus eorum, qui videbantur expertes luminum; hunc unus 20 ex illis accipiens nobis videntibus, quasi cuius monetae esset coepit inspicere diligentius, qui tamen eundem statim porrexit uni ex astantibus. Interrogatus si quicquam antea videre fuisset illi possibile, respondit se caecitatem pertulisse iam longo tempore, sed tunc primum aliquid cernere divinitus refuso lumine.

18. Eadem nocte quae nobis erat in vigiliis celeberrima, ostensa fuit quibusdam illic 25 glorificandi confessoris magnificentia. Videbatur prodire columba candida de scrinio, quae locum illum excubiarum circumvolans perlustrando, instar illius quae de arca Noe in diluvio prodierat, mentes maerentium quiddam divinum portendendo lenibat; et ut illa per olivam pacem terris redditam, sic ista significabat iram Dei conversam in misericordiam. Quae cum gyrasset per totum illud spacium, visa est revolare ad eundem unde prodierat loculum. Ipsi 30 qui hoc meruerant intueri, non sine divinae maiestatis fideique communis obtestatione, facta die quibusdam ex nostris indicavere rem tanti prodigii.

19. Cantator[b] quidam iocularis ipsa nocte cum sodali suo apud hospitium dormitum ierat, qui statim sompno excitus:

Sodes, ait, *surge, nos illo praestat abire,* 35
Non est hoc vanum, non est hic crede morandum,
Excubias illas celebrare iuvat venerandas[c].

Cumque ille renuens eum erroneae visionis argueret: *Non fallor,* ait, *sompno ludificante, sed testor Deum, quendam venerandi habitus quasi manu apprehensa me illuc trahentem vidisse.* Quibus dictis praepeti cursu se contulit inter vigiles, ac ignarus quid caneret, fortuitu 40

Coepit de sancto percurrere plura canendo.

Ac nostros digestim referendo casus, tristes sua quodammodo solabatur cantilena choreis concinentibus. Rex autem desuper auscultans per fenestram de se metuenda memorantem intendebat sollicitus, qui pro eo quod acciderat indutus laneis et factus nudis pedibus iugiter pernoctabat cum timore et obsecrationibus. 45

Mai. 9. 20. Facto igitur mane unum item omnium erat consilium, revehi oportere sacrum corpus ad sanctuarium, satis illud ostentui esse potentium arrogantiae; nichil actum esse, quod eo iniuriarum expositus dicebatur magis conviluisse. Alii sic, aliter alii nunciabant nobis ex curia, consiliarios regis in nos tractare nimis contraria; humana videlicet iudicia secundum leges debere perpeti, quod inauditam contradictionem fecissemus inpraesentiarum regiae 50 potestati. At unus ex principibus quosdam ex nostris advocans eisque condolens ex animo, fixam in nos aperuit sententiam, quod nisi referretur sanctus, nil nobis profuturam esse omnem humanam industriam; dominum suum nil pensi habere, vel quicquam posse disponere, dum a nobis sic detineri contingeret corpus venerabile: prorsus omnes bonos iuxta aestimandum videre, nil nos velle aliud, quod nefas erat, sic ulcisci de nostro communi 55

a) que B2. b) *ita* A. B2. Cantor *Chap.* c) venerandus B2.

principe. His auditis, consulto domno abbate aliisque in commune fratribus, statim honorifice nostri spem unicam in templo Virginis matris retulimus. 1071. Mai. 9.

21. Post haec expletis missarum sollempniis domnus noster testamenta priorum deferens, palatium petiit cum suis, facturus solitam proclamationem coram rerum dominis; ubi 5 cum intellexisset praeposito nostro aliisque universis videlicet qui regali imperio contradixerant, non[a] nisi cruciatus exiliumque parari, remissos a se iussit cavere, ne forte poenas darent inventi. Nam iusserat rex iratus suos in nostris armatos se circumferre, nec cuiquam monacho vel laico, quin raperentur ad poenam parcere. Etenim hoc erat consilium archipraesulis, rem nostram toto conamine perturbantis; eius etiam instinctu et studio dicebatur 10 rex id habere consilii, ut concessum eius dono corpus patroni nostri sibi auferret episcopus Bavebergensis. Sed quid iam morabimur eloqui, quod omnibus auditu aeque delectabile credimus non sine gaudio lacrimabili? Non ferre diutius potuit fidelium suorum diutinam afflictionem pia patroni providentia, imo deficiente omni humano iuvamine, statim apposuit se in adiutorium nostrum cooperante divinitatis potentia. Diu sustinuit probra et infamiam, 15 satis spectavit suorum perseverantiam, despectus quodammodo in terris ab principum tyrannide, totum paene orbem in momento fecit agnoscere, quid posset in caelestibus apud Omnipotentem, ut seu vellent sive nollent adversarii, divina flexi virtute obedirent eius voluntati.

22. Annus[57] erat ab incarnatione Domini 1071, sextus autem discissionis ecclesiae Mal- 57 20 mundariensis et Stabulensis, cum septimo Idus Mai gratiae divinae placuit eam restitui[b], et hora qua vergit sol ad meridiem, caeli nobis misericordiam distillaverunt desiderabilem. Morantibus nobis Leodii in domo sancti Lamberti, factus est denuo sonus tanquam advenientis spiritus, qui humanos replens auditus templum pariter replevit, quo multi convenerant ex diversis partibus. Facta igitur concussione non modica ubi sancti ossa quiescebant sacratis- 25 sima, visum est[b] palam moveri scrinium, ac sublevari quasi uno cubito in aera. Non minor quam superius factus est subtus in cripta eodem momento sonitus, ubi pretiosi martyris Lamberti quiescit sacratissimum corpus. Illic ea hora intentus erat psalmodiae cum suis clericis Lietbertus episcopus Cameracensis, qui ex eo quod acciderat aliquantulum pavore perterritus, fugientibus aliis, ut vir Deo plenus et altioris ingenii divinum quiddam[c] intelli- 30 gens, restitit, nosse desiderans quis esset rei exitus, quae tam prodigialiter insonuit. Nam ut ipse testatus est, densa nebula primitus locum illum offuscatum reddidit, qua statim disparente subsecuta lux sole clarior resplenduit. In medio illius splendoris velut in excessu mentis effectus antistes conspicatur duos apparuisse mira claritate fulgentes, Remaclum videlicet ac Lambertum sanctissimos aeque pontifices, quos audivit archano quodam murmure 35 de his quae acciderant inter se colloquentes.

23. Non ergo sit onerosum intento lectori quod paululum videmur hic ab hystoria digredi, ut ad confirmandam fidem huius miraculi exempli[d] gratia quaedam[e] colligamus de simili. Beatus papa Gregorius: *Ibi*, inquit, *sanctos necesse est maiora signa ostendere, ubi de eorum praesentia potest mens infirma dubitare;* quod utique hunc sanctum manifestum est 40 id ipsum de se dubitantibus ostendisse. *Ubi vero*, ait, *iacent sancti in suis corporibus, ac maxime plerumque contingit ossa sua revisere beatos spiritus, non dubium est, quin valeant, sicut et faciunt, pura mente quaerentibus innumera monstrare miracula, sicut de nonnullis legitur, et de Helyseo regum testatur hystoria.* Egit ergo pius Iesus pietate sui solita cooperans sancto suo divinitatis suae gratia, ut puncto temporis toto paene agnoscente mundo inno- 45 tescere daretur etiam futuris saeculis[f], quanti esset meriti apud se sanctus iste, qui ab iniustis tanto contemptui ducebatur in terris. Nunc ad rem redeamus, ut quae sequuntur fideliter disseramus.

24. Interea coram glorificato patroni nostri corpore deportatum est quiddam monstri simile, creaturae quidem, sed non[g] habens hominis effigiem in miserando corpore. 50 Erat enim mulier ex parrochia Parisiensi ad sanctorum merita non sine Dei nutu delata in hanc nostram provinciam, quam morbus paralisis in modum globi constrinxerat, cum vexatione corporis horrifica. Erat huiusmodi videre, quod ad praedicandam omnipotentiam Salvatoris monstri simile diximus, utrosque videlicet talos retrorsum adhaerentes renibus,

a) *ita* A. B 2. nouissime cr. *Chap.* b) *deest in* B 2. c) quoddam *Aeg.* d) *deest Chap.* e) *deest* B 2. f) san- 55 ctis *Chap.* g) *deest* B 2.; *non in* A.

57) Hoc caput exscripsit Aegidius in Gestis Theoduini c. 2.

1071. Mai. 9. utrarumque manuum in volam conflexis unguibus contractisque nervis, cute tantum superducta, siccis obriguisse ossibus. Talis ut coram sanctuario est deposita, reviviscere divina virtute membra coeperunt arida, paulatimque videbatur reformari vultus et habitudo corporis in virtutem pristinam. Ac primum extensis manibus trementia membra contrectabat diligentius; ac sensim nitebatur se extendere una tantum tybia remanente debili, ceterum dis- 5 solutis artuum contractionibus. Fluunt totis ex partibus, adsunt

Notus et ignotus, civis simul et peregrinus.
Ast illud templum venientes non capit amplum.

Implentur patentes porticus et claustrorum aedificia una voce proclamantium in caelos Christi magnalia. Ut se habet fides tunc illic assistentium, quid ad laudem Creatoris potuit adici 10 potissimum? Omnis creatura visa est in confessore suo collaudare Christum dominum, sicut animadverti potest ex adiectione sequentium.

25. Facta igitur tanti confessoris glorificatione, campana maxima repentinum sonitum coepit dare nullo impellente. Post haec cum aliae simul ob hoc miraculum pulsatae laxarentur, illa ut coeperat perseverans ob sollempne Dei miraculorum semper audiebatur, quia 15 ut putatur ex Dei providentia innotescere volens universis cooperari Deum in sancto suo virtutum incrementis, quibus valebat protestabatur indiciis. Suspicantibus vero quibusdam ne forte, ut est mos humani ingenii, hoc opere cuiusdam latenter fieret, ascensa turri aedituus nil reperit quod huiusmodi fictitium reprehenderet. Vulgata ergo fama unius salutem recuperantis, caecorum, claudorum, aridorum confluxit mox multitudo miserabilis, ex qui- 20 bus multos palam fuit videre ex diversis regnis praesentibus dicto citius restitui pristinae sanitati, gloriosissimi patroni meritis intervenientibus. Quis hominum singillatim potuit dinoscere genera sanitatum in diversis aegrotantibus, quae illic caelitus exhibita sunt divinis medicaminibus? Nam sicut valens medicus gnarus cuiuslibet aegritudinis, ut cuique novit prodesse, potionem aut antidotum porrigit invalidis, sic divina gratia quibus placuit caeleste 25 medicamentum infudit advenientibus singulis. Qui alienis advectus fuerat manibus, ad sua propriis remeabat gressibus. Quis illic se tenere potuit a Dei laudibus? Ecclesia, ut diximus, usque quaque plena erat Deo gratias clamantium congratulantiumque vocibus.

26. Sicut ergo hunc Dei confessorem magnifice superius, sic et martyrem Christi operari manifestum fuit inferius. Nam ea hora qua illic aderat memoratus episcopus, aderat et 30 quidam elemosinam ab eo praestolans accipere totis contractis artubus. Audita vero huiusmodi forinsecus operatione, postulabat se iuvari ne impediretur illic se turbis opprimentibus pervenire. At episcopus: *Noli*, inquit, *ne non pervenias diffidere, potens est Dominus eandem tibi misericordiam per eadem merita sanctorum hic impendere.* Quae verba statim secuta est virtutis efficacia, nam restitutus ille[a] peregrinus gressibus antiqua firmavit vestigia. Festi- 35 naverunt inde quidam ex cubiculariis ad regis palatium, irruunt alter quisque post alterum. Omnis ergo posterior quasi novum id nunciabat, quod alius prior identidem edixerat. *Domine rex*, inquiunt, *audi et intellige, quid possit sanctus ille, quid nunc operetur magnifice; vere testamur hodie vidisse nos mirabilia, quae ipse Deus operatus est per sui confessoris merita.* Cumque necdum fidem dictis adhiberet archiepiscopus, fecit experiri factis hoc modo 40 rem omnem diligentius. Cucurrerunt statim duo ex cubiculariis, et arripuerunt quem invenerunt iacentem in porticu debiliorem ceteris, non dissimilem illius quem descripsimus in virtutum exordiis. Hunc deportatum coram sancti praesentia in pavimentum proiecerunt velut sarcinam, non se penitus movere valentem in parte altera. Videres ilico divina virtute dissipati membra compingi[b], nervos stringi, iungi ossa, compleri viscera, valitudine firmari 45 singula membra. Qui paulatim se subrigens apprehenso cornu altaris in pedes constitit, sicque formosus facie et habitudine alter quodammodo quam videbatur apparuit. Haec non nisi visa scribimus, quae pariter viderunt milia populi ex diversis nationibus.

27. Nunciata sunt haec ita se habere regi et archiepiscopo, propter quae pendebat eorum animus in dubio. Astitit interea in medio quidam, cuius nomen excidit, de curialibus, 50 ostendensque pro teste baculum: *En*, inquit, *hoc indicium virtutis accepi ab uno, qui erat paralyticus, quem coram divinitus sanari et exilire vidi utrisque pedibus. Quis vero potest esse tam aversus a vero, tam mente captus, qui neget haec omnia quae vidimus, immo non sine Dei nutu ac potestate administrari credimus? Non est meum, o rex, te fallere; si quid in hoc mentior, caput ex me accipe.* 55

a) r. est ille B2. b) compati B2.

1025. Mai. 9.

28. Dum ista dicuntur et illa referuntur, cum nec dum archiepiscopus quod iniuste tenebat ad reddendum ullo modo flecteretur, Lietbertus Cameracensis episcopus adveniens admissus est, quae viderat verbis evidentibus coram elocutus est. *Non est tibi*, ait, *utile sedendum, domine mi rex, quia quod tandem es facturus, credo serius quam velis facies. Noveris duos illos caelestis imperatoris milites graves super te causas inter se agentes, et quia timeo tibi imminens periculum, nunciaturus inde venio tibi sanum consilium. Sine mora si non vis perire, quae iniuste tulisti sancto sua restitue.* Adiungunt se huic tam episcopi quam duces cum cubiculariis idem deprecantes fieri non fictis lacrimis. Tunc rex his velut exterritus exurgens de solio, conversusque ad episcopum: *Non amplius*, inquit, *differre possum id, ut video, nec enim in hoc tibi plus consentio. Quod a me non bene consulto accepisti, si vis restitue, quoniam ei qui tam evidenter a me suum requirit, velis nolis, meum erit reddere.* At ille: *Quoniam quidem*, ait, *sic Deo placet, nec aliter potest fieri* — porrigit baculum quem tenebat — *en*, inquit, *domine, bonum recipe quod dedisti.*

29. Procedens itaque rex de palatio stetit super gradus, qui praeminebant in templo; persultabat ergo ecclesia vocibus gaudentium Deumque laudantium. Ipse autem admirans: *Tarde*, ait, *ut reor illuc perveniam, ut sicut sancto placet ei satisfaciam.* Vix igitur irrumpentibus ministris iter per populi medium pervenit in praesentia, ubi fiebat opus divinitatis celeberrimum. Accepto itaque statim a custode pastorali baculo sancti,

Stans ait: *En recipe quod reddo tuum tibi, sancte,*
Ignoscendo michi veniam concede roganti.

Sic rex reposito baculo super corpus venerabile, confitens peccatum humiliato capite, regressus est celerrime. Eadem ut comperimus hora, qua facta est sancto ab rege iustitia,

Quidam contractus gressu stat sospite sanus.

Protinus ergo dantur Deo altissimo ab universis laudes et gratiae, concinitque pariter clerus civitatis *Te Deum laudamus* officiosissime. Quae vel quanta miracula post facta sint, inpossibile est cuiquam scribendo perstringere, ex quibus nonnulla propter concursum strepitumque tumultuantis populi ad nostri notitiam non potuerunt pervenire; ea tamen quae vidimus vel ab aliis visa fideli relatione didicimus, silentio praeterire nefas putavimus.

30. Hoc etiam adiciendum operae pretium est huic operi, quod cum efficere non dissimiliter posset hoc ipsum alibi, vel in suo quo requiescit loco, aut quo similiter devectus est Aquisgrani palatio, maluit hoc effectum iri in sua quondam sede pontificali. Egit enim divina gratia digna recompensatione, ut ubi pro contemptu saeculi olim honores dignitatesque reliquerat, eligens Deo artius inhaerere, illic magnificentius exhiberetur ei honor et gloria Dei administratione. Neque vero reticendum est hoc eius patientiae pietatisque exemplum, quod eos qui adversari sibi videbantur in hoc iam plurimum, magis beneficiis attraxerit quam qualibet plaga vel ultione meritos coercuerit.

31. Matrona quaedam de ipsa civitate per multum tempus privata fuerat oculorum lumine, quae ut ex voto pro se rogatura pervenit ad corpus venerabile, statim ex divinae clarificationis praesentia, detersa tenebrarum caligine, lux orbibus refulsit gratissima; ipsa pro huiusmodi munere divinitus adepto, duos e familia sua tradidit sancto.

32. Quaedam item mulier ad hoc sollempne miraculorum deducta fuerat, cui lumen oculorum ex matris utero, ut ipsa fatebatur, natura negaverat. Haec orando fideliter cum ceteris, non casso promebat talia ab intimis cordis: *Sancte Dei pie et exaudibilis, qui tanta tamque mira deifice hic operaris,*

Qui praestas aliis citius quodcunque rogaris,
Quem non nosco diem da cernere, pelleque noctem,
Quae me tetra diu miseram possedit ab ortu.

Statim ut caput erexit cum oratione, aperti sunt pariter ocelli cum sanguinis profusione;

Nam virtus terris splendens iubar intulit umbris,
Mox et amica dies vacuos illuminat orbes.

Illa vero videns lumen insolitum, ut iure laudavit laetissima medicum, ac pro teste huius miraculi stillantem ab oculis cruorem protulit in aspectum populi.

33. Cuidam misero struma creverat in capite, quae intumescens aurem occupaverat cum facie, quae pestis non minus misero perpessu videbatur incommoda, quam erat omnibus visu turpissima. Hic ubi cum ceteris astitit coram sanctuario, repente disparuit omnis illa vitiosa inflatio. Nam his qui eum antea viderant intuentibus non sine admiratione visa

1071. Mai. 9. est remissa cutis suo loco aequaliter resedisse, nec quicquam ex eo morbo remansisse praeter cicatricem in capite.

34. Mulier filiam suam septennem sed[a] paraliticam illic deposuit, cuius fides filiae salutem statim impetravit. Hi ergo qui Dei virtute sanatam puellam praesentes videbant, erectam super populum manibus efferebant, ac meritum confessoris Christi teste hoc miraculo 5 magnificabant. Cum autem ignoraremus quae esset huius virtutis efficacia, mater propter assistens cum lacrimis exclamavit laetissima: *Haec,* ait, *quam video, ex meo processit utero, de cuius paulo ante solo funere michi erat expectatio, quia ex omni parte praemortua, spiritu tantum palpitabat tenuissimo.* Tunc vero tantus ab utroque sexu factus est clamor admirationis, ut non videretur posse finiri vox continuata cum lacrimis; exultabant enim omnes in 10 laude Dei voce sine verbis, tanto sonitu, quantum vix ferre posset auditus quilibet capabilis. Videbatur praeterea cuique foris advenienti repletam fuisse totam illam ecclesiam gloria et maiestate Domini, ubi delectabantur inhabitantes tanquam ex Dei praesentia suavitate in- Gen. 28, 16. enarrabili, ut revera illic posset dici, sicut et dicebatur non inmerito: *Dominus est in loco isto.* Ipso ergo die celebritatem hanc divinorum operum gavisa est et terra quodammodo se 15 sentire non minus quam caelum. Quae enim tribus exactis mensibus non maduerat aquis pluviae, herbis cum germine paene arescentibus, eadem nichilominus die divina operatione omnem virorem recepit largiter infusis imbribus.

35. Cum iam sol vespertinus ad occasum declinaret, et[b] adhuc populus frequens in laudes Christi confessoris acclamaret, factum est aliud quiddam divinae operationis mirifi- 20 cum, ad praedicandum eiusdem pii protectoris meritum. Ad illam venerationem salutiferam quidam clericellus a patre est devectus, qui transversis vestigiis distortos pedes ab utero matris fuerat passus. Nec mora, visitatus est ab eodem medico in medio circumstantium, qui singulis, prout noverat competere, porrigebat eiusdemmodi medicamentum. Ille statim salutem se sensisse indicabat, sed eiusdemmodi res intuentibus non ad liquidum fidem prae- 25 stabat, quia cum priori similitudine adhuc calcei pedibus haerebant. De curia vero cubicularii ac plerique nobiles aderant, ipsi discaltiatis pueri pedibus virtutem Dei admirantes Christique confessoris in ipso meritum efferentes magnificabant.

Mai. 10. 36. Clauditur illa dies retinens per saecula laudes,
Acta quies nocte, redeunt spectacula mane. 30

Requisivit igitur domnus abbas de revehendo ad locum suum glorificato sancti corpore consilium a suis, et datum est ei sanum consilium minime reditum differri, ne postea id quod ex voto cesserat, quicquam nobis fieret impedimenti. Igitur cum honestissima clericorum sancti Lamberti cooperatoris, ut vere fatemur, earum virtutum, tam processione quam pari devotione decessimus exultantes ab illa civitate. Erat autem vox una omnium in laudes 35 Christi confessoris acclamantium:

Aueto, praesul agye, patrone noster inclite,
Spes o tuis fidissima, nos tua iuva gratia.
Tu lux decusque Galliae, cum plebe clerum protege,
Cui posse scimus plurimum, cura languores criminum. 40
Huc te delatum plurimis effulsisse miraculis,
Hinc redire cum gloria, tota congaudet patria.
Ab huius coetu curiae redduntur tibi gratiae,
Quae tota tuo ex nomine celebratur magnifice.

37. Nec minus his dignum videtur illud commemorandum, quod ad illorum similitudi- 45 nem puerorum, dominicum[c] Osanna Redemptori proclamantium, in laudem quoque huius sancti factum esse creditur, non tamen praeter divinae gratiae placitum. In redeundo itaque transmisso amne cum cis Mosam perventum esset in locis campestribus, stationem illic fieri ad audiendam missam impetravit a domno abbate omnis ille civium extraneorumque populus. Interea facta mora dum parabatur celebrari divinum officium,* de tota civitate 50 puerorum scolae convenerunt tanquam ad eiusdem venerandi patris obsequium. Qui scandentes proximi montis cacumina, extulerunt voces velut angelicas per nubila. Nam dispertiti a se quasi tribus per choros ordinibus laudem Deo cecinerunt pro confessoris sui triumpho et Christi mirabilibus.

a) *ita* A. B2. scilicet *Chap.* b) *deest in* B2. c) dominicam B2. 55

Introitum cantus *Magna vox laude* tenemus. 1071. Mai. 10.
Inde *Crucifixum laudate in carne* secundo,
Salve festa dies, resonant hoc ordine laudes.

Non ab re ergo creditur aestimandum id actum esse, quod nullius magisterii professio vel
5 humana suaserit suggestio, sed haec sicut et alia fieri destinaverit fideliter invocata sanctae
Trinitatis opitulatio. Nam sicut quod ante cecinerat psalmista futurum, etiam ita credimus Psal. 8, 3.
in Christo impletum, sic sane et in hoc sancto propter inimicos eius a Domino manifestata[a]
perfectaque est laus ex ore infantium. Finitis itaque praedictis modulationibus descenderunt
acturi nobiscum divinorum mysteriorum celebritatem, quae omnia completa sunt cum fide-
10 lium votivis oblationibus. Eodem vero die tradiderunt sancto locum ipsum, in quo facta
statione quieverat, hi qui erant heredes eiusdem cespitis, eiusque in honore pie perseverante
sollempni devotione plebis, fundamenta ecclesiae statim iactata sunt ab accolis, quae post-
modum ad perfectum deducta crevit in opus divinae servitutis[58].

38. Inde digressi ad propria festinabamus laeti; ipso vespere Malmundario protectorem
15 nostrum atque triumphatorem detulimus, quem locum cum triumpho nobili reacquisitum
ipse per se revendicavit pater legitimus. Hunc inquam locum nunc[b] aeternaliter revendi-
cavit, quem in initio vepribus omnique spurcitia eliminata primus incoluit, electumque sibi
habitaculum divinis cultibus mancipavit; traditumque sibi a rege Sigiberto decentissime re-
gendo tenuit, regendumque sua vice suis successoribus eatenus reliquit. Revocatis ergo le-
20 gitime tam monachis quam laicis sub ditione abbatis ex eius nomine, Stabulaus reversi sumus
potiti optata securitate. Taliter ergo post innumerabilia divinae virtutis miracula, victricia
egregii[c] nostri patroni ossa loco suo sunt reposita. Unde gaudeamus tanti confessoris adepti
patrocinium, qui nobis cum deesset humanum, meritis suis divinum obtinuit auxilium. Gau-
deat etiam coenobialis pater noster eatenus confectus maerore diurno[d], cui ad hoc labor
25 impensus nil profuit exacto amplius quinquennio, gaudeat inquam praeter spem sibi prove-
nisse tantam gratiam, quam non potuit adipisci per humanam gratiam. Non potentum ac
principum iuvit privata gratia, nil ad hoc valuerunt humana consilia, nil profuit ad curiam
frequens itus aut reditus, nil praeterea promovit hinc[e] exhaustus aerarius, nil auri vel ar-
genti, quae prima mortales ducunt, largitio facta iusto profusius. Gratia autem Dei solius
30 per meritum sui confessoris, cum voluit, his finem imposuit miseriis. Et nos in his finem
facere cupientes, paulo cessandum ab hoc opere decernimus, ut si ad alia scribenda, quae
post haec apud nos per eum magnifice claruerunt intendimus, interim vires scribendi per
otium reparemus.

a) manifesta B2. b) *deest* B2. c) *ita* A. B2. diuini *Chap.* d) diuino B2. e) huic B2.

35 58) Exstat adhuc hodie ecclesia parochialis prope portam et pontem Amari cordis, quae ex miraculo illo ecclesia sancti Remacli nominatur, non longe a montibus, e quibus scholares laudes sancti Remacli hic cecinisse scribuntur. CHAPEAVILLE.

VITA ANNONIS ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS.

EDIDIT D. RUDOLFUS KŒPKE PROF.

Annonis Coloniensis archiepiscopi nomen clarissimum nemo nescit, nisi qui ipsam Germaniae historiam nescit. Inter omnes enim constat Annonem Heinrici quarti, pueri, tutorem in rerum publicarum summo discrimine, quum graves illae inter imperatores et pontifices exarderent contentiones, et Germanorum imperii gubernacula tenuisse et ecclesiae turbas ad pacem revocare conatum esse. Qui igitur illorum temporum historiae scribendae operam navarunt, primas quasi partes Coloniensi archiepiscopo tribuerunt, eiusque potissimum inter omnes qui in publica luce versabantur viros res gestas moresque posteritati tradiderunt. Itaque merito coniicias rerum scriptorem, qui, Annone ipso paullo tantum iunior, talis tantique viri vitam narrandam sibi sumpserit, uberrimam libri materiem nactum esse, ita ut vires potius quam res scribendae deficerent. Quis non iure sibi persuadeat sancti Annonis vitam multa et memoria dignissima contineat necesse esse? Sed res ipsa longe aliter cecidit. In tenuis enim angustique ingenii monachum hoc scribendi incidit argumentum, qui magnum quidem libri comparavit volumen, sed in tanta mole exspectationi ne mediocriter quidem satisfecit. Nam ne dicam quae nova sint vel animum moveant, in hoc libro vix nota et pervulgata invenies. Sed ne iniustum facere videar iudicium, non omni consilio carebat auctor, qui copiosam hanc scribendi materiam in tam arctos fines redigeret. Quum enim iam Annonis temporibus diversas diversi rerum scriptores de moribus eius sententias tulissent[1]*, hoc unum sibi proposuit, ut Sigebergensis monasterii fundatoris iustam laudationem conscriberet, eumque vitae integrum atque sanctum virum depingeret omnesque, si fieri posset, maculas abstergeret. Ideoque praeter narratiunculas de religione eius et misericordia miracula ab eo perfecta tam plena manu fudit, ut legenti paene sit molestum. Caute vero omnia silentio praeteriit quae vel levissimam de Annone suspicionem movere possent, ita ut Lambertum, quem minime archiepiscopi obtrectatorem dicas, non in omnibus sequi auderet, cuius vestigiis alias presso pede incedit*[2]*. Nihil legitur de Annonis coniuratione contra imperatricem, nihil de raptu Heinrici regis, de*

1) Caute Lambertus de *factione* Annonis loquitur ad a. 1062, de conspirationibus eius 1066. 1073, de monasteriorum occupatione 1063, eum privatam gloriam communi commodo proposuisse innuit 1062. Adamus Brem. III, 33. 34 appellat eum *virum atrocis ingenii, omnium coniurationum medioximum*, arguit eum violatae fidei, avaritiae. Monachus Brunwilarensis c. 21 dicit: *Interdum plus proprii arbitratus quam iustitiae cultus tenax* erat. Auctor triumphi sancti Remacli I, 2: *Vir erat magnae industriae acrisque ingenii; — non dubitavit ad se transferre ius dominationis ausu temerario.* Ambitionem eius castigat I, 3. Hi omnes scriptores paullo post Annonis mortem scripserunt. Benzonis convicia (Menken I, 902. 1017) non repetam. Auctoris tempore fuisse qui dicerent Annonem *rapinis et iniusticiis* serviisse, ipse probat auctor I, praef.

2) I, 2. 3. 4. 5. 22. 23. 24. 28. II, 20. 21. 22. 23.

itineribus eius Italicis, de poenitentia quam publice egit in synodo Romana[3], *nihil de ambitione et avaritia qua Indense et Malmundariense monasterium occupavit et Brunwilarense aggressus est. De his omnibus altum silentium. In una eius sanctitate haeret auctor, et ad hoc unum revocavit omnia, ut defensionem Annonis contra inimicos conscriberet, qui de moribus eius acerbius statuerent, vel miracula eius in dubium vocare auderent. Quod consilium non uno loco aperte proposuit*[4].

Auctorem Sigebergensem fuisse monachum ex ipsa narratione satis patet. Scribendi quasi praesidem Reginhardum habebat abbatem Sigebergensem, qui tunc temporis prior Sigebergi ab Annone saepe in consuetudinem ascitus est, et in ultimo morbo saepius cum eo sermonem fecit[5]. *Hic res narratione tradidit, verba sunt scribentis monachi, ut ipse profitetur*[6]. *Ultimis Reginhardi mensibus anno* 1105 *librum ad finem perduxit auctor*[7]. *Cultiore stilo expoliendam misit vitam Reginhardus Manegoldo presbytero, quod hic in tali opere modeste renuit; solam rescribendi licentiam sibi petivit, si* extrema manu absolutum fuerit[7*]. *Praeter hunc testem oculatum alios audivit auctor narrantes qui Annonem viderant et res ex eius ore refere bant*[8]; *nam ipse archiepiscopum inter vivos degentem non vidit, ut probat disertis verbis*[9]. *Alia vidit ipse*[10], *alia debebat illis qui rebus ipsis se interfuisse asserebant*[11], *alia denique monachorum narrationibus et rumori vulgari*[12]. *Alia quoque fontium genera in auxilium vocavit*[13], *tabulas*[14], *epistolam*[15], *inscriptiones*[16]. *Mirum vero est, quod quum miraculis narrandis aliis de Annonis sanctitate scrupulum eximere vellet, haud omni dubitatione ipse liber esse videtur*[17].

Ex veteribus scriptoribus legit Sallustium[18]. *Posteri temporis scriptores qui nostrum sunt secuti, sunt auctor carminis Germanici de sancto Annone*[19] *et Caesarius Heisterbacensis*[20].

Codices vitae sancti Annonis exstant haud ita pauci, ex quibus tamen unus tantum integrum exhibet textum, qui totus in nostrum usum descriptus, huius editionis est fundamentum:

1) *Cod. Halensis mbr. saec. XII, olim* liber monasterii sancti Pauli apostoli in Traiecto inferiori, *accurate et nitide exaratus*[21].

2) *Cod. Guelferbytanus, Helmst.* 1065, *mbr. saec. XII.* 4. *Perierunt extrema inde a verbis III,* 25 pessimum sibi haec exe .... *et pars III,* 16[22]. *In levio-*

25. III, 8. 15. 17. Delius apud Ledebur V, 56 auctorem nostrum et Lambertum ex eodem fonte hausisse coniecit. 3) Triumph. S. Remacli I, 22. 4) I, praef. *Ille laudes eius declamaturus in medium assumatur, quem et devotionis puritas* etc. 11, 31. II, praef. *Haec diximus ut conveniremus eos — qui non credunt eum huius meriti per quem talia qualia dicuntur possent fieri.* II, 221. III, 23. 5) II, 14. III, 7. 6) I, praef. *Qui formam scribendorum tradens ita — ut cum verbis propriis utar, eius omnino sensum sequar.* Cf. III, 26. Quae si non obstarent, facile tibi persuadeas ex III, 7 ipsum Reginhardum esse auctorem. Mira sane est opinio Bezzenbergeri in editione carminis Germanici *Maere von S. Annen* p. 48 huius vitae auctorem esse Levoldum de Northof, qui eam ex antiquiori apud Surium hauserit. Levoldus catalogum archiepiscoporum Coloniensium deduxit usque ad annum 1349. 7) Paucis mensibus post Annonis mortem, 4. Dec. 1075, Reginhardus abbas creatus est; quum scriberet auctor, sederat *per annos iam* 29; cf. III, 7. Die 24. Nov. 1105 in Heinrici IV tabula occurrit Cono Reginhardi successor. Lacomblet Urkundenbuch f. d. Niederrhein I, 171. Apud eundem Reginhardi nomen legitur p. 163. 168 annis 1096. 1102. 7*) Epist. Manegoldi ad Reginhardum, Sudendorf registrum II, 44. 8) I, 3. 14. *Venerabilis pontifex referre solitus erat.* I, 17. *Sicut ipso referente compertum est.* I, 22. 9) I, 38. 10) III, 27. 11) II, 1. *Testantibus nobis qui aderant.* II, 3. 6. 15. 21. III, 9. 12) I, 16. *Ut a fratribus nostris accepimus.* I, 19. 31. II, 7. 11. 13) II, praef. *Quae vel auditu vel scripto — reperimus.* 14) I, 21. 26. 15) II, 9. 16) II, 17. III, 19. 17) III, 22: *si credere fas est.* III, 23. 24. 18) I, 1. II, 2. 19) Quod accurate probavit Bezzenberger p. 30. 115 sqq. 20) In catalogo archiepp. Coloniensium. Boehmer Fontes II, 274. 21) Archiv VI, 207. VII, 459. 22) Archiv l. c.

ribus tantum ab 1 *abhorret, ita ut hos codices ex eodem fonte fluxisse facile coniicias.*

2*) *Cod. Hannover. XII, apographum praecedentis, quem examinavit Waitz.*

3) *Cod. Trevir. LVII. mbr. s. XII*[23]*, textum habet recisum; nonnulla sunt in compendium redacta, alia reiecta, in iis quae leguntur cum* 1 *satis concinit. Collatus est codex a Waitzio.*

4) *Cod. Bruxell. colleg. soc. Iesu, olim* conventus sancte Katherine in Cisendorp, *mbr. fol. saec. XIV*[24]*. Mutatam exhibet praefationem, quae his incipit verbis:* Cum nonnullis id consuetudinis sit reprehensioni magis *etc. Inspexit codicem Bethmann. Eiusdem notae sunt*

4*) *Cod. Bruxell.* 428—442, *olim* Sancti Martini mai. in Colonia, *mbr. fol. a.* 1482, *quem evolvit Bethmann*[25].

4**) *Cod. Gothan. N.* 25, *chart. fol. s. XVI*[26]. *Inspexit Waitz.*

Breviorem vitae textum exhibent hi libri:

5) *Cod. Erfurt.* 130, *mbr. saec. XIV*[27]. *Prologus his incipit verbis:* Inter precipuas spiritualium profectuum delicias sanctorum *etc. qui scriptus est ad Gerhardum quendam abbatem. In eodem prologo haec leguntur verba:* ut, que de gestis illius decoro quidem ac lepido sermone sed latius quam oportuit diffuso digesta lectoris animum poterant avertere, ad arctioris pagine semitam contrahantur *etc. Inspexit Waitz.*

5*) *Cod. Bruxell.* 8964, *Bollandistarum apographum a.* 1638 *confectum ex msc. perg. Sancti Georgii Colon., eundem continet textum*[28]. *In nostrum usum vertit Bethmann.*

Aliud breve vitae compendium quod iisdem atque integra vita incipit verbis praebent:

7) *Cod. Trevir.* 1168, *chart. saec. XV.* 4. *olim Carthus. Confluent.*[29] *et*

7*) *Cod. Bruxell.* 8060—8064, *chart. fol. s. XV, olim domus S. Albani Trev.*

8) *Cod. Bruxell.* 8964, *Bollandistarum apographum ex msc. Ultraiect. Sancti Salvatoris, his incipit verbis:* Anno ex Alemannorum populis beatam duxit originem *etc. Inspexit Bethmann.*

Ad paucissima denique folia vita redacta est in codicibus qui habent vitam his verbis incipientem: Venerabilis archiepiscopus Coloniensis Anno a primis ordinationis sue temporibus *etc.*

9) *Cod. Lipsiensis* 844, *mbr. saec. XIII*[30].

9*) *Cod. Middlehill.* 2329, *mbr. saec. XIII*[31].

9**) *Cod Zwickav. LXVI est recens apographum*[32].

10) *Cod. Oxoniens. Bodlei.* 5128 *est apographum Iunii*[33].

Prima quae in lucem prodit sancti Annonis vitae editio integra et iusta nostra est, Surii t. VI. ed. I. p. 699. *ed. II. p.* 783. *ex more editoris est mutilata.*

Vitae sancti Annonis adiecimus historiam translationis *quae facta est a.* 1183. *Hunc de translatione libellum alii cuidam libro de eiusdem sancti miraculis quasi prologum praemisit monachus*[35], *quem testem oculatum fuisse ipsius probat narrationis perspicuitas*[36]. *Sigebergensis erat et quidem haud indoctus, nam Virgilii et sancti Hieronymi laudavit verba*[37]. *Scriptus videtur liber a.* 1185—1187 *tempore Urbani III papae*[38].

23) Archiv III, 92. VII, 139. VIII, 599. 24) Ibid. VIII, 547. 25) Ibid. VII, 460. VIII, 488. 26) Ibid. VIII, 675. 27) Ibid. VIII, 682. 28) Ibid. VIII, 524. 29) Ibid. VIII, 601. 30) Ibid. VI, 215. 31) Ibid. VII, 460. 32) Ibid. VIII, 708. 33) Ibid. V, 727. VII, 91. 34) Godefredi Colon. chron. ad h. a. 35) c. 10. Annonis vitam laudavit c. 1. 7. 36) Praef. *Quae oculata fide ipsi conspeximus.* 37) Praef. c. 3. 38) Lucius III qui obiit a. 1185 est *felicis memoriae* papa c. 3. Urbani facta est mentio c. 9.

Exstat translatio in codd. 4, 4** *et* 5* *eamque ex primo et tertio descripsit Bethmann.*

Berolini mens. Novemb. 1849.

R. KÖPKE.

5 INCIPIT PRAEFATIO IN VITAM SANCTI ANNONIS ARCHIEPISCOPI.

Periculosam et multorum morsibus obnoxiam ingressurus narrationem, cooperatorem laboris sanctum invoco Spiritum, ut eius virtute deiciantur, qui nobis ex utroque latere pugnas instruunt, hostes. 10 Quidam enim vel ignobilitate personae vel sermonum vilitate vel potius utroque provocati, solis aptum sputis infamant opus, et cum per se satis inculta suis adhuc odiis despectiora fieri satagunt, exceptis sententiis in singulas pene dictiones questi-15 ones commovent, ubique laqueos parant, totumque corpus examinatione crebra legentes et relegentes, calliditate quasi simplicitate utuntur. His, uti genus reprehensorum solet, rationem exigentibus, qua fretus auctoritate ad tale negocium presumptor et in-20 doctus accesserim, ecce, Phariseorum alumpni e latere gravius adhuc imminent, et ore quo filio Dei magistri eorum dicere presumpserunt[39]: *Homo vorax et potator vini et amicus publicanorum*, ipsi nunc in Annonem sanctum, summi scilicet capitis men-25 brum, garrientes, improperant nobis et dicunt: *Unde tot emerserunt figmenta? Iste de quo res est homo non ignotae personae fuit, cuius vitam rapinis et iniusticiis servientem quisquis ad aequitatis libram diligenter inspexerit, quam falsa sint haec suo satis* 30 *iudicio investigabit.* Utrisque respondere suo spiritu dignetur, qui pro nobis ad mortem usque patri factus obediens, et nos pari necessitate constrinxit, cotidie per apostolum[40] clamans: *Obedite praepositis vestris, et subiacete eis.* Dicant itaque partis utri-35 usque, si liceat impune transiri maioris imperium, quod ab ipso Christo formam habet, quod apostolicis praeceptis non tam suggeritur quam ingeritur, per quod et regressio celebratur ad paradysum. Si concesserint, magistri videbuntur erroris; sin autem, 40 restat ut animum ab indignatione, linguam ab obtrectatione contineant, et me quamvis elinguem suis iudiciis et ipsi tueantur, propter obedientiam iussa scribentem, propter eam et exemplo Christi mortem non repudiantem. Amplior autem eos adhuc re-45 sponsio manet, qui sui cordis venena in tam apertam blasphemiam evomunt, ut, cum lacerare non timent virum bonis quoque non inmerito praeferendum, impossibilitatem Deo suis cavillationibus inducere videantur, proponendo questionem, quomodo sanctus 50 vel esse vel dici queat, quem in suae vitae qualitate plus nobis cognitum habuerint. Hoc est profecto quod dicitur[41]: *Non est propheta sine honore nisi in patria sua.* Quam multos exterarum gentium audivimus, qui celebre nomen Annonis in suis 55 terris faterentur, et, quo miserior est regio nostra, qui missas in eius nomine pro requie fidelium elemosinasque fieri crebrius testarentur. Claret etiam alios ex aliis partibus eius invocato nomine nonnunquam suffragia sensisse divina; soli quibus 60 vixit, quibus et mortuus est, qui cotidianis eius foventur beneficiis in iniuriam eius pro dolor! insaniunt, contra quos et ipse merito propheticis utitur testimoniis: *Populus quem non cognovi servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi; filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt et claudicaverunt a semitis suis;* et alibi: *Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meae, quoniam zelus domus tuae comedit me.* O miserrimis miseriores! qui surdis auribus praetereuntes illud magistri coelestis: *Diligite inimicos vestros, bene facite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus et calumpniantibus vos*, tales tartarei iuris disciplinas invenerunt, ut in contrarium omnia vertentes, et amicos ut inimicos habeant, et mala pro benefactis ingerant, et orantes pro se persecutionibus et calumniis gravent, ut aptissime dicatur et istis: *Vos de patre diabolo estis.* Probemus tamen si forsitan suis laqueis, in eo quod se vitam eximii viri nosse iactitant, capiantur. Constat autem eam extitisse vitam eius, de qua non sit dubium bonis mentibus compunctionem excitari secundum hoc: *Videant opera vestra bona et glorificent patrem vestrum qui in coelis est*, quod verum esse ratio ipsa manifestat, quando quidem per prophetam Deo dicitur: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Scimus vero, quod hic a Deo sit non solum dilectus, sed et honorificatus. Nam si non est ita, quid faciunt ad eius sepulchrum tam crebra miraculorum insignia? unde coecis ibi visus, surdis auditus, claudis gressus, infirmis debilibusque reparatio? *Nonne*, sicut legitur, *lux impii extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius?* Dicant itaque, si vere, sicut affirmant, eius vitae cognitio non eos latet, quare nulla quae sunt divinae laudis, quae sunt iusticiae, quae sunt pacis et sobrietatis, omnia vero quae possunt his esse contraria, de eo praedicant? Ostensum est autem ex praecedentibus, quae conversationis eius sit tenenda sententia, scilicet quae sanctam eam comprobet et innocentem; aut igitur eam destruere debent, aut ex suis testimoniis ipsi convincentur invidiae subiecti, et facilem de se diffinitionem dabunt. Quod si post haec aliud calliditatis effugium quaesierint, ut dicant se ex auditis tantum didicisse quae loquuntur, cum et bona de eo praedicentur et mala, illi vero sola commemorent mala: nihilominus repudiandi sunt, nam incertae rei legitimi testes esse non possunt. Apostolus autem de quibusdam loquitur: *Si enim cognovissent, numquam dominum gloriae crucifixissent.* Quod et mihi similiter de his sentiendum est, quia si plenius illam meritorum Annonis et vitae sinceritatem scirent, immo scire vellent, numquam in eius contumeliam ora sua laxarent. Iustissimum igitur erit, ut remotis quos vel invidia vel ignorantia contra Christi bellatorem instigavit[a], ille laudes eius declamaturus in me-

Psal. 17, 45. Psal. 68, 9. Matth. 5, 44. Ioh. 8, 44. Matth. 5, 16. Psal. 5, 7. Iob 18, 5. 1 Cor. 2, 8.

a) *hoc loco ita incipiunt codd.* 4. 4*. Cum nonnullis id consuetudinis sit, reprehensioni magis quam emendationi fraterne operam dare, cumque sint et alii partim invidi partim rerum ignari, qui contraria sentiant his que propositi operis

39) Matth. 11, 19. 40) Hebr. 13, 17. 41) Marc. 6, 4.

dium assumatur, quem et devotionis puritas et rerum scientia[a] urguent in id ipsum, quem et auctoritas tanta roborat, ut[b] per se quoque sit idoneus astruere, quod aliunde testibus vacat. Hic est[c] pater Reginhardus coenobii Sigebergensis amministrator[d], qui formam[41] scribendorum tradens, ita me, suorum ultimum, huic operi subiugavit, ut, cum verbis propriis utar, eius omnino sensum sequar, sicut moris est puerulis elementa prima temptantibus id sonare, quod prius vox monitoris praemiserit. Eius est propositi[e] laboris merces, ipse legentium profectibus singulariter coronabitur; nobis nihil hinc debetur praeter[f] quod, dum obedientiae voto praecipienti concordavimus, suis participari praemiis aliquod spei patrocinium habemus. Et[g] his quidem adversus insurgentes ita dictis, ad vos, unici fratres et filii patris Annonis, hoc nostrae devotionis xenium mittimus, flexis genibus orantes, ut et vestrae gloriae pariter et memoriae dilecti patris intenti, susceptum latius divulgetis opusculum, ne variis alibi casibus ereptum, nihilominus et alibi non inveniatur. Accidit hoc frequenter anteritati, doletque posteritas, de sibi dilectis sanctorum nominibus vix aliquid et quasi per densissimam antiquitatis nebulam investigans; nec possunt negligentioribus non offendi servitiis, quorum praeter nuda nomina nulla lucent vitae praeconia. Quapropter exemplo moniti vestri patris spargite nomen, obtrectatoribus eius illud semper opponite[42]: *Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata;* meque vestris astratum pedibus dignanter accipientes, quales erga fratres esse decet, tales et mihi servo servorum vestrorum vos ipsos aliquantulum pro nobis orantes impendite.

EXPLICIT PRAEFATIO.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

series pollicetur, ea nobis utique consolatio est in descriptione vite sancti patris Annonis, quod obedientie non levis necessitas ad hoc nos impulit, et quod is laudes eius declamaturus in medio habetur quem et *etc.* a) notitia 4. 4*. b) ut etiam sit idoneus per sese fidem facere eorum que 4. 4*. c) est inquam 4. 4*. d) venerabilis procurator 4. 4*. e) inpositi 4. 4*. f) propter 4. 4*. g) Quisquis ergo non immemor animalis bruti quondam in nostra verba divinitus prorumpentis, hanc vel auribus dignatus fuerit hystoriam, credo non valde vel persone vel verborum viiitati movebitur, dummodo narratio tota illi serviat, quem in sanctis suis laudare, iuvenes et virgines, senes cum iunioribus, per psalmistam et monemur et precipimur. Ceterum de prolixitate nemo causetur; quem diligimus et veneramur, cuius elemosinis et patrociniis die noctuque sustentamur et regimur, honore digno numquam a nobis recompensabitur. Quod et ipsum de suo quemque patrono, si devotus est, sentire non dubitamus. Explicit prologus 4. 4*.

41) quasi imaginem ad imitandum propositam. 42) Rom. 4, 7.

32. *De malis quae pertulit a palatino, vel quis finis palatinum per orationes eius invenerit.*
33. *Qualiter beati Innocentii corpus ab Agauno Sigeberg advexerit.*
34. *Quod a Roma brachium sancti Caesarii Coloniam detulerit, et de incendio quod accidit.*
35. *Relatio ipsius de Andrea quodam qui a mortuis suscitatus est.*
36. *Alia ipsius relatio de puella quae daemonum turbas in exitu vidit.*
37. *Quod beati Agilolfi corpus in aecclesiam suam ad Gradus transtulerit, et duos Ewaldos a monumentis sublevaverit.*
38. *Qualiter datis pecuniis beatissimi Benigni corpus Sigebergensibus adquisierit.*

INCIPIT VITA SANCTI ANNONIS ARCHIEPISCOPI.

1. Anno[43] generis et patriae suae decus, syderibus ipsis meritis altior, ex Alamannorum populis beatam duxit originem. Pater eius Walterus, mater Engela[44] dicebatur, ambo studio religionis insignes, illamque qua secundum saeculum non adeo celebrabantur claritatem — cum essent tamen ex ingenuis ingenui[45] — nobilitate quae est ad Deum[a] valde transcendentes. Horum in filios et filias fusa foecunditas posteritatis suae satis inclitam produxit familiam[46], aliis eorum in aecclesiasticas[47], aliis in saeculares sublimiter transeuntibus disciplinas. Amplius autem bonae suae indolis generositatem Anno[b] moribus, ingenio formaque commendans, cunctorum oculis gratiosus, omnium animis amabilis coepit haberi. Unde pater magnis exhilaratus gaudiis, licet admodum religiosus esset, dum tamen ut vir saecularis animi pro terreno nomine satagit, eum per exercitia militaria mundo nutrire coepit, datusque puer ad huiusmodi studia. Didicit hinc interim fortitudinem, moralium disciplinarum nobilissimam, dum crebras asperitates patitur algoris[48], dum inedia sitique super haec et vigiliis aestuat, quae cuncta in eo futurae constructioni necessario parabantur. Sed coelestis pater, qui quos praedestinat hos et vocat, quod ante tempora saecularia misericorditer in Annone disposuit, in fine temporum immutabiliter adimplevit. De illo quippe veridica voce dicitur[49]: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Eo itaque aspirante, avunculus pueri praefati, Babinbergensis aecclesiae canonicus[50], patriam, propinquos et notos invisere veniens, ubi conscius esse coepit erga Annonem deliberati patris consilii, protinus indoluit, aegre ferens tam egregiae indolis infantiam mundanis primitus inficiendam negotiis, ac non potius, quod futurum erat ob multorum profectum, aecclesiasticis informandam disciplinis. Quapropter explorata oportunitate, secretius conveniens puerum et blande complexans interrogat: *Quibus studiis quibusve occupationibus, Anno fili, inservis?* Quo dulciter et innocenter arridente, avunculus, sermone tantillo satis congruo puerulo de coelestis regni gloria vel poenis inferorum breviter praemisso, subsequenter intulit: *Placetne tibi servitus Omnipotentis et clericalis ordinis disciplina vel habitus?* Quod cum ille libenter annueret, avunculus ex abundanti laeticia gratiarum vota corde et ore Deo[c] persolvens, sic demum conversus ad eum ait: *En ego proxima luce recessurus, professionis et ordinis mei locum Deo[d] prosperante quantocius adibo; tu vero, fili, domesticis abiectis impedimentis clam patre tuo discedens, in itinere me transeuntem praestolare, hoc certum mente habens, numquam te ab illo deserendum, sub cuius nunc protectionis alas confugis, quoadusque in spem et gloriam totius generis tui, non modo temporalibus sed et aeternis in coelo commodis et dignitatibus amplificeris.* Quid plura? Anno puer non pueriliter aufugiens, ut praemonitus fuerat, inter frutecta[e] salicum delituit, donec a pretereunte furtim sublatus avunculo, in scola Babinbergensium, qui tunc temporis disciplinae, religionis ac studii fervore cunctis in Germania praepollebant, succiduis temporibus

a) dominum 2. b) animo 2. c) domino 2. d) domino 2. *et sic porro.* e) senbiceta 2.

43) De Annonis nomine vid. Bezzenberger p. 48. 44) Mooyer in Commentatione infra laudanda ex necrologio monasterii Grafschaft hoc attulit p. 46: *Non. Febr. Angela mater beati Annonis fundatoris nostri,* eiusque sepulturam Magdeburgi repperit. 45) *Loco mediocri natus* dicit Lambertus 1075; Waltramus ap. Freher I, 305 nominat Burchardum episcopum Halberstadensem, Annonis nepotem, *de infimo loco exaltatum.* Itaque nihil est, si in chronico van der hilliger stat v. Coelln f. 158 legitur Annonem fuisse comitem de Dassel; Moerkens et Fuchs in conatu chronolog. ad catalog. archiepp. Colon. p. 92 volunt eum comitem de Hohenlande et Sonnenberg fuisse, in qua opinione secuti videntur esse Bothonem in chron. pict. Leibn. III, 327. Neugart episcopat. Constant. p. 380 fecit eum comitem de Pfullingen, et Delius apud Ledebur Archiv. f. Preuss. Gesch. V, 53 evincere conatus est Annonem coniunctum fuisse cum gente comitum de Veltheim. Vera vidisse videtur Mooyer in accurata commentatione Anno II der Heilige Erzb. v. Köln in Erhard et Gehrken Zeitschrift für vaterländische Geschichte u. Alterthumskunde VII, 39, qui Annonem natum e nobili gente de Steusslingen fuisse probavit loco in chron. Magdeburg. Meibom. II, 313: *Iste* (Wezel) *piae memoriae — frater fuit Annonis Coloniensis archiepiscopi, uterque oriundus ex alto sanguine Suevorum de castro quod Stutzlinge nominatur.* 46) In eodem necrologio occurrunt hi fratres *beati Annonis fundatoris nostri,* Otto, Haymo, Adalbero, Waltherus qui erat miles. Seibertz Landesgesch. v. Westphalen II, 38. 47) Wecilo archiep. Magdeburgensis Annonis erat frater, Burchardus Halberstadensis et Cuno electus Trevirensis eius nepotes; Adam. Brem. III, 34. Bruno de bell. Sax. 18. Wernerus Monasteriensis eius fratruelis; Ann. Sax. 1132. 48) Sallust. Catilina 5. 49) Proverb. 21, 30. 50) Hunc esse eundem de quo legitur in necrolog. Grascaf. 3. *Kal. April. Haymo avunculus beati Annonis, fundatoris nostri,* haud immerito coniecit Mooyer l. l. p. 47.

magnum aecclesiae documentum futurus, ad litteras positus est[51]. (1046.) In quo studio per incrementa temporum accrescente simul ardore discendi, ope et gratia comitatus[a] intimi magistri, de quo veritas protestatur: (Ioh. 3, 8.) *Spiritus ubi vult spirat,* maximas humanorum vel divinorum voluminum acris ingenii adolescens hausit divitias, unde postea suo in tempore creditis sibi populis ructuaret nova et vetera. Quicquid ad exercendum ingenium, quicquid ad nobilitandos mores competens et iocundum auribus vel oculis se offerebat, statim, ut apes prudentissima, ingeniose perlustrans, alveolo cordis intulit, et suis quandoque armis Goliath infandissimum iugulaturus, iugi meditatione torrentes eloquentiae saecularis quasi per naturam victor optinuit.

2. His et huiuscemodi profectibus in altum velut cedrus Libani succrescens, ubi robur virilis aetatis ingressus est, magister scolarum inibi effectus, probitatis suae et virtutum ramos longe lateque per ora multorum coepit extendere. Episcopos accersitus adiit, nec latuit principes, a quibus pro sui reverentia loco amiciciae habitus, Heinrico tercio Romanorum augusto facile (Lambert.) innotuit, a quo in palatium assumptus, brevi apud eum prae omnibus clericis, qui in foribus palatii excubabant, primum gratiae et familiaritatis gradum optinuit, hoc praecipue diligentibus in eo omnibus bonis, quod iusti ac recti admodum tenax erat, atque in omnibus causis pro suo tum statu non adulando, ut caeteri, sed cum magna libertate obloquendo iusticiae patrocinabatur. Erat autem praeter virtutes animi et morum gloriam[b] corporis quoque bonis ornatissimus, statura procerus, vultu v e n e r a n d u s, lingua promptus, vigiliarum et inediae patientissimus[52], postremo ad omne boni operis exercitium naturae muneribus affatim instructus. Cui de virtute in virtutem quasi aurora[c] in ascensu suo procedenti, sicut apud Deum crevit sanctitas, sic item de gloria in gloriam, de honore ad honorem per dies perficienti apud homines accessit auctoritas. Actum est hoc non humano libitu, sed consueta Dei providentia, qui sciens lucernam suam celeberrimo in loco candelabro superponendam, ut luceret omnibus aecclesiae filiis, ne repentina exaltationis eius novitas miraculum dumtaxat gigneret non laeticiam, meritorum eius lucem ante mundo voluit declarare, quatinus eo fructuosior eius foret promotio quo et gratior[53]. (53) Quod et factum est.

3. (ibid.) Denique exactis in palatio haud multis annis, magna imperatoris, magna omnium qui eum noverant expectatione adeptus est Agrippinae urbis, quae et Colonia, nobilem sedem, Herimanno nominis huius praesule secundo ante paucos dies ex hac luce subtracto. (1056. Febr. 11.) Ad quem in lecto mortis iacentem cum idem venerabilis vir imperatoria legatione transmissus, post salutationem mandata regis absolvisset, et iam hospitium remeasset, testantibus qui aderant praefatus pontifex dixisse fertur, et se quantotius mortis iura subiturum, et Annonem vice sua Coloniam suscepturum. Quo post haec verba obeunte, cum iam Annonem velocius regredi necessitas regalis negocii perurgueret, non immemor bonae suae consuetudinis, funeri eius quousque terrae mandaretur magna cordis contritione[e] obsequebatur. Legerat enim, et opere quoad vixit semper impleverat[54]: *Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii;* laudabile satis, immo necessarium cunctis inculcans exemplum, quoniam sicut illic scriptum est[54]: *In illa finis cunctorum ammonetur hominum, ut vivens cogitet quid futurus[f] sit.*

4.[g] Imperator tunc temporis apud Confluentiam morabatur[55], et ecce, aderant optimates et capita populi Coloniensis baculum episcopalem regi restituentes, inque locum defuncti idoneum successorem supplici prece unanimiter postulantes. Tunc ut in his rebus fieri certum est, aliis atque aliis hac et illac pro libitu suo vel commodo promissis, consiliis seu[h] precibus regem sollicitantibus, Deus arbiter summus, in cuius manu cor regis est et quocunque voluerit vertit illud[55*], non in alium quam in Annonem solum sententiam regis et voluntatem deduxit, laudantibus aliis, aliis non sine felle reclamantibus. Suscepit itaque regiis ex manibus virgam pastoralem patris et magistri figuram praetendentem, suscepit et annulum in dotem fidei conservandae ad Deum et ad sponsam suam, sanctam aecclesiam. Nec mora; in similitudinem Moysi[i] dux salvandorum populorum Coloniam ingressus, protinus caninis rictibus oblatrantes audivit: *Quis iste est, vel quis eum constituit principem et iudicem super nos?* Simulque pollutis et nefariis labiis sanctum[k] nomen divae memoriae Brunonis archiepiscopi praeferentes, eiusque facta quasi in ipsius laudem, re autem vera in derogationem Annonis sinistro corde iactitantes, iterum iterumque tumultuose vociferabantur: *Quis iste est, et ubi sunt illa quibus amplificaturus est Coloniam?* Hoc illi dixerint genimina et sequaces eorum qui viperea lingua dominum Salvatorem fabri filium conviciabantur; nobis autem et cunctis deinceps saeculis luce clarius constat, ex[56] quo Colonia fundata est, unius numquam episcopi studio, salvo Brunonis ut ita dixerim privilegio, tantum opes et gloriam crevisse Coloniensis aecclesiae. Sed his in locis suis plenius dicendis, nos historiae vestigia insequentes, coeptae narrationi operam demus.

5.[l] Igitur auctoritate simul et metu regiae maiestatis pressi, qui quasi contra montem seu impetum fluminis niti frustra proposuerant, tandem necessitatem in voluntatem vertentes, consecrationem electi pontificis in commune consenserunt. Fit conventus episcoporum ac totius aecclesiastici ordinis virorum, procerum quoque frequentia cum ambitione nimia, diversi etiam sexus et aetatis ingens populositas, quos omnes sua benedictione, sua gratia per servum suum Annonem Christus dominus ea die relevaturus cum angelis advenerat, sanctis omnibus pro concive[m] coelitus destinato congaudentibus. Producitur interea ordinandus ante altare, vestibus sanctis induitur, olei sacri liquore perfunditur, et vere larga sancti Spiritus infusione repente

a) commutatus 2. b) gratiam 2. c) aurorae 2. e) contristatione 2. f) futurum 2. g) *in* 2 *adhuc cap. III.* h) vel 2. i) Mosis 2. k) clarum 2. l) *in* 2 *cap. IV.* m) concione 2.

51) Mooyer l. l. p. 54. 52) Sallust. Catilina c. 5. 53) Eum praepositum Goslariensem fuisse silentio praeteriit. 54) Eccles. 7, 3. 55) Consentit Heinrici tabula 26. Febr. 1056 Confluentiae scripta, Böhmer. Reg. 1683. 55*) Proverb. 21, 1. 56) ex Lamberto, hic et infra c. 8.

mutatus in virum alium, anno dominicae incarnationis 1055[57] sub die 5. Nonas Martii ponitur super cathedram episcopalem ad regendam sanctam aecclesiam et plebem universam. Iamque instabat hora sacrificii singularis, cum ecce, pontificalibus insignitus ornamentis accessit ad altare pontifex summus, vere sacerdos et hostia Christi. Ubi quanta compunctione, quanta cordis contritione ministerium illud peregerit, quis sufficiat explicare? Totus enim in lacrimis[a] fusus, tanti sacramenti vim in se ipsum excepit, mirantibus nonnullis inmensitatem lacrimarum, et cum gemitu quodam et suspirio simulque pectoris tunsione cordis eius[b] secreta per hoc rimantibus. Ad cuius preces coelum tunc patuisse nulli dubium, cum et ob hoc ipsum misericors et miserator dominus eum posuerit, ut pro sui gregis excessibus intercedens, in tempore iracundiae fieret reconciliatio. Postquam vero missarum sollempniis[c] cum benedictione pontificali finitis conventus ille solutus est, ipse deinceps in omnibus tam aecclesiasticis quam rei publicae negociis haud imparem se acceptae dignitati gerebat, et sicut editioris loci insignibus, ita cunctis virtutum generibus inter caeteros regni principes conspicuus incedebat. Reddebat sollicitus quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei Deo, quia Coloniensis nominis maiestatem et saecularem pompam ambitiosius pene quam aliquis ex praecessoribus eius ostentabat ad populum, nec propterea tamen[d] invictum inter tantas occupationum procellas spiritum umquam relaxabat a studio divinarum rerum. Ieiuniis[e] non adeo quam legitimis se macerabat, sciens scriptum[58]: *Omnia munda mundis*, et[59]: *Nihil reiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*. Pernoctabat plerumque in orationibus, et per aecclesias paucis ac certis comitibus, interdum uno tantum puero contentus, discurrens, nudis pedibus, nonnumquam etiam cilicio ad carnem indutus, flens procedebat. Et diem quidem in disponendis privatis seu publicis negociis, noctem vero totam in Dei opere expendebat. Nam tunc poenitentiam agere, errata confiteri, commissa deflere, ob corporalis quoque flagelli castigationem inferioris personae manibus tantus pontifex humiliare se non erubuit. Multa illius in pauperes, in peregrinos, in clericos, in monachos benignitas, mira liberalitas erat. Nullam inter diocesim[f] suam congregationem praetermisit, quam non aut praediis aut aedificiis aut stipendiis sua specialiter donatione auctam vita decedens relinqueret. In iudicandis causis subditorum nec odio nec gratia cuiusquam a vero abducebatur, sed semper in omnibus propositam indeclinabiliter sequens aequitatis lineam, ad evertendum iudicium nec accipiebat personam pauperis, nec honorabat vultum potentis, cuius rei idoneum satis et evidens subicimus exemplum.

6. Rex Heinricus[g], Romanorum patricius, sceptra regalia moribus, prudentia et gloria regaliter optinens, ac iustissimis legibus tam in divinis quam in humanis amministrans, ita se exterius agebat ad populum, ut sui tamen non oblivisceretur interius. Considerans enim tanti nominis maiestatem longe suis praecellere meritis, numquam insignia regalia sibi praesumpsit imponere, nisi[h] clam confessionis ac poenitentiae, verberum insuper satisfactione licentiam a quolibet sacerdotum suppliciter mereretur. Ergo tempore quodam magna imminente festivitate, cum pontifices, duces ac comites et cuiuscunque alius dignitatis seu ordinis viri regiam undique[k] properarent ad curiam, cum et ipsum mos et honor impositus trabeatum exigeret procedere, non inscius sanctitatis et vitae probatissimi inter praesules Annonis, ut suae consuetudinis servaret institutum, supplex et poenitens eum coepit adire. Mox sacer antistes, auctoritate plenus, tali in negocio imperialem parvipendens magnificentiam, sicut parcere solitus erat inopi et pauperi, sic oportunitate nacta misericors absque misericordia sevire coepit in principem. Nam vehementissimis[l] illum invadens correptionibus, quicquid animo pro iusticia concitato se optulit libere et constanter effabatur, illumque durissimis verberum plagis afflictum non aliter ea die coronatum incedere consensit, quam prius manibus suis 33 argenti libras in pauperes expendisset. Nec abnuit imperator, sed cuncta eo ordine quo dicta sunt superni iudicis respectu et passus est et fecit, sicque demum more suo indutus processit. Miranda sane constantia praesulis, nec minus laudanda humilitas principis, porro in utroque timoris Dei imitanda perfectio. Et quia[m] se occasio praebuit, licet per digressionem, de eiusdem regis morte, in qua omnis iniusticiae frena laxata sunt, inferre libet mentionem, ob id praecipue, quoniam virtus non minima hic occurrit Annonis, quem prophetiae spiritu subinde floruisse veritas ipsa diffamavit.

7.[o] Quibusdam simultatibus inter ipsum et regem fraude malignantium obortis, cum rex mentem, quam conceperat in archiepiscopum, mandatis solito durioribus detexisset, praesul ad audientiam veniens, ratione et iusticia pro causa sua agere laboravit. Cui facultate erepta hac[p] progrediendi via, tandem in haec verba prorupit: *Rex excellentissime, coelestis regis intuitu cuiuscunque discordiae aut odii malum vel hoc anno ne praevaleat inter nos, idcirco quoniam anno dehinc venturo quid nos maneat, mentium nostrarum nunc penetralia latet.* Quae dicens regem, quem praescierat[q] hoc ipso anno moriturum, emendatioris vitae quoquomodo nisus est ad semitam reducere. Sed crescentibus per dies aliis atque aliis ex causis discordiarum spinis, iterum curiam adiit in Goslaria, quo per idem tempus magna totius regni principum expectatione venerabilis papa Victor qui et Gevehardus convenerat. *(Sept. 8. Lamb.)* Illic compositis utrorumque animis in prioris amicitiae statum, discessurus archipraesul sciscitatus est regem: *Numquid dilectionis et gratiae vestrae recedens amodo certus ero?* Id rege haud aliter se habere testante, subiunxit atque ait: *Scio, scio non nos mutuis in hoc corpore deinceps fruituros aspectibus, quorum alter in mortem rapietur, alter adhuc in certamine relinquetur, idcirco valere vos optans, quia satis fructuose satisque salubriter animae vestrae Coloniam dispo-*

a) lacrymas 2. b) illius 2. c) solenniis 2. d) tam 2. e) Ieiuniis — percipitur *desunt* 3. f) dioecesim 2. g) Henricus 2. h) ni 2. k) undiquaque 2. l) ssimis *alia manu* 1. m) Et quia nobis est interdicta prolixitas, conversationis eius summam scire volentibus breviter satisfaciemus. *Sequitur c. VIII in* 3. o) *cap. V in* 2. p) ac 2. q) praesciverat 2.

57) In anno 1056 consentiunt Lambertus, Bertholdus, Marianus. 58) Tit. 1, 15. 59) 1 Timoth. 4, 4.

sueritis, ipse qualiscumque pastor eius hoc in Deo praesumens polliceor. Rex protinus metum quem conceperat pallore vultus insinuans, in quem ista dicerentur vehemens perquisitor fuit. *Vos*, ait, *haec tam tristis expectatio manet.* Quod utique rex ipse velociter finiens, verum fuisse declaravit. Quo viam universae carnis ingresso, fidei et devotionis affectu non minus defuncto quam viventi sacer praesul assistens, ieiuniis, vigiliis, orationibus et elemosinis, spiritalibus videlicet remediis animam divinae bonitati reconciliare non cessavit. Instituit praeterea annualem eius memoriam agi Coloniae, ipse quam diu vixit numquam illius specialiter immemor. Huius filium, nominis et regni heredem, ad honorem imperii et aecclesiae profectum, suscepit nutriendum, multorum per hoc invidiam contra se accendens. Sed non destitit in laborando spe fructus percipiendi, regaliter puerum nutriens, sublimiter erudiens, adeo ut ipsius postea testimonio vir in toto regno profundioris animi illo non inveniretur. Fecit et hoc dudum Ioiada pontifex sanctus in rege Ioas, sed non dissimilem bonitatis suae retributionem ut ille sic et hic proh dolor! consecutus est. Verum his sepositis, ad vitae eius instituta describenda stilum vertamus.

8.[c] A primis ordinationis suae temporibus congruum et vere dignum officio suo opus arripiens, iuxta docentis apostoli monita: *In omnibus labora, opus fac euangelistae, ministerium tuum imple*, omnem episcopatus sui parrochiam perlustravit, homines fidei ac[d] religionis totius ignaros, solo autem nomine christianos assiduis praedicationibus ad catholicae pietatis cultum informans, breviter et aperte complexus quid credi, quid sperari, quidve amari oporteat. Imperavit dein auctoritate pontificali, suasitque pietate paterna singulos audientium haec eadem domi suis euangelizare, bonam illis pro hoc a Deo vicissitudinem pollicens. In quo eo usque profecit, ut pueri quoque teneros infantiae nec dum annos egressi, fidem, ut asserunt, beati Annonis invicem discerent, invicem docerent, et ex ipsa bona studii assiduitate singulis eorum eam mane vel vesperę[e] coram Deo pronunciandi quasi lex inoleverit. Habebat autem hoc insigne meritorum suorum apud homines indicium, quod quotiens[f] praedicaturus in publicum processisset, tantis subito lacrimis immaduit, ut omnium corda ad miserationem commovisset. Tunc melliflua et compunctione plena verba profundere, clementiam Dei proponere, iusticiam non tacere, hortari bonos, ut ad meliora proficerent, malos, ut a perpetratis cessarent, omnes in commune ut se reos clamarent, ac pro totius mundi necessitatibus communem dominum invocarent. Quis umquam vel saxei cordis Annonem in aecclesia loquentem audiens, a lacrimis valuit temperare? Denique ab exteris etiam et remotioribus provinciis ob solam indulgentiae et doctrinae eius famam plurimi confluxerant, omnibus deliciis praeferentes Annonem audire, divitias incomparabiles aestimantes eius indulgentia relaxari, eius benedictione praemuniri. Praeterea pietatis et misericordiae operibus nulli erat inferior. Nam antecessorum suorum nimietate vel superfluitate gravatos et prope nudatos agricolas et debitores redituum intelligens[g], exactoribus ut parcerent iussit, singulis vel totum vel ex parte, prout opus erat, remittens. Pauperum, peregrinorum et infirmorum prima illi et perpes erat sollicitudo, imitans eum qui dixit[61]: *Estote misericordes, sicut et pater vester coelestis*[h] *misericors est.* Illucescente etenim primo surgentis diei crepusculo, ecce, velut examen apum turba egenorum undecunque[i] convolans, eius cotidie fores obsedit, sufficientiam alimentorum hora statuta singuli recepturi. Inter quos omnes miserrimi quique numero 24 perscrutati seorsum congregabantur, ante quorum pedes humillime procumbens pontifex summus, postquam lavit ac tersit, osculum quoque cordis et oris impressit, necnon manibus aquam infudit. Consummato ministerio humilitatis versus est ad opus caritatis, cum cibo et potu unicuique nummum porrigens. Iam vero invitante hora et necessitate ubi et ipse consedit ad mensam, more solito quotquot supervenerant introducebantur ante eum ad convescendum peregrini. Tum ex singulis mensae superpositis[k] partem prope decimam colligens, pro reficiendis hac et illac per urbem aegrotis in locum unum separavit. Postremo mensa submota, surrexit vere pater orphanorum, vere iudex viduarum, et tamquam diceret[62]: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum coelorum,* acclinans se propria manu[l] cibavit pupillos, refecit orphanos, aluit filios pauperum delicatioribus escis ex mensa per se ipsum in hoc reservatis, praeterea matribus eorum familiarius suas illi miserias conquerentibus necessaria misericorditer impendens. Cum enim esset erga cunctos inopes misericors et compassibilis, circa pauperculas tamen earumque[m] infantulos speciali quadam miseratione ducebatur. Quod experimento huiusmodi feminae[n] cognoscentes, explorato nonnumquam tempore in plateis sese gregatim optulerunt[o], parvulos suos ei cum clamore supplices obicientes. Interdum transiens et prae lassitudine diutinae expectationis in soporem versos conspiciens eiusmodi puerulos exesos et seminudos, aliquem eorum, quem nec dignum oculis quis arbitraretur, pie se adhibens materna vice exosculari coepit. Quaedam etiam proprios non habentes, alienos infantulos expetierunt, indubium habentes Annonem super eas misereri, si talibus onustae sarcinulis eius conspectui praesentarentur. Inter haec sollempnis[p] ei mos erat, vertente semper anno a vigilia natalis Domini usque ad intactae genitricis eius purificationem, per continuos 40 dies quamlibet habere lactantem[q], cuius manibus aquam praebens, ipsemet pedes ac manus parvuli lavit, moxque datis alimentis solidum unum porrexit. Super haec et xenodochium Coloniae construxit[r], languidos et debiles omni[s] destitutos solatio illuc inferens, deputatis ad eorum subsidia cotidianis

2 Tim. 4, 5. Lamb.

c) *cap. VI. in 2 et sic porro.* d) ac pene 2. e) vesperi 2. f) quoties 2. g) intellegens 3. h) *deest* 2. i) undicunque 2. k) suppositis 2. l) manu p. 3. m) et eorum 2. et earum 3. n) h. f. exp. 3. o) obtulēre 2. p) solennis 2. sollemnis 3. q) lact. h. 3. r) extruxit 2. s) et omni 2. et *ante* omni *post add.* 3.

61) Luc. 6, 36. 62) Matth. 19, 14.

stipendiis. Numquam pauperem se inclamantem absque misericordia praeterivit, numquam veniens ad invisendum egenos, monachos vel canonicos absque caritatis larga manu remeavit. Sane in coena dominica quam prodigus fuerit, superfluum est memorare, cum nec parcus quilibet ea die manum retrahat ab elemosina. His omnibus superextant numero et ammiratione quae per nocturnas tenebras solo Deo teste, rarissimis secretalium suorum dumtaxat exceptis, operatus est, cum quibus, ut dictum est, noctu limina sanctorum[a] circuiens, peregrinos et quibus non erat tectum in porticibus, in angulis vasisque vinariis per plateas expositis scrutatus est, quos inventos pavit atque vestivit, allato secum pro hoc ipso victu et[b] vestitu.

9. Qui cum consueto more per cuiusdam noctis silentia pro negocio simili esset egressus, lamentabile et omni miseratione plenum in itinere offendit spectaculum, mulierem, quam ob inopiam nullus hospitio dignabatur, recentis et sub ipsa hora editi nati partu periclitatam, super nudam humum lacrimabiliter sese volutantem. Erat ergo videre miseria[c]. Nox tenebris densis vagantem occupaverat, fatigatam tellus coenosa ac petrosa seminudam exceperat, fame et siti confectam frigus amplius vexabat, nullus mortalium aderat, et ecce, urguente[d] natura coepit cruciari, voces emittere, suspiria crebra trahere, tandemque enixam prolem in pulverem fundens, ipsa disiectis hac et illac miserabiliter membris, nil ultra praeter mortem expectabat. O huic miseriae nil miserius[e]! Supervenit igitur, ut dictum est, sacer praesul, ac protinus velut ictu sagittae transverberatus, represso gradu prae horrore et miseria substitit attonitus, cum ecce, gravitate pontificali postposita, instar velocissimi cursoris reproperavit, impositoque humeris suis grabatto cum stramentis, celeritate qua venerat recucurrit[f]. Mox abiecto a cervicibus onere, incurvavit se quantotius ad iacentem, puerulum pannis obvolvit, ipsam a terra sublatam in lectulum collocavit, ac propriis extractis vestibus utrosque diligenter contexit. In eodem loco dispositis pro sustentatione eius quousque convalesceret necessariis, processit, vere precum suarum consecuturus effectum, qui tam humili et pio ministerio per horrorem coecae noctis in minimis membris suis illi obsecutus est, quem quondam pro nobis incarnatum virgo mater, vilibus obvolutum pannis, reclinavit in praesepium.

10. Alia quaedam subierat nox, et vir Deo devotus aestimationis humanae fugiens oculos, venerandos sanctarum virginum cineres supplex coepit adire. Quod una ex consuetis mulierculis sollicite praevidens, necessitate simul et arte instructa, nescienti hac fraude obviavit. Scilicet praeter mendicitatem nil ad indigentiam corpoream certi habens, filiolum suum in lacte recenti positum ante venientis vestigia clam media deposuit in via, seseque inde praeripiens[g] cum festinatione latebris immersit. Nec mora, sacerdos approximans, ubi primam vagientis infantuli vocem aure percepit, prae dolore totus intremuit[h], varias animo gerens passiones, unde puer huiusmodi ea hora noctis illic haberetur. Interea velut ad obsequium Christi sub foeno cubantis[i] impiger accurrens, flexo corpore puerulum a terra suscepit, memor sancti Symeonis[k], qualiter olim Salvatoris infantiam[l] piis ulnis amplexans, pacem et salutem sibimet imprecaretur et populo. A cuius devotione in re dissimili non dissimilia sentiens, tali gratulabundus onere ibat cubiculum repetens, illum imitatus qui relictam piis humeris ad ovilia reportavit oviculam. Confestim paterna sollicitudine nutricem parvulo procurans, quem carne non genuit spiritali generatione per baptismum melius regeneravit, quem et a fonte sacro suscipiens, Annonem post se nominavit, singularis patrocinii spem ante Deum in illo sibi providens.

11. Haec igitur cotidiana viro Dei vitae erat institutio, haec incessabilis sollicitudo, hic labor, hoc studium[m]. Cumque talis esset qui verbis beati Iob Deo dicere posset: *Oculus fui coeco et pes claudo, pater eram pauperum, et cor viduae consolatus sum, et cum sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen moerentium consolator, quia ab infantia crevit*[n] *mecum miseratio, et de utero egressa est mecum;* [Iob 29, 15.] conspirantibus quibusdam aemulis iusticiae, quorum nequiciae complices hodieque fidem derogant Annonis sanctitati, in una noctium ad similia devotionis suae opera progressus, insidias perpessus est. Qui furioso impetu venientem invadentes furem criminabantur, obicientes et alia, quorum ipsi sibimet conscii, in alienam sugillationem sine difficultate poterant erumpere. At sociis episcopi haec refellentibus et sacrilegium esse dicentibus, clericum orationis gratia transeuntem his conviciis agi illi[o] procacissimo responso fictum arguentes, ac prioribus peiora subicientes, linguis venenatis manus sanguine plenas mox adiunxerunt. Nam sine retractatione acsi bestiae ferocissimae in innocentem saevientes, cum eum birro violenter spoliassent, correptum crinibus in coenum protraxerunt, pugnis graviter insistentes. Cuius comites cum insania simili non minus affecissent, furore saciati, alacres recesserunt, illorum participes effecti, de quibus scriptum est: *Qui laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis.* [Prov. 2, 14.] Sed concepta semel invidia modum nescit imponere maliciae. Unde supradicti malefici maiorem vesaniam spirantes — horreo dicere — necem archiepiscopi moliebantur, insidiis hac et illac non semel nec bis compositis, facinus execrabile nec minus lamentabile si copia daretur perfecturi, quippe qui nec ipsi bonorum omnium capiti parcerent. Quod cum familiaribus vel amicis episcopi certius innotuisset, nunc quidem gaudium de eius adhuc ereptione gerentes, nunc vero horrorem consideratione tanti periculi non ferentes, cum sacramento testati sunt se non sinere illum amplius taliter egredi, ne forte extingueret lucernam Israel. Quorum consiliis vel precibus persuasus, numerum orationum singulis in locis habendarum deinceps in lecto recubans, vel in una qualibet aecclesia consistens, nihilominus

a) s. lim. 3. b) atque 2. c) miseriam 1. d) urgente 2. e) hac ergo miseria quid miserius 2. *ita etiam* 3 *corr. ante ut* 1. f) recurrit 2. g) proripiens 2. h) ingemuit 2. i) iacentis *superscriptum.* t cubantis 1. cubantis 2. k) Simeonis 2. l) inf. Salv. 3. m) Sed iam tempus est aperire, qualiter quantumque per eum profecerit in augmento divinae servitutis aecclesia Coloniensis. *Sequitur c. XV.* 3. n) erat 2. o) illo 1.

persolvebat. Ab hinc quoque tale quid excogitavit, unde non iniuriae suae, sed iusti zeli sollicitis pastoribus esset imitatio.

12. Sciens quorundam profanos et incestuosos ad opera libidinis per noctes discursus, zelo iusticiae inflammatus, nefariae commixtionis homines deprehensos ad exemplum omnium decalvari ac decoriari publice mandavit, presbitero cuidam ex familiaribus suis huiuscemodi potestate concessa, cui iugis imminebat ex obedientia necessitas, ab incipientibus noctis tenebris ad sequentis exordia lucis tales excursus[a] observare. Nonnullas tamen illarum quibus proh pudor! castitas venalis erat ad se accersitas verbis castigans, donis quoque demulcens, vel ad continentiae propositum, vel ad honestae copulae coniunctionem deduxit, animas earum a morte salvans per caritatem quae operit multitudinem peccatorum.

13. Sunt quam plurimi sepulchris dealbatis simillimi, qui, Pharisaeorum more de sanctitatis mundicia foris tumentes, cum sint ossibus mortuorum intus pleni, erga peccantes vel infirmiores quoslibet non compassione sed conviciosa[b] dedignatione feruntur, qua profecto peste Anno suis in oculis humilis numquam laboravit. Nam etsi leonis impetu per nimiam severitatem transgressoribus semper obviavit, ut ex subiectis liquido constabit, mire compassibilis et omni plenus humanitate circa prolapsos extitit, si vel minima dumtaxat ruboris aut poenitentiae signa in eis investigasset[c]. Siquidem nocte quadam profundis tenebris omnia circumdantibus, ipse more suo sanctarum virginum limen ingressus, aliquem secessit in angulum, quo secretius stans precibus obnixius inserviret. Illic una ex consororibus in facie iacens, crebris singultuum et internorum gemituum vocibus divinae miserationis aures feriebat, amarissimis lacrimis ac pectoris tunsione perpetratam nuper carnis delectationem graviter deplorans. Cui cum immanitas piaculi stimulos compunctionis excitasset, acriores tamen reddidit iam iamque intumescentis uteri conceptus, quoniam, etsi per emendationem vitae sequentis de benignitate pii Salvatoris praesumebat, humani tamen improperii confusionem per saecula se habituram[d] querelis miserrimis non tacebat. Hac itaque gemina tribulatione inenarrabiliter angustiata[e], spe collecta viribusque resumptis, solum humanae miseriae perfugium[f], eum scilicet quem et offenderat, misericordem dominum nostrum corde et ore, lacrimis ad instar rivi currentibus pulsabat, ut qui quondam pro peccatoribus natus et pro peccatoribus mori dignatus fuerat, etiam suae solita bonitate succurrens infelicitati, sic facinus admissum remitteret, ut ignominiae publicae derisionem evaderet. O bonitas auctoris, o clementia redemptoris! qui natura bonus et potestate immensus, cum numquam humani cordis lacrimas absque misericordia valeat intueri, consolationem quoque iuxta suam magnificentiam desperatis subministrat. Dum enim talibus incumberet mulier afflicta clamoribus, ea inscia pius sacerdos quasi missus a Deo retro consistens, aure diligentius adhibita omnia plangentis ac deprecantis verba percepit, nec erat difficile tantae contritionis causam conicere. Tandem signorum pulsione nocturnales ad ymnos invitata surrexit e terra chorumque petiit, quam divinae bonitatis minister[g] clam et e vestigio insecutus, ex ordine loci quem in choro adiit, eius personam sollicitius investigavit, moxque recessit. Ut vero dies redditus est, volens comprobare, quoniam iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, qui et se per se ipsum obligavit dicens: *Vivo ergo, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat,* mittens ad consorores, evocavit eandem, illa metum quem conscientia suggerebat prae oculis habente. Sed venientem praeter spem filius[h] misericordiae blande suscipiens, iuxta se sedere fecit, de vitae eius qualitate inter alia colloquia per ambages conquirens, ac causa moeroris quem vultu praetendebat quasi nescius sciscitans[i]. Qua vulnus letale[k] spiritalis medici manibus, ne feriret, offerre detrectante, ille non inscius morbi ferrum apposuit, asserens se scire causam tristiciae, nec ignorare quas admissi[l] poenitens illo in loco nocte proxima preces emisisset, eam confiteri tantum debere reatum, caeterum ex divina miseratione in promptu esse et veniam et evadendi obprobrii possibilitatem. Sed ut rem fine concludam, illa confessionis viam flebiliter ingrediens, divinae bonitatis beneficium in suorum casuum aerumnis inopinabiliter experta est. Denique moerentium consolator et suae memor fragilitatis secundum apostolum praemonentem[63]: *Considerans te ipsum, ne et tu tempteris,* eam postquam in spiritu lenitatis sufficienter instruxit, militi cuidam de Saxonia, gratiae suae largitate prae caeteris domesticis uso, sub sacramento[m] fidei debitae commendavit, imponens illi, ut sub obtentu familiaritatis eam secum abducens, donec illicito conceptu liberaretur, ad quascunque necessitates ei diligenter assisteret, nec umquam, si sua gratia privari nollet, huius rei cognitio domatis eius limen excederet; expletis vero diebus partus cum et ipsa iam incolomis priorem recuperasset statum, eam itidem cum parvulo suae praesentiae reconsignaret. Qui protinus imperatis obediens, negocium hoc praeter se et episcopum nulli cognitum fideliter executus est, post omnia mulierem cum infantulo ipsi repraesentans. Mox pius pastor alibi delegato parvulo, ovem quae aberraverat alacriter ad consororum suarum domicilia destinavit, laudis transitoriae nil appetens, ut coelesti mercede dignus inveniretur.

14. Huic relationi res[n] non valde dispar Coloniae similiter accidit, quam exempli causa venerabilis pontifex referre solitus erat, rem memoria dignam et omnium bonorum ore frequentandam, quae cum lapsos magno desperationis malo liberare queat, non minus stantibus ingerit formidinem, ne praesumptione sanctioris vitae ruinae pateant in-

a) incursus 1. b) quadam *addit* 2. c) nam etsi — investigasset *desunt* 2. d) habitaturam 1. e) angustata 2. f) profugium 2. g) ministram 2. h) ullius 2. i) sciscitatus 2. k) lethale 2. l) *excidisse videtur verbum, sceleris vel tale quid.* m) sacramentis 2. n) *superscr.* 1.

63) Galat. 6, 1.

reparabili. Omnes igitur haec audientes aures cordis adhibeamus, et quam sit terribilis in consiliis super filios hominum misericors et iustus dominus noster cum spe et metu consideremus. In monasterio dominae nostrae piissimae Dei genitricis Mariae quaedam sanctimonialis omni morum honestate omnique vitae sanctitate inter consodales suas a primevo succreverat tempore, cui speciale munus Omnipotentis gloria virginitatis velut quoddam diadema capitis concesserat. Huic cum instinctu superbientis angeli quiddam de castitate subriperet elatione[a], aliasque iam dedignaretur consorores, cum et virorum consortia quasi numquam casura incautius admisisset, iuxta quod scriptum est[66]: *Ante ruinam exaltatur cor*, magno blandientis inimici plausu proh dolor! foveam corruptionis incidit. Quae miserae commixtionis opere perfecto in se rediens, ingentis tristiciae fluctibus pene in amentiam versa est, reputans et quasi per somnii ludificationem haesitans, quae esset vel quid fecisset. Inter haec ubi anterioris vitae puritas animum eius tetigit, velut ictu fulminis in corde perculsa, gemitum cum suspirio traxit amarissimum, et more repentini imbris cum eiulatu miserrimae vocis tota ruit in lacrimas. Verum cum degustata semel mortifera carnis delectatio, conquiescente parum fletu, vehementioribus incendiis eius mentem stimularet, metuens ne post etiam ruptis verecundiae publicae frenis in omnem praeceps raperetur impudicitiam, coelum suspiciens alte ingemuit, orans ut, quia iam confusionem animae clam induerat, in apertam quoque ignominiam per conceptum partumque criminosae prolis veniret, quatinus publicis subiacens obprobriis, superbiam cum luxuria humilis et poenitens deinceps effugeret. Id cum exorasset, alvusque tumescens indicia violatae castitatis oculis proderet alienis, illa omnis consilii expers quid faceret, quo se verteret ignorans, omnium prae confusione declinabat aspectus, non somno, non esca, non potu, denique non ipsa vita delectabatur, quoniam incomparabilis tristiciae profunditatibus operta erat. Nil iam de peccati satisfactione meditabatur, nil de poenis inferni cogitabat, solo quo tabescebat rubore liberari votis omnibus exoptabat. Hinc factum est, ut, cum nullum consolationis occurreret suffragium, secundum illud propheticum praesagium[67]: *Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum, Domine*, de Christi clementia spem tota mente conciperet, ante cuius imaginem pro nobis crucifixi corruens, templum sanctae genitricis eius ingressa, his precum querimoniis flebiliter usa est: *Domine clementissime, mearum miseriarum calamitas tuae pietatis penetret aures, nec meis offensus pravitatibus, tui plasmatis, conditor pius, immemor existas. Heu me coinquinatam*[b]*! heu me professae castitatis praevaricatricem! heu me confusionis aeternae inventricem! merito nunc me cum maximo salutis meae detrimento infra omnes conspicio, quae dudum me ipsam, nesciens cum sim pulvis et cinis, supra omnes in immensum gloriata sum. Quid congruentius tantam decebat praesumptionem, quam huius turpissimi volutabri detestabilis impuritas? Nihil mihi iam adversus tuam bonitatem, Deus, querelae remansit iustae, cum haec omnia propria patiar voluntate, coeno me tradens libidinis incestuosae, dein ore proprio imminentem publicam exprobrationem petens, et quidem audentia*[c] *indigna; sed utinam in hac parte ut audirer, non indicium sanctitatis, sed poena flagitii praecedentis fuit! Vae miserae mihi! quae coelestis agni perdidi sectatum, quae virginei cantici gloriam iam amplius non sperabo. Sufficiat mihi vel sola indulgentiae via et his te miserante, Iesu benignissime, confusionibus erui. Ecce, piae genitricis tuae pedibus rea et gemens advoluta, per eius suffragia tuae consolationis gratiam humiliter quaero, conversionis omnimodae veritatem promittens, et perpetrati sceleris amodo continentiam et poenitentiam.* Haec ea fletu maximo prosequente, qui respexit Petrum flentem, respexit et illam misericors dominus noster, et quantum miseriis condoleat nostris, evidentissimo maiestatis suae dignatus est monstrare miraculo. Nam postquam clamare desiit a terra surgens, uterus illius[d] detumuit, male conceptus foetus evanuit, ipsa prae gaudio largius flens, debitam convertendi sponsionem implere non distulit. Annis siquidem undecim[e] iugiter in poenitentia perseverans, corpus vigiliis et orationibus attenuatum panis et aquae tantum sustentabat edulio, sine cessatione lacrimas in humilitate fundens, et ex occasione sceleris admissi priori vitae sequentem longe anteponens. Quantae vero fuerit contritionis hinc datur intelligi, quod exceptis aliis intrinsecus[f] orationibus psalterium inter diem et noctem semper ter percurrebat, primo humi strata, secundo genibus affixa, tercio stans, ut merito deficiente spiritu membra quoque lassarentur. Faciem cum macie pallor obduxerat, et diuturnitas inediae vel vigiliarum viribus paene exhaustis miraculum caeteris sororibus ingerebat, nil extra suspicantibus quam desiderio sponsi coelestis sponsam suam caritatis languore tabescentem, quippe quibus culpae eius nullum patebat vestigium. Non enim tanti reatus confessionem humanae committebat fidei, quae interdum nulla est ubi maxime speratur; soli Domino fiducialiter clamans: *Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea!* (Psal. 55, 2.) Talibus cum, sicut dictum est, annis[g] undecim insistens operibus divinam quaereret propitiationem, ubi iam de spe veniae quid hausisset, ecce, pestis antiqua superbiae sub pedibus iacens contra eam denuo caput attollere coepit. Quod illa caute praevidens, et hanc esse causam ruinae prioris animadvertens, quamvis lapsa, salubriter tamen edocta, suggestionis huius inicia non ut ante negligenda duxit, sed festina sancti patris Annonis praesentiam adiens, omnem suorum casuum ordinem subtiliter enarravit, consilii vel precum eius iuvamina magno cordis moerore petens, ne, ea rursus in similia proruente, tanti temporis poenitentia deperiisset. Tum sanctus pontifex secundum datam sibi sapientiam consolationis verbum multipliciter proferens, eam non in propriis viribus sed in Deo confidere docuit secundum illud: *Sine me nihil potestis facere;* (Ioh. 15, 5.) nil ita daemones atterere quam in humilitatis fundamento consistere, nulli se vel in cogitatione praeferre, prae omnibus hu-

a) elationis *codd.* b) conquinatam 2. c) audientia *codd.* d) eius 2. e) non paucis 2. f) extrinsecus 1. g) aliquantis 2.

66) Proverb. 16, 18. 67) Psalm. 82, 17.

milia de se sentire, caeterum peccati transacti noxa[a] non teneri, si lugenda non praesumat iterare. Quique mentis eius qualitate intima consideratione perspecta, cum didicisset in elationem[b] arma verti, quicquid prae caeteris quasi sanctior specialius attemptasset, salutarem sanctamque dixit esse viam, communis vitae limitem non excedere; se mandare, si nollet in interitum ire, ne consororibus contraria singularis vitae aliquid usurparet, cum comedentibus comederet, cum dormientibus dormiret, itemque cum abstinentibus abstinens[c], cum vigilantibus quoque vigilaret; hanc prorsus esse regiam viam quae nullam declinans in partem per se gradientes in aeternae salutis patriam inducat. His doctrinae fluentis ancilla Dei salubriter infusa, benedictione percepta, monasterium repetiit, matremque virtutum temperantiam mox ingrediens, totius honestatis vel religionis prorupit in fructus communis vitae lege contenta, nec ullam sibi virtutibus superiorem vita decedens in illa congregatione reliquit.

Hactenus nobis in descriptione vitae vel morum Deo dilecti pontificis occupatis, iam tempus est aperire qualiter quantumque per eum profecerit in augmento divinae servitutis aecclesia Coloniensis. Id cum ingenii nostri tarditas utcumque praesumat attemptare, quis tamen ipso quoque carnis intuitu non videat, omnem hic eloquentiam magnitudine rerum minorem inveniri? Et primo quidem mentis eius ardorem erga Deum vel proximum plene prosequi, laboris est non minimi. Quod ne falso iactitare videamur, hinc historiae sequentis sumamus exordia.

15. Cum per omnes curae suae congregationes, cuiuscumque professionis essent, regularis disciplinae tramitem licentia deperisse doleret, aliis pro vitae necessitatibus, aliis pro mundi cupiditatibus extravagantibus, universorum praebendas pro supputatione annualium redituum large disposuit, nonnullas ex suis adaugens, ut occasione libertatis erepta necessitatem iugi claustralis cunctis induceret. In his exequendis apostolicis utebatur praeceptis, obsecrans ut pater, increpans ut magister, interdum stimulos exorbitantibus ac recalcitrantibus addens, et eatenus neglectam disciplinae coelestis scolam temporibus suis mundo reformans. Quibus studiis quo plus caritate fervebat, eo sollicitius insistens, ad maiora divinae laudis opera magis inflammatus accessit, quinque monasteriorum structuras ab ipsis fundamentorum iniciis ad perfectum deducens, non animam tantum sed et corpus omne, quinis a conditore sensibus institutum, ipsius addicens servitiis.

16. Itaque quod primum erat monasterium quod dicitur ad Gradus, in honorem sanctae Dei genitricis Mariae iactis fundamentis erexit[68], omniqueque varii decoris elegantia pulchre distinctum consecravit, praediis ad 30 canonicorum sufficientiam copiose delegatis, quos undique scientia, vita vel moribus exquisitos illuc adunaverat. Ipse vero speciali devotione dilectae sibi dominae totus inherens, cum eius patrociniis animam credidisset, etiam sepulturam in eodem sibi monasterio adhuc futurorum nescius extruxit, et quasi iam iamque migraturus, locum frequentabat, pernox in orationibus, sua suorumque peccata lacrimarum fluminibus expians. Cumque noctem totam saepe duxisset insomnem, sub ipso lucis ortu super mattulam vel super nudam humum, aliquotiens super gradus in ingressu capitolii se reclinans, vix puncto temporis oculis in soporem clausis surrexit. Cuius contritionis et abiectionis virtus non facile credebatur in eo, quandoquidem familiarissimis suis non semper innotuerit, et ipse publicis obsequiis vallatus incedens, aspectu ipso tremendus et gloriosus seculi dignitatibus fuerit, qui tamen inter pauperes Christi degens, mitis et humilis semper extitit. Nam ut a fratribus nostris accepimus, cum eis residens nonnumquam subridendo intulit: *Quam magnum quamque terribilem omnibus aulicis veniens*[d] *ad eos me ingero, quomodo caput erecto collo circumducens, saevos oculos in unumquemque retorqueo, totum me componens illi, sub cuius vestigia sint omnia ruitura, cum tamen inter haec pavidus atque timidus longe deiectior intus incedam, quam ulli patescat fidei.* Haec suis ipse de se confessus est. Caeterum quotiens curiae necdum praesens adesse nunciabatur, non laicus, non clericus, non comes, non alius quis potens, non episcopus, non ipse denique rex exceptus est, qui non habitum suum aliter excoleret, comam aequaret, gestus quoque suos eo praesente temperaret[e].

17. Prosperis igitur[f] successibus in consummatione templi quod coeperat usus, ubi magis magisque desiderio supernae iocunditatis aestuabat, exiguos[e] deputans praeteriti temporis labores, eminentioris meriti arcem cupiebat apprehendere. Unde secundo copiis contractis, sancti Georgii martyris aecclesiam foris murum construxit annuis reditibus abundantem, iuxta quod exigebat illic congregatio facta clericorum[g. 69]. Ad cuius dedicationem omnibus inhians reliquiis beati martyris adhuc adquirendis praepediebatur, et ecce, sicut ipso referente compertum est, nocte quadam sopore pressus, eundem martyrem ex interioribus oratorii sancti Pantaleonis cum ingenti luminis frequentia procedere conspexit. Quem in amictu splendidissimo vultu roseo perfusum cum mirantibus oculis ad novam suae devotionis fabricam gradum direxisse specularetur, illo iam ingresso mox evigilavit. Ilico divinae inspirationis gratia tactus, aliquid suis votis

a) noxia 2. b) elationis *codd.* c) abstineret 2. d) adveniens 2. e) temperaret. Ipse vero exiguos d. p. l. post consummationem primi templi quod coeperat, secundo 3. f) itaque 2. g) *reliqua desunt usque ad finem capitis* 3.

68) Iam d. 1. Maii 1059 Nicolaus II confirmavit *ecclesiam S. Mariae — sitam inter muros urbis Coloniae in loco qui vocatur ad Gradus*, ab Annone fundatam, et anno 1061 Anno donationem fecit *ad monasterium S. Mariae quod est in Gradibus.* Fundationis praeceptum conscribi iussit 1075 d. 25. Iulii. Lacomblet I, 125. 126. 143. Vid. etiam Gelenius de magnitudine Coloniae p. 305, Binterim et Mooren I, 62. Mooyer l. l. p. 56. 69) 1067 Anno donationibus locupletavit ecclesiam S. Georgii martyris *quam nos ante portam quae Alta dicitur fundavimus.* Lacomblet I, 135. Cf. Gelenius p. 318. Mooyer l. l. p. 56.

consonum in illo persensit somnio. Tenebris finitis, omnis impatiens morae sancti Pantaleonis adiens sacrarium, auspice Deo brachium praeclari martyris Georgii sibi praesentatum maxima cum veneratione 5 suscepit, quod comitante multitudine, cum et processio sollempnis fieret per vestigia quae noctu martyr calcare visus est, ad locum usque baiulavit. Tunc secundum consecrationis ritum insistente clero cum pontifice, oportunitatem sermonis habendi tem- 10 pus et locus[a] expetiit. Repente tumultu concitato discursus hinc inde fiebat, nemine alium expectante, sed singulis praeoccupantibus locum qui voci praedicantis episcopi vicinior aestimabatur[b], aliis vero parietes, aliis domos vel arbores conscendentibus, 15 plurimi duas pergrandes[c] trabes, per quas ad aedificium muri dispositus erat ascensus, circumiacebant, innumeris subtus eas conglobatis. Igitur omnibus arrectis auribus in ora loquentis episcopi defixis, trabes pressurae nimietatem non ferentes 20 cum fragore magno corruerunt, his qui supererant pariter ad inferiora labentibus. Cumque molem ruentium turba subtus stans excepisset, clamor et concursus ingens exortus est, nullo[d] dubitante magnitudinem periculi mortes plurimorum peregisse. 25 Sed postquam facto silentio nullius laesionis vestigium in aliquo repertum est, maior laudis et admirationum vox ab omnibus insonuit, quibus divinae virtutis potentia meritum martyris ac sacerdotis tanto gloriosius quanto iocundius patefecit. Huius 30 itaque laeticiae suavitate perfusus, sacer antistes brachium sanctum manibus sumens, aecclesiam ingressus est, resonantibus in ymnis et supplicationum vocibus hinc clero, illinc populo. Interea splendor igneus coelitus adveniens ingredientem cum 35 sanctis sanctum pontificem prosecutus est, visibiliter in templum descendens perpaucis eorum qui foris erant, et prope nullis ab hac exceptis visione, qua de re plus in exultationis voce cunctis perstrepentibus, ipse tot divinae praesentiae signis exhilaratus, 40 magna cum securitate, magna cum devotione totius aecclesiastici ministerii cultum peregit, aecclesiam[e] Deo consecrans, filius et pater aecclesiae.

18. Dein cum totus in anteriora respiceret, eorum quae retro sunt oblitus, in secreto cuiusdam noctis, 45 profunda quiete resolutis omnibus, more suo coenobium sancti Martini transiens, vigiliis nocturnalibus monachos insistentes aure cordis et corporis audivit, graviterque suspirans ad presbiterum quendam, occultorum suorum scientissimum, ait: *Numquid cordis tui ianuam non pulsat, quod in tota Colonia sopitis omnibus hi soli divinae servitutis sollicitudinem habentes, hoc tempore noctis ad psallendum Deo consistunt? Et me quidem nihil dignum ministris eius exhibentem, cum in omnibus negligentem mea tulerit infelicitas, quam maxime monachis hactenus inutilis vixi!* Et cum pectus feriens haec dixisset, oculis ad sydera levatis cum expansione manuum, corde et ore subiunxit: *Te precor, vitae mortisque dominator et summe pater, te precor, ut huius lucis inducias mihi concedas, donec tuo munere proficuum quid et in huius religionis viros elaborem.* Qua voce coelos penetrante, domum regressus, primo mane beati Petri limen adiit, ubi residens in cripta secretius et psallens, a quodam superveniente sene in his verbis est praemonitus: *Ne mora sit, venerande praesul, in extruendo requiei tuae loco, quem Deo praedestinante in monte, qui a praeterfluente fluvio Sigeberg cognominatur, habebis.* Lamb. Dixerat, et ab astantibus quasi delusor citius repulsus est, episcopo vim verbi profundius quam dici possit excipiente. Cuius abhinc intentio non aliud quam id die[f] noctuque volvens, qualiter ad finem pervenerit expediendum est.

19. Palatinus comes Heinricus[70], vir potentiae 70 saecularis et gloriae, tunc temporis inimicitias adversus innocentiam Deo dilecti pontificis exercens, caedibus, rapinis et incendiis per omne ferebatur episcopium, ad devastationem patriae praesidio fretus in praedicti montis vertice. Hunc iustis exigentibus causis anathematis sententia feriens archiepiscopus, tandem ad satisfactionem coactum captivumque traxit. Qui Colonia veniens, ad eius vestigia ruit supplex et poenitens, et accepto communionis et indulgentiae loco, pro gratia se reconciliantis episcopi beato Petro montem Sigebergensem dono contradidit[71]. Tunc diu desideratum 71 cernens sibi praesul patere negocium, portentis[g] quibusdam, quae de monte rumor invexerat quasi iam currens, accepto stimulo reddebatur incitatior. E quibus hoc multis astipulantibus non improbabiliter fertur[h].

20. Interiacente prope miliario vicus quidam

a) locum 2. b) aestimaretur 2. c) praegrandes 2. d) nullo *usque* peregisse *desunt* 2. e) aecclesiam *usque* aecclesiae *desunt* 2. f) diu 2. g) portentis *usque ad* interpretantibus *in cap.* 21. *desunt* 3. h) adstipulantibus iam probabiliter infertur 2.

50 70) Erat Lotharingiae comes palatinus, filius Hezelini, fratris Ezonis comitis palatini, de quibus vide Crollii Erläuterte Reihe der Pfalzgrafen zu Achen p. 48 sqq. Bellum inter archiepiscopum et comitem palatinum inde exarsisse videtur, quod Anno mona- 55 sterio Brunwilarensi, cuius advocatus erat Heinricus, praedia quaedam eripuit. Cf. supra mon. Brunwilar. c. 22. 71) De his rebus in Annonis tabula quadam, quam signis chronologicis carentem a. 1064 vindicavit Lacomblet I, 129. haec leguntur: 60 *Noverit* etc. — *qua de causa primum instituimus in monte edificare cenobium, cui tunc mons S. Michaelis nomen est inditum, quando in ipsius archangeli honore consecratum est monasterium. Propter munitionem loci naturalem audaces et temerarii homines, 65 quibus malivolentia lex ac latrocinandi libido iusticia videbatur, se quandoque illuc recipiebant, et non solum in bonis aecclesiae nostrae, sed etiam in circumiacentibus predas crudeliter agebant, quod non solum ab incolis recognovimus, sed nostris diebus in iniuriam et desolationem aecclesiae nostrae vidimus. Sed Deus omnipotens, qui in se sperantes nunquam deserit, ipsos aecclesiae predones sua virtute compescuit, ut non solum ab incepto desisterent, sed etiam ipsum montem cum omni edificatione in potestatem sancti Petri apostolorum principis transfunderent.* In altera tabula sine dato ibid. p. 130 Heinrici palatini comitis, qui montem donaverit mentio facta est. 8. Aug. 1065 Heinricus IV. monasterio Siegeburch villam quandam donavit. Ibid. p. 132. Mooyer l. l. p. 57.

Stieldorp dictus memorato distat a monte. Huius incolae dominici diei festo tracti, sub hisdem[a] diebus aecclesiam petentes, cum, licentia populari varia conferentes, liberum undique dirigerent intuitum, contra montem prospicientes, repente signum crucis coelo contiguum quasi dependens vertici eius imminere cernebant. Quod dum pulchre quasi colorum varietate distinctum singuli mirarentur, qui prudentiores erant ingens esse dicebant ostentum, per quod portenderetur triumphum crucis inibi digna veneratione frequentandum, cultoribus loci fide crucis, non armis visibilibus semper triumphantibus.

21. Duobus quoque peregrinis ex Graecia per idem tempus apud Veronam quae et Bunna hospitantibus, apparuit in visu magnae claritatis scala[b] a vertice montis in coelum usque subrecta[c], per quam miri candoris agniculi laetis gestibus ascendentes[d] aetheris alta penetrabant. Et hoc in bonam partem cunctis interpretantibus, ad aedificium montis diversis vallatus artificibus pontifex accessit, quorum[e] alii arbores succidentes, alii succisas abigentes, alii terram fodientes, alii lapides advehentes, omnes vero variis in artibus pari studio ferventes, opus accelerabant, instante desuper voce[f] episcopo et exactoribus eius. Quid multa? De coelis auxilio praestito, consummatio templi prosperata est, quod anno dominicae incarnationis 1066, 10. Kal. Octobris (1066. Sept. 22.) nomini sancti Michahelis archangeli specialiter assignans, in honorem omnium coelestium virtutum sub patrocinio gloriosi ducis Mauricii sociorumque eius consecravit. Quo sanctae crucis aram sanctificante, cum in eam reliquias imponeret, lux igneo coelitus radians fulgore pariter introire visa est.

22. Ex[g] quo laetum sumens auspicium, cum in occidentali plaga monasterii versus septentrionem sancti Martini dedicaret capellam, post peractum consecrationis officium ad altaris ministerium palliatus stetit. Ubi cum in contritione spiritus et compunctione cordis se ipsum mactans, corporis et sanguinis Christi conficeret sacramentum, inter oculos et manus repente globus igneus emicans tremenda volvebatur visione, qui paulatim se colligens, totus est illapsus calici. Expavit sacerdos, et ut ipse retulit, prae timore extra se pene factus, haerebat quid ageret. Temerarium iudicabat ultra manus ad benedictionem calicis extendere, quem tantae maiestatis praesentia repleverat, et e diverso culpam formidabat, si desistens universalis aecclesiae ritum infringeret. Tandem occurrit animo spiritu sancto revelante, quod sui erat officii benedictiones solitas percurrere, caeterum divinae dignationis fuisse quod visum est, quae etiam invisibiliter id cotidie operaretur. His et similibus electionem supernam suis arridere coeptis gratanter accipiens, locum[71] augustissimis aedificiis excoluit, et exquisitissimis aecclesiae ornamentis illustravit, et amplissimis atque in multorum fratrum usus sufficientibus praediis locupletavit.

23. Cumque in omnibus Teutonici regni monasteriis cerneret antiquum illum regularis disciplinae fervorem admodum refrixisse[h], et monachos a vita communi ad rem familiarem curam omnem studiumque convertisse, gravi tedio angebatur animus eius, quod ingentibus expensis nihil Deo dignum confecturus putaretur. Interea contigit, ut pro causa rei publicae Romam pergeret; cumque aliquas Italiae regiones peragraret, principes[i] eius regni ne a rege deficerent suis exhortationibus confortaturus, ad monasterium quoddam cui Fructuaria nomen est causa orationis divertit. Ibi admiratus monachorum artissimam[k] et secundum regulae instituta conversationem, 12 ex ipsis in opere Dei probatissimos secum rediens abduxit, et eos ad tradendum Galliis eiusdem disciplinae formulam in Sigeberg constituit, prioribus monachis quos aliunde asciverat honorifice in locum suum remissis. Quod eius factum imitati caeteri Galliarum episcopi, alii ex Gorzia[l], alii ex Cloniaca[m], alii ex Sigeberg, alii ex aliis monasteriis monachos evocantes, novam[n] divini servitii scolam in suis singuli monasteriis instituerunt; adeoque brevi convaluit felicis huius facti emulatio, ut pauca intra Galliam monasteria videamus, quae non iam[o] novae huius institutionis iugum subacta receperint. Ipse vero monachos suos iuxta quod in Fructuaria compererat cernens artissimis vivere disciplinis, et conversationis eorum opinione longe lateque vulgata multos ad mundi contemptum inflammari, et eorum magisterio se in via Dei erudiendos tradere, magnas Deo gratias referebat, quod non confudisset[p] eum ab expectatione sua. Omnem quoque diligentiam adhibebat, ne quam earum rerum, quibus corporis imbecillitati consulendum sit, penuriam sustinerent. Honorabat ac venerabatur eos ut dominos suos, nec solum abbati sed decanis etiam monasterii ita subditus dictoque obtemperans erat, ut ad primum eorum imperium, quantumlibet gravibus publicae seu privatae rei negociis implicitus teneretur, ilico exoccupatis manibus surgeret, et omne quod iussissent instar vilis mancipii exequeretur. Cibos summa industria confectos cotidie, dum adesse potuisset, ipse eis inferebat, ipse apponebat, ipse potum miscebat, ipse quasi divinas inter haec singulorum exosculabatur manus, ipse reficientibus ad omne obsequium quolibet famulo promptior paratiorque assistebat, intentusque lectori, postquam omne ministerium peregisset, in ascensu graduum satis humili contentus sede quiescebat. Silentium quoque ac caeteras monasterii consuetudines, dum inter eos diversaretur, ita attentus sollicitusque servabat, ac si pro excessibus suis ipse quoque cotidie[q] in capitulo eorum causam dicturus et sententiam accepturus foret. Nullus umquam pater tali circa filios ducebatur affectu, nulla mater, omnes ut se diligens, singulis compatiebatur, et animam suam pro unoquoque paratus impendere. Hoc eius in Sigeberg, hoc in Salevelt, hoc in Grascaf[72], locis scilicet post ab eo constructis, studium erat, hic mos, haec institutio.

a) ijsdem 2. b) scalam 1. c) subrectam 1. d) ascendentibus 2. e) quorum — eius *desunt* 3. f) *deest* 2. g) *c. XXII. verbis* Cum in *incipit* 1. h) refrigisse *corr.* refriguisse 3. i) principes—confortaturus *erasa* 1. k) arctissima 2. l) Gorcia 2. m) Cluniaco 2. Cloniaca *corr.* cloniaco 3. n) *deest* 2. 3. o) iam non 3. p) confundisset 3. q) assidue 2.

71) Ex Lamberto. 72) Saalfeld monasterium Anno teste Lamberto 1071 in meliorem statum reformavit, quum canonicos ibidem habitantes eiecisset monachosque Sigebergenses instituisset. Itaque ipsum monasterium, cuius fundum a Richenza regina a. 1063 emortua acceperat (cf. infra I, 30.), plures annos ante a. 1071 aedificaverit necesse est. Quod et probatur Annonis tabulis de monasterio Saalfeldensi, quarum una scripta anno 1071, altera ut videtur anno 1072, tertia 1074; leguntur apud Schultes in libro Sachsen-Coburg-Saalfeldische Landesgeschichte, Urkundenbuch II, 1 sqq. Ultima tabula haec habet verba: *Ego Anno, gratia Dei Coloniensis archiepiscopus, de proprietate cuiusdam nobilis feminae nomine Richezet*

24. Porro[73] a rege gravissimis saepenumero dissidens inimicitiis, nunc quidem in summam familiaritatem et pene in regni consortium ab ipso assumebatur, nunc vero, quoniam ea quae in regno praeter aequum et bonum perperam gerebantur vehementer detestaretur et acerrime impugnaret, cum contumelia de palatio eiciebatur et ad extinguendum nomen eius totum regni robur concitabatur. His vicissitudinibus perplures annos cum rege concertationem habens, semper velut ad turrim[a] fortitudinis recurrens, Sigebergensium fratrum preces in auxilium ascivit. Unde quodam tempore rege pessimis adversum se consiliis inflammato, pergens ad curiam, fratribus in horti cultura generaliter repertis ait: *Commotionis et indignationis regiae non inscius iturus ad palatium, Deo me vobisque commendo; vos clipeus meus estis, vos praesidium meum estis, vos, inquam, filii dilectissimi, omnia mea estis; nulla mihi spes in militibus meis, nil praesumptionis est in armis eorum, in fide loquor, maior mihi fiducia est in vobis*[b] *quam in omnibus illis. Itaque sit in benignitate Salvatoris et in potestate vestrae dilectionis, qualiter a rege vel a suis excipiar.* His dictis profectus est, et plerumque per imperium eius qui ponit terminum mari rex a fervore cordis sui desistens, cum paulo ante necem ultimumque, si copia fieret, exterminium Annoni et omnibus quae eius essent minaretur eo veniente quasi divinitus impulsus, surgens, osculum pacis ei cum magna dilectione perrexit. Quapropter in stuporem versi quique circumstantium ad invicem susurrabant: *Ubi nunc irae, ubi minae, ubi tot insultationes ante modicum habitae?* In his omnibus dominica vox consideranda est quae promittit: *Ego glorificantes me*[c] *glorificabo.* Et revera non modo nostris sed et retro temporibus difficile quis inveniebatur tantae maiestatis ad saeculum, et tantae prorsus humilitatis ad Deum.

25. Igitur postquam voti sui compos, monachos suos in divinis rebus ad omnium imitationem singulariter florere conspexit, omnem pro eis sollicitudinem in futurum extendens, publicae excommunicationis et aeternae dampnationis vindictam protulit in omnem hominem, quicumque eis ad nocendum pertinax et maliciosus incumberet. Dein auctoritatis suae sigillo roboratam paginam fecit, in qua sub eadem contestatione decrevit, ne quis primam monachorum illorum consuetudinem immutare praesumat, ne quis abbatem ad aliquod curiale servitium aut non regulare officium constringat, ne quis episcopus vel suorum quisquam eo loco standi potestatem habeat sine licentia abbatis, ne quis advocatus aut subdefensor, nisi quem voluerit abbas, eidem monasterio vel bonis eius constituatur. Et ut maior his constitutionibus inesset auctoritas, privilegium apostolicae sedis Romam pergens expetiit, quod adhuc in pace et concordia agente aecclesia in haec verba rescriptum accepit:

26. *Alexander episcopus, servus servorum Dei, Annoni archiepiscopo sanctae Coloniensis aecclesiae, in Christo Iesu fratri karissimo. Quod a nobis, Deo dilecte frater, expetis, ex officio suscepto et apostolica auctoritate*[d] *universis debemus aecclesiis. At mihi tecum, in Deo dilecte frater, longe aliter agendum est, quippe apud virum religiosum, et revera tam operibus quam nomine episcopum. Itaque ex parte domini nostri Iesu Christi et sanctae Dei genitricis Mariae sanctorumque apostolorum Petri et Pauli omniumque sanctorum et electorum Dei, confirmamus et corroboramus abbatiam illam in perpetuum, ne qua persona magna vel parva, non aliquis successorum tuorum, non rex aut comes, nullus inquam hominum ex ea quicquam ad destructionem loci demoliri audeat, verum omnibus inibi collatis atque conferendis pax sit permanens et inconvulsa, et prima ista, qua modo instituuntur apud monachos, permaneat*[e] *consuetudo, sitque illis de abbate libera electio. Si quis huius nostri privilegii temere violator extiterit, perpetui anathematis vinculis se innodandum noverit, nisi*[f] *forte resipiscens digne*[g] *satisfecerit. Qui vero pia devotione observator esse studuerit, peccatorum suorum omnium consequatur veniam, et aeternae beatitudinis gloriam mereatur*[74]. In quibus papae dictis facile datur advertere, quantae sanctitatis et venerationis iste nostrorum temporum singularis praesul in pectore tanti pontificis habitus sit, quem virum religiosum et revera tam operibus quam nomine episcopum sic vigilanter appellavit. Exemplar[h] quoque regalis decreti ponimus ex parte, ne lateant[i] lectorem legitima praefati coenobii non leviter infringenda:

1066. Mai. 15.

27. *Heinricus divina favente clementia rex. Cunctis Christi cultoribus nostrique fidelibus tam gignendis quam modernis innotescat, qualiter karissimus nobis Anno archiepiscopus monasterium, quod in monte Sigeberg construxit, nostrae tutelae et defensioni subdidit, et mercatum, theloneum, monetam atque praedia cum omnigenis ad hoc quaesitis et datis sive quaerendis et dandis utilitatibus, nostra regali auctoritate firmari et corroborari*[k] *postulavit.* Et post aliqua: *Itaque monasterium et omnia ad hoc pertinentia in nostram accepimus defensionem,*

1069. Oct. 8.

a) turrem 2. 3. b) in v. est 3. c) me gl. g. 3. d) susc. o. et auct. ap. 3. e) maneat 2. f) ni 2. g) *deest* 2. h) Exemplar *usque ad finem capitis* 30 *desunt* 3. i) lateat *codd.* k) roborari 2.

in pago qui dicitur Salfeld, iusta et legitima interveniente conditione — nostris tutoribus Petro et Paulo cum sanctis omnibus monasterium constitui. Id autem monasterium primo adhuc ritu canonico excolendum institui, deinde melioribus votis superna dispensante clementia ad religionem magis attendens, regulari familiae et spiritualibus filiis domum nostram disposuimus. Hunc autem eo ardentius coelesti perurgente desiderio aedificare comprobavimus, ut populum rudem et christianae religionis inscium et ignarum divini germinis, paganismo et errore vanitatis eliminato, ad gloriosum nomen Dei benedicendum inducerem etc. Cf. infra I, 30. Primus abbas erat Adalbertus. Mooyer l. l. p. 61. Grafschaft monasterium condidit 1072. Seibertz II, 32. Mooyer l. l. p. 59. 73) Ex Lamberto. 74) Scripta est haec bulla, cuius textum in compendium redegit auctor, *Lateranis Idus Maii per manus Petri s. Rom. eccles. subdiaconi atque cancellarii vice domni Annonis Coloniensis archiepiscopi et s. sedis ap. archicancellarii a. 5. pontif. domni Alexandri II papae ind. 4.* Lacomblet I, 134. Jaffé Regest. 3406.

et regio more hanc inde conscriptam cartam[a] *propria manu corroboravimus, et sigilli nostri impressione insigniri iussimus*[74].

28. Post haec prudentissimus pontifex adhuc huius vitae dies sibi concessos videns ob id quod scriptum est: *Iustus iustificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc*, duas monachorum congregationes addidit, unam in regione Westfalium in loco qui dicitur Grascaf, aliam in confinio Duringorum et Sclavorum in loco qui dicitur Salevelt, quarum prior in honorem sancti Alexandri martyris et[b] fratrum eius, sequens in honorem principis apostolorum ab ipso consecrata est. Has structuris et praediorum sumptibus abunde ditatas ad normam Sigebergensium vivere instituit, adductis illic eiusdem coenobii fratribus. Tunc demum numero quinque virginum prudentium perfecte admissus, non in visu, non in auditu, non in gustu, non in odoratu vel[c] tactu sponsi venientis offendere dignus erat vultum, per singulos sensus deputatis qui perpetuis orationibus, vigiliis et elemosinis, digno coelestis regis conspectibus ornatu, et viventem eum et mortuum excolerent. O vere felix nimiumque felix, qui tantorum fultus intercessionibus, si quid per quinque sensus deliquisset, venia poterat abolere facili! Cuius dilectioni quam vicem sui debeant alumni magnopere singulis curandum est, qui totus in ipsis ut unica mater unico pendens in filio, nonnumquam corporis debilitatem sustinuit ex compassione qua circa eos afficiebatur, quod uno satis elucebit exemplo.

29. Instabat aliquando paschalis festi singularis et iocunda celebritas, et confluentibus Coloniam non solum ex omnibus prope Renum civitatibus, sed et de transmarinis et adhuc remotioribus provinciis absque numero populis ad nundinas toto orbe celeberrimas, fiebat ut ex ipsa frequentia geminum Coloniensibus immineret tripudium. Verum quod huius laeticiae pulchritudinem magna poterat ex parte fuscare, vehemens febrium ignis invasit episcopum, qui et decidit in lectum. Cumque dominicae coenae dies illuxisset, et ipse membris omnibus defatigatus ministerium sacri mandati se desperaret implere posse, quod speciali semper devotione suo tempore frequentare solebat, maior ex tristicia morbus cordis eius intima penetravit. Coepit enim variis intus aestuare cogitationibus qui foris aestuabat febribus, et nunc quidem, ne fructu tam pii privaretur obsequii, ad id exequendum modis omnibus surgere definivit, nunc vero perpensis imbecillitatis suae viribus vix ad primum motum sufficientibus, stulticiae quam proximum adiudicavit hoc conari, quod nullo dubitante possibilitatem excederet. In hoc gemino cordis conflictu die insumpto, adest[d] hora in qua rex summus trementibus angelis servorum vestigia petens, humilitatis suae exemplum factis et dictis fidelibus suis ingessit. Quod pius vir intimo mentis oculo considerans, in maxima tribulatione factus est, dum timuit ab eius excludi consortio, quem in hoc facto non imitaretur et infirmus. Tum vero totus versus ad preces, petiit, ut omnium dominus, cui subest cum voluerit posse, suis adesse dignaretur desideriis, concessis viribus quas intentio pia supplex exigeret, praemissoque puero fratribus mandatum direxit, ut brevissimo temporis intervallo se sine dubio venturum sustinerent. Illis inopinato nuncio retentis ab officio sacro, postquam morosior episcopi praesentia facta est, prioris expectationis taedio exacerbati, miserunt ad eum dicentes: *Nobis quid expectemus ignorantibus hora pertransiit, et iam nocte vicina hodierni diei reverentiae in imminutione divini cultus non sine dolore plus iusto certe*[e] *detrahemus.* Mox igne caritatis febrium ignes mitigante, lectum relinquens pontifex fratres adiit, et ex more linteo praecinctus ad ablutionis mysticae ministerium, praeter spem omnium processit. Hic quam humiliter, quam pie, quam devote velut ad ipsius Domini vestigia procubuerit, quomodo per singulorum pedes lacrimans eos capillis venerandi capitis sui terserit, et osculo suppliciter honoraverit, illam quondam peccatricem Mariam in oculis cordis semper habens, lectoris prudentiae derelinquo. Sedentibus autem singulis in ordine suo, congregatio beatae Mariae semper virginis, ipsius olim studiis[f] elaborata, iuxta suam dispositionem una nihilominus tenebatur in parte. Ad quam consummato in caeteros suae caritatis et devotionis opere veniens, intimo dilectionis oculo defixus in illam, recordabatur et aliarum in Christo per se congregatarum. Interim et prior ad animum rediit infirmitas. Hinc factum est, ut suorum quandoque desolatio cor eius pulsans in tantam subito miserationem commovisset, ut dolore correptus ad terram rueret, iamque[g] moribundus, et omnium membrorum officio destitutus, sufferentium manibus ad lectum reportaretur. In eadem infirmitate triduo iacens, respiciente Domino piam eius sollicitudinem, qua timebat, ne grex suus sacri verbi pabulo per sancta sollempnia careret, in ipsis dominicae resurrectionis vigiliis mirabiliter sanatus est. Cum enim matutinalia signa insonuissent, repente quasi divino tactus[h] instinctu, prosiliit è lecto, et a reclamante puero cubiculari, qui eum doloris insania suspicabatur agitari, calciamenta[i] cum vestimentis vix extorquens, ad aecclesiam laetus processit. Porro cunctis in ammirationem versis, ipse cum aliis cantans et psalmum dicens[75], ei qui ascendit super occasum, cui dominus nomen est, ad terciae quoque lectionis enunciationem accessit, solito iocundius et hilarius eam[k] perlegens. Ex hoc pastor bonus ovium pulchris et paschali cultui[l] condignis alludens tripudiis, generale gaudium suis extulit gaudiis, totam sollempnitatis illius instantiam tam iocunde, tam devote, tamque studiose peragens, ut nulli dubium esset, quin ad haec peragenda dextera Christi resurgentis eum a lecto doloris erexerit.

30. Praeterea cuius famae vel nominis vir tantarum inter suos virtutum apud exteras quoque barbarasque nationes fuerit, hinc aestimandum est, quod Anglorum Danorumque regibus in amicitia iunctus, donis eorum et legationibus frequenter

Apoc. 22, 11. Lamb.

a) chartam 2. b) *sex* 2. c) non in 2. d) aderat *corr.* 1. e) *deest* 2. f) studio 2. g) iam iamque 2. h) tractus *corr.* tactus 1. i) calceamenta 2. k) ea 2. l) cultu 2.

74) *Data* 8. *Id. Oct. a. d. i.* 1069, *ind.* 8. *anno autem ordinationis domni Heinrici* 16. *regni vero* 14. *Actum Frankenevurt.* Lacomblet I, 138. 75) Psalm. 67, 5.

honorabatur[76]; quod Heinricum imperatorem in Pannoniam prosecutus[77], cum regno patriaque pulsum et ad se profugum Ungariorum[a] regem reduceret, ipse per industriam suam in subiugandis hostium castris cunctis illic armis plus est operatus; quod cum epistolis legatos suos ad Graeciae regem direxit, qui reversi dominici ligni partem non modicam aliaque regalium donorum insignia rege transmittente ipsi praesentarunt; quodque regina Polanorum[b. 78], ex Teutonicis oriunda, fama nominis eius ducta, ad invisendum eum properavit, cuius ditioni Salevelt et quaeque cohaerentia concessit, acceptis ab eo variarum specierum et precarii condignis preciis. In quo loco, sicut paulo superius memoratum est, coenobium construxit, quod speciali quadam veneratione semper dilexit, tum propter expertam inibi coelestis gratiae praesentiam, tum etiam ob lucrum paganae gentis in circuitu commorantis. Nam frequenter tumultum Coloniae declinans illuc secessit[c], ubi spiritalibus studiis occupatus, quaedam divinae laudis carmina vel ymnos composuit, quibusdam etiam revelationibus interfuit, et contemplationi vacans futurae quietis dulcedinem praegustavit.

31. Hic cum divitiis et gloria cunctos in regno praecederet, quod forsitan fidem excedit, sepe nec nummum[d] nec nummi precium sub sui iuris custodia reperit. Quicquid enim ab huius mundi divitibus vel emendo vel in precariam accipiendo vel aliter adquisierat, mox in pauperes vel aecclesiarum ministros expendit, hoc propositum habens, ne minimam saltim rem in omni proprietatis suae iure moriens post se relinqueret. Denique nunc multis nunc paucioribus aut certe singulis e fratribus nostris coram eo positis: *Quid,* inquit, *hominum estimatio me quasi magnum divitemque celebrat? En, exceptis utensilibus capellulae ministeriique pontificalis et hoc annulo, nescio me saltem unum hodie possidere denarium. Nec enim inexplebilis avariciae thesauros meis congero claustris, unde vel regis vel suorum vita periclitetur aut ingluvies sacietur, eorum edacitati me satis in hoc obviante, ut nec assem unum oculos claudens inter ungues eorum relinquam.* Cuius verbis[e] quis finis fuerit, patet ex eo, quod in egritudine qua mortuus est alienis fovebatur operimentis, quotiensque manibus in occursum ferebatur sanctorum, quos iam infirmus in suis liminibus ipse visitare non praevalens, ad se visitandum plerumque deferri fecerat, habitu proprio carens, interim ab aliquo canonicorum contegi necessarium habebat. O quantus aecclesiarum ille defensor extitit! quam impenetrabilis inimicis Christi murus, non ex illis in quos prophetia dirigitur[79]: *Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in praelio in die Domini*, qui summi pastoris imitator bonus, animam suam pro ovibus suis optulit, dum numquam more mercennarii lupis ingruentibus cessit, sed semper eos aut verbo severissimae increpationis aut gladio iustissimae excommunicationis insecutus est, interdum etiam impudentiores quasi militari manu deterrens, porro contra omnes orationis invictae scutum arripiens. Extant eius innumerabiles pro aecclesia sudores, nec est finis enarrandi cuncta quae pertulit ab impiis[f]; unum dumtaxat, in quo potissimum orationis eius potentia cognoscitur, ad terrorem eorum qui nunc quoque coelis invectum impudenter obloquuntur, inferimus, ut vel sero resipiscentes, quid cum Christo vivens possit attendant, quem carne tectum tantum potuisse forsitan mirabuntur.

32. Postquam mons Sigebergensis, qui vertitur in victoriam victor utique vitiorum, tradente palatino comite ditioni sancti Petri cessit, idem magnae tirannidis vir quasi sopito perversitatis igne Gorziam venit, ubi deposito pompae saecularis cingulo, monachicae paupertatis habitum sumpsit. (1057. Cf. Lamb.) Egit hoc arte sua diabolus, qui substantiae spiritalis et angelicae dignitatis creatura, per subtilitatem naturae suae nonnumquam ex anterioribus futura perpendit, et semel obnoxios gehennae mille circumveniens dolis, dupliciter filios eius efficit. Hac usus fraude circa virum hunc, eum post aliquot tempus a professione fallaciter usurpata deturbans, amplexus coniugales[80] resque familiares repetere suasit, et coniunctis sibi nequiciae suae septem spiritibus cor eius intrans, in omnem deinceps flagiciorum voraginem praecipitavit. Is exosos habens omnes Dei servos, utpote refuga bella movit, sediciones concitavit, et ad suae perditionis cumulum, ad extinguendum nomen celeberrimi tunc pontificis Annonis, Agrippinensem urbem post rapinas et incendia, post interfectiones et detruncationes plurimorum, hostiliter agressus est. Ibi comminus cum armatorum multitudine sedens, omnia per circuitum quasi saevus aper devastavit, ignem pariter et ferrum miscens. Interim sacer pontifex intrinsecus cilicio tectus, minori pro se, maxima vero pro commisso sibi grege sollicitudine aestuans, die quadam cum processisset ad murum, vidit procul ignem micantem, et vicorum nuper incensorum flammam fumumque in sublime conscendere, incolis ex uno latere fugientibus hostes, ex altero ignes. Ad quod spectaculum pastor pius intimo dolore traiectus, non aliter quam si gladiis omnium confoderetur hostium, ingemuit, et miserabilem emittens vocem: *O me miserum,* inquit, *o me peccatorem, et o nimis infelicem! quem tanti mali, tanti doloris proh dolor!*

a) Hungariorum 2. b) Polonorum 2. c) secisset 1. d) et prope nec numm. 2. e) verbi 2. 3. f) quapropter his omissis miraculorum eius aut visionum aliquid attingamus *addit* 3, *reliqua omnia desunt usque ad finem II,* 2.

76) Annonis laudator hoc loco factus est accusator; sine dubio ante oculos habuit Lambertum ad annum 1074, cuius narrationem quo maioribus laudibus episcopum suum efferret, ita exaggeravit. Anglorum rex erat Guillelmus I, Danorum rex Suen III. 77) Neque hoc videtur verum esse. Quum Heinricus primo pararet expeditionem Ungaricam a. 1074, territus est rumore, Annonem Coloniae tunc commorantem Anglorum regem, ut in Germaniam veniret, velle invitare. De Annone ipsius expeditionis autumno a. 1074 factae comite, apud Lambertum ne verbum quidem legitur. Ungarorum rex est Salomon. 78) Richenza, filia Ezonis palatini comitis, uxor Miseconis II. Cf. Brunwilar. monach. supra c. 21. et Annonis tabula a. 1057 apud Lacomblet I, 123. 79) Ezechiel 13, 5. 80) Uxor est aliis Mathildis, aliis Adelheid.

inspectorem aetas ingrata protraxit in hanc horam. Mox queloco cedens[a], ad matricis aecclesiae limina sese recepit, et ante protectoris sui sancti Petri memoriam ruens, has lugens et eiulans edidit voces: *Heu, heu, Domine! quid commeruit grex et ovile tuum, ut sic rabidis luporum dentibus expositus eorum morsibus attrectetur, eorum faucibus devoretur? se laedentes non laeserunt, laesi vicem non rependunt, gratis iugulantur, sine causa sedibus pelluntur, et quicquid poenarum pessimus quisque dictante iusticia luit, hi sola imperante crudelitate longe durius exsolvunt. Ecce, qualis clamor viduarum, quantae pupillorum et orphanorum miseriae, quot pauperum contritiones te susceptorem eorum, te iudicem eorum, iamiam necessario provocant ad iudicium. Miserere, pacisque serenum nobis aspira diem, in eum, cuiuscumque causa talis aecclesiae tuae tempestas imminet, tuae vindictae determinans sententiam.* At vero Coloniensibus ad arma conclamantibus, ac pro defensione civitatis hostiles impetus bellicis apparatibus hac et illac per murum observantibus, tirannus quidem velut dissimulans in castrum suum quod Cochomo[81] dicunt se contulit, magis autem ut viribus et multitudine se sequentium illic adunatis, iudicium sanguinis cum episcopo suisque sequacibus publice committeret. Contra quem cum episcopi milites nihilominus omnibus armarentur viribus, et studio partium quidam consanguinei cum palatino, quidam cum episcopo ordinarentur, essetque civilis belli periculosissima cunctis suspicio, sanctus pontifex gravi pressus angustia mentis, quid è duobus tolerabilius eligeret, ignorabat. Si superbiam hostis armis humiliare decerneret, occurrebat inhumana crudelitas et miserabile scelus, cum frater fratrem, gener socerum, socer generum hostiliter prosternerent; si vero aliter vellet, imaginariis oculis expugnandae urbis miserias, aecclesiarum destructiones, clericorum vel monachorum contumelias, viduarum pauperumque necessitates, postremo iuvenum et senum indiscretas caedes attendebat. In huius articulo necessitatis, quod primum, quod maximum, quodque certissimum erat solatium, totum se contulit ad Dominum, cum ieiuniis laetanias[b] ordinans, et diversa sanctorum oratoria lustrans. Iamque futurus quasi praesens timebatur hostis, et sacerdos cum populo circuiens tristes meditabatur causas, nec tamen a psalmorum modulatione cessabat. Qui per ordinem veniens ad tricesimum quartum[c] psalmum, cuius est inicium: *Iudica, Domine, nocentes me*, cum in eum altius intenderet, contigit ut ex convenientia psalmi dolor cordis eius incresceret; cumque versiculum: *Veniat illi laqueus quem ignorat* in ore iam haberet, quasi praesagio quodam de adversario tactus, infremuit spiritu, lacrimisque cum voce prorumpentibus eundem diacono stupente denuo repetivit[d] dicens: *Veniat illi laqueus quem ignorat, et captio quam abscondit apprehendat eum.* Hoc quomodo protulerit, orantis affectu an potius spiritu prophetantis, vel, ut melius reor, utroque modo, historiae nil obest, quandoquidem paucis evolutis diebus laqueus quem praedixit incomprehensibili superni arbitri iudicio tam terribiliter hostem ipsum irretivit[e], ut inaudito saeculis furore uxorem suam, propter cuius mortiferam dulcedinem apostataverat, propriis manibus transverberaret. Nam militum praepositis bellantium acies foris instruentibus ad futuram quae sperabatur cum episcopo congressionem, ipse residens in cubiculo iuxta suae cupidinis[f] sociam, irascente Domino nec diutius calamitates innocentium sustinente, in amentiam versus est, ac mox dependentem arripiens bipennem, dilectae coniugis caput feriens amputavit, cursuque fores egressus, plausu manuum et cachinno quid egisset, insanientis ut erat more, exposuit. Exhorruit ad tam triste piaculum[g] omnis aetas omnisque conditio, cessavitque tam operosa bellicae conventionis apparatio, recedentibus singulis ad propria. Ipse vero princeps et auctor sedicionis captus vinculisque a suis iniectus, quamdiu supervixit furiosus et impos sui mansit, propriisque calamitatibus contentus, in alienam cladem amplius grassandi nec copiam nec voluntatem habuit. Tunc pius sacerdos, unicum coelestis magisterii[h] suis temporibus exemplar, opere complens[i] illud dominicum[82]: *Orate pro persequentibus vos, et bene facite his qui oderunt vos*, mulierem miserabiliter interemptam officiose ac nimis flebiliter terrae commendavit, filium eius[83] in sua suscipiens, affectu benignissimo nutrivit, multisque beneficiis indulgentissime remuneravit. Exinde Colonia pace repleta, pastoris sui iocundabatur in operibus, qui non solum diversis misericordiae deditus erat officiis, alens egentes, vestiens nudos, sed et aecclesiasticae religionis decus amplificavit, monasteria construens, ministrorum Dei necessaria procurans, et semper in perquirendis et honorandis sanctorum cineribus infatigabili satagens studio.

Psal. 34, 1. — Psal. 34, 8.

33. Huius[k] rei desiderio tempore quodam[84] Romam ingressus est, Romanorum archicancellarius, suae devotioni pariter et aecclesiae consulturus utilitatibus. Ad quod negocium non parvo inibi tempore insumpto, apostolicae benedictionis impetrato commeatu, se cum suis ad regrediendum ocius absolvit. In quo positus itinere precibus exegit ab Adelheida tunc Alpium Cottiarum marchionissa[85], quatenus Thebeae legionis reliquias eius auctoritatis iussu mereretur ab Agaunensibus; suae quippe ditioni locus cedebat. Quo perveniens licet splendide ac populariter, ut non solum archiepiscopum Coloniensium sed et archicancellarium totius Italiae decebat, exciperetur, consilio tamen et prudentia magis quam potestate sibi censuit illic agendum. Proinde donis et promissionibus ad voluntatem suam flexum habens sacrarum aedium custodem, remotis aliarum personarum impedimentis, in secreto noctis paucis suorum admissis aecclesiam ingressus est, ubi sacratissimum beati martyris Innocentii corpus una cum capite sancti Vitalis reve-

a) ced. m. eccles. limine 1. b) litanias 2. c) XXXV 1. d) repetiit 2. e) irretijt 2. f) cupiditatis 2. g) spectaculum 2. h) magistri 2. i) implens 2. k) *abhinc desiderantur capita in* 2.

81) Cochheim. 82) Matth. 5, 44. 83) Heinricum. Cf. Crollius p. 69. 84) Anno Romam iter fecit 1064; cf. Lambert. et 1068. Triumph. S. Remacli I, 22. Vide etiam Ann. Altahenses ed. Giesebrecht p. 104. 110. 85) socrus Heinrici IV, uxor Ottonis Sabaudiae comitis.

renter extulit, et tam sui voti prosperitate quam etiam suspicione alicuius in populo perturbationis actus, profectionem maturius imperavit. Christo igitur viae praeduce, post emensum peregrinationis suae pelagus, moenia Sigeburgensis coenobii contingens, sanctarum reliquiarum thesaurum auro preciosiorem cum[a] magno populorum tripudio qui eo die confluxerant, illuc intulit 4. Idus Mai, quae dies dominicae ascensionis tunc gaudiis illustrabatur, ab incarnatione Domini post 1069[um] anno septuagesimo vertente, fratribus cunctis et de patrocinio coelitus collato et de praesentia diu desiderati patris pio gaudio sollempniter sese agentibus.

34. Hoc rumore Colonienses quoque tacti, frequentia magna cleri simulque plebis eum civitatem sanctam post haec ingredientem susceperunt. At ille, ne quas[b] ex Italiae divitiis ope sadvexerat suae sedis concivibus minus communicasset, elegantis artificii capellam templo sancti Georgii contiguam instruxit, reponens in ea quod a Roma detulerat dignum veneratione martyris Caesarii brachium. Quam ut apostolici nominis dignitas celebriorem redderet, in honorem sancti Iacobi sacraturus eam venerabilis pontifex cum populo processit, et ecce, vorax incendium, eo iam ut mos exigit infulato, repente civitatem versus orientem invasit minaciter. Tunc turbis ad eius extinctionem sese certatim subtrahentibus, et episcopum vix paucis ex tam immani quae confluxerat multitudine septum relinquentibus, ille tanti moestus impedimenti, cum caput infra manus reclinans paululum resedisset, quasi responso divinitus accepto: *Non*, inquit, *suae virtutis vim ignis, qui fraude maliciosi serpentis emersit, in periculum aliquod huius urbis hodie operabitur*[c]*; tantum plebs ex hoc secura redeat, ut in consecratione filiae matris nostrae, sanctae scilicet aecclesiae, bene placitum Domino ministerii nostri persolvamus obsequium.* Protinus reverso populo, flamma nihilominus emoriens defecit. Itaque iuxta ritum institutionis aecclesiasticae cunctis in dedicando sacerdotem prosequentibus alacriter, ubi tempus expetiit eminentioris loci petens apicem, mellifluis et compunctione plenis exhortationibus circumstantes alloqui coepit, cum repente per insidias invidiosi hostis edax denuo consurgens ignis turbationem non minimam sacri verbi auditoribus incussit. Quos forti commonitione ne loco moverentur retinens episcopus, omnibus in periculis primum asseruit esse praesidium, laudibus Christi nullum praeponere periculum, ipsos oculis inspicere, si tantum stare deliberassent, quam velox nemine obsistente furentis incendii fieret interitus. Adhuc eo talia prosequente, cum nonnullis extra facientibus caeteri verbi Dei reverentiam habentes gradum fixissent, aspicientibus cunctis velut inundatione desuper fusa in momento totus oppressus est ignis, et ad maiorem Christi gloriam, regnante non minimum super eos incendio, quos ardor avariciae non passus est in audiendo sacerdotem perdurare, hi qui verbis eius assensi fuerant, ne levis quidem scintillae vestigium in omni suppellectili sua repererunt. Unde materiam dicendi sumens episcopus in longum protraxit sermonem, multa de daemonum insidiis, multa de Dei clementia disserens; finem, non inicia in christianis quaeri, caeterum coepisse bonum nec perfecisse, non modo nulli mercedi sed et suppliciis obnoxium affirmans, postremo in extollendis sanctorum laudibus immorans, hoc relatione dignum cunctis suspirantibus annexuit:

35. *In urbe Roma vir quidam Andreas nomine non opere, divitiis et vitae deliciis affluens, laxae conversationis amplam terebat viam, animam oneri, corpus habens voluptati*[86]*, cui praeter nomen christianitatis et emortuam fidem christianae religionis nil inesse videbatur, excepto quod beato Caesario martyri devotus, aecclesiam eius cum caereis frequentare solebat. Hic generali mortis conditione praeventus, sero sui poenitens ultimum efflavit spiritum. Nec mora, corpus feretro compositum flentium et plangentium amicorum tristi ambiebatur obsequio, sepulturam eius ob quaedam impedimenta in diem alterum differentium. Itaque protractis ad medium noctis excubiis, alto silentio cunctis altoque stupore perfusis, repente feretrum moveri coepit, elevansque caput qui iacebat exanimis, cum undique circumspiciens ampliorem videntibus terrorem incussisset, fugae praesidium nonnullis arripientibus, omnibus vero pariter mente consternatis, in feretro resedit. Interim prudentiores fiduciam paululum resumentes, a longe quibusdam subsistentibus, propius accesserunt, et intuito diligenter homine, quid rei contigisset sciscitati sunt, utrum fantasiis diaboli luderentur, an insueta mortalibus lege ab inferis redivivus emersisset, vel, quod magis erat in suspicione, languoris immanitate pro mortuo habitus, oculos tantum intuentium*[d] *fefellisset, caeterum vitam plene non amisisset. Ad haec ille graviter suspirans: „Non, inquit, simulatae sed verae mortis incidi sortem; at vero perpetuae mortis sententiam et in anima et in corpore proh dolor! luerem, si Caesarii martyris Deo digna non intercessisset supplicatio.“ Subiungensque secundum tenorem interrogantium, ubi fuisset, quid vidisset, et qualiter rediisset, exposuit dicens: „E corpore violenter eiectus ad terribile nimisque pavendum Christi solium ducebar. Ibi circumstantibus cum tremore millibus angelorum, ego miserrimus conscientiae reus nec oculos in quemquam illorum supplex attollere praesumebam, solummodo districti iudicis tristem sententiam accipiens, a teterrimis et horrore plenis daemonibus ad aeternae dampnationis loca trahebar absque misericordia.“ Pectusque feriens ac nimis flebiliter ingemiscens: „Illius, inquit, horae miseria nullis digne exponenda verbis mei cordis memoria numquam elabitur. Cumque me flentem procacissimi daemones cachinnantes, meisque casibus insultantes ad perditionem atrociter impellerent, preciosus martyr Caesarius meis calamitatibus pie commotus, cum favore sanctae Dei genitricis Mariae sanctorumque apostolorum et martyrum procidit ante Dominum, vulnerum suorum stigmata demonstrans et dicens: „O clementissime domine, tremendi nominis tui causa haec quondam libenter excepi, nec erat in his perferendis, licet caro gemeret, ulla reluctatio mentis, dummodo temporalium tormentorum asperitate corpus semel enecatum, nullis deinceps tristiciae stimulis vel animam vel*

a) *deest* 2. b) quae 2. c) operabit 1. d) viventium 2.

86) Sallust. Catilina 2.

corpus[a] *te praeside afficeret. Quid itaque te qui pius es inspiciente novis doloribus in corde denuo premor? Ecce, qui meo credulus patrocinio vitam suam mihi commisit ex integro, praeceps impellitur ad inferos, iamque merito stulticiae arguitur, qui vana spe seductus me coluerit ut vitae suae gubernatorem, quem in levigandis saltem suppliciis habere non possit intercessorem.“ In his vocibus eo coram Christo rege iacente, piissima Dei genitrix*[b] *Maria cum reliquis sanctis se adiungens, filium et dominum suum ad voluntatem martyris sui flexit, per cuius imperium pessimis daemonibus ereptus, iam veniae securus et vitae, corpus ad hoc reinduere iussus sum, ut his cognitis unusquisque suae salutis sollicitior reddatur. Haec homine perorante, cum astantes stupor invaderet, collegit se super feretrum et obiit.* Tali conclusione rem doctor egregius finiens, omnes suspiriis et compunctione quod audierant commendantes mox allocutus est: *At vos, fratres, vosque, sorores, huius considerationem facti cordium vestrorum secretis admittentes, ad quemcumque devotionis et servitii cultum vos ipsos sanctis Dei offerte, quatenus ultimae tribulationis*[c] *angustiis artati*[d]*, quemlibet sanctorum tanto laetior quisque vestrum illic patronum experiatur, quanto devotior hic in eius vixit obsequio.* His ita dictis ab eo nos — ob id quod paulo ante praelibavimus docuisse, scilicet[d*] omnibus in periculis primum esse praesidium laudibus Christi nullum praeponere periculum — memorabile quid ipsius ore celebratum subicimus, unde possit astrui, quod eum proposuisse[86] non falso testati sumus.

36. Antiquae structurae monasterium titulo sanctae Ceciliae virginis et martyris Coloniae frequens habetur, in quo sacrarum feminarum exemplo puellaris innocentiae vel aetatis infans quaedam dulcissimo nutriebatur affectu, omnibus et praecipue matri congregationis unice cara. Verum immatura superveniens mors tam laeta principia simplicis et iocundae indolis amarissima sorte turbavit, iacebatque iam omnium[e] oculis ponderosa, quae fuerat ante gratiosissima[f]. Lugenda sane conditio nostra, quae non solum nos in nobis ipsis ultimae desperationis inevitabilem necessitatem cogit pati, sed et in amissione carorum cotidiana proh dolor! strage mortificat. Sic omnes homines cotidie patimur, sic et tunc praedictae sorores passae, puellam in extremo spiritu constitutam quantocius amissurae, post vespertinales ymnos hora completorii iam[g] instante chorum petierunt, ut sua Domino redderent, moestae de suis. Necdum vero primorum modulatio psalmorum inchoatione sequentium plene perfecta est, cum subito tactu signi notissimi sorores ad egressionem animae migrantis evocatae, non sine magnae praevaricationis audacia singulae chorum relinquentes, divinae laudis opere neglecto, ad morientem, quasi suffragium magis autem periculum ex hoc allaturae, concurrebant. Ad quarum introitum oculos mortis sopore clausos puella violenter aperiens, impetu magno quasi nil adversi passa prosiliit e lecto, cursu petens abbatissam, et apprehensa tegminis eius parte cum stridore dentium ac totius corporis tremore se tenaciter involvit, clamans et dicens: *Fer praesidium, domina mi, fer praesidium.* At cunctis insolitae rei novitate non minus quam clamoribus puellae more feminarum cum emissione confusae vocis angustiatis, mater tremebunda perquisivit: *Filia, quid est?* Illa respondit: *Monstruosorum daemonum ingens et horrenda multitudo sororibus fores ingredientibus nihilominus irrumpens, ad inferos me secum abducere minatur.* Cumque causam huius mali mater infusa lacrimis sciscitaretur: *Nullis*, inquit, *aliis exigentibus culpis id patior, nisi quod propter me detrimentum servitii sui Christus habet, cuius laudes, si mihi sorores aliquid conferre vellent, oportebat prius debito fine concludi.* Protinus ad imperium matris cunctae sorores ad monasterium regressae, tanto devotius tantoque obnixius divinis laudibus coeperunt insistere, quanto manifestius intellexerunt in earum neglectu et puellam periclitatam, et se non contempnendae transgressionis offensam incurrisse. Quibus cubiculi limen excedentibus, puella lectulum[h] repetens ibi se stravit, et sororibus ad psallendum Deo chorum tenentibus[i], ipsa nullius horroris gestus habens, paulatim, sicut morientes assolent, deficiens mortua est.

37. Sed ut ad priora redeamus, Anno beatissimus in terris excolens quibus in coelis associari nisibus totis festinabat, Coloniensem urbem, diu fraudatam corpore martyris et episcopi sui Agilolfi, membrorum eius restitutione laetificavit, quae Malmundariensibus praeripiens, in monasterium suum quod est ad Gradus cum magna civitatis exultantis ambitione transtulit[87]. Inter haec et duorum Ewaldorum preciosa corpora, revelatione eorundem martyrum instructus, de tumulis sublevavit, quos olim in Saxonia passos Renus[k] amne refluo Coloniam sepeliendos advexerat[88].

38. Restat nunc commemorare qualiter corpus beatissimi martyris et sacerdotis Benigni temporibus eius ad perpetuam Sigebergensium gloriam et salutem vel inventum sit vel translatum. In Suevia, loco qui dicitur cella sancti Viti, quidam Alamannorum atque Burgundionum dux olim aecclesiam instituens, suis eam hereditariis bonis ad sustentationem monachorum illic Deo militantium abundare fecit. Qui devotione pariter et fide comitatus cum sanctarum reliquiarum studio Divionem venisset, inde rediens corpus Deo dilectissimi martyris Benigni secum exportavit, qui divinitus ab Oriente Galliis destinatus, post multos agones tandem sub Aureliano caesare lancea militis percussus, in specie niveae columbae caelos penetravit. Tres quoque geminos fratres Speusippum, Eleusippum et Meleusippum a praedicto martyre baptizatos et apud

a) carnem 2. b) genetrix 2. c) tribulationis *corr. loco* tribulationes 1. d) arctati 2. d*) cum *add. codd. falso.* e) omnibus 2. f) gratissima 2. g) *deest* 2. h) lectum 2. i) retinentibus 2. k) Rhenus 2.

86) Desideratur *haec* vel *talia.* 87) De hac translatione S. Agilolfi cf. Triumphus S. Remacli I, 2. 88) Lacomblet I, 142. exstat donationis praeceptum quod Anno scribi iussit S. Cuniberti monasterio, in quo Ewaldorum translationis facta est mentio ita: *Translatio vero praedicta est a. d. i.* 1074 *ind.* 11. 5. *Non. Oct.* Legitur ibidem Ewaldorum intercessione *multorum contra me impia consilia frustrata sunt.* De hoc diplomate vid. Act. SS. Oct. II, 199.

Lingonas egregie coronatos, una cum corpore sancti Mamerti, civitatis illius episcopi, dux idem concedente Christo emeruit, laetusque cum tanto coelestis patrocinii pignore fines Alamanniae reaccelerans, 5 aecclesiae quam construxit desiderabilem consignavit thesaurum, sanctis corporibus ob metum futurorum in sacrario cum attitulatione nominum terrae altius inmersis. Post multos annos omnibus generationis illius hinc sublatis, cum locus idem regali 10 coenobio quod Elewange nuncupant in proprietatem cessisset, et tantarum lucernarum fulgor incognitus mundo pulvere vilis sepulturae tegeretur, ordinante Deo, qui producit luciferum in tempore suo, cuiusdam operis intentione pavimentum sanctis 15 corporibus imminens a fossoribus apertum est. Proscindentibus autem illis humum eamque certatim egerentibus, ex improviso sanctarum reliquiarum sarcofaga discretis nominibus reperta sunt. Illic magni meriti martyr et sacerdos, vere meritis 20 et nomine Benignus ceteris nominatior, inventus ac sublevatus est, per idem tempus abbate Reingero[a. 89], qui beati Annonis consanguineus extitit, coenobium quod diximus amministrante. Proxime dehinc dominici natalis gaudia rex Babinberg celebravit[90], 25 ubi diversarum dignitatum conventu facto, nihilominus abbas memoratus advenerat. Propinquus ergo cum esset Annonis archiepiscopi, quasi congratulaturo Benignum — qui mittente sancto Policarpo[b], discipulo beati Iohannis euangelistae, venit ex Asia — 30 se testatus est invenisse, rapiensque pontifex nomen ipsum ex ore eius: *Benignum*, inquit, *te affirmas habere? hic meorum specialis intercessor est monachorum; hunc meis petitionibus oportet ut indulgeas, si te delectat ex hoc iam ullum dilectionis* 35 *meae beneficium.* Ille qui in exsolvendo non modicae quantitatis argento regi obnoxius erat, ad haec respondit: *Ecce, quatenus pecuniae quam debeo me cura releves, desideriis tuis, ut vis, satisfaciam, mittens tibi non alium sed eundem revera Benignum,* 40 *qui in Divionensi*[c] *castro sub Aureliano martyrium duxit.* Huic sponsioni praesul gratanter annuens, quippe qui nullas opes haberet, quas non libenter in huiusmodi commercium insumeret, cum sibi mutuo fidem dantes utrique recessissent ad propria, 45 post mensem et dimidium monachos preciosi corporis glebam ferentes Coloniae cum gaudio suscepit. Quibus fidem astruere nitentibus publicis sacramentis, quod non alius quam qui[d] rogabatur Benignus esset, non concessit, dicens in eius vene-50 ratione, de quo agebatur, hunc se indubitanter habiturum. Praemissoque[e] in Sigeberg huius laeticiae nuncio, ipse cum suis conscensis equis, comitantibus pariter ex Colonia non exiguae multitudinis viris et feminis, in ipso vespere dominicae noctis, quae ieiunii quadragesimalis[f] inicium erat, ad radices montis applicuit, et descendentibus ad eum debita cum reverentia processionibus fratrum, ossa sacra cum laudibus recepta sunt per noctem in aecclesia quae adiacet monti. Mane vero dominici diei, quod 13. Kal. Martii expectatione omnium 1073. illuxit, omni conventu sollempniter induto, diversis etiam ornamentis multisque luminaribus templo resplendente, sacer antistes ac sanctae memoriae Erpho abbas[91] pios humeros sanctarum reliquiarum 91 feretro subiciens[g], resonante populo signisque concrepantibus, cum magnae devotionis carmine praecedentium[h] monachorum, martyrem et sacerdotem suum Christo in odorem suavitatis ad altare praesentarunt. Inde sermonem ad populum habiturus altiora praesul conscendit, et totus prae gaudio lacrimis fluens, numquam sibi iocundiorem illuxisse diem testatus est; exponensque quis vel cuius meriti esset qui portabatur, quod Benignus appellaretur indicavit dicens: *Benignus*, inquit, *benivolus dicitur; et merito! Apertas enim aures ad omnium vestrum preces habet, et libentissime exaudiens, per se ipsum accedit ad Deum ad interpellandum pro vobis. Nunc igitur, dilectissimi, tanti patroni praesentiam habentes erigite corda, et singuli quid nobis expediat, illi suppliciter intimate. Mihi credite, si tantum fides non desit, quia Benignus est et nominatur, benignissime quodcumque petitis annuens accelerabit.* Annus dominicae incarnationis, quo haec translatio celebrata est, 1073us erat. Post haec duobus loculis novis altrinsecus post altare compositis, medio inter eos vacante loco, in dextro beatum Innocentium, in sinistro vero beatum Benignum pontifex collocavit, et laeticia perfusus, quasi ludens, ut plerumque solebat, loquebatur: *Erit ad libitum meum rei processus, si quandoque dignus altario, medius inter vos recipiar. Alioquin ex hoc*[i] *speranda vobis gratiarum actio profecto peribit*[k]. Quae vox, quamlibet leviter dicta, quo serio sit ab eis accepta, nos oculis fidei iam contemplamur, qui etsi corpore necdum viderimus, merito tamen credimus eum inter eos locum iam accepisse. De cuius vita vel operibus pauca pro numero, non ut debuimus sed ut potuimus, auxiliante Deo hoc fine terminantes, ocio interim indulgemus, ut his quae de virtutibus eius praedicantur elucidandis leviores assurgamus.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

CAPITULA LIBRI SECUNDI.

a) Regingero 2. b) Polycarpo 2. c) nsi *manu recentiori scriptum.* d) *deest* 2. e) quoque *add.* 2. f) qua-60 drigesimalis 2. g) subicientes *codd.* h) procedentium 2. i) me 2. k) non erit 2.

89) abbas Ellwangensis a. 1061—1076. 90) teste Lamberto ad a. 1073, qui narrat Annonem tunc rerum publicarum administratione se abdicasse. 91) Erpo abbas Sigebergensis occurrit in diplomate Heinrici IV d. 4. Oct. 1071. Lacomblet I, 138.

INCIPIT PRAEFATIO LIBRI SECUNDI.

Intentionem huius operis divinae laudis instinctu[a] prae manibus habens, fictis narrationibus incumbere vehementer et ipse detestor, quandoquidem unde mihi spes est aliquantulum exhauriendi peccata, inde gravior accederet iniquitas, si praeter quam veritas est vel a me verum aestimatur aliquid, impudenter expromerem. Deus enim nostro mendacio non eget, nihilominus et is, quem hoc opere mundo declarare maluimus, ad hoc devotionis nostrae benivolentia non delectatur, ut falsis laudibus per nos coleretur, qui veris, etiam nobis tacentibus, quousque mundus volvitur, semper adornabitur. Haec diximus, ut conveniremus eos, qui iuxta voluntatem cordis sui sanctum virum metientes, non credunt eum huius meriti per quem talia qualia dicuntur possent fieri, quippe quibus in signum contradictionis et ipse salvator positus est. At nos scientes sanctitatem hominis Dei, nec potentiae Christi quicquam detrahentes, ad ea quae vel auditu vel scripto probabilia de eo reperimus in signis seu revelationibus, vel his quae prophetice praelocutus est Spiritus sancti gratia sensum et linguam regente, ob posterorum noticiam hoc exordio colligenda accedamus.

1. In coenobio suo quod in monte situm est fratrum[b] aliquis molestia quadam superveniente in[c] infirmitatem aliquando incidit, nec ullum occurrebat remedium, unde spes esset meliorationis aegroto. Quod cum auribus viri Dei qui tunc praesens aderat insonuisset, cursorem velocissimum cum mandatis Coloniam direxit, ut brachium sancti martyris Georgii sibi quam celerrime mitteretur, asserens in hoc aegroto certissime subveniendum, si liquorem, quo perfunderetur os sacratissimum, fide plenus in potum sumpsisset languidus. Cumque secundum quod iusserat brachium in capsula delatum sibi praesentaretur, clavem[d] ad reserandum petiit, tuncque primum reminiscens nuncius, hanc se nemine mentionem eius habente Coloniae reliquisse, conquestus est. Pontifex vero dum, quasi temptans aperire, duobus digitulis seram leviter concussisset, testantibus nobis qui aderant, ad primam digitorum eius appulsionem resiliente repagulo sonitus tinniens, ut ex violentis clavibus fieri solet, exortus est, in tantum ut praesentium aures acutissime feriens, stuporem non minimum eis ingereret, cernentibus hominem Dei clavis officium absque clave in apertione capsulae paratissime peregisse.

2. Hunc quidam oculorum lumine destitutus in sacrario beati Petri die quadam suppliciter interpellans, cum ad eius vestigia[e] spe cuiuscumque consolationis se industrie inclinasset, a parte lateris sancti viri vestem manu colligens, uno dumtaxat ex officialibus episcopi rem considerante, oculorum loca fideliter defricavit, et mox extersa caligine, quantum fides valeat, in exortu novae lucis, se non ferens ipse prae gaudio et admiratione, saluberiter expertus est. Quaesitor ergo stipis exiguae nullis terrenis preciis adaequandas divitias in restitutione luminum adeptus, dissimulans quod acciderat, ad accipiendum quodlibet elemosinae munusculum de caetero pietatem episcopi nec inclamavit nec expectavit, sed recedens, uti meminimus, facti cognitionem uni ministrorum eius dereliquit. Is ad mensam pontifice cum non parva virorum frequentia recumbente pariter recumbens, sciscitante illo qua coecus idem haberetur, respondit, cum impetrato quod optaverat ilico recessisse. Quid hoc esset viro Dei ut ediceret impetrante: *Satis,* inquit, *et ultra consuetam mortalibus largitatem homini revera contulistis; nam ad vestrae sanctitatis genua coecus proruit, inde surgens abscessit videns. Quid hoc munere praestantius? Merito magnus tanti largitor doni, merito beatus et ad ista munera vocatus, qui profecto, tametsi concessis non similia petere videretur, ad promerenda sola quae et accepit fidei gressus creditur attulisse, cum post acceptos oculos aliud quid accipere non quaesivit.* Expalluit ad ista sacerdos, et totus subito exanguis effectus, evidens ex se praesentibus indicium dedit, quam invitus haec audiens, existimationis huius in populo libenter aura careret, imitator etenim eius qui potentialiter signa faciens, quibusdam haec occultandi praeceptum imposuit, quod cum in quem peccati necessitas cadere non potuit fecisse non ignorabat, multo magis sibi faciendum necessario censebat,

a) intuitu 2. b) frater 1. c) *deest* 2. d) clavim 1. e) quasi *add.* 2.

qui purus homo tanto proclivior esset ad ruinam, quanto contra hoc quod Deus et homo suasit exemplo, ipse improvidus aliquando vel leviter peccasset in animo. Hinc accidit, ut quamvis divinae gratiae donum expertus, non adeo tamen infirmitatis suae mensuram in his rebus transgrederetur, sed et si quid horum forte eo nescio vel occasione magnae necessitatis contigisset, modis omnibus id humanis auribus subtrahere quantum in ipso fuit non negligebat. Quae res et materiam nobis hanc rariorem effecit, et invidis eam obloquendi fomitem praestitit, quasi qui[a] de mortuo finxerimus, quae de vivo nec in suspicione versabantur; sed hoc ideo, quia secundum viri saecularis sententiam[92] quae sibi quisque facilia factu putat aequo animo accipit, supra ea veluti ficta pro falsis ducit. Non tamen his territi ab reliquis aliquatenus temperabimus[b].

3. Venerabilis pontifex die quadam missarum sollempnia celebraturus, criptam Sigebergensis aecclesiae ministris prosequentibus adire coepit. Et hic[c] homo luminis aeque carens officio, suis votis oportunum tempus et locum ratus, eius conspectibus se suppliciter adhibuit, fidem ex visione se collegisse testatus, quod ea qua dampnatus erat caecitate liberari posset, si quam usui manuum suarum exhibitam proiecisset aquam, hanc dumtaxat ipse mereretur, unde male vacantes humidos redderet orbes. Non haec aequanimiter humilitatis custos accipiens, magis praesentium existimationem veritus quam divinae bonitati diffisus, hominem asperrima abiecit invectione, fallacem eum et impostorem causatus, qui respectu parvissimae stipis odiosae fraudulentiae quae necat animam se subdidisset; revera fictae visionis eum ex corde suo verba protulisse, cum, si quid de beneficio divinae miserationis eius miseria exegisset, potius hoc illis patrocinantibus agendum foret, quorum probata sanctitas omni mundo iam olim enituisset, non eius qui cotidianis sordens piaculis, futurae discussionis metu et ipse pro quolibet reperiendo suffragio anxius staret. Sic pauperem confusione plenum ad ianuas linquens, criptam[d] intravit. A cuius facie miser declinans in angulum criptae[d] sese contulit, supernae pietatis aures crebris feriens precibus, non incredulus visioni suae, nec minus fidem arrogans[d*] euangelicis dictis[93]: *Omnis qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur.* Diu itaque gemitus et suspiria suppliciter eo[e] trahente, quidam ministrantium clericorum, haec ipsa postea testatus, miserationis intuitu pelvim cum aqua desideranti clam porrexit, quam, a manibus sacerdotis ad sacrificium accedentis suscipiens, non sine divinae voluntatis instinctu pro hoc ipso reservaverat. Qua mox faciem totam coecus fideliter abluens, expectationis suae moras iam amplius nulli conquestus est, qui fugatis tenebris serenissimae lucis diem sibi tunc primum illuxisse magnis plausibus exultavit. Aestimans praeterea mentis acrimoniam in episcopo tandem leniendam, si is qui coecus ante iam videns eius praesentiae redderetur, post missas exeunti quasi congratulaturo prosternitur, voces gratiarum congeminans, et celeritatem salutis impensae palam et ut erat ab inicio recitans. Ad quae verba praesul quasi toto iam felle commotus, quod ratione minime convincere quibat, saltim procatiori inflammati pectoris impetu circumstantibus ingratum efficere nisus est, frequenti iteratione minaciter inquirens: *Unde praesumptionis huius vanissimus attemptator emersit, qui reverentiam auctoritatis nostrae vilipendens, huic iniussus aquam illam amministravit, et quid vel ego nil hac in re habens mererer, vel divina dignatio concedere vellet, ausu improbissimo exprobrare*[f] *veritus non est, cum lex dicat: „Non temptabis dominum Deum tuum?“* (Matth. 4, 7.) Tremefactus his inquisitionibus clericus comminus stans, quod dissimulare non poterat se simpliciter egisse, verbis utcumque collectis satisfecit, simul et veniam admissi non segniter petens. Cui pontifex alapam leviter[g] dans: *Huius*, inquit, *me rumoris per populum disseminare vis, ut levitate vulgari novorum mirabilium amministrator passim celebrer, et instar antiquorum patrum, ego quoque meis temporibus longe meritis infra iacens, operum eorum specimen in signis et prodigiis mundo repraesentasse dicar? Hac me vanae laudis aura transitorie*[h] *tumens inter eos novissime reperiar, quibus ad Deum dicentibus: „Nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus,“ respondebitur: „Nescio vos, discedite a me, operarii iniquitatis?“* (Matth. 7, 22.) *Tremenda sane comminatio, nec secundum multitudinem doloris illius haec consolatio temporalis. Idcirco te, vosque praesentes omnes, et te quam maxime, non nostris sed divinis illuminatum beneficiis, invocatione cuncta cernentis semel et secundo itemque obtestor, ne, me mortalitatis huius tenebris adhuc circumdato, res haec alienis auribus aliquod sui vestigium vobis prodentibus umquam generet.* Factum est hoc, et quod interim silentio tectum latuit, episcopo claustra carnis egresso, relatione clerici memorati tam nobis quam et aliorum fidelium cordibus commendatum est.

4. Sed[i] et mulier egestate pariter et coecitate divinis obnoxia flagellis, per revelationem directis ad idem coenobium gressibus, procedenti post missas ab aecclesia summo sacerdoti prona advolvitur, supplex et gemebunda. Qui suspenso gradu, sicut semper infirmiori sexui solebat, et huic pie con- (93) descendens, blandis appellationibus causas querimoniarum eius percunctatus est. Illa respondente se praemonitam in visu, nec quolibet dubietatis scrupulo teneri, si suae dignationis manus oculos eius lavando contrectaret, tenebras pellendas, propter astantes se commotum simulans, ut custodiae traderetur mox impetravit, in suspicione relinquens verbera quidem se ei multiplicaturum, alias autem ostentationem fugiens curam in secretis adhibiturus. Cumque sedens ad mensam prandium inisset, lautiora quaeque ciborum ex suis manibus ad refectionem eius transmisit, eamque finitis epulis in cubiculum suum latenter iussit adduci. Quo intrans duobus clericis et uno dumtaxat puero cubiculari,

a) quid 2. b) devocabimur 2. c) hic homo quidam l. o. c. suis 3. d) cryt. 2. d*) arr. f. 2. e) illo 2. f) explorare 3. g) l. a. 3. h) transitoriae 2. i) *desunt capita* 4—11 *in* 3.

92) Sallust. Catil. 3. 93) Matth. 7, 8.

arbitris caeteris hac et illac defluxis, non ut illa petierat oculos eius tamquam praesumptor miraculi, sed humilis magistri et domini exemplo poplite flexo pedes eius lavit, manibus aquam infudit, post haec et alimentorum copiam amministrans, nimirum per hanc humilitatis viam et sibi et mulieri plus apud Deum profuturus. Nec haesitandum inter haec pietatis et abiectionis officia eum in superna animum levasse, et opem coelestis medici pro ea implorasse. Nam residens obsequio peracto, velut qui responsum orationis admissae coelitus meruerit, monuit eam benedictionis oblatae perparum degustare. Quae ubi vix huiuscemodi edulio palatum imbuisset, coeleste sensit antidotum, et restitutis plene luminibus, cum inmensis gratiar umactionibus humi prostrata, Deum in servo suo Annone suppliciter venerata est. Tum oculis eius experimenti gratia haec vel illa proponebantur. Postquam vero absolutissime singula discrevisse visa est, quinque solidos ei pro elemosina vir beatus impendens, ut sibi non caram harum rerum opinionem de se circumferre postponeret, obtestatus est, attamen minus ei credulus. Abeuntem ad propria, donec villa digrederetur, ab uno clerico comite deducendam disposuit.

5. Inter haec adolescens, unus vicinorum locorum indigena, toto ventre deformiter intumescens, sibi suisque factus erat inutilis. Hic meritis beati Annonis ex fama cognitis vehiculo ductus, montem in quo Deo placitum est habitare conscendit, praesentiam eius adiit, aliquod tanti doloris remedium miserabiliter quaesivit, quod, et si lingua cessaret, ipsa foeditas et miseria hominis oculis obiecta facile extorsisset. Exhorruit languoris immanitatatem pontifex sanctus, iuvenemque miseratus, aquam benedixit, ex ipsa moribundum potavit[a] et aspersit, inde crucis signo ventri impresso eum ad propria celeriter remeare iussit, spem integerrimae sanitatis abeunti cum fiducia promittens, eius usus exemplo, qui leprosos mundaturus ad sacerdotes eos direxit. Siquidem in ipsa quae iam imminebat nocte humor ille subcutaneus, in perniciem longo tempore male congestus, fluxu ventris salubriter ad plenum est egestus, homoque pristinae sanitati restitutus, proxima luce pedibus suis ad montem recucurrit, Deo suoque[b] servo Annoni gratiarum voces in magnis laeticiae laudibus persolvens.

6. Exigentibus aliquando negociis publicae amministrationis sua cuique principum regni parabatur in Saxoniam profectio, tendentibus singulis ad curiam sub ipsis diebus Goslariae regaliter habitam. Necessario summus hic Coloniensium praesul idem carpebat iter. Mansiones autem prout oportunitas viae poscebat diversas habens, ex itineris et horae declivioris necessitate quadam die Corbeiense monasterium adiit, illic pernoctaturus. Necdum vero moenibus ipsis successerat, tantum proximus habebatur, et ecce, conspicit ex adverso duos pauperes carrum vice iumentorum trahentes, in quo mulier infirma totis membris debilis decumbens, causa stipis emendicandae[c] hoc ductu circumquaque ferebatur. Haec famosi nominis antistitem Coloniensem transire comperiens, elevata voce petiit, ut in Christi nomine respectu sancti Viti martyris suis succurreret aerumnis, datis subsidiis ad coemptionem asini, quo subvecta conviatorum suorum iniurioso labori consulere posset. Piissimus sacerdos ad vocem eius retentis habenis quinque solidos uni clericorum et camerario tradidit, mandans, ut dilatione prorsus remota dignum tantis preciis animal quovis[d] inventum mulieri sub festinatione adduxissent, dictoque finito quod supererat viae celeriter percucurrit. Porro ministris ad imperata satagentibus, asinus tandem votis eorum aptus obvenit, quem et pauperculae praesentantes, miraculi sequentis testes postmodum extiterunt. Nam illa cum in gratiarum vocibus iumentum suscipiens, nomen Annonis Deo digni pontificis ore frequentaret, mercedem illi pro beneficiis imprecans, nullius ante roboris, subito conquiescentibus dolorum stimulis, tantae se sensit fortitudinis, ut prosiliens ad terram solidis gressibus sanissima quomodo vellet uteretur. Hanc currentem vocesque dantem exultationis, sed et obviis quibusque exponentem, haec se meritis et pietate Annonis episcopi percepisse, idem memorati duo stupentes concitatis equis post vestigia sociorum dominum suum Corbeiam prosecuti sunt. Sed certi commotionis eius et indignationis in talium rerum semper obiectu, nullis ausibus eo ducti sunt, ut ex his quicquam eius auribus intimassent, cum tamen eis interdum mutuo de his colloquentibus aperte claruerit et eum haec ipsa non ignorare; et merito. Ex illis[e] enim maximis aecclesiae luminaribus erat, quibus per Spiritum datur vel sermo sapientiae, vel gratia sanitatum, vel operatio virtutum, sive prophetia vel aliud quid coelestium carismatum, quae singula singulis dividens Spiritus sanctus prout vult, in hunc prope generaliter mirifice contulit. Quorum omnium mentionem locis suis pro viribus nostris exaratam lector habens, hic quomodo praescius futurorum per Spiritum nonnulla praedixerit, paucis relationibus accipiet, tametsi totum voluminis huius corpus idem sparsim loquatur.

7. Ergo sicut ad nos usque veris assertionibus propagatum est, omni veneratione plenus Anno beatissimus cum in Goslaria, villa scilicet regia, publicis maiorum regni conventibus interesset, quidam ex latere regis clericus Hildolfus[94] nomine familiaritatis intuitu petiit, ut codicem sacramentorum qui vulgo missalis dicitur, quem pontifex non parvi decoris habuerat, suis concederet petitionibus. Et praesul: *Hac, inquit, interim postulatione carebis, donec iuri tuo conferatur omne ministerium, quod capellulae meae claustris debetur.*

8. Nec minori reverentia suscipiendum reor, quod in gradibus qui Coloniae insignis habentur una die residens, venerabili viro Bennone[f] Osnabruggensis[g] aecclesiae[95] praesule pariter considente, de archidecano suo Sigewino comminus veniente dixisse fertur[96]: *Ecce vere Israhelita in quo dolus non est.* Quod ex ore tanti viri non leviter erupisse praedictus episcopus reputans, ausu dilectionis et amiciciae imminebat, ut vim prolati sermonis eius

a) notavit 2. b) eiusque 2. c) mendicandae 2. d) quodvis 2. e) ipsis 2. f) Annone 2. g) Osenbruggensis 2.

94) Goslariensis canonicus, Annonis successor. 95) 1067 Bennoni I. successit Benno II. 96) Ioh. 1, 47.

participaret noticiae. Quem ille respiciens, primo qua super eum existimatione moveretur, inquisivit, ac denuo subiunxit: *Hunc profecto noveris in sede Coloniensium meo iure quandoque recipiendum.* Cum et hoc sicut et prius humano sensu dictum crederetur, ob id quoque negligentia quadam praeteriretur, ipso tenebras has egresso successit in cathedram eius primus Hildolfus, secundus Sigewinus[97], quorum testimonio sanctissimus praedecessor eorum veras in eos[a] intendisse sententias agnitus est.

9. At vero quibus exemplar epistolae prae manibus est, quam olim dilectionis indicem Egilberto magistro suo direxerat, eo tempore quo Mindonensi praeficiendus aecclesiae annulum et insignia reliqua rege transmittente susceperat, in hanc facile fidem adducentur, ne dubitent eum in multis futurorum scientia calluisse[b]. Nam finem scriptorum faciens, in haec ultima verba dilapsus[c] est: *Et tu me terrae commendes.* Hoc Egilbertus legens sed invitus accipiens, cum post tempus ambo convenissent, in medium litterarum ordinem exponens, quam eorum conclusioni fidem deberet, se sine difficultate dixit invenire non posse: *Maxime*, inquiens, *cum progressior aetas, vires mihi iam denegans, hoc quod posuisti me a te sperare cogat.* Ad haec Anno beatissimus: *Minime*, inquit; *verbis enim tuis rei finis te superstite refragabitur; et quod tibi littera sonuit, viva vox denuo confirmat: Tu me terrae commendes.*

10. Hunc Iudae proditoris exemplo de ministris eius nonnulli, quos affectuosissimis ad omnem libitum eorum excoluerat beneficiis, redibitione malorum pro bonis nequiter afficientes, ex toto recesserunt ab eo. Horum unus, hodieque cum haec scribuntur solis huius particeps, in eius contemptum vehementius insaniens, quasi liber nec ullis cuiquam obnoxius servitiis, ab illo prope milliario remotus contumaciter sedebat, fretus firmitate munitionis suae, quam pridem sacer praesul eidem temerario pii patris indulgentia construxerat. Quam eius praesumptionem multis indigne accipientibus, die quadam cum processisset ab aecclesia Christi sacerdos, in partes unde huius mali superbia sese erexerat oculorum aciem direxit, movensque caput ita locutus est: *En ille meus, ut sibi iam videtur dominus, regaliter tumens suis securus fovetur tectis, nec ulla futurorum formidine compungitur. Sed ego per illam quam in sancto Petro possideo confidentiam iuro, totum illud praesidium, quo nunc superbe gloriatur, non arietibus, non hasta, non clipeo brachiorum virilium, quin potius ab ignavis et nullius constantiae plebibus expugnabitur et destruetur.* Idem post haec animositate plenus, in necem unius ex Colonia militis devolutus est, unde concitati Colonienses ex agris et villis plebeia contracta manu munitiunculam illam circumdederunt, captamque subverterunt iuxta praesagium Annonis episcopi haec eadem praedicentis.

11. Quis autem huius infidelitatis invenietur, qui neget eum spiritu prophetico sermones quos subiungimus habuisse, cum opere completos in sequentibus audierit? Quos in Sigeberg ad fratres familiariter habitos, auctoritate narrantium inducti, nefas credimus subducere; cum quibus in hilaritate sedens quasi pater cum filiis, secretorum suorum conscios eos semper habebat, nec erat aliquod cordis eius archanum, quod non eis credidisset. Quae res secundum illud apostoli: *Caritas foras mittit timorem,* [1 Ioh. 4, 18.] audaciam[d] eis subministrabat et responsionis et cuiuscumque interrogationis. In hunc ergo modum quasi postpositis feriis frequenter eos allocutus est: *Symeon*[e] *ille nominatissimus, quo Treveris inclito gloriatur patrono, sed et Bardo sanctissimus, urbis Mogontiae*[f] *decus, revera sanctitatis suae meritum plurimis indiciis commendantes, omni quidem reverentia iure sunt colendi. Verum quia magni praedicantur et sunt, donariis amplis honorari satagunt, at mihi, meritis eorum non aeque consociando, post depositionem huius corporalis sarcinae non erit ingrata quantumlibet parvi xenii devotio, suscipiamque brevissimae cerae linique munusculum.* Ad quod eius dictum arridentibus qui consederant senioribus, et an etiam ipse post mortem signis crebrescere vellet insistentibus, cum magna fiducia respondit: *Voluntatis huius magnitudinem profecto verbis aperire non sufficio, tamen ne secretorum meorum aliquid vestris inquisitionibus negetur, huius me desiderii semper et esse sciatis et fuisse, quatinus in eorum oculis, qui me vitamque meam insecuntur, adhuc aliqua signa per me dignetur exhibere Christus, tum et pro sui nominis augenda gloria, tum et pro meo auferendo obproprio, dum illi placens apparuero, qui nunc in omnium reprehensione sum positus. Id vero signorum meorum inicium erit: ad litus Reni*[g] *fluminis flentium et plangentium humeris exanimis adductus, ante memoriam sanctae martyris Afrae luctuosis obsequiis in navim exponar, quae circumacta, nil ultra solitum agente remigum instantia, recto cursu contra sanctum Heribertum applicabitur, altiorem in ulterioribus quam in anterioribus ripis stationem habens. Vos autem, unici filii mei et fratres dilectissimi, cum me semper laetis gestibus susceperitis, audite, quo ordine mihi tunc occurratis. Pro cantu fletus incomparabiles offeretis, ad psalmos et ymnos ora aperientes, planctuum et singultuum voces potius emittetis, quotiensque, repressis cum virtute immanissimi doloris lacrimis, psallere temptaveritis, totiens in ipso conatu novis fletibus deficientes, imperfecta saltim verba vix exprimere sufficietis. Inter haec omnes et iuniores et provectiores circa feretrum meum cum eiulatu miserabili ruentes, horrorem et miseriam maximam non hominibus tantum sed et angelis ingeretis. Hic mihi sepeliendi*[h] *cultus a vobis exhibebitur, haec dilectionis vicissitudo, haec erunt exequiarum mearum insignia. Post haec membris terrae matri consignatis, vos operti tristicia tumulum relinquetis, ingredientur vero cuncti milites mei, vocesque cum gemitu dantes, orationis dominicae supplicem precem ob requiem meam singuli Deo fundent. Quibus recedentibus, universi servientes mei ianuas irrumpentes clamores et suspiria congeminabunt, et ipsi quoque simili modo Deo me commendantes, ad sua quique convertentur, vobis in tristicia et luctu perseverantibus. At ego praesentiae coelestis regis ex-*

a) eo 2. b) claruisse 2. c) digressus 2. d) ausum 2. e) Simeon 2. f) Moguntiae 2. g) Rheni 2. h) sepeliendo 2.

97) Hildolfi successor a. 1078 exeunte.

hibitus, primo quidem conspectu tremebundus nimiumque timidus astabo, sed accepta paululum fiducia, qua mox importunitate, qua scilicet precum instantia pro meis monachis agere contendam, vobis iam exprimere potero? Nec deerunt minae terroresque venenatarum linguarum, quibus tristicia super tristiciam vobis inducatur. Destructio loco vobisque dispersio praedicabitur, passim quisque, prout animo collibuerit, de loco, de rebus eius, et de vobis loquelas agitabit, quae cuncta daemonum instinctu fient, quatinus fervor studii vestri per hanc occasionem quoquomodo infirmetur. Nihil horum pertimescatis; patris vestri dictis fidem adhibete, cuncta vobis ad abundantiam et omne commodum amplius me mortuo quam vivo servient, ita dumtaxat si vos Domino servientes coeptae conversationis tramitem infatigabiliter curratis. Quod si subterfugientes regularis disciplinae iugum excusseritis, animumque levitati subiugantes iocos et ocia secuti fueritis, pigriciam et vitae delicias amaveritis, contentionibus, murmurationibus et detractioni operam detis, iam nunc scitote, quot homines estis me malle tot canes[a] *elemosinae meae devoratores existere.* Haec dicta beatissimi praesulis Annonis — equidem omnibus generaliter ammiranda, quia rerum veritate iam praecesserunt, specialiter autem nobis non minus metuenda quam amplectenda, quia nos potissimum respicit quicquid in eis vel dulce sonat vel amarum — ad hoc hic inserta sunt, ut sciatur gratia viri sancti in praescientia futurorum, et ne contempnenda videantur quae quasi leviter interdum dixisse perhibetur. Nam ut sciamus pondus et vim eorum, aliqua subiungenda sunt, ex quibus id ipsum adhuc probari possit.

12. Apud Mogontiam, Germaniae nobilissimam et populosam civitatem, magnam cuiusdam nominatae festivitatis celebritatem regni principibus et aecclesiarum praesulibus iussio regalis effecerat, qui diversis ex provinciis illic adunati curiae praesidebant. In eo conventu, sicut meritis intus sic et auctoritate foris, singulariter praeminens Anno, summus Coloniensium praesul, quadam die populorum frequentia densissime circumfusus, ad immolationem immortalium sacramentorum ex more stetit in atrio principalis aecclesiae prope tumulum sancti Bardonis archiepiscopi, eius nimirum sanctitate delectatus, quae[b] recentibus interim miraculis commendabatur. Cumque multam cordis contritionem habens totus lacrimis flueret — nam quotiens idem exequebatur ministerium, non ut alii[c] coactis sed sponte currentibus infundebatur lacrimis, ut crederes ex aliquo fonte venas vivas prosilire — mundissimis labiis orationes solitas complens, ab altari descendit. Cernens autem quendam toto corpore miserabiliter contractum adherere tumbae beati praesulis, isque quis esset non ignorans — fuerat enim mancipium a progenitoribus[d], super haec et elemosinarius ipsius, cuius cineribus ob custodiam assidebat — suo more usus contra sepulchrum stans loquebatur: *Ignotos et prope nullius tibi devotionis ope celerrima respicis, hunc vero tuis innitentem semper obsequiis, tui iuris famulum, te diligentem, te precibus assiduis inquietantem, tanta hactenus obstinatione contempnere potuisti? Si nos tuis meritis ascribere vis, quod in aliorum curationibus hic actum esse fama confirmat, in huius reparatione contracti nobis cernentibus declara tuae virtutis efficatiam.* Haec multis audientibus cum dixisset, nulla intercipiente mora aeger in pedes repente constitit, incolomitatem suam et alio memorabili signo comitante, quod absque fluore sanguinis, absque dolore nervorum integrae sospitati in momento redditus est. Quod factum Anno Dei servus mira laeticia suscipiens, magnoque praeconio nomen sancti[e] Bardonis extollens, ymnum *Te Deum laudamus* altae vocis modulatione inchoavit, tam populo quam clero pariter eadem devotione consonante, signisque sollempniter concrepantibus. Rumor totam mox civitatem pervolavit, aedes regias intravit; unum proceres, unum reliquae multitudines personabant, Annonis fide virtutem Bardonis emicuisse, meritis utrorumque sanitatem homini applausisse, quam[f] tamen, si lingua conticuisset Annonis, nec tunc quoque sanctitas annuisset Bardonis.

13. Non inferiora dicturi sumus. Sanctissimus vir multa devotione coelestes patronos excolens, speciali dilectione beatum Severinum, suae sedis antistitem, semper in ore, semper in corde tenebat, id habens studii[g], ut qui sibi dulcis et carus ex animo constabat, is et in veneratione non a suis[h] tantum sed ab exteris quoque populis haberetur. Qua fervens intentione, tempore quodam gratum sibi viae laborem cum suis assumpsit, ad illam opibus omnique probitate tunc insignem Babinbergensium civitatem, ut sui iuris domum, in qua puer olim nutriebatur, filiam matris aecclesiae constituens, eius eam nomini consecraret et honori. Hoc per oppidum cum innotuisset, die qua sperabatur ipsa dedicatio, tantis pluviis ab hora prima surgentis aurorae tota coeli facies obducta est, ut vehementiam imbrium nullius texturae operimentum arcere sufficeret. Cunctis itaque quibus animo erat accurrere tectis suis se tuentibus, pontifex a proposito suo violenter impeditus, tacitis precibus infra cubiculum cordis incubuit, quatinus imminens vel ad modicum interciperetur elementum, quantum in his negociis exigeret mora aecclesiastici instituti. Sed ultra mentis suae placitum hac prece nil proficiente, velut ex magna iam commotione vocem concipiens, ipsi beato Severino caritatis minas intulit dicens: *Si me tuis auxiliis in hac pellenda inundatione quam celerrime prosecutus non fueris, certe tantis irritatus contrarietatibus, ad tui nominis reverentiam aecclesiam prorsus refugio*[i] *consecrare.* Mira res; adhuc fragili carne pressus, sudabat in terris qui talia loquebatur, alter vero cui minae inferebantur unum cum Deo[k] fuerat effectus, cuncti terroris expers, aeternae autem[l] securitatis heres, et tamen ad motum eius qui videbatur inferior, quoniam et infirmior, expavit eminentior. Nam ut putaretur irato velle reconciliari, mox ut dictorum finem Anno fecit, conquieverunt venti, disparuerunt nubes, cessaverunt imbres, repentini solis radii roseo lumine micantes, oculos subitam aeris immu-

a) ethnicos 2. b) qui 2. c) plerique 2. d) a. p. m. 3. e) n. s. *desunt* 2. f) quia 2. g) st. h. 3. h) aliis 2. i) refugo 1. k) f. c. deo 3. l) a. 2.

tationem stupentes crebris ictibus reverberabant, et regnante serenissimi[a] diei luce, omnis qui vel devotione vel curiositate illectus[b] erat, cursu prosequebatur antistitem ad novae dedicationis gaudia procedentem. Igitur arridente votis suis serenitate coelitus praestita, cum exultatione universorum qui advenerant tanto laetius consummavit illam quam conceperat consecrationem, quanto liquidius intellexit in hoc se nutui deservire divino, quandoquidem testimoniis elementorum idem vellet et Severinus.

14. Post[c] haec omnia frustra quaeritur eius ori quam propinquus fuerit ipse Dominus, cuius oculi super iustos, cuius aures in preces eorum, qui prope est omnibus invocantibus eum in veritate. Non deerit tamen[d] huic inquisitioni documentum satis egregium. Astabat una die sacro circumdatus amictu conspectibus Omnipotentis ferens nostrae redemptionis singularem hostiam super altare, quod attitulatione sancti Michahelis praecipuum habetur in monte, qui nunc preciosi corporis eius gloria illustratur. Oculi cordis in illam coelestium secretorum speculationem intendebant, exteriores lacrimarum rivi[d*] emanabant, et cum visibilis rei substantiam manibus contrectaret, hunc fidei complexibus dulciter astringebat qui crucem pro nobis ascendit, ipsemet sacerdos, ipsemet et hostia, cui preces suppliciter fundens pro episcopis, pro regibus et omnibus in sublimitate positis, ac pro cunctis aecclesiae catholicae cultoribus eiusque pace, instanter laborabat. Foris silentium agebatur, sed magnos clamores interior homo dabat, qui coelos penetrantes ad summae maiestatis thronum admittebantur. Interea toto[e] sacramentorum ritu consummato, quod adhuc restabat, fractio panis fiebat. Pars in calicem mittebatur[f], residuum digitis sacerdos venerabiliter tenebat, in quod intendens ab inicio lacrimis replebatur, se protestatus indignum eius perceptione, quod nullus umquam sanctorum sine metu sumere praesumpsisset. Currebant lacrimae super lacrimas, crescebat gemitus, augebantur et suspiria, nihil aliud in corde, nihil in ore volvebatur praeter hoc solum[98]: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Nec vero quasi novae compunctionis tunc in eum subierant stimuli, cotidianus iste mos eius erat ad sacrificium stantis. Interim oratione longius protracta, imago demoniorum, una videlicet musca spurcissima, visu quoque nauseam generans, impetu super dominicum corpus ruit, ereptamque morsu particulam cum maximo dolore sacerdotis avolans exportavit. Cerneres eum subito colore mutato mortui similitudinem expressisse; horruit ausum animalis immundissimi, nec minus suimet pavidus, pro culpis augendis id sibi reputabat evenisse. Sed ex maxima tristicia maxima mox laeticia creata est, et unde credebatur satanas insultaturus, inde quam maxime confusus est ordinante clementia Salvatoris, ut quo esset ignobilius in creaturis, quod viro sancto tantum intulit luctum, eo gloriosius esset miraculum, per quod ad meritorum eius declarationem de eodem triumpharet. Siquidem venerabilis pontifex his angustiis ultra stili nostri facultatem graviter obstrictus, tandem cor et oculos in Deum fixit, nullis quidem indiciis rem alicui circumstantium prodens, auxilium vero non labiorum motu, sed animi contritione et humilitate lacrimarum ab Omnipotente instantissime flagitans. Quid multa? Omnis impuritatis amica, quasi violenter impulsa, praecipiti volatu rediit, murmure suo et sibilo quodammodo vim quam patiebatur aperiens, illudque quod raptu nefandissimo fragmen[g] sustulerat, in oculis sacerdotis patenae[h] restituit. Inde se velut avolatura levans, seorsum super altare ruit exanimis, dignam tanti flagitii poenam luens. Tum vero moeror, qui pectus sancti viri sauciaverat, totus in gaudium versus est, nec puto quemquam huius facundiae, qui plene possit exprimere illas gratiarum voces illudque divinae laudis iubilum, quod omnia personabant interiora, tantam Domini pietatem ammirante sacerdote, quod eius lacrimis qui pulvis futurus erat adeo flexus est ad misericordiam, ut in tam vili animante suae potentiae non dedignaretur exercere magnalia, quodque non minori providentiae suae miraculo res tam exigua quamvis preciosa per illas moras ne periret reservata sit, quam utique praescierat[i] modis omnibus restituendam. Ad clericum deinde conversus qui sibi proximus assistebat, innuit, ut incendio musca consumeretur, ipse vero sanctam communionem magna cum securitate suscipiens, sancti Spiritus gaudio comitante, ministerium illud debito fine terminavit. Hoc ne in dubium alicui veniat, sciat qui eiusmodi est, patris Reginhardi relatione nobis id innotuisse, cui ore suo sanctus pontifex idem affirmavit, nisi forte tantae perfidiae sit, ut conetur astruere, beatum virum de se ipso non vera finxisse.

15. Quicquid[k] tamen eorum quae dicuntur in dubium venit, cum non dubia sed certa certis fulta testibus ediderimus, facile sui fidem capiet ex uno quod ad eius comprobanda merita mirabilis in sanctis suis Dominus mirabiliter operari dignatus est. Res vero tali teste defenditur, ut veritatem eius gravitas morum verborumque ipsaque[l] canicies hominis etiam incredulis loquantur, hoc principio dati miraculi tenorem exequentis. Erat regalium obsequiorum in urbe Mogontia tempore quodam celebritas agenda, primisque de regno iuxta morem ad curiam evocatis, Anno venerabilis et famosi inter omnes nominis a rege curam et amministrationem huiusce[m] tripudii tunc acceperat. Cumque secundum quod exegerant iussa festinaretur a cunctis ad metropolim iam dictam, et ipse nihilominus simile cum suis iter accelerans, in quasdam terrae partes pernoctaturus devenit, ubi sermone celebri rumor circumquaque ferebatur et regem cum suis inibi nocte proxima mansiones accepturum. Ea die concilio provincialium facto, duo iuvenes, ut ex consequentibus intelligi datur, sententiam dampnationis innocenter acceperant, furentibusque crudelitate bestiarum exactoribus, statim circa cervices positis torquibus ad suspendium urguebantur. Non erat eis excusationis vel veniae

a) serenissimae 2. b) electus 2. c) Inter haec — quaeritur eius 3. d) *deest* 3. d*) rivos *codd.* e) *deest* 3. f) immittebatur 2. g) fragmentum 2. h) patinae 2. i) praesciverat 2. k) *hoc caput deest* 3. l) que *deest* 2. m) huiuscemodi 2.

98) Matth. 8, 8.

locus, nulla contra eos defensio qui iustificant impium pro muneribus et iusticiam iusti auferunt ab eo, solummodo cor et oculos ad eum habebant cuius omnia iusticia iusta sunt, cuius universae viae misericordia et veritas. Iam gelidus per ossa pavor fundebatur, iam expectatione sola mortis exanimes stabant, cum inter angustias ipsas ad exorandum Dominum animati, clamores validos ab intimis dabant, eius omnipotentiam, eius invocando clementiam, ut per interventum cuiuscumque servi sui, quomodo vellet, fieret eis a morte liberatio, quandoquidem a cunctis exclusa pietate nemo de praesentibus parceret, nec esset quem naturae propinquitas ad misericordiam traheret. Audivit Dominus et misertus est, invisibilemque visibiliter adesse iubens potestatem, ad declarandum mortalibus suae divinitatis super Annone testimonium, in eius eam effigie potissimum apparere voluit. Nam illi dum ad patibulum manibus retro ligatis traherentur, in ipso mortis eorum articulo, quando duellio [a] saevo mors vitaque confligunt, quique circumstantium iuxta famam superiorem de rege mentionem inferentes, auribus eorundem huiusmodi confabulationis sonitum infuderunt. Protinus ambo tracti corporalibus oculis ad similitudinem quandam percepti sermonis, sicut eis post referentibus innotuit, quasi regem ipsum imperiali comitatu circumfusum conspexerunt advenire, magnae personae clericum inter frequentias illas habentem, cuius habitudo faciei totam in qua post agnitus Anno est proprietatem exprimebat. Hic universis praetereuntibus, solus in miseros pio conversus oculo locum quantocius adiit, seque medium utrisque supponens, hac manu dextrum, altera vero sinistrum, ad medias noctis tenebras singulis in pedibus, sustinuit. Nulla deinceps in liberandis eis morarum obluctatio, pariter ab eo depositi, pariter manuum et vitae libertati ab eo redditi, hac hortantis eos ad fugam voce sunt commoniti: *Cursu qua placet viam arripientes, hinc miserandi secedite, liberator vester Deus potens et clemens.* Eo cum verbis evanescente, manifestam divinae bonitatis virtutem in se iuvenes admirati, quamlibet adiacentium villarum effugii spe statuerunt intrare, secutique non tam sui cordis quam coelitus propositum callem, in illam qua minister gratiae coelestis Anno stationem ea nocte metatus erat transitum fecerunt. Et mirum in modum, cum ubique numerosa domorum aedificia se ferrent obvia, solam Annone tunc insignem hospite, velut in eorum cordibus scriptam, itinere recto domum petierunt, cum tamen nil ad eos vel nominis eius vel praesentiae pervenerit. Illo nimirum ductore regebantur, qui se viam testatur et vitam. At ubi primitus insperatam viri Dei faciem inter curiosorum orbium species offenderunt, totis concussi membris, ad eius vestigia velociter proruerunt, illum lacrimis, illum gratiarum actionibus summae maiestatis servum et amicum clamantes, per quem Christus se, diem cum nocte facientes in ligno per tot moras, ne suffocarentur ad vitam servaverit. Credendi maximum inde sumebatur argumentum, quod foeda totam [b] faciem operiente macie, datorum circa collum [c] monstrabantur vestigia nodorum. Sed praesul ab humilitate sua prorsus animum non mutans, homines a se satis iniuriose reppulit, dicens eos cupiditate lucri nequiter illectos hanc fallaciae plenam excogitasse fabulam. Nonnullis tamen ex clericis innuit, ut seorsum eis assumptis rem inquisitione subtili plenius investigarent, mandans et de causis unde dampnari meruerant quaestionem movere, quatinus innocentia vel defenderent vel improbarent quod actum erga se coelitus ore fatebantur. Sic factum est, ut cum nullis instructi fraudibus ad omnem interrogationem simplicibus responsis occurrerent, et divinitus operata per pontificem virtus innotesceret, et culpa vacante iuvenum iniustae mortes invenirentur. Mox in laudem Creatoris brachia sacer antistes et oculos levans: *Non,* inquit, *haec meritis meis asscribere fas est; tua, Christe, sunt haec opera, tuae profecto benignitatis in his declarantur exempla, qui verus innocentiae restitutor et amator, quo modo voluisti, ne perirent, misertus es innocentibus.* Aliquantis dein ex elemosina sua solidis in viros expensis, ipse coeptae viae se cum suis dans, ibat sicut dicitur de virtute in virtutem, habens et gratiam revelationum multarum [d]. Hinc iam aliqua dicturum copia per singula non patitur ire, paucis tantum partim hic, partim in posterioribus lectoris erunt studia concilianda.

16. Accidit [e] ut aecclesiolam quandam novae constructionis, infra partes regiminis sui sitam, die quadam sanctificaturus [f] cum suis conveniret, dos autem, unde legitima nominis aecclesiae fieret attitulatio, nusquam reperiebatur ad manus, praediis quae adquisierat aliis aecclesiis in elemosinam ab eo [g] distributis. Hac pro re multis aestuans cogitationibus, diem ad noctis inicia [h] protraxit, aecclesiastica sanctione sciens inhiberi, sine dotis privilegio talibus inservire negociis; porro ne divinum servitium qualibet dilatione deinceps illic postponeretur, tunc quidem deliberabat insistendum consecrationi, post autem et pro dote sollicitius satagendum. Huiusmodi definitionem post varias retractationes [i] animo concipiens, in somnum resolutus est, et ecce, per visum contemplabatur se prope quoddam altare consessum accepisse, pontificali cultu splendide circumdatum, eam vero speciem praetendentem, ut putaretur iam iamque processurus ad aliqua dedicationis celebria. Cui protinus assistens vir canicie angelicus, vultu roseus, claritate simul et auctoritate circumfusus, praemisso nomine Petri, quem se fatebatur, quaerere coepit expectationis eius inibi causas. Sanctus vir quasi notissimam cerneret personam, imperterritus manens, se respondit ad aediculae cuiusdam consecrationem eo venisse. Statimque subiunxit apostolus: *Dotem quae competit assignatam habens, hoc quod cupis legitime poteris exequi?* Qua praesul inquisitione conscientiam suam conventam intelligens, id se dixit ex animi deliberatione proposuisse, licet ad praesens dotis suffragio destitueretur, ne benedictionem pro qua venerat diutius suspenderet, quandoquidem in procrastinatione dotis divinis nil obesset servitiis, quam se vita comite sciret in brevi reperturum et ex more traditurum: *Hoc,* inquit apostolus, *aecclesiastica iura non habent, ut sine*

a) duello 2. b) tota 1. c) colla 2. d) multam 1. e) A. praeterea 3. f) sacrificaturus 2. g) ab eo *desunt* 2. h) ingressum 2. *e corr.* 3. i) retractiones 3.

dotis commendatione sponsa Christi thalamis admittatur[a]. *Unde ne transgressionis huius occasione gravius peccetur, ex nostrae potestatis auctoritate*[b] *tibi concedimus, ut quotiens necessitas exegerit, ab his quae matris aecclesiae sunt dos filiae praestetur.* Evigilans[c] continuo pontifex ordinemque visionis suae rationis oculo crebrius examinans, ne forte deceptionis ministra fuerit, a Deo se praemonitum evidenter agnovit. Sic tenebris ad ingressum diei recedentibus, ipse certus ex visione quid faceret, ad consecrationis officium laetus processit, ex praediis metropolitanae sedis eam, quam sine dampno matris invenit, filiae dotem tradens.

17.[d] Ut autem antecedenti narratione comprehensum est, eius in divinis rebus studium omnis adhuc Colonia testatur, quae multis sanctorum congregationibus repleta, habet in singulis quod[e] monumentorum ipsius posteris reservet. Verum inter multas antiquitatis structuras, quibus ipsa civitas nobiliter excellit, beati Gereonis olim eximia celebrabatur fabrica, quam Helena christianissima matrona, Constantini mater, regiis sumptibus in rotundum erexerat, ita marmorea pulchritudine aurique luce foris et intus resplendentem, ut Ad aureos sanctos vocabulum sortiretur. In hoc sanctorum ambitu, sicut fama loquitur, post beati Gereonis et sociorum eius interfectionem milites ex Mauritania numero 360 pro fide pariter trucidati, eandem cum beato Gereone sicut animarum sic et corporum requiem meruerunt. Sed in negligentiori veneratione habebantur a populo, eo quod in australi latere templi suae memoriae criptam satis humilem, et paucorum receptioni propter angustias habilem possidentes, ex accessu rariori per aetatum successiones e memoria pene sublati sint. Quae negligentia multis increscens annis, sic et Annonis sancti temporibus durabat, donec nocte quadam eo quiescente revelationis huiusmodi salutari correptus est verbere. Sublatus in excessum mentis, eorundem Christi martyrum sanctorum scilicet Maurorum multitudinem cum magna luminis gloria, velut ad concilium in uno loco congregari videbat. In quos cum mirantibus defixus oculis, quem visio ipsa finem esset habitura summa sustineret expectatione, raptus continuo locum, qui congregatae multitudinis medius erat, ut examinandus accepit, torvis aspectibus in eum cunctis respicientibus. Cumque discussio subtilis ageretur vel operum illius vel meritorum, ab illa sancta |contione magnarum querimoniarum generalis clamor exortus est, conquerentibus eis antecessorum eius incuria se tanti temporis contemptum pertulisse, nec ullius venerationis cultum a concivibus urbis suae eatenus accepisse, in hoc se amplius permoveri, quod qualitercumque a superioribus episcopis erga eos actum sit, eius, de quo spes melioris studii habebatur, non minor in eos neglectus existeret. Post has sanctorum interpellationes, ubi per increpationem districte requisitus est, qua temeritate tot veritatis testes in tanta vilitate habuisset, non invento excusationis loco, cunctorum sententia iustae ultionis flagellum adiudicatus est subire. Itaque veste spoliatus, verberibus graviter attrectatus est. Suspiriis autem et omnis emendationis sponsione suppliciter in tormentis ut parceretur laborans, hac eadem conditione tandem dimissus, a somno gravissimo magno pavore aestuans evigilavit, ita tremens et cum totius corporis habitu gestum simulans, quasi sub flagellis adhuc palpitaret. Mox in se reversus, intelligentiam somnii non aliunde sed ex illatis plagis in ipso corpore sensibiliter habens, necessario placandos dixit, quibus iratis tantae acerbitatis animus inesset, satisque metuendum, ne denuo concitatis eis, non ut ante, aliqua respirandi copia sibi concederetur. Collectis ergo viris ingenio praeditis, ad eandem rotundi scematis basilicam ab orientali parte, rupto muro veteri, novum continuavit aedificium, quod, dispositis in longum parietibus, per ascensus aspectu decentissimos in chorum spectabilem turresque geminas operose superius consurgens, criptam in inferioribus magnae capacitatis explicabat. Addens praeterea hunc vel illum ex coloribus sive metallis ornatum, egregiae laudis titulum in eisdem picturis versibus appositis ita promeruit:

Ex Domini monito compunctus episcopus Anno
Quicquid habere potest divinis cultibus offert;
Iussit et astantes appingier ordine patres
Urbis Agrippinae sanctae virtutis amicae.
Pro quibus in coelis laetabitur ipse fidelis.

His omnibus, ut hodie cernitur, pulchre perfectis, deinceps in exquirendis sanctarum reliquiarum corporibus immorabatur. Huius autem intentione spei stratam marmoribus terram infra templi septa detegens, principem sanctae sodalitatis illius, beatorum scilicet Maurorum, Gregorium nomine, sociis in circuitu quiescentibus, accuratius prae caeteris humatum repperit, clamide[f] purpurea circumdatum, orarum eius extremitatibus in insignem auri texturam desinentibus. Hunc cum nonnullis aliis de sepulchro super altare debita reverentia exaltans, in eius laudem, qui talium thesaurorum auctor et largitor erat, erupit, et exinde nomen et memoria sanctorum Maurorum per omnes Coloniae angulos celebrior inolevit.

18. Eliphius quoque magni meriti martyr, qui post abscisionem capitis cum eodem viae longissimae spacium percucurrit[g], in visione beato viro assistens, eius erga se negligentiam redarguit, improperans, quod eam, quam sicut religiosus in caeteros urbis suae patronos mentis devotionem ostentabat, in eo multum infamaret, quo sciens ipsum nulli meritis secundum, hac extremitate post omnes habuerit, ut ne minimis quidem indiciis suam umquam benivolentiam in eius aecclesiae amplificatione prodiderit. Eo respondente, iactis quibuslibet novis fundamentis inundationem Reni fluminis in subversionem totius monasterii non dubitandum mox operari, perstitit ille quamlibet vel parvam suae devotionis exigens operam, sicque disparuit. At sacerdos a thoro se post quietem excutiens, coenobium sancti Martini, quo idem patrocinabatur, adiit ad inspiciendum loci situm, habitoque consilio duas turres a fronte sanctuarii consurgentes in aerem subrigi praecepit, laudem meritumque viduae duo minuta ferentis sine dubio possidens.

a) admisceatur 2. 3. b) autoritatis potestate 2. c) evigilavit 2. d) *cap.* 17. 18. *desunt* 3. e) quid 1. f) chlamyde 2. g) percurrerit 2.

19. Multis in hunc modum revelationibus proficiens, ad meliora per dies incitabatur, diaconum boni magistri aemulatorem secum habens, cum quo iugis[a] illi erat consuetudo, cessante strepitu publicae dispositionis, ad psalmos et orationes recurrere semper. Porro sicut per imbecillitatis humanae defectum nonnumquam fieri solet[b], idem[c] clericus in decantatione psalmorum cum episcopo[d] per vices taedio superatus, ex negligentioribus et praeproperis alternorum versuum enunciationibus in [99] eam decidit consuetudinem, ut in his canticis quae Patris et[e] Filii et Spiritus sancti gloriam per discretas personarum appellationes resonant, mediam semper, id est Filii, transiliret personam. Quam fidei contrariam et omnino fugiendam negligentiam cum nemine attendente nulla per longum corrigeret emendatio, venerabilis pontifex in secretissimo noctis unius silentio quiescendi gratia iacens in lecto, palpebris necdum plene sopore conglutinatis, ex ea desuper parte, quam vertice respiciebat, sonum aure[f] percepit negligenter et corrupte percurrentis: *Gloria Patri et Spiritui sancto*, ac denuo repetentis id ipsum, media per celeritatem intermissa dictione, factusque repente sicut in extasi[g], quendam, cuius claritas et habitus humanum excedebant modum, in maiestate, qua Dei filium decebat, contra se stantem aspexit. Qui radiantibus oculis in ora stupentis mansuetum se ingerens, [1] protensis coram eo tribus sinistrae manus digitis, primum eorum dextro tetigit indice dicens: *Ecce Pater;* moxque secundum: *Ecce Filius*, post haec et[h] tercium: *Ecce sanctus Spiritus;* et vocem intra fauces paululum cohibens: *Ecce tres*, ait, *in una Deitate similiter adorandae personae, quibus gloria par dicitur*[i] *ab universali semper aecclesia. Mediam inter Patris et Spiritus sancti personam Filius habet, nec ullam recipit divisionem a duobus in ulla diminutione maiestatis eiusdem et gloriae. His ita catholica veritate se habentibus, ut quid clerici tui blasphemias sine correptione praeteris? Eam quam cum Patre et Spiritu sancto communem possideo gloriam mihi subtrahit, in duarum vocabulo personarum me, qui media Trinitatis persona sum, ad omnem gloriae decantationem transsiliens.* Protinus excitato sacerdote, imago quae videbatur evanuit. Admirans autem in consideratione visionis tam perspicuae, moras quas interim patiebatur, donec ad consuetudinales ymnos ventum est, annorum comparationi conferendos arbitrabatur, ita festinans ipsis corporis auribus discernere, quod intellectuali sensu per excessum iam acceperat. Observans itaque diligentissime psallentis os diaconi, solito festinantius ultimum psalmi versiculum ipse terminavit. Nihilominus gloriam trini nominis clericus adiungens, mediam per consuetam festinationem intercepit personam, duas dicens, nec ultra sequentium[k] psalmorum modulatio processit, donec ab episcopo correptionem audiens ex ordine visionis iam dictae, non negligendam tanto tempore se contraxisse didicit offensam, habens et de caetero non emendationis tantum sed et proficiendi salubrem occasionem[1]. Sed iam stilum mutare rerum dominus iubet, plena sunt lacrimis, plena miseriis et aerumnis quae sequuntur, et forsitan eo digniora 5 tanto viro quo et graviora, quoniam ubi durior pugna, ibi gloriosior et victoria. Si Iob recipitur flagellatus, et hinc Annonem beatificabimus, qui post multas tribulationes meruit introire in regnum Dei. 10

20. Pius[99] enim Dominus, qui quos amat arguit et castigat, hanc quoque dilectam sibi animam ante diem vocationis suae multis temptari permisit incommodis, ut scilicet ab ea omnem scoriam terrenae conversationis excoqueret caminus transitoriae tribulationis. Primum moto bello 15 Saxonico fratrem eius Wetcel[m], Magadaburgensem[n] archiepiscopum, et consobrinum eius Bucconem, Halberstadensem[o] episcopum, tempestas involvit gravissimae persecutionis. Contra hos cum regi, totius Saxonicae gentis exterminium anhelanti, opem non satis impigre ferret, naturae profecto 20 legibus et carnali affectione inhibitus, invisus ei suspectusque efficitur, periurii ac perfidiae insimulatur.

21. Hinc inter eum et regem cotidie discordiis incrementa accipientibus, cives quoque Colonienses, quibus paulo ante unice carus acceptusque fuerat, ad interfi- 25 ciendum eum proh dolor! sollicitantur, quibus ad patrandum quod nefarie machinabantur, casus idoneam attulit occasionem. Res omnium bonorum miseratione et lacrimis digna, quam et nos ita perscribimus, ut in gemitum erumpentes cum propheta[1] clamemus: *Quomodo facta est* 30 *meretrix civitas fidelis, plena iudicii? iusticia habitavit in ea, nunc autem homicidae.* Et vere sicut idem[2] fatetur: *Nisi dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et sicut Gomorra similes facti essemus.* Archiepiscopus pascha 35 Coloniae celebravit, eratque cum eo episcopus Mimigardevurdensis, ad communicanda tantae sollempnitatis gaudia familiaris amicitiae optentu evocatus. Cumque exactis ex parte feriis paschalibus abscedere pararet, hi qui archiepiscopi domestica negocia curabant, iubentur ad evectionem 40 eius navim[p] idoneam providere. Qui lustratis perspectisque omnibus, unam mercatoris cuiusdam praedivitis navim, quia in eos usus competens videbatur, occupant, eamque in ministerium archiepiscopi, eiectis mercibus quas habebat, ocius expediri iubent. Negantibus famulis qui navim servandam 45 susceperant, vim, nisi mature iussa capessant, minitantur; illi vero, quantum poterant citato cursu, ad dominum navis rem deferunt[q], et quid facto opus sit consulunt. Habebat ille filium adulta aetate, non minus audacia quam viribus excellentem, et tum propter generis affinitatem, tum ob 50 merita sua primoribus civitatis maxime carum et acceptum. Is, assumptis famulis suis et iuvenibus ex civitate, quantos in ea trepidatione in auxilium suum consciscere potuit, concitus ad navim evolat, et ministros archiepiscopi, acriter ut navis exoccuparetur insistentes, cum iniuria proturbat. De- 55 hinc advocatum urbis, in idem opus succedentem tumultusque instaurantem, simili constantia repellit, fundit et fugat. Iamque et his et illi sui singulis amici armati subsidio accurrunt, et ad magnum discrimen pugnamque ancipitem res spectare videbatur. Perlato mox nuncio ad archiepisco- 60 pum, quod atrocissima seditione confunderetur civitas, misit festinanter ad sedandos motus populi, irarumque plenus minabatur se proxima sessione sediciosos iuvenes merita

a) Inter haec iugis *etc. incipit caput* 3. b) solet diaconus eius in 3. c) isdem 1. d) cum ipso 3. e) *deest* 2. f) *deest* 2. g) ecstasi 2. h) et *post add.* 3. *deest* 2. i) debetur 2. k) *deest* 2. l) Opere precium esset et historiam 65 expulsionis eius a Colonia hic inserere, sed quia brevitas eam non capit, ad sequentia convertemur *pergit* 3 *sequente capite* 24. m) Wecel 2. n) Magdeburgensem 2. o) Halberstadiensem 2. p) navem *et sic porro* 2. q) *ita Lamb.* deferrent 1. 2.

99) Ex Lamberto. 1) Iesai. 1, 21. 2) Iesai. 1, 9.

poena coherciturum. Erat quippe vir in causis tam rei publicae quam aecclesiae spectatae saepius probitatis. Vix ad modicum dirempta est concertatio. Sed ferox animis et elatus primo successu iuvenis non cessabat interturbare omnia, percurrensque civitatem, varios sermones populum serebat de insolentia et austeritate archiepiscopi, qui totiens iniusta praeciperet, totiens innocentibus sua adimeret, totiens honestissimos cives procacissimis verbis incesseret. Nec difficile fuit id hominum genus in omne quod velles, tamquam folium quod vento rapitur, transformare, quippe qui ab ineunte aetate inter urbanas delicias educati, nullam in bellicis rebus experientiam habebant, quique post venditas merces inter vina et epulas de re militari disputare soliti, omnia quae animo occurrissent[a] tam facilia factu quam dictu putabant, exitus rerum metiri nescientes. Praeterea in mentem veniebat Wormaciensium insigne praeclarumque facinus, quod episcopum suum insolentius agere incipientem urbe expulissent, et cum ipsi multitudine, opibus armisque instructiores sint, dedignantur, quod inferiores aestimentur audacia, et archiepiscopum tyrannico sibi fastu imperitantem tam diu muliebriter patiantur. Conferunt primores inepta consilia, saevit vulgus, intemperans novarum rerum studio, et per totam civitatem spiritu diabolico raptatum ad arma conclamat, nec iam archiepiscopum urbe expellere, sicut Wormacienses, sed per omnes cruciatus trucidare, si copia detur, conspirant. Natalis erat beati Georgii martyris, qui eo anno quarta feria ebdomadae paschalis obvenerat, et archiepiscopus, celebrata missarum sollempnitate apud beatum Georgium, cum sermonem faceret ad populum, praesagio quodam futurorum, nescius ipse mali quod imminebat, contestatus fuerat audientibus, quod civitas diabolo in potestatem tradita esset et propediem peritura, nisi[b] iam iam impendentem iram Dei per poenitentiam inflectere maturarent. Auxit huiusmodi suspicionem omnibus quaedam in hunc modum visio celebris. Quidam bonae vitae vir ante dies aliquot huius turbulentiae vidit per somnium corvum quendam horrendae magnitudinis per totam volitare Coloniam, et terribiliter crocitando populum, tali spectaculo attonitum, huc et illuc agitare, supervenire post haec virum tam veste quam forma praecellentem, qui et corvum horrifico sonitu[c] perstrepentem urbe expelleret, et populum mente consternatum, iamque extrema omnia formidantem cassa formidine absolveret. Cumque a circumstantibus interpretationem somnii horrore concussus quaereret, audivit, quod civitas propter peccata populi[d] diabolo in potestatem tradita fuisset, sed interventu Georgii martyris liberata, instantis iam atque a Deo praedestinati interitus necessitatem evasisset. Igitur post meridiem, inclinata iam die in vesperum, cum igni oleum, iracundiae accessisset ebrietas, subito civium coniurata manus erupit, ac primo portae civitatis omnes custodiis vallatae sunt, dein ex omnibus urbis partibus ruunt ad curtim[e] archiepiscopi, et eum celebri quodam loco cum episcopo Monasteriensi coenantem adorti, tela contorquent, saxa iaciunt, nonnullos ex assistentibus interficiunt, caeteros plagis et vulneribus confectos in fugam vertunt. Inter haec conspicantur quam plurimi ipsum talium furiarum incentorem daemonem praecurrere insanienti populo galeatum, loricatum, igneo mucrone terribiliter fulgurantem, nec ulli quam sibi similiorem. Cumque militari quodam classico cunctantes ut se in pugnam sequerentur concitaret, in ipso impetu quo portarum seras effracturus vociferando irruebat, repente ex oculis sequentium disparuit. Tunc archiepiscopum sui, inter cuneos hostium nubemque iaculorum vix et aegre expeditum, in templum sancti Petri abripiunt, foresque non modo seris et vectibus sed admotis etiam magnis molibus obfirmant. Saeviunt foris, et instar inundantis aquae, rugiunt vasa diaboli, plena vino furoris Dei, et per omnia episcopii penetralia discurrentes, fores infringunt, thesauros diripiunt, vasa vinaria concidunt, et dum vina in diutinos usus summa ope congesta praecipitantius effundunt, repletum subito cellarium ipsos — quod dictu quoque ridiculum sit — inopinis fluctibus periclitatos paene suffocaverat. Alii capellam archiepiscopi irrumpentes altare spoliant, sacra vasa pollutis manibus contrectant, vestimenta pontificalia diripiunt, dumque omnem suppellectilem sacri ministerii curiosa, immo furiosa diligentia evertunt, reperientes illic quendam prae timore se in angulo altaris occultantem, et putantes, quod archiepiscopus esset, interficiunt non sine gratulabunda exprobratione, quod petulantissimae linguae tandem aliquando modum imposuerint. Sed cognito quod decepti similitudine essent, et episcopus intra templum sancti Petri et loci religione et murorum firmitate se tutaretur, undique conglobati ipsum templum obsident, muros perfringere dedita opera moliuntur, postremo nisi ocius sibi tradatur[f] archiepiscopus, ignem quoque se adhibituros minitantur. Tunc hi qui intus erant videntes obstinatos esse ad necem eius animos populi, nec ebrietate sola, quae tempore digeri solet, sed etiam odiis et frenetico quodam furore homines agitari, suadent ei, ut mutato habitu effugere conetur de aecclesia et fallere obsidentes, hoc facto et sacras aedes incendio et se mortis periculo liberaturus. Oportunum fugae patrocinium tempus pollicebatur. Nam seditione in mediam noctem protracta[g], horrebant omnia tenebris et caligine, ut haud facile cuiquam esset vultus occursantium discernere. Angustus aditus patebat de templo in dormitorium, item de dormitorio in atrium domumque canonici cuiusdam adhaerentem muro civitatis, isque ante paucos dies ortae seditionis impetraverat ab archiepiscopo, Deo ad salutem archiepiscopi hoc ipsum misericorditer providente, ut rupto muro civitatis parvulum sibi posticium[h] facere sineretur. Ibi eductus archiepiscopus, applicitis propere in evectionem eius et comitum eius quatuor equis, abiit, opacae noctis tenebris ne ab obviantibus agnosceretur commodissime usus, repertoque post modicum episcopo Mimigardevurdensi, sociis iam pulchre pro ea tum calamitate constipatus, in locum cui Nuse[i] nomen est pervenit. Interim hi qui circa templum erant crebris arietum ictibus muros quatiebant, eratque confusa vox tumultuantium et fidem Dei omnipotentis testantium, quod non evasurus esset manus suas, non decepturus obsidentium diligentiam, etiamsi in minima terrae reptilia se transfiguraret. Econtra[k] hi qui obsidebantur nunc supplicando, nunc pollicendo, quod diligentissime quaesitum, si inveniretur, ipsis tradituri essent, callide ludebant operam perurguentium, usque quo archiepiscopum[l] longius evectum atque in tuta loca progressum esse arbitrarentur. Tum demum reclusis foribus ipsos ingredi et pro libitu[m] suo quaerere sinunt, adiciuntque frustra eum quaeri intra septa templi, quem certo comperissent primo incursu concitatae multitudinis clara adhuc die urbe egressum, iam in longinquas partes transire potuisse, idque magis suspicandum, quod, contractis undique per moram nocturni temporis copiis, primo mane ad occupandam armis civitatem sit adventurus. Igitur ingressi, cum omnia templi penetralia diligentius investigando evertissent, vix tandem admissa fide quod falli potuissent, deinceps ab inquisitionis studio ad tuendam urbem animos vertunt, armatamque multitudinem circumquaque per propugnacula dispertiunt. Inter haec arreptum quendam de turba super portam urbis ad ignominiam episcopi suspendunt, magis in hoc furori suo, quo praecipites raptabantur, satisfacientes, quam quod crimen ullum suspendio dignum misero obtendere possent. Alteri crura succiderunt; mulierem etiam quandam de summitate murorum praecipitant, fractisque cervicibus interficiunt, hoc ei criminis dantes, quod homines plerumque magicis artibus dementare infamata fuisset. Sed hoc scelus commodiori tempore et pacatiore[n] animo vindicare debuerant. Induxerant etiam animum si non fuga vix eva-

a) succurrissent 2. b) ni 2. c) sonu 2. d) *deest* 2. e) curiam 2. f) tradat 2. g) *ita Lambert.* pertracta *codd.* h) posticum 2. i) Nouse 2. k) contra 2. l) episcopum 2. m) lubitu 2. n) pacatiori 2.

sisset, abbatissam perimere de sancta Cecilia, solam mortis eius causam habentes, quod archiepiscopo consanguinitate iungebatur, adhuc sceleratiora aggredi statuentes, nisi Deus Coloniae misertus breviasset dies amentiae eorum. Praeterea iuvenes impigros citato quantum possent gradu ad regem ire iubent, nunciare ei quae gesta fuerant et suggerere, ut quantocius veniat vacantem expulso archiepiscopo civitatem occupare, in eo verti salutem civitatis et ipsius utilitatem maximam, ut grandia molientem de vindicanda iniuria sua archiepiscopum anticipare conetur. Talibus furiis toto triduo agitabantur. Postquam auditum est per provinciam et celebri rumore vulgatum, quod Colonienses archiepiscopum probris et contumeliis affectum urbe fugassent, exhorruit omnis populus novitatem rei, atrocitatem sceleris, spectaculum humanarum rerum, quod vir tantarum in Christo virtutum tam indigna perpeti Deo aspiciente potuisset. Magna eius in pauperes liberalitas, multa in divinis rebus devotio, multa in humanis moderatio, vehemens in corrigendis legibus studium, libera in corripiendis qui male agerent severitas, omnium ore celebrabantur, earumque rerum commemoratio non minimum ei gratiae apud populares conciliabat. Exclamant omnes ad suam magis iniuriam pertinere violatam pontificalis nominis maiestatem, et mori sibi satius esse, quam ut tantum flagicium suorum temporum multum patiantur. Igitur per quatuor vel quinque miliaria circumquaque ad arma conclamant, multa hominum millia dicto citius concurrunt, nullo qui per aetatem arma ferre posset tam religiosam militiam detrectante, conglobatique in unum rogant archiepiscopum, et cunctantem vi impellunt, ut ad recuperandam civitatem quantocius festinet, se pro eo dimicaturos, et si ea necessitas incumbat, oves pro pastore, filios pro patre libenter mortem excepturos, quod nisi Colonienses maturent venientem suscipere, et pro ipsius arbitratu satisfacere offenso, se aut ingesto igne populum cum civitate consumpturos, aut dissipato muro eum super congeriem occisorum in cathedram pontificalem reducturos. Ita archiepiscopus quarto die postquam exierat, magno vallatus agmine, ad urbem accessit. Quod ubi Coloniensibus compertum est, et se tantae tamque efferatae multitudinis impetum nec muro nec acie sustinere posse animadvertunt, tum primum furor deflagrare, ebrietas evanescere coepit, magnoque terrore concussi, obviam legatos de pace miserunt, se reos confitentes, et omnem quam vita incolomi iuberentur poenam pendere paratos. At archiepiscopus digne poenitentibus se veniam non negaturum respondit. Tum celebrata missarum sollempnitate apud Sanctum Georgium, eos qui pontificem sede propria expulissent, qui aecclesiam homicidio polluissent, qui templum sancti Petri hostiliter impetissent, qui caetera religionis iura ausu barbaro temerassent, episcopali banno ad satisfactionem vocavit[5]. Protinus omnes nudis pedibus, laneis ad carnem induti, processerunt, vix et aegre impetrata pace multitudinis quae circa episcopum erat, ut hoc tuto facere sinerentur. Nam et vehementer ei succensebant, quod, dum immoderatius clementiam ostentando popularis fieri vellet, nefarios homines ad audenda nequiora huius sceleris impunitate animaret. At vero archiepiscopus eos postero die ad suscipiendam secundum canonum scita poenitentiam tam immanis flagitii ad Sanctum Petrum praesto esse iubet, ipse progressus ad Sanctum Gereonem, ibi extra urbem pernoctare statuit, veritusque, quod tradita civitate vis concitatae multitudinis inhiberi non posset, sed partim iniuria, partim praedae cupidine accensi, acerbius saevirent in populum, obnixe rogat provinciales qui secum erant, ut singuli in sua cum pace recederent, satis se opera eorum usum, et evidens tulisse documentum, quid animi oves erga pastorem, filii erga patrem gererent, asperrimam partem negocii multa eorum virtute exactam esse, caetera quae restent facile iam privata ac domestica manu posse confici, proinde, quod bonum, felix faustumque esset, abirent in domos suas, hanc reportantes spem, quod huius beneficii gratia apud eum, seu vivum seu defunctum, perpetuo mansura foret. Hoc vix impetrato, milites suos, quantos ad comprimendos urbanos motus, si qui forte levitate vulgi instaurarentur, sufficere putabat, praecedere in civitatem iubet, secuturus ipse proxima luce, cum eorum qui praecessissent diligentia, ne quid forte insidiarum lateret in civitate, praecavisset. Ea nocte 600 aut eo amplius mercatores opulentissimi ex urbe profugi ad regem se contulerunt, intercessionis eius opem adversus episcopi seviciam imploraturi. Caeteri ingresso archiepiscopo, civitatem et toto triduo iuxta condictum expectanti minime se praesentarunt, ad proponendum aliquod satisfactionis genus. Unde indignitatem rei non ferentes episcopi milites, inscio, ut plurimi asserunt, atque inconsulto archiepiscopo, arma rapiunt, domos incursant, possessiones diripiunt, occursantes partim sternunt, partim captos in vincula coniciunt, et prorsus, ut veritati vel coacto assentiamur, multo ferocius quam tanti pontificis existimationi competeret, iustae ultionis negocium exequuntur. Sed gravior morbus acriori indigebat antidoto. Filius super memorati mercatoris, qui primus seditione inflammaverat populum, et pauci alii luminibus sunt orbati, nonnulli virgis caesi ac detonsi, omnes gravissimo rei familiaris dampno multati, atque iusiurandum[a] dare compulsi, quod deinceps archiepiscopo civitatem contra omnium hominum violentiam, quantum consilio et armis possent, vindicaturi essent, et eos qui ex urbe profugerant, quoad digne archiepiscopo satisfecissent, semper pro infestissimis hostibus habituri. Ita civitatem pro diversitate partium et luctus pariter et laeticia tenuerunt, aliis in regressu pontificis eiecti iustas audaciae suae poenas luentibus, aliis dignos consolationis suae choros instituentibus. Siquidem non in urbe tantum, sed et ubicumque locus exhibendae processionis offerebatur, ibi post istam famam Christi confessor in ymnis et canticis velut angelus exceptus est; nec immerito. Quis namque neget eum unum ex illis angelis fuisse, de quibus per Malachiam[3] dicitur: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam et legem requirent ex ore eius, quia angelus domini exercituum est?* Cuius post haec lacrimas in aspectu vel ascensu dilecti sibi montis effusas ipsi, quibus ibi servitur, et viderunt et miserati sunt sancti, quorum pietati conquestus eam quam a suis contumeliam tulerat, omnes ad fletum traxit, quos vel ex clero vel ex populo contigit adesse. Levaverunt autem et monachi pariter[b] voces suas, et quasi[c] redivivam considerabilem faciem eius considerantes, universi personabant: *Te nostra vocabant suspiria, te larga requirebant lamenta, tu factus es spes desperatis, magna consolatio in tormentis.* Audiebantur haec in excelsis, et utique credendum est tam eorum quae canebantur dulcedine, quam sacrificio lacrimarum oblectatum veraciter ibi Christum affuisse, quod et ipse promisit dicens[4]: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Ceterum quia nonnullis etiam bonorum scandalum ingerit, quod in ultionem tanti viri tam saeva dicitur redundasse castigatio, a gravissimis fideque dignis personis testimonium habemus, eum cum sacramentis multotiens affirmasse, suam conscientiam ab hac tyrannide prorsus immunem, quippe cuius nec officii nec voluntatis umquam esset, ultra legis aecclesiasticae iura vindictam suarum iniuriarum extendere. Qua de re

a) iurandum 2. b) *deest* 2. c) ut 2.

3) Malach. 2, 7. 4) Matth. 18, 20. 5) De his vide Annonis litteras ad Udonem archiep. Trevirensem in Sudendorf Regist. I, 6.

contrahat os suum invidus, qui[a] cum sermo fit, ab eius tumulo coecos plerumque redire cum lumine, solet obicere, magis ereptos quam redditos per eum oculos. Nec mirum, cum et Moysen sanctum homicidam nonnulli blasphement.

22. Post[6] haec cum imperator celebrata paschali sollempnitate in Babinberg Radisponam[b] ire disposuisset, a nuncio fictae legationis audivit, quod Willehelmus[c] cognomento Bostar[d], rex Anglorum, ab archiepiscopo Coloniensi vana pollicitatione illectus, cum magno exercitu adventaret, regni sedem Aquisgrani occupare paratus. Tunc rex territus tam atroci nuncio, ad Renum concitus remeavit, celebritatem pentecosten in Mogontia civitate splendide peragens. Inde cum Coloniam ire instituisset, multum spirans irarum et comminationis in archiepiscopum Coloniensem, ille missis in occursum eius nunciis mandavit, falsam omnino ac scenicis figmentis similem esse fabulam, quam in eum aemuli sui composuissent, hi nimirum qui eum paulo ante urbe expulissent, et nunc ad opprimendum eum, quoniam armis non possent, mendaciis grassarentur; se non ita rationis expertem vel communis commodi negligentem esse, ut in ultionem privatae iniuriae patriam suam barbaris prodere velit, nec ea levitate vitam a puero instituisse, ut quisquam sanum aliquid sapiens tam inepta de se suspicari possit. Impetrata dein per legatos coram veniendi copia, in Andernaco villa regi occurrit; cumque rex de his quae compererat severissime quaestionem promulgaret, proditae quidem rei publicae crimen quod obiciebatur sacramento purgavit, caetera quae delata fuerant, ait rex, se veteri amicitiae ac pontificali nomine condonare, nec pro iure suo expostulare velle. Ita non extincto sed interim cohibito furore, Coloniam processit. Ibi postero die ad iudicandum populo assedit, sperans, per accusationem eorum quos archiepiscopus propter iniurias suas poena affecerat, occasionem sibi futuram, ut eum seditione concitata rursus civitate exturbaret, vel propter oppressos per calumpniam innocentes saltem reum maiestatis faceret. Sed ille omnes accusationum strophas responsi veritate ac sententiarum gravitate tamquam aranearum telas disrupit. Postquam autem rex innocentia eius ac vitae integritate, consiliis quoque omnia septa vidit, nec ullum patere locum calumniae, ad aliud se vertit genus iniuriarum. Exegit ab eo, non precibus quidem ut oportuit, sed imperiosa quadam auctoritate, ut Coloniensibus admissae in se temeritatis veniam daret, excommunicatosque aecclesiae reconciliaret, praeterea ut ad firmamentum conservandae erga se in perpetuum fidei, sex sibi ex militibus suis obsides daret. Utrumque ille cum magna constantia negavit; obsides quidem, quod nullus regum priorum tale quid ab aliquo praecessore suo[e] postulasset, excommunicatorum autem reconciliationem, quod sine digna poenitentiae satisfactione excommunicatos in aecclesiam recipi, leges aecclesiasticae vetarent. Imminebat ille vehementer, comminans omnia se incommoda illaturum, et cuncta quae illius sint ferro et igne demoliturum. Perstabat hic fixus in proposito, dicens se mori quidem paratum, si ipse cum Coloniensibus conspirasset ad eum interficiendum, sed nunquam retinendae vitae studio ab iure ad iniuriam declinaturum. Diu anceps erat pugna, et utrorumque milites magna concusserat[f] sollicitudo expectatione tam tristis spectaculi. Tandem evictus rex ab his quorum consiliis plurimum[g] tribuebat, flexit sententiam, et ait malle se cum eo beneficiis certare quam dampnis aut inimicitiis, et si eum fidum sibi devotumque in causis rei publicae experiretur, primum deinceps inter amicos habiturum. Hoc modo reconciliatus archiepiscopo Aquasgrani[h] perrexit, et adversus ea quae de irruptione barbarorum fama vulgaverat, eam regni partem quantum poterat communivit.

23. Iterum insurgente satana contra virum Dei, duo ministri eius, qui in laribus eius familiarissime serva- *Lamb.* bantur, insidias ei tendunt, et nisi[i] Dei misericordia malum hoc praevertisset, nihil tale suspicantem trucidassent. Alii cuidam, quem beneficiis suis maxime fidum sibi obnoxiumque[k] fecerat, familiares litteras, a se ipso in tabulis propter maiorem secreti cautelam conscriptas, dedit episcopo Halberstadensi perferendas, quibus nepotem suum tantis undique adversitatum procellis iactatum et pene naufragantem consolaretur et instrueret. At ille ex ipsa tam operosa secreti communitione coniciens aliquid regi reique publicae adversum his litteris[l] contineri, regi eas detulit. Quas ille contra spem suam nulla videns infidelitatis indicia dare, tamen ad terrendum eum exemplar earum archiepiscopo misit, ut experimento colligeret, non raram apud se suorum secretorum proditionem. Item alius quidam ex ministris eius, quem Coloniensi aecclesiae propria industria ipse adquisierat[m], quemque ob hoc indulgentissimo semper affectu coluerat, et bonis omnibus etiam supra natales suos locupletaverat, repente insolentia servili elatus, iugum aecclesiasticae servitutis coepit detrectare, seque in libertatem violento quodam iure fori cum magna archiepiscopi[n] contumelia, velut equus infrenis, excussit. Tum vero crebris mortibus carorum suorum ita amaricatus est, et vulnere concisus super vulnus, ut saxeum quoque pectus et supra petram fundatum aedificium concutere posset tam vehemens ille turbo temptationis. Ad omnem autem doloris et moeroris plenitudinem illa novae confusionis miseria, quae per omnes angulos regni se dilatare iam incipiebat, tanto acerbius cordis eius intima tetigit, quanto res ad generale totius aecclesiae discrimen spectabat. Nam feritate barbarica confligentibus inter se Francis et Saxonibus, immiscebant se fide dubia nunc his nunc illis Suevi gensque Baioariorum, fiebantque caedes, incendia simul et rapinae per omne regnum Teutonicum. Harum calamitatum incentrix, et quoddam in praesens durandi solidamentum, exurrexit interea illa lugenda semper omnibus aecclesiae membris inter regem et apostolicum[o] controversia, quae[p] duarum partium heresim contentiosissimam creans, ex utraque multorum millium animas inferis proh dolor! destinavit, pacis unanimitatem e terris prorsus exturbavit, foeda monachos altercatione dissolvit, clericos in contemptum adduxit, aecclesiastica iudicia laicis subiugavit, omnem aequitatis regulam subvertit, nec cessat hodie tanti mali lacrimosa pernicies. His angoribus vir, cui nil Deo carius, adeo coartatus et excoctus undique, ut etiam taederet eum vivere, voces huiuscemodi cum psalmista dabat ad coelos: *Heu me quia incolatus meus prolongatus est, habitavi, cum habitantibus caedar, multum incola fuit anima mea*[q]. *Psal. 119, 5.* Cupiensque dissolvi et esse cum Christo dicebat: *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* *Psal. 41, 3.* Grave iam ei erat terrenum omne, necessitate, non voluntate sub onere carnis adhuc aestuabat. Tabescebat corpus nihilominus et animus infirmabatur, more turturis viduatae solo luctu pascebatur, publicas frequentationes declinabat, singularitate delectabatur, assidue flens, assidue moerens. Nec diu militis sui sudores bonus dominus inremuneratos praeterivit, neque passus est eum temptari supra id quod sufferre

a) cui 1. b) Ratisbonam 2. c) Wilhelmus 2. d) Bastardus 2. e) *deest* 2. f) excusserat 2. g) multum 2. h) Aquisgranum 2. i) ni 2. k) obnixumque 1. 2. l) terris 2. m) adquisiverat 2. n) episcopi 2. o) dominum apostolicum 2. p) Quae schismatis horrendi lue sanctam mirabiliter confundens ecclesiam, multorum *etc. add.* 2. q) h. c. h. m. i. f. a. m. 2.

6) Ex Lamberto.

poterat, verum hinc eum erepturus, ante per altam contemplationis vim futurorum malorum inspectorem esse voluit, ne ignoraret quantis a Deo beneficiis donaretur, si necessitatem talibus communicandi moriens evaderet. Id subiecta pagina loquitur, sola sufficiens meritum viri declarare, qui in hac mortalitatis adhuc degens substantia, secretorum coelestium particeps fuit.

24. Post eam superius descriptam Coloniensium nefariam conspirationem hiberni[a] temporis aderant dies, et beatus antistes pro quodam levamine sauciati cordis urbem egrediens Salevelt devenit, ut visis illic filiorum suorum spiritalibus exercitiis, quasi salutaris antidoti haustu recreatus, insiti moeroris amaritudinem temperaret. Inde exacto visitationis officio discedens, festum illud quod ypapanti[b] Domini dicitur in Heresfeldia sollempniter egit, imperataque profectione viam, quae tendentibus in Sigeberg pervia est, curru subvectus cum suis incessit. Cumque die quadam psalmis et orationibus vacans animum in superna levasset, instante iam hora nona, non in extasi nec in visione somnii, sed sicut carneis oculis aspici solet, coelos super se aperiri vidit, et ut olim prophetarum eximius Danihel[c] horrore concussus ac tremore, membris omnibus dissolutus est, animi quoque robur omne concidit. Transmissis viae propositae intervallis, per biduum nil incommodi pertulit in monte degens, praeter quod a nonnullis quasi qui sese excessisset in verbis subinde mirabatur. Tercia vero post hoc die coenantem invasit valida tam atrociter infirmitas, ut spes omnis auferretur, noctem eum saltem supervivere. Erat autem crepusculum vespertinum, fratresque finitis completoriis sese receperant in dormitorium. Mox igitur ut huiusmodi nuncius aures perculit abbatis, eo perturbatione concusso, res per omnes angulos coenobii diffundebatur, fiebatque concursus hinc inde fratrum, signo quo colligerentur vehementius perurguente. Agebat omnes pavor intollerabilis, et tamquam universorum vita penderet in ancipiti, monasterium cum impetu petierunt, illud corde meditantes, illud ore ruminantes: *Domine, salva nos, perimus.* His vero, quibus egrediendi claustrum undecumque licentia offerebatur, cubiculum episcopi certatim adeuntibus, caeteri chorum irrumpentes, septem psalmos cum laetaneis[d] luctuose prosequebantur, omnes pectora tundentes, omnes fletus et suspiria emittentes, et quanta caritate erga patrem amantissimum filii afficerentur, sibi ipsis singuli testimonium existentes. Inter haec ille dolore gravi laborans, clamores insolitos magis ac magis edebat. Quod ubi certis relationibus Coloniae innotuit, hi qui dente mordaci vitam eius insequebantur, risum omni felle amariorem sibi invicem excitantes, tali eum vicissitudine dignum conviciabantur, ut qui super eos tyrannico fastu semper imperitaverat eos opprimens, ipse in insania qua vixit moriens, meritam superbiae suae poenam in ultimis lueret. Non erit his tamen similis vox in illo die, quo poenitentiam non proficuam acturi, de eo dicent: *Iste est quem aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii; nos insensati vitam eius aestimabamus insaniam et finem sine honore, quomodo ergo*[e] *computatus est inter filios Dei?* Sed cum postera die doloris vehementia non adeo iacentem crucians, recuperandi vires mentis aliquantulam ei facultatem indulsisset, abbas tres probae vitae fratres ad eum misit, qui, sicut in ea necessitate expedit, ad confessionem vel ad rerum suarum dispositionem eum hortarentur, utque novellae suae constructioni in quantum tunc licuisset prospicere non negligeret. Quibus iuxta sensum hunc cum lectulo assiderent[f] hortamentis suis eum mulcentibus, idque quaerentibus unice, cur filiis suis, quibus alia post Deum praeter eum spes non esset, minime loqueretur, ille tenuissimam vocem, ut poterat, exprimens ait: *Unde loquendi sumam exordia, fratres, vel quas moesticiam*[g] *vestram relevaturas triste cor meum dictabit sententias? Vae*[h] *misero mundo, vae cunctis humanae sortis angulis ab his qui dicuntur episcopi, mei peccatoris utique similitudinem praeferentibus, quibus nomen, non vita sacerdotum est.* Et grave suspirium a pectore trahens, attonitis[i] et ardentius huius verbi radicem investigantibus respondit: *Sol in nonam iam iamque vergebat horam, et ego currui meo praesidens iter accelerabam. In aerem autem me visum expandente, scissis ex improviso coelis, omnia desuper aperta oculisque meis non modo mentis sed*[k] *corporis pervia remanserunt, expavitque cor meum et dissolutus sum, nec remansit in me quicquam virium, certusque sum languoris huius immanitatem inde me collegisse. At vero non aliter illam terribilem visionem intuitus sum, quam cum vos modo contemplor corporales in vos dirigens acies, nec reor quicquam eorum malorum, quae terris imminent per omnes secuturas aetates et per ipsum aevum*[l]*, oculorum meorum acumina latuisse.* Praecordiisque palpitantibus altius ingemiscens, denuo replicabat: *Vae misero mundo, vae cunctis humanae sortis angulis ab his qui dicuntur episcopi.* Nec poterat ulla precantium importunitate in hoc adduci, ut eorum quae viderat vel minimum eis[m] communicasset, hoc solum ad omnem inquisitionem eorum dolens protulit: *Vae, vae misero mundo, vae misero mundo!* Porro crescente per dies infirmitate, cum esset sibi mortis suspicio cotidiana, primates cleri Coloniensis ad se accersiens, postulavit et sub testificatione divini nominis terribiliter adiuravit, ne consensum suum his umquam accommodarent, quibus conveniret alibi quam in Sigeberg corporis eius repositio, dicens: *Si desiderii mei vobis insistentibus processerit effectus, hicque mihi sepultura cesserit, tametsi meritorum meorum pensa reluctetur, per misericordiam nostri redemptoris excedentem omnia vestrae, ut spero, de me haurient adhuc aures, quod in magnae consolationis, in magnae spei patrocinium vobis et Coloniae vestrae ante Deum proficiat.* Fidei suae sponsionem super hac re singulis ei dantibus discesserunt, ille vero sensim recolligens vires, debilitatem illam corporis evasit, memoriam autem mentis non eam quam ante per longum assequi valuit, ita ad visionis illius maiestatem ex-

1075. Febr. 2.

Matth. 8, 25.

a) Yberni t. erant dies et beatus antistes viam quae *incipit* 3. b) Hypapanti 2. c) Daniel 2. d) litaniis 2. e) igitur 2. f) *superscriptum eadem manu ut videtur* 1. g) moestitiam 2. h) ve 1. *et sic porro.* i) attonitus 2. k) sed et 3. l) *deest* 2. m) *deest* 2.

territus et extra se factus erat. Id ex eo innuitur, quod, cum olim ab Egilberto Mindonensium episcopo quandam perpetuo dicendam confessor ei factus accepisset orationem, ad eius noticiam nullo poterat ingenio pertingere, donec directis ad eum litteris ordinem eius ex rescriptorum annotatione colligeret.

25. Iam septuagesimae diebus, in quibus haec accidit revelatio, quadragesimales feriae[6] successerant, et dilectus Domini praeteritae valitudinis defectum necdum plene superaverat, cum ecce, positus in quiete noctis unius, somnium suae felicissimae dissolutionis praesagum in hunc modum aspexit. Visus[7] est sibi domum quandam omni decore intus et foris resplendentem intrare, et ecce, in subselliis iudicialibus, tamquam ad concilium sollempniter evocati, residebant Heribertus Coloniensis[a] archiepiscopus, Bardo Mogontinus archiepiscopus, Poppo et Everhardus Trevirenses archiepiscopi, Arnolfus[b] Wormaciensis episcopus, et alii quamplures Galliarum episcopi, quorum alios ipse in carne noverat, alios fama tantum vel lectione compererat, amicti omnes stolis pontificalibus, et habentes vestem instar nivis candidam. Ipse quoque candidis admodum ac[c] preciosis vestibus indutus sibi videbatur, sed partem candentis vestimenti, eam scilicet qua pectus tegebatur, sordida quaedam ac foeda caligo obduxerat, ac caeterum cultus eius splendorem sua foeditate plurimum obfuscabat; quam tamen ipse nimio rubore perfusus, obiecta manu tegere ac celare, ne inspicientium offenderet obtutum[d], conabatur. Vidit praeterea inter eos sibi quoque sedem miri decoris paratam. Quam cum occupare gaudio et exultatione aestuans properaret, surgens Arnolfus Wormaciensis episcopus modesta voce eum prohibuit, dicens, reverendos patres, qui assiderent, nolle eum in suum admittere consessum, propterea quod vestem eius haec turpis macula foedaret. Cumque iussus loco cedere, flens confectoque nimium animo egrederetur, insecutus eum idem[e] episcopus: *Aequo animo*, ait, *esto, pater; maculam tantum hanc, quae vestem tuam infecit, maturius ablui praecipe, quia non post multos dies beatae huius mansionis consortium et sanctorum patrum quos aspexisti consessum voti compos percipies.* Mane facto, cum familiari cuidam suo visionem retulisset, ille sapienter rem coniciens: *Macula*, inquit, *haec vesti tuae illita nihil aliud est, ut aestimo, quam memoria iniuriae civium tuorum, qui te anno superiore Colonia expulerunt, quibus te divinae pietatis respectu iam olim oportuerat admissi huius veniam dedisse! Haec, quod bona venia dixerim, pectori tuo tenacius quam aequum sit insidens, et amarissimo moerore contra fas mentem tuam decoquens, caeteram sanctissimae conversationis tuae claritatem molesta quadam caligine obducit et obscurat.* Archiepiscopus conscientiae suae testimonio convictus, ne inficiaretur quod audiebat, reatum suum humiliter agnovit, statimque destinatis circumquaque nunciis, cives omnes Coloniae, quos in ultionem iniuriae suae excommunicatos urbe fugaverat[f], ad se evocavit[g], eisque proxima festivitate paschali non solum communionem aecclesiasticam, sed etiam bona sua omnia quae direpta fuerant benignissime restituit. Sic gravis illa tempestas, quae spiritu diabolico suscitata totam concusserat Coloniam, conquievit, pater filios, filii patrem recognoverunt, archiepiscopus amaritudine, populus metu et sollicitudine, civitas liberata est solitudine.

EXPLICIT[h] LIBER SECUNDUS.

CAPITULA LIBRI TERTII.

1. *Quod ultimum agens annum dilectum montem plus solito frequentabat, et de morte Annonis pueri, filii sororis suae.*
2. *De obitu Herimanni prioris, et exemplum mutuae inter eos dilectionis.*
3. *Allocutio praesulis post exequias praefati viri stantis, et quomodo se praedixerit citius moriturum.*
4. *De ultimo eius adventu ad montem, et quomodo recessuro vir quidam catenulam attulit, et quomodo sepulchrum suum ipse mensus est, et de propheticis eius responsis ad militem.*
5. *Quod novem septimanis podagrico dolore vexabatur, et quotidie missam ultimam celebraverit.*
6. *Quomodo se fatebatur nigrum Ewaldum in visione conspexisse.*
7. *Quod usque ad exitum aliquos fratres de Sigeberg iuxta se habuerit, et de his quae cum domino Reginhardo prophetice locutus est.*
8. *Quod contestatus sit omnes, ut eum in Sigeberg sepelirent, et quod confessionem publicam agens, stolam suam ipsemet deposuerit.*
9. *Quod sellae superpositus obviam sanctis portaretur, et quomodo in cenum coram sancto Severino corruerit.*
10. *Quod iacens in lecto die quadam diabolum astare viderit.*
11. *Quod indulgentiam omnibus dederit, et ab omnibus quaesierit, et qualiter omnibus, a quibus aliquid acceperat, praeceperit, reddi.*
12. *Ante tercium exitus sui diem qualiter comiti Gerlacho inter caetera de sua dormitione praedixerit.*
13. *Quod in agone iacens ita pleno sensu fuerit, ut lectorum negligentiam nutibus subinde corripuerit.*
14. *Quomodo levans in agone manibus sanctam Mariam et reliquos sanctos inclamaverit, et quod in ipso crepusculo sextae feriae transierit.*
15. *Quomodo frater quidam eo transeunte in somnis perterritus sit, et quanta tumultuatio per omnem Coloniam orta sit.*
16. *Descriptio exequiarum eius et disceptationis Coloniensium pro corpore eius, et oratio comitis Gerlaci, et quomodo 7 diebus corpus sit circuductum, et prodigiorum quae acciderunt, et postremo sepulturae descriptio.*
17. *Qualiter fratrem quendam pro leguminibus in visione redarguit.*
18. *Quid item alii cuidam apparens de caera promiserit.*
19. *Quomodo mulier aridam habens manum ad sepulchrum eius in parasceue sanata sit, et quomodo domnus Reginhardus abbas locum provexerit et numerum fratrem auxerit.*
20. *Quod faber quidam ex Colonia veniens amissos oculos ibi receperit.*
21. *De puella cuius brachium quod obriguerat curatum est, et qualiter claudus quidam sanus exurrexerit.*
22. *De monacho qui post ruinam gravem claudus*

a) Coloniensium 2. b) Arnoldus 3. c) et 2. d) obtuitum 2. e) inde 2. f) fugerat 2. g) revocavit 2. h) Explicit l. s. *desunt* 2.

6) 22. Febr. 7) Ex Lamberto.

effectus, ad sepulchrum viri Dei repente sanatus est. 25.
23. *De quodam cuius mirabilis erat infirmitas, et qualiter ibi curatus est.* 26.
24. *De blasphemo qui contra sanctum Dei loquens oculos amisit, et postea poenitentiam agens iterum eos recepit.* 27.

INCIPIT LIBER TERTIUS[a].

1. Igitur dilectissimus Deo praesul ultimum agens annum, dilectum sibi montem plus solito frequentabat, singulis diebus singulisque noctibus frequentans altaria singula, se prosternens in faciem coram singulis, flens et orans pro statu periclitantis aecclesiae, suamque animam Creatori commendans[b]. Et septuagesimam quidem partemque quadragesimae infirmus ibi peregerat; cum autem pentecosten festivo celebraturus gaudio denuo advenisset, Anno puer, filius sororis suae, unice dilectus ab eo, immaturae mortis violentia repente prostratus, novum ei dolorem, novum intulit luctum[8]. Intererat tamen communis festi publicis conventibus, praecedentes in laeticiae carminibus et vestium decore monachorum choros lugubri vultu prosequebatur, memorans illud quod et sanctus Tobias: *Dies festi vestri convertentur in luctum.* Vulnerabatur autem mente omnis qui in faciem eius intendisset; denigrata enim erat valde, coloremque pristinum prorsus immutaverat, horrorem quendam praeferens, per quem interni doloris eius aspicientes testimonium caperent.

(1075. Mai. 23.) (Tob. 2, 6.)

2. Paucis evolutis diebus, unus monachorum prioris officium inter eos gerens, Herimannus nomine, vir strenuus et totius probitatis, in regularis disciplinae custodiis nihilominus exhalavit, in cuius excessu vir Domini tantis tristiciae procellis conquassatus est, ut nihil aestimarentur in eius comparatione[c] praeteritarum angustiarum numerositates. Siquidem eum ex animo carum habens, in ea semper veneratione duxerat, ut ausu dilectionis praecipientem potius quam rogantem numquam[d] in his quae vellet inactum liquisset, ita verbis eius aures adhibens, quasi linguam loquentis interius praesidens ipse Spiritus sanctus suo moderamine regeret. Magna utrique fiducia in alio, familiaritas et dilectio indissolubilis, qua ita usi sunt, ut alter ab altero nonnumquam ore columbino per reprehensionem attrectatus, intimae caritatis dulcedine vices exploraret quasi reddendae talionis, ut etiam tam pio tantorum virorum ludo divinitas ipsa delectata crederetur arridere. Exemplum eorum quae dicimus id occurrit, quod non tam pro sui excellentia memorabile sit, quam ut eorum mutuum pectus sit satis idoneum commendare. Vir sacerdotalis ordinis insignia suis studiis nobiliter illustrans, monachis nocturnales ymnodias persolventibus solitus erat angulos aecclesiae solus circuire, vel explorandarum causa vigiliarum, quo scilicet fervore agerentur, vel orationum studio singulas ad aras habendarum. In una nocte similia eo agente, lector a priore benedictionem postulans, tardius eam extorsit, quoniam per humanam subreptionem subitaneo praeoccupatus erat somno[e], certamque suspicionem morarum ipsarum colligens, mox episcopus ingenio sagacissimus, ex nimia dilectione subridens, corde iocundatus est, viro spiritalibus exercitiis vigilantissime dedito sanctae caritatis iocum inde struere paratus, quasi torporis et negligentiae viciis tepescenti, qui fervidus aestimaretur et sollicitus. Expetens itaque conventum fratrum tempore quo loqui volentibus licentia generalis ex consuetudine est, hilari vultu priori proximus sedens ait: *Quibus in locis fuisse putamus Herimannum, monachorum ferventissimum et priorem, cum per negligentiam dandae benedictionis nocte proxima lector impediretur? Tales neglectus in eius praesentia locum invenisse, impium reor credere. Porro si non negatur affuisse, quid putamus novae rei tunc emersit, unde mens eius ab intentione sua solito longius evagaretur? Numquid fidem ulla ratio*[f] *admittit, ut, quamvis omnes vigilantia vincens, etiam ipse paululum gustaverit, quam dulcis sit dormitantibus somnus? Forsitan in id consentit communis suspicio fragilitatis, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate.* Sic episcopo virum sibi amicissimum in risum multorum seriis honestiorem compellente, ille numquam offendendae dilectionis fiducia fretus, nocte subsequenti[g] cum manu baiulans laternam — hinc dictam quod in ea lateat lumen — eum invenisset in quodam templi loco subsellio fultum sopore iam iamque deprimi, anteposito sibi lumine recessit. Radiis autem micantis flammae terrentibus oculos clausos, citius archiepiscopus evigilavit, viditque contra se positum illud luminis receptaculum, et auctorem facti protinus intelligens, resolutus est in uberiorem foris laeticiam: *Hac,* dicens, *Herimannus meus reprehensionis suae vicissitudine me profecto circumvenit.* Quis in publicis agentem tantum pontificem videns, huius umquam crederet humilitatis, cui non dubitaretur ab inferiori persona tale quid inferri? Incunctanter affirmo Deum, qui totus est caritas, cum quo regnat semper humilitas, his ludis sincerae dilectionis adeo delectatum, ut quod levitati poterat asscribi, non modo nullius culpae fuerit, sed et virtutis insigne mereretur. Utrisque post tenebras in mutua colloquia consessum petentibus, in audientia fratrum Herimannus flexo rigore paululum ait: *Archiepiscopum magnae Coloniae repperit aliquis hac proxima nocte sopore mersum laternae obnoxium.* Erat enim res consuetudinaria monachis, ut quilibet eorum negligens et pigriciae serviens infra vigilias appositam sibi per alium laternam cum lumine in

a) Incipit l. t. *desunt* 2. b) *reliqua desunt* 3 *usque ad caput IV.* c) comparationem 2. d) unquam 2. e) somnio 2. f) ratione 2. g) subsequente 2.

8) 10. *Kal. Iun. Anno nepos b. Annonis fundatoris nostri* in necrol. Grascaf. ap. Mooyer in Zeitschrift V, 51.

conspectu omnium circumferret, quatinus vigilantior ex ipso rubore redderetur ad psalmos, secundum quem ritum et episcopum ioco dilectionis prior affirmabat obligatum. Nihilominus et ipso suae reprehensioni dulciter adgaudente, vox psalmistae [9] gratulantis impleta est, quae dicit: *Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum.* Verum ut praemisimus, mortis acerbitate bonum hoc dividente, defuncti sobrietatem et probitatem moesto gerens animo archiepiscopus, post consummationem sacramentorum retro feretrum stans, hanc orationem nimis luctuose prosecutus est:

3. *Nostrarum miseriarum negocium prae manibus habemus, et quem conditionis nostrae finem habituri simus singuli, ipsis oculis considerare datur. Hae vos monent exequiae, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis, et non effugiet. Quicquid hinc excogitare potest homo, quicquid eloqui valet lingua, totum hoc expositum nobis oculorum nostrorum acie fas est penetrare. Unde generalem compendiose percurrens sermonem, ad meorum casuum specialem convertor miseriam. Proh dolor! Anno puer, quo nullus umquam mihi dilectior in hac mortalitate, praecedentibus non minus decem diebus hinc abiit. Dolor quem inde contraxi nec ad momentum quidem conquievit; et ecce, sepulturae illius* [a] *hodie deservio, qui mihi non sicut quilibet carorum meorum lugendus est. Amplius multo vir lacrimarum mearum quaerit effusionem, quoniam hic est, quem et locus iste sempiterno planctu non immerito flere habet. Heu! quae spes ultra poterit esse de statu loci, cum iaceat exanimis, cuius industria processit hactenus hic disciplina religionis? Erat quoquomodo tolerabile, quicquid huc usque divino permissu* [b] *me appetiit; intima sunt valde quae nunc me coartant, nec potest exquisitioribus manus Domini me tangere plagis, quam his quibus in periculum loci mei grassandi copia offertur adversario. Restat ut et me cunctis debita finiat mors, habetque testimonium ex me hodie, quisquis adest, antistitem vestrum non plures ex hoc supervivere dies.* Ad hanc vocem multorum lacrimis excitatis, corpus ex more terrae traditum est.

4. Ultimum in carne vivens reditum ad suos habuit, cum post haec dedicationis aecclesiae sanctique Michahelis agerentur in monte sollempnia, quae duo sibi cohaerentia festa tanto studiosius tantoque devotius illic positus egit, quanto per spiritum senserat se locum illum corporalibus oculis amplius non visurum. Recessurus [c] fratribus affectu paterno valedixit, petensque monasterium, Deo cum praesentium sanctorum patrociniis in defensionem corporis et animae suae precibus intentissimis imminebat, pacem aecclesiae, loco protectionem, animarum salutem filiis suis imprecabatur, per singulas orationes pronus in terram ruens, item solo genua figens, item ad sidera manus et oculos tendens, lacrimis sine cessatione prosilientibus, ut nimirum ad tantae devotionis instantiam merito coeli crederentur aperiri [d]. Consignatus autem vexillo sanctae crucis, flexa reverenter cervice ianuam egressurus petiit, et ecce, catenulam unam in ipso limine homo quidam quasi Deo transmittente sibi praesentavit, imperio quidem archiepiscopi confectam, divinitus autem factum, ut ea hora deferretur. Nonne consequentia rerum hoc evidenter insinuat? Siquidem in ipso momento praesul gradum introrsus flectens, locum sepulchri baculo suo signavit, ubi nunc est, imperans mox et demitti per tabulata catenulam ipsam ad subvehendam lucernam, intellectum aspicientibus satis apertum dans, quod non sine dispositione divina vir memoratum ferri pondus portans, talis horae captasset opportunitatem. Interim unus suorum militum, nomine Suithardus, ammiratione ductus imminere coepit, quid illius dispositio mensurae tam sollerter accelerata praefiguraret. *Hic*, inquit archiepiscopus, *recipiendi corporis mei dilectam mihi describo sepulturam.* Tum miles: *Quae nunc huius operis urguet necessitas?* — *Ea*, pontifex ait, *quae utique summa est mortis inevitabilis necessitas, non enim ultra me vivum locus iste conspiciet.* In pallorem ergo milite protinus immutato, signumque crucis elevata manu prae timore crebrius iterante, sermo mutuus in id rursus exurrexit, ut quaereret cur illic et non potius in choro proposuisset humari. *Hoc*, inquit episcopus, *idcirco, ne te tuique similes ad sepulchrum meum oraturos ministri divinae servitutis horis secretioribus patiantur importunos. Quis praeterea pauperculas ex rure venientes, suaeque devotionis vel poma vel ova seu quodlibet aliud sanctae simplicitatis xenium oblaturas, sineret intrare? quarum quia quo simplicior vita, eo carior est et Deo devotio. Non parum meo subtraheretur honori, si talium lacrimas non admissurus nec querimonias auditurus, solis clarorum accessibus concedendam mihi requiem elegissem. Igitur exemplo Domini duo minuta pie suscipientis et ego harum munuscula amplexurus, harum precibus aures adhibiturus, communem omnibus hic habebo sepulturam.* Sic more suo quasi per iocum, quod in thesauro cordis abundabat, militi locutus, monasterium egredi coepit. Tunc se super equum [f] mestus recipiens, quotiens processit, totiens corde reversus est, illud mente gerens, illud oculis deflens, quod ultra non visurus dilectissimum sibi locum, filiis suis planctum magnum relinqueret et fletum. Et quis super occubitu tanti sacerdotis sicca lumina vel saxeus haberet? Sept. 29. Hic est et futuris saeculis merito lugendus [g], qui secundum scripturas [10] in diebus suis non pertimuit principem, nec superavit eum verbum aliquod, qui in omni opere suo dedit confessionem Deo, qui curavit gentem suam et liberavit illam a perditione, cuius bona stabilita sunt in Domino, cuius elemosinas enarrabit omnis aecclesia sanctorum; vir magnus, vir catholicus, aecclesiae propugnator, tirannorum insecutor, dignus verbo, dignus opere, dignus omni morum qualitate summo sacerdotio, post quem non apparuit ultra pastor similis in cunctis finibus nostris. Heu! ruit in amaritudinem mortis, non pepercit illi ultrix primae praevaricationis, quin immo solito crudelior vitam eius longo

a) eius 2. b) permisso 2. c) Novissime recessurus *pergit* 3. d) *reliqua usque ad* egredi coepit *desunt* 3. e) *superscr. eadem manu* 1. f) aequum 2. g) venerandus *e corr.* 3.

9) Psalm. 132, 1. 10) Eccli. 48, 13. 14.

cruciatu caeteris inclementius mortificavit, ut insipientioribus quibusque non esset execrabile illud in quo sanctus Tobias temptatus est, et ei nihilominus obicere: *Manifeste vana facta est spes tua, et elemosinae tuae modo paruerunt*[a]. Tob. 2, 22.

5. Nam regressus Coloniam post[b] illud ultimum in monte suorum osculum, eum qui podagra dicitur dolorem inremediabiliter in dextro pede mox incidit[11], quo novem circiter septimanis miserabiliter excoctus, tandem ad extrema perductus est[c]. Sed enim incipientes primo dolores quadam animi constantia per ebdomadam, antequam rueret in lectum, utcumque dissimulare nisus est, donec ad Sanctum Gereonem die natalis eiusdem martyris missarum sollempniis assistens, tantam incurrit defectionem, ut praetermisso quem habiturus erat sermone, vix ad consummationem sacramentorum sufficeret. Hanc extremam altaris amministrationem vivens implevit, habens eam ut vere viaticum suae peregrinationis. Hac expleta, lectum mortis proh dolor! ascendit, in moerorem et dolorem omnes suos misit, Colonia ruinam eius et ipsa ruitura perhorruit. Longum est prosequi, quas miserias, quae tormenta per omnem spacium aegritudinis suae vel a medicis vel ab ipso quo tabescebat languore pertulerit; nec minus inexplicabile cuncta perscribere, quae praedixerit in spiritu, quae viderit in excessu. Tamen non omnia usquequaque praetermittentes, pauca de pluribus, ut historiae oportunitas admiserit, inseremus.

6. Cum iam exesis carnibus pellis haereret ossibus, una die versus in soporem ex labore longi doloris, in hanc evigilans lacrimabiliter prorupit vocem: *O martyr Ewalde, quas iniuriae tuae culpas infelix contraxi? tibi quid contrarii miser admisi?* Dicentibus qui aderant: *Quid haec, domine pater, tam intima nunc vult vox?* protinus respondit: *Ipsum profecto qui niger cognominatur Ewaldus, martyrem sanctissimum sacris astantem altaribus conspexi, quique meo missas agens usus obsequio, post earum amministrationem in casula purpurei decoris, in vestimento nivei splendoris pulcher et roseus, ut nuper ex lavacro veniens, in coelos receptus est. Eius ego miser sacra vestigia secutus ad ardua, ubi post eum pede levato ianuis coelestibus sperabam admitti, heu! violenter ab eo repulsus, hanc ut sentio mortalitatis caliginem adhuc inhabito.* Quae dicens in tantam lacrimarum effusionem resolutus est, ut astantes miseratione concussi, et ipsi cum flente pariter flerent.

7. Habuit in ea tribulatione, quam diu supervixit, aliquos iuxta se sui coenobii fratres, interdum et ipsum abbatem, qui per vices[d] venientes et recedentes[e], quantulamcumque recreationem servo Domini suis praesentiis amministrabant. Ubi succedentibus aliis, alii benedictionem recessuri postulabant, ille more misericordissimae matris abeuntes, ut numquam reversuros filios, eiulato[f] magno prosequebatur. Interim unus ex senioribus, vocabulo Reginhardus, officio prior, adveniens, salutationis verbum, ut aegro competebat, mestus optulit, inde colloquium eius secretius expetens, cum magno moerore sic exorsus est: *Heu! pater et domine, quae vestrorum erit amodo spes, quae nostrarum lacrimarum deinceps consolatio, quae desolandi loci vestri iam ultra restauratio? Ecce, iam emortuo vobis solum superest sepulchrum, nec frustra de sospitate nunc agimus; in quo vehementius pro tempore pulsamur, hic nobis timor est, ne, qui vivum possidere digni non fuimus, saltim nec mortuum vos habeamus. Unde consequens creditur et cum magna iam formidine expectatur, ut in desolationem domi forisque omnia loci vestri domicilia vertantur. Quo facto necesse est et nos, qui Dei vestrique causa montem hunc incolimus*[g]*, miserandam pati dispersionem, cum rebus omnino sublatis, nuda tantum corpora cum iniuria frigoris et inediae possideamus.* Ad haec cito spiritu collecto vir Domini respondit: *Sit timor iste vestris omnino remotus a sensibus! illam quae Deus est veritatem testor, emisso spiritu membra mea, sicut optaveram, ad vos transitura, quamquam multis adversantibus sed minime proficientibus; ex magna pendeat adhuc difficultate id qualiter et quando fiat. Habeant interim tristiciae vestrae modum, ea postremo certae spei consolatio manet, quod deficiens vos modis omnibus sepeliendus adibo*[h]. *Alioquin, et me pariter et locum Deo*[i] *perisse certum est. Sed aderit bonus dominus, aderit eius gratia, veniamque locum salvaturus et per locum ipse salvandus, vos tantum coeptis insistite, immo coepta melioribus studiis augete, profecto laboris vestri fructum hic et ibi centies habituri. Nulla successorum meorum suspicione terreamini, rarus quilibet ex eis in aspectu tumuli mei non inclinabitur ad reverentiam meam, cum et brutum animal, si comminus transeat, insensibile non sit ad exhibendum honorem. Sed eum, cuius pravitas sese extulerit in meum contumeliose contemptum, paratus expectat interitus, et vae illi, quippe cui melius esset, si numquam natus fuisset.* Post haec abeundi licentiam nominatus senior accipiens, quod mandatum fratribus et filiis suis pater et pastor dilectissimus per eum dirigere vellet, inquisivit. Ille mox elevata voce cum ingenti fletu respondit: *Animam meam et corpus meum.* Iamque ianuas egressuro[k], voce post eum missa, verbis his eum[l] alloqui coepit: *Quae circa me sunt oculorum tuorum testimoniis lucis huius mihi spem negant, sed te, dilecte frater, per Christum precor, ne negligas neque cito labi sinas unicum spei meae praesidium, montem scilicet*[m] *illum, quem post me necesse est tuae probitatis et constantiae specialiter inniti solatiis. Tu magnorum ei periculorum causas adimes, si cunctae religionis extirpatricem, liberam praevaricandi voluntatem in singulis regulari*[n] *districtione cohibueris, custodiens illud Salomonis*[12]*: „Filiae tibi sunt, serva corpus earum, et non ostendas*[o] *hilarem faciem tuam ad eas". Et certe noveris etiam nunc talium conventicula tecum, abhinc autem multo numerosius, quorum cor et opera erunt in destructionem loci, si quas remissioris studii vias sequi coeperis*[p]*; quin potius animum auctoritate regulae viriliter armans, occurre coeptis pravorum, ne magnis*

a) parvae erunt 2. b) post — osculum *desunt* 3. c) *reliqua usque ad finem capitis VI desunt* 3. d) pervicem 2. e) et recedentes *desunt* 2. f) euigilatu *corr.* eiulatu 3. g) incolumus 2. h) abibo 2. i) deo iam p. 3. k) ianuas eo egr. 2. eo *post add.* 3. l) *deest* 2. 3. m) videlicet 2. 3. n) regali 2. o) ostendes 2. p) quod absit *addunt* 2. 3.

11) De his morbi initiis ad Annonem litteras dedit Erpho abbas Sigeburg. in Sudendorf Reg. II, 34.
12) Eccles. 7, 26.

iudiciis obnoxius loci mei ruina gravis existas. Haec senior ille non intelligens[a] qua prosequeretur intentione, post eius hinc emigrationem paucis mensibus elapsis, electione fratrum coactus est onus suscipere totius monasterii, quod et hodie patris Annonis memor, velut is cui bene crediderit in id ipsum, fideliter et cum magna sollicitudine gerit, non suis viribus sed Christi per annos iam 29 sustentatus et gubernatus. Hic usque nunc multis efferens insigniis[b] suum, ut vere creditur, unicum intercessorem, praesentis capituli testimonio nititur approbare, qualis et quantus in futurorum quoque praescientia fuerit.

8. Paucis post verba superiora diebus interpositis, magnates et quorum sententias sequi reliquos tam de clero quam de populo certum erat, ad se vir Dei generaliter introire iubens, in[12*] lecto consedit, acceptaque stola pontificali, ut videlicet verbis plus inesset auctoritatis, universos adiuratione tremenda suppliciter et quam intime convenit, ne quas transferendo corpori eius in Sigeberg contrarietates inferri paterentur, etiam et excommunicationis terrorem, quantum sibi concessit auctoritas et nomen pontificis, omni intentans, qui vel actu vel consilio ne fieret obsistere conaretur. Et quatuor prope ebdomadas ante suum adhuc habens exitum, honorabilem virum Erphonem iam dicti montis abbatem, quem canicie respersum angelica paterno nomine semper honorabat, aliorumque monasteriorum patres et monachos non minus ad duodecim se circumsedere fecit, et cordis oculis in omnem suae conversationis lineam defixus, confessione publica se reum, se peccatorem clamavit, satisque indignum qui tanti sacerdotii nomine gloriaretur eatenus; et protinus stolam pontificalem a cervice tollens eis optulit dicens: *Ab hac longe meritis alienus, vobis eam poenitens et confitens restituo; non enim eius insigniis[b] elata cervix mea diutius abutetur, qua meo iudicio digne numquam circumdatus sum.* Reclamantibus universis, abbas Erpho tandem ab offerente victus, eam suscipere consensit, auctoritatem vero colligens ex fiducia, his mox verbis uti coepit: *Ingens humilitas vestra, bonorum cordibus commendabile factum vestrum, qui respectu timoris Dei nobis meritis et ordine infra iacentibus vos in tantum subiecistis, ut praeceptores episcopalis excellentiae vestrae iam habere debeatis[c]. Per illam quam Dei filius pertulit sanctam obędientiam vos obligamus, ut stolae vestrae privilegium et auctoritatem interdicta dilatione recipiatis. Licet enim propriis iudiciis in ore teneatis vitae vestrae qualitatem eius eminentiae non congruere, non idcirco tamen evacuastis[d] aut ullo naevo commaculastis[e], si quod in oculis summi iudicis bonum et episcopali nomine dignum possedistis, quin immo quia iustus in principio accusator est sui, itemque quia per prophetam[13] loquitur Deus: „Dic tu iniquitates tuas prior, ut iustificeris,“ non mediocriter illud auxistis.* Non erat reluctandi sanum aliquod consilium; id solum agebatur, ut ab omnibus collatione facta numerus missarum caeterarumque determinaretur orationum, qui pro confessis viro Dei solveretur a singulis. Actum est hoc secundum quod dicitur: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et non discedet donec aspiciat Altissimus.* (Eccl. 35,21)

9. Cum[f] post haec acrioribus ad finem ungueretur doloribus, non immemor quibus iam olim patronis de coelesti municipatu spem hausisset, eos exiturus ante dies aliquot ad matrem aecclesiam fecit apportari, se vero sellae superpositum in occursum eorum ferri praecepit, accurato satis amictus habitu, quem non habenti proprium archidecanus interim ex suo concessit. Erat tellus recentibus pluviis tunc madida nimis, locusque, quem sub divo[g] aeger occupaverat sustinens advenientium reliquiarum transitum, aquis hinc inde collectis luti mixturam in partes[h] congesserat. Itaque singulis feretris honorem demisso capite reverenter offerens, ubi postremo sancti Severini membra (12) comminus intuitus est, emissa voce ingentium fletuum ante venerabile scrinium eius, de subsellio pronus ruit in coenum, ut indumentum illud niveum et admodum preciosum illo coenoso volutabro maxima ex parte inficeretur. Multitudo statim utriusque sexus sequens sanctorum vestigia, pietatis affectu[i] miserabiliter inmugiens, tantis eum lacrimis est prosecuta, ut et hodie testentur aliqui eorum, non se lamentum huic simile aliquando persensisse. Concusserat enim universorum viscera, quomodo qui summi sacerdotii dignitate, sanctitatis etiam privilegio singulariter in regno celebrabatur, in tantae devotionis humilitatem cunctis aspicientibus se deiecisset, ut quo despectissimus quisque pannis pauperrimis septus inclinari refugeret, illic ipse splendide circumdatus flens et eiulans toto corpore prosterneretur. Iam nullius cognitionem latebat, quantum fidei quantumque[k] spei sibi constaret ad illum, cui prae caeteris sanctis in tanta contritione se substravisset, etiam nonnullis in mentem venit minime desperandum eius eum comparem in coelis futurum, quandoquidem id credibile faceret utrorumque meritum, unius cum Deo regnantis, alterius hic digne Deo servientis. Introductis deinde corporibus sanctis in magnam illam principis apostolorum basilicam cum laudibus, super coelestes thesauros custodiae noctis agebantur in mane, itemque vir Dei ministrorum obsequiis deportatus in templum[l], pro remediis peccatorum sacras missarum celebrationes accelerare rogavit. Tunc sacrosanctis ossibus a suorum baiulis in humeros levatis, species singulorum palliorum ad pedes eius a camerariis expositae inde protinus sublatae sunt, honoris et muneris officium ab archiepiscopo cuique patrono praesentantes. Sic eis ad proprias mansiones iam egressuris valedicens, cum lacrimis ait: *Scio, scio, quicquid hactenus in hac convalle lacrimarum de vestris auxiliis praesumebam, id vobis interdicentibus ultimum hic accepisse finem. Sed est in ingressum illius vitae mihi profecto spes abundantior et certa de vobis consolatio, quoniam et si corpori succurrere non vestris amplius insedit animis, pro salute tamen animae semper agere voluntatem non mutastis.* (13)

10. Abhinc dolor pedis omnem crus et partem femoris occupans, vitalia crebris pulsibus appe- (Lamb.)

a) intellegens 3. b) insignibus 2. c) Et subiunxit *post add.* 3. d) evacuistis 3. e) commaculistis 3. f) *sequentia duo capita desunt* 3. g) dio 2. h) nihilominus *add.* 2. i) affectum 2. k) que *deest* 2. l) ecclesiam 2.

12*) Ex Lamberto. 13) Rom. 3, 4.

tiit, ipseque dum metu propinquae mortis anxius iaceret, quadam die vidit ex adverso diabolum assistere, dixitque: *Quis nequiciae tuae, pessime daemon, hic locus est? et si non usquequaque nos exiguos, nos nullis meritis innitentes attendere dignaris, etiam sancti Martini sanctitate territus non es? etenim ultimis eius tu quoque improbus insidiator astitisti.* Exclamansque, si quis ex praesentibus suffragium sibi conferre vellet, ubi paratissimos omnes habuit, aquam benedictam protinus expetiit. Qua dicto citius exhibita, manibus aspenginem apprehendens, cum impetu contra daemonem proiecit, nec diutius illic horroris eius imago substitit.

11. Ad ultimum stolam suam pius pastor accipiens, sicut dicitur: *Dimitte et dimittemini*, (Luc. 6, 37.) qualibuscumque de causis quemlibet obligaverat absolvit, indulgentiam omnibus dedit, quam et ab omnibus humillime quaesivit, in fine contestans unumquemque, ne se pateretur incommonitum, si quid in his plenius peragendis neglexisset. Ita procuratoribus rerum episcopalium accitis, pollicitae sibi fidei necessitate singulos constrinxit, ut in exsolvendis quae debebat — nam aeris alieni non exiguae quantitati tenebatur obnoxius — sine personarum acceptione pro eo succederent, eandem iustae retributionis fidelitatem ut in christiano similiter et in Iudeo custodientes, consignans eis iuxta supputationem centenarii numeri vel eo amplius conscriptionem diurnalium servitiorum, in hos usus exequiarumque suarum elemosinas mensae cotidianae provide satis et caute subtractorum. Poterat ille auri vel argenti ponderibus inmensis suos replere thesauros, unde viventibus[a] corporis et animae periculum relinqueretur, verum non haec studia eius, sed sicut scriptum est, *dispersit, dedit pauperibus, iusticia eius manet in seculum seculi.* (2 Cor. 9, 9.) Denique non est inventa vel unius oboli quantitas eo mortuo in omni iure suo, nec laetatus est rex aut satelles eius aliusve quilibet avarus in corde suo dicens: *Haec ex Annonis amplis marsuppiis in meam hodie cesserunt inopiam.* Et tamen ex omnibus, a quibus mutuum acceperat, nullum in animae suae maledictione moriens reliquit, nec similes elemosinarum largitates aetas nostra vidit[b] vel audivit, sicut per octo dies in eius exequias[c] expendebantur faciente Deo, ne quid ab his quibus haec iniunxerat negligentiae vel artis malae fraudulenter admitteretur.

12. Ipse[d] vero suae dormitionis praevidens diem, tercia quae hanc praecedebat comitem Gerlachum, possessorem castri quod Wichinrod appellant[13*], adesse praecepit, eique dixit: *Nunc fidei tuae certum dabis experimentum, si quae sunt ultima domini tui verba impiger exceperis, quo scilicet lux crastina noctis tenebris non obscuretur, antequam te strenue satagente dux[14] Godefridus urbis Coloniae portas ingrediatur mihi locuturus.* Eo respondente nec pennarum levitatem in id valere, et prorsus omnem humanam excedere possibilitatem, in tam remotas terras, ubi tunc dicebatur consistere dux, aliquem ad eundum et redeundum sufficere sub intervallo praescripti temporis, summa ope insistendum si non et tercii diei via brevis inveniretur ad exhibendum virum, ilico sanctus pontifex subiunxit: *Frustra tercius ad haec quaeritur dies, cum intermisso crastino iam habeant finem verba mea, petente spiritu creatorem qui dedit illum.* Tunc tremefactus comes exclamavit: *Non, domine, sic; sit huius verbi mentio procul a vobis*[e]*, certa salus erit ex Deo dolorum fugatrix horum. — Ut dicis,* inquit episcopus, *non dubium in salutem stabilem me protinus immutandum, quem Severini meritum circumstat, pro quo Coloniensium patronorum generalis intercessio laborat, in quos semper totis viribus suspensus, provisam ab eis iam iam ingredior aeternam requiem. Sed tu, quem impossibilitas ipsa necessitate verbi prioris absolvit, iura fidei laesisti, si me defuncto esse contempseris nuncius iniungendae legationis ad ducem.* Statim cum sacramento comite persistente se numquam hinc infidelitatis reum argui, vir Domini confisus ait: *Ea quae pro Saxonibus pacis et veniae causam apud efferam regis mentem agant, tuae fidei mandata committo, quae duci perferens ex me, ut*[f] *ad regem ea nihilominus et ipse perferat, illam semper dilectionem illamque veritatem, quae duos nos consocians unum effecit, ad singula replicabis, addens etiam hoc, non huius anni curricula peragi, quin et eum universalis conditio sorte mea terrae pulveribus involvat.* Constat itaque ducem elapso necdum anno insidiose peremptum occubuisse[15]. Servus etiam Omnipotentis altera post haec die circa nonam veniens ad extrema, subita desperatione Coloniam omnem concussit. Aderant statim primi ex clero, exequiarum eius in omni corde suo dispositores, qui quicquid honoris et devotionis tali in negocio poterat excogitari cum clero conferentes, quot monasteria Coloniae habentur, tot celeres et expeditos nuncios ordinaverunt, qui qualicumque hora per tactum dati signi transisse vir Dei[g] cognosceretur, cursu singuli petentes assignatas sibi congregationes, etiam in transitu positas parrochianorum aecclesias in obsequium animae migrantis ad sidera festivo signorum omnium sonitu concitarent.

13. Ponebantur autem a dextris eius lectores duo, tot et a sinistris, quorum quisque per vices legens, si quando distinctionem seu pronunciationem aliquam regulae contrariam faciebat, eo mox agitante manum, se sensit excessisse; si quando vel ad modicum in legendo moras agere voluisset, oculos protinus[h] contra se violenter aperientem veritus, ultra processit. Ita vivacitatem sensus ad egressionem usque plenariam habuit.

14. Cumque positus in agone noctem diei continuasset, in illam pestem quam nostri perspiciunt oculi, qua iam miser mundus, heu! totius honestatis et religionis exutus cultibus, ubique graviter oppressus iacet, ille spiritalibus deductus oculis, subito manus, ut poterat, in alta sustollens, miserabiliter exclamavit: *Sancta Maria, succurre miseris, succurre Coloniae, succurre civitati iam iam periturae.* Fessaque paululum brachia demittens[i], denuo levatis eis ad

a) et *addunt* 2. 3. b) fudit 2. c) exequiis 2. d) *capita* 12—14. *desunt* 3. e) nobis 2. f) *ita* 2. ut ad — perferat *desunt* 1. g) virum domini 2. h) *deest* 2. i) dimittens 3.

13) cuius litteras ad Annonem vid. Sudendorf II, 33. Cf. Lambert. 14) Lotharingorum. 15) Obiit 26. Febr. 1076.

sydera dixit: *Quae sunt haec, clemens et propitia domina, quae sunt haec luminum meorum horrida quae cerno spectacula? Per singularem tuae pietatis miserationem te precor, ut hinc migrandi mihi ianua fias, ne talibus oculi mei communicent malis.* Et deficientem modico silentio spiritum recreans, item ad succurrendum Coloniae sanctum Petrum inclamavit, interdum et alia sanctorum nomina commemorans, et sic magno[a] gemitu praemisso hanc ultimam efflavit vocem: *O cuncti summi regis amicitiae iuncti, o vos in noticiam eius feliciter admissi, suffragetur Coloniae vestrarum intercessionum meritum felix!* Post hanc egredientem trahens halitum, ad illud crepusculum matutinum, in quo stellarum occubitus et tetrae noctis divisio fit, cum ingressu lucis ad ipsum regem luminis angelorum ductu perrexit, mundo luctum, coelo gaudium morte sua inferens.

15. Igitur post[16] longam egrotationem qua Dominus vas electionis suae in camino transitoriae tribulationis purius auro[b], purgatius mundo[c] obrizo decoxerat, anno dominicae incarnationis 1075, episcopatus sui 21,[17] pridie Nonas Decembris illucescente sexta sabbati, beato fine perfunctus, ad angelos ex hominibus, ad immortalia ex mortalibus transmigravit. Et[d] ecce, quendam ex coenobio suo fratrem in hospitio quiescentem quaedam in somnis vox exagitans, huiusmodi perurguebat oraculo: *Quis te nunc occupat abhominabilis sopor, cum migrantis iam archiepiscopi luctuosis vocibus perstrepent habitacula?* Protinus expergefactus, in tremore multo surrexit, dumque circa vestium suarum satageret amictum, signum insonuit, et frequentiores iterans pulsus, Israhelis veri transitum ex Aegypto clericorum catervis certum fecit, indixitque pridie paratis cursoribus haec singulis nunciare monasteriis. Brevis intercesserat mora, cum subito per omnem Coloniam clangor concrepantium signorum novus et ingens exortus est, nec facile constat ullis ingeniis, quantus moeror quantusque luctus totam mox perculerit urbem. Omnis aetas omnisque sexus a somno suo sese excutiens, nunc plausu manuum, nunc tunsione pectorum, nunc variarum vocum strepitu planctuum ritus[e] exequebatur, clamorque qui per universam Coloniam ortus est talis erat, qualis ad unius illic exequias hominis nec antea factus esse nec postea futurus esse creditur. Fundebant tacitos fletus quam plurimi piae mentis in populo, clericorum facies tristiciae cordis immutaverant, monachis, viduis et virginibus una inerat lugendi causa, speciali luctu nostra tabescebant[f] hospitia, quibus non erit Anno similis in aeternum. O quam miserabile ruit ex omni parte pauperum, orphanorum atque debilium examen, inter quos materculae puerulorum oneribus gravatae praecurrebant, pectora ferientes crinesque lacerantes; quo spectaculo nihil gloriosius illi qui pie credit illud Iesu Christi: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*, (Matth. 25, 40.) cum in obsequium Annonis euntis ad astra cordis oculis opponit omnes, in quorum sinibus abscondit elemosinam suam, qui cum ramusculis olivarum praecedentes et subsequentes in supplicationum vocibus, ad ipsam maiestatis sedem cum eo appropinquant. Felix cui concessum est tales amicos de mammona iniquo mercari, qui reciperent eum in aeterna tabernacula. Parva sunt haec, etiam in ipsis inimicorum Christi Iudaeorum synagogis primo mane clamor et tumultuatio frequens exurrexit. Annonis nomen, Annonis probitatem et vitae sinceritatem singuli clamabant, mortem eius et ipsi deplorantes. Non tamen ista scribentes inscii sumus aut negamus non ex populo solum sed[g] de clero plures partim apertam partim absconditam in eius morte gessisse laeticiam, super quibus illa profecto Veritatis vox accipienda est: *Omnis qui in tenebris est odit lucem*, (Ioh. 3, 20.) quales et apostolus notasse non dubitatur, cum dicit: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*, (Gal. 1, 10.) quamvis et in hoc Annonis praeconia sint, qui talibus displicendi operam dedit, qualibus nec ulla matris aecclesiae disciplina placet. Et mirum satisque divinae dispositionis super Annonem evidens iudicium, quod cum constet multos Coloniensium eius perosos vitam — sicut de illis sentiendum[h] est, qui eum urbe dudum proturbaverant — ita tamen ad eius exequias civitas[i] omnis prona fuerit, ut ex quo Colonia fundata est, tales in ea numquam fuerint exequiae, nec umquam deinceps habendae sint. Non enim, si ipse totius aecclesiae pastor Petrus apostolus corporali praesentia urbem inviseret, amplioribus posset excipi triumphis, quam funus illud per septem dies frequentatum est, si tamen[k] et funus dici potest, quod non ut funus sed ut vere coeleste munus Colonia per sex dies in protectionem murorum suorum filiorumque suorum sanctificationem circumducens, septimo tandem cum apparatu magni comitatus tam honorifice quam luctuose monti Sigebergensi destinavit. Sed[l] iam quae funeris huius exequiae fuerint, ut vires suppetunt, prosequamur.

DESCRIPTIO EXEQUIARUM[m].

16. Corpus examine lotum et sacerdotaliter in feretro compositum adhuc a ministris horum tractabatur, et ecce, die[n] nondum plene illucescente, clerus totius Coloniae cum crucibus adveniens in curiam regiam, cum innumera urbani et suburbani populi frequentia aedes episcopales circumsteterunt, excepturi non ut mortuum sed tamquam vivum, ad aliqua magnae festivitatis gaudia triumphaliter procedentem. Tunc humeros suos oneri sacratissimo subicientibus personis venerabilibus clericorum et monachorum, cum planctu et eiulatu sequentium ministrorum ad stantes[o] foris cum episcopo Mindonensi clericorum catervas deportatus est, duobus cum baculo crucisque suae[p] vexillo praeeuntibus; ad quod spectaculum quis flentium et gementium mugitus ortus sit, se quisque iudice perpendat, hoc ad describendum nostri stili paupertas attemptare formidat. Sic omnis ille chorus in psalmis et canticis ante pastoris extincti corpus sese agens, cum magno reboantium signorum fragore atrium templi

a) cum m. 3. b) *post corr.* argento 3. c) *post corr.* auro 3. d) *reliqua usque ad* proturbaverant *desunt* 3. e) ritu 2. f) contabescebant 2. g) sed et 2. h) sciendum 2. i) Civitas o. ad e. e. ita p. fuit 3. k) tantum 2. l) Sed iam — acceleratus est *desunt* 3. m) *desunt* 2. n) *deest* 1. o) ast. *corr.* adst. 1. p) sanctae 2.

16) Ex Lamberto. 17) Vide infra Translat. S. Annonis c. 7.

celeberrimi transmissis ianuis petiit, ubi depositum est feretrum in ambitu medio dependentis illic operosae coronae, super eam multorum luminum radiantibus flammis. Assunt statim monachorum multitudines, assunt et sacrarum feminarum chori. Cumque seorsum singulis congregationibus convenientibus vigiliarum decantationes officiose agerentur, a vocibus eorum angulis universis repletis, templum omne resultabat. Aderat hora sacrificiorum post haec, et congregatis in unum omnibus magna cum reverentia cumque devotione summa, venerabilis Mindonensium praesul Egilbertus, sacro ministrorum ordine vallatus, accessit ad altare, quem prosecuti sunt universi psallentes et flentes. Ita ministerium suum moremque sacramentis ad finem usque accipientibus, cum stolis suis omnes post feretrum sacerdotes convenerunt. Tunc dolor, tunc luctus, tunc gemitus et suspirium increverunt, magisque affectu clamante quam voce cuncti personabant: *In paradysum deducant te angeli, in tuo adventu suscipiant te martyres, et perducant te in civitatem sanctam Hierusalem*[a]. Non erat, cui vel modica pietatis scintilla inesset, qui non ad intuitum illius servitii, quod ea die solvebatur Annoni, totus compungeretur. Ipsae canentium voces, ipsae carminum suavitates, ipsi verborum sensus, sed et offerentium ordines atque multitudines testimonium erant Annoni, quod eius cum angelicis spiritibus in coelesti Hierusalem[a] iam agerentur festa. Omnia compunctione plena monstrabantur, digna[b] tanto funeri. Collectus est interea coetus ex omni Coloniensis aecclesiae magistratu cum subiectis sibi personis ad huius consilii prope generalem intentionem, ut, pari sententia cunctis annitentibus, corpus sacrum suo confovendum in gremio Colonia iure defenderet hereditario. Id aliis propter bonam voluntatem, aliis propter invidiam instantissime deliberantibus, hi quos olim in Gradibus ad honorem sanctae Dei genitricis vir beatus collocaverat, compositis satis nitebantur clerici querimoniis, quod scilicet publicae detraheretur iusticiae, si praeter eam, quam apud eos primam[c] mensus erat sepulturam, aliam, quamvis ab ipso dispositam, aliis in locis iam mortuus[d] occuparet. Non difficile fuit hanc eorum assertionem aliquod[e] rationis insigne emereri, cum in id eis quoque tacentibus communis fieret acclamatio, partim proprio cuiusque prolata libitu[f], partim spe munerum a praeposito Graduum Rodulfo[g] capiendorum excitata. In hanc sententiam cum et procerum ferretur consensus, soli tres, Sigewinus scilicet archidecanus, atque vicedomnus[h] Herimannus[18], utrique post beati viri transitum eius cathedrae successores, et comes Gerlachus[19], acerrimis pugnis obsistentes, nunc prece nunc conviciis in contrarios agebantur, praeter perfidiae malum inexpiabile nefas dicentes parari, cum constaret omnibus anathematis sententiam iam eum accepisse, quem ullus consensus huic addiceret conspirationi. Nil per triduum sic eis proficientibus, quarto die, cum obstinatiores animos habentes ad similem tractatum singuli partis utriusque convenissent, post multas tandem concertationes comes Gerlachus, medio consistens in concilio, constanter ait: *Esset utcumque tantorum sententiae adquiescendum, si non ipsa publica pro nobis ageret iusticia, quae, si scire vultis, ea lege vos sicut et nos a domino nostro, suae sepulturae liberam adhuc electionem habente, tenet obligatos, ut in animarum nostrarum grave periculum redundet, si quid assentientibus nobis extra dispositionem eius hoc in negocio processerit. Certe vestrae senserunt aures, quam periculosa contra nos auctoritas sua huius pertinaciae vestrae praescia sese erexerit imprecatione, ut sanum sentiens lucis huius dispendia consultius eligat, quam tantis obnoxium fieri maledictionibus. Et ecce, res in contrarium cedit, cum ardentius*[i] *appetitur quod animam luere necesse sit, quam in id adduci quod minime corpori adversetur, et tamen non parum animae pro solo bonae voluntatis merito conferat. Itaque si vestrae partis diffinitio nil horum veretur, non ideo mihi reor integrum exemplo vestro domini mei, cui fidem debeo, adiurationes aversari, cum in gladium excommunicationis protinus ruendum sit, quin immo, et si proposita divinitus non urgueret ultio, nihilominus humanae leges id fidei meae pro mundanis honoribus adiudicarent, ante suprema nobiliter appetere, quam iniurias cuiuscumque mihi sacramentis addicti domini sine manu defensionis ignobiliter praeterire. Quod fidei genus cum in alia qualibet debita persona necessario videatur exhibendum, quid putatis tam amplae debetur personae, a coelesti senatu medio consessu iam receptae, cuius dignitas ex eius cui praesedit urbis nobilitate non minus est aestimanda, quam ex culmine summi inter sacerdotes*[k] *ordinis? His exceptis, eius vitae tanta profectio coram Deo fuit et hominibus, ut beatus merito praedicetur, cui donatum fuerit in eius defensione vel contumeliis agi, vel necessitate mortis involvi. Proinde vestrarum partium intelligant omnes, hanc me conservandae fidelitatis in dominum meum hodie sententiam elegisse, ut si non aliter eius corpori via creditae nobis sepulturae aperitur, commilitonum meorum auxiliis illud constanter hinc eiciendum, gladiorum vero nostrorum ictibus defendendum, donec iusticiam vel nobis vel vobis victorum mortes loquantur.* Haec comite satis animose perorante, caeteros cum silentio metus invasit, solus adhuc cum suis praepositus Rodulfus obniti ac iurgia serere non cessavit. Sed et hic citius repulsus est, improbitatem hominis non ferente comite, quem et aggressus his verbis in omnium audientia deiecit: *Numquid vestrae vos adeo deludunt intentiones, ut animi nostri libertatem verbis levibus et impudenter prolatis in hanc turpis ignaviae deiciendam aestimetis ignobilitatem, ut imbelles vos depositi nostri patiamur invasores, pro quo ferro decertare nitimur? Ridenda quidem haec vestra satis impu-*

a) Ierusalem 2. b) condigna 2. c) ipse *addit* 2. d) mortus 2. e) aliquid 2. f) lubitu 2. g) Rudolpho 2. h) vicedominus 2. i) *in syllaba* ar *lacuna incipit codicis* 2; *desunt sequentia omnia usque ad verba* exceptum ferebatur. k) sacerdotis 1.

18) Herimannus III a. 1089 consecratur; vid. Ann. Hildeshem. 19) *Gerlachus comes Liemobandinus* inter testes est in tabula Annonis 1074 ap. Schultes II, 5.

dentia, nec ad confutandum eam multis nunc ambagibus agendum; sufficit scire numquam vos ad id, quo avare intenditis quovis ingenio, perventuros. Nam et si nobis adhuc incognito rerum eventu necessitas haec accesserit, ut merito peccati efficiamur immunes, postquam assensi fuerimus urbem privilegio sepeliendi corporis uti, tunc quam maxime vos inutilem assumpsisse laborem pudebit, quippe quos cooperari necesse sit beatis membris ad accipiendam in choro Sancti Petri condignam, nec ulli, quamvis sanctissimo, ante concessam sepulturam. Sic quoque praeposito cum clericis remoto, omnis illa controversia soluta est, respiciente Deo pauperes suos, quorum labor in orationibus, in vigiliis et ieiuniis infatigabilis eousque perstitit, donec desiderati corporis thesaurum in sua susciperent. His ita se continentibus, ad ordinem recurrendum est exequiarum.

Post actas primae noctis excubias ad Sanctum Petrum circa funus inclitum, secundae lucis aurora surgente moerentium populorum plena mater aecclesia novos iterum planctus, novas habere coepit lamentationes; clericorum, ea quae et pridie, ingens affuit frequentia, festivumque salutaris hostiae fervebat ministerium. Post haec et commendatione decursa, viri, devotione pariter et moerore pleni, ad sacri corporis feretrum suas humillime cervices inclinantes, tamquam verae divinae propitiationis arcam illud cum lacrimis et mugitu cordis in humeros exceperunt, gressibus ad portam directis, quae versus meridiem respiciens, ituris ad Sanctum Martinum per curtem regiam transitum praestat. Insonuerunt post eos aecclesiastica signa magno statim clangore, psallensque chorus [20]: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* et consequentia, sanctissimi corporis glebam luctuose praeibat, principibus cum multitudine populi promiscui sexus et aetatis retro conglobatis. Quis illas lacrimarum miserias, quis illas planctuum confusas explicet voces, a primo viae coeptas ingressu nec cessantes? Magnus omnium dolor, nec minor universorum devotio. Cerneres nunc alios, vix prioribus ad subvehendum loculum admissis, sese precioso ponderi violenter pro eis ingerere, nunc et ipsos aliorum violentiis exclusos in partes constitisse, sed omnes ita vel ad tactum feretri certatim inhiare, quasi magnae benedictionis opes inde cuique funderentur. Stabant in hostiis domorum suarum, qua transitus erat, pudibundae matronarum turbae, viri suis abstracti seriis his iungebantur spectaculis, et sicut olim egrediente Moyse de castris ad tabernaculum foederis surgebat universa plebs, et adorabant per fores tabernaculorum suorum vultibus post eum missis, sic et tunc videres unumquemque pie manus protendentem, suppliciter caput agitantem, insequi luminibus post illas flendas et plangendas terris exequias, donec fessas stupor invadens acies ad se quemque lacrimis infectum converteret. Secundum haec per unum quodque ductus monasterium, tam splendidos tamque triumphales est consecutus ingressus, ut vix pares superorum aliquis crederetur habiturus. Nam et templa cereorum ac lampadarum hinc inde fulgoribus illustrabantur, auri gemmarumque luce radiabant altaria, ipsi parietes diversorum colorum peplis vestiebantur, super haec et corpora sanctorum locis suis mota, quae numquam exequiarum ritui ante deservierant, tunc ordinatis processionibus educebantur, nimirum hanc devotionem hominum volentibus ipsis, in quorum ossibus perficiebatur. Nec enim reor id sine vi occultioris inspirationis humanas excogitasse mentes, sed hoc secundum illud euangelicum: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis,* (Matth. 7, 2.) Annoni coelitus attributum, ut, qui vita vivens hac quicquid corde, quicquid ore, quicquid manibus sive pedibus pro coelestium honore civium scivit ac potuit, perpetuo meditabatur, huic exeunti conferretur id singulariter, ut comitatu sanctorum solus eo modo dumtaxat uteretur ad tumulum. Quis enim parem se studiis Annonis in eorum veneratione praesumit? quis ita thesaurorum inflammabatur umquam cupidine, sicut is minimis saltem reliquiarum eorum portiunculis? Ideoque rarus quis, cuius funus ita vallatum sit ipsis quae venerabatur sacrorum corporum frequentiis. Et cum his adhuc potiora sequantur, ut et ipse sit unus eorum, quibus terra patronis, coelum principibus gloriatur, nonne merito stupidi remanentes in illam dilabimur exclamationem, in quam et facundissimus Heliae praeco deficiens effusus est, ut diceret: *Et quis poterit similiter tibi gloriari?* (Eccli. 48, 4.) Nam nos vita vivimus tantum, post mortem autem non erit tale nomen nostrum. Sed ut ea quae coepimus persequamur, fervebant universorum studia circa beatas exequias, in eo se quisque gloriosiorem reputabat, si prae caeteris amplius vel novum quid suae devotionis in earum apparatum videretur exhibuisse. Fiebant in omni loco missarum celebria, fiebant et alia religionis officia, nec in his agendis aliquid umquam occurrit impedimenti, ipsa prosperitas Annonis sanctitati creditur arrisisse. Et primo quidem ab aecclesia matre ductus ad beati Martini coenobium, secundam habuit stationem monasterium sanctae Mariae cognomento novum, inde cum et limina sanctae Ceciliae reverenter eum excepissent, ad dilecti sibi martyris Georgii basilicam a se constructam vehementioribus piorum deportatus est luctibus. Ibi iuxta corpus excubiarum ministris per noctem locatis, reliquus defluxit grex, secundis tenebris post perfunctionem hominis Dei terris sese immergentibus. Has cum tercia lux intrans abegisset, item coetu conveniente post sollempnia immolationis sacrae sublatus in humeros, pastor exanimis etiam sui iocundissimi intercessoris Severini fit moeniis proximus. Quis non hic lacrimarum locus, cum eius qui petebatur inclita membra sacris e sedibus obviam prolata, quae dignitatis privilegio primitus exigebant honorari, facta sunt ad obsequendum felicissimo funeri prima? Erat in oculis aspicientium admiratione plenum visuque dignum, quod is qui portabatur extinctus tanti sit habitus, cuius cadaver a tam sublimi pignore obviis ut ita dicam manibus exciperetur. Et hic ergo maximae venerationis ingressum habens, peractis his quae iura sancti poscebant altaris, protinus in beati Pantaleonis praestantissimum religione censuque coenobium gloriose transmissus est, sicque commendatum apud aecclesiam quoque nominum

20) Iob 2, 10.

apostolicorum, atria sancti Gereonis non in morem funeris, verum ut triumphorum ritus exigunt, ambitiosissime susceperunt. Etenim in adventum eius extra fores basilicae sanctis in multa reverentia procedentibus, micabant intus crebri luminum fulgores, resplenduerunt hinc inde diversae metallorum species, mixtus clangentium signorum sonitus clarius diffundebatur, eratque sicut in iocunditate praecipui festi totius templi facies. Itaque susceptus ad instar alicuius, ut erat, ex ordine superorum, psalmorum vigiliarumque continuatione, donec postera dies illuxisset, sollempniter ibidem habitus est. Mane collectis ad divinorum pro eo ritum sacramentorum more suo frequentiis clericorum atque civium, iterum commendatur, iterum circumducitur, renovantur in eum studia singulorum; occurritur ei de monasterio sancti Andreae, principis apostolorum germano, domicilia sanctarum virginum sua praemittunt pignora venientis in obsequium, nec minus gloriosior ei patet aditus apud Sanctum Cunibertum. Illic duorum Ewaldorum preciosis corporibus dextra laevaque compositis, medium inter eos apicem iure domui praesidentis praenominatus sacer occupat. Tres igitur isti summae Trinitatis honorem ipso numero praesentantes, cum in singulis loculis obvii ferrentur, quomodo putamus non et astra stupuisse? Si Christus ipse visibiliter ingrederetur, praeter haec quid gloriosius offerretur, homo non inveniret. Ad Gradus deinde versa multitudine, specialis quodammodo per solam lacrimarum gloriam ei patebat introitus ad illam totius mundi suamque dominam, Dei genitricem Mariam. Hic increverunt dolorum stimuli, hic primae sese repraesentarunt lacrimae, crescebat planctus moerorque sine consolatione, cum in oculis omnium sub morte iaceret Coloniae decus. Inter haec a prioribus habito concilio res erat, ut in augendis honoribus viri Dei suam quisque sententiam ederet. Quasi viliora nec adhuc digna funeris obsequia dederint, in commune deliberant, ut proxima luce novo devotionis genere generalis illic celebretur conventio, familia ac familia suos patronos ex singulis aecclesiis honore condigno sequente. Quid plura? post noctis horrorem sole terras illustrante, velut indictione publicarum laetaniarum urguente, multi religiosorum ex utroque sexu, sumpto contritionis et humilitatis habitu, diversarum aecclesiarum in locis sese collegerunt, per plateas alii aliique congregabantur, innumeri vero propriis in locis expediti manentes, horam egredientium sanctorum captabant. Sic urbe otio sancto vacante, ordine hi suo praeeunte patrocinio per hanc, illi per illam, singuli denique singulas per vias transitum habentes, expectantium multitudines in magnis laudum vocibus post se traxerunt, eratque novitas ingens eo ritu funereos invisere threnos. Praedicanda saeculis Coloniensium fides, qui sui pastoris ultima tam splendide sunt prosecuti. Mira dicturus sum; post ingressum reliquiarum sanctarum cadaver exanime, nec ullis adhuc signorum attestationibus commendatum, stantibus in circuitu sanctorum loculis medium ponebatur, ut putaretur quasi quodam inter eos praecellere principatu, quibus saltim aequiparari summorum est. Quid alii sentiant ignoro, stuporem meum ipse non capio, nusquam investigare valens, quem morientium similis circumdederit gloria, ad cuius funus applicarentur, quibus prae sanctitatis horrore vix a viventibus appropinquatur. Quinta iam dies in huiusmodi studiis agebatur, nec erant residua quae lustrarentur oratoria; 5 ipsam statuerunt revisere sedem, ut membris ultra Renum postera die transferendis inde pateret exitus, unde pastoralis quondam cessit introitus. Levantur itaque sacrorum corporum aeterni magnique thesauri, beatissimum funus in eorum medio quasi 10 quoddam singulare patrocinium gestatur, praeeuntium atque sequentium alii fletus, alii cantus immolant, et per cimiterium interiacens omnes a Sancta Maria procedunt ad Sanctum Petrum. Numquam tantae pulchritudinis ingressum ibi meruerunt 15 exequiae, vix umquam triumphus clarior ibi regibus fuit. Uterque chorus omnesque coronae per girum lampadibus ac caereis innumeris radiabant, ingens amplarum aedium spaciositas prae nimia populositate coangustari videbatur, sed et illud 20 ornamentum insigne, baculus sancti Petri dictum, cum diverso reliquiarum ac crucium ornatu ferebatur obvium, et ut paucis comprehendatur quod multis verbis explicari nequit, nec dignius nec iocundius quid ultra quod exhibitum est, potuit ex- 25 cogitari. Et cum in occidentali choro contra memoriam principis apostolorum exequiarum baiuli substitissent, membris beati Severini super aram repositis caeterorum corpora circa cadaver distincta sunt, liminibus in alteram lucem adeuntium fre- 30 quentia per totam noctem perviis. In ipso autem diurni sideris ortu non potest credi, cum quanto tumultu ianuas invaserint et clerus et populus, nec praesto sunt verba quibus exprimatur, cum quanto studio missarum sollempnia commendationesque 35 peregerint; minus autem dicere volenti virtus suppetit, quomodo post haec ad Renum processio sese habuerit. Ex parte tamen id quisque conicere valebit, si intimis auribus illius responsorii verbis intenderit, quem a Sancta Maria digredientes et per 40 Gradus ad Renum descendentes in hunc modum nimis luctuose satisque prophetice succinuerunt: *Aspice, Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis, sedet in tristicia domina gentium, non est qui consoletur eam nisi tu, Deus noster.* Hoc magnae 45 compunctionis carmen satis approbat, cum quo luctu, cum quo moerore pastoris illius egressum Colonia sit prosecuta, quam internus dolor concusserit omnes, in quorum oculis navis eum, numquam precium simile reportatura, suscepit, quem nisi miseratio divina 50 suorum lacrimis serviens nobis misericorditer annuisset, numquam in id vis ulla valuisset. Cum autem flentium atque dolentium altis plangoribus litora perstreperent, et suo quisque sanctorum humeris subvectus econtra teneretur in loculo, astan- 55 tibus pariter nonnullis, quorum animos ab olim maliciae fervor in virum Dei concitaverat, evidentissimo divinitatis miraculo palam innotuit, quibus meritis inter angelicos choros viveret, cuius mortua membra ultra humanam operarentur possibilitatem. 60 Siquidem portu relicto, cum ulteriora spectarent omnia, repente contra decursum fluminis navis ascendens, instar sagittae, cum impetu ripas attigit optatas, fortassis eadem violentia invitis nautis altius pervolatura, si non cominus sita beati Heriberti 65

praepedissent domicilia. Quod ut eo magis novam saeculis augeret admirationem, remiges ipsi quadam torpentes ignavia vix manus movisse visi sunt, sed et hiemalibus pluviis et glacie Renus ultra solitum plenus nimis intumuerat, et tamen, sicut olim in spiritu venerabilis sacerdos praedixerat, feretro sacri corporis ad transmeandum composito, navis libero cursu fluctus ascendens, ad litus evasit, ut videretur et ipsa viae sanctarum reliquiarum suis applaudere ministeriis. Ad quam visionem attonitis omnibus, quos in alia parte puppis contra naturam iam inferiores habebat, quidam ore pio gloriam Deo dicentes, alii, quos pridem odiorum ignis nequiter exusserat, suspirantes pugnisque pectora ferientes, in sua quique redierunt, impleta prophetia, quam post descriptionem operum divinorum psalmus [21] infert dicens: *Videbunt recti et laetabuntur, et omnis iniquitas oppilabit os suum.* At hi quos honore funeris trans flumen affectus traxit, sacris pariter inhaerentes exequiis, aecclesiae sanctae Dei genitricis, qua sacer in signis crebrescit Heribertus, eas intulerunt, noctem in ymnis et psalmis pervigilem habituras. Nec se Coloniensium adhuc intercepertunt studia, quin immo quatenus septimi diei numerus et devotionis eorum et fidei plenitudinem saeculis commendaret, post servitia matutinalia catervae clericorum, monachorum ac sanctimonialium cum civibus Reni litora petentes, in alteram ripam ante lucem pervenerunt. Aecclesiam protinus ingressi, dum seorsum feminei, seorsum viriles ordinantur chori, dum in duos ordines monachi distinguuntur et clerici, dum ministrorum altaris eligitur paraturque numerus, inter haec et copiosis cereis templi facies illustrata resplendet, ortus primi diluculi tenebrarum prodidit fugam. Nulla deinceps mora, canentium excitatis vocibus et ritus sacrificiorum et omnis commendandi mos, qua decebat reverentia, sollempniter acceleratus est. Aderant episcopi duo, Fridericus Monasteriensis eiusque comprovincialis Eilbertus [a] Mindonensis, ambo suorum temporum decus, digni procuratione tanti funeris; aderant et universa maiorum Coloniae capita, praeter hos et nobilitatis magnas constipationes episcopalis familiae religiosorumque greges, populus scilicet absque numero, parati coeleste pignus in montem usque pariter prosequi. Per medios harum frequentiarum cuneos, psallentium choris vallatum, venerabile ducebatur funus, quod [b] iumentis superpositum, immo nobilissimorum virorum, simul ob hoc ipsum tunc pedibus incedentium sibique per vices succedentium, nunc manibus nunc exceptum ferebatur cervicibus, gravi per omnem viam tunc existente luto, quod nuper resoluto gelu vehementius ingruerat, cum vix ullus servilis conditionis, et prorsus nemo equitans infra iactum lapidis feretro permitteretur accedere. Tunc aera personuerunt, intremuitque tellus a clangoribus signorum per totam Coloniam pulsatione diutina post illud insistentibus, et donec vivacitas oculorum patiebatur abeuntium imagines, non cessabat huiusmodi [c] per urbem tumultuatio, ut quodammodo rerum insensibilium voces clamare viderentur, quod [d] humanorum affectuum ora pridie deflebant psallentia: *Aspice, Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis* [e]. Hoc honore viarum ipsarum consecratis exitibus, mons a Deo dispositus appropinquantium iam offerebatur oculis. Deficiunt hic verba cum sensu. Quis enim digne miserias occurrentium monachorum, dolores aspicientium populorum, planctus utrorumque exponat? Non in strage primogenitorum luctus Aegypti dirior, non in occisione Saul et Ionathae planctus Hebreorum [g] immanior; nec sic excidium Ierosolimae deflet pagina Ieremiae, quomodo totum illud congregatorum examen ea die mortem prosequebatur Annonis. Ruebant super feretrum monachi miserrimis inmugientes vocibus, alterumque quasi [h] Iudam prostratum contrectantes, vociferabantur: *Quomodo cecidit potens, qui salvum faciebat Israel?* (1 Macc. 9, 21.) Et haec et similia diutius agentes, flebant usque quo deficerent in eis lacrimae. Nec vero virtus erat ad psallendum ingredientibus templum, simul omnes imperfectam liquerunt coeptam ore praecentoris antiphonam: *In paradysum.* In hoc miseriarum tumultu magno futurorum prodigio mons omnis novi generis aviculis operiebatur, quarum multitudines ab occiduis partibus se levantes, tanta densitate per aerem ferebantur, ut plerumque coeli facies earum interciperetur obiectu. Quo spectamine, quoad humato corpore populi defluxissent, habente moras, cernentium quique vel angelorum vel animarum sanctarum visitationes affuisse dicebant; rectius autem erit, si praescientiae divinae miraculum attribuentes, per volucres illas concursus illic populorum ante praesignatos acceperimus. Instabat octava dies et tempus sepulturae, coetuque de congregatis omnibus in inmensum adunato, terrae datur illa totius aecclesiae lucerna splendidissima, numquam luminis sui detrimentum passura. Immortalis est enim memoria illius, quia et apud Deum nota est et apud homines [i]. Tunc piae recordationis domnus Herimannus vicedomnus, eiulantium atque moerentium voces et lacrimas rumpens, ait: *Omnes ab hac communi tristicia nostros temperemus animos, quam noster, profecto pater noster, pontifex et semper lugendus senior omnium desideriorum suorum hodie consecutus effectum, congruo iam fruitur cantico, psallens et dicens: „Ecce quod cupivi iam video, quod speravi iam teneo, illi sum iunctus in coelis, quem in terris positus tota devotione dilexi.“ Prorsus hoc eius carmen, et hanc carminis eius suavitatem illae beatorum spirituum aures nunc dulciter hauriunt, quoniam hic est vere, cui merito sancta sanctorum ingresso dominica vox nunc blandiens ita*

a) Egilbertus 3. b) quod per quatuor fere miliaria portandum solis nobil. 3. c) eiusmodi 2. d) quod a Sancta Maria digredientes et per Gradus ad Renum descendentes, tam clerus quam populus in hunc modum nimis luctuose satisque prophetice succinuerunt: Aspice *e corr. ut videtur* 3. e) d. sedet in tristicia domina gentium, non est qui consoletur eam nisi tu, Deus noster. Hoc magnae conpunctionis carmen satis approbat, cum quo luctu, cum quo merorę pastoris illius egressum Colonia sit persecuta, quem nisi miseratio divina suorum lacrimis serviens nobis misericorditer annuisset, numquam in id vis ulla valuisset. Quis autem digne 3. g) Hebraeorum 2. h) machabeum *post add.* 3. i) homines — infernus suscipit *desunt* 3.

21) Psalm. 106, 42.

Matth. 25, 21. *loquitur: „Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui.“* Universis post haec luctu planctuque fatigatis, silentia secretumque templo redierunt. Rursum autem nobilitas omnis ingressa perparum sopitas suarum querimoniarum vocibus inquietare denuo coepit aedes; item et tota servientium irrumpens collectio pari modo priorum[a] luctuum repraesentavit imagines. Ita totius diei spacio novis semper miseriis aecclesia fervente, tandem introeundi libertas circa vesperum et pauperibus offerebatur. Horum praecipue tanti tamque miserandi plangores erga locum corporis sacri perstrepebant, ut olim defletae planctus agi viderentur Tabitae, singulis a beato viro acceptarum vestium species cum lacrimis et clamoribus ante crucifixi vultum expandentibus; sicut tunc adveniente Petro circumsteterunt illum omnes viduae flentes et ostendentes tunicas et vestes quas faciebat illis Dorcas. (Act. apost. 9, 39.) Igitur hinc Annonem talis gloria comitabatur, cui sepeliendo nescio siquis a saeculo triumphator in omni claritate sua saltim comparari, ne dicam anteferri possit. Potentiores certe obsequiorum eius dignitates[b] pompis regum, longe nobiliores suorum funerum exequiae insanis plausibus victorum, quibus de calamitatibus miserorum tirannici generantur triumphi, quorum virtus in sanguine caesorum praedicatur, nobilitas in captivorum vinculis iactitatur, quos post gloriam poena, post vitam mors, post regnum infernus suscipit[c]. Caeterum sollicitis erga communes vacantis episcopii turbulentias omnibus Coloniae filiis et dilectoribus, in coetu Sigebergensium non ab orationibus, non a vigiliis et ieiuniis publice privatimque requies erat, donec gloriam suam Deo nostro manifestante, corpus dilecti sui cum exultatione coelorum terrarumque miraculis coruscare coepit magnificis, (Lamb.) ad confutandam impudentiam eorum, qui paulo ante vitam eius sanctissimam atque ab omni huius mundi labe quantum ad hominem integerrimam livido dente carpebant, et preciosam margaritam iam olim coelestis regis diademati destinatam falsis rumoribus obfuscare[d] conabantur. Id ipsum cum eius estimatio conversationis promitteret, in maiorem huiusmodi expectationis spem tantae praenuncia laeticiae interdum somnia nonnullos nostrorum sollicitabant, quorum duo subiungere iocunditas ipsa visorum exigit.

17. Quidam coquendorum leguminum ministerio frater inserviens per singulos officii sui dies aliquid et de quantitate solitae mensurae parcius, et de qualitate vilius fratribus paraturus acceperat, abbate metum[e] futurae penuriae hac utcumque parcitate leviorem sperante fieri; cumque transactis ex parte diebus ebdomadae suae se sopori frater ille tenebris ingruentibus dedisset, ad coctionem consuetudinariam in coquina se per somnium stare vidit gemino estuantem labore, angustia mentis et fatigatione corporis. Tum repente contra ianuam directis luminibus ingredi beatum Annonem tremebundus aspexit, a quo, more suo gustu quae parabantur discernente, vehementer ad respondendum hac urguebatur inquisitione: *Quid, frater, haec pauperrimi cibusculi tam incongrua tamque pusilla vult praeparatio? Qualiter hinc tantorum fratrum necessariae subvenietur refectioni?* Protinus ille necessitatem inter gemitus et suspiria deflens: *Vobis*, inquit, *unice pater, mortuo, nobis, alumnis vestris et mendicis, iam altera spes non est, cogitque formido suspectae nobis cotidie indigentiae parce sumere, quod a defectu suo deinceps consolatorem non habebit.* Quae dicentem praesul cito[f] corripiens ait: *Numquid vere quod asseris credens, me mortuum omnino consentis? Sit longius haec suspicio remota; nam illa nunc felicissime fruor vita, quae summi boni, summae beatitudinis aeternitate tota fluit, ad quam tunc comparatus, cum dicebar a vobis vivere, quasi qui[g] non essem, non immerito credi debuissem. Itaque missus a me, mandatum quantotius fer ad abbatem, ut ex hoc cunctae securus affluentiae, non ultra praesumat alendorum fratrum imminuere mensuras. Non enim longi temporis intererunt dies, et ego melius quam vixeram vivere cognoscar, et vos copia rerum omnium adeo affluetis, ut miraculum vestrum nec ipsi capere sufficiatis.* In hac voce mox evigilante fratre, nihilominus et visionis ipsius species disparuit.

18. Erat autem magna loci paupertas in luminaribus aecclesiae, fratribusque missas seorsum agentibus tantae per dies exiguitatis caera dividebatur, ut accensa multotiens ante sacramentorum consummationem deficiens extingueretur. Tunc ante lectulum cuiusdam fratris in eo quiescentis Deo dignus pontifex per visum assistens, laetis oculis in eum respiciens ait: *Tenaciam custodis, dilecte frater, satis miror, qui divina mysteria[h] cotidie celebraturis in distribuendis candelis tam parcus fratribus existit[i]. A te causam huius inopiae investigaturus Anno pater vester adveni.* Cui protinus et ille moerens respondit: *Non aliquid sinistrae voluntatis hinc, amantissime pater, custodem efficit reum, sed omnibus profecto cognita hoc exigit inopia, quippe ubi solis adquiritur preciis, quicquid in huiusmodi rebus, sicut et in aliis, ulli nostrorum impenditur.* Ad haec arridens venerabilis sacerdos: *Et si non aliud*, ait, *in causa est, te modo promissionis meae nuncium ad fratres dirigo, tibi satisfactus, quod non plurium ex hoc spacia decurrent dierum, et illa quae nunc est caerae necessitas in tantam vertetur abundantiam, ut etiam colligendi fastidium nimietate sua vobis inferat.* Sic in auras visione protinus evanescente, frater expergefactus ordinem somnii sui secum pertractabat, ad idem caeteris insinuandum votis omnibus diem expectans.

19. Cum itaque fratres his et similibus cognitis ad magna quaedam de beato viro speranda mutuis se sermonibus animarent, et iam in id omnium vota penderent, mulier quaedam fidei merito maior viris, quae digitis ad manum naturaliter reflexis numquam eos extenderat, palmae similitudinem ex caera ferens, ad tumulum eius accessit, honorem debitum fixis solo genibus reverenter exhibuit, se ipsam primitus in precibus afflixit, post haec et debilem cum munere proferens manum, ubi sepulchrum contigit, subito resilientibus diu contractis digitis, testimonium sanctitatis et virtutum

a) piorum 2. b) dignates 2. c) suscepit 2. d) obfucare 2. e) metu 2. f) *deest* 2. g) *deest* 3.
h) ministeria 2. i) existet 2.

Annonis prima post eius transitum meruit haberi. Diem illum, huius signi gloria nobis tunc specialiter illustrem, sollempnem[a] fecerat orbi anniversaria dominicae incarnationis annunciatio[b], simul et beatae passionis eius celebritas quae dicitur parasceue, quae scilicet 8. Kal. Aprilis venerabilis illuxerat. Statim fama facti circumiacentes villulas replevit, omnibus haec audientibus miraculum quoddam et stupor oriebatur, ad credendum novitas rerum obstitit, sed persona mulieris et genere pariter et nomine notissima fidem etiam nolentibus ingessit, actumque divinitus est, ut et in peregrinas terras huiusmodi rumor ferretur. Tunc turbis populorum undique confluentibus, olim a beato viro promissa se loco coepit abundantia infundere, memorque futurorum pater Reginhardus, qui didicerat assiduitate saepe vilescere, quicquid in ipso primordio frequentatione vulgi tam nimie sese extulisset, aedificiis institit, adquirendis praediis operam dedit, vario splendore templum omne venustavit, singula denique magna providentia dispensans. Ex rebus quibus tunc sacri corporis locus die noctuque plenus inveniebatur, tanta operatus est, ut cum vix numerum 40 monachorum ipse primum abbas effectus susceperit, in brevi haec eorum paucitas ultra 70 vel 80 fratres exurrexerit. Composuit et super inclita Christi confessoris membra tumulum operis pulcherrimi, cuius summitatem aureis litteris hoc circuit epitaphium:

Patribus egregiis ornata Colonia multis
Aecclesiae speculum misit ad hunc tumulum.
Emicuit mundo nova lux Annone secundo,
Qui per cuncta suo par erat officio.
Mensibus hoc denis annis actoque vicenis[22]
Quarta Decembris eum lux tulit ante Deum.

20. Inter haec populis magis ac magis concurrentibus, faber quidam ex Colonia, qui scintillante ferro, quod ex more candens feriebat incendio, lumen utrumque perdiderat, ductu praevii pueri pariter advenit, in orationem secus tumulum ruit, adhuc iacens amissae luci restitutus est, moxque surgentem multitudo circumstans ammirata, tanti beneficii celeritatem emissis in altum vocibus diutius est prosecuta cum laudibus.

21. Istud ore multorum adhuc celebrabatur, et ecce, quandam sui parentes parvulam attulerunt, impotem unius brachii, quod exsiccatis venis cum adherente manu vehementer obriguerat. Cum et haec aspicientibus cunctis integram accepisset sanitatem, factumque fama velocior praeveniret, omnium in circuitu manentium sententia fuit, ut una die, pridie scilicet Nonas Maii, sumptis crucibus ac reliquiis singularum parrochiarum cives ad locum pariter properarent, novi de coelo patroni suffragia sollempniter quaesituri. Dies condictus illuxit, et a primo mane populorum frequentiis innumerabiliter ex omni parte ruentibus, cum circa terciam esset, claudus quidam in medio constipatae multitudinis subito sanus exilivit. Exclamaverunt qui proximi stabant, aliis autem silentium imperantibus, homo iam incolomis curiositate vulgi, nunc ab his nunc ab illis inspiciendus, undique premitur, ab omnibus inclamatur, variis interrogationibus de suis casibus urguetur, et testimonium ei dantibus, quorum elemosinis vitam eatenus sustentaverat, tantis exultationum vocibus aecclesia tota personuit, ut humanis auribus obstupescentibus et ipsa sidera putarentur hac superari laeticia[c]. Quas abhinc confluentium populorum importunitates mons ille iugiter sustinuerit, ex eo satis intelligitur, quod archiepiscopus urbis Mogontiae Sigefridus sub ipso tempore studio devotionis adveniens, nec famosi nominis pontificio nec obsequentium adiutus multitudine, sacri liminis optinere potuit ingressum, pressuris irruentium turbarum diutius exclusus, donec abbatis impetrato adiutorio per secreta monachorum ductus, aptum suis votis introitum habuit. Numerum singulorum percurrere signorum, nec nostrae possibilitatis nec legentium reor esse voluntatis; unde reservatis caeteris studiosioribus, ex his eminentiora loquemur, ita nobis propitium invocantes Dominum, sicut veritas horum in eius perseverat iudicio.

22. Secularis quidam sub iugo regulari militaturus, habitum monachorum in coenobio nostro deposita coma susceperat, hanc adhuc vitam Annone pio prosperis agente successibus. Hic gravissimam aliquando ruinam in monasterio deambulans pertulit, casu lapsus ab excelso quodam templi loco; quem a statu suo solutis et perfractis membris in linteo sustulerunt, halitum ipsum vix extremo trahentem in pectore. Coepit igitur in lecto iacens egritudine longa fatigari, tandemque curationibus multis adhibitis ad sumendum baculum contra spem omnium profecit, eundi vires, cum post haec semper claudicaret, nullas habens, quas baculus non ministraret. Huic senio simul[d] et religione provecto beatus pontifex nonnumquam, ut solebat, alludens: *Sic*, inquit, *negata sanitate necessarii baculi gerulus perseverabis, donec meis incolomis beneficiis sospes eum abicias.* Quid praeter inutilem iocum in hoc dicto tunc temporis intelligeretur? Itaque superorum[e] frequentias illo iam ingresso, cum ad sepulchrum eius signis illic et prodigiis crebrescentibus, custodiendi sollicitudinem dictus exequeretur frater, nil huiusmodi suspicantem una die virtus quaedam invisibilis impulsu valido propellens a loco sessionis, totum ad terras ante tumulum stravit. Ille cito conversis oculis plenus stupore, quem auctorem facti crederet non invenit, nisusque resurgere, se totius corporis integrum sensit habere vigorem, nervis brachiorum atque crurium laxatis, diuque confusis in naturalem statum reductis membrorum iuncturis. Ilico respiciens ad sepulchrum, olim promissae sanitatis optabat se iam invenisse solatia, mittensque manum ad scapulas, ad femora vel ad alia fracturarum loca, mirabatur nullum ruinae suae superesse vestigium. In capitolium ergo quam celerrime properans ab aecclesia, baculum proiecit, terram flexis genibus petiit, temptabatque semel et iterum impossibiles pridem porrecto corpore venias[f], ad quas crebrius iterandas nullum solitae debilitatis passus obstaculum, cucurrit Reginhardum patrem avidissime

a) sollemnem 3. b) annunciato 1. 2. c) *sequentia usque* introitum habuit *desunt* 3. d) *deest* 3. e) superiorum 2. f) venas 2.

22) Annos undeviginti mensesque novem episcopatum tenuit.

petens, cui benedictione petita porrigens quem manu ferebat baculum ait: *Hunc iussu venerandi patris Annonis hodie depositurus in testimonium meae salvationis et suae sanctificationis, hic eum et vobis annuente relinquo, suscipite, tantique praeco miraculi collectis fratribus esse curate.* Talia cum per omne claustrum velociter innotuissent, quae illic mentium sollempnitas orta sit, quae in oculis Dei celebrata festivitas, singulis prae gaudio lacrimantibus, dicendi vires longe supergreditur. Nihilominus hoc et in populo celebre factum est, congregatique sunt unanimiter in aecclesiam et hi scilicet et illi, ad quorum voces et carmina, si credere fas est, in Annone suo divinitas ipsa sibi complacuit, tantae pulchritudinis festum et in coelis et in terris per eum clementer operata.

23. Fuit in Verona, quae dicitur et Bunna, homo praeter solam oculorum fidem nulli prorsus exponendae calamitatis, homo miserrimus, omniumque miseratione dignissimus. Ita toto corpore tremens perpetuo miser ferebatur, sicut frigore gravi vel febribus pulsatis mos est agitari, stridebatque dentibus voces omni horrore dans horribiliores, ut mirum esset humanum os ad similes umquam aperiri sonos. Et tamen ad huiusmodi clamores vires ex dolore habens, de caetero debilitatem ita patiebatur, ut defatigatus infirmitate loquendi virtutem nullam prorsus haberet. Iacere volens sive sedere, vehementia passionis prohibebatur, ad standum minus sufficiebat, ut vero pedem movisset ultra progressurus, protinus agebatur retrorsum, eratque videre miseriam, quotiens hic nullo sese ferens in loco apparuisset. Aiebant ergo misero quidam: *Quam gravibus malis forsitan eruereris*[a], *si reperto viae solatio Sigeberch*[b], *unde nova iactitantur mirabilia nobis, te repraesentaturus adires.* Loquebantur ista, non homini consulentes, sed Annoni sancto solitis criminationibus insultantes. Et tamen quia malis plerumque Deus bene utitur, eis insistentibus asinus adducitur, aeger super eum imponitur, deductusque venit ad locum, magnum miseriae suae spectaculum incolis praebens. Cumque ianuas introgressus aecclesiae coram sacro corpore se miserabiliter stravisset, omnium erant in eum oculi, stabantque miseratione pariter et admiratione concussi. Quid plura? parvi temporis hora vix ita transierat, et ecce, levato capite, quasi reversus ad se, convertere crebrius oculos homo coepit, circumstantibus locutus est, et iam in alterius specie hominis, idem tamen qui fuerat, a terra surgens, immutatione sua tam angelis quam hominibus novam in Annone laeticiam generavit. Confestim super ipsam preciosi corporis arcam ruens, iteratis osculis ei diutius inhesit, quam et lacrimis dulcibus infundens vota vovit, et sanissimus abscessit, in semet ipso circumferens, unde gloria cresceret Annonis, et confusio manifesta cervices frangeret inimicorum eius. Ad quas victore Christo semper triumphandas sequitur maximum et solius Dei miraculum, quod quamvis[c] arduum sit credere, tamen ea facti veritas est, ut hoc scripturus ultro me divinis iudiciis obligaverim, si non rectam sequens historiam, extra deviavero. Legant et credant qui Deum omnia posse non dubitant, dumque rei consideratione inmensitatem a Deo glorificati pontificis intellexerint, si supplices sunt et devoti, magnum se gaudeant habere patronum, alias autem, detrahentium sibi potentissimum expavescant insecutorem.

24. Arnoldus, vir inter suos tam stemmate quam divitiis clarus, quoddam super fluviolum qui dicitur Ara castrum habens nomine Dollindorp[23], sicut exegit amministratio defensoris, diebus suis inter potentes strennuus celebrabatur et inclitus. Hic tempore quodam ad placitum in illis partibus sedens, severitate iudiciaria diversas interpellantium causas exequebatur, et, quod est iudicis, in reos meritam intentans iram, clementius agebat, ubi misericordiae gravior iniquitas non obstitisset. Erat quippe iuxta sui propositi congruentiam homo christianae pietatis et magnae prorsus in Deum fidei. Accidit illic perversissimum quendam et erraticum hominem, nomine Volcbertum, repetitione debiti cuiusdam quod debebat apud iudicem incusari, qui, sicut animo ferox erat et lingua procacissimus, in tantam pertinaciam, reddere nolens quod exigebatur, prorupit, ut nec respectu iusticiae nec reverentia iudicis ad congruae saltim responsionis verbum posset emolliri, quin potius et in iniuriam ipsius advocati supra modum insaniens, eius iniusta coepit infamare iudicia. Querebatur se tam ab ipso quam et a cunctis innocenter opprimi, nullis patentibus culpis ad tribunalia pertrahi, solum sibi quod viveret esse in[d] crimine, gravemque prorumpens in blasphemiam impos animi: *Quoniam,* inquit, *iusticiam a Deo, non, sicut dicitur, iusto iudice, frustra nunc usque speravi, iudex et patronus mihi quaerendus est alter.* Maximus haec audientes horror invasit, ipse vero maiori praecipitatus furia, protinus invocare diabolum ausus est dicens: *A te defendendi praesidium exposco, diabole! tuis me servitiis duabus his addico manibus; quod a Deo non habui, mearum iniuriarum ultor existe!* Quis tantam hominis impii contra Deum vesaniam credere posset aut repentinis ignibus aut hiatu terrae non statim puniendam? Sed patientiam, quam ad sui nominis blasphemias pius Dominus exhibuit, ubi res ad iniurias sanctorum suorum se vertere coepit, inaudita seculis ultio sequebatur, ut liquido cunctis claresceret, quam veraciter ipse contestatus sit[24]: *Qui tangit vos, tanget*[e] *pupillam oculi mei.* Consurrexerunt omnes cum advocato maiores, tantam non ferentes blasphemiam, miserumque nunc minis nunc blandimentis, ut ad sanam quoquomodo mentem revocarent, agere coeperunt. Sed vano profecto consumebantur labore, cum in eo quo se sperabant mitigare furentem, magis magisque furendi fomitem ei subministrarent. Ita desistentibus eis sol ad occasum ruit, et homo malignitate plenus ad requirendum quem in pascuis habuit[f] equum suum solus exiit. Ibat amaro miser animo, comitemque diabolum habens, ad iacentes proxime silvas gressum vertit, ubi conspicatus inter umbras arborum horrendam hominis effigiem, processit, usque quo vicinus visioni factus, hanc prior ad eam habuit interrogationem: *Te quem esse fateris, tibique*[g] *quis hic standi nunc animus est?* Hostis antiquus respondit:

a) erueris 2. b) Sigeberg 2. 3. c) quam *corr.* quamquam 3. d) pro 2. 3. e) tangit 2. 3. f) habebat 2. 3. g) que *deest* 2.

23) Dollendorf castrum comitum de Manderscheid. 24) Sachar. 2, 8.

Adventum tuum non ignorans, huc te miseratus adveni. Numquid immemor es, quem amaritudine plenus ante paululum invocaveris, vel cui te servum addixeris? Ipsum me scias esse, quem dicunt diabolum; a quo defendendus, ut poposceras, in tua revertere, me patrono prospere semper acturus, si te servo nihilominus et ipse non destituar. Hac accepta sponsione miserabilis ille reversus est, coecitate cordis ipsam imminentis sibi foris coecitatem noctis superans. Illuxit altera post hoc dies, et sevo sevior idem invectus equo, cum commilitonibus suis advocatum sequebatur in alia properantem loca, sanae quidem mentis nil adhuc habens, sed iam in se reversurus[a] iuxta prophetam[25] dicentem: *Quia tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.* Iudex ipse cunctique pariter comitantes eum quasi nocturnis retractationibus emendatum ad satisfactionem invitantes, contractas pridie culpas in eo solvendas spoponderunt, si iubentis advocati tandem imperiis subditus, creditoribus suis restituendi debiti sponsor accederet. Iterum[b] ille maledictis et conviciis in omnes debachari coepit, detestatusque potestatem iudicis, se melioris advocati dicebat invenisse patrocinium, eius scilicet qui non esset invalidus ad defensionem suorum subversionemque contrariorum. *Hic*, inquit, *et contra vos mihi potenter aderit, protector meus et refugium meum, cui profecto non est similis alter.* Ista dicentem communis acclamatio coepit urguere, quatenus tantae potentiae personam scire sitientibus ocius[c] exponeret. Ille diabolum, quem habebat in corde, mox ore professus est, linguam[d] blasphemam contra Christi nomen exerens, nefanda multa tam in Deum quam et in sanctos eius consequenter evomuit. Ad quem advocatus religioso moerore suffusus ait: *O miserrime mortalium, o praeda diabolicae tyrannidis, in creatorem tuum sic furibundus inveheris? Apparet certe, quo sessore rabidus agiteris, quia, si non ipso quem profiteris diabolo plenus esses, numquam[e] tot probris mundi dominum exacerbare, numquam sanctos eius tot conviciis dehonestare praesumpsisses. Impietas haec et daemones vincit. Illi credunt et contremiscunt, tu vero totus in insaniam versus, omnipotentiam Dei nullo modo vereris, nec credis cotidianis miraculorum praeconiis, quibus in suis locis, immo per terras et per maria, sancti diversissime celebrantur. Nam ut de caeteris interim silentio melius agamus, quid de beatissimo sentis Annone, tantis ubique signis vulgato? Praeter alia virtutum insignia magnam eius in illuminandis caecis efficaciam experti sunt quam plurimi, et utique cui potestas inest reparandi lumina, potestas est et extinguendi. Sit ergo tuis insultationibus hic modus; satis enim tibi formidandum est, ne repente perditis oculis ad deprecandum eum te sero cruciatus ipsi pertrahant, cum in te didiceris quid in illo fateri necessario debeas.* Ad haec perfidus ille rigidam iactans cervicem, cum subsannationibus et cachinno prorupit in vocem: *Hunc signis clarescere potuit quisquam nisi[f] delirus credere? Vivorum hoc ad iniuriam dicitur, estque satis alienum a fide mortuum hominem, et quem ipse dum viveret non ignoraverim, ante negata nunc primum operari mirabilia. Si contraria loquor, ut quid tantorum factor operum obprobrii sui iustam tardat ultionem? Ab antris suis duo mihi funditus eruat lumina, si factum est umquam, ut coecus per eum[g] illuminaretur.* Vix huiusmodi vox auribus praesentium se infudit, et ecce, sinister oculus hominis iussus experiri quid in Deo posset Anno, paulatim velut aqua totus effluere coepit, foramen horridum in loco relinquens. Repente clamor et concursus omnium ortus est, factoque militum conventu, quisquis socium velocitate praeibat, ad inspiciendum curiosius virum se prior adhibuit. Admirari factum nemo sufficiebat, nec erat qui non in venerationem nominis Annonis animo pariter inclinaretur et corpore; solus miser ille perstitit adhuc in infidelitate. Tunc universis erroneum ad viam saltim post experta pericula reducere temptantibus, et irati sibi clementiam Annonis, ne peiora prioribus incideret, quaerere compellentibus, ille se ipso deterior iterum clamare coepit: *Donec ulla mihi portio luminis inest, absit ut ei supplices inveniar protendere manus. Sit erroris vestri sanctum eum dicere, prius est, ut eum qui restat, si potest, excutiat oculum, antequam haec ex ore meo audiatur confessio.* Sermonis audaciam item coelestis ultio tam terribiliter est insecuta, ut in oculis omnium quasi iaculum quoddam fulmineum in caput eius ferri videretur, cuius ictu cum totus quassaretur homo, radicitus qui supererat evulsus est oculus. Protinus in fugam equo concitato, praeceps ferebatur ad terras infelicissimus ille, sed dum ruentis pedem altera strevarum contigit irretiri, rapidus evadens equus miserum post se longius traxit. Datis ilico circa latera iumentorum calcaribus, velocissimi sequebantur milites, qui exterritum comprehendentes equum, solverunt moribundum, et collecti sunt ad eum quotquot huic intererant spectaculo. Stabant horrore concussi per circuitum eius, ipse vero dans clamores et ululatus prae dolore, de latere in latus volvebatur, iacens in pulvere, nec tamen facile dinoscebatur[h], an eum gravior poena corporis quam illos angustia mentis excruciaret. Ita cunctos pavor et hebitudo solverat, ut pariter inclamantes sancti nomen Annonis, proni ruerent in terram, vocibus assiduis *Kyrieleyson*[i] frequentantes. Sic quondam Dathan et Abiron terrae voragine pereuntibus, Israhelitae simile formidantes exicium, fugerunt dicentes: *Ne forte et nos terra deglutiat.* (Num. 16, 34.) Postquam vero clamoribus excitatis nemora personuerunt et campi, videres undique velut apium[k] examina populos cum presbiteris aecclesiarum circa positarum advolare, quorum auribus et oculis ubi tantae virtutis signum subtiliter expositum est, quantus ibi stupor, quantaque stupentium in coelos vociferatio fuerit, ex ipsa rei magnitudine sentiri potest. Arguemur forsitan de falsitate, dum mirandis mirabiliora subiungimus; sed qui dixit: *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet, et maiora horum faciet*[l], (Ioh. 10, 12.) utinam tam indemnes nos suo sistat iudicio, quam hinc liberos efficit a mendacio. Una totius multitudinis erat expectatio, quid de

a) reversus 2. b) interim 2. c) *deest* 2. 3. d) linguamque 2. 3. e) numquam — exacerbare *desunt* 3. f) ni 2. g) illum 2. h) dignoscebatur 2. i) kyrieeleeson 2. k) apum 1. l) et maiora horum faciet *desunt* 2.

25) Iesai. 28, 19.

caetero circa prostratum Deus et dilectus eius Anno facere vellent, vel quid eos ab ipsius ore miseri audire contingeret, summumque fiebat silentium. Tunc religiosus advocatus aliique timorati viri propius accedentes, eum manibus appositis paululum a terra sustulerunt, et intentis omnibus quaerere coeperunt, qualiter secum ageretur. Doloribus se respondit maximis coartari, nec ultra spem vitae sibi superesse. Misericordes autem viri quasi quibusdam incantationibus[a] eum mulcentes, dicebant esse tempus convertendi tempusque poenitentiae, quodque sacerdotibus ipsis potest esse rubori, cum essent et actu saeculares et habitu tantae se fidei fatebantur, ut veniam pariter et sanitatem ei sponderent, si quem incredulus ante irriserat[b], iam supplex et fidelis Annonem sanctum ex animo rogaret. Consentit ille salutaribus monitis, etiam et tacentes urguentibus poenis praevenit clamans et dicens: *Fateor ipse, qui tulit, quos ex natura possederam oculos, eosdem et contra naturam Anno, sanctus Dei, si vult, restituere potest.* Manibusque trementibus ad sidera tensis, hanc audientibus omnibus flebiliter orationem fudit: *Parce, sacratissime pontifex, parce misero mihi, iustis irae tuae flagellis exanimato, nec neges converso misericordiam, quam peccatoribus omnibus ipse Dominus offert dicens: „Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat." Si iusseris redire, quae iam credo per te posse reparari, lumina, corde toto tibi semper ero subiectus, et quod hactenus impie negaveram, mundum ipsum circuiens ubique diffamabo, te prioribus sanctis per omnia meritis et factis adaequatum, aeternae sanctitatis meruisse praeconium.* Eo sic et aures singulorum et oculos ad miserationem commovente, vir egregius Arnoldus, quem diximus advocatum, circumfusam ut alloqueretur multitudinem, auditorium flagitans ita coepit: *Omnia credentibus esse possibilia divinitatis assertio est, nec fuit umquam excellentius aliquid fide[c], cui cedunt et ipsa iura naturae, quae novit elementa convertere, montes transferre, mortuos suscitare, sed et alia, quae non patitur natura, indifferenter operari. Nobis igitur ad orationem fide fortiter animatis, putamus hominis istius quos amisit oculos negari? Si septem sive decem aut postremo tres sive duo soli reperiremur in id concordantes, euangelica vox clamaret, quia si duo ex vobis consenserint super terram[d], de omni re, quamcumque petierint, fiet illis, nunc vero cum tanti simus, merito perfidiae vel impietatis imponetur nobis obprobrium, si recedentes naturae nostrae socium, qualibus ipsi cernitis calamitatibus oppressum, neglexerimus. Absit, absit hoc a tot christianis hodie, mecum potius omnes genua flectite, manus erigite, Kyrieleyson[e] cum[f] viribus intonate, tantae clementiae Dominus noster, tanti meriti beatissimus Anno famulus eius est, ut, quod orbis non credit cum audierit, vobis in coelum clamantibus, cito de quibus agitur redeant oculi, mirabiliter quidem[g] extincti, sed iam mirabilius reformandi.* Dixit, et primus terrae sese humilians, omnem qui circumstabat populum cum suspiriis et gemitibus post se ruere fecit. Miramur constantiam laicalis fidei, sed profecto super omnes admirationes movemur non in virtute tantum sed et in pietate beati pontificis. Siquidem illis a terra surgentibus ita saeculis inaudito contigit miraculo, ut cum iteratis vocibus Anno sanctus inclamaretur, in capite caeco[h] subito novi germinantes apparerent oculi, perfecta statim luce ultra solitum splendidi. Quod factum, sicut communem caecorum illuminationem magnitudine vincit, sic et ipse fulgore suo maior est astris. Gloria Christo, suos taliter exaltanti! Protinus homo, quasi nil eorum[i] quae pertulerat passus, sanus et videns exurrexit, populus prae gaudio lacrimans, immensis vocibus quas decebat laudes diutissime prosequebatur, et post per celebratos horum mirabilium dignos honores ab omnibus missus, venit ad memoriam incliti praesulis idem perditi receptique vir luminis. Ibi retexentem cuncta quae gesta sunt nullus audientium fide dignum iudicabat, sed auditus a patre Reginhardo cum consilio Coloniam dirigebatur ad synodum, sub ipsis diebus Hildolfo praesidente generaliter ibi collectam. In eo concilio nominatus pontifex paterque Reginhardus et cuncti, quibus animarum curae fuerant iniunctae, tam ex monachis quam ex clericis sollempniter aderant, praeterea comites aliique nobiliores ex populo, magnis vallati frequentiis. Quibus in unum positis, ingressus est hic, multis provinciae suae personis se sequentibus. Coepit igitur in medio consistens suorum casuum historiam facere, coeperunt et comites eius attestari singulis quae dicebantur, ex concilio quoque cum stolis suis archipresbiter unus, quem decanum dicunt, aliique sacerdotalis ordinis viri surgentes, his quomodocumque leges aecclesiasticae decernerent, se concordare fatebantur, singulariter autem, quasi quoddam communis fidei speculum, vir nobilis Arnoldus in testimonium sumebatur. Qui quidem praesens non erat, sed protinus ordinati sunt ad eum nuncii pontificis, summo studio, quid in his et ipse sentiret, investigaturi. Quibus ait: *Si testibus eam quam hinc scio veritatem roborare opus est, tot prope praesto sunt astipulatores, quot in illa regione, qua contigerunt ista, reperiuntur homines. Quodsi solo fidei meae testimonio dominum meum delectat esse contentum, sub sacramentis illi perhibeo, rem omnem ita me praesente finem vel inicium sumpsisse, sicut et synodo dicitur innotuisse.* Nihilominus haec archiepiscopo nunciantur, obtinueruntque facilem apud eum et apud omnem populum audita fidem, cum et alia cotidie nunciarentur, quibus in sanctorum consortia mirum in modum Anno, famulus Christi, transisse cognosceretur.

Ezech. 33,11.

25. Est et aliud egregii pontificis dignum veneratione miraculum, per quod sanctitatis eius monimenta[k] plenius adhuc in posteros transmittamus. Quibusdam ex episcopio Trevirensi principes apostolorum suis in locis consueta iam seculis devotione visitare paratis, iter illud celeberrimum quo Romam tenditur ingressi sunt, habentes secum quendam ex Confluentia clericum, qui[l], quod erat ordinis, eminebat quidem laicis, sed prorsus fide sub illis inveniebatur. Cum hoc quasi scripturarum sententiis instructo, suos viri ut animos sociarent, simul ut viae laborem temperarent, diversas

a) praecantationibus 2. b) riserat 2. c) fidei 1. d) terra 2. e) kyrie eleeson 2. f) totis viribus 2. g) *deest* 3. h) caeso 2. i) horum 2. k) monumenta 2. l) cui 1. 2.

interdum disputationes habuerunt, et semper in alium ex alio decidentes sermone[a], die quadam cum de sanctis et maxime recentioribus sermo fieret, divinitus ut credimus inspirati, huius beatissimi patris nostri repente nomen intulerunt. Hic ex toto, cessantibus aliunde sumptis colloquiis, solus itinerantibus loquendi materia diutius fuit; in eo tam vitae sanctitas quam virtutum sublimitas ab omnibus aequaliter praedicabatur, a singulis[b], quae quisque didicerat, eius gesta per vices aliis exponebantur, sicque quasi patrio sancto vehementius delectati, diem pene totum duxerunt in vesperum. Tunc excetra[c] sibilos clericus blasphemiarum garritus dans, infidelitatis pectus aperuit dicens: *Quanta vulgus facit opinabilia, quae nullo veritatis pondere subsistunt, quanta deitatis consecrat honore, quae nullo sanctitatis commendantur indicio, quanta denique novarum rerum studia passim inveniens, superstitionis suae cultores etiam ipsos, proh pudor! sapientiae magistros habet! Hinc genera deorum in orbe primitus emerserunt, hinc vani cotidie cultus, hinc et ea, quae vos tenet mentis inopia, radicem traxit, qui perditum illum vanis in coelum usque laudibus effertis, quem ego nil extra communes mortuos habere senserim, quippe virum, ut dicitur, suis peiorem, pessimum sibi.* Haec execrabilis[d] ille dicens, conviatores suos horrore dictorum in pallorem protinus et silentium vertit. Suspensis itaque paululum gradibus, omnes in eum conversi sunt, sicque coepto pergentes itinere loquebantur: *Quis stultissimorum umquam similes proferre sermones ausus fuit, aut cui nisi clerico tales refellere blasphemias auctoritas daret, officii necessitas imperaret? Econtra quod ab ipso destruendum erat, ipso surgit auctore.* Nihilominus peiora clericus evomens ait: *Si contraria fidei vestrae, sed non contraria veritati loquentem, id quod clericus dicor, idcirco me laesisse reprehenditis, finem hominis, cui sanctitatis meritum arrogatis, obsecro, considerate. Vehementissimus pedum dolor, nec ante nostra tempora cognitus podagrae morbus animam eius, ut audistis, infeliciter eiecit, et esset certe crudelissimum ullius bonitatis virum hac poena divinitus consumi, quam nec sceleratissimus aliquis cito mereretur. Quod non bene vixerit, ultio testis est, immo quam male mortuus sit, et vita pariter et vitae testis ultio docet.* O linguam merito praecidendam! Cotidie scripturae clamant [25]: *Aurum probat fornax, et homines iustos temptatio tribulationis,* ab omnibus legitur [26]: *Quem Dominus diligit*[e], *arguit et castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit,* et illa, quod est remedii, quod est gratiae quodque purgationis, audet confiteri esse dampnationis? Ex ultimis suis humanae vitae meritum aestimat, cum scriptum sit [27]: *Iustus quacumque morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Numquid Christus non ideo Deus, quia post obprobria, post sputa, post alapas, post flagella, post illusiones militum, et postremo post crucis amaritudinem mortuus est et sepultus? Taceo de sanctis apostolis et martyribus, quorum nec numerantur supplicia, quorum quo vita celsior eo mors despectior, immo preciosior; preciosa quippe in conspectu Domini mors sanctorum eius; Abrahae verba sunt ad divitem: *Fili,* (Luc. 16, 25.) *recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Absit ergo fidelium a cordibus ullam meritorum suorum iacturam Annonem mortis acerbitate pertulisse, potius hinc[f] eum ad gloriam profecisse cognoscentes, audiant quae tandem blasphemum necessitas et sensum et vocem mutare coegerit. Cum satis superque quam satis est a viae suae sociis ammonitus, perversis sermonibus sanctum Dei non cessaret impugnare, cum et animis omnium iam exacerbatis a singulis vindicta tantae praesumptionis optaretur, libero gressu cunctis ultra progredientibus, solus ille subito perstitit immobilis, et qui confessorem Christi doluisse pedes ad calumniam traxit, ipse, quasi ferreis circa talos artaretur vinculis, haesit loco, graves pedum cruciatus pariter sentiens. Ingemiscens ergo, sicut dignum erat, tremere coepit[g], et quaenam sibi soli contigisset infelicitas, socios praeterire videns, querebatur misero ululatu. Retro comites versi clamantem mirabantur, stantem dedignati sunt, et se festinantes in profectione cur tardaret, iratis vultibus coeperunt inquirere. Multis ille gemitibus calamitatem qua premebatur aperuit, intellexeruntque viri, meritis eius cui detraxerat eum teneri; quod, etsi compassione ducti minus libenter aspicerent, gratulabantur tamen evenisse. Cumque sub oculis habentes, unde gauderent et unde dolerent, in eo iam essent, ut angustianti fusis precibus in commune succurrerent, ipse quam ante fidem dampnaverat, in eis venerari coepit, multum prolati poenitens sermonis, et ut laxari mereretur, Annoni sancto supplicationes et vota fideliter offerens. Quid plura? In tantum sese tam eius satisfactio quam et sociorum extendit oratio, ut concessa gradiendi libertate, miraculi sui testis simul et materia, quam proposuerat incolomis expleret viam. Ad patriam deinde regressus, quid religiosius, quid sanctius, quid denique rectius arbitraretur, quam et sacratissimi praesulis venerabiles non praeterire cineres? Exegit hoc voti necessitas, id ipsum et amicorum suaserunt consilia, praecipue vero dum valde circa sanctum sua aestuat devotio, sicut proposuerat, ad sepulchrum eius se contulit, ubi post lacrimarum effusiones, post veniarum crebras petitiones, post multas orationum gemitus, patrem loci discens non adesse, prioribus sese manifestavit, satis eis[h] fidei singultibus et fletu faciens, quam veram praesentis historiae narrationem in laudem et gloriam Christi depromeret, nobisque scribendam relinqueret.

26. Dum haec secundum iubentis nobis fidem patris exequimur, illud quod in nostris oculis contigit, quia nihilominus pars operum Dei fuit, dignum videtur inserere. Mulier quaedam non illi dissimilis euangelicae, quam ab annis decem et octo Lucas refert inclinatam, baculi ministerio ducta venit, parvam precio sed merito magnam suae devotionis manu ferens candelam. Hanc pro munere sacri corporis tumulo superponens, ubi recessura

a) sermonem 2. b) a singulis *autem* 2. 3. c) extra 2. excetra *post corr.* execrabilis 3. d) *in syllaba* exe *desinit* 2. e) dil. Dom. 3. f) eum hinc 3. g) pallescere cępit *add.* 3. h) ei 3.

25) Proverb. 27, 21. 26) Hebr. 12, 6. 27) Sapient. 4, 7.

gradum vertere coepit, mira velocitate protinus erecta, turbatis sensibus exclamavit: *Omnium Deus et summe sacerdos Anno, quisnam super me infelicissimam nunc inopinatus irruit casus?* Crepitus autem spinae vel adhaerentium ei costarum tam ingens factus est, in statum suum dorso sese subrigente, ut alicuius fracturam roboris ipse fragor ossium[a] imitaretur. Ilico quos et clamor mulieris et se laxantium stridor iuncturarum ex diversis aecclesiae traxit angulis, ocius affuerunt, et eam quam curvato dorso pronam semper incedere consueverant videre, nunc ad illam felicis thesauri arcam naturali rectitudine stantem, quasque decebat gratias prosequentem vehementer admirantes, ad fratres et ad populum tantae praecones rei cursu facto prosilierunt. Tunc viri simul et mulieres, tunc senes atque iuvenes aecclesiam irrumpentes, omnes una voce laudes et gratias summae Trinitati decantare coeperunt, quae, dum sui sacerdotis beata merita patefecit, ad eius amplius speranda suffragia misericorditer illos animavit.

27. Aliud item geminis ex causis gloriosum conspeximus signum, quod scilicet in pulcherrimae celebritatis accidit gaudiis, et diu peccatis facientibus sublata nobis munera suo reparavit exortu. Erat totius orbis commune festum, sanctae videlicet Dei genitricis assumptio — dies inquam venerabilis, dies sancta, dies praeclara, festivitas omnium sanctorum festivitatibus incomparabilis — et universis fratribus in ymnis et psalmis debitas sacrae noctis excubias sollempniter agentibus, puerulus quidam omnibus et nomine cognitus et facie, quem respectu misericordiae, quia mire contractus erat, pater Reginhardus a Reno deferens in elemosinam assumpserat, cum suis quibus innitebatur scabellulis ad pii suffragatoris se contulit sepulchrum. Per girum cuncti, quos invitaverat devotio, stabant, intentique vigiliis honore coelestis reginae, viderunt, quomodo summitatem tumbae salutaris idem complexus infans semel et secundo temptabat exurgere, sed totiens relapsus et tercio similes surgendi conatus iteravit. Quis, precor, illius particeps spectaculi non emolliretur ad lacrimas, non inclinaretur ad gratias, cum protinus[b] erigeretur ad[c] pedes? Stabat iam, sed standi non habens usum, minabatur interdum ruinam sui. Nec in hoc quoque diu relictus incommodo, aliquid ortae iocunditati detraxit. Magni muneris erat, adiutorio baculi vacillantes gressus eum post haec aliquandiu rexisse, donec et ipso processu temporis abiecto, salvus et incolomis integrum gradiendi consequeretur officium. Non queo vel mente concipere[d] vel verbis aperire, qualiter mihi, qualiter et his qui circa me erant vel cunctis chorum tenentibus esset, cum ingressus alter post alterum nutibus, quibus id significari poterat, patri Reginhardo rem insinuasset. Universi manibus et oculis ad sidera suspensi, quid interior homo meditaretur, lacrimis prorumpentibus aperuerunt, nec ambigo sanctam Dei genitricem noctis illius servitia suae pietatis illustrasse praesentia. Sic primo mane cunctis ex more congregatis in capitolium, post lectionem verbis compunctione plenis suos saepedictus pater alloquens filios, in fine subiunxit: *Auxit decus hodierni festi coelitus amministrati gloria signi, quod nostri memor clementissima Dei genitrix ita suis petitionibus fieri obtinuit, ut in altero meritum sibi quondam devotissimi sacerdotis innotesceret, in altero nostrae laeticiae sese sollempnitas extenderet. Hinc igitur egressi, quod iustum est quodque dignum est, in aecclesiam universi corpore congregemur et animo, Christo domino nostras hodie summo studio consecrantes voces, qui nos mirabilium suorum nec in hoc tempore per dilectum suum dedignatur visitare muneribus.* Ingens ad haec exequenda fervor uniuscuiusque fuit, et vidimus ea die coelestis laeticiae quodammodo similitudinem, multis utriusque sexus ad hanc famam collectis, multis eorum ad lacrimas usque compunctis, pro quibus omnibus propheticam exaltantes vocem, et nos opere finito exclamamus[25]: *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israhel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae; benedictus Deus.* Sunt[e] praeter haec et alia quoque multa numero, praeclara facto, dignissima scripto, partim coecis, partim claudis, surdis et mutis exhibita personis, praeterea daemoniacis et paralyticis, aliarumque miseriarum generibus obsessis, inter quae saepius et vinculatorum claustra laxata sunt et furtorum dampna restituta, quae cuncta praeteriens ita paucissimis istis ad optatum laboris mei portum perveni, ut et clarissimum meritis et sanctitate virum satis, ut reor, expresserim, et necessariam propter fastidiosos brevitatem non valde tamen excesserim. Praestet omnipotens Deus, ut in illa vita prosit animae, si quid in hoc opere dignum suis laudibus elaboravi, sitque migranti patronus qui scribenti materia fuit, Anno ter quaterque beatus, per Iesum Christum dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

EXPLICIT VITA SANCTI ANNONIS ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS.

TRANSLATIO S. ANNONIS ARCHIEPISCOPI.

INCIPIT PROLOGUS IN TRANSLATIONEM SANCTI ANNONIS ARCHIEPISCOPI.

Deum secundum quod magnus est et laudabilis nimis nemo digne laudare potest, et ideo in sanctis suis eum laudare ore prophetico admonemur, quos scilicet conformes gloriae suae in beatitudinis arce iam[f] collocavit. Nam dum eorum exemplis erudimur, ut secundum exemplar Moysi in monte ostensum facere tabernaculum Deo debeamus, unde nobis et recte vivendi forma et salutaris suffragii remedia procurentur, etiam e vicino habemus. Proinde patrum memorabilium merita venerari, eaque stilo famulante memoriae tradere operae precium est, ut scribantur in generatione

a) ossuum 1. b) ad tercium motum *post add.* 3. c) in 3. d) *deest* 3. e) *caetera desunt* 3. f) *deest* 2.

25) Psalm. 67, 36.

altera, et populus qui creabitur pro his laudet Dominum. Apostolus sane gratiam Dei in his[a] commendans, *quos*, inquit[26], *iustificavit illos et magnificavit* et alibi. *Non*[27] *enim qui se ipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat.* [b]Nam quos in hac vita iustificavit et probavit, illos et post hanc vitam commendavit et probavit evidentissimis miraculorum signis[c]. Quae magnae commendationis Dei et commendandae magnitudinis ratio in sancti confessoris Christi Annonis, Coloniensis archiepiscopi, meritorum praerogativis sublimiter claruit et claret, qui hic spectatae vitae et famae integrae egregiorumque actuum splendoribus decoratus, gaudet in perhenni vita[d], corona gloriae et stola iocunditatis exaltatus, vere sacerdos et princeps magnus iuxta nomen magnorum qui sunt in coelis. Cuius de tumulo elevationem vel signorum, quae citra id tempus passim contigerunt, fidem si quis captus amore scire voluerit, praesentis paginae veritati morem gerat, ubi nichil fucatum, nichil secus quam gestorum tenor habet inveniet. Nec alia quam quae oculata fide ipsi conspeximus, vel eorum qui viderunt fideli relatu didicimus, a nobis commemorantur, quia veritas mendatio non eget, et sanctorum famae derogare, non laudem astruere conatur, qui ficta pro veris, adulata pro certis cudere caeca mente praesumet. Summam autem quandam de omnibus degustare, non singula verbatim assignare ratum duximus, ubi etsi alicui licet magna quae[e] dicuntur tamen multa esse videbuntur, hanc nobis vicissim veniam donet, quam sibi de suo quisque patrono dari praeoptaret. Quia vero, ut verbis beati Ieronimi utamur, difficile, immo impossibile est, placere omnibus, nec tanta vultuum quanta sententiarum diversitas est, si forte de ariditate stili quisquam rite causabitur, attendat illud philosophicum, prudentibus viris non tam placere falerata quam fortia, et ubi rerum testimonia assunt, verborum ambagibus non opus esse.

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIT LIBELLUS DE TRANSLATIONE SANCTI ANNONIS ARCHIEPISCOPI.

1. Igitur evolutis diebus cum rerum domino, qui ponit tempus tenebris et producit luciferum in tempore suo, placuisset et ab eo sermo esset egressurus, ut fidelis et prudens famulus ipsius Anno praesul, qui ad gaudia angelorum iam olim transierat, in maiorem quam eatenus hominum quoque memoriam demigraret, eius venerabile corpus ad laudem sui nominis et pro gloria sanctae matris ecclesiae hoc ordine vel modo de tumulo levatum iri voluit: Temporibus sanctae recordationis Alexandri[28] papae qui et Rolandus citra biennii temporis, priusquam haec gloriosa translatio amministrata fuisset, contigit ab eodem summo pontifice unum e cardinalibus, Petrum Tusculanum episcopum, virum religiosum, ad ecclesias Galliarum legatione apostolica perfungi. Is cum ad monasterium Sygebergense accessisset, ut ibi tumultus causarum declinare, et aliquantula quiete vel otio spiritalis exercicii spiritum refocillare debuisset, oblatus est ei libellus, qui de virtutibus et vita beati Annonis editus est, et lectus et relectus est coram eo. Ille non statim audita ad integrum capiens, sed cum iteratione lectionis sensim prolata discretionis aequissima lance ponderans, percunctari coepit si idem sanctus, in sanctorum canonem ab ecclesia susceptus, celebris ut ceteri sancti haberetur. Cumque ad id responsi accepisset, de hoc verbo numquam aliquid actitatum, nec ad id elaborandum a quovis abbatum unquam operam fuisse adhibitam, pro eo quod huiusmodi negotium cum auctoritate sedis apostolicae pertractandum vires usquequaque videretur excedere, ille hoc subintulit: *Pro certo noveritis, vos negligentiae sive incuriae apud distinctum iudicem fore dampnandos, qui talem thesaurum, instar pigri servi, terra occulitis, nec eum ad proficuum plurimorum omnibus qui in ecclesia Dei sunt honorandum vel imitandum proponere curatis.* Ad haec cum fratres modeste quaererent, ex quo ipse praerogativa legationis apostolicae praemineret, utrum ad hoc promovendum ei possibilitas inesset, respondit plane inesse, ita dumtaxat, si hoc in mandatis domni papae accepisset. His et eiusmodi allegationibus quasi de somno diutino exciti Sygebergenses, et spe accensi pro patroni et fundatoris sui gloria excitanda, et pro exstirpando funditus penes incredulos sanctitatis eius quamlibet levi opprobrio, pio studio et devotione sancta animantur, haec in auribus piae recordationis domni Gerhardi abbatis saepius replicant, et veluti ardenti lucernae pietatis oleum adicientes, ei iam olim huius[f] oneris subeundi cupido arma praebent.

2. Circa idem tempus illustris Romanorum imperator Fridericus, contractis copiis Theutonici regni, sanguinis communione sibi propinquum Henricum ducem Saxonum in partibus Saxoniae debellabat apud Brunswich castrum[g,29]. Igitur praedictus abbas ex connivencia fratrum profectus, imperatorem adiit, et tam eius quam omnium archiepiscoporum et aliorum procerum auxilium et consilium in suo facto promovendo expostulavit, scilicet ut viritim ei litteras testimoniales et precatorias cum bullis suis ad apostolicam audientiam contraderent, et ut susceptum negotium prospero fine clauderet suis precibus optinerent. Quibus ex sententia gestis, specialiter ob istiusmodi causam, tum etiam ob plurimas guerras, quas ecclesia Sygebergensis tunc temporis sustinuit, limina apostolorum Petri et Pauli adire statuit. In qua profectione adversitatum incommoda non parva expertus est. Nam cum transalpinasset, et intra Italiam apud Placentiam Aemiliae civitatem devenisset, omnibus pene rebus et suppellectilibus, quas ob prolixitatem tanti itineris secum detulerat, expoliatus est. Sed rebus ereptis ob meritum speciale patroni sui non multo post praeter optatum cum omni integritate restitutis, caput urbium Romam prospere attigit.

a) *deest* 4. b—c) *desunt* 4. d) gloria 5*. e) qui *codd.* f) huic *codd.* g) *hic in manuscripto* 5* *quatuor linearum spatium relictum fuerat.*

26) Rom. 8, 30. 27) 2 Corinth. 10, 18. 28) tertii; sedebat 1159—1181. 29) Cf. Otto de S. Blasio c. 24.

3. Quis vero intra natale solum Annonis positus, quis quousque Theutonicae linguae sonus perstrepit obversatus, nomen vel meritum Annonis nesciat, cum in Romulea urbe non sit incognitum? Nam Otto illustris Frangens-panem, Romanorum nobilissimus, qui puer olim in Germaniae partibus advenerat, causam et adventum abbatis agnoscens, cum magna libertate protestatus est, digne confessorem in cathalogo sanctorum admitti, de quo tot miranda dicta scriptaque esse constaret: *Nam ego,* inquit, *quod audivi, cum essem puer in partibus illis, de eo non ignoro, quia scilicet successor eiusdem cathedrae Hildolfus, cum virgam pastoralem ipsius decurtasset, ut suae staturae adaptari potuisset, et in eius monasterio intra locum lectuli, quo sanctus ille pausare consueverat, se somno dedisset, ille soporato astans vultu terrifico et oromate*[30] *minaci, temeritatis eum in baculum suum cum stomacho vehementer arguit, atque cum eiusdem baculi crebra ac violenta percussione eum de loco visus est proturbare.* Sed propositum expediamus. Cumque abbas Romam veniens, praedicto Alexandro papa universae carnis viam ingresso[31], felicis memoriae Lucium papam[32] divae Romanae ecclesiae praeesse cognosceret, causam suscepti laboris eidem humiliter confessus, imperatorios ei apices cum aliorum procerum scriptis porrexit. Quibus inspectis et deliberatione super his habita, quia nuper fuerat inmantatus — vix enim per duos menses in papatu sederat[33] — respondit se in praesentiarum non posse huic exequutioni acquiescere, pro eo etiam, quia litterarum tenor non ad ipsius sed ad praedecessoris sui personatum esset transmissus. Huc accessit, quod insolitum et stupendum quiddam in curia Romana videbatur, Theutonicum solum sanctorum virorum ferax esse, propter frequentes expediciones, quae de partibus illis eo tempore in Italiam fieri, et Romanorum vires ac terram supra modum extenuare consueverant. Unde quidam cardinalium dixit: *De terra vestra solent pugnatores venire, mirum quod sancti ibi esse possint*[a]. Ac si diceret illud Maronis, non quidem verbis sed rebus:

Non equidem invideo, miror magis, undique totis
Usque adeo turbamur aquis[34].

Hoc ille fide forsan dubia quovis sensu dixerit, nos, ut de innumeris sanctis terrae nostrae taceamus, Annonis nomen hinc usque ad sidera notum, eius laudabile meritum scimus cuius memoriale non derelinquetur. Promisit tamen domnus papa se imperatori suam praesentiam in brevi exhibiturum, et cum eo super negotio abbatis tractaturum, nec quidquam ex his quae imperator promovere vellet esse negaturum. Sicque dato abbati privilegio pernecessario a sede apostolica, et aliis quae postulavit, valedicens dimisit eum[35].

4. Christianus[36], tunc temporis Moguntinus archiepiscopus, vir strenuus, missus ab imperatore, Spoletanum ducatum in manu forti occupavit, et civitates et castella, quae contra imperium senserunt, in deditionem coegit. Cuius timor ac tremor erat super omnes per circuitum provincias. Ad hunc abbas Romae degens per industrias ac notas personas scripsit super negotio suo, non discredens, quod et rei exitus probavit, quia quodlibet peteret a sede Romana, indubium quin acciperet. Cancellarius tum pro reverentia in optimis sibi notae Sygebergensis ecclesiae, tum pro honore Theutonici soli praemonitus ab his quorum id intererat, tempore oportuno petiit a domno papa canonizationem saepedicti et semperdicendi Annonis, et impetravit. Quae res de tam facili concessa, licet ex rerum circumstantiis per se clara sit, ne cui tamen videatur incredibilis, hanc reddimus causam, quia per Dei ordinationem, cuius nutu cuncta reguntur, et in cuius manu, ut cor regis, ita et cor papae consistit, hoc actum est, vel quod papa a Romanis minus reverenter habitus[37], auxilio cancellarii fovebatur, utpote qui vice imperatoris potestative cuncta agebat.

5. Ea ipsa tempestate Iohannes, Anagninus presbiter cardinalis tituli Sancti Marci, et Petrus Lunensis episcopus, legatione apostolicae sedis perfuncti, Coloniam pervenerunt. Ad quos accedens abbas cum prioribus et honoratis Coloniensis ecclesiae, de transferendo patrono suo petitionem fecit, asserens a domno papa licentiam eius rei, ut praedictum est, per interpositionem Moguntini archiepiscopi iam pridem sibi esse indultam. Aderat huic conventui Adolfus maior decanus Coloniensis, et Iohannes clericus, advena Romanus. Qui cum essent in praesentia domni papae, ab ore ipsius abbati licentiam hanc per responsalem praedicti praesulis directam, constanter se audisse asserebant. Quorum licet credibilia satis essent testimonia — nam alter eorum nota valde persona et omni auctoritate plena habebatur — ipsi tamen assertionem suam omnibus modis probare, si opus esset, parati erant. Sed praedicti legati eis fidem accommodantes, et sanctitatem ac meritum Annonis multorum attestatione metientes, in nomine Domini accesserunt ad coenobium, in quo idem sanctus requiescit.

6. Ales fama nobilitate vigens iam praeverterat adventum eorum, et celebre factum erat verbum istud in auribus fratrum et universae plebis. Ubi dum in vesperum praepararentur quae sequentis diei necessitas operosa poscebat, dubitatum est ubi locorum pavimentum aperiri potuisset, pro eo quod de loco humationis ob piam, ut putamus, cautelam sollers antiquitas dubie tradidisset. Et primo quidem ante altare, quod pedibus sepulti contiguum

a) possunt 5*.

30) i. e. ὅραμα, visio. 31) Obiit 30. Aug. 1181. 32) Sedebat 1181—1185. 33) Electus est 1. Sept. 1181. 34) Virgil. Eclog. I, 11. 35) Exstat alia Lucii papae ad Gerardum abbatem epistola, quam ad a. 1183 revocavit Lacomblet I, 343, in qua haec leguntur: *Ad canonizandum patronum vestrum, quem sanctum asseritis, Annonem, replicata iam sepius supplicatione apostolice auctoritatis nostre assensum meminimus expostulari. — — Pie peticioni vestre acquiescere decrevimus, eo tamen tenore, ut tu, dilecte in Domino fili abbas, in propria persona ad nos accedas, aut religiosos aliquos viros cum testimonio Coloniensis ecclesiae ad nos transmittas, qui de visis et auditis testificari sufficiant. Datum Signiae 8. Kal. Iul.* 36) A marchione Montisferrati captus a. 1181 libertatem nactus erat. 37) A Romanis expulsus Veronam venit 1184. Cf. cont. Aquicinct. Sigeberti.

erat, saxa proscindentes, nichil nvenerunt; postea vero ad ipsum mausoleum, quo eius sepultura cum epitafio praemonstrabatur, accedentes, illic inaratum suae inquisitionis indiculum se reperisse laetati 5 sunt. Nam supremis pavimenti lapidibus amotis, sarcofagus qui quaerebatur apparuit, ad cuius primam motionem geminus fragor tonitrus se sub celeritate sequentis, claro licet coelo, desuper immugiit, sicque certi redditi fratres discesserunt. 10 Porro aliud aeque mirabile in oculis nostris accidit hora sub ipsa, insciis fratribus. Plurimi enim ex oppidanis loci eiusdem, ignorantes penitus quae in monte gerebantur, eo quod ianuis clausis secretius et absque strepitu ea quae diximus agerentur, per 15 eandem horam audierunt maiora signa ecclesiae solemniter insonare, fratribus hoc minime audientibus, erantque repleti stupore, quid ea hora pulsatio illa portenderet, donec facto mane res tam unica eis innotuit.

20 7. Post medium vero noctis, matutinis peractis, fratres omnes in ecclesia conglobati, discalciatis pedibus solo pavimenti circa memoriam pii patris prosternuntur, et cum intenta psalmodiae reciprocatione illam reverentur aperientes, coelestem the- 25 saurum super aurum et topazion inde protulerunt. Videres inter spem ac metum trepidos hinc sibi dolere, quod talibus attrectandis forent indigni, illinc eius meritorum praerogativae ac promotioni gaudere. Ita demum in linteis mundissimis precio- 30 sas reliquias excipientes et in unum complicantes, reposuerunt eas inter tumulum usque mane. Inter alia pontificalia prolatum est et annulus episcopalis aureus cum gemma in quo exaratum fuit: *Henricus imperator Annoni archiepiscopo.* Inventae sunt 35 et duae tabulae plumbeae, una ad capud et una ad pedes, discretis exaratae litteris, quarum continentia ista fuit: *Hic requiescit domnus Anno, sedis Coloniensis ecclesiae tricesimus tertius archiepiscopus. Obiit vero pridie Nonas Decembris anno ab incar- 40 natione Domini* 1075, *indictione* 13, *anno episcopatus sui* 21.[48] *In hoc autem sepulchro positus est* 3. *Idus Decembris regnante rege quarto Henrico.* Haec tametsi in gestis ipsius satis superque constet esse digesta, tamen horum commemorationem non puta- 45 vimus hoc loco supersedendum, ut ne tenuem quidem dubietatis nebulam de eius corporali praesentia in Sygeberg posteris relinqueremus. Hoc enim religiosa et prudens antiquitas providit, quae huiusmodi intersignis eum commendabilem etiam inter 50 ipsos cineres sequacibus esse voluit.

8. Facto die qui terris solito iocundior illuxit, ruit undique populorum coetus, non modo videndae quin et communicandae Annonis gloriae, ut semper, avidissimus. Igitur sancto corpore de tumba de- 55 center elevato[49], sanctae sedis legati illud canonizantes super altare in voce exultationis et laudis gloriosae locaverunt, et solemnizante clero et populo missarum solemnia rite ut de uno confessore peregerunt, ipso cardinale missam celebrante et 60 episcopo inter cantores chorum regente. At ubi ad faciendum verbum plebi ventum est, ex auctoritate domni papae et beatorum apostolorum Petri et Pauli mandaverunt diem hunc translationis seu canonizationis Annonis feriatum habere ab omni opere servili, et honoris sancto condigni Annonem de cetero titulis celebrari. In quam formam toti archiepiscopatui scripserunt. Cuius facti vel decreti auctoritas cum in auribus ecclesiae insonuisset, sicut in eiusmodi fieri assolet, quidam officio divinae laudis, prout decuit, Annonem sanctum honorandum decreverunt, alii sicut pro fideli defuncto psallere, ut pridem, contenti erant, et scisma erat in eis, in tantum ut maior ecclesia in Colonia et ecclesia sanctae Mariae ad Gradus, cum sint contectales, a se discrepando ab unisono quodammodo recedere viderentur.

9. Non longo de hisce temporis interiectu domnus Philippus, Coloniensis archiepiscopus et apostolicae sedis legatus, generali sinodo Coloniae praesedit, ante actis priorum temporum sinodis multo celebriori; ad quam consueto plures tam ex episcopis quam ex abbatibus et de clero citati occurrerant, eo quod ius legationis per omnem provinciam Coloniensem et per totam terram suffraganeorum episcoporum eidem praesuli, ob notam probitatem ipsius et fidelitatem erga Romanam ecclesiam, a sede apostolica tunc accesserat, sicut ex litteris et concessione papae Urbani[50] praesenti sinodo significatum est. Igitur in tam frequenti et claro conventu, forte ad hoc potissimum coelitus proviso, in facie totius ecclesiae Coloniensis praedictus antistes Annonem iterato canonizans, hunc in catalogo sanctorum recipi, et ut confessorem sanctissimum celebrem esse mandavit, et quod saepe dicti legati de eo ordinaverant, ratum et inconvulsum servari auctoritate apostolica constituit. Hanc autem Annonis canonizationem hoc ordine factam divinitas ipsa approbavit, concessa eodem tanta gratia sanitatum, ut non facile sit vel lingua explodere vel scripto depromere, quot et quantis miraculorum titulis infra paucos dies Dominus sanctum suum mirificaverit. Caeci ibi visum receperunt, claudi 48 gressum, morbidi sospitatis donum adepti sunt. Turba infinita Annonis tumulum comprimebat, et tamen non omnes eum tangebant. Illis enim, qui fide indubia accesserunt, fiebat sane sicut crediderunt, quia virtus de illo exibat quae eos sanabat; et vere mirabilem Deum in sanctis suis nec minus super Annone magnificum, cuius elevationem corporalem tam fecunda miraculorum exhibitione seculo labenti commendare voluit. Namque vere illis diebus misericordiam coeli distillaverunt, quando hunc solem, 108 annis intra sepulchri latebras occultatum, cum iocunda ammiratione viventium temporum dispositor Deus in lucem dignatus est proferre. Nec solum praesentibus aegris vel oppressis 49 sed et longe quaqua versum positis, mox ad inclamata Annonis suffragia salus affuit.

10. Verum his in subsequenti libello miraculorum latius disserendis nos saltem, quantum ad compendium propositi nostri spectat, hoc unum de multis non praetereamus, quod tempore eodem ex

48) Cf. Vita Annonis III, 15. 49) In diplomate Gerardi quod die caret legitur: 1183 *quo etiam anno studio et labore nostro corpus beatissimi patris Annonis de tumulo reverenter est elevatum.* Lacomblet I, 344. 50) tertii; sedit 1185—1187.

duabus conventualibus ecclesiis, quas Anno fundavit, canonici in Colonia mutuo sese cohortantes et alios secum trahentes, navigio per Renum versus Sygeberg ascenderent, et inde pedestri itinere cum crucibus et sanctorum capsis procedentes, ad centum numero et amplius, coenobium sancti religiosa visitatione adierunt. Cuius rei nuncio celeri praecognito, conventus fratrum paschali more festive indutus, usque in medium fori obviam processit adventantibus, praecedentibus sanctorum reliquiis, et postremo scrinio ipsius pro cuius gloria speciali cuncta gerebantur. Statione ibi decentissima habita, praesente populosa multitudine utriusque sexus, tam de remotis partibus quam de circumpositis vicis, ita demum utraeque partes iunctae cum ymnisona exultatione montis iuga templumque revisunt. In crastinum, quod erat dominica inter ascensionem Christi (Mai. 29.) et pentecosten, eadem canonicorum candidata et spectabilis multitudo fratrum se conventui devote inmiscuit, ita ut choro dimidiato unam partem canonici, reliquam monachi adimplerent. Ibi cum tanta solemnitate ac tripudio in voce exaltationis Deo et sancto confessori processionis insignia ac missarum munia in commune persolverunt, ut generalis resurrectionis in Annone insigne iam adimpletum putares, et illas voces esse triumphantium et quasi cum Domino ascendentem festive prosequentium non dubitares. Nec immerito. Nam summi patrisfamilias iste dispensator et minister egregius propter honorem nominis Dei et ob decorem domus eius, in quantum potuit, dum adviveret fideliter laboravit, unde glorificationem ab eo promeruit. Hoc est quod Dominus repromisit (Ioh. 12, 26.): *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus.* Et alibi: *Glorificantes me glorificabo.* Alii hoc intelligant de futuro, quando moeror vertetur in gaudia, et transeunte mundo sanctorum corona non transit; ego et in praesentiarum video promissa compleri. Nam cum iuxta diffinitionem veterum gloria sit frequens fama cum laude, hanc Anno noster non tantum in hac vita emeruit, quantum in sanctorum contubernio hanc perennem in coelis possedit.

11. Miraculum in aucmento victualium eodem tempore ibi coelitus patratum nequaquam est nobis supersedendum, quod in hunc mundum contigit. Cum praecognitum esset de Colonia canonicos praedictos adventare, divulgatum est inter eos, eorum sequaces vix centum haberi. Ad hunc numerum frustra piscium quae sufficerent ab his, quorum id providentiae fuit, sunt provisa. Nam sabbatum erat, ex piscibus eis serviri oportebat. Cum vero refectionis hora adesset, inter canonicos, scolares, ministros et cursores ad trecentos et amplius computati sunt. Angustia, rubor et confusio faciei operuit dispensatores, eo quod tantae multitudini et tam karis hospitibus alimenta usquequaque deficerent, cum melius esset habundare quam deficere. Tantum unus dispensatorum cum fiducia in huiusce verba prorupit: *Locentur ad manducandum hospites nostri, et incipiamus eis cum karitate partiri ea quae paravimus; ceterum in Deo et in sancto Annone erit ciborum aucmentatio, tantum hanc in ipsis fiduciam indubitatam teneamus.* Hac spe animati ministri cum apponere escas commissuris coepissent, mira Dei potentia[a] sic intra manus eorum aucmentata (5) sunt dapes piscium[b], ut non solum per omnes sufficerent, quin etiam sequenti die quibusdam pro munere ex eis daretur. Item cum ad tantae multitudinis refectionem duae sportae panum allatae essent, et plures adhuc afferri oportere non dubi- (10) taretur, unius sportae panes per omnes suffecerunt, ita ut altera intacta reportaretur. Mirari erat tanti signi insolitam novitatem, et per ora multorum factum tam stupendum disseminabatur. Qui enim de quinque panibus et duobus piscibus amplum (15) dedit victum per milia quinque virorum, ipse in memoriam eorumdem mirabilium suorum dedit in similium aucmento praesentibus degustare suavitatem meritorum confessoris praecipui, ad laudem et gloriam sempiterni nominis sui. Ecce Dominus (20) sanctos suos, quos invisibiliter recipit, apud se vivere nobis etiam visibiliter ostendit! Quomodo ergo vivunt illic ubi vivunt, si tot miraculis vivunt hic ubi mortui sunt? Ad eorum complexum et conspectum venire summa et perpetua exultatio (25) est. Ipsos nobis modo patronos quaeramus, ut in supremo examine defensores sentiamus. Annonis nomen pastorale, eius meritum peculiare, si in vacuum assumamus, iudiciale nobis est, qui quo vicinior per corporis praesentiam nobis est, eo prae- (30) stantius eius morum et operum aemulatores debemus existere. Quippe si adviveret modo talis tantaque persona et inter nos diversaretur, quis putas non ei deferret, quis non eius revereretur vultum, non eius maiestatem per excessus noxios laedere timeret? (35) Quis non gesta componere, verba comprimere, et cetera vivendi officia modificare eo praesente cuperet? Quod non tam per corporis materiam, quam et per spem eum in continenti habeamus, in libro experientiae cottidie addiscimus, quia praestabilis est (40) super eo quod petitur; cito exaudit, de facili subvenit. Ea propter quem quasi oculis reverberatis vix tunc respiceremus, modo animis infrunitis, actionibus dissipatis, lingua vaniloqua offendere timeamus, ut eius suffragantibus meritis de mercede, (45) quam in praesenti recipimus, hoc est de mensa sinistrae, de qua qui edunt adhuc esurient et qui bibunt adsitient, ad aeternum et super coeleste convivium, hoc est ad mensam dexterae, transmigrare possimus. Translatum est autem de tumulo corpus (50) illustrissimi praesulis et patroni nostri splendide ac feliciter, cum gaudio et felici spe totius cleri ac populi, 3. Kal. Mai, 6. sabati, et in brevi intra locellum auro et gemmis fulgentem decenter reconditum. Acta sunt haec anno ab incarnatione Domini (55) 1183, indictione 1, Friderico christianissimo imperatore Romanum imperium administrante, regnante vero domino nostro Iesu Christo rege sempiterno, cuius anni non deficient, cuius imperium sine fine manet, cui est honor et decus cum Patre et Spiritu (60) sancto per immortalia secula seculorum. Amen.

a—b) *desunt* 4.

HISTORIAE FARFENSES.

COLLEGIT L. C. BETHMANN D.

Monasterium beatae Mariae virginis in Sabinis, medium fere inter Romam Reateque in loco Acutiano dicto non procul a fluvio Farfa, unde postmodum nomen Farfensis accepit, circa finem septimi saeculi fundatum fuit in vestigiis basilicae antiquioris, quam traditio iam tunc incerta a Laurentio quodam olim constructam ferebat. Beatus Thomas ipsius fundator decemque abbates huic proxime succedentes praeter unum Probatum omnes Franci fuerunt; unde factum, ut et Carolus Magnus ipso quo Langobardorum regnum accepit anno Farfensibus imperialis monasterii immunitatem concederet, et succedentes imperatores eosdem praecipuo studio foverent augerentque donationibus amplissimis, quarum monumenta supersunt septuaginta diplomata imperatorum; sed fuerunt plura. Hanc immunitatem monasterium per varios casus strenue defendit usque ad a. 1125, *fidelitatemque imperio semper servavit illibatam. Nec frustra, quia, ut Gregorius in Defensione orthodoxa imperiali ait*, ut viros antiquiores pronuntiasse novimus, quotiens in hoc loco dominium imperiale deficit, eius pro certo dignitas totiens minuit; et in quantum hic fastigium imperiale vigescit, in tantum huius sacri cenobii vigor accrescit. *Illo autem anno imperatoris adiutorio destituti monachi, necessitate cogente inviti tandem se subiecerunt dominio summi pontificis; et quantumvis adhuc Fridericus I antiquam libertatem Farfensem privilegio confirmaverit, re vera tamen haec libertas iam a.* 1125 *interierat. Perstitit ita monasterium, prosperitate multum imminuta, usque dum Nicolaus IV ipsi cardinalem protectorem et administratorem imponeret a.* 1292. *Ab hoc inde tempore rapido cursu omnia in peius ruerunt usque ad obitum Nicolai secundi a.* 1400, *qui abbatum claustralium fuit ultimus. Tunc enim Bonifacius IX abbatiam in commendam tradidit nepoti suo Francisco cardinali Tomacello. Is introduxit monachos Germanos, quibus amotis a.* 1367 *successerunt monachi congregationis Casinensis, qui adhuc monasterium tenent sub abbate D. Angelo Pescetelli. Qui vir praestantissimus meisque laudibus longe superior, D. Petro del Bufalo Sancti Petri in Vinculis canonico gratiosissime pro me intercedente, ea qua excellit humanitate non solum ad archivum Farfense aditum concessit, verum etiam litteris huc datis laetissimam in ipso monasterio receptionem mihi paravit. Quo quum accessissem, D. Bernardus Lertora, eiusdem coenobii praepositus et iam solus incola, hospitalitate vere Benedictina per decem dies lautissime me fovit, archivumque aperuit summo cum otio examinandum; quod duce Ludovico Mariani medico castri Farae, rerum patriarum antiquitatisque Farfensis cultore indefesso per totamque provinciam Sabinensem aestumatissimo viro, diligenter sum perscrutatus. Chartae, quarum anti-*

quitate numero praestantia nulli certe Italiae monasterio olim Farfense cedebat, praeter paucas saeculo duodecimo fere non anteriores omnino interciderunt; neque iam anno 1643 plures quam nunc extitisse, monstrat index archivi tunc temporis per Gregorium Urbanum factus, in quo pontificum bullae non afferuntur ante Innocentium IV, cum transsumpta Gregorii II et Clementis II, imperatorum diplomata quae olim extabant plura quam septuaginta, non indicantur nisi quinque, Ottonis II, Conradi III, Friderici I, duoque Henrici IV, ex quibus alterum iam non reperitur. Codices supersunt quadraginta, inter quos unus solummodo saeculi noni, reliqui undecimum non superant. Ex illis praestantiores sunt Gregorii Chronica, Largitorius, Floriger, tum lectionarius cum vita Thomae fundatoris, codex saeculi noni cum vitis sanctorum, Ivonis Panormia et libri feudorum; reliqui non magni faciendi. Qui praeter hos olim extabant codices Farfenses, iamdudum interciderunt praeter paucos in Vaticanam bibliothecam et in Barberinam delatos. Hae solae supersunt reliquiae historiae Farfensis; ex quibus quae iam proponimus opuscula, ea legentibus speramus non fore inutilia, monasterio autem eiusque abbati venerabili D. Angelo Pescetelli grati nostri animi volumus esse monumentum.

Scribebam in monasterio Farfensi die 23. Maii 1853.

L. C. BETHMANN.

CONSTRUCTIO FARFENSIS.

Antiquissimus historiae Farfensis liber conditus fuit paullo post a. 857. De eo tantummodo scriptores saeculi undecimi mentionem fecerunt, Hugo atque Gregorius. Hugo in praefatione Destructionis haec habet: a tot sanctis patribus, qui leguntnr in eius Constructione *et paullo post:* sicut prior libellus vocatur Constructio, ita iste secundus vocetur Destructio, *et* antiqua illa Constructio ob memoriam patrum inibi continentium sit restauratio ad spiritales virtutes. *Gregorius Catinensis in prologo registri Farfensis ita scribit inter cetera:*

Hic presens pater noster gessit vir sanctissimus Laurentius, qui ad Hitaliam de Siriae veniens partibus, Deo nimis acceptus extitit et hominibus. Namque dum maximis in hac Sabinensi regione floreret virtutibus, dignisque ab omni populo magnificaretur honoribus, relictis seculi universis favoribus et solius Dei conditoris desiderans insistere laudibus, remotioris vitae quietisque elegit habitum, capiens indumentum monachicum, sanctumque hoc Pharphense non de publico construxit monasterium. Quo autem id egerit tempore, non plenius sciri potest, prae temporum magna longinquitate et barbarorum postea imminente eiusdem loci desolatione. Hoc tamen sine ambiguitate novimus, quia sicut in privilegio domni Iohannis ni fallor papae sexti habetur, quod venerabili Thomae abbati ab eo est concessum: *Venerabile monasterium sanctae Dei genitricis sanctae virginis Mariae, quod Laurentius quondam episcopus venerandae memoriae de peregrinis veniens, in fundo qui dicitur Acutianus territorii Sabinensis constituit, et . . . loca quaedam tam emptu quamque ex oblatione fidelium acquisivit.* Sufficit ergo sciri, ab hoc sancto viro, non autem de publico hoc sanctum coenobium fuisse constructum. Quia vero tempus illius conditionis ignoramus, iccirco silere de hoc magis elegimus, quam aliquid proferre mendosum vel frivolum. Nobis quippe audire mendacium non licet, quanto magis nullo modo convenit proferre. Legimus tamen in autenticae Constructionis illius proemio, quia *temporibus Romanorum, prius quam Hitalia gentili gladio ferienda traderetur, de Siria tres viri advenerunt, scilicet Ysaac et Iohannes atque Laurentius cum sua germana sorore Susanna.* De quorum primo duorum beatus papa Gregorius . . . . sic in dialogorum libro mentionem faciens ait: *Prioribus quoque Gothorum temporibus fuit iuxta Spoletanam urbem vir vitae venerabilis Ysaac nomine, qui usque ad extrema paene Gothorum tempora pervenit . . . . Hic itaque venerabilis Ysaac ortus ex Hitalia non fuit, sed primum de Syriae*

partibus ad Spoletanam urbem venit. Prudens lector, animadverte quae fuerint *Gothorum priora tempora*, vel quae *Romanorum priusquam Hitalia gentili gladio ferienda traderetur.* Constat igitur, quoniam ante prefati gloriosissimi pontificis non modicum tempus conditum est monasterium illud . . . . . . Quo autem tempore prius destructum hoc fuerit monasterium,
5 sicut et constructum, manifestius clariusque minime scimus, nisi tantum quod legitur in eiusdem libro Constructionis, quia *post obitum beati viri sanctissimi Laurentii a Langobardis circumquaque interfectis effugatisque habitatoribus, locus ipse desolatus et in solitudinem est redactus atque per multa annorum curricula absque habitatore permansit,* scilicet donec a Galliae Maurigena provincia vir vitae venerabilis veniens Thomas presbiter ad sepulcrum Domini
10 demoraretur, ubi admonitus a beata Maria semper virgine Domini genitrice ad Hitaliam reversus est et hoc sanctum iam desolatum repperit monasterium. Cuius scilicet beati Thomae felix et gloriosum tempus nos per annos pontificum et tempora regum successionesque abbatum necnon et cartularum subscriptarum indictiones enucleatius colligentes, invenimus fuisse circa inc. dom. annos plus minus 680, ind. 8. *Aliquot annis post idem Gregorius*
15 *sub initium Chronicae haec paullo aliter repetiit, nunc primum episcopatus Laurentii atque draconis ab eo pulsi mentionem faciens, de quibus in prioribus nil dixit:* Sic praesens gessit beatissimus pater noster Laurentius huius sacri coenobii aedificator primus, cuius hodie sollemnia annua veneratione recolimus, quando de terra et de cognatione sua, hoc est de Siria exivit, propriamque domum cum parentibus et propriis
20 omnibus reliquit, et peregrinationem assumens, in hanc Sabinensem provinciam post beatorum apostolorum venit adorata limina. In qua aliquantisper moratus, dum episcopatus honore fungeretur, et Deo et hominibus carus et acceptus haberetur, seculi sublimia sprevit, favores hominum et ineptas mundi adulationes contempsit, huius seculi curis renuntiavit, episcopatum deseruit, et . . . . fructum, postquam monachico habitu indutus est, Deo
25 optulit meliorem. Cum enim in quodam puteo loci qui dicitur Acutianus, Sabinensis provinciae, immanis draco habitaret, cuius pestiferum flatum nullus mortalium poterat ferre, vir Domini Laurentius a dominis ipsius loci tam venditione quam concessione eundem locum accepit, et ab eo intra paucos dies, in oratione et ieiunio persistens, saevam pepulit pestem. . . . . . . Deinde in uno ex his quae ei tradita vel vendita fuerant locis, id est in isto cuius voca-
30 bulum est Acutianus, una cum sua germana Susanna monasterium hoc in honorem sanctae Dei genitricis semper virginis Mariae et sanctorum Iohannis baptistae et Iohannis euangelistae idem vir Domini Laurentius non de publico construxit . . . . . Idem venerabilis Laurentius in istius aecclesiae apside titulum posuit, in quo refertur, ab eo et Susanna eius germana hoc monasterium, non de publico, fuisse constructum . . . . Cuius sanctum corpus in
35 hac basilica sanctae Dei genitricis Mariae a discipulis est humatum diligentissime et reconditum. Et non post longum temporis spatium venerabilis eius soror perrexit ad Dominum, eiusque cadaver in hoc monasterio a discipulis iuxta fratris est sepultum. Libet autem de huius sancti tempore perscrutari historias, et quo extiterit aevo, perspicacius investigare, et quamvis non plenius *et cetera iisdem verbis ut supra iam ex prologo registri ea*
40 *dedimus. Quae quam sint incerta, immo dubia, primus iam Bollandus exposuit ad diem 3. Februarii et in addendis, deinde Mabillon in Actis sanctorum Bened. I, 231. et accuratius etiam summaque cum probabilitate Marino Marini in serie chronologica abbatum Farfensium, Romae a. 1836 edita. Unicus siquidem totius de sancto Laurentio narrationis fons est ipse noster Gregorius. At is ipse ean-*
45 *dem rem iam senex tertia vice tractavit in libro Florigero ita scribens:* His autem praemissis, quod de temporibus sancti patris nostri Laurentii in gestis beati Euticii et Ysaac aliorumque sanctorum qui eius collegae fuerunt repperimus, stilo iam veraci proferamus. Denique temporibus Iuliani imperatoris erat in partibus Syriae vir vitae venerabilis Anastasius cum duobus filiis suis, Bricio scilicet atque Euticio. Hi quippe unanimi voluntate
50 patriam reliquerunt et parentes, ut coelestes opes attingere possent. Cum his etiam se addiderunt plurimi, maxime nepotes eorum et consanguinei circiter undecim, videlicet Ysaac, Iohannes, Laurentius, Proculus, Paractalus, Vincentius, Crispolitus, necnon et Herculanus; cum quibus et Susanna germana soror predicti venerabilis Laurentii profecta est. Hi namque insimul divino respecti consilio Romam causa orationis advenerunt . . . . . . Laurentius vero

una cum sorore sua germana Susanna Sabinensem petiit regionem, ubi in Dei servitio diutius permanens, carus omnibus effectus, ad summum gradum episcopatus...... est electus. Sed vir Dei vitam theoreticam magis eligens, ipsum episcopatum reliquit, et monachicum habitum assumpsit. Quem ut Deus omnipotens ostenderet perfecti meriti apud Deum fore, eius orationibus postulatus a quodam loco pestiferum expulit draconem; in quo videlicet loco, cui vocabulum est Turianum, aecclesiam construens, non parvo tempore in Dei laudibus permansit. Post haec autem locum reperiens remotiorem, ubi Deo propitio modo degimus, cuius vocabulum est casalis Acutianus, quem ut pro certo credimus, beata Dei genitrix semper virgo gloriosa nostraque pretiosa domina elegit, iuxta tres cypressos magnae altitudinis construere coepit, ut coniici potest temporibus Gratiani imperatoris, qui regnavit anno incarnat. dom. 370. A tempore itaque Iuliani imperatoris, sub quo Romam venerunt prefati sancti, usque ad tempus Gratiani quadragesimi imperatoris anni sunt 25, in quibus, ut estimatur, aliquantulum Romae moratum cum aliis, sicut supra retulimus, sanctis beatum Laurentium fuisse, et Sabinensem provinciam properasse atque in episcopatum electum fuisse; quo relicto, et monachicum habitum accepit, et draconem pessimum effugavit. A tempore autem Gratiani qui regnavit circa annum dom. inc. 381, hoc monasterium inceptum a beatissimo Laurentio aestimatur, et incolume permansisse usque ad tempus Zenonis, annis scilicet 88... .... Postquam autem Roma temporibus Zenonis et papae Leonis I capitur a Genserico, tunc credendum est hoc monasterium fuisse desolatum et sic permansisse hominibus ignotum annis 176 usque ad tempus quarti Constantini, quando sanctus Thomas eius anno duodecimo venit et restaurare coepit anno Christi 680, postquam Langobardi in Italiam venerunt, anno utique septimo Tyberii imperatoris; a cuius tempore usque quo venit sanctus Thomas anni sunt 90. In quo tam brevi spatio quomodo potuit oblivisci tam famosus locus? Sed et illud, quod in proemio legitur Constructionis istud monasterium a Langobardis destructum, effugatis ab eis et interfectis eius habitatoribus, corrigendum arbitramur, ut non a Langobardis, sed potius a Guandalis dicatur, quod accidit temporibus Zenonis, vel a Gothis, quod temporibus Archadii vel Honorii imperatorum extitit. *Quae si accuratius conferimus cum initio Chronicae, apparere inde videtur, totam hanc de sancto Laurentio narrationem non affuisse in libro Constructionis, sed desumptam fuisse a Gregorio ex legendis sanctorum Euticii, Isaac, aliorum, maximeque ex quodam sermone de sancto Laurentio, apud Farfenses legi solito, qui sermo et ipse illis legendis innitebatur; Constructionem autem de Laurentio eiusque basilicae eversione per Langobardos brevissime tantum egisse et in solo prooemio, historiae ipsius initium fecisse a sancto Thoma. Certiora ea de re non habemus; nam liber ipse iam intercidit. Vidit eum adhuc vel saltem novit a.* 1643 *Gregorius Urbanus, qui in annalibus Farfensibus etiam nunc in monasterio servatis citat antiquissimum historiae Farfensis auctorem nomine Gregorium, qui scripserit circa a.* 860. *Qua vero auctoritate hoc nomen proferat, non dicit Urbanus.*

Quum autem his ipsis diebus Ludovico Mariani duce codices archivii Farfensis perlustrarem, ultimus in manus mihi venit codex omnium maximus, signatus A, *una saeculi undecimi manu in ipso monasterio Farfensi exaratus, at primis tribus quaternionibus iam truncatus. Continet lectiones et sermones de sanctis; quos quum diligentius examinarem, summo cum gaudio ibi medios inter sermones manu eadem qua reliqua omnia exaratum vidi opusculum sine nomine auctoris, inscriptum tantum* Incipit de venerabili patre nostro Thoma. *In quod opusculum quaecunque de libro Constructionis traduntur, tam egregie quadrant, ut hunc ipsum librum esse et statim coniicerem et accuratius investigando certissime iam habeam persuasum. Auctorem circa a.* 857 *in monasterio Farfensi vixisse, ex ultimis eius verbis patet; nomen eiusdem scriptor codicis omisit una cum prooemio de quo Hugo et Gregorius loquuntur. Vitam Thomae abbatis ex legendis antiquioribus atque ex traditione domestica narrat non sine colore quodam epico, magnos centones inserens ex Autperti vita*

Paldonis Tasonis et Tatonis ad verbum fere depromptos. De reliquis abbatibus paucissima tantum habet, quae ex parte saltem de epitaphiis eorum desumpta crediderim; id quod prae ceteris in Mauroaldo et Sichardo apparet. Gregorius Catinensis in Chronica totum transcripsit, hic illic quaedam ex aliis fontibus 5 *addens, quae nos in annotatione subiecimus. Prodit igitur iam prima vice opusculum ex codice unico, non tamen autographo; cui capitum numeros de nostro apposuimus.*

INCIPIT DE VENERABILI PATRE NOSTRO THOMA.

1. Fuit namque in Gallia vir virtutę venerabilis, Thomas nomine, ut alii ferunt Mauri- 10 gena exortus provincia. Hic etenim vir sanctus presbiterii fungebatur officio. Cui quippe Dominus inspirare dignatus est, ut Hierosolymis ad sepulchrum Domini atque alia sancta loca adoranda pergere deberet. Qua inspiratione vehementer accensus, aliquantis assumptis secum discipulis peregrinationis arripuit iter. Cumque Romam veniens, sanctorum apostolorum limina adorasset, quantocius ad loca destinata festinabat, adiunctis etiam sibi religiosis de 15 Italia viris, Martiano videlicet qui postea Firmanae tenuit aecclesiae episcopatum, necnon et Martyrio, qui apud beati Petri aecclesiam postmodum monasterio prefuit. Hi namque omnes caritatis annexi vinculo, socialis viae carpebant iter; qui post longa valde itinera tandem optata pervenerunt ad loca. Tunc itaque desiderii sui vota complentes, vivificum lignum crucis Christi et sepulchri venerabilem atque gloriosum adoraverunt locum; simulque cuncta sancta loca 20 habitationis et passionis Christi visitantes, similiter adoraverunt. Sed Martianus et Martyrius supradicti religiosi viri suam repetentes viam, reversi sunt in Italiam. At vero venerabilis Thomas ad gloriosum Domini reversus est sepulchrum; ibique per tres continuos deserviens annos, Dominum die noctuque cum fletu et nimio precabatur merore, ut ipsum pro sua clementia ad salutis dignaretur dirigere portum. Sed quia secundum Domini promissum omnis (Matth. 7, 8.) 25 qui petit accipit, et qui querit invenit, et pulsanti aperitur: eum quantocius exaudire dignatus est Dominus. Denique ut nostrorum relatu comperimus patrum dum quadam nocte ad idem Domini (Autp.) pernoctaret sepulchrum, precibus fatigatus nimiis atque vigiliis, sopore depressus est. Tuncque ei beatissima Dei genitrix virgo Maria[1] per visum apparere eumque percontari dignata est dicens: *Quid est, frater, quod tanto merore ac fletu conficeris? Constans esto et viriliter age; Dominus quoque* 30 *adimplebit desiderium tuum. Oportet namque te Italicas remeare ad auras. Cumque illuc fueris Deo protegente regressus, require in provincia Savinensi, in loco qui dicitur Acutianus, tres magnae altitudinis cypressos simul positas, iuxta quas etiam basilicam pulchri decoris in meo repperies honore dicatam; quem vero frequenter visitare soleo locum. Hunc quoque cum reppereris, ibi cursum tuae consumabis vitae; in quo videlicet numquam tibi vel posteris tuis ali-* 35 *quid boni veniet minus, sed omnibus vitae praesentis ibidem perfruemini bonis, copiosaque fratrum exinde multitudo tuo exemplo caelestia migrabit ad regna.* Cum haec beatissima virgo per revelationem venerabili Thomae retexeret verba, panem mirae magnitudinis atque candoris manu gestans ei detulit dicens: *Accipe panem hunc et perge securus; hoc autem scito, quia numquam ex eo minus habebis, sed omni vitae tuae aevo habundanter tibi sufficiet.* Tantam namque deinceps illi gratiam compunctionis atque lacrimarum 40 divina largiri dignata est pietas, ut paene de Deo loqui vel sine lacrimis posset, et die noctuque tempore psalmodiae vel orationis desiderio accensus divino suaves funderet lacrimas. Vere enim hic cum psalmista dicere poterat: *Fuerunt michi lacrimae meae panes die ac nocte.* Igitur venerandus (Psal. 41, 4.) vir de revelationis sollicitus ammonitione, reversionis ad Italiam cum omni suo comitatu arripit iter; veniensque per Ephesum, apud beati euangelistae Iohannis sepulchrum moratus 45 est ut ferunt alios tres annos. Sicque factum est, ut inter id quo ad orientem de Gallia profectus ibidemque commoratus, et hoc quo inde reversus est tempus, septem complerentur spatia annorum.

2. Reversus vero in Italiam, Savinensem peragrabat provinciam, locum videlicet quaerens, qui ei per revelationem fuerat promissus. Sed cum nullum invenire loci illius potuisset 50 indicium, de revelatione diffidens iam mente deliberabat, ut ad suam reverteretur provinciam. Veniensque in locum qui dicitur Cervinaria, ibi sub quadam arbore quae nunc superest

1) Huius loco Autpertus habet *quidam;* quam traditionis formam simpliciorem vetustioremque noster sermone epico ampliavit et beatae Virgini Farfensium patronae tribuit.

paulisper requievit; placuitque illi, ut ibi Deo sacrificium offerri deberet. Peractis itaque missarum sollemniis, eum gravitudo arripuit. Tunc vero praecepit discipulis, ut dum ipse paululum requiesceret, si aliquid in suis haberent marsuppiis, ad reficienda corpora pararent mensam. Aiebat enim se festinanter Romam proficisci velle, ut adoratis iterum beatorum liminibus apostolorum, suam repetendi patriam assumerent iter. Mox ut sopore depressus 5 est vir sanctissimus, iterum beata Dei genitrix semperque virgo Maria leto ac benignissimo ut est vultu ei apparuit dicens: *Ecce, frater, iste est quem tibi promiseram locus. Nunc vero confortare in Domino, et noli pusillanimis esse.* Iterumque ostendit ei tres in visu praefatas cypressos, et ait: *Vade*, inquit, *et iuxta has quas cernis arbores invenies quam tibi predixi basilicam, nomine dicatam meo. Ibi namque permanens, optimam repperies quietem; et* 10 *labora sicut bonus miles Christi Iesu, ut accipias coronam vitae. Ego vero tecum semper cum tuisque omnibus ero, tam presentibus quam futuris; et congregabitur ad te ibi quoque copiosa fratrum caterva, ad omnipotentis Dei servitium animas commendantes suas.* Cumque evigilans haec fratribus retulisset, circumquaque respiciens vidit non procul contra orientis plagam tres praedictas cypressos, gavisusque ait: *Ecce in veritate, fratres, istae michi modo in visione* 15 *ostensae sunt arbores. Surgite itaque, pergamus ad eas.* Qui iussa complentes, multo labore dextro levoque latere condensa quae ibi succreverant spinarum ac veprium cultris succidentes suis, illuc usque profecti sunt; repertamque ingressi basilicam, Domino inmensas retulere grates. Cumque ibidem aliquantos in Dei peregissent laudibus dies, coeperunt memorati viri Dei discipuli pusillanimes effici, et eum cum magno perconctari merore dicentes: 20 *Quid faciemus, o venerabilis pater, cum haec quae nobiscum detulimus in sacculis alimenta defecerint? Locus enim iste nulli preter bestiis et latronibus est praevius, a quibus forsitan latronibus trucidandi erimus?* Quos isdem vir venerabilis Thomas benigne refovens, consolatus est dicens: *Confido de omnipotentis Dei magna largitate et intercessione beatissimae Dei genitricis Mariae, quia neque fame hic laboraturi neque a latronibus perimendi erimus, sed* 25 cf. Ps. 33, 11. *cito nobis eius subveniet clementia; quia ipse per prophetam polliceri est dignatus dicens: „Sperantes in Domino non deficient omni bono." Cuius quoque promissa cito nobis complebuntur.*

2 3. Per idem namque tempus Faroaldus magno regimine ducatum tenebat Spoletanum[2]. Hic denique Romam proficisci illo tempore volens, apparatum suum in ciborum atque vini 30 copia cum honeratis hominibus atque iumentis praeire iussit, in crastinum ipse quoque ut cogitabat suis cum comitibus eos secuturus. Sed eadem sancta Dei genitrix virgo Maria nocte hunc ammonere per visum dignata est dicens: *Vide ut ab hac quandoque profectione quandoque quiescere debeas, quia incommodum est nunc te pergere Romam, eo quod minime tibi expediat; sed potius meo consilio quod tibi magis proderit praebe consensum. Est namque* 35 *in territorio Savinensi basilica nomine dicata meo, in qua videlicet monachi degunt peregrini, qui die noctuque in hymnis et orationibus Domino deserviunt. Has itaque omnes quas praeire iusseras deferre facito expensas, quatenus eorum adiutus orationibus, Deum possis habere propitium.* Qui statim de somno consurgens, hanc suis rettulit ministris revelationem, dixitque eis: *Requirite, quisnam hic de Reatina sit urbe.* At illi dixerunt, quod Probatus ipsius civitatis 40 castaldus ibidem esset. Quem accersitum, percunctari coepit, ubi in Savinis ad honorem beatae Mariae semper virginis esset aecclesia dedicata, in qua peregrini degerent monachi? At ille inquit: *Multae in honore beatae Mariae basilicae Savinis habentur constructae; sed in qua horum monachorum vel peregrinorum sit habitatio, penitus ignoro.* Tum ille: *Vade*, inquit, *et diligenter fac perquirere, ubi peregrini habitent monachi, et omnia quae Romam adire ius-* 45 *seram alimenta, eis quantocius facito deferre.* Cuius statim imperio parens, omnes illas Savinis direxit impensas. Cumque homines illius qui ea alimenta quae iam dicta sunt praeferebant, ad locum qui dicitur Pompeianus pervenissent, ab incolis loci illius inquirere coeperunt, quonam in loco in honore beatae Mariae Dei genitricis constructa esset basilica, ubi peregrinorum esset habitatio monachorum. Qui omnes una voce responderunt dicentes: *Equi-* 50 *dem in honore beatae Mariae Savinis multas novimus aecclesias esse; sed ubi monachorum sit habitatio, omnino nescimus. Verumtamen a patribus nostris audivimus, quod patres vel avos suos referre audierint, quoniam in casale qui dicitur Acutianus, iuxta tres cypressos, ibidem posita sit aecclesia beatae Mariae miro fabricata decore, in qua antiquitus tempore Romano-*

2) inde ab a. 703. At infra Thomas per annos 35 baculum tenuisse dicitur. Quare aut in his annis 55 error est, aut quod magis crediderim in traditione de nomine ducis.

rum habitatio dicitur fuisse monachorum; sed modo nullam ibidem hominum scimus esse habitationem. Et haec dicentes, ostenderunt eis non procul ab ipso loco tres praedictas cypressos. Cumque ad ipsum pergere locum minime scirent viamque nequaquam repperire possent, onerata quae secum habebant iumenta eos preire coeperunt, rectoque itinere ad locum pergere destinatum. Quae sequentes, ad locum ipsum pervenire potuerunt. Sed antequam ad ipsum pervenirent, voces atque strepitum ipsi audierunt fratres. Qui timore perculsi cogitabant, quod armata latronum manus ad eos perimendos adveniret, protinusque in oratorium confugientes, venerabilem virum Thomam lacrimabili voce conquesti sunt dicentes: *Ecce, pater, sicut diximus, latrones adsunt, qui nos interficere volunt.* Ianuam itaque aecclesiae oppilare curaverunt. At vero hi qui honera deferebant, ante fores aecclesiae ipsa ponentes, iumenta exhonerare fecerunt. Tunc unus ex eisdem venerandi viri Dei discipulis respiciens per foramen ianuae, vidit ipsum apparatum ante fores ecclesiae depositum; revertensque nuntiavit patri atque sociis, nichil mali adesse, sed econtra largissimis dapibus ciborum atque vini dorsis iumentorum hominumque humeris advectatis atrium esse repletum. Tunc exeuntes ad eos, interrogare curaverunt, quaenam essent ipsae dapes, aut quis eas illuc direxerit. Hi vero qui advenerant, prostrati in terram eorum se precibus commendare studuerunt; primusque eorum per quem directa fuerant alimenta dixit: *Faroaldus gloriosus dux Spoletanus ammonitus a beata Dei genitrice Maria almae vestrae beatitudini benedictionem dirigere curavit, postulans ut eum sanctis precibus Deo commendare dignemini.* Tuncque oblatis muneribus, benedictione percepta sanctorum, ad propria reversi sunt. Et ex eo iam tempore ipse gloriosus dux eis sepissime sua munera dirigere curavit, ipsumque prefatum virum venerabilem Thomam abbatem Spoletum ad se venire rogavit, atque eius orationibus se commendare studuit, aliquantamque donationem per suum praeceptum eius contradit monasterio.

4. Igitur cum venerabilis eiusdem patris sanctitas odorisque boni fama longe lateque diffusa esset, coeperunt ad eum tam de proximis quam de longinquis provinciis certatim concurrere, ut eius scilicet magisterio se Domini servitio subderent, atque in ipso coenobio beatae Dei genitricis semper virginis Mariae monasticam degerent vitam. Eodem igitur tempore fuerunt Benevento tres nobili exorti progenie viri, consanguinitatis quoque iure propinqui; quorum uni erat nomen Paldo, alteri vero Taso, tertius namque vocabatur Tato. Hi enim ex duobus progeniti fratribus, Paldo scilicet ex uno, Taso autem et Tato ex altero, divino succensi amore uno consilio parique voto decreverunt, ut patriam parentesque relinquerent, ac mundi huius se pompis fallacibusque exuerent divitiis, quatinus veras atque caelestes attingere possent opes. Galliarum itaque desideranter penetrare volebant provincias, ut ibidem videlicet corpore non animo separati per diversa sese monasteria servitio subiugarent Dei omnipotentis. Sed cum hoc aperte pro suorum erga ipsos parentum sollicita cura implere minime possent, ad sanctorum adoranda limina apostolorum Romam se ire velle professi sunt. Nam honeratis ex his quae in via eis videbantur esse necessaria animalibus, ascendentes equos, fulti famulorum profectionibus adorsi sunt iter. Ut vero Beneventi peragrati sunt fines Marsorumque ingressi sunt provinciam, descendentes de equis, pueris praecipiunt, ut equos et omnia quae secum detulerant auferentes, ad propria remearent. Dicebant enim, tale se votum habere, ut hi tantummodo tres Romam suis pergere deberent pedibus. Quibus quoque remeantibus pueris, dum praefati milites Dei coeptum pergerent iter, viles scissosque habentes pannos obviam facti sunt eis pauperes; quibus namque pretiosa sua largientes vestimenta, eorum sordidis atque vilibus adoperti sunt indumentis. Recto vero pergentes itinere, Savinis ad coenobium beatae Dei genitricis semper virginis Mariae pervenerunt, in quo tunc praefatus vir vitae venerabilis Thomas regiminis curam gerebat. Qui dum eosdem Christi milites suscepisset hospitio, more solito cum fratribus perrexit, ut secundum Domini praeceptum eorum ablueret pedes. Denique dum eorum delicata candidaque membra sordidis contecta vidisset vestibus, eorum aspectus praeclaros cernens atque compositos, intellexit, nequaquam eos publice ut ipsi fingebant esse mendicos. Cumque operis Domini complevisset mandatum, in sua se contulit claustra. Mane igitur primo eos secrete ad se fecit venire, subtiliterque eos ac blande interrogare curavit dicens: *Qui estis vos, fratres, vel unde venistis? Obsecro itaque, ut non me adventus vestri celare debeatis causam. Forsitan enim aliquid a iudicibus huius saeculi sustinetis iudicium; aut etiam ut humanae contingere solet fragilitati, in aliquo dilapsi crimine fugitis. Credite*, inquit, *michi, quia in quantum valuero, vobis suffragium praebere conabor; tantummodo secreti vestri michi profitemini veritatem.* Illi vero cernentes, nequaquam venerabili patri suum abscondi posse secretum, ei cuncta quae egerint et unde essent, adventus sui causam suaque ac patrum suorum nomina per ordinem narrant; porro quod Romam pergere vellent atque inde Galliarum expetere provincias, ei minime celant, adiurantes eum, ut nequaquam eorum impediret propositum. At ille: *Absit,* inquit, *o fili, ut a bono proposito vos revocare cupiam, sed potius vobis amminiculum impendere volo. Nam usque ad limina beatorum apostolorum vestri socius ero itineris.* Idcirco namque hoc venerandus pater volebat facere, ut ipsos religiosos viros suo sancto consilio a tam longo revocaret itinere, sicut et fecit. Quod utique Dei nutu actum fuisse, minime dubitamus. Qui cum Romam cum beato viro Thoma idem viri pervenissent, suam cum lacrimis devotionem suffragiis apostolorum commiserunt. Erat denique Romae eodem tempore anus quaedam vidua, religiosa, quae cum omni domo sua magno hospitalitatis studio serviebat. Quotienscumque vero venerabilis Thomas Romam causa orationis vel ad salutandum pontificem pergebat, in eius domo hospitium habere consueverat. In qua etiam tunc cum praedictis hospitatus est viris. Peracta igitur ut supra retulimus oratione, eos verbis coepit ammonere suasoriis, ut secum ad monasterium deberent reverti, quatinus institutionis suae propositum videndo

Autp.

Autp. et operando addiscere possent, ac deinceps quo eos Dominus vellet dirigere, iam instructi securius irent. Nam huiuscemodi eos alloquitur verbis: *Audite, o karissimi filii, consilium meum, et mecum ad monasterium beatae Dei genitricis Mariae, ubi Deo largiente praeesse videor, reverti vos minime pigeat. Et quamvis extra usum sit nostri monasterii, propter ardorem tamen vestri laudabilis desiderii vos intrinsecus recipi faciam, ut videlicet communi cum fratribus participetis mensae, eademque ubi ipsi dormiunt domo vos quoque soporetis, ac simul ad opus assistatis divinum, ad manuum quoque labores pariter exeatis, ut eorum imbuti documentis, scire possitis, quo ordine degere monachus in monasterio debeat.* Haec autem et his similia venerabili patre dulci ammonitione prosequente, assensum ei memorati prebuerunt viri, sicque cum eo ad monasterium redierunt. Cumque ibidem paucis diebus morati fuissent, sanctae conversationis plenę edocti sunt normam.

5. Igitur cum haec omnia ut diximus peracta atque patrata fuissent, contigit patrem duorum fratrum, Tasonis scilicet atque Tatonis, cum ceteris parentibus suis huc illucque eos perquirendum anxiando discurrere, Romamque pernici volatu venire. Ubi dum eos studiose per monasteria aecclesiasque atque domos singulorum perquirerent, religiosae cuius superius memoriam fecimus viduae ingressi sunt domum. Quam sollicitius percunctantes, eorum ei aspectus signaque dicentes, hunc ab ea acceperunt responsum: *Hos quos vos queritis viros, ego in hac domo mea cum venerabili patre Thoma hospitio suscepi. Nam Savinis eos in coenobio beatae Mariae, ubi praefatus vir Domini regimen tenet, absque dubio repperietis.* Haec autem illi audientes valde gavisi effecti, utpote magni amoris stimulis agitati, ad predictum monasterium veloci properant cursu, obnixe predictum rogantes patrem, ut eos aspectibus eorum praesentari iuberet. At vero venerandus vir Domini Thomas compatiens eorum dolori, suadibilibus verbis ammonuit viros religiosos predictos, ut ad colloquium suorum exire deberent parentum. Quibus quoque hoc facere rennuentibus, auctoritate eos cito paterna persuasit eius obtemperare praeceptis. Cum vero ad eos egressi fuissent, eosdem sui obiurgare coeperunt parentes: *Quur nos*, inquiunt, *o dilectissimi filii, tamquam mortuos aestimantes relinquere voluistis, nostrarumque deseruistis curam? Etenim nullus vobis inest pietatis affectus, consanguinitatisque nulla compassio. Nos namque converti ad Deum et seculum funditus relinquere parati sumus. Propterea rogamus vos et per Deum caeli ac terrae conditorem adiuramus, ne nos deseratis, sed potius nobiscum revertamini; alioquin sciatis, de vestra manu nos esse requirendos.* At illi verba eorum lacrimasque ac singultus pro nichilo ducentes, nulla omnino pietate permoti sunt, sed Gallias ut Domino voverant se profecturos esse dicebant. Tunc vero venerandus vir Domini Thomas sancto in se loquente Spiritu his eos alloquitur verbis: *O dilectissimi*, inquit, *filii, audite consilium meum, et de Dei misericordia diffidere nolite. Si enim mea monita aure cordis vobis percipere placuerit, per vestrae bonae operationis exemplum ad caelestia multi regna migrabunt. Propterea, o karissimi, salubres meos auscultate sermones, et vestrorum nolite preces despicere parentum. Nam si vultis, ostendam vobis locum, in quo vestri possitis adimplere desiderii vota. Confido enim de Domini clementia et largiflua pietate, quoniam bonum ibidem Deo acceptabilemque facietis fructum.* Siquidem isdem vir Domini dum de orientis partibus Italiam remeasset, per Samnii provinciam habuit iter; in qua videlicet super Vulturni fluminis ripa, a mille fere passibus a quo initium sumit, repperit in honore beati Vincentii martiris oratorium dedicatum, quod densissima quoque ex utraque parte fluminis silva ambiebat, et nulla ibidem erat habitatio praeter ferarum ac latronum fortasse latibula. Ad quem igitur locum praefatos dirigere cupiens viros, hoc quod supra diximus eis dedit ipsius loci indicium, ad eumque locum quantocius eos properare ammonuit dicens: *Ite, o fortissimi athletae Christi, ite securi, et in eodem loco itineris vestri figite gressum. Valet enim omnipotens Deus vos in eodem loco ab omni malo servare illesos, et a timore latronum cunctos per id iter agentes reddere securos. Ego vero ut citius potuero veniam post vos, et de eodem loco a principe illius terrae vobis firmitatis accipiam praeceptum, atque in eius vos revocare gratiam curabo.* His igitur atque huiuscemodi emolliti ammonitionibus, ab intentione quam coeperant ad Gallias eundi suos revocant animos, et tamquam Christum loquentem attendentes in venerabili viro, benedictione ab eo percepta, ad ipsum locum profectionis arripiunt iter.

6. Et non multo post, sicut promiserat, isdem vir Domini Thomas nimio caritatis succensus ardore, eorum causa Beneventum pedester profectus est. Erat enim eodem tempore Gisulfus vir spectabilis, Beneventani ducatus tenens principatum. Cui quadam nocte per visionem sancta Dei genitrix Maria cum eodem venerabili viro Thoma apparere dignata est, eique praecepit dicens: *Vide ut quicquid a te iste postulaverit peregrinus, ei nequaquam negare debeas, quia vir sanctus est et orabit pro te*, et haec dicens abscessit. Qui mane idem dux de suo consurgens stratu, precepit suis ministris dicens: *Ite*, inquit, *et ante fores huius perquirite palatii, si forte invenire possitis peregrinum quendam virum in monachico constitutum habitu, estque venusti aspectus atque calvus; quem cum inveneritis, ad me cum honore introducere festinate.* Egressi vero ministri, statim eum repperiunt ante ianuas stantem palatii; et sicut eis preceptum fuerat, ipsum sanctum virum ad eundem duxerunt ducem Gysulfum. Quem mox quoque prout viderat in visu recognoscens, continuo de suo surrexit solio, et omni in terra prostrato corpore eum adorans dixit: *Alma Dei genitrix Maria te michi hac nocte per visionem ostendit; nunc vero quicquid tibi placuerit, pete a me, et ego devotus tuae libentissime tribuam sanctitati.* At ille: *Unam*, inquit, *parvulam vestrae celsitudinis pietati postulo petitionem. Est namque in Samnii provincia super Vulturni fluminis ripam locus quidam in solitudine redactus, ubi nulla est habitatio hominum, et in beati Vincentii martiris ibidem honore habetur oratorium constructum. Quem videlicet locum obsecro ut michi pietatis vestrae largitio concedere dignetur, quatinus ibidem habitatio debeat esse monachorum, et vestrae pro hoc pietati magna apud Dominum merces accrescat.* Quam videlicet petitio-

nem ipse dux libenter accipiens, hilari vultu respondit dicens: *Ecce, pater, ipse de quo postulas locus ab hac hora in tua permaneat potestate, et firmitatis ex eo a me accipe praeceptum.* Quod videlicet mox praeceptum scribere iussit, roboratumque eius tradidit potestati. Praefatos vero viros, Paldonem scilicet Tasonem atque Tatonem, vir Domini Thomas in gratiam eiusdem revocavit ducis, atque cum eis festinanter ad eundem perrexit locum. Ibi quoque aliquantis demoratus diebus, eis multa dedit monita salutis, ostenditque eis, in quo loco refectorium dormitoriumque atque hospitum susceptionem et omnia quae necessaria erant habitacula construere deberent. Paldonem quoque qui his omnibus mitior erat elegit, ut illis in regimine praeesse deberet. Ipse autem reverentissimus vir Domini Thomas reversus est Savinis ad suum monasterium, deferens secum illud quod ei Gysulphus dux dederat praeceptum. At vero memorati viri successoresque eorum multa per annorum curricula congruis temporibus ad monasterium sanctae Dei genitricis Mariae veniebant, et ebdomadas suas in coquinae officio sicut et alii fratres in ipso faciebant monasterio; atque per dispositionem domini Thomae abbatis successorumque eius ipsum sancti Vincentii monasterium ordinabatur[3].

3) Haec plus quam dubia; cf. Chron. Vulturnense apud Muratori SS. I^{b}, 347. Gregorius Catinensis in Chronica Farfensi apud Mur. SS. II^{b}, 335 his nostri verbis amplam digressionem adiungit, quam iniuste Farfenses monasterium Vulturnense perdiderint. In Registro vero haec habet n. I.: *Venerabilis igitur vir Domini Thomas huius coenobii sanctissimus abbas sagacissime in sui augmentatione monasterii humanarum rerum divinaeque normae studebat. Nam cum eum Faroaldus dux Spoletanus admonente beata Dei genitrice Maria notum haberet, ad se Spoletum venire rogavit atque eius orationibus se commendare studuit, aliquantamque donationem per suum praeceptum huic contulit monasterio. Itaque cum plurima ab illo ędita huic monasterio antiquiori consumpta sint vetustate praecepta, et per monasterii olim accidentem destructionem oblivioni sint tradita: hactenus tamen invenitur unum quoddam parvae exemplum ępistolae domno Iohanni pontifici directum, quo sua pontificali auctoritate istius cuncta monasterii confirmaret praecepta, olim a se huic monasterio et Thomae venerabili patri ędita, cuius ita exordium procul dubio fore creditur.* Sequitur epistola Faroaldi et bulla Iohannis papae, *data prid. Kal. Iul. imp. domino nostro piissimo perp. aug. Tyberio a. octavo, p. c. eius a. sexto, sed et Theodosio atque Constantino* edita apud Muratorium in Chronica, sed dubiae fidei. Praeterea duae solummodo chartae sub hoc abbate et cum ipsius nomine habentur in Registro; altera data *temp. d. v. gl. Faroaldi s. d. g. L. et v. m. Syndolfi gastaldi civ. Reat. m. Dec. ind. secunda,* hoc est aut a. 703 aut 718 quod probabilius; altera *temp. d. v. g. Transmundi s. d. g. L. et v. m. Sindolfi gast. c. R. m. Nov. ind. quarta,* hoc est a. 720, ni forte Transamundum ducem hunc patrem Faroaldi credamus, ita ut charta data foret a. 690, id quod omni probabilitati repugnat. Vixit igitur Thomas adhuc m. Novembri 720, erratque Gregorius Catinensis, quum Auneperti initium in annalibus abbatumque catalogis iam a. 716 adscribit. Quem annum non ex auctoritate aliqua antiqua hausisse videtur, sed ex Constructione nostra computando coniecisse. Omnino chronologiae abbatum duo tantum fontes genuini extant, chartae registri Farfensis atque Constructio nostra, quae ex epitaphiis abbatum atque ex libro memoriarum hausit, unde in diebus emortualibus eius auctoritas summa videtur, in annorum mensium dierumque numeris merito cedit auctoritati chartarum; neque enim calami erroribus omnino carere videtur codex in hisce numeris; immo plerumque repugnant inter se dies obituales atque computatio annorum. Longe inferioris auctoritatis sunt annales abbatumque catalogi infra edendi; hos enim Gregorius maximam partem non ex antiquioribus descripsisse, sed ex chartario atque ex Constructione computasse videtur. In sequentibus abbatibus prima quae certa constat epocha est obitus Alani, Mart. 769. Si autem annos quos Constructio Auneperto Lucerio Fulcoaldo Wandilberto Alano tribuit computamus, inde obitus Alani foret Ian. 775; unde patet, errorem inesse illis Constructionis numeris. Sed ubinam sit error, ex chartis non apparet. Auneperti charta in Registro extat nulla, Lucerii cum nomine duae, altera Liutprandi regis 16. Iun. regni 28, indict. 7, hoc est a. 739, altera Transamundi ducis m. Maio, ind. 7, hoc est aut 739 aut 724. Alia quoque extat Transamundi ducis sine nomine abbatis Ian. ind. 8, hoc est aut 725 aut 740, quod tamen multo minus probabile; sed haec quum abbatis nomine careat, ad Aunepertum etiam potest pertinere. Fulcoaldi chartae sunt triginta sex, e quibus prima est Apr. 744, secunda Febr. 745, ultima 17. Oct. 757. Wandilperti nulla extat, Alani triginta quinque, quarum prima Apr. 760 nomine abbatis caret, fortasse itaque Wandilperti est; secunda est Ian. 761, tertia Martii 761, ultima Febr. 769. Probati prima est Febr. 770, ultima Aug. 779; nam quam Registrum n. 142 sub eodem Probato affert Iunii 780, in ea nomen abbatis non legitur, unde incertum, utrum Probati sit an successoris. Ragambaldi prima est Iunii 781, ultima Apr. 783; alia sine nomine abbatis, Mai. 785, ob diem obitus Ragambaldi iam m. Martio assignatum in Constructione, Altberto tribuenda erit, cuius nomen habent chartae novem a Dec. 785 usque ad *Karoli a.* 17, *Pipini* 9. *Oct. ind.* 13, hoc est aut 789 aut quod potius videtur 790. Mauroaldi nomen chartae gerunt a Ianuario 791 usque ad 12. Nov. 801. Benedicti a 6. Martii 803 usque ad 4. Aug. 815, unde *anni decem* Constructionis corrigendi sunt. Ingoaldi chartae extant a Mart. 816 ad Iun. 829. Sichardi a Nov. 831 usque ad 15. Dec. 840,

7. Venerabilis igitur Thomas cum in suo monasterio per longa annorum spatia exemplum sanctae conversationis discipulis dedisset suis, iam senex plenusque dierum migravit ad Dominum, corpusque illius humatum est a discipulis in beatae Mariae Dei genitricis ba- 720. silica. Praefuit namque huic sanctae congregationi annis 35 et mensibus 7 ac diebus 5; obiit vero 4. Idus Decembris in pace.

8. Secundus vero a venerabili patre Thoma extitit huius monasterii rector Aunepertus, Aquitania Tolosanae civitatis exortus provincia; vir ut fertur vivax et strenuus ingenio, consilioque prudentissimo multum vigens. Hic namque huic monasterio praefuit annis 7 et mensibus 5 ac diebus 18.

9. Tertius namque a beato Thoma in hoc coenobio surrexit in regimine Lucerius Maurigena ortus provincia, quem ipse sanctae recordationis Thomas puerum enutrivit ac sacris litteris erudire curavit presbiterumque suo in monasterio ordinare fecit. Hic enim sanctae conversationis exempla discipulis praebens, per annos 16 et menses 6 ac dies 10 hoc rexit coenobium; obiit quoque 13. Kal. Iulias.

10. Quartus igitur huius congregationis pater extitit Fulcoaldus natione Aquitanus, ex nobili ortus prosapia; per omnia vir mitissimus legeque divina capacissime imbutus; qui ad superni regni patriam ardentissimo flagrans amore, sese in magna corporis affligebat ma- 1 Cor. 9, 27. ceratione. Qui cum apostolo dicere poterat: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis predicaverim, ipse reprobus efficiar.* Magno enim karitatis ardore erga omnes suos accensus, aestimabat aliis onus periculosum esse, quod se minime operari posse Act. 1, 1. considerabat, sicut scriptum est, *quae coepit Iesus facere et docere.* Praefuit namque huic sanctae congregationi annis 19 et mensibus 6 ac diebus 12; obiit vero in pace 4. Nonas Decembris.

11. Quintus vero post hunc regimini huius successit monasterii Wandelbertus, et ipse Aquitania ortus, consanguineus quoque praefati Fulcoaldi abbatis, vir mirae mansuetudinis atque patientiae, qui cum magna dulcedine caritatis praefuit anno 1 atque mensibus 7[4] congregationi huic. Consideransque tanti regiminis onus sibi fore grave ad portandum, humiliter ac benigne postulavit a fratribus, ut sibi alium eligerent pastorem, seque ab hac pastorali 759. Dec. absolverent cura. Quod et fecerunt; ipsi vero in territorio Firmanae civitatis sancti Yppoliti dederunt monasterium, ubi remotioris vitae quietem appetens, cursum consumavit in pace suum.

12. Sextus denique in hac congregatione Alanus extitit pater, praecipuae sanctitatis vir, qui tam spiritalis philosophiae quam etiam saecularis astutiae prudentissimus fuit. Is namque huius diuturna monasterii conversatione probatus, fraterna ex acie ad singularem pugnam contra vitia carnis certaturus processit. In Motilla quoque monte, qui hoc supereminet monasterium, iuxta oratorium beati Martini confessoris per annos deguit multos inclausus; ubi inter alia bonae operationis exercitia multos etiam mirifice exaravit codices. Ad hunc vero omnis ex hoc monasterio congregatio pergens, uno consensu parique voluntate rogavit, ut sibi praeesse deberet; denique de ipsa eum extrahentes inclusione, ad monasterium cum honore perduxerunt atque super se rectorem posuerunt; quibus in bonae operationis exemplo 769. praefuit annis 9[5]; obiit quoque 5. Nonas Martias. Qui in extremo obitus sui die quendam episcopum Wigbertum nomine, Anglorum gente exortum, qui adhuc rudis atque hospes erat, ad se venire fecit, eumque suasit promissionem facere regulae, ac continuo ipsum constituit abbatem. Quem vero nos nequaquam in catalogo annumeramus abbatum, quia contra sanctos canones ac regulam beati Benedicti hoc factum fuit. Ordinatus autem super congregationem huius monasterii, per 11 menses exercuit tyrannidem; qui feroces atque inconditos gerens mores, quosdam ex ipsis monachis caedebat, quosdam vero retrudebat in carcerem, atque alios in exilium mittebat. Qui in tantam prorupit superbiae audaciam, ut etiam eos qui eius furoris vesaniam fugientes sese post sacrosanctum altare mittebant, cum ipso sacro velamine altaris exinde pellere faceret. Ob quam causam ad Desiderium regem

unde patet *annis quatuordecim* Constructionis mendum inesse. Hildericus quamvis Mai. 844 demum ab imperatore confirmatus sit, tamen iam 12. Aug. 843 abbas vocatur, idemque adhuc 23. Ian. 857, unde et huius *annis undecim* error inest. Pertonis 29. Nov. 859 usque ad Ian. 872. Iohannis a 28. Maii 872 ad Iulium 879. Anselmi una tantum Dec. 879. Teutonis a 12. Mart. 883 ad 22. Sept. 887. Nordeperti nulla. Spentonis una 12. Aug. 888. Vitalis nulla. Sequentes indicabimus ad Hugonis Destructionem. 4) Corrigendum credo *diebus* pro *mensibus.* 5) *et menses tres atque dies octo* addit Gregorius in Reg. et Chron.

ipsi confugientes monachi, rogaverunt, ut tantam desuper ipsos tyrannidem auferri iuberet. Qui protinus Alefrido Reatinae civitatis castaldio praecepit, ut eum de ipso monasterio exire compelleret; ipsique congregationi dedit licentiam, ut quemcumque vellent, sibi patrem eligerent. At vero continuo Probatum diaconem elegerunt abbatem. 770. Ian.

13. Septimus enim huic congregationi in regimine praefuit PROBATUS diaconus, Savinensi natus provincia, vir mansuetissimus atque benignus, ita bonis ornatus moribus, ut si quis eius usus fuisset colloquio, statim eum ex intimo diligeret mentis affectu; lege quoque divina sufficienter eruditus, sciens de thesauro sui cordis proferre nova et vetera; maxime vero sanctae Romanae aecclesiae cantu a pueritia plene imbutus. Extitit huius monasterii rector per annos 11 ac menses 4 diesque 15; obiit namque 4. Idus Augustas[6]. 780.

14. Octavus itaque huius fuit coenobii rector RAGAMBALDUS presbiter, in Gallia civitate ortus. Hic enim ad lucrandas Deo animas ferventissimum exercuit zelum. Diligebat quoque fratres amore sincero; vitia vero odio habebat, quae evellere ac dissipare summopere curabat, quatinus bonorum operum virtutes in discipulorum cordibus posset aedificare atque plantare. Praefuit namque huic congregationi annis 3 et mensibus 7 diebusque 23; obiit quoque 5. Nonas Martias. 785.

15. Nonus deinceps huius congregationis successit pastor ALTBERTUS, Parisius civitate exortus Galliarum, mirae sanctitatis atque simplicitatis vir, qui caritatis nimio succensus amore, Deum ex toto corde et ex tota anima et ex tota virtute diligens, fratres quoque sicut semet ipsum sincero anhelabat affectu. Nam annis 5 ac mensibus 10, diebus 15 huic praefuit congregationi; obiit vero 18. Kal. Ianuarias. 790.

16. Decimus quoque huic monasterio in sancto praefuit regimine vir vitae venerabilis MAUROALDUS natione Francus, Warmatia oriundus civitate, qui valde aecclesiasticus fuit vir. Nam in aecclesia beatae Mariae multum pretiosum ex auro et argento ornatum fieri iussit. Per duodenos quoque annos mensesque quaternos ter quinosque dies huic praefuit congregationi; obiit in pace octavo namque Kal. Novembres[7]. 802.

17. Undecimus denique huic monasterio praefuit pater vir venerabilis BENEDICTUS, qui in eis quae ad Deum pertinent valde extitit devotus ad suam fratrumque salutem, necnon et in exterioribus ornamentis quae ad cultum aecclesiae utilia videntur; ita ut in libris et altaris vestibus atque diversis utensilibus construendis nimis sagacissimus esset, ut usque ad presens ex parte apparet. Rexit quoque hoc coenobium religiosissime annis 10 ac mensibus 5, diebus 3; obiit in pace 3. Idus Augusti. 815.

18. Duodecimus quoque abbas extitit huius loci religiosissimus INGUALDUS, benignissimus per omnia atque strenuus in cunctis observationibus praeceptorum Dei ac sui ordinis, sicuti in quibusdam privilegiis huius coenobii acquisitis invenitur; in quibus denique apertissime cognoscitur, qualiter zelo Dei fervens, in spiritualibus atque mundanis rebus suo monasterio pertinentibus disponendo, incontaminatum et inreprehensibilem, in quantum ei divina largire dignata est miseratio, omnibus se ostendebat. His itaque optime perfectis, obiit 7. Kal. Aprilis[8]. 830.

6) Gregorius in Registri margine postmodo supplens addit: *Electus vero a fratribus et praeordinatus a Domino in regimine, patris elevatus culmine, cooperuit os fontis aquae manantis ab aevo, et traxit aquam a pristino cursu suo ab hoc loco miliarios tres. Porro hanc fabricari iussit formam per montis huius latera Hęsam, sub terram decurrens constricta, opitulante Christi gratia hoc loco honeste fluit aqua. Perfecta est haec operatio indictione prima, anno vero quinto postquam domnus Karolus excellentissimus rex Italiam coepit.* Eadem et in Chronicam recepit. Hic aquaeductus, a. 778 factus, etiamnunc omnem monasterio praebet aquam. Chartae Probati in Registro prima data fuit Febr. 770, ultima Aug. 779. At Ragambaldus iam in charta Iun. 781 abbas vocatur. Itaque error inest aut in die obitus Probati aut in annis eius. 7) Ad hunc Alcuinus epistolam direxit apud Mabillon Annales II, 297 editam, qua petit, ut se quasi fratrem accipere dignentur monachi Farfenses. 8) Gregorius in Chronica haec addit: *Superius autem retulimus, dominum Ingoaldum abbatem per privilegium pontificale a Stephano papa quarto, qui sedit menses septem, omnium bonorum huius monasterii confirmationem suscepisse, et cum eo ut pro hoc annualem daret, pensionem convenisse. Cuius causa convenientiae ista extitit. Denique cum plura incommoditatis dampna hoc monasterium in suis utilitatibus pateretur, et tam per furta quam per alias iniquas operationes a rei publicae actionariis et ab hominibus nefariis multa ei mala ingererentur, et ob hoc interpellatio a rectoribus huius monasterii sedis apostolicae pontificibus fieret frequentius: tandem suasus dominus Ingoaldus de danda pensione improvise praebuit assensum; iccirco videlicet, ut pontificis adminiculum pensionis occasione in cunctis huius monasterii negotiis magis videretur habere. At vero cum pontifices succedentes diversis superingru-*

19. Tertiusdecimus nempe huic monasterio in regimine sancto praefuit abbas SICHARDUS, qui longe lateque exemplum boni certaminis cunctis per omnia ostendit. Ad augmentum quoque huius loci atque habitantium sicut spiritualia studebat aedificia construere, ita et temporalia diligenter accommodare non neglegebat. Nam oratorium hoc quod cernimus in honorem Domini Salvatoris, adiunctum aecclesiae sanctae Mariae, ipse construxit cum cripta deorsum, ubi corpora sanctorum Valentini et Hylarii martyrum de Tusciae partibus translata, cum corpore sancti Alexandri sanctae Felicitatis filii coniuncta honorifice sepelivit. Multasque alias aecclesias per diversa loca istius monasterii et antiquas studuit reaedificare destructas, et noviter plures construere, ceu usque hodie apparet. Alia quoque multa bona huic loco acquisivit lucra, scilicet terras, ornamenta diversa aecclesiastica et alia innumerabilia, ita ut paene nullus suorum praedecessorum illum in hoc supergrederetur, quemadmodum in ępitaphio illius memoriae sciri potest. Nam de illius conversatione atque regiminis acceptione necnon et nativitate et transitu ita inibi legitur:

Hoc iacet in tumulo venerabilis abba Sichardus,
Coenobii sacrum qui bene gessit opus.
Hunc Deus adscivit materno viscere septum,
Hieremiae consors vatis ut esse quęat.
Nam genitum mundus necdum cognoverat illum,
Spondet huic templo iam sed uterque parens.
Haec loca prudenti construxit et ordine miro,
Commissumque truci cavit ab hoste gregem.
Pro quo, quisque legis, non cesses mente benigna
Fundere votivas nocte dieque preces,
Angelicas inter mereatur ut esse cohortes,
Morteque devicta regna tenere poli.

841 vel 842. Nam 14 annis ac mensibus quinque diebusque decem huic praefuit congregationi; obiit vero 14. Kal. Octobris[9].

843. 20. Quartusdecimus denique praefuit huic loco HILDERICUS abbas, satis placabilis atque aptus Deo et hominibus, qui quandiu advixit, strenue secundum Deum et saeculum suum peregit officium, ita ut cunctis spiritualibus per omnia amabilis existeret. Gubernavit denique hoc monasterium annis 11, mensibus 6 et diebus 5; migravit in pace Idus Septembris. (857.) Haec de his dixisse sufficiant, quorum nos exempla ac fama praeclara de saeculi turbine ad hanc quietem perduxit.

HUGONIS OPUSCULA.

***Hugo mense Aprili a.* 973 *natus*, *a.* 986 *monasterium sancti Quirici in Monte Amiato ingressus*, *exeunte a.* 997 cum in hanc abbatiam cupiditate honoris captus venire auderet, pecuniam obtulit domno papae, et studuit eam**

entibus negotiis praeoccupati forent, et in nostris decidendis causis suum accommodare auditum non valerent, pensionem quidem exigere volentes, sed plenarias iustitias nequaquam huic monasterio exercere iubentes, sicut ante constituerant venerandi pontifices, Paulus videlicet et Adrianus, magisque detrimenta quam augmenta erga huius monasterii bona inferentes: predictus dominus Ingoaldus Hlotharii auribus imperatoris dampna a rei publicae Romanae ecclesiae actionariis huic monasterio illata indicavit, et de pensione quam dare cogebatur, sicut inique fuerat suasus, intimavit. Sed et cum auribus domni Hludovici serenissimi imperatoris, genitoris utique praefati Hlotharii, hae plurimaeque aliae illatae fuissent querelae, misericordiae pulsatus clementia, sacrae institutionis edidit constitutionem praecipuam, per quam Dei ecclesiis illata destrueretur malitia; cuius hic sacratissimos apices curavimus diligenter inserere: Ludovicus d. o. p. i. a. Si praeveniente gratia Dei — permanere.

9) Post hunc Gregorius in Chronica addit: *Defuncto autem prefato magnifico domno Sichardo abbate, Hlotharius imperator hoc monasterium commisit cuidam Petro Spoletanae urbis episcopo. Sed non multo post idem venerabilis episcopus suis precibus optinuit, ut ad pristinum statum hoc sacrum coenobium reduceretur, et electus Hildericus ab eodem imperatore confirmaretur. Quod factum etiam per imperialis praecepti auctoritatem est corroboratum,* scilicet Aquisgrani 7. Kal. Iun. 844, in Registro n. 304, ex quo privilegio haec hausit Gregorius. Hildericus iam in charta 12. Aug. 843 abbas vocatur, unde sequitur, Sichardum iam Oct. 842 vel 841 obiisse.

acquirere inique, *ut ipse publice de se confessus est. Quem ob id Otto imperator eiiciens, monasterium Hugoni episcopo in beneficium dedit; sed monachorum precibus motus, Hugonem abbatem restituit eique regimen confirmavit die* 22. *Febr.* 998. *Qui ante omnia monasterii disciplinam nimis collapsam restituere studens, quum primum Sublacenses, dein Casinenses, tum Classenses monachos frustra accersisset, tandem Odilonis Cluniacensis et Guilelmi Divionensis abbatum Farfense monasterium invisentium consilio suasus, Cluniacenses consuetudines recepit, eaque de re in conventu, in praesentia illorum et summi pontificis, Constitutionem fecit, quam Silvester II postea confirmavit. Inseruit eam Gregorius Catinensis registro n.* 472 *et chronicae, ediderunt Mabillon in Annalibus Benedictinis ad a.* 998 *et Muratori SS.* II^b, 547. *Ab eo inde tempore monasterii commodis augendis intentissimus incumbebat, cuius studii testimonia extant Chartae plurimae in Registro a n.* 451 *usque ad* 633 *et a fol.* 1199 *usque ad* 1214 *et in libro emphiteuseon, e quibus plures cum Gregorii chronica edidit Muratori. Eodem laudabili studio monasterium et in temporalibus et in spiritualibus promovendi, post a.* 1000 *composuit libellum Destructionis Farfensis, quodammodo continuaturus Constructionem quam supra edidimus. Cuius opusculi codicem vetustum quum frustra quaesierim, propono illud ex apographo saeculi decimi sexti olim cardinalis Sirleti, iam inter Vaticanos n.* 6216, *ex quo fluxerunt alia duo quae nobis innotuerunt exemplaria recentiora, alterum Barberinum n.* 921, *alterum quod typis expressit Muratori in ultimo volumine Antiquitatum, et ex eo Colucci Antichità Picene XXX.*

Quum vero iam aliquotiens de deponenda abbatia cogitasset, quamvis iam ab Odilone id ne faceret iterum iterumque admonitus, a. 1007 *ob monasterii sui necessitates ad Heinricum regem ultra Alpes profectus, occulte illi abbatiam refutavit. Quem rex multum rogavit, ut ad suum usque adventum praestolaretur. Sed rege tardante, Hugo in favorem nepotis sui Guidonis abdicavit exeunte a.* 1008 *vel ineunte* 1009, *et dimissa abbatia extraneus factus est, usque dum tandem Heinricus mense Ianuario* 1014 *Italiam intravit. Tunc Hugo regi Papiam occurrens eumque Ravennam comitatus, ipso iubente composuit Breve de rebus perditis monasterii, editum in chronica apud Muratorium* II^b, 447. *Ibidem iam a rege et ab Odilone Cluniacensi multum invitatus, ut abbatiam reciperet, mense Februario Romae in synodo coram imperatore et papa abbas reordinatus est. Imperatore defuncto, intra a.* 1024 *et* 1026, *quasi ad continuandum libellum Destructionis edidit relationem De diminutione monasterii, cuius non iam superest nisi epitoma brevis per Gregorium Catinensem Chronicae inserta; quam post Mabillon Annales IV,* 699 *et Muratori* II^b, 549 *iterum proponimus ex ipsa chronica correctam. Cum ea conferendae sunt chartae quas ediderunt Muratori* II^b, 517 *et Galletti Gabii p.* 115. 119. *Eadem de re a.* 1026 *ad Conradum nondum imperatorem scripsit Querimonium, quod proponimus ex Registro n.* 1199, *unde iam ante nos ediderat Galletti Gabii* 130. *Cui priusquam imperator iustitiam facere valeret, ineunte a.* 1027 *abbatia secundo se abdicavit. At ne ita quidem quietem habuit; nam tertio etiam abbas reordinatus* 5. *Idus Iunias* 1036, *usque ad obitus annum* 1039 *monasterium rexit, optimis eius abbatibus merito annumerandus.*

Incipit prologus Destructionis monasterii Farfensis editae a venerando patre domno Hugone abbate prelibati monasterii, sanctissimo valde viro.

Cogentibus multis, immo multis et cunctis maioribus et carioribus fratribus nostri coenobii, quorum rogatui omnino me[a] non obtemperare absurdum duxi, opus quapropter adgressus sum ex toto mihi inutile, quippe qui vitam propriam nescio corrigere, aliorum te- 5 merarios ausus nullo modo reprehendere debeo vel detractare; quod me prae cunctis monacis oportet cavere, qui adeo[b] reprehensibilis invenior culpis propriis facientibus, ut vix ante clientulos inexcusabilis inveniri queam, quanto magis ante maiores natu et doctrina necnon et coevos. Sed quia magis non obest aliquotiens prava praesumptio, quam multotiens noceat obstinata negatio, ideoque extimavi utiliorem obedientiam fore quae sacrificio praepo- 10 nitur, quam inobedientiam quae damnationi imputatur. Propterea obtemperavi precibus, accommodavi aures supplicationibus praedictorum, ut de nefanda destructione rerum nostri monasterii, quae concessae sunt a piis misericorditer, ab impiis distributae crudeliter, aliquod opusculum eis dictarem, per quod aperte scire possent, qualiter et quo tempore vel a quibus malis rectoribus monasterium praedictum coeperit adnullari, quod per tanta annorum 15 curricula a tot sanctis patribus, qui leguntur in eius Constructione, quam digniter sciunt ditari et sublimari, et non tantum faciunt per detractionem iniquorum pastorum, quantum pro laude bonorum; set quaeque venturae potestates sunt et audituræ de prioris sublimitate constructionis et de posterioris minoratione destructionis, quantum congaudent de bonis collatis, tantum condoleant de bonis ablatis; et sicut sequi debent exemplum bonorum, sic fugere 20 studeant exemplum malorum. Isti sanctiores volunt, ut sicut prior libellus vocatur Constructio, ita iste secundus vocetur Destructio. Deus vero de alto dignetur prospicere vota nostra, ad quae concedat, ut illis rogantibus nobisque obsequentibus Destructio ista noviter dictata prosit ad nostra vitia destruenda, et antiqua illa Constructio ob memoriam patrum inibi continentium sit restauratio ad spiritales virtutes nostris pectoribus inserendas. Hoc 25 unum volo vos scire certissime qui audituri estis, quare nihil hic continetur, nisi quod a veridicis compertum est relatoribus, et simul[c] magis non recipi euangelia illa quae visu exarata sunt, quam illa quae auditu; iccircoque fiducialius ista ac securius componere temptavi. *Explicit prologus. Incipit Destructio.*

1. Igitur quemadmodum prelibatum est, per multa annorum curricula supradictum 30 monasterium a dictis patribus honeste ac religiosissime dispositum est; atque de die in diem augebatur et adcumulabatur in spiritualibus et corporalibus beneficiis non mediocriter sed perfecte, paene usque ad completum imperium Francorum regum, qui post expletionem Longobardorum imperatorum Italicum regnum strenue potenterque per multa spatia temporum honorifice gubernarunt, aecclesias Dei exaltando, pauperes recreando, iustitiam et legem ubi- 35 que adimplendo. Postea vero quam illorum potestas ab Italico regno peccatis facientibus coepit cessari, praedictum regnum paulatim coepit adnullari. Denique ipsis recedentibus, culpis christianorum cooperantibus, paganorum multitudo, id est Agarenorum gens Italiam intravit. In tantum vero cessante malitia Italorum crevit illorum potestas, ut a Traspido usque ad flumen Padum perpauce essent civitates, videlicet exceptis Roma et Ravenna, quas 40 ipsi aut non destruerent aut non suo dominio subiugarent. Quas vero provincias et urbes vi obtinebant, omnino depopulabantur, cunctaque inibi inventa sibi diripiebant.

890. 2. Sub hac vero tempestate PETRUS venerabilis abbas iam dictum monasterium religiosissime gubernabat, et sub eius magisterio multa fratrum caterva non solum in ipso capite monasterii, verum et in cunctis eidem subiectis cellis, in omnibus quae ad Dominum perti- 45 nent ex integro pulchre ac docte vigebat. In exterioribus autem quantum longe lateque excreverit, in collatis supradictorum regum legitur, qui illud semper propriis manibus sub sua tuitione tenuerunt, ut praecepta inibi ab eis concessa referunt; in quibus continetur, quod Carolus ibi contulisset monasterium sanctae Mariae quod dicitur in Minione, Huldovicus monasterium sancti Stephani quod ponitur in Lucana inibi subiecisset, alius denique Carolus 50 monasterium sancti Marci subtus muros civitatis Spoletanae situm ibi concessisset. Haec vero atque alia donaria ceterorum fidelium maiorum atque minorum ibidem concessa quantum illud sublimaverint, non est nostre facultatis per singula evolvere. Sed de plurimis unum in medium deducamus, quod pene cuncti antiquiores fatentur. Ecclesia denique quam

a) ne *apographum*. b) deo *apogr.* c) simus *superscr.* scimus *ap.* 55

mirifice ornata erat et officinae cunctae qualiter compositae, quis ad plenum valet referre? Tamen dicamus pauca ex plurimis. Ipsa namque maior ecclesia tota plumbeo tecto cooperiebatur. Altare quoque principale ciburium totum ex lapide oniccino habebat. Librorum volumina quanta et qualia vel quam diversis aureis argenteisque operibus ac gemmis lapidi-
5 busque pretiosis intexta habebantur, longum est enarrare. Vestes quoque maioris altaris deauratae atque gemmatae tot erant, quot festivitates maiores, id est adnuntiacio, nativitas Domini, circumcisio, ac adventus Spiritus sancti, necnon assumptio sanctae Mariae et nativitas eius. Diei namque iudicii talis ibi erat vestis terribilis, ut quisquis eam videbat, statim timore incredibili ac pavore graviter replebatur, ita ut sine memoria mortis per plures dies
10 esse non poterat. Ornamenta vero alia quae ad usum ecclesiae pertinent, quam plura et mirifica erant, quis valet comprehendere? Basilicae aliae absque maiore quinque ibi erant, quarum una quae adhuc stat, in honorem sancti Petri constructa, in usu canonicorum habebatur, secunda vero et tertia ad opus erant infirmorum monachorum. Harum vero duarum una erat pro infirmis qui iam convalescebant, alia vero pro illis qui proximabant morti, si-
15 mul adiunctis domibus et balneis, que ad utrorum ordinum utilitatem compositae habebantur. Quarta autem in palatio regali constituta erat, quod ibi honorificum satis edificatum erat, in quo imperatores hospitabantur, quando illuc visitandi gratia veniebant. Quinta vero ecclesia extra muros ipsius monasterii edificata in honore sanctae Marie, parva quidem sed mirifice constructa, ubi mulieres conveniebant orationis causa et visitationis, quia ut senum
20 refert relatio, antiquitus nulla mulierum intra muros illius ingrediebatur monasterii; sed quotiescumque reginae aut aliae mulieres causa qua supra diximus illuc properabant, in basilica parvula quam praediximus faciebant ad se venire abbatem ipsius loci aut fratres quos volebant, ut cum eis de spiritualibus agerent quae oporterent. Officinae cunctae laterculis coopertae habebantur, pavimenta vero lapidibus quadratis et septis omnia strata erant, ut
25 usque hodie ex parte apparent. Arcus deambulatorii per totum circuitum habebantur intus et foris, quia ut intra erant claustra ad utilitatem monachorum, ita erant extra ad laicorum. Foris vero claustrum totius monasterii ex omni parte erat fortiter munitum et turritum ad instar fortis civitatis. Placita quoque et iudicia numquam ibi exercebantur; sed habebant unum palatium ultra rivum qui Riana dicitur, ubi haec gerebantur. Quid multa? in toto regno
30 Italico non inveniebatur simile illi monasterio in cunctis bonis, excepto monasterio quod vocatur Nonantule; sed non ex toto, ut plures fatentur.

3. In tali namque statu illo permanente, ut supra dictum est supervenerunt Saraceni, qui cuncta circumquaque iam occupaverant. Tandem ad ipsum devenerunt monasterium, quod undique circumdantes expugnare moliebantur, sed nequaquam obtinere valuerunt. Ve-
35 nerabilis namque Petrus ipsius monasterii abbas Dei auxilio fretus ac solatio militum adiutus, frequenter illos a finibus sui monasterii expellens, longius insequi faciebat, plurimosque interficiendo, per multos dies secure manebat. Sed illi infesti dum cuncta vicina loca sibi subiugassent atque devastassent, illo semper revertebantur pugnaturi. Predictus vero abbas cum hanc oppressionem per septem continuos sustineret annos cum suis monachis, et vide-
40 ret, quod Deus christianum populum sua malitia faciente omnino oblivioni traderet et potestati paganorum, videns se nulla ratione amplius differre posse talia in ipso loco, consilio inito divisit fratres ac thesauros in tres partes. Unam mandans Romam, alteram dimisit in Reatina civitate, cum tertia autem per se ipsum ad comitatum Firmanum veniens confugium fecit, dimisso ex toto monasterio. Sed antequam egrederetur, distruxit ciborium quod supra
45 diximus, et abscondit lapides subtus terram; quos usque hodie nullus potuit repperire. Ipso vero cum monachis egresso, Agareni intrantes invaserunt locum. Quo perlustrato, ita illis complacuit, ut de aedificio nihil destruerent, eo quod pulcherrimum illis appareret, sed quando eis videretur, intrarent et inhabitarent. Quo peracto, accidit ut quidam latrunculi cristiani, qui huc illucque discurrebant inopiae causa, ibi devenirent noctu et iacuissent in
50 uno angulo ipsius monasterii, accenso igne pavore territi fugerent. Ignis vero exarsit, et in absentia hominum prevaluit atque concremavit cuncta quae remanserant. Praedicti vero latrunculi fuerunt de oppido quod nuncupatur Catino; celare non valuerunt malum quod perpetraverant negligenter. Prelibatus vero abbas, ut prefati sumus, ad comitatum Firmanum veniens, in monasterio sancti Hippoliti et sancti Iohannis quod dicitur in Silva, coepit ha-
55 bitare cum fratribus quos secum de Savinis duxerat et quos ibi invenerat, lugens ac dolens de sui monasterii desolatione. His ita peractis, coeperunt prelibati Sarraceni infra terminos

comitatus Firmani ad depredandum introire. Qua de causa predictus abbas in timorem iterum versus, coadunatis suis monachis et militibus, fecerunt castellum in Materiano monte, ubi postea locatum est corpus sanctae Victoriae. Ibi quoque usque dum persecutio illa sedata est, permanserunt, quia sicut antiqua refert opinio, per quadraginta octo annos iugiter permanserunt infra terminos Italiae predicti Sarraceni. Precipue in Valerii provincia habitabant, quam magni montes occupant, in quibus confugia semper faciebant. Ibant denique a mari Tireno usque ad Hadriaticum et usque ad Padum in predam, et semper ad ipsos montes revertebantur; inde autem ad flumen Lirim, quod vulgo Garilianum dicitur, ubi habebant navigia per quae cuncta in suam transportabant patriam. In hac quoque miseria constituto regno Italico, predictoque abbate in supradicto oppido constricto cum suis fratribus et militibus, laudabiliter vitae terminum consummavit. Cui, antequam moreretur, consilium dederunt sui monachi et laici, ut quendam clericum nomine Rimonem in abbatem eligeret; quod et fecit, ipsis nichilominus consiliantibus. Sepultus vero est in supra nominato castello, in oratorio sanctae Mariae quod ipse construxerat[10].

920. 4. Quo defuncto, predictus RIMO suscepit regimen loco ipsius[11]. Qui quamvis in canonico ordine esset quando hoc recepit per unum annum, quod supervixit bonum ostendit exemplum. In ipso quoque anno respexit Deus super afflictionem populi sui, effugatisque undique paganis, (926. Iul.) Hugo rex de Burgundia egressus super Italicos cepit regnare ac regnum moderamina disponentem. Qui ad Firmanam properans marchiam, parentes dicti Rimonis eiecit de propria provincia, simulque et illum cum eis. Qui veniens Romam, completo anno mortuus est hoc ordine; nam cum sanguinem minuere sibi fecisset, flebotomarius malivolus veneno imposito in flebotomo eum interfecit. Sepultus est in oratorio sancti Stephani, in cella ipsius monasterii Romae sita.

925. 5. Predictus Hugo rex Rimone expulso, ordinavit[12] RAFFREDUM abbatem in dicto loco, qui erat suus nepos. Ipse vero regimine suscepto, coepit viriliter agere in omnibus utilitatibus monasterii, quippe quia valde oportebat, eo quod undique vastatum erat. Accersitis itaque centum familiis liberorum hominum ac servorum de comitatu Firmano, Savinis secum duxit, cum quibus coepit rehedificare caput iam dicti monasterii, quod iam per quadraginta octo annos[13] absque habitatore fuerat. Hoc incepto, cetera loca circuire non negligebat et in statum pristinum reducere. Thesaurum quoque et fratres qui dispersi erant, simul reducere et coadunare studebat. Sed illa pars monachorum et thesauri, quam sepe dictus Petrus abbas in civitate Reatina reliquit, postquam ipsa civitas a Sarracenis capta est, monachis interfectis thesaurum secum tulerunt. Nam alias duas quae Romae et in Firmano fuerunt, readunavit, et in quantum valuit, quae prope et quae longe erant cuncta loca ibi pertinentia restauravit. Curtem videlicet quae Montisfalconis dicitur, in Firmano comitatu posita, in integrum dato pretio noviter comparavit, quae magnam utilitatem usque hodie eidem prestat monasterio. Corpus namque sanctae Victoriae ipse transtulit de Sabinensi territorio et adduxit ad illum ubi modo incolitur locum, videlicet in monte Matenano; aliaque plura beneficia ibi contulit; et ipse in eodem loco de novo ecclesiam ipsam et monasterium consecrari et fabricari fecit, ut evidenter apparet. Hec et alia multa antiqua restaurata loca et dicto monasterio restituta, cepit valde potens secundum seculum esse, et monasterium satis locupletare;

10) Petri chartae in registro extant quattuor, a. Febr. 890 usque ad Apr. 898. Quinta, quam Gregorius et in registro et in chronica ad Petrum abbatem refert, Remedii cuiusdam donatio Mart. 928 nomen abbatis non habet, quare non potest ad Petrum trahi. Annus obitus Petri non constat.

11) Rimonis duae tantum chartae sunt in registro, 19. Ian. 920 et Aprilis 920. In privilegio quod Berengarius 30. Iun. 920 Farfensi monasterio concessit, abbatis nulla omnino fit mentio, sed tantum *venerabiles monachi Iohannes atque Campo ... ad nostram venientes presentiam,* unde apparere videtur, tunc non extitisse abbatem. Certe proxime sequentia Hugonis verba erroribus non plane carent. Gregorius Catinensis porro in Chronica inter Petrum et Rimonem haec inserit: *Prefati domni Petri in huius monasterii regimine successorem, iuxta antiquissimum catalogum abbatum nostrorum, a venerabili patre Thoma domnum Iohannem secundum* 23um *extitisse repperimus, cuius aliquam factionem minime omnino invenimus.* Crediderim, Rimonem a Berengario eiectum fuisse, si omnino eiectus fuit, non ab Hugone; tunc Iohannem abbatiam administrasse usque ad Raffredum; Rimonem autem non cessisse sua sponte, sed diu in Marchia se tenuisse, unde incertitudo in narrationibus istis orta.

12) Errare nostrum, iam monuit Fatteschi; nam in codice Largitorio Farfensi Ratfredi abbatis emphiteuses habentur m. Aprilis 925 et Maii 926, unde patet, eum non ab Hugone institutum fuisse abbatem, neque vero Rimonem ab Hugone eiectum esse. Ultima eius charta est 15. Febr. 936.

13) Error manifestus; ne triginta quidem anni fuerunt.

precipue quia potentis regis nepos et prudens valde in scientia seculari. Secundum Deum non adeo eruditus, quia doctrina regularis ordinis, sicut in ceteris religionis doctrinae, ab Italico subtracta erant regno, presertim pro vastatione supradictorum paganorum; tamen secundum doctrinam quam cognoscebat, satis bonus fuit, et monasterio et fratribus per
5 omnia utilis. Ex quibus duo scelerati ac pessimi de morte illius tractare conati sunt; sortemque vero qualem unus alteri daret monasterio acquisito post necem eius, diffinierunt. Unus vocabatur Campo, qui ab infantia ipsius nutricius fuit, cui cuncta bona contulit, quem et medicinae artis studio satis imbuere fecit; nobilis quidem genere de Reatino extitit comitatu, sed innobiliter in hoc per omnia operatus est; radix ipse prima malorum omnium praedicti mo-
10 nasterii vastatorum fuit post paganos. Alter quidem falso habitu monachus nomine Hildeprandus, de alio longinquo monasterio a praedicto abbate susceptus ad habitandum, cui cellam quae adhuc Romae videtur praedicti monasterii concessit, eumque quasi proprium filium diligebat. Cum igitur iam viderent eum senio deficere, quia ut plurimi asserunt, triginta et 936. octo annos vixit in hoc regimine[14], et opus ei iam non erat aliud propinare venenum nisi 11
15 ipsam senectutem, qua iam mori urgebatur: tamen ipsi miserrimi ob ambitum honoris in nullo ei pepercerunt, sed mortifero eum viru interfecerunt. Qui in extremo positus, dum illos sentiret ante se astare et mortem suam expectare, interrogavit, qui essent. Cui cum diceret quidam, quod Campo adesset, illico suspirans voce qua poterat est eum allocutus ita:

Campigenans Campo, male quam me campigenasti!

20 — o Campo, Campo, quam crudeliter me campigenasti! — statimque expiravit.

6. Quo mortuo, perrexit Hildebrandus Papiam ad iam dictum Hugonem regem qui adhuc vivebat, et cum magna pecunia acquisivit abbatiam ad opus Camponis pessimi. Qua acquisita, reversus est per marchiam, ubi occurrit ei isdem CAMPO, receptoque dono a rege transmisso de regimine monasterii, atque militibus marchisianis susceptis cunctis maioribus et
25 minoribus subiugatis monasterio pertinentibus, adimplevit predictam sortem Hildebrando. In ipsa denique marchia dedit ei duas cellas sanctae Mariae iuxta flumen Clentis et sanctae Mariae in Solestano secus civitatem Esculanam, et in comitatu Reatino alias duas, sancti Angeli iuxta ipsam civitatem Reatinam et sanctae Mariae in Lauriano. Hoc expleto, reversus est Sabinis cum magno gaudio, non spirituali sed carnali, non ut monachi sed ut impii, sicut
30 postea patenter claruit. Quia concubinis quas prius habuerant occulte, postmodum palam abuti coeperunt non solum ipsi, sed ut cuncti illorum monachi hoc scelus non verebantur patrare, sed nuptialiter unusquisque suam ducebat scortam. Ipsa namque pax non permansit inter eos nisi usque ad unum annum. Completo anno, coeperunt inter se contendere. Hildeprandus vero data pecunia iunxit se marchisianis, tulitque Camponi totam hereditatem mo-
35 nasterii que erat in marchia, cum monachis et militibus, et sibi coepit vindicare. Campo autem econtra ampliori pecunia iis ipsis collata, venit illuc, atque unam suam sororem tradidit marito cui nomen erat Transbertus, valdeque eam dotavit de bonis monasterii mobilibus et immobilibus. Curtem quoque sancti Marotis, quae tam magna et spatiosa est, ut numero sexdecim milium modiorum contineatur, sicut plures affirmant, ipso suo cognato per con-
40 cambium contulit; unde in Propetiano ut ferunt loco squalido et inculto econtra concambium recepit; alias duas curtes, sanctae Mariae in Strada et sanctae Mariae in Mura, pro prestaria nichilominus adiunxit. Unam vero filiam suam alteri viro dedit, cui similiter diversa largitus est donaria. Quibus simul coadunatis cum amicis et suis auxiliatoribus, eiecit predictum Hildebrandum de castello sanctae Victoriae et a cunctis finibus monasterii, et redegit cuncta loca
45 in suum dominium, reversusque est Sabinis cum triumpho; ubi coepit cuncta secure iam distrahere filiis et filiabus. Septem filias et tres filios habuit, quos et quas cunctos dotavit[a] de rebus monasterii; et alios parentes plurimos. Nam in Sabinis castellum de Bucciniano et Roccam et Salisanum et fundum Casaprote eis contulit; in Reatino comitatu et Amiternino et Furconino et Balbensi necnon et Marsicano illis paene cuncta distribuit, ut perpauca re-
50 servaret.

7. In hoc malo stetit usque ad tempus Alberici Romanorum principis. Qui gloriosus

a) deuouit *ap*.

14) Error manifestus. Obiit intra Febr. et Oct. 936. Nam Campo in charta 3. Oct. 936 iam abbas vocatur.
55 Abbas Vogel in opusculo manuscripto de historia Farfensi, quod affert Marini, contendit, Petrum abbatem fuisse veneno occisum, non Ratfredum; neque tamen rationes eiusdem affert Marini, quamvis eas »fortes« appellet.

princeps in tantum cupiebat monasteria sub suo dominio constituta ad regularem reducere normam, quam amiserant in vastatione predicta paganorum, ut de Gallia faceret venire Oddonem sanctum abbatem, qui tunc temporis Cluniacum gubernabat monasterium, quod usque hodie viget in religione; et eum archimandritam constituit super cuncta monasteria Romae adiacentia, suamque domum propriam ubi ipse natus est Romae positam in Aventino monte concessit ad monasterium construendum, quod usque ad presens stare videtur in honore sanctae Mariae. Monasterium in Sancto Paulo maiore tunc ordinavit, in Sancto Laurentio foris muros, et in Sancta Agnete iuxta pontem Numentanum. Cassinense quoque monasterium sub illius magisterio ad normam regularis ordinis reductum est, quod in vastatione supradictorum Agarenorum omnino destructum fuerat, sicut pleraque ut prefati sumus monasteria regni Italici. Ibi denique preposuit discipulum suum venerabilem abbatem Balduinum nomine; cui successit in regimine suus condiscipulus atque coabbas Aligernus almificus pater, quem ipse a primaevo erudierat regulari tramite in supra nominato Aventino monasterio; per quem ad culmen iam dictum recuperatum est monasterium; quem plures viventes recolunt. In monasterium denique prelibatum sanctae Mariae Farfensis cum monachos regulares mandasset, noluit illos recipere Campo maleficus cum suis monachis, sed potius conati sunt eos noctu interficere cum cultris in lectis pausantes. Qua de causa pavore ducti, Romam redierunt ad predictum principem. Unde in iram commotus contra predictum Camponem abbatem, necnon et aliis monachis praescriptis auditis, eiecit eum de predicto monasterio, (947.) et ordinavit ibi domnum DAGIBERTUM venerabilem abbatem, de Cumana civitate oriundum[15]. Ipse autem Campo fugiit ad Reatinam civitatem; in qua adiutorio parentum suffultus, coepit inibi habitare. Hildebrandus vero in marchia positus, hoc comperto iterum invasit castellum sanctae Victoriae cum omnibus pertinentiis, fidenterque cunctas distrahebat filiis et filiabus quos plures habebat res monasterii; deditque illis curtem Molianam magnam et inclitam, curtem quoque sancti Benedicti*, et Fassenariam, et diversas alias res, cum castellis et pertinentiis. In horum duorum distractione cuncta quae prelibatus Raffredus congregaverat dissipata sunt**.

8. Domno itaque Dagiberto supradicto monasterio constituto, Albericus princeps ei cunctas restituit curtes que in Sabinis erant ipsius monasterii perditas; diligebatque eum et honorabat satis. Ipse vero in cunctis inreprehensibilem se ostendebat; circa fratres quoque et cunctos ita benivolum se prebebat, ut ab omnibus incredibili diligeretur affectu. Campo econtra mala cuncta exercebat deterius quam aliquis secularis vastator, apud Reatinos ad quos confugium ut prediximus fecerat. En tres abbates in uno monasterio contra morem auditos, duos malos et unum bonum, quamvis non legaliter. Quantum duo mali devastabant, tantum solus bonus congregabat, ubi manebat. Sed non multum tempus advixit; completo (952 ex.) quinquennio pessimi monachi veneno eum occiderunt. De quo Dominus magnum in ipso anno interfectionis fecit prodigium; scilicet de illo qui manibus ei suis venenum tradidit. Interfecto illo, poenitentia ductus abiit ad oratorium sancti Michahelis quod ponitur in monte Gargano.

* in Silva plana, ubi fuit antiquitus congregatio ancillarum, quae opere plumario ornamenta ecclesie laborabant, *addit Gregorius in Chronica Farfensi.*

** *Gregorius Catinensis in Registro Farfensi n.* 406. *itemque in Chronica pag.* 470 *refert relationem sequentem, quam et ipsam a nostro Hugone compositam crediderim:* Item relatio de thesauris huius monasterii, quos prefatus Hildeprandus de castello Matenano comitatus Firmani abstulit et defraudavit. Inprimis vestes duas altaris de auro brusto cum gemmis, unam nativitatis Domini et resurrectionis atque ascensionis, aliam diei iudicii cum mirabilibus gemmis. Aliam vestem albam circumornatam auro brusto, et in medio crucem auri brusti cum gemmis et margaritis. Calicem de argento maiorem, et unum deauratum, tenentem unum sextarium, cum patena sua. Calices minores duodecim cum patenis. Coronam de auro unam et de argento unam cum dalfinis octo. Crucem unam purissimi auri, longam plus unius brachii, ex utraque parte circumdatam mirabilibus gemmis. Alias cruces duas de auro cum ligno Domini; aliam de argento. Libros coopertos de argento et deauratos quattuor. Capsam de auro purissimo cum mirabilibus gemmis, quam Carolus rex pro anima sua dedit in hoc monasterio. Alias capsas duas de argento. Sigilla duo de auro, quae miserunt Carolus et Pipinus filius eius in uno precepto. Alia sigilla duo de auro, quae Guido et Lambertus imperatores miserunt in alio precepto quod fecerunt. Dalmaticas duas optimas. Thuribula duo de argento. Tunicas tres de serico. Paramentum abbatile unum ad missam canendam. Tunicas tres de serico. Pluviale unum. Super Genesi libros duo. Scintillarum unum. Super Lucam. Super Iohannem. Historiam Longobardorum. Coenae Cipriani librum unum. De civitate Dei. Historiarum librum unum. Antiphonarium unum. Dicta patrum.

15) Prima eius charta est Sept. 947, ultima Iulii 952. Camponis ultima Iunii 962.

Quem vero montem nulla ratione potuit ascendere, cum per unum annum in pede illius consisteret, sicut vicini illius qui eum recognoverunt ibi, testati sunt; postea vero nusquam comparuit. Fuit denique canonicus, clericus et servitor illius.

9. Illo itaque defuncto necnon et Alberico principe migrato, filius eius Iohannes, qui vivente patre papa ordinatus est[18], Camponem malivolum cepit habere exosum, sicuti et pater suus. Iccirco non permisit eum ad regimen redire monasterii, sed statim constituit alterum abbatem, ADAM nomine, qui Lucana civitate ortus fuerat, ad prelibati monasterii gubernacula sustentanda. Preordinatus vero pauco tempore in religione perstitit, et non bonam normam duorum bonorum Raffredi et Dagiberti, sed malam Camponis et Hildebrandi sequi cepit, videlicet stuprando atque distrahendo illa bona quae Dagibertus in Sabinensi comitatu reconquisierat. Nam pro publico stupri scelere, in quo detentus est a militibus predicti papae et marchionis Theobaldi, qui tunc Sabinensibus preerat, dedit totam curtem sancti Benedicti de Campo, et sancti Getulii, et fundum Carbonianum, et Privatim. En habes simul tres non dicam abbates sed dispersores, Sabinis unum, Reate alterum, in marchia tertium.

10. His ita gestis, Campo percussus est podagrico ac chiragrico dolore, in tantum ut omnino destitutus esset solatio manuum ac pedum; et nisi ab alio adiutus, ad aliquam partem vertere se non valebat. Nunquam tamen cessavit a flagitiis supra nominatis usque ad diem mortis; et ad regimen capitis monasterii non est reductus, sed in ipso errore pessime finivit vitam suam. Sepultus vero est in monasterio sancti Michahelis iuxta predictam civitatem Reatinam.

11. Per idem tempus[19] bellum magnum commissum est pro contentione marchiae Firmanae inter Sarilonem et Ascherium. In qua siquidem pugna prevaluit Sarilo, et interfecit Ascherium cum multis suis, obtinuitque ipsam marchiam. Quo audito, Hugo rex exarsit contra eum magno furore, et cepit eum persequi pro ipso Ascherio germano suo quem occiderat. Tunc videns idem Sarilo, quod nulla ratione eum fugere posset, cum esset reclusus in uno oppidulo in partibus Tuscie, noctu indutus monachilem vestem, et summo diluculo ligato fune gutture eius se potestati tradidit. Qui rex misericordia motus super eum, perdonavit ei ipsam culpam, ac preposuit eum supra cuncta monasteria regalia que erant infra fines Tusciae et Firmanae marchiae. Cui cuncti abbates humiliati sunt illorum monasteriorum, excepto Hildebrando invasore qui ei restitit. Cui prevaluit ad tempus Sarilo, et eiecit eum de iam nominato castello sanctae Victoriae. Sed iterum supervenit Hildebrandus, et turpiter illum inde expulit. Secunda quoque vice recuperavit Sarilo ac pepulit eum; sed pauco advixit tempore, ibique mortuus est et sepultus. Deinde ex toto redintegrata est loci ipsius potestas infestissimo Hildebrando. Qua de re laetificatus valde, fecit quadam die magnum convivium concubinae filiisque et filiabus militibusque quos plures et magnos habebat, quia quamvis in Sabinis nunquam optineret potestatem, tamen totum quod in marchia erat bonum predicti monasterii potestative tenuit usque ad tempus Ottonis primi imperatoris. Qui qualiter postea illud perdiderit, in posterum dicturi sumus. Ipso namque die, quo prandium illud celebratum est et cena post ipsum, insurgentibus noctis tenebris, cunctis vino potionibusque sopitis, nullus sentire potuit illorum, quando ignis coepit concremare predictum castellum; quo consumpto, cuncta ornamenta quae de Sabinis antea illuc venerant, igni adusta perdita sunt.

12. Vertatur iterum stilus Sabinis disputandum. Adam praelibatus cum in capite monasterii longum peregisset tempus, in nullo mutavit vitam, sed potius ad deteriora dilapsus, morte praeventus defunctus est ac sepultus in ipso monasterio. Tunc remansit iam dictum monasterium sine abbate omnino annullatum. Quod Theobaldus marchio invasit ac tenuit, suumque fratrem nomine Ubertum clericum canonicum valdeque expertum atque debilitatum membris ibi preposuit ad habitandum. Qui per aliquod temporis spatium illud tenuit, quod

18) Errorem iam Muratori innotavit. In eo etiam noster errat, quod Adamum a Iohanne XII. ordinatum dicit; nam extant duo eius chartae iam Iunio 953 datae, quum Iohannes anno demum 956 electus sit. Ultima Adami charta in registro data est m. Ianuario 963.

19) Haec ante Dagipertum abbatem collocanda erant. Nam Hugo rex iam a. 946 Italiam reliquit, et Annales Farfenses infra edendi habent: 940 *Anscarius marchio obit* et paullo post: 943 *Sarilo abbas.* Hic Sarilo abbas instrumentum contractus fecit, a Fatteschio primo ex libro Largitionum Farfensi prolatum, *m. Martio indict. 3. Marini papae secundi a. tertio*, hoc est a. 945. Neque vero Sarilo Farfensis abbas fuit, sed abbas in Marchia. Minus recte Gregorius Catinensis in catalogo abbatum, in registro et in chronica eundem inter Farfenses numerat et post Adamum collocat.

et turpiter dissipavit, cottidie inibi habitando cum meretricibus et canibus, cunctisque secularibus obscenitatibus admissis. Deinde papa Iohannes qui Narnensis vocatus est, abstulit ei 966. et commendavit illud cuidam abbati monasterii sancti Andreae iuxta montem Soratem siti. Quia quando potestas imperatorum cessabat, papae Romani illud intromittebantur; aliter numquam habuerunt ibi dominium, eo quod illis non pertinet, ut privilegium illius referet. Sicque factum est, ut tribus annis absque abbate proprio esset. Is autem abbas predictus nomine Leo quamdiu illud tenuit, bene tractavit, atque compassus illius desolationi, in aliquo recuperavit de suis beneficiis in libris et aliis rebus, et in quantum licuit destructa reaedificavit. Monachi vero eiusdem loci, qui viventibus malis abbatibus impie cum illis egerant, posteaquam sine rectore ceperunt esse, non iam in monasterio sed in villis ceperunt habitare publice cum suis non dicam concubinis sed uxoribus, quia ut superius dictum est, nuptialiter illas suscipiebant. Solummodo de dominico in dominicum revertebantur ad monasterium; nam per totam ebdomadam in villis ut dictum est morabantur. Furabantur denique quaecumque diripere poterant de monasterio; sigilla aurea de preceptis tollebant et ponebant plumbea quae modo apparent; ornamenta quoque aurea et argentea de vestibus altaris et aliis utensilibus auferebant, et faciebant muliebria monilia ad meretricum ornatum. Destruebant quoque sua sponte aedificia antiqua, quando aliqua occasio se dabat, ne umquam ad statum redire valeret id ipsum monasterium aut regale diceretur; quia dicebant, non tam secure illud possent possidere, si regale appellaretur. Religiosorum aliquis nullus se illis iungebat ad habitandum, sed fugiebant ad alia loca. Carnales ibi tantum habitabant. Quid multa? his et huiuscemodi malis ibi crebrescentibus, monasterium ad nihilum redactum est, ut sepe diximus, culpis habitatorum illius exigentibus.

967 in. 13. Supradictus autem papa sub hac miseria consecravit ibi IOHANNEM abbatem nostrum antecessorem qui fuit, quem omnes recolimus, vivente adhuc miserabile Hildebrando in marchia. Hoc tempore secunda vice rediit Otho primus imperator Italiam, qui in priori suo ingressu coronatus est a Iohanne papa filio Alberici supra nominati principis. In secundo Dec. 25. suo adventu fecit coronare filium suum Othonem secundum imperatorem se vivente a supra scripto Iohanne papa, ut plures sciunt. Qui legem et iustitiam firmiter coepit tenere per 971. totam Italiam. Ad Marchiam vero cum properasset, prelibatus Iohannes consecratus abbas istius monasterii reclamare coepit de Hildebrando invasore, qui per tanta tempora in pertinacia tam crudeliter perseveraverat. Quem venerandus imperator ante suam presentiam statim exhiberi precepit[20] cum sua coniuge Inga nomine, videntibus cunctis qui aderant. Cumque eum fortiter increpasset et reprehendisset, ut dignus erat, abbatiam predictam eum renuntiare fecit, ac imperiali decrevit iussione, ut cuncta scripta quae facta habebat de predicti monasterii rebus adnullarentur et evacuarentur; unum, quia numquam abbas fuit neque caput monasterii tenuit neque a monacis est electus neque ab aliquo imperatore confirmatus; aliud, quia ab isto sanctissimo imperatore hoc ordine legaliter depositus est. Audiant modo et sciant, qui adhuc defendere volunt sua scripta, qualiter possint. Illo deposito, predicto Iohanni abbati abbatiam donavit, et coepit eum satis diligere et honorare. Super inpium quoque Hildebrandum misertus est; concessit ei curtem sancti Benedicti predicto monasterio pertinentem diebus vitae suae. Similiter et miserae Ingae contulit tres mansos ipsius monasterii secus ecclesiam sancti Hippoliti ad tenendum quoadusque viveret. In tali autem miseria mortuus est prefatus Hildebrandus, et sepultus est in oratorio sancti Benedicti. Monasterio quoque ipsi et iam dicto abbati restituit cunctas curtes predictas, ipse et filius ipsius post eum; sed qualiter postea perdiderit, ut existimo non est pretermittendum.

14. Ipso denique pio imperatore defuncto, filius ipsius regnavit post eum, feliciterque gubernabat regalia sceptra, iustitiam et legem faciendo. Predictum quoque monasterium 981. satis diligens, abbati ipsi suum cancellarium tradidit pro re ipsius monasterii restauranda, 982. Nov. nomine Petrus diaconus, qui Papigensis postea episcopus fuit, ad ultimum papa ordinatus est. Qui predicto monasterio et ipsi abbati cunctas res restituit perditas. Sed inhoneste vivendo ipse et sui monachi, apud predictum imperatorem accusatus est; qua de causa eiecit eum de ipso monasterio, et cuidam abbati Adam nomine illud commendavit usque ad audientiam sub 983. tenore. Sed antequam ad audientiam veniret, defunctus est imperator Romae ac sepultus. Hinc iam venerunt predicti abbates in convenientia, diviserunt sibi monasterium prelibatum:

20) Ravennae. Iudicatum imperatoris Dec. 971, unde haec hausit Hugo, ex Reg. Farf. 426 habent Muratori SS. II^b, 475. Fantuzzi V, 246. De Inga tamen nil ibi habetur.

Quae in Sabinis et in ducatu Spoletano erant et in Tuscia de ipsius rebus, tenuit Iohannes abbas, et quae in marchia, Adam ipse. Ecce iterum coepit distrahi, ut cuncti qui supersunt sciunt; ideo non est necesse scribere. Hoc perduravit usque ad adventum tercii Ottonis. 996. Iam vero predictus Adam episcopus erat ordinatus Asculanensis ecclesiae, sed adhuc sortem 5 predicti monasterii tenebat. Cui tulit ea predictus imperator, et Iohanni abbati restituit[21]. Mai. 25. Qui abbatia restaurata, uno supervixit anno; defunctus vero ac sepultus est in monasterio sanctae Victoriae in Matenano monte. 997 med.

15. Cui successit in regimine ALBERICVS eiusdem monasterii prepositus, qui non vixit nisi sex menses, mortuus et sepultus est in oratorio sancti Michaelis iuxta predictam civita- 10 tem Reatinam, in sepulcro Camponis predicti.

16. Illo mortuo, veni ego peccator HUGO, non ut legitimus sed ut abhortivus, ut apo- 1 Cor. 15, 8. stolus ait, qui et indigne regimen tenet, ut omnes sciunt. 997 ex. Unde vos seniores obsecro mihi iubentes, atque cunctos haec legentes, ut Domino in communi supplicetis, quatinus concedat mihi sua miseratione ad meliora convalescere quam nequissimi suprascripti; et potestatibus 15 quae auditurae sunt det voluntatem istum recuperandi locum, ut vos vestrique successores quietem hic habere[a] possitis Deo serviendi. Inter haec mecum vos admoneo, dilecti fratres et conservi, ut divina clementia cooperante patronaque nostra gloriosissima virgine Maria intercedente, bonum quod nostris temporibus divina pietas in hoc renovare dignata est loco, nostris quod absit culpis et negligentiis non minuatur, sed potius augeatur Christo donante. 20 Hoc dico, non ut meis meritis in nullo confidam, quia in omnibus segnis invenior et fragilis mea faciente miseria; sed Dei largitate vestraque caritate confessus fidenter assero, ut si perseverantiam habueritis in hoc quem inceptum habetis ordine, in isto seculo prospera vobis omnia provenient, et in futurum eternam possidebitis beatitudinem, sicut scriptum est: *Qui* Matth. 24, 13. *autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit;* et item: *Non inchoantibus premium permit-* 25 *titur, sed perseverantibus datur.* Tunc enim placet Deo conversio nostra, quando bonum quod inchoamus, perseveranti fine complemus; ideoque Christi memoriam imploremus, ut nobis constantiam ipse donare dignetur, quatenus illi devote serviamus et nostrum propositum inviolabilem custodiamus; quem in nullo melius custodire poterimus, quam si mandata eius compleantur. Itemque idem ipse: *Beati qui custodiunt iudicium et faciunt iustitiam* Psal. 105, 3. 30 *in omni tempore.* Salomon quoque ait: *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Eccl. 9, 8. His et aliis testimoniis roborati, dilectissimi, sic per viam preceptorum Dei studeamus currere, illud nobis proveniet, quod apostolus de se confisus Dei virtutem aiebat: *Ego etiam sic curro non* 1 Cor. 9, 26. *quasi in incertum.* Ideoque currere nos non pigeat per viam iustificationum Dei; petere non desinamus eius auxilium, cum certa teneamus eius promissa quibus pollicitus est dicens: 35 *Petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis.* Matth. 7, 7. Luc. 11, 9. Inter hec notandum est, quod multi stulti nostri ordinis fratres, dum ab aliquo eis proferuntur antiqua sanctorum patrum exempla, respondent et dicunt: *Non possumus illos sequi, quoniam illi fuerunt sancti, nos peccatores, illi perfecti, nos imperfecti,* non intelligentes quod usque in finem mundi non deerunt iusti, qui Deo ita accepti erunt, ut sancti vocentur, sicut in apocalipsi legitur responsum 40 etiam illis qui clamabant sanctis: *Adhuc sustinete modicum tempus, donec implentur numerus fratrum vestrorum;* qui si completus esset, mundi iam finis factus fuisset; qui statim ut complebitur, mundus finietur. Ideoque nullus nostrorum diffidat, nullus tepescat, quia omnes qui digni sunt regnum celeste introire, sancti erunt sine fine, ut Dominus dicit: *Sancti estote,* Levit. 11, 44. *quia ego sanctus sum,* et: *Mea membra estote, si ascendere vultis in caelum.* Quapropter di- 45 lectissimi satagamus quantocius eius precepta et patris nostri Benedicti adimplere, sicut tempore consecrationis nostri monacatus promisimus; quia ipse sanctus Pater in ultimo capitulo suae regulae ex Dei largitate suaque in ipso suspensa aviditate ita observatoribus suae proposuit legis pollicens dicit: *Facientibus hec regna patebunt aeterna.* Amen. Deo gratias.

Incipit exceptio brevis relationum domni Hugonis abbatis, quas
50 *de huius monasterii diminutione ędere curavit.*

Iterum iterumque compellor a spiritualibus senioribus, precipueque a miseria quam 1024. | 1026.

a) abesse *ap.*

21) privilegio dato 8. Kal. Iun. *Sabinis in curte S. Gethulii.* Haec est ultima Iohannis abbatis mentio. Alberici una tantum charta extat in Registro n. 449, indicata Sept. 997.

iugiter patimur, aliquid disserere adhuc de nostri monasterii diminutione. De illa enim quae antiquitus contigit, in quantum largitus est Deus, illis parere non distuli, et nunc de ista quae noviter pululavit, ipso opitulante priori opusculo inserere non differam. Verumtamen prius mecum vos admoneo fratres, ut in nullo pro hoc titubetis, neque taedio quod absit defecti a bono incepto proposito declinetis, sed illud quod scriptura dicit prae oculis habeatis: *Vasa* 5 *figuli probat fornax, et hominem iustum temptatio,* itemque Iacobus apostolus: *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias temptationes incideritis.* Volo etiam vos absque ulla ambiguitate credere, quia ille qui dispersa ut nuper audistis huius monasterii a pessimis paganis redintegrare dignatus est ad statum quem cernitis, bene poterit congregata custodire a pravorum christianorum insidiis. Tamen si non egerit, quod absit, culpis facientibus nostris, 10 non miremur, cum sciamus scriptum: *Aecclesia Dei crescit et decrescit.* Ipse enim creator caeli et terrae, quamvis omnia gubernet suo potentatu, tamen prae cunctis aliis locis Hierusalem dilexit, de qua psalmographus dicit: *Deus autem rex noster ante secula operatus est salutem in medio terrae.* Ipsa quippe est umbilicus totius orbis et caput terrae repromissionis; de ipsa elegit patriarchas prophetas apostolos euangelistas, et quod maius est omnibus, 15 ipsam honoravit sua sancta nativitate, morte ac resurrectione, ut eius sepulcrum usque hodie testatur. Ascensione etiam et adventu sancti Spiritus eandem nichilominus illustravit. Et cum tantum eam dilexerit, dum tempus venit eius consummationis, peccatis habitantium in ea facientibus funditus permisit everti. Nullus etenim locus desolatur, nisi ob malitiam in eo habitantium. In hoc denique cognoscere possumus, quod Deus amplius diligat aeterna quam 20 temporalia, magisque curam gerat de salute animarum quam de caducis et transitoriis rebus, cum infernum penetrasse dicatur propter salutem animarum ibidem degentium. Inferno enim expoliato, cunctos inde iustos abstraxit et omnes peccatores reliquit. Iccirco autem fratres haec dico, ut in quantum valemus Dei exempla sequamur, et non tantum de damno secularium doleamus rerum, quantum de perditione animarum. Quapropter recurramus ad 25 Christi auxilia, si eius sequi volumus vestigia. Haec itaque praelibasse sufficiant; tandem veniamus ad causam.

Eccli. 27, 6. — Iac. 1, 2. — Psal. 73, 12.

985. Iohannes igitur papa qui appellatus est maior, ingressus papaticum satis exaltavit quendam nepotem suum nomine Benedictum, deditque ei Theoderandam uxorem satis nobilem, filiam Crescentii qui vocabatur a caballo marmoreo; et comitatum Sabinensem dedit ei et 30 plures alios. Qui veniens Sabinis, habitare coepit in castello Arci. Tunc temporis Iohannes abbas noster antecessor gubernabat hoc monasterium, ut multi sciunt secularibus actibus deditus; cui prefata Theoderanda de cibariis et deliciis diversis familiariter serviebat, et per se suosque fideles frequenter loqui satagebat. Abbas autem tenebat tunc castrum Tribuci, cum Martino Riconis et eius filiis aliisque consortibus. Roccam vero desursum tenebat ad 35 suam manum abbas, et quae deorsum est, tenebant ipsi, sicut a prioribus acquisierant abbatibus. Quotiens abbas proficiscebatur longius, suam partem illis relinquebat ad custodiendum, et recipiebat, cum reverteretur. Ipsi autem erant valde asperrimi et in diversis malis nequissimi, ideoque viatores sepe depredabantur, et eundem abbatem dedecorantes contristabantur. Qua commotus mestitia contra eos, suasusque veneratione et obsequio prefati 40 comitis eiusque coniugis, sperans etiam unum ornamentum missae officii sibi promissum accipere ab eis, fecit illis scriptum quod Romani dicunt tertium genus, de predicto castello Tribuco solummodo, nullo sciente preter Luponem monachum et Ursum canonicum qui de Malepassía dicebatur. Sed cum nollent ipsi dare ut promiserant ornamentum missale, quod ut fertur mirabile erat valde, pretii triginta librarum, quia fuerat papae Iohannis avunculi 45 eiusdem comitis: nec ipse abbas idem scriptum corroborare voluit. Tunc ipse comes cum sua uxore coepit callide moliri, ut illud acquireret castellum, quia per vim nequiverant, eo quod qui tenebant, feroces et nimis astuti erant. Fecit itaque cum eis sacramenta, qualia ipsi quaesierunt, eosque ad castellum Arcis ubi habitabat venire fecerunt. Quorum prudentiores duodecim capientes, in ima carceris miserunt et vinculis ferreis religaverunt, aliosque 50 triginta ut fertur acceptis pecuniis dimiserunt. In qua captione acquisivit predictus comes cum sua uxore a filiis Lotharii scriptum de curte sancti Gethulii, cui Adam abbas concesserat pro stupro ubi illum apprehendit; et a filiis Gregorii diaconi de castello Tribuco, et ab aliis ibi captis, qui ab hoc monasterio scripta habebant. Quod factum lex omnino interdicit, quia terram censualem nullus potest sine sui licentia patroni alicui dare. Illi autem qui re- 55 manserant in Tribuco, adiutorio cuiusdam Senioricti propinqui sui suffulti, filii Arduini, per

unum annum duraverunt. Post haec vero accepta pecunia, praefatus Seniorictus dedit ipsum castellum predicto comiti eiusque coniugi. Quo ingressi, cuncta vicinia nostrique monasterii predia et sancti Andreae atque Romanorum sibi subiugarunt. Quae omnia non sine causa a Deo permissa sunt; dicit enim scriptura: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur.* Quae (Luc. 14, 11.)
5 audiant divastatores aecclesiarum et persecutores pauperum, et custodiant se a depredationibus eorum, quia Deus advocatus est et defensor illorum. Predia vero quae a supra scripto comite a nostro abstracta sunt monasterio, haec sunt: curtis sancti Gethulii, quam duces Spoletani Faroaldus eiusque successor, dato concambio episcopatui Reatino cuius proprietas fuerat, nostro monasterio contulerant temporibus domini Thomae. Fundum Serranum in
10 integrum, quod Milo et Domnella diacona huic monasterio concesserunt. Fundum Canali. Fundum Verruculae. Fundum Cutri.

Predicti autem comitis Benedicti fuerunt filii Iohannes et Crescentius; ex quibus Iohannes quodam anno in vigilia sanctae Mariae voti causa per suum missum mandans duodecim solidos fecit ponere super altare ipsius, quos sacristanus assumpsit et inter alia vota reposuit,
15 nichil interrogans. Alia autem die mandavit dicens: *Dicite abbati, ut solidos duos faciat mihi reddere, quia non debui nisi decem pro pensione dare.* Hoc ingenio fraudulento ab hoc monasterio ablata sunt prefata loca usque ad nostrum ingressum. Ipso denique anno interfectus est Crescentius comes iussu Ottonis imperatoris et Gregorii papae, ut audistis, qui (998. Apr. 29.) nimis districte placita infra Romam exercebant. Quorum territus pavore prefatus comes quae-
20 sivit nobis pactum, imperatore ac papa scientibus, et refutavit medietatem predictae curtis (Iun. 4.) et aecclesiam sancti Gethulii cum duobus casalibus, unde brevem testatam habemus[22]; et ego (22) rogavi illi tertium genus de alia medietate cum castello Tribuco. Quo facto Romae, prelibatus Crescentius venit illuc levitatis causa. Quem imperator et papa capientes, iusserunt patri eius, ut redderet Cerem illis quibus abstulerat, quorum fuit. Tunc in presentia eorum pro-
25 misit se facturum; et egressus de Roma, fugiit illo. Quo viso imperator ac papa, nimis irati post eum properarunt, et papa secum me ire precepit, dicens mihi: *Veni mecum ad Cere, eo pacto, ut si comes Benedictus reddiderit mihi ipsam civitatem, recipiat filium, et stet finis inter vos; sin autem, filium eius suspendi faciam ipso vidente, et tibi restituam Tribucum.* Et tunc cum ad furcam duceretur ligatis post tergum manibus oculisque panniculo strictis, vi-
30 dens talia pater, reddidit civitatem et liberavit filium. Eo die Romam reversi sumus. Et cum die sequenti Sabinis venissemus, manibus nostris firmavimus tertium genus, et nostros direximus ad eum legatos, ut acciperet illud prefatus comes et appare ab illo firmatum nobis mandaret. Sed facere noluit. Quapropter ab omnibus legem scientibus non ignoratur, quoniam nunquam stat tertium genus legaliter sine appare. Verumtamen in supra scripto pacto
35 prefatus comes nobiscum stetit, donec advixit, et nullam molestiam de predicta curte nobis fecit; licet vellet, non audebat, quia in regno imperator erat.

Mortuo vero ipso imperatore, Iohannes Crescentii filius ordinatus est patricius; qui (1002.) Iohannem et Crescentium filios predicti comitis uti dilectos consanguineos amare cepit. Completis vero post haec duobus annis, Crescentius supra scriptus abstulit nobis turpiter ean-
40 dem curtem, nec est recordatus anathema quod pater eius fecerat ex corde, si umquam suus haeres a nostro monasterio abstrahere vellet. Post hoc nobis nostrisque hominibus multa inferentes mala ipse ac frater eius Iohannes, de campo sancti Benedicti tulerunt casales tres. Castellum quoque Buccinianum supra scriptus Crescentius furatus est nobis, de quo tenebamus partem tertiam et alias duas nostri libellarii. Cuncta etiam ultra Farfam redegit domi-
45 nio suo, etiam nostros molendinarios. Castellum vero Buccinianum delegavit quondam huic monasterio per cartam una matrona nomine Theoderanda, filia Gratiani consulis Romani, pro anima mariti sui Ingebaldi Francigenae, tempore Alberici Romanorum principis, qui dederat ei Sabinensem comitatum. Quod castellum Campo abbas genero suo Azoni Iudeo postea dedit; Modo vero dicunt adversarii nostri, quod sit de curte sancti Petri, illi proxima
50 quae Sala vocatur. Ad quod refellendum acquisivi antiquum privilegium a quodam factum papa cuidam nobili Romano de ipsa Sala, quod dat Buccinianum Affinem et Latus ad ipsam curtem. Si vero domnus Crescentius illud sciebat esse sancti Petri, ut modo dicunt, cur de illo cartam acquisivit ab Adam nostro libellario, filio perditi Azonis Iudei, videntibus cunctis Buccinianensibus?
55 Interea contentio alia orta est nobis in Marchia, pro qua me oportuit ire ultra montem

22) in Reg. Farf. n. 461. unde edidit Galetti Gabii p. 115.

1007. ad Heinricum regem; ubi cooperante Deo rege omnino placato, occulte illi refutavi istam abbatiam pro peccato quod omnes scitis. Qui multum rogavit me, ut usque ad suum huc adventum illum prestolarer, quem ipso dicebat anno esse. Expectavi autem illo et altero 1009 in. et usque in tertium annum; quo minime veniente, dimisi illam. Vos autem elegistis domnum Guidonem, quem Iohannes patricius et Rainerius gratis fecerunt consecrare a papa Iohanne, 1012. pro nostro amore. Patricio quoque mortuo, ordinatus est domnus Benedictus bonae memoriae papa, qui contrarius extitit filius Benedicti comitis. Ablata itaque sunt ab eis omnia castella eorum preter Tribucum et Bucciniamum; Iohannes etiam frater Crescentii obsidebatur in turribus Penestrini montis. Iun. 29. Tunc in sollenitate sancti Petri venit ad nos supra scriptus Crescentius, et dixit, revelatum fuisse cuidam servo Dei, quod suus frater Iohannes non evaderet nisi per orationem monachorum Sanctae Mariae. Deinde vos caritatem fecistis in illis, et triduo ieiunastis. Unde predictus papa contra vos iratus est. Post haec vero eruitur frater Aug. 15. eius ab illa obsessione, prout Deo placuit. Tunc venit Crescentius in assumptione sanctae Mariae, et renuntiavit medietatem ipsius curtis, ut voverat, et misit fratri suo, ut et ipse confirmaret. Sed displicuit illi hoc, et iratus dixit: *Quoquo pacto ego teneam terram alicuius aecclesiae per triginta annos absque pensionis redditione, mea postea erit proprietas. Hoc enim* Aug. 22. *nos et pater noster factum habemus de illa curte.* Tandem vero rogatu Grimualdi presbiteri ipse et uxor eius Itta confirmaverunt eandem refutationem; postea autem Crescentius firmavit ipsam brevem refutationis et dedit predicto abbati Guidoni[23]; et ipse abbas firmavit tertium genus de alia medietate cum castello et dedit illi; et taliter fecimus finem. In quo me minime subscripsi, quia de alio existens monasterio, Sanctae Mariae monachus non fui, et dimissa abbatia extraneus factus sum.

1014. Ian. In hoc stetimus, usque dum imperator venit et coronatus est. Cui obvius fui Papiam; cumque venissemus Ravennae, imperator cum omnibus cogere me coepit, et maxime prae cunctis domnus Odilo abbas, ut reciperem abbatiam. Sed non acquievi usque Romam ad sinodum. Predictus autem imperator ex quo Ravennam venit, precepit cunctis abbatibus et episcopis, ut scriberent res perditas suarum aecclesiarum, qualiter et quando perdiderint vel a quibus detinerentur. Quod et ego feci[24]. Deinde venimus ante presentiam imperatoris et Febr. papae coram iudicibus Romanis, et enarravi omnia, qualiter scripta sunt hic. Inter alia vero protuli, quod a nullo abbate haberent scriptum de predicto castello, nisi ab ipso Guidone, qui donum ab imperatore non habuit nec preceptum. Tunc ab imperatore iudices interrogati, uno ore dixerunt: *Episcopus aut abbas qui pertinet palatio imperiali vel pontificali, nullo modo valet facere scriptum, nisi prius ab ipsis donum acquirat.* Deinde dixit imperator: *Domne papa, date mihi vestros milites, qui cum meis vadant, ut capiant mei monasterii castella.* Subito autem orta est seditio inter Romanos et Teutonicos, quae die sequenti sedatur. Timebat vero predictus Iohannes, ne a papa caperetur consensu imperatoris, quia mentitus fuerat de Penestrino monte, nolens illum reddere sicut promiserat. Et suasi imperatori, ut ad locum securum sineret illum abire. Qui reverti permisit eum, tali tenore, ut die tertia rediret ipse aut eius frater, et legem aut convenientiam faceret. Sed die tertio ut promiserat non est reversus. Tunc consensu predicti papae et cunctorum iudicum consilio reinvestivit me imperator de ambobus predictis castellis cum suis pertinentiis, et commendavit me in manu papae in sua fide, ut si animam suam diligeret, mihi restitueret. Quod strenue postmodum complevit ipse venerabilissimus papa. Interea triginta diebus fecimus indutias, nec super ipsa venimus castella, quia finem facere cum eis volebam libentissime. Ipsi autem subdola fraude prius promiserunt, et postmodum respuentes, etiam terribiles minas nobis intulerunt, quia ausi fuimus super eos imperatori reclamare. Timore autem perculsi, uti inermes monachi, fecimus tandem venire super eos predictum seniorem. Illis denique qui erant intus per viginti dies et eo amplius arefactis pre nimia aquae siccitate ablatae, quadam die inundatio pluviae erupit ex omnibus partibus ipsius castelli, ita ut rivuli essent turbidi. Tunc ceperunt vascula et pannos extra mansiones ordinare, ut aquis replerentur; sed tantum non pluit infra ipsum castellum, ut aliquod minimum vas impleri posset. Hoc illi videntes pavidi, Dei cognoscentes virtutem, sequenti die in manibus domni papae etiam ipse Crescentius et omnes se tradiderunt et castellum ei reddiderunt. Statimque domnus papa sanctae Mariae et mihi restituit cum omnibus qui intus erant, et rediit Romam. Post aliquantos autem dies venit iterum

23) in Reg. Farf. n. 661, unde edidit Galetti Gabii p. 119. 24) in Chron. Farf. apud Murat. II[b], 447.

Sabinis prope Tribucum, in quo predictus Iohannes adhuc sedebat, cum iudicibus tantum et paucis hominibus, et mandavit ei familiariter, ut aut ipsum castellum quod iniuste tenebat, sanctae Mariae redderet sicut imperator preceperat, aut mecum staret ad legem. Et si eius presentiam timeret, usque ad carbonariam ipsius castelli exiens in sua virtute staret, et ibi 5 cum iudicibus et paucis aliis inter nos fieret lex; quoniam nolebat ei absque iudicio tollere. Sed hoc ille omnino rennuit. Triduo autem ibi stetimus, et cottidie illi nuntios misit, sed nullo modo legem facere voluit. Deinde per iudicium ipsorum iudicium reinvestivit me de Aug. 2. ipso castello ac fecit breve testatum[25], et reversus est Romam. Completo vero anno rediit 25 illuc, et reacquisivit illud castellum ac reddidit sanctae Mariae, sicut domino Deo placuit et 10 predictus imperator rogavit, et ipse domnus papa complevit. Postea autem domnus papa finem cum eis fecit absque nobis, non tamen cum bona voluntate, ut sciunt plurimi. Quod ut audivimus, consensu ac consilio Piligrimi archiepiscopi et cancellarii predicti imperatoris iunximus nos cum Oddone et Crescentio filiis Octaviani, et dedimus eis sortem de ipso Tribuco eiusque pertinentiis, ut nos ab ipsis defenderent, nullo alio accepto pretio, quod usque 15 hodie faciunt per divinum auxilium; sicuti postea imperatori intimavimus, audiente eodem 1022. papa et Oddone, quando nos interrogavit. Tunc domnus imperator voluit inter nos et ipsos Iohannem et Crescentium legem facere; quam ipsi noluerunt.

Incipit querimonium domni Hugonis abbatis ad imperatorem de castro Tribuco et Bucciniano.

Domne senior, intelligite diligenter contentionem quae est inter monasterium sanctae 1026. 20 Mariae domnae nostrae, quod vestrum proprium est secundum seculi dispositionem, et filios comitis Benedicti, videlicet Iohannem et Crescentium, et accommodate aures ad haec examinandum, pro redemptione animae vestrae et amore ipsius genitricis, necnon et pro dilectione fratrum inibi degentium, qui cottidie pro statu vestri regni Deum rogare non negligunt. Teste Deo, in nullo mentiar. Illud quod ab aliis audivi, qui ante me fuerunt in ipso loco, 25 ego non affirmo; sed illi qui adhuc vivi sunt de illis fratribus, certificabunt ita esse, si iubetis. Dicunt enim, quod noster antecessor abbas nomine Iohannes fecisset de uno nostro castello quod Tribucus vocatur, scriptum quod Romani tertiogenerum vocant, Benedicto comiti patri istorum predictorum de castello solummodo, sed non de pertinentia quae curtis sancti Gethulii vocatur; sed non eum corroborasse sua manu et monachorum atque tertium, eo quod 30 dicunt ei promisisse dare unum ornamentum missae pretii librarum triginta, quod sui atavi Iohannis papae fuisse referunt. Quo minime dato, supradictum scriptum affirmant remansisse intestatum. Tamen ipsa occasione invasit predictum castellum cum tota pertinentia malo ingenio ac pessima fraude; quod onerosum fuit hic scribere; tamen ore dicimus si iubetis. Appare de illo scripto, ut lex precipit, non fecit, pensionem nunquam persolvit. Hac iustitia 35 et rectitudine tenuit eum usque ad nostrum tempus. Me ordinato a seniore nostro tertio Ottone, Crescentioque occiso, cepit predictus imperator potestative legem facere infra Romam. Qua de causa predictus comes pavore ductus, coepit me rogare et fratres, ne super eum reclamationem faceremus. Quid multa? Fecimus talem finem inter nos. Ipse refutavit nobis medietatem predictae curtis absque aecclesia sancti Gethulii, quam reddidit nobis cum 40 duobus casalibus pro castello; et ego cum monachis feci ei tertiogenerum de ipso castello Tribuco cum medietate ipsius curtis, excepta predicta ecclesia cum casalibus illis. Firmato tertiogenere a me et monachis ac testibus, mandavimus illi simul cum appare, ut ipse firmaret appare et nobis daret, et ipse teneret tertiogenerum, sicut rectum est. Quod ipse facere noluit, eo quod putabat in proprium sibi vindicare; sicut Iohannes filius eius qui nunc super- 45 est, mihi postea dixit; ideo nolebat appare inde apud nos esse, ut securus ipse possideret. Nostri vero reduxerunt secum tertiogenerum et apparum, quod ipse nunquam requisivit. Tamen nos tenuimus ipsam sortem cum ecclesia quam nobis reddidit, usque dum ipse vixit, et post mortem eius usque ad annos quattuor. Postea tulerunt nobis isti sui filii turpiter, et adbeneficiaverunt de illa duos nostros milites quos nobis tulerunt. Insuper invaserunt alias 50 nostras res quas nunquam antea tenuerunt; necnon et castellum Buccinianum, quod prope nostrum monasterium in uno miliario stat, quod nunquam hactenus tenuerunt, nobis noctu furati sunt ac nostris libellariis, qui a nobis tenebant, et ceperunt possidere sibi. Post haec

25) in Reg. n. 524 et in Chron. p. 518 ed. Murat.

ego renuntiavi abbatiam, qualiter multi sciunt, et electus est ibi unus noster nutricius monachus a fratribus ipsius loci, et a papa consecratus; sed ab imperatore, cuius monasterium est, donum et preceptum minime consecutus est. Cum quo postea renovaverunt pactum predicti filii Benedicti comitis, quod mecum fregerunt. Renuntiaverunt et ipse sicut et pater illorum medietatem predicte curtis cum iam dicta ecclesia et casalibus, et abbas ipsi fecit eis scriptum tertiogenerum de castello cum alia medietate curtis predictae; unde postea habuimus conflictum ego et Iohannes ante presentiam senioris nostri Heinrici; de quo interrogavit idem senior iudices qui aderant plures Romanos et Langobardos, utrum illud scriptum legaliter stare posset, quod ille abba fecit, qui donum et preceptum ab ipso non habet; quia nostrum monasterium regale est, ut omnes sciunt. Ad hoc cuncti unanimiter dixerunt iudices, quod nulla ratione stare posset. Haec de Tribuco acta sunt Rome in placito.

De Bocciniano vero dixit tunc Iohannes, quod nihil illi pertineret, sed Crescentio fratri suo. Tunc dedit ei senior noster indutias, et permisit eum redire ad Tribucum, ubi erat frater suus, eo pacto, ut aut ipse aut suus frater Romam rediret, nobiscum finem facturi de predictis castellis aut per convenientiam aut per legem. Sed neuter illorum ad terminum est reversus. Predictus senior noster cum consilio domni Benedicti papae et iudicio iudicum reinvestivit nos de predictis castellis, et commisit inter Deum et predictum papam, ut si animam suam diligeret, nobis ipsa reacquireret. Post totum hoc volui dare Crescentio de solo Bucciniano centum septuaginta libras, si mihi redderet, et de Tribuco assecurare, ut numquam fuissem in facto aut consilio, ut illud perderet. Quod nullo modo voluerunt. Deinde venit predictus papa super eos, et ita divina dispensatio ordinavit, ut unum caperetur siti, aliud fame. Deinde nobis restituta sunt. Sed de Bucciniano per legem diffinitum est, ut vobis ostendam, antequam illi proicerentur de castello Tribuco. Tribucum vero tenemus per imperialem predictam investituram et predicti domni pape; utraque vero iam per annos duodecim. Quando vero de exilio redierunt, similiter volui eos de Tribuco assecurare, ut supra dixi, si illi de Bucciniano quod nichil eis pertinet me similiter facerent. Quod respuerunt omnino. Postea vero domnus papa praedictus fecit cum eis finem absque me, non sua tamen sponte, ut plurimi sciunt, sed coacte constrictus a filiis Rainerii et pedonibus, et fecit eis iurare Romanum fratrem suum, quomodo proprium est, et Gregorium nepotem suum, quod eis redderet predicta nostra castella, et adiuvaret eos ad tenere contra omnes homines. Ego autem hoc audito timore perculsus, cum consilio tamen domni Piligrimi qui cancellarius adhuc erat et tunc aderat, dedi filiis Octaviani Oddoni et Crescentio medietatem de praedicto Tribuco cum sua pertinentia, eo pacto, ut nos defenderent et monasterium ab illis cum ipsis castellis. Quod et factum habent usque hodie Christo favente. Quod si hoc non fecissemus, procul dubio hic in manibus illorum incideremus, et non solum castella, sed etiam nostrum monasterium perderemus et forsitan vitam amitteremus. Talis erat illorum insidia super nos, et precipue, quia adiutorium domni papae habebant, ut supra diximus. Post hec venit senior noster Heinricus, quando Troiam acquisivit; cui intimavimus cuncta per ordinem. Illi vero non displicuit, sed et complacuit; atque voluit et iussit lex fieri inter nos et illos. Quod illi facere noluerunt. Nos ....[a] investitos et tenemus adhuc Deo favente. Modo, venerande senior, humotenus vos obsecramus, ut accepta Deo favente imperiali corona, quia ante quietem non habebitis hoc perficiendi, iubete fieri lex, quatinus illorum fidelitatem hac occasione non perdatis, et de nobis in peccatum non cadatis, quia in nullo melius ab utraque parte custodiri poteritis Christo adiuvante, quam si per legem habeat illa castella qui habere debet, utrum sancta Maria an illi. Unum pro certo scitote, quia neque isti neque pater illorum unquam pensionem de illa curte cum castello dederunt, sed quasi propriam hereditatem tenuerunt, sed etiam iste Crescentius suus filius isti uxori quam modo habet, medietatem ipsius curtis et castelli in dote dedit. Similiter de castello Bucciniano nichilominus fecit.

ORDO FARFENSIS.

Cluniacensis religio quum sub Odilone abbate per totum occidentem celebraretur, Iohannes monachus cuiusdam coenobii beatae Mariae in Apulia tunc

a) *spatium unius vocis relictum in Reg.*

sub abbate Iosepho consistentis eo profectus, Cluniacenses consuetudines in usum monasterii sui libris duobus collegit, quod opus Librum tramitis intitulavit. Hunc Iohannis librum Hugo Farfensis abbas, qui eodem tempore monasterium suum reformarat, Farfensium usibus adaptavit, auxit et quantum opus erat etiam 5 *mutavit; cui prologus quoque praefixus fuit sive sub ipso Hugone sive post eius mortem; nam et Heinrici II et Conradi regis et Hugonis abbatis obitus in formulis versus finem libri secundi scribitur; sed ante a.* 1048, *quum Odilo Cluniacensis adhuc inter vivos citetur. Codices extant duo: alter olim Farfensis, iam Vaticanus* 6808. *mbr. saec. XI. cui postmodum assuti sunt canones alia* 10 *manu in membrana diversa exarati. Alter Sancti Pauli in via Ostiensi mbr. oct. saec. XI ex. quem mihi D. Angelus Pescetelli abbas et indicavit et gratiosissime communicavit, primo ultimoque quaternione iam caret; exceptus videtur ex ipso Farfensi, at omisit versus in fronte libri secundi et integram descriptionem officinarum monasterii Farfensis, quippe quae monachis Sancti Pauli* 15 *nullius utilitatis erat; omisit etiam catalogum librorum singulis monachis distributorum, qui in Farfensi in rasura scriptus habetur alia manu; et hic enim ad solum Farfense monasterium spectabat. Edidit ex codice Farfensi prologum Mabillon in Annalibus qui et reliqua in eodem codice describenda curaverat. Ex quo apographo integrum opus editum fuit in libro:* Vetus disciplina mo- 20 nastica, opera congregationis Sanblasianae. *Parisiis* 1726. 4. *Nos ea tantum quae ad historiam Farfensem spectant inde excerpta proponimus ex ipso codice Farfensi.*

In nomine sanctae et individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti incipit perfectus usus sive ordo ad ornandam ecclesiam catholicam necnon ad conservandam 25 *regularis tramitis normam in coenobio beatae Mariae semper virginis in agro Acutiano comptam.*

Incipit prologus regularis de libro tramitis. Dum per universam Italiam Christi precepta anullarentur et velut in fastidio versarentur, diabolice suggestiones ceperunt augmentari et opere compleri, ita ut etiam in sacris constituti ordinibus, sicut mos laicorum est, uxores 30 acciperent, et sine aliqua difficultate heresim exercerent simoniacam. Celestis tunc clementia favente regis, qui pretioso olim mundum suo redemit cruore, suscitatus est quidam decore splendidus monachico, Romualdus nomine, qui normam priscae iustitiae in sexu renovavit utroque et ordine. Cuius exempla imitatus venerabilis Hugo renovavit prisca sanctorum patrum eximii Benedicti clarissimi et luculenti patris in cenobio beatae Mariae semper vir- 35 ginis in loco qui dicitur Acutianus, ubi destructus erat nimis omnis ordo et compositio monachorum, illorum ulnis imponens usum Cluniaci coenobii in Gallia aedificati ac per totum orbem cuncta ultra monasteria regulari tramite pollentis ipso tempore. Insonante etenim longe lateque fama praelibati caenobii, necnon et predictorum patrum, Romualdi scilicet et domni Hugonis abbatis benignissimi, hi deniqne patres nimio zelo ferventes et inter se con- 40 cordantes, domnus Romualdus in theoretica praeclarus effulsit necnon et in aedificatione multorum monasteriorum; pater vero Hugo sequipeda eius effectus in regali coenobio, in tantum ut ad Galliarum studia venerabilium caenobiorum Cluniacensium, ubi venerabilis pater Ocdilo velut lucerna radians adhuc fulget, multa de illorum consuetudine ad utilitatem fratrum illi commissis et in ovile Christi aggregatis imposuerit ad salutem animarum. Ex qui- 45 bus unus valde inspiratus et accensus in fervore monastico ex discipulis domni Romualdi, nomine Iohannes, cum uno suo socio ad videndum et scribendum properavit apud eundem Cluniacensem coenobium; et ita exaravit in paginulis, ut oculus vidit, et in codicibus affixit posterisque legenda contradidit. Domnus vero Hugo pater per omnia imitator illorum effectus, haec et multa alia in suo antiquo coenobio advexit, ut ab illorum usu in nullo discre- 50 paret, cupiens adimplere quod in Actibus apostolorum legitur: „Multitudinis credentium erat Act. 4, 32.

cor et anima una." Quam consuetudinem si quis adimpleverit, in presenti exaltabitur vita, et post intra perhennem laetabitur pascuam. Et mavult operibus quam dictis adimpleri. Et sicut quis infra naviculam in medio amne fluminis positus superiora aggredi cupiens, nisi totis viribus certaverit, cito relabitur: ita haec consuetudo, si carnalibus quis assenserit desideriis, in fastidium ei vertitur; si quis eam imitaverit et secutus fuerit, caeleste illi revelabitur archanum, et amabilis Deo et dulcis erit hominibus. Si vero perversus fregerit et dereliquerit eam, relinquetur a Deo et odiosus erit in seculo, et si per multos creverit annos, tempore uno destruetur, unusque extraneus centum suorum persequetur, et duo fugabunt decem milia. Et non solum hoc predictum, sed et cuncta quae priores nostri bona tenere sancxerunt, si derelicta fuerint, non prosperabuntur, sed in arcum convertuntur perversum, agentibus sanctis, quorum nomina sive reliquiae hic habentur. Facientibus et perseverantibus regnum pateat sempiternum. *Explicit prologus.*

Incipit praephatio. Summi moderatoris et pii favente religionis insigniti Christi timoris efficatio, dum male olita usquequaque sentina emergens efferbuerit, nostri olim sacrati institutio ordinis ita dumtaxat vix uspiam perfectae trames semitae inesse nequiret: commonitus ipse Iohannes trans Alpium huiuscemodi discendi negotium finitima Cluniacum coenobiorum nobilissima expetiit gratia, atque quaecumque ibi probatae experientiae didicit, duplici hoc pro diffinitione ad purum contexuit, et ad honorem nostri Salvatoris intemerataeque eius piissime genitricis in monasterio suo sub religiosissimi abbatis Ioseph sanctorumque piissime monachorum Apuli catervae conspectui, quatinus salutis sit solatium presentibus, haedificatioque profutura succedentibus in Christo Iesu domino nostro.

In ordinibus sanctorum coenobiorum threnos incipiunt primi libri. Continet in se usus monachorum iste libellus . . . .

Incipit liber secundus in cotidianis diebus procurandum secundum regulam sancti Benedicti, in primis metrice dictus[a]. Quisquis ad aeternum mavult conscendere . . . . . Vivere cum domino semper et esse suo.

De positione seu mensuratione officinarum. Ecclesiae longitudinis 140 pedes, altitudinis 43, fenestre vitreae 160. Capitulum vero 45 pedes longitudinis, latitudinis 34, ad orientem fenestre 3, contra septentrionem 3, contra occidentem 12 balcones, et per unumquemque afixe in eis duo columpnae. Auditorium 30 pedes longitudinis. Camera vero 90 pedes longitudinis. Dormitorium longitudinis 160 pedes, latitudinis 34, omnes vero fenestre vitreae quae in eo sunt 97, et omnes habent in altitudine staturam hominis, quantum se potest extendere ad summitatem digiti, latitudinis vero pedes duo et semissem unum; altitudinis murorum 23 pedes. Latrina 70 pedes longitudinis, latitudinis 23. Selle 45 in ipsa domo ordinatae sunt, et per unamquamque sellam aptata est fenestrula in muro altitudinis pedes duo, latitudinis semissem unum, et super ipsas sellulas compositas strues lignorum, et super ipsas constructionem lignorum factae sunt fenestrae 17, altitudinis tres pedes, latitudinis pedem et semissem. Calefactorium 25 pedes latitudinis, longitudinis eademque mensuram. A ianua ecclesiae usque ad hostium calefatorii pedes 75. Refectorium longitudinis pedes 90, latitudinis 25, altitudinem murorum 23, fenestrae vitreae quae in eo sunt ex utraque parte 8, et omnes habent altitudinis pedes 5, latitudinis 3. Coquina regularis 30 pedes longitudine, et latitudine 25. Coquina laicorum eademque mensura. Cellarii vero longitudo 70, latitudo 60 pedes. Aelemosynarum quippe cella pedes latitudinis 10, longitudinis 60 ad similitudinem latitudinem cellarii. Galilea longitudinis 65 pedes, et duae turrae sunt ipsius galileae in fronte constitutae, et subter ipsas atrium est, ubi laici stant, ut non impediant processionem. Ad porta meridiana usque ad portam aquilonariam pedes 280. Sacristiae pedes longitudinis 58 cum turre quae in capite eius constituta est. Oratorium sanctae Mariae longitudinis 45 pedes, latitudinis 20, murorum altitudinis 23 pedes. Prima cellula infirmorum latitudinem 27 pedes, longitudinem 23, cum lectis octo, et sellulis totidem in porticum iuxta murum ipsius cellulae deforis, et claustra predicte cellulae habet latitudinis pedes 12. Secunda cellula similiter per omnia est coaptata. Tertia eodemque modo. Similiter etiam et quarta. Quinta sit minori, ubi conveniant infirmi ad lavandum pedes die sabbatorum, vel illi fratres qui exusti sunt, ad mutandum. Sexta cellula preparata sit, ubi famuli servientes illis lavent scutellulas et omnia utensilia. Iuxta galileam constructum debet esse palatium longitudinis 135

a) *sequentes versus totumque caput* de pos. seu mens. offic. *omisit P. quamvis habeat verba* in primis metrice dictus; *unde videtur ex ipso Farfensi exceptus esse.*

pedes, latitudinis 30, ad recipiendum omnes supervenientes homines, qui cum equitibus adventaverint monasterio. Ex una parte ipsius domus sint preparata 40 lecta et totidem pulvilli ex pallio, ubi requiescant viri tantum, cum latrinis 40. Ex alia namque parte ordinati sint lectuli 30, ubi comitissae vel aliae honestae mulieres pausent, cum latrinis 30, ubi sole ipse suas indigerias procurent. In medio autem ipsius palatiis affixe sint mense, sicut refectorii tabulae, ubi ędant tam viri quam mulieres. In festivitatibus magnis sit ipsa domus adornata cum cortinis et palliis et bamcalibus in sedilibus ipsorum. In fronte ipsius sit alia domus longitudinis pedes 45, latitudinis 30; nam ipsius longitudo pertingant usque ad sacristiam, et ibi sedeant omnes sartores atque sutores, ad suendum quod camerarius eis precipit, et ut praeparata habeant ibi tabulam longitudinis 30 pedes, et alia tabula affixa sit cum ea; quarum latitudo ambarum tabularum habeat 7 pedes. Nam inter istam mansionem et sacristiam atque aecclesiam necnon et galileam sit cimiterium, ubi laici sepeliantur. Ad porta meridiana usque ad portam septentrionalem contra occidentem sit constructa domus longitudinis 280 pedes, latitudinis 25, et ibi constituantur stabule equorum per mansiunculas partitas, et desuper sit solarium, ubi famuli aedant atque dormiant, et mensas habeant ibi ordinatas longitudinis 80 pedes, latitudinis vero 4, et quotquot ex aventantibus non possunt reficere ad illam mansionem quam superius diximus, reficiant ad istam; et in capite istius mansionis sit locus aptitatus, ubi conveniant omnes illi homines, qui absque equitibus deveniunt, et caritatem ex cibo atque potum, in quantum convenientia fuerit, ibi recipiant ab elemosynario fratre. Extra refectorium namque fratrum 60 pedum in capite latrinae sint criptae 12 et totidem dolii praeparati, ubi temporibus constitutis balnea fratribus preparentur. Et post istam positionem construatur cella novitiorum, et sit angulata in quadrimodis, videlicet prima ubi meditent, in secunda reficiant, in tertia dormiant, in quarta latrina ex latere. Iusta istam sit depositam alia cella, ubi aurifices vel inclusores seu vitrei magistri conveniant ad faciendam ipsam artem. Inter criptas et cellas novitiorum atque aurificum habeant domum longitudinis 125 pedes, latitudinis vero 25, et eius longitudo perveniat usque ad pistrinum. Ipsum namque in longitudinem cum turre quae in capite eius constructa est, 70 pedes, latitudinis viginti.

Quomodo agendum sit de novitiis. Mox ut ipsi exierint de cella novitiorum . . . .

Ad regem deducendum. Cum auditus fuerit adventus regis in monasterium, tunc abbate vel priore annuente fratribus, si tempus non fuerit loquendi in claustro, conveniant omnes in ecclesiam et vestiant se in cappis, etiam conversi et infantes induant se tunicis. Secretariis[a] preparent processionem, et tunc sonentur duo maiora signa, incipientibus ita ordinati pergere, sicut in his caracteribus demonstratur:

Crux	Turibulum	Candela	Candela	Candela
Aqua	Crux	Textus	Textus	Textus
Crux	Turibulum	Candela	Candela	Candela.

Conversi bini ac binis, tunc infantes cum magistris, deinde domnus abbas, et tunc alii fratres duo ac duo sicut priores, tamen cum silentio eant. Pervenientibus ad eum, tunc det ei aquam sanctam et osculetur textum et incensetur. Deinde inchoetur responsorium „Ecce mitto angelum meum", et pulsent famuli omnia signa. In ecclesia tapetia sint duo ordinata, quorum unum sit ante altare sanctae crucis et alterum ante maius. Tunc abbas inchoet antiphonam vel responsorium quod velit quod conveniat. Quo expleto, dicat capitulum et has orationes: „Omnipotens sempiterne Deus qui caelestia simul et terrena moderaris", alia: „Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo", et redeant in claustrum. Ad reginam eadem faciant, sed tamen ingredientibus in ecclesiam, hanc antiphonam decantent: „Cum sederit filius hominis."

Ad episcopum deducendum. Ilico ut nuntiatus . . . . [b]

Pro imperatore qui dignus fuerit ita scribatur. Tertio Idus Iulii depositio domni Heinrici imperatoris augusti, nostrae societatis et fraternitatis amici karissimi, officium fiat plenum, et duodecim pauperes reficiantur, iustitiaque detur per septem dies. 1024.

In martyrologio taliter scribendi sunt monachi vel amici. Obierunt Adalgarius . . . . Gerbertus nostrae congregationis monachus, et depositio domni Chonradi regis et Einrici ducis amicorum nostrorum. Ildinus nostrae congregationis monachus. Fulcherus nostrae

a) custos aecclesiae *P.* b) *in P. cum ultimis foliis interciderunt omnia quae sequebantur caput* Qualiter est agendum mandatum ad pauperes quod cottidie efficitur.

congregationis monachus. Tetardus nostrae congregationis. *Ac capitulum sic pronuntietur infans:* Depositio domni Choinrandi regis. Ildini, Fulcheri, Tetardi nostrae congregationis monachi. Adalgarii, Einrici ducis amicorum nostrorum, et alium familiarium nostrorum. *Sequitur:* Obierunt rex Italorum, Raynerius amicus noster; officium fiat plenum pro utrisque, iustitiaque detur. *Et quandoque:* Obiit Teutberga comitissa fidelis nostra; iustitia detur. *Sin* 5 *abbas, ita:* Depositio, vel obiit Hugo abbatis nostrae congregationis, atque Wido comitissa amici nostri; officium fiat plenum pro utrisque, et duodecim pauperes reficiantur. De officio pleno non debet pronuntiare in capitulo, sed in fronte libri huius nomini scripta ad recordationem. *De episcopis monachis vel archiepiscopis seu* — — apud Deum intervenite.

GREGORII CATINENSIS OPERA. 10

Dodo filius Iohannis et Susannae Berlengarii filiae, nobilis miles de Castro Catino in Sabinis, ex Tederanda uxore duos filios genuit, Donadeum maiorem atque Gregorium a. 1062 *natum. Uxore post a.* 1064 *defuncta, mox alteram duxit; castrum vero Catinense una cum reliquis suis possessionibus mense Maio* 1067 *monasterio Farfensi per venditionem concessit, annoque sequente* 15 *filios etiam ibidem obtulit. Donadeus ipso anno defunctus est; Gregorius vero, iam puer sexennis habitu sancti Benedicti indutus atque a Beraldo I abbate paterna cura educatus, mox totum se devovit monasterii sui iuribus, possessionibus et libertatibus cognoscendis atque defendendis; cui studio omnem vitam omnesque quos composuit libros unice destinavit. Siquidem iam a.* 1092 *„terdenos transcendens plus minus annos," Berardo II abbati benefactoris sui successori auctor fuit, ut omnes chartas privilegiaque omnia monasterii in unum volumen transscribi faceret, priusquam vel vetustate vel casu infelici interirent. Quod opus utilissimum Berardus per Iohannem grammaticum Gregorio mandavit exsequendum. Indefessi laboris fructus fuit liber a recentioribus* R e g i s t r u m, 25 *ab auctore* G e m n i a g r a p h u s *seu* C l e r o n o m i a l i s *vocatus, qui a Francogallis rapacibus e monasterio Farfensi Parisios abductus, victae genti cum reliqua rapina undique congesta ablatus fuit, neque tamen Farfensibus redditus est, sed inter Vaticanos relatus n.* 8487. *Est formae maioris, intra a.* 1092— 1099 *in paginis bipertitis calamo nitidissimo exaratus, manu mirum in modum* 30 *constante ipsius Gregorii, qui ita incipit:* IN CHRISTI DEI OMNIPOTENTIS NOMINE INCIPIT PROLOGUS DOMNI IOHANNIS GRAMMATICI SUPER HUIUS OPERA LIBRI. In nomine sanctae et individuae Trinitatis, ad honorem et laudem sanctae Dei genitricis semperque virginis Mariae, gloriosissimae dominae nostrae. Imperante domno Heinrico quarto Romanorum patricio et imperatore, ab incarnatione domini nostri Iesu Christi anno 1092, 35 ind. 15, 13. Kal. Maias, divina inspirante gratia placuit domno Berardo reverentissimo abbati huius aecclesiae Pharphensis, nobilissima gente progenito Florentiae urbis, quatinus istius sacri coenobii universa privilegia et praecepta necnon et tomos et legales cartaș, nimia vętustate iam pene consumpta, in unum volumen colligere eaque ad memoriam posteritatis studiosissime declarata, vęracissime transscripta relinquere. Et hoc prudentissimo actum est 40 consilio, ne forte quod saepissime iam evenisse novimus, aut custodum negligentia aut vętustate consumente nimia, predicta oblivioni traderentur praecepta, tomi, cartae et privilegia. Quae veraciter elucubrando, nichil eis omnino addidimus vel minuimus nec mutavimus; sed corruptis partibus rethorice emendatis, eo respectu quo scripta erant, ea legaliter transtulimus, per manus confratris nostri magnae sagacitatis GREGORII, Sabinensi comitatu oriundi 45 in castro Catinensi, nobilissimis parentibus progeniti et nostrae aecclesiae fere ab ipsa infantia lacte enutriti.

GREGORIUS SANCTAE SERVUS FAMULUSQUE MARIAE,
Regni perpetui vitam cupiens adipisci,
Eiusdem semper renovavit scripta beatae, 50

Gliscens post obitum famosum linquere votum.
Optulit hunc genitor Donadęum quoque Dono,
Restituens libras centenas ac nonagenas
In templi fratres ΘΕΟΤΟΚΟϹ aede benigna,
5 Ut caperent normae Pharphensis praemia sacrae.
Sic primus pastor Berardus monachat ambos.
Coelum paulo post migravit in ordine maior
Annos sexdenos post Christi mille vel octo.
Tandem qui minimus frater Gregorius auctus,
10 Indeque terdenos transcendens plus minus annos —
Nam postquam vestem percepit in ordine normae,
Expletis denis annis bis, necne quaternis —
Nostro migrato primo pastore Berardo,
Scaedas has compte cartarum virginis almae,
15 Iussit Berardus tantum quod abba secundus,
Scripsit enim gratis, vitae quia praemia quaerit.
Gregorium nosces de versibus his Catinensem,
Grammata si relegis, quae sunt exordia dicti;
Scriptorem Christus donet quem scandere caelum.

20 *Tunc sequitur effigies penna delineata Virginis solio insidentis, cui Gregorius librum offert; subtus solium iterum Gregorius scribens, cui alius presbyter manus extendens occurrit, hac cum subscriptione:*

Presbiteri Petri sunt haec primordia libri;
Soldos nanque decem pro cartis optulit ipse.

25 *Haec in prima pagina primi quaternionis. Sequuntur chartae ipsae, temporum ordine collocatae, suo quaeque numero rubro a Gregorio ipso praenotatae. Pontificum imperatorum regum ducum privilegiis sigilli loco circulus apponitur, mediam effigiem eius continens qui privilegium concessit. Ubi alterius abbatis chartae incipiunt, vita eiusdem praeponitur brevissima; quas vitas in primis* 30 *quattuordecim abbatibus Gregorius ad verbum desumsit ex Constructione, sequentium usque ad Berardum I nil nisi nomina ponit, sine annis; inde a Berardo I ampliora habet, de suo conscripta, quae iam proponemus integra. In historia anni* 1099 *cum num.* 1160 *calamum sistit in medio quaternione LI, reliquas paginas quinque et dimidiam vacuas dimittens. Operi ita terminato* 35 *tres alios quaterniones praeposuit, bibliopegae errore iam falso loco ligatos inter medias chartas, sed per Gregorium codici praefixos; quibus ipse haec inscripsit:* IN NOMINE DEI SUMMI INCIPIT PROLOGUS GREGORII SCRIPTORIS HUIUS LIBRI. Prudentium sane virorum ad hoc premaxime viguit industria, ut sanctorum precedentium patrum priscorum describerent actus, per rerum vicissitudinum tempora, quatinus 40 sequentibus eos illorum victoriae fierent impressa vestigia, et eorum in perpetuum dignius secoleretur cariusque haberetur beata memoria. Apostolus vero loquitur . . . . In hoc vero presertim digni illi efferendi sunt laude, qui ad exemplum beatissimi patriarchae Abrahae a propriis domiciliis discedentes et sua quaeque relinquentes, ad exteras properarunt nationes, quatinus fructum ceu transplantati expeditius operarentur vitae, et dignam 45 posteris relinquerent vitae verae imitationem. Sic presens pater noster gessit vir sanctus Laurentius, qui ad Hitaliam . . . . . . Constat igitur, quoniam ante prefati gloriosissimi pontificis non modicum tempus conditum est monasterium . . . . . Nam priora Gothorum tempora, ut verius . . . . . Tunc etiam apud Ypponem Regium fulgentissimus . . . . Ab Archadio itaque rege usque ad Iustinum . . . . . . Quo autem tempore prius destructum . . . . . . 50 Iustinianus augustus iugulari fecit et principatum recepit. INCIPIT PRAEPHATIO. In lege veteri iubetur, ut nemo sterilis et in Israhel semen non relinquens inveniatur, ne poena maledictionis multetur. In nova quoque gratia id ipsum spiritualiter docetur, ne arbor infructuosa reperiatur, et ne a Domino talentum servo traditum presentibus ab eo abscondatur, sed ut in futurum in augmentis Deo placitis utilis proficiat doctrina relinquatur. Huius rei gratia,

divina inspirante atque administrante clęmentia, ego infimus monachorum et peccator Gregorius, ut hoc perficerem opus nimis utillimum, suggessi domno B. abbati posteriori et precipuis senioribus. Et quoniam optima quaeque spiritualis patris debemus perficere iussione, atque uti tenemus firmissime et intellectu quem in nos Deus omnipotens divinitus inspiravit credimus vęrissime *melius est obędire quam sacrificare*, et qui patri non oboedit spirituali, 5 Samuhele propheta docente didicimus *quia tura immolat diis vanis*, quod est etiam apostatare a Deo et peccatum ariolandi: ideo denique hoc impium et detestabile facinus omnimodis cavere cupiens, sanctaeque aliquo modo vel cooperatione desiderans et vęrae meritum obedientiae, postmodum praefato patre et reliquis senioribus suscepi libentissime huius operis onus iubentibus. Quod licet mihi impossibile videatur, tamen quia cuncta posse credimus 10 Deum, qui mutum animal olim humana fari precepit verba, suae ipse causam matris integerrimae valet michi misericorditer tribuere, ut ad eius domus recuperationem perficiam utillime. Nichil quippe mearum sentio virium, sed ex Dei karitate eiusque adiutorio confidens, per dominae nostrae gloriosissimae intercessionem, ut valde devotum nimisque proficuum, fidelius et verius perficere studui opus attentius. Non quod sim sufficiens in emen- 15 dandis partibus corruptis rethorice, sed iuxta meae scientiolae parvitatem, quae ultra modum confusa videbantur studui corrigere. Non tamen plęnius, ne forte videretur simplicibus, quod cartarum confunderetur primae quo ęditae sunt ęditionis respectus. Et maxime, quia non a turbis remotus clanculo sedi solus, ut attentius insisterem quietae vacationi, sed in propatulo constitutus vix aliquantulum esse valui quietus, veluti gratia solitudinis decet hoc opus. 20 Neque enim ad hoc me idoneum satis fore perspicio, quia non in scolis eruditus poetarum neque profunditate doctus sum grammaticorum; sed ab ipsis pene cunabulis in huius scola sacri coenobii divinis sollertiis nutritus Deique lactis genitricis sapientia sum alitus fideli, ideo referre ipsi quae didici aliqua operando utilia malui. Itaque sicuti mihi a predicto abbate et reliquis iussum est religiosis senioribus, nichil ex respectu cartarum ex his quae vidi mi- 25 nui, nichilque in rerum translatione adauxi; sed uti tunc cum scriberem oculis perspexi et respectu capere veraci potui, rescribere studui, preter verborum prolixas inutilesque reciprocationes et transactas quorundam obligationes. Videlicet ne plurimis partium corruptionibus diu fatigatus et in scribendo longius immoratus, volumen efficerem tardius et fastidiosum, ineptumque ad perscrutandum et immensum. Veritate ergo rerum causarumque utilium 30 solummodo contentus, sollerti suptilique sagacitate vęracissimum absque aliqua fraude Christo propitio eiusque genitricis perpetuae virginis, cuius est causa, suffragiis adiutus, hoc perficere studui opus. Singulis etiam scedulis cartularum nomina testium inserere curavimus, sicut in autenticis scripta repperimus. Quae vero antiquissima vetustate consumpta et a vermibus perspeximus corrosa atque ad capiendum difficillima, aequo iudicio omisimus 35 intacta, nolentes nisi quae oculis clarius decernebamus vel intellectu capere veraci poteramus, huic tam męrissimo inserere opusculo. Quatinus sicut vęrissimam rerum fidelemque translationem nactus sum transducere, sic meorum certissimam a Deo omnipotente per dominae nostrae intercessionem mereor remissionem delictorum recipere, meisque parentibus perpetuam mercedem acquirere. Porro huic libro Gemniagraphum nomen imposuimus, 40 id est memoriam descriptionis terrarum, quia in eo huius coenobii terras a quocumque vel ubicumque acquisitas inseruimus, et eas ad semper memorandum in uno volumine comprehendimus. Placuit etiam nobis et Clęronomialem, id est haereditalem Pharphensis aecclesiae appellari, quoniam proprias ipsius immobiles ab initio libere demonstrat possessiones. Prescripsimus autem nomina locorum omnium, quibus singulis propria numerorum capitula 45 addidimus, et in qualibus scriptis ea invenias, sagacissime notavimus. Prius tamen omnia praecepta ac privilegia seriatim ordinavimus hoc modo: INC. PRAECIPUA PONTIFICUM PRIVILEGIA ET IMPERATORUM REGUMQUE VEL DUCUM PRAECEPTA. Privilegium domni Iohannis sexti papae de optima libertate III. Preceptum domni Transmundi ducis VIIII. Preceptum — — — — — Domni Heinrici imperatoris Berardo abbati DCCCCVIIII. DCCCCLXXX. 50 MXCVIIII. MC. INCIPIUNT CATALOGI OMNIUM ABBATUM CUM SUIS TEMPORIBUS QUIBUS PRAEFUERUNT. Laurentius igitur beatus *etc. infra edenda, fine mutila, nam exciderunt duo folia media quaternionis, in quibus continebatur finis huius catalogi, catalogus imperatorum alterque pontificum, cuius iam non superest nisi ultima pars inde a Sergio quarto usque ad Gregorium septimum ubi finit cum* 55

verbis anno d. i. MLXXXIIII. *Post haec spatio relicto vacuo, quod alio calamo postmodum supplevit variis temporibus, Gregorius subiicit quae infra proponemus:* Addidimus etiam annos Christi incarnationis cum indictionibus suis — MXCVIIII ind. VII. IN NOMINE DOMINI INC. DECRETA BEATISSIMI GREGORII PRIMI PAPAE URBIS ROMAE
5 DE MONACHORUM OPTIMA LIBERTATE SIVE SECURITATE. Quam sit necessarium monasteriorum quieti prospicere *etc. capita* 76, *excerpta ex Gregorii aliorumque pontificum epistolis, synodis, Brucardi collectione.* INC. IURA LEGALIA VENERABILIBUS LOCIS ET EORUM MINISTRIS PERTINENTIA. Iustin. regis tit. *etc. Iustiniani, Hludovici, Hlotharii, Karoli, tituli* 22, *sed plures scribere volebat, quibus in-*
10 *tegrum fere folium vacat. Sequitur:* LIBRI I CAPITULA. I. De sacramentis divinis et vasis sacris venerandis. II. S iquis contra aecclesias vel prelatos commoveatur. III. Si quis sacerdos peccaverit vel ceciderit. IIII. Si quis sacerdotibus non obedierit — — LXXXIIII. De presbiterorum morientium substantiis. LIBRI II CAPITULA. I. Ut episcopi res aecclesiarum non tribuant parentibus suis. II. Ut episcopi morientes de rebus propriis habeant potestatem
15 — — — LXXXVIII. Ut regias emunitates nemo violare presumat. LXXXVIIII. Ut regis imperiis nemo resistere presumat. XC. De aecclesiae rebus immobilibus emptis vel commutatis. *post quae media pagina vacat.* INCIPIT EPILOGUS. Igitur quoniam librum hunc volumen Clęronomiale, id est haereditale sive codicem libertatis appellari censuimus, eo quod huius sacratissimi Pharphensis coenobii proprias ab initio immobiles libere legaliterque de-
20 monstrat iure acquisitas res et possessiones: iccirco in primordio sui cunctarum Christi aecclesiarum praecipue monasteriorum optimae libertatis et quietudinis, diversorum statuta sanctorum patrum catholicorum, vęridicasque sententias orthodoxorum conciliorum, et regum vel imperatorum ratas secundum legis censuram praeceptiones sive iustas concessiones, aequa studuimus colligere ratione, ut his fundamentum vęrae firmitatis et robur optimae li-
25 bertatis ac securitatis et quietudinis, in rebus aecclesiasticis et maxime monasticis, indiciis demonstremus; quatinus sicut dignum est, omnia iura aecclesiastica quieta et inconcussa ac sine aliqua perturbatione divino cultui mancipata permaneant, et absque rei publicae sive rerum mundialium lesione exactorum ea possidere prevaleant ministri atque praelati sanctarum aecclesiarum. Praeponimus vero, qualiter erga vasa sacrata et ornamenta aecclesiastica
30 habeatur a ministris custodia, et quemadmodum Dei sacerdotibus atque clęricis a viris secularibus exhibeatur reverentia, et qui eos dehonestaverint quomodo condemnentur censura canonica. De oblationibus etiam fidelium et pecuniis aecclesiarum atque rebus earum censuras et instituta sanctorum inseruimus patrum. DECRETA. Clementis papae ad Iacobum fratrem Domini. Tribus enim gradibus commissa sunt sacramenta divinorum secretorum
35 *etc. est opus ipsum duorum librorum cuius capitula ante epilogum leguntur, ex decretis pontificum, conciliis, Bruchardo excerptum.* INCIPIUNT OMNIUM AECCLESIARUM VOCABULA DENOMINATA PER LOCA SINGULA. Aecclesia sancti Angeli in castro — In Asisio duae aecclesiae DLVIII. INC. QUORUNDAM VIRORUM INFINITAE VEL NON TERMINATAE DONATIONES QUAE EX TOTO SUNT NOBIS CONCESSAE. Res
40 Aimonis et Ansetrudae — — Arnulphi MCXXXIIII. IN N. D. INC. OMNIUM NOMINA LOCORUM PER ABECEDARIUM ORDINATA. QUIBUS ADDIDIMUS SINGULA CAPITULA ET NUMEROS CARTULARUM, UT EA HIS INVENTIS REPPERIAS. Antianus XLIIII. XLV. — — maternae Quinzano CCCCXXI. *Hac igitur forma terminatum librum Gregorius per viginti annos intactum reliquit usque ad annum* 1119. *Hoc fere anno ca-*
45 *lamum resumens, in eadem qua illum deposuerat pagina post n.* 1160 *tremebunda manu haec exaravit:* Actenus Christo domino propitio eiusque integerrimae genitricis ac dominae nostrae Mariae fretus auxilio, propriis manibus ego Gregorius infimus monachorum omnium hoc maximum fideliter studui perficere opusculum. Iam dehinc non nimio lassus senio, sed oculorum gravatus caligine, per alium dignae indolis confratrem iu-
50 venem, Todinum nomine, consanguineum meum utique a cunabulis pene suis in huius scola coenobii enutritum sagaciter, nisus sum exercere promptissime; ita sane, ut amodo non minus hoc opus sana recipiatur fide exaratum, cum duorum aeque fidelium studio perfectum fuerit denotatum. Verum hoc nutu credimus divino evenisse, ut et alterius fidelis in hoc opere laborantis accrescat digna merces in celis. *Tunc eodem calamo pergens n.* 1161

vitam Beraldi abbatis narrare coepit, sed post paucas lineas cessavit. Abhinc sequitur Todinus. Is non iam numeros singulis chartis apponit, id quod Gregorius fecerat, sed litteras alphabeti, numeros binis binisque paginis oppositis superscribens. Primo ponit sexaginta tres chartas annorum 1037—1119, *temporum ordine non servato. Alio deinde tempore in novo quaternione LIIII supplet decem chartas saeculi octavi, easdem quas Gregorius in Chronica loco plane alieno pag.* 439 *ed. Mur. suppleverat hoc titulo „quas in suo ordine iccirco minime potuimus referre, quia tunc in promptu non habebamus." His subiicit alias multas saeculi decimi et undecimi, ordine nullo, quarum ultima est Heinrici imperatoris de a.* 1118. *Tunc novo calamo in n.* 1225 Prudentium sane *alteram Beraldi vitam transscripsit ex Chronica, in qua Gregorius eam circa a.* 1119 *inchoarat, sed neque ibi terminarat, neque in Registro terminavit; nam ea subito abrupta, n.* 1226 *transit ad historiam a.* 1119—1125 *enarrandam, in qua desinit codex, ultimo folio iam dudum truncatus; in ea vero quae iam ultima est pagina atramentum adeo evanuit, ut complura iam non potuerint legi. Haec ultima utrum Todinum habeant auctorem an Gregorium, non quidem certum est; sed equidem credo Gregorium. — Ex praestantissimo hoc chartulario multas chartas ediderunt Mabillon, Muratori, Galletti, Fatteschi, Fontanini; at longe plures lucem nondum viderunt. Apographum olim extabat apud Sanctum Paulum in via Ostiensi; alterum Fatteschii est in bibliotheca Sessoriana n.* 218. 219*; sed ibi multae chartae omittuntur; tertium Gallettii manu factum servatur inter Vaticanos n.* 7854—7866.

Alio postmodum abbate Beraldo iubente, Gregorius alterum etiam condidit volumen eidemque a. 1107 *obtulit, quem librum Emphiteuseos seu Largitorium sive Notarium appellavit. Extat is adhuc in archivo Farfensi, forma paullo minore quam Cleronomialis, Gregorii ipsius manu continua exaratus optimeque conservatus, qui ita incipit:* IN CHRISTI NOMINE INCIPIT PROLOGUS LIBRI EMPHITEUSEOS TERRARUM MONASTERII PHARPHENSIS. *Gloriosissimo semperque venerando magnificentissimo patri et prae omnibus amantissimo pastori Christique vices gerenti domno et abbati* BERALDO *infimus cunctorum et utinam extremus omnium monachorum Gregorius perhennis sublimitatem doxae et dive divinitatis eternae.* Quod vos gratissimos benevolosque ob prioris . . t . . . . . operis cartularum opti . . . . , hoc pernimium congaudens, immensas omnipotenti Deo omnium largitori bonorum gratias referre vestraeque almi . . . . fationi excellentiae perpetuae incolumitatis sospitatem optare non desino. Ad laudem igitur Dei omnipotentis et eius integerrimae genitricis Mariae pariter decus honoris a vestra exortatus simulque iussus benigne paternitate, et illud primum perficere vestris temporibus et hoc explere maxime exopto opus alterum. Licet vero ego extimus clericorum hoc magnum opus p . . . aserim, non mearum tamen virium robore perseverare, nec etiam scientiola propria quam parvissimam cerno . . . . gere spero; sed vobis qui iussistis impendentibus mihi condignum utileque suffragium, vestroque con . . . . . o auctus adminiculo Iesu Christi me confido perficere . . . . largifluo. Nec mei nominis famam, sed vestrae paternitatis laudabilem in futurum memoriam fore censeo. In acie enim virorum bellantium quotiens victoria hostium adipiscitur licet quamvis milite capiatur, tamen principi ducique cohortis vincentis triumphus solite ascribitur; sed non decus victoriae triumphator amittit, nec famam victor digne recordationis perdit — — At his itaque fidelissimis illatis sententiis, humillime ac oportune nunc suggerimus vobis, precellentissime pastor, ut per vos solos huic sacrae domui potentissime prae aliis a Deo concessa valde necessaria restauratio et in statum perfectum liberrima reductio non negligatur, ne forte in futurum a posteris nomen vestrum ob incuriam blasphemetur, et quod nunc vos facillime potestis auxilio Dei omnipotentis, cum vestri successores efficere nequiverint, vestra nobilissima sollertia ab hominibus culpetur, vel potius ab aequissimo et immortali iudice in tremendo examine potenter commissum talentum di-

strictius exigatur, vel gregis vobis a summo pastore crediti detrimenta animarum, fortasse
occasionem habentis quarumcumque necessitatum, de manibus vestris requirantur, aut sen-
tentia pertimescenda nimis illata infructuosae arbori, uti negligentibus et desidiosis inutiliter-
que et haud dignius locum occupantibus datur, etiam a vobis debite timeatur. Nos quoque
5 divina instigante potentia simulque miserante clementia, ob cunctorum continentiam evasio-
nemque vitiorum, et meae atque omnium consanguineorum salutem animarum, opus istud
cartularum assumpsimus et ad perfectum in nomine Domini deducere curavimus, scientes,
quia non qui coepit sed qui usque in finem perseveraverit, hic salvus erit. Denique primum
huius magni operis librum stilo ędere veraci studuimus, quem Clęronomialem id est hęredi-
10 talem appellare curavimus; in quo Deum testantes confitemur, nichil nos mendacii in rerum
translatione, nichil dubietatis in cartarum transscriptione nichilque superfluitatis in causa-
rum dimensione sive quantitate aut qualitate addidisse, nec omnimodis minuisse, preter quod
sillabarum sive partium litteraturas omnino corruptas aliquantulum transferentes correxi-
mus, prolixitates etiam verborum caventes, rethorice contractus chartam emendavimus. De-
15 mum hunc alterum librum Largitorium vel Notarium appellari censuimus, eo quod res no-
stri monasterii notet ab eius rectoribus possessas vel alicui petenti legaliter sive usualiter
largitas. Per quod videlicet secundi operis volumen non minus bonorum possessionem ius
legaliter et auctorialiter defendi potest quam per prioris opus cartularum, in quo dumtaxat
acquisitiones inveniuntur rerum vel confirmationes temporalium potestatum. Nam nemo
20 plenius largitur, nisi qui prius certius possidere videtur. Ergo res primo corporali ędita tra-
ditione acquisitae, et postmodum cuilibet aecclesiastico more largitae, firmius certiusque de-
fendi possunt aequissima ratione, quia liberius ostendunt ipsarum rerum dominum possesso-
rem, per eam quam alicui tribuit largitionem. In quo etiam libro indictiones cuiuscumque
temporis et vocabula virorum res ipsas petentium, abbatumque largientium, pretium quoque
25 emptionis poenamque obligationis, nomina testium iudicumque notantium, sive quantitates
rerum conventarum prenotavimus, ut non fictas vel apocrifas translationes, sed vęrissimas
certissimasque et absque aliquo scrupulo dubietatis, qui velit intueri cerneret cartularum sin-
gulas autenticarum renovationes. Quae omnia iuxta abbatum catalogum sive eorum succes-
siones temporum ordinantes descripsimus; quarum etiam vocabula rerum sive terrarum aut
30 locorum, ceu in alio priori libro, alphabetice ad citissime inveniendum inseruimus. Unde o
benignissime pastor, in utroque amantissime abba, opus hoc qui et iussisti et copiam agendi
prae aliis operanti dedisti, fidentius credo ex hoc vos magis bravium perfectionis percipere,
quo in hoc perficiendo opere utillime cerno vos benivolos ac benignos existere. Quamvis
enim alii iubendo tantum vel potius patiendo inchoarunt, nequaquam tamen adipisci pre-
35 mium meruerunt, quoniam in operantis beneficientia omnimodis defecerunt, et velut super-
fluum in omnibus sibi habuerunt. Illorum denique in me benignitatem nec in modico per-
sensi, quia nequaquam operis oportunitatem, nequaquam meae concesserunt parvitati ne-
cessitatem. Opus enim initio solummodo iusserunt, sed sumptus minime perficiendi dederunt.
Verumtamen erga me benivoli favoraliter opus diligentes istud extiterunt. Enimvero in mihi
40 proficiendo iccirco neglexerunt, quia prima et magna parvipenderunt, et minora sive viliora
prae maximis habuerunt. Quod vos minime in hoc facere cerno, quoniam huius matris et
dominae nostrae Deique genitricis, quae nos a pubertate aluit, ex quo prelationis domus re-
gimen percepisti, ab omnibus prout valuisti viriliter protectus auxilio Christi exemisti, et in
nullo quieti corporis tui pepercisti. Nec mirum; iccirco enim vos suae huic domui in utro-
45 que excellenter preposuit, ceu, o pretiosissime pater, etiam vos recordari potestis, ut sicut
quodam ex nostris per somnii visum vidente, beatus Christi confessor Euticius per bone memo-
riae avum tuum Adam vobis transmisit precepti legationem, ut ydola dextruas lucosque suc-
cendas; scilicet quaeque intus, quo sunt ydola, vel extra, quo luci id est silvae consistunt, ab
hac domo nociva confundas et obumbrantia absumas. Quod hactenus adimpletum Christo
50 propitio annuente ac perficiente certissime cernimus, et ut magis ac magis in posterum per
vos longo perficiatur tempore, omnimodis beatae semper virginis suffragium postulantes
optamus. Interea vestram, excellentissime pater, almitatem cum omnium fratrum sive se-
niorum sanctitate obnixis peto precibus et immensis flagito supplicationibus, quatinus mihi
infelici huic operi insistenti et cottidie peccanti maximisque offensis et plurimis negligentiis
55 assidue delinquenti, iamque ternos ac bis vicenos non minus ni fallor annos aevi gerenti,
Christi clementissimi pietas subveniat in omnibus, vestris sanctissimis assiduisque depre-

cationibus, ut hoc suae integerrimae genitricis domui nimis utillimum opus digne fideliterque perficere valeam, atque ex omnibus quandoque erutus incommodis, ceterorum deinceps vitiorum cautelam perfectamque emendationem et omnium delictorum plenissimam percipiam remissionem, et ex hoc ad ultimum vitae mereor adipisci premium caeleste. Quod ut optinere valeamus, Ihesus Christus dominus noster eiusdem perpetuae virginis unicus filius precibus sacratissimis complacatus nobis auxiliare dignetur, qui cum aeterno Deo Patre ac Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen. EXPL. PROLOGUS. INCIPIUNT CAPITULA SIVE TERRARUM VOCABULA IN HOC VOLUMINE CONTINENTIA ALPHABETICE DISPOSITA PROPRIISQUE APPOSITIS INVENIENDA NUMERIS FOLIA PER SINGULA. Cum autem prudens exquisitor — amen. IN CHRISTI DEI OMNIPOTENTIS NOM. INC. INPRIMIS VOC. AECCLESIARUM QUAE IN HOC VOL. CONTINENTUR. Sancti Abundii — in campo XLI D. ITEM VOC. TERRARUM. Abbatini — — CCCXVIII B. *Haec omnia in duobus quaternionibus non signatis Gregorius operi iam terminato praefixit, quum illud Beraldo offerret. Opus ipsum in quaternione signato* ꝗI *incipit:* IN NOMINE DOMINI INC. CATALOGUS ABBATUM HUIUS MONASTERII. Laurentius *etc. quem catalogum infra dabimus. Sequuntur chartae emphiteuseon sive largitionum, ordine chronologico, ab anno* 792 *incipientes sub abbate Mauroaldo qui primus inter abbates Farfenses largitiones fecit; primo integrae, ab anno fere* 936 *excerptae tantum, usque ad a.* 1107, *quo liber Beraldo oblatus fuit. Ita mansit intactus usque ad a.* 1125. *Tunc Gregorius eum per manum Todini in septem quaternionibus membranarum rescriptarum usque ad a.* 1125 *continuavit, deinde omissas quasdam antiquiores supplere fecit; quibus alia manus chartas aliquot annorum* 1152—1177 *in quaternione ultimo assuto subiecit. Ex immensa hac locationum mole novem tantummodo ediderunt Galletti atque Fatteschi; reliquae ineditae perscrutatorem suum adhuc expectant. Apographum a Gallettio factum extat inter Vaticanos n.* 7867 *et* 7868.

Tertium Gregorii opus est liber Chronicae, *post a.* 1105 *inchoatus et ante a.* 1119 *Beraldo abbati oblatus. Extat in archivo Farfensi, forma inter Registrum et Largitorium media, Gregorii et Todini manibus vario tempore exaratus atque continuatus. Quaterniones non signati; primus operi iam terminato postea demum praefixus a Gregorio, continet catalogos duos, imperatorum usque ad Heinricum quartum, dein pontificum iam cum Benedicto VII desinentum fine deperdito, quos edidit Muratori SS. II*[b], 299. *Secundus quaternio, et ipse libro iam completo praepositus, hanc continet praefationem ad abbatem Beraldum:* Excellentissimo magnisque honoribus Dei nutu accumulato patri reverentissimo domno et abbati B. cunctisque senioribus Pharphensis sanctissimi conventus, infimus omnium et cunctorum utinam monachorum ultimus G. quicquid in hoc aevo sublimius et in Christo felicius. Nosse vos credo, reverentissimi patres, quoniam dominus noster Ihesus benignissimo nos edocet exemplo patris caelestis caelestia simul ac terrena moderantis, ut simus perfecti — — Haec igitur omnia ideo commemoramus, ut nullus se tam pauperculum fateatur, ut quod Deo offerre debeat non habeat munus. Regnum enim Dei tanti valet, quantum quis habet. A divitibus namque omnibus relictis emitur, voluntate tamen bona a pauperrimis acquiritur; hac enim nichil Deo offertur ditius. His nos instructi institutionibus divinis, satagamus fideliter, prout cuique donatur, in Dei ecclesia fructum offerre utilitatis, ne talentum gratis nobis a Domino concessum in terra abscondamus, et ex hoc velut inutilis servus condemnemur et in tenebras exteriores mittamur; sed donec dies est et alitus in nobis, nostrae utillima saluti attentius operemur, ut in extremo velut fidelis servus ad Domini vocem gaudeamus, et aeternae fructum remunerationis percipere mereamur. Quibus dictis sanctioribus roboratus ego infimus omnium et infelix, vestra, pater venerabilis, sublimi caritudine et quorundam precipuorum seniorum admonitionibus cohortatus, semper gliscens secundum datam mihi a Deo gratis scientiolam aliquem offerre fructum utilitatis in ecclesia, ad augmentum bonorum huius sacri cenobii vestramque aedificationem, domini

mei reverentissimi, hoc tertium assumpsi cartularum opus laboris. Quod quia Christo do-
mino adiuvante, eius optentu integerrimae genitricis, in duobus iam aliis expletis volumini-
bus magnis usitatissimum habemus, ideo nunc breviatim deflorare curamus, ut et ad legen-
dum levissimum et ad audiendum laborem plenissimum exercere valeamus. Omne quippe
5 opus vel ars quanto magis frequentatur, tanto amplius indagatur et perfectius operatur. Sic
enim ager sarculis vel rastris aliisque utillimis obsequiis cultus, purum et absque zizaniis
profert fructum. Scriptura quoque sanctorum patrum nobis emissa priscorum si sepius ru-
minetur, magnae semper utilitatis clariorque sensus in eis invenitur. Quanto enim plus eas
investigamus, tanto magis velut discretam frumenti medullam vinique óptimam in eis me-
10 râcam reperiemus. Quapropter et nos de priori cartarum magno et sequenti breviori libello
hoc tertium studuimus opus efficere brevissimum. In quo etiam aurificum peritorum mores
imitati sumus, qui aurum vel argentum igni multoties satagunt purgare, ut opus splendidis-
simum exinde valeant perpetrare. Enimvero tamquam vina quae faecibus ablatis mera sua-
viora fundunt, et in altero nitidiori vase recondita, potantibus nectaream dulcedinem red-
15 dunt: ita hunc cartularum tertium librum studuimus breviare, et de ampliori fonte in bre-
viori locello aquam laboravimus puriorem transferre, ut lectus et relectus sine tedio hic liber
et frequentius, magnam sollertiam utillimamque cautelam praebere valeat eo utentibus, et
notitiam bonorum omnium huius monasterii administret presentibus posterisque rectoribus,
fastidio magnae remoto rei studioque adhibito perfectae utilitatis. In hoc enim invenientur
20 antiquissima novaque et verissima huius monasterii libertas, propria iura, defensio summa,
custodia utentibus recta. Refert enim brachico veracique stilo cuiuscumque abbatis singulas
acquisitiones, iniquas largitiones, detestabiles dispositiones, etiam quorumcumque hominum
iniustas invasiones et impias direptiones. In quibus omnibus numquam me fallere studiose,
nec in aliquo apponere aliquid vel minuere, nec a vero aliorsus scribere promitto, teste
25 omnipotente Deo eiusque tremendo iudicio, nisi quae aequissima ratione scriptoque vera-
cissima per omnia fuisse, sano intellectu capere potero, salva semper huius monasterii li-
bertate antiqua vel consueta, a pontificibus sive regibus et imperatoribus largita. Nec men-
dacium in hoc sive falsitatem laborare debeo, quoniam exinde nil mercis temporalis debitum
exigo, nullumque premii munus terreni recipere habeo. Quippe qui sepissime etiam in re-
30 bus mihi concessis et necessariis penurias ultra modum patior, cur gratis mendacium quod
ex diabolo est mihique non lucrandum agere debeo? Scribam sane prout certius nosse sive
posse potero, huic sacro cenobio vel iure vel iuste vel legaliter vel consuete pertinentes vel
pertinendas haereditates, aut ei a quovis potentissime concessas per omnia libertates. Alte-
rius bona sive ius ecclesiae aut cuiuscumque hominis scienter numquam fraudabo, neque
35 quod iniquum vel perversum videro huius monasterii aliquando fuisse, fraudulenter ascribere
conabor. Foret enim impium et detestabile apud Dominum, tanquam crimen sacrilegii pes-
simum et paene homicidii dignissimum .... Quoniam istud opus maxime huic sacro ce-
nobio cerno proficuum, iccirco vestrae serenitati vestrisque temporibus illud exercere Do-
mino adiuvante desidero attentius. Cum quo etiam opere fidelia obsequia vestro honori
40 conferre studeo, et non adulationis nec verba inania, non levitatem pulveris vel ventuosi
faminis, sed cordis purissimi sinceritatem, non solum transeuntis, sed potius munus operis
aeterni vobis ministrare satago. Quapropter, o venerabilis pater, non vobis videnda sunt
grandia vel superflua cibi vel potus aut indumenti mei regimina; nec patiamini obsecro, cęu
hactenus ultra modum me sufferre mei habitus vilitatem; neque erga me negligentes sitis,
45 sicut vestri antecessores. Quoniam ut verum in Christo fatear, quidam eorum maligni mihi
extiterunt gratis, et sumptus necessarios meae parvitati et in libro scribendo minime dede-
runt. Unde Deo teste recte profiteri valeo, illum priorem et maiorem librum me non fecisse
de huius monasterii substantiis vel adminiculo cuiuscumque praelati, sed de manuum mea-
rum laboribus, et a quibuscumque acquisitis extraneis, non tamen publicis. Hoc vero opus
50 vestrae beatitudini erit perennis moemoria, honoris sublimitas, remuneratio perpetua, si
tamen in eo fuerit vestre sollicitudinis indeficiens sagacitas et largitio oportuna. Ad quod
exercendum, si ego segnis in aliquo a vobis forte viderer, deberetis certe ne deficerem omni
studio curare; multo magis vero cum per omnia sollicitum me cernere potestis, tribuere
mihi vel operi huic commoda negligere debetis? Numquid nam cuilibet militi omnia arma-
55 menta etiam pedum ultima extremaque ligamina et equum tribuitis faleratum ad victoriam
temporalem exercendam, et non multo post forte oppressuro ab hoste seu quandoque revin-

cendo, et aggredi bella continuo defectura insistitis? Haec omnia magna et amabilia sunt huic seculo, sed Christi inopibus impossibilia et maxime despicabilia. At quia ad hominum plausus et temporale commodum agere conamini, et iuxta quod vulgo proverbiatur, *cuncta volentia sunt levia et omnia nolentia gravia*, labore facili perquiritis, et honorificentissime non tantum et annualiter, sed etiam sepissime perficitis ac sollemniter, plus quam vestri antecessores et incliti comites etiam subliniores potestates vobisque proximiores, ita ut hodie cunctis viventibus longe quoque manentibus sitis notiores. Quae iccirco putatur a plurimis sollicitiori vos exercere sagacitate, quia temporalia solummodo diligentibus magis favere videmini, ac de eternis et amplius proficuis vobis rebus nullus vestrorum famulorum nec fidelium, immo nec aliquis confratrum, forsitan audet vobis utilissimam facere suggestionem. Omnes enim temporaliter et ad suum questum vos videntur diligere, et quoquo modo sibi libita vobis festinant rapere; nec animae suae parcunt, nec super vobis de crastino cogitare cernuntur, sed donec hodie valent; ita ut vos ad nihilum deducere festinent, et quatenus defectuose vivatis et cogitare de crastino minime valeatis, instant adulationibus; nec deficiunt in postulandis rebus. Obliviscuntur a vobis accepta, et dolent se perdidisse aliquantulum dilata. Quia igitur his maximis aliisque actibus insudatis, ideo a plurimis nobilibus viris penes vos pessimum et detestabile odium contra vos generatis, dum ipsi tam magna nec norunt nec valent militibus suis libere prebere munera memoranda .... Sed iam ne diu loquendo vestram serenitatem gravemus, a prolixa locutione fideliter exhibita sileamus. Hoc ad ultimum suggerimus, ne nostram scientiolam parvipendatis; sed sic agat erga me vestra dignatio, ut numquam vacet in me cuiuscumque utilitatis operatio. Enimvero donec vixero, adiuvante Dei omnipotentis eiusque gloriosae matris ac dominae nostrae suffragio, non erit segnis nec inutilis scientiola meae parvitatis a Deo mihi concessa gratis ad semper augenda huius monasterii utiliore vestroque honori decentiora. Opto autem vos devotissime operari sollicite ac discrete, ut in nobis et pro nobis ac de nobis et temporaliter gaudeatis, et uti bonus ac sollicitus pastor dignos fructus remunerationis una cum ovibus fidelibus aeternaliter capiatis. Amen. *In ultimis huius quaternionis paginis vacantibus postmodum Gregorius ipse supplevit sermonem de sancto Laurentio* In illo tempore — amen, *qui apud Muratorium minus recte initium chronicae efficit. Haec enim incipit demum cum tertio quaternione titulo nullo, sed littera initiali maxima, florum ornamentis distincta:* Sanctorum tempora *etc. Gregorius hunc librum eo fine condidit, ut origo iurium libertatum et bonorum monasterii succincta narratione facilius quam ex maioribus duobus voluminibus perspiceretur, omnibusque fieret quam notissimus, ne ex ignorantia harum rerum monasterium detrimentum caperet. Hinc longe maior pars totius operis in chartarum summa exponenda versatur; multas tamen, maxime privilegia, iterum proponit integras, sed pro scopo suo minus accurate quam in Registro, id quod praesertim in imperialibus bene advertendum. Neque temporum ordinem ubique servat; loco plane alieno supplet quae antea non habuerat, ut p.* 439 c. *ed. Murat.* 417 d. 449 c. 547 b. *unde opus non raro farrago potius videtur quam liber bene digestus. Introductio superstructa est sermoni de sancto Laurentio, cui adiunxit quaedam ex praefatione Constructionis, ex gestis sanctorum Euticii et Isaac, disquisitionem de tempore Laurentii ex Orosio atque Isidoro compilatam, et appendicem de episcopatu Laurentii: eum maxime in finem prolata omnia, ut immunitatem monasterii Farfensis inde a prima iam fundatione probaret, a parte curiae semper impeditam. Vitam Thomae primi abbatis ad verbum excepit ex libro Constructionis, de suo addens digressionem de monasterio Vulturnensi Farfensibus primum subiecto et postea iniuste subtracto, canonum locis allatis suffultam. Sequentium tredecim abbatum vitas ex eadem Constructione transscripsit, additiones non faciens nisi tres, quas supra iam proposuimus. Pertonis Iohannis Anselmi Teutonis Nordperti Spentonis Vitalis nil nisi nomina affert, plane ut in Registro fecerat. Inde a Petro Hugonis Destructionem in opus suum recepit integram,*

cui inserit locum ex Liutprando petitum pag. 415 e, *et ex thesauro chartarum indiculum possessionum monasterio iam subtractarum p.* 418, *indiculum servorum monasterii p.* 428, *supplementum chartarum superius omissarum p.* 439 —454. *Proprio Marte ingredi coepit demum post Hugonem, ubi nullum iam*
5 *habebat quem exciperet, scilicet in Guidone I, II, Suppone, Almerico. Inde a Berardo I autem ad verbum ea transscripsit, quae iam in Registro narraverat, pauca hic illic addens, alia omittens, usque ad electionem Beraldi, in qua in Registro calamum deposuerat. In Chronica vero Beraldi historiam producit usque ad a.* 1105 *cum amplissima digressione de iuribus atque possessionibus*
10 *monasteriorum contra arrogationes Romanae curiae directa eodem sensu, quo totam chronicam condidit et canonum excerpta iam Registro praefixerat. Inde a Berardo I etiam, quum priora omnia calamo fere continuo exarasset ipse Gregorius, iam non raro alteri scribenda tradidit nunc pauca, nunc plura, alternando ipse calamum nunc resumens nunc alteri tradens, usque dum cum*
15 *medio a.* 1105 *in penultimo quaternionis folio opus absolvit et praefatione praemissa Beraldo abbati obtulit. — Hoc in statu liber Chronicae intactus remansit usque ad Beraldi obitum a.* 1119. *Tunc Gregorius in ultimo quod vacuum reliquerat codicis folio inchoavit continuationem* „Prudentium sane virorum *etc. apud Murat.* 653 d — 676 b, *cuius primam paginam ipse exaravit, deinde alteri*
20 *illi amanuensi calamum tradidit, tunc ipse recepit. Sed in hac continuatione Beraldi vitam inchoavit tantum, non perfecit, et post chartas aliquot anni* 1006 *satis abrupte cum privilegio Heinriciano anni* 1118 *librum terminavit. — Apographa recentiora Chronicae extant in bibliotheca Vallicelliana I,* 35. *Barberina XXXIII,* 19. *Patavina n.* 272. *Middlehilliana. Editionem unam tantum habe-*
25 *mus Muratorii SS. II*[b] *ex apographo Eustachii Caraccioli factam. Ante eum excerpta tantum dederat Duchesne SS. Franc. III,* 650.

Quartus Gregorii liber **Floriger** *compositus fuit ab eo aetate septuaginta vel paullo plus annorum, itaque circa a.* 1132. *Extat et is in archivo Farfensi, forma paullo minore quam Largitorius et Chronica, in triginta qua-*
30 *ternionibus signatis calamo uno continuo exaratus beneque conservatus; qui ita incipit:* IN CHRISTI DEI OMNIPOTENTIS NOMINE INCIPIT PROLOGUS LIBRI FLORIGERI CARTARUM GLORIOSISSIMAE MARIAE DOMINAE NOSTRAE SEMPER VIRGINIS HUIUS PHARPHENSIS COENOBII. Expletis igitur huius magni operis renovatarum cartarum aecclesiae istius beatissimae semper virginis Mariae Dei genitricis nostraeque gloriosissi-
35 mae dominae tribus voluminibus, quos domino Christo omnipotentis Dei filio in nostrae aevo iuventutis, cum essemus annorum aetatis ..... XXXII, incepimus: dehinc alium libellum, videlicet quartum, Christo domino iuvante inchoare desideramus, in graviori iam aevo Christo miserante qui sumus, videlicet 70 vel paulo plus annorum; in qua aetate omnis levitas vel falsitas locum habere nec convenit nec condecet. Liber autem iste licet minor
40 omnium priorum, erit tamen per omnia utillimus trium. Et quoniam in aliis me recolo spopondisse, nil falsum nil mendacium nichilque damnandum in rerum translatione addidisse vel mutasse, exceptis partibus pernimium corruptis rethoricę iuxta meae scientiolam parvitatis compositis: quod Deum omnipotentem eiusque angelos testes invoco per omnia me observasse confiteor. Salva ergo huius sanctae aecclesiae antiquissima libertate, rerum omni-
45 um studuimus transferre veritatem et quarumcumque causarum concessionem. Verum non in hoc quarto volumine magis magisque id observare me promitto, ut more quattuor euangeliorum voluminum hi libri quattuor in nullo a veritate devient nec discordare videantur. Si enim in aliis libris cum iuvenis essem transtuli veritatem, multo amplius nunc iam veteranus id ipsum me conservare corde et animo me constituere debeo, quia omne menda-
50 cium ex diabolo est, dominus autem Christus via veritas et vita. In quo etiam libello aliquid de beatissimi Laurentii patris nostri tempore verius hic indagatum quam in aliis libris inse-

ruimus; et huius monasterii plenissimam libertatem a summis pontificibus et christianissimis catholicisque imperatoribus et regibus legaliter concessam et semper in preteritis temporibus custoditam et defensatam et in multis placitis evindicatam ostendimus; sed et aliarum rerum possessiones a nobis nostrisque antecessoribus habitae, de quibus aliqua controversia vel litis intentio aliquando evenit, quomodo legali iudicio sint terminatae, veraci relatione rescribere et annotare curamus. Pro quibus omnibus precibus sanctissimae dominae nostrae Mariae et omnium sanctorum quorum in hoc sacratissimo loco beatae reliquiae habentur vel sancta patrocinia veneramur, ab omnipotente Domino cunctorum veniam delictorum et dignam remunerationem in seculo venturo ut adipisci mereamur, suppliciter obsecramus. Omnes etiam haec legentes vel audientes rogamus, ut vestris piis intercessionibus nos adiuvetis, quatinus quod flagitamus optinere a Christo domino piissime valeamus. His autem fideliter premissis, quod de temporibus sanctissimi patris nostri Laurentii in gestis beati Euticii et Ysaac aliorumque sanctorum, qui eius collegae fuerunt repperimus, stilo iam veraci proferamus. Denique temporibus Iuliani imperatoris *etc. ex gestis sanctorum, cum ampla de tempore beati Laurentii disquisitione, ex Isidoro Orosio Paulo Diacono ut ipse dicit hausta. Tunc* INC. AUCTORITATES APOSTOLICAE INSTITUTIONIS. Iohannes itaque papa sextus — custodit. ITEM AUCTORITATES REGALIUM PRECEPTORUM Liutprandus autem rex L. confirmavit *etc. privilegia nunc fusius nunc brevius excerpta, quorum ultimum est Heinrici quinti regis.* QUOD DECRETA PRIVILEGIORUM ECCLESIASTICORUM PERPETUO CONSERVENTUR. En Christo Domino propitio *etc. ex decretis pontificum excerpta.* DE LEGALIBUS ET IMPERIALIBUS PRECEPTIS. Iam vero et de preceptis regum vel imperatorum rationem proferamus, et an valeant aecclesiis concessa post transitum eorum, perspicue videamus. Imperator quippe Constantinus — — quoniam si, hoc ut supra relatum est, ethnici et gentiles suorum predecessorum constitutiones minime infregerunt, multo magis nos christiani bene ordinata et causa misericordiae largita destruere non debemus, ne illud apostoli dictum incidamus „Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit“. Qui vero recta bene ordinata destruere nititur, iurgia et scandala quaerere cernitur, ideoque contra eum angelus crudelis mittitur. Bruchardus libro undecimo: „Si quis potestati regiae, quae non est iuxta apostolum nisi a Deo — — punientur ultione. IN NOMINE DOMINI INC. CAPITULATIO VOCABULORUM ECCLESIARUM VEL QUARUNDAM RERUM HUIC MON. IURE PERTINENTIUM quae in hoc libello continentur — — Quicquid de unoquoque vocabuli loco sparsim per ipsum habetur abecedarium, et una et insimul hic coadunare curavimus, ut rationem vel diffinitionem de singulis quocunque factam tempore cum oportuerit ostendamus *etc. est repertorium alphabeticum ad magnum Registrum, sed in quo praeter numeros Registri non raro etiam summa rei maximeque fines fundorum nunc brevius nunc fusius exponuntur; quare hic liber et per se multam utilitatem habet. Unicus qui ex eo quaedam protulit, fuit Galetti.*

Quintus Gregorii, ni fallor, liber est Orthodoxa defensio imperialis, de investitura, scripta nomine congregationis Farfensis sub Heinrico imperatore. Quae quamvis in unico quem vidi saeculi XV codice nomen auctoris non praeferat, animus tamen, sententiae, argumentatio, sermo, tota denique indoles eiusmodi sunt, ut vix possit ab alio esse composita atque a nostro Gregorio. Hanc alio loco dabimus. Iam vero ex Registro et ex Chronica ea proponimus excerpta omnia, quae ipsius sunt Gregorii, omissis quae tum ex chartis contraxit, tum ex Constructione atque Hugonis Destructione excepit. Capitum numeros de nostro adiecimus; in Chronica non habentur.

1.[a] Sanctorum tempora patrum sive gesta virorum — — possidebit vitam aeternam.

2.[b] Per idem autem tempus Iohannes papa prefatus pro sua nequitia expulsus fugiit ad partes Campaniae, ibique in silvis et montibus latitabat more bestiae. Tunc Otto imperator

a) *initium Chronicae, pag.* 321 *Murat.; in Registro non est.* b) *Chron. pag.* 475, *a Gregorio in spatio vacuo postea suppleta; in Reg. haec non sunt.*

Romam venit, quem omnes Romani consensu cleri rogaverunt, ut Leonem protoscriniarium eis eligeret papamque constitueret, quod et factum est, qui sedit anno uno et mensibus tribus. Quo vivente, inique consiliati sunt Romani, ut sceleratum Iohannem reducerent et domnum Leonem abicerent. Facta est autem fames magna in tota urbe. Exiens vero inde domnus Leo in partibus Spoletanis ad imperatorem venit, qui statim militibus armatis, contra Romanos maximas insidias paravit. Romanorum autem nuntii ad eum in Reatina civitate venerunt, mortemque Iohannis intimantes, Benedictum ei diaconum petierunt, sed minime optinere valuerunt. Revertentes autem legati, eundem elegerunt Benedictum sine consensu imperatoris, unde imperator magis in iram exarsit, et civitatem undique giravit et in tantam penuriam adduxit, ut modius furfuris venderetur triginta denariis. Coangustati vero Romani, innocentem Benedictum imperatori tradiderunt, et domnum Leonem papam coacti receperunt, spondentes ei et domno imperatori super corpus beati apostoli Petri. Dimisit autem eis, quanta et qualia mala perpessus est ab illis.

963. Nov. — 964. Mai.

3.[a] Tricesimus secundus huius venerabilis monasterii pastor extitit domnus HUGO. Huius in hanc abbatiam per apostolicam praeceptionem iniquus quidem fuit ingressus, sed postmodum digne per Ottonem correctus imperatorem, istius monasterii in utroque recuperator et restaurator fore studuit ipse gloriosus. (998.)

4[b] Tricesimus tertius nempe extitit in hoc sancto cenobio abbas GUIDO, nepos scilicet domni Hugonis. (1009.)

5.[c] Tricesimus quartus in huius sacri coenobii regimine extitit a fratribus venerabilis GUIDO presbiter electus, qui non de sublimibus, sed de parentibus fuerat humilibus. (1027 in.) Cum vero cerneret se non posse huius praelationis decenter portare onus, obnixis precibus rogavit fratres, ut sibi utiliorem prae se eligerent pastorem; quod vix potuit optinere. Denique hoc a regimine seposito, quendam Bonifacium Dei servum eligere maluerunt Et ipse quidem in non nocuis studiis maxime assuetus, gravissimum sibi fore videbatur, si in tam sublimi regimine seculariter occuparetur. Itaque rennuebat omni nisu preesse. Sed cum fratres non ei acquiescerent, cepit in tantum prelationem spernere, ut virgae regiminis quam manu gestabat altiora ad terram trahens regiraret, et ima eius ad sublimia exaltaret. Quod fratres intuentes, coacti sunt illi in hoc quod petierat assensum prebere. Remoto autem et hoc ab ipsa electione, elegerunt venerabilem SUPPONEM, qui nobilis seculari prosapia et doctus videbatur doctrina aecclesiastica. (1039.) Prelatus vero electione fratrum, ad imperatorem mox pro abbatia dirigit huius monasterii legatos Quod factum moleste accepit imperator Heinricus, et quia imperiali se presentare vultui electus neglexit, eius electionem sprevit. Erat forte tunc in curia quidam abbas monasterii sancti Petri ad Coelum aureum[1]. Huic innuit imperator, ut sibi utillimum offerret ex suo coenobio monachum, quem ad egregiam imperii sui abbatiam dirigeret in Romanis partibus; statimque presentavit ei domnum Almericum, litteris optime eruditum et aecclesiasticis doctrinis magnifice imbutum, qui etiam eundem imperatorem liberales apices studuerat edocere. Continuo laetus imperator, de hac illum abbatia investivit, et cum huius monasterii legatis, illic qui aderant, et imperialibus missis, huc honorifice dirigere curavit. Cui praefatus Suppo nuper electus locum regiminis cedens, et ipse desivit preesse.

6.[d] Tricesimus sextus huius sacri cenobii extitit abbas venerabilis domnus ALMERICUS, qui pro eo quod corpore videbatur maxime pilosus, vocatus est etiam Ursus . . . Hic vero memorandus ac domnus abbas Almericus huius bona monasterii intus vel extra extitit per omnia conservator fidelis, nec ea alicuius aura favoris in aliquo devastavit, sed pio affectu ac opere benigno magnaque sagacitate mirabiliter ampliavit; aecclesiastica quoque ornamenta et librorum volumina in hoc monasterio studiosissime auxit. Fertur autem, quod artis grammaticae et scripturae divinae libros quadraginta duos maiores minorésve hic accumulare curavit. De vestimentis autem et cibis confratrum sic honorificentissime et decentissime ac sollemnissime studebat, ut nullus inter eos indigens aut despicabilis videretur. Nemo circummorantium comitum aut alio persecutionem aliquam vel devastationem presumebat inferre in bonis abbatiae. Quibus etiam bona huius monasterii male aliquando petentibus

a) *Chron.* 491. *Reg.* 450. b) *Chron.* 555. *Reg.* 684. c) *Chron.* 565. *Registrum* 766. *nil nisi nomen abbatis habet.* d) *Chron.* 568. *Registrum n.* 787. *nil nisi nomen exhibet.*

1) Ticinensis.

omnino denegabat. Donantem enim bona aecclesiastica histrionibus et seculi tyrannis fraudulenter et inutiliter et absque maximo decentique aecclesiastico proficuo, secundum sanctissimi Augustini sententiam asserebat morte dignum et Iudae perditori comparandum. In suis etiam vestimentis non erat superfluus nec renovator frequentissimus, sed parcus ac religiosus in omnibus, non etiam delicatus. Pro mortuis quoque oblationes huic monasterio allatas his Dei servis auferentes vel in secularibus sumptibus lubrice expendentes referebat sacrilegos apud Deum fore et pauperum pessimos necatores. Et quidem florebat in utroque hoc cenobium ipsius regiminis temporibus, et abundabat bonis omnibus. Ubicumque autem horum quisquam fratrum obviabatur, propter predicti patris et caeterorum seniorum religionem et innocuam prelationem tamquam Dei angelus in itinere adorabatur, et ut Christi apostolus inaestimabiliter venerabatur. Si quando autem comites inter se dissidebant et invicem depredationes exercebant, et contingeret aliquem infra terram abbatiae recuperare, nemo insequi presumebat, sed ac si divinitus evasam tremendo iudicio dimittebat. Sed non defuit tunc invidia diaboli, qua mors in orbem terrarum introiit. 1046. Dec. Denique cum domnus imperator Heinricus Romam venisset, adversarii bonorum aemulatores accusare illum apud eum et detestari pernimium studuerunt, dicentes, eundem personam exiguam habere, et ad tam magnum regimen inscium et impotentem fore, quamquam litteris eruditus et prudentissimus videretur. Sed cum nulla ratione cor imperatoris contra eum possent commovere, non multó post collectum magnum per totam abbatiam fodrum qui Romae ferebant ut regio consignarent vultui, ex toto fraudarunt et dispergere atque ad nichilum illud deducere curarunt, ut saltim hac incuria animus imperatoris indignaretur, et benivolentia illius circá illum hac de causa offenderetur. Factumque est, itaque eo imperator perviso paucissimo fodro, iratus obstupuit, et se derisum vel contemptum ab eo aestimavit. Tunc plurimis comitum et curiae magnatibus imperatori suadentibus, hanc ab eo abstulit abbatiam, et domnum Supponem, quem supra libavimus, in ea constituit. Itaque domnus Suppo reordinatus, aegritudine invalescente, non multó post, haud anni scilicet circulo expleto, moritur. 1047. Oct. Praedicto vero domno Almerico conceditur aecclesia beati Martini in hoc monte sita Mutilla, cum mansis et terris ac molendinis sufficientibus; in qua postmodum quandiu vixit, in Dei servitio quiete ac pacifice permansit.

7.[a] Tricesimus denique septimus huius sacratissimi coenobii pastor extitit domnus et abbas BERARDUS, noster ab annis primevis hic[b] receptor et[c] nutritor diligentissimus, cuius actus moresque hic annotare veridica et fideli relatione breviter[d] curavimus. Fuit quippe in causis venturis suptilissime providus, in exterioribus rebus acquirendis ardentissimus atque sagacissimus, in intimis vero laborandis et digne utiliusque utendis vel domibus renovandis[e] haud valde strenuus; deficientium extraneorum recuperator benignissimus monachorum. In suis sibi peccantibus indulgentissimus, nec umquam diu suspiciosus; religionis et bonae consuetudinis amantissimus, bonorum hominum et equitum collector promptissimus, minorumque virorum blanditor humillimus; ad extraneos etiam et potentes nimis benignissimus et visu benivolus; in benefaciendo vero suis propriis non nimis sollicitus; rectas observantium propositiones bene reverentissimus; credulus et amator sibi adhaerentium familiarius, et flexibilis valde se supplicantibus rationabilius. Favoris hominum bonaeque famae cupidus; in utroque etiam proposito aptissimus; moribus quoque et actis digne compositus; castus ipse et in causis custodiendis cautissimus; acquisitor autem avidus, et distributor largifluus; inconsiderate nanque et improperanter dator assiduus; iuris huius aecclesiae et libertatis per omnia amantissimus, quam Christo protegente suis temporibus eruit variis oppressionibus et ditavit maximis honoribus. Electus quidem a cunctis unanimiter post domni Supponis mortem[f], iam iuvenis et plus minus triginta annos habens aetatis, in festivitate sancti Calixti Oct. 13. papae quod est 2. Id. Oct. et ad ultramontanas partes mox[g] missus ad domnum Heinricum tertium imperatorem, a quo abbatiae huius accepit corroborationem[h] investitione, altero die post dominice incarnationis sollemnitatem, scilicet in beati Stephani festivitate, quod est 7. Kal. Ian. anno vero Christi nativitatis 1048.[2] et vixit in hoc regimine annis 42, iamque senex et plenus dierum obiit anno dominicae incarnationis 1089, nocte Kal. Nov., quinta videli-

a) *Reg.* 839. *Chron.* 572. b) *deest Reg.* c) ac *Reg.* d) *deest Reg.* e) reaedificandis *Reg.* f) unan. ut in subsequentibus apparebit, iam *Rg.* g) trans *Rg.* h) *deest Rg.*

2) Annum a die 25. Dec. inchoat Gregorius. Extat adhuc Beraldi sarcophagus in monasterio Farfensi, sed iam oleo servando inservit, marmoreus, gryphis ornatus, cuius inscriptione antiqua deleta, Farfenses inscripserunt: *Abba Berardus semper venerandus. Prima dies mensis tulit hunc lugenda Novembris.*

cet[a] feria, ad nocturnas ipsius diei festivitatis vigilias iam nobis ingressis. Verumtamen prius ipsius describimus electionem, cunctorum seniorum munitam nominibus confratrum, et una cum eo directam ad imperatorem: *In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Nos omnes fratres coenobii Pharphensis beatae Mariae semper virginis, post obitum domni abbatis Supponis elegimus uno voto parique consensu domnum Berardum nostrum monachum, nutritum a puero in nostro coenobio, quo digniorem atque honestiorem inter nos neminem invenire quivimus. Quapropter, domne imperator, vestram flagitamus excellentiam, quatinus corroborare ac confirmare dignemini. Vestrae igitur sponsionis reminiscimini, quam nostris fratribus promisistis, cum domno Supponi pastoralem virgam dedistis. Et ut certum hoc, venerande auguste, habeatis absque scrupulo dubietatis, nos omnes propriis manibus haec nomina subscripsimus*[3]. *Ego Iohannes propria manu — Ego frater B. manu mea scripsi libenti animo.*

1047. Oct.

8.[b] Anno autem dom. inc. 1082, ind. 5, epacta 18, concurrente 5[c], quinta feria, mensis Martii die 17, prima videlicet ebdomada quadragesimae, tertia hora diei, domnus Heinricus quartus gloriosissimus rex Deoque coronatus piissimus augustus imperator tertius ad hoc Farfense devotissime veniens cenobium, a cunctis fratribus nobilissime valdeque honorifice et amantissime susceptus est, nimis qui ante ab omnibus fuerat desideratus. Cum quibus pacifice locutus, coram omnibus abbatem nostrum venerandum domnum Berardum de castro Pharae et de omnibus istius monasterii rebus quocumque tempore legaliter acquisitis et a quibuscumque iniuste aliquando inimicis sanctae aecclesiae invasis et contra rationem retentis investivit, cunctaque bona sibique pertinentia prefati monasterii illi se restituere spopondit, et velut proprię regalisque camerae ius in omnibus se defendere promisit. Cum vero a cunctis senioribus ac fratribus benignissime in societatem atque fraternitatem perpetuae orationis devoto pacis osculo fuisset susceptus, et nomen illius vel quorumdam suorum fidelium in libro commemoratorio foret ascriptum, statim direxit exercitum suum contra predictae Pharae castrum. A quo eiecto expulsoque Rustico Crescentii quondam filio, qui eum iniuste possidebat, ipso die restituit huius monasterii regimini et potestati ad proprietatem perpetui iuris[d]. Quo facto, Romam perrexit, eamque paulo post quoquo pacto capiens, eius nobiliores maioresque cives muneribus vel vi subiugavit sibi, cum adhuc Gregorius papa septimus in presidio castelli sancti Angeli tueretur. Cum autem idem Heinricus imperator in burgo sancti Valentini maneret, audiretque pro certo, ipsam aecclesiam huic monasterio pertinere: eo iubente Rainerius Vercellensis episcopus per hostium et clavem investivit domnum Berardum abbatem de ipsa aecclesia sancti Valentini ad proprietatem huius monasterii, sicut continetur in precepto imperatoris maioris Ottonis, et bannum suum misit librarum centum optimi auri. Quod factum est anno primo pontificatus domni Clementis tertii papae, die 24. mensis Maii.

1084. Mai.

9.[e] Defuncto autem prefato domno Berardo, orta inter nos est dissensio de abbate eligendo, nitentibus premaxime qui nos videbantur regere, ut Regizonem Sabinensem episcopum eligerent. Quibus quamvis minima saniori tamen confratrum resistente parte, ab hac quieverunt intentione. Continuoque quasi precipiti subitaneoque assensu omnium, contra sanctorum canonum sanctiones, adhuc instante nocte et necdum humato predicto migrato pastore, domnum RAINALDUM elegimus; qui licet plenius monasticis imbutus foret religionibus, tamen moderaminum tam magni regiminis inscius et mundialium negotiorum improvidus atque in nullo pene videbatur satis sagacissimus. Cuius[f] indiscretę factam ideo dicimus electionem, quia eam contra sacros canones vidimus fuisse et contra patrum institutiones. Denique Bonifatius papa tertius residentibus episcopis septuaginta duobus et presbiteris viginti tribus, diaconibus etiam et omni clero Romano, fecit constitutionem sub anathemate in aecclesia beati Petri apostoli, ut pontifice vivo aut moriente vel episcopo civitatis, nullus presumat quidlibet loqui aut partem sibi facere, nisi die tertio depositionis eius adunato clero et filiis aecclesiae electio fiat, et quem voluerint habeant licentiam eligendi sibi sacerdotem. Quod si de episcopis qui sublimioris sunt gradus ita convenit, quanto magis condecet de abbatibus, qui inferioris officii sunt, in quorum electione nullum debet precipitium fore? Factum est autem hoc etiam contra nostram et omnium confratrum sponsionem, quam fecimus

1089. Nov. 1.

a) *deest Reg.* b) *Reg.* 1099. *Chr.* 604. c) ind. — conc. V. *et postea* tertia h. d. *desunt Chr.* d) *sequentia usque ad finem huius capitis desunt in Reg.* e) *Reg.* 1122. *Chron.* 622. f) *haec usque ad finem capitis desunt Reg.*

3) Sequuntur nomina Iohannis praepositi, sacerdotum 40, diaconorum 3, subdiaconorum 15, monachorum 15, conversorum 9, puerorum 2.

communi assensu, cum domnum Berardum patrem nostrum ad exitum propinquare vidissemus. Nam per vestem principalem altaris beatae Mariae dominae nostrae in capitulo allatam, tactu omnium fideli sponsione firmavimus, ut nullum abbatem reciperemus neque confirmaremus, nisi quem omnis nostri coenobii religiosa congregatio, consentiente imperatore, canonicę et regulariter elegerit; et qui huius constitutionis violator existeret, irrevocabiliter a nobis eum statuimus abicere. Erant enim tunc quaedam tres infames personae, quarum sagacitas vigilabat, ut hanc invaderent abbatiam; e quibus premaxime Regizo laborabat Sabinensis dictus episcopus, quem nos prae cunctis execrabamus, quia multa nefanda de illo referebantur, quae credibilia videbantur. Ipse enim quosdam nostrorum suasionibus in tantum corruperat, ut fidem communis sponsiones offendere faceret, et eum quem una disposuimus eligere spernerent, ipsumque Regizonem super nos abbatem magno efficerent conamine. Pro eo autem quod nos illorum sensui non obtemperabamus, prefatum domnum Rainaldum eligere se finxerant, statuentes ita, ut si nos hunc sperneremus, ipsi validiori manu, utpote prelati, predictum presulem eligendi copiam haberent. Nos vero eorum versutiam previdentes, ne tyrannum et infamem super nos coacti suscipere videremur, in domni Rainaldi electionem iccirco assensum prebere compulsi sumus. Quod etiam nocte accidit, et adhuc inhumato videlicet pastoris nostri Berardi corpore. Quae res contra regulam sanctosque canones precipitata fuisse, nemo gnarus dubitare debet. Sublimatus tamen in regimine, prefuit dies quatuor mensesque septem.

10.[a] Interea multas preparabant nobis insidias hi maxime qui huius monasterii bona possessionesque moliebantur invadere. Qui etiam contra nos archiepiscopi Ravennatis papae dicti animum provocaverunt, et huc super nos conduxerunt, et ut eius iussione alium eligeremus abbatem omni conamine studuerunt. Nos autem viriliter consistentes, inflexibiles extitimus et pro huius monasterii antiqua libertate fortiter dimicavimus. Sed cum nos idem pontifex ad se non posset flectere minis, suasoria quaedam agere cepit, quibus fatebatur se unum de nostra societate ac fraternitate esse; iccirco unus eligentium abbatem esse deberet. Verum nec terroribus concutere nec blandimentis nos valens seducere, tandem confusus, ut nos sibi benivolos reficeret laboravit non modice. Sicque recessit, et electum nostrum domnum Rainaldum, quem capere gestiebat, nec oculis etiam vidit.

11[b]. Interea huius prelati monasterii et tutores, qui eumdem electum videbantur ferre et magistrare, ceperunt in plurimis deviare et in nonnullis negotiis secus illum habere. Nam cum ad aliquod consilium pro huius utilitate cenobii agenda, alicubi illum ducebant, seorsum eo relicto ad suum quaeque velle pertractantes exercebant. Sed et nobis subditis ultra modum altiores erant, et huius causam conventus si quando deprecabantur, despiciebant. Itaque omnia huius monasterii bona et agenda non ad electi iussionem, sed ad suum tantum libitum conferebant. Ventura quaeque damna pro nihilo ducebant, et in omnibus transitorie utebantur abbatia, et nostras miserias atque conventus istius penurias in nihilo pietabant. Conspirationes quoque et immissiones cum quibusdam precipuis abbatiae viris fecerant, ne eos aliquando ledere posset conventus istius iusta querimonia. Haec omnia congregatio perpendens pernimium condolebat, et ut Deus omnipotens quandoque inspiceret, occultis suspiriis imprecare studebat. Nam ad alicuius hominis mortalis adminiculum manus dare verebamur, ne in deterius detrimentum postmodum incideremus. Soli ergo Christo domino eiusque genitrici et dominae nostrae nos nostraque negotia committere studebamus. Deus autem omnipotens omnia ex alto prospiciens, quandoque nobis misertus est, et illorum viperinam id est venenosam super nos prelationem avertit et destruxit per dominae nostrae sanctissimae Mariae intercessionem. Nam ipso anno alii eorum brevi morte defuncti, alii quovis exterminati, quidam etiam deinceps abundantius fuere angustiati. Et quia non dominum quem ipsi obedirent, sed qui eorum inconditis actibus tamquam ignarus optemperaret eligere maluerunt, sicut quondam Iudei qui Christum dominum persequebantur ne Hierusalem amitterent, huius emolumentum abbatie iusto iudicio cito perdiderunt.

1090. 12. Nos autem valde in plurimis afflicti, hoc ad ultimum reperimus consilium, ut ad imperatoris presentiam euntes, omnia denuntiare veraci studeremus relatione, quatinus ipse imperiali patrocinio cuncta corrigere et ordinare dignaretur, et aecclesiam hanc speciali provisu dignius tueretur. Sed quoniam viaticam pecuniam utpote regulariter inopiati monachi

a) *Reg.* 1123. *Chron.* 623. b) *in Reg. hoc caput deest folio uno deperdito; nam sequens incipit in media epistola congregationis ad imperatorem, qua finita pergit:* Igitur nobis moram facientibus ad d. imperatorem eundi, quidam Berardus *etc.*

minime habebamus, eundi moras facere compulsi sumus. Quapropter quidam Berardus cognomento Florentinus, qui consanguineus dicebatur antecessoris domni Berardi defuncti, cum apud Marchiam in quadam degeret tunc prepositura, clanculo cohortatus est a quibusdam nostrorum, et nos precedens adiit curiam domni imperatoris. Cui cum fingeret plurima haud vera, regiminis huius ab eo accepit investituram, et ad nos cum sibi comitantibus legatis imperialibus venit. Quod[a] audiens prefatus electus, videlicet domnus Rainaldus, ab hoc recessit monasterio, et in presidium se cuiusdam nostrae contulit roccae. Nos vero hoc perspicientes, quoniam tamquam destituti pastore utili eramus, et eundem electum nequaquam in cura regiminis tam magni meliorare vel proficere, sed potius deficere cernebamus, iccirco ad hunc BERARDUM Florentinum recipiendum prebuimus assensum. Ad quem suscipiendum usque Teramnensem urbem perreximus, et illic ei obviare studuimus. Et quoniam nimium pavebamus, ne super nos tyrannidem exerceret confirmatus, et huius bonorum monasterii distractor fieret in futurum, sacramentum ab eo iurisiurandi de bonae consuetudinis observantia et huius monasterii bonorum salvitate[b] exegimus, quod manu propria super sancta Dei euangelia coram nobis duodecim ex monachis, et tribus ex laicis se observaturum confirmans spopondit, quod numquam a regimine nostri conventus auferret has terras vel res, nec alicui tribueret per aliquam dationem, scilicet omnem tornariam, campum sancti Benedicti, campum de Granica, molendinos omnes Farfae vel Currisii, et mortuorum oblationes, exceptis necessariis regiminis sui sufficientiis, id est quod iuste sufficiat[c]: manualia per singula castella, et boum paria eis sufficientia; villanos omnes ad opera exercenda, et xenia, vel tributa reddenda; gualdum de Salisano, et gualdum de Catino; omnem quoque decimam secundum canones et portuum redditus et mercatorum teloneum[d]. Nullum castellum aut terram alicui se daturum, de quo suspicio vel damnum fieret in futurum. Precipuas res et utiles non tantum cum laicis, quantum cum omni congregatione se acturum. Dominium castellorum non laicis eminentibus, sed humillimis, et maxime monachis se daturum. Aecclesiam et totum monasterium se melioraturum et in antiquum iustumque usum reducturum. De obedientiis fratribus imperatis nullum munus more Symoniaco suscepturum, et a se qui acceperit suum consiliarium repulsurum. Tunc super nos pastorem elegimus, et magna cum caterva equitum illum[e] huc duximus, anno incarnationis Christi 1090, die 5. mensis Iunii, feria quoque 6. hora quasi 9. Qui extitit in catalogo abbatum tricesimus nonus.

Iun.

13.[f] Igitur predictus domnus Berardus Florentinus abbas secundus in huius prelatione regiminis confirmatus, eos qui pro illo de istius honore abbatiae studuerunt, exosos habere coepit, et a se repellens abiecit; quibusdam etiam plurimas iniurias irrogavit. Quosdam vero illorum Deus percussit, et morte detestabili ac repentina obire fecit. Denique Sarracenum, qui habitum monachicum amiserat, et Iohannem quemdam Langobardum, qui noviter conversatus fuerat, huius negotii mendacissimos auctores absque poenitudine vidimus interire et sine sancta communione, infra dies plus minus decem vel menses tres post illius honoris sublimationem. Attamen idem abbas post aliquantum tempus hoc fieri annuit cartarum mirificum opus, sicut in prefatiuncula eiusdem operis veraci stilo intimavimus. Non[g] tamen ad illud perficiendum aliquid sumptus tribuit, quoniam tenacissimus extitit; verumtamen scribentem honorifice se prius diligere finxit, et ex cibariis suis plurimum honoravit, atque in obsequiis ebdomadarum agendis pepercit. In vestimentis vero vel eius aliis oportunitatibus non benignus, sed nimis erga illum extitit pigerrimus. Non multo post autem sicut servum inutilem illum habens, vel ut exiguum mercennarium superflue minabat, et in tantum affligebat, variis fatigabilibus tyrannicis ac importabilibus iussis, plurimisque molestiis angustiabat, ut et opus et hoc monasterium desereret, et in aliena caenobia tanquam vagus ac profugus pergens secederet. Ipse tamen abbas in sibi dilectis non adeo crudelis existebat, et subditorum crimina favoraliter operiens, non eos in dedecus pervenire malebat. Quoscunque vero monachos sibi familiares secretioresque eligebat, sacramentum euangeliorum vel fidem ab eis exigebat. Inter nos autem dissensiones vel contentiones videns, non sedator sed amplius existebat animo accensor et provocator. Denique antiquae consuetudinis plurima mutabat, et quasi libera utens potestate, suis iussis sepius contristabat hanc congregationem. Sacramentum quoque quod nobis iuravit, in nullo penitus observavit, et utpote fallacissimus, in

a) Quod — ad quem suscipiendum *deest Reg.* b) et h. m. b. s. *deest Reg.* c) i. q. i. s. *deest R.* d) et portuum teloneum et redditus in integrum *R.* e) *deest R.* f) *Reg.* 1154. *Chron.* 627. g) Non — fuit sublator *in Chron. erasa sunt.*

veritate et in promissionibus non stetit. Se etiam pannos pretiosissimos et nostri ordinis insolitos, nos vero volebat despicabiles indui et vilissimos. Multa quoque ut vorator gulosus et caenodoxus distrahebat, et extraneam vilissimamque super nos doctrinam inducere gestiebat. Villanorum autem abundantium et ditius subsistentium plurimorum occasione qualibet depredator et non minimus depopulator, bonae etiam consuetudinis fuit sublator. Castella 5 quippe et omnia bona filiorum Hilperini, scilicet sex castella, quae per cartulas concessionis huic contulerant monasterio, pavide latenterque amisit, et retinere neglexit, faciens cum Rainaldo comite pactum in futurum legaliter damnabile. Item omnia bona filiorum Guidonis, quae sunt castella septem, necnon et terras sive predia atque castella Rainaldi comitis Auriculani, et multa alia immobilia quae acquirere potuit, damnabili incuria et pigriori negligen- 10 tia amisit, quoniam terras acquirere noviter spernebat, et ut cupidus insatiabilis pecuniae adeptas antiquitus latenter cottidie ceu mercator scriptitabat. Quod contra nostrorum libertatem preceptorum agere videbatur, in quibus continetur, ut nemo abbatum audeat inscriptiones exercere libellorum vel precariarum, nisi prius ab imperatore confirmatus, a catholico pontifice consecretur. Anteriorum etiam anathema abbatum vel seniorum pro nichilo 15 duxit, et constitutum de campo et arcibus cum excommunicationis obligatione pro huius ecclesiae oportuna renovatione destruens violavit, et corrumpens infregit. De quo videlicet prefato abbate quadam nocte visio terribilis visa est, scilicet quod tenellum puerum et innocentem coctum assatumque comederet. Cuius cum cocta membra minutatim incisa pene devorata haberet, quidam ante illum assistentes, cum haec viderent, foras fugerunt 20 prae stupore; iterumque paulo post ingressi, ut huius intuerentur crudelitatis finem, videbant, quod iam in cerebrum pueri intinctum panem avide manducaret. Et cum hanc quidam frater in capitulo coram cunctis referret somnii visionem, illius suppresso nomine, idem ipse ut credimus abbas veritatis spiritu compellente interpretatus est dicens: *Pro certo sciatis omnes, quia ille de quo haec visio fuit, est vir mortis, et in rebus pessimis ac nefandis* 25 *domus huius et mei gravissimi damni manum tenet flagitiose.* Quod qui noverant mirati sunt et cognoverunt, hanc Dei iudicio prophetiam ab illo fuisse ignoranter prolatam.

14.[a] Post haec autem cum omnes seniores maiores atque minores huius sacri conventus de huius monasterii vetustissima defectione causarentur, et de novi monasterii in hoc super nos eminenti monte constructione assidue ratiocinarentur, plurimi etiam Romanorum 30 civium magnates hoc votis omnibus niterentur: tandem vix quasi compunctus et hominum favoribus coactus, fecit constitutionem cum anathemate auctoralique excommunicatione pro (1097. Mai. 29.) novi in monte hoc monasterii constructione. Licet autem hanc prefatus abbas firmiter statuerit constitutionem, cito tamen in illo defecit bona voluntas in operatione. Nam velut tedium sustinebat, et opus aecclesiae negligens incipere formidabat. Huius tamen operis occa- 35 sione per omnes abbatiae homines imposuit tributi reddendi dationem, quam[b] non, ut finxerat, ad aecclesiae renovationem colligebat, sed in proprios libitus vel consanguineorum usus dispergere festinabat. Denique pro eo maxime quod opus hoc aut quamlibet monasterii utilitatem congruam incipere vel agere negligebat, et intus vel extra bona huius cenobii sine retractione devastabat, quidam huius congregationis fratres haec non ferentes, de monasterio 40 recesserunt, et cum aliquibus capitaneis vel civibus Romanis fidelibus aliquantis zelo rectitudinis satagere moliebantur, ut compescerent predictum abbatem ab huius monasterii devastatione salva[c] domni imperatoris aequa fidelitate, et sacramenti quod nobis fecerat rationabiliter eum facerent recognoscere prevaricatorem, et ne amplius domus haec per illum dissiparetur studerent, donec domno imperatori fideliter intimarent. Sed illis differentibus, tam- 45 dem predictus abbas a plurimis de negligentia correptus, aecclesiae inchoavit magnum in (1099.) monte opus. Sed Deus omnipotens, cuius quidem aliquando iudicia sunt occulta, nunquam vero iniusta, qui misericorditer consuevit nobis tribuere meliora quam petere sciamus dona, quique suae melius previdet causam matris integerrimae, prefati abbatis finem imposuit (Mart.) actioni prodigae. Nam per quinque dies febribus correptus et iam in extremo positus, satis 50 ore penituit compunctus, et si deinceps foret victurus, in omnibus se spopondit emendaturum. Sed die altero omnipotentis Dei iudicio occulto, prius abunde pastus, est subito prefocatus, et obiit sine sacrae viatico communionis. Namque cum infra os eius sacrum munus esset immissum, non interius receptum, sed foras est continuo ab eo abundanti saliva repul-

a) *Reg.* 1155. *Chron.* 627. b) quam — festinabat *erasum in Chr. ubi et* maxime — negligebat *deest.* c) salva — studerent *deest Chr.* 55

sum, continuoque est mortuus a. d. i. 1099 mense Martio, die 25. feria 6. post caput ieiunii, hora etiam diei sexta. 1099.

15.[a] Quadragesimus autem in huius coenobii praelatione regiminis electus est domnus ODDO presbiter venerabilis, quem ipso die post solis occasum, sepulto iam predicto abbate Berardo, cum prior huius congregationis et aliqui maxime utilitatis fratres abessent, quidam de confratribus sua quantumlibet conquirentes, quidam vero intentione simplici et improvisa festinantes, elegerunt sollemniter, Longobardum quidem genere, sed nobiscum conversatum ex plurimo tempore. Erat denique astutus et cautus in agendis negotiis, sive doctus prudentissime in litterarum studiis, nimiumque promptus omnibus sociis, compatiens, abilis, affectuosus, hilaris, gratulosus, vivax[b] et decenter amabilis. Verumtamen rerum videbatur acquisitor cupidus, infatigabilis scriptor et assiduus, laborator improbus, et honoris non modice avidus, nec inaniter rerum largitor superfluus[c]. Hunc itaque sublimatum in electionis prelatione, qui aderant precipui fratres per sacramentum firmitatis omni conventui fecerunt promittere, ut provide in nostro preesset regimine. His autem ita peractis, non multo post quidam minus sagaces non aequo illum consilio de morum constanti benignaque probitate subverterunt, et ab aequi rectitudine fervoris quantocius averterunt, eumque nimis pavidum effectum cum comite Rainaldo eiusque socero pactum firmitatis inire fecerunt, ut illorum suffragio in abbatiae honore quoquo modo tutus roboraretur. Quibus etiam non modicam concessit pecuniam, aliquantis ornamentis aecclesiae et veste principali altaris maioris in pignore posita. Et haec latenter et sine conventus notitia fecit, agens contra sacramentum, quod omni congregationi iuravit. Quod nos percipientes, nimis condoluimus, et subiugandum comitibus hoc previdentes monasterium amplius pertimuimus. Unde suppresse invicem tristes loquebamur, et diu afflicti cottidie tractabamus. Et hoc domni Oddonis consiliarii sentientes, suaserunt ei, ut armatam manum equitum nostrorum seu villanorum ad nos compescendos et compavendos in hoc monasterium faceret venire. Quod et factum est. Itaque omnibus et nobis collectis, in capitulum venit, et ut omnes in sua consentiremus electione, propriam a nobis in ipso loco manuum exegit per vim descriptionem[d]. Hinc referendum notandumque est, quod eumdem domnum Oddonem ante abbatiam, ut supra retulimus, prudentissimum sollertissimum ac loquacissimum nec non et promptissimum vidimus, postea vero pavidum et tremebundum ignarumque et quasi amentem atque insensatum pene in cunctis perspeximus. Denique postquam altaris vestem beatae Mariae, et quaelibet ecclesiae huius ornamenta oppignerare fecit, a quodam sibi famulante admonitus, immo cohercitus, excusavit se, et non se esse conscium illius facti professus est. Sed cum emendare differret, biduo a Domini genitrice expectatus est. Tunc demum diutissime aegrotare et languescere coepit. Ingravescente autem languore, petiit unctionem: quod cum in capitulo referretur, Romanus prior qui tunc preerat, mandavit ei dicens: *Quia expoliasti dominam nostram Mariam, ideo emendare stude; sin autem, nec tibi unctionem facimus, nec si obieris, in fratrum cimiterio, sed magis in sterquilinio te sepeliemus.* Quibus auditis maxime doluit et ingemuit; et iam quasi mente minoratus, quia factum emendare non poterat, petebat a quodam canonico clanculo perungi et confratribus ignorantibus poenitentiari. Sed haec prestolando, tribus noctibus durissime in visu quasi a sublimi femina tribus acerrimis virgis est cesus. Et prima quidem nocte custodienti se famulo retulit haec, et deprecatus est illum, ut sibi subveniret. Altera vero nocte idem custos pervigil audivit eum in ipsa visione inter flagella deprecantem lacrimabiliter eam quae se cedebat atque dicentem: *Mea domina, mercedem.* Et cum evigilasset, interrogavit eum famulus, cur in somnis vociferasset? Tunc ille ostendit eidem famulo illisiones vulnerum inflictas in corporis dorso, et confessus est, quod quaedam praecelsissima femina tribus virgis acrius cedebat eum dicens: *Quare expoliasti me?* Et ille dicebat: *Mea domina, non feci ego.* Et illa: *Quis ergo operari ausus est hoc?* At ille: *Diabolus suggessit haereticis.* His autem recitatis, tunc quidem siluit, sed post biduum perdidit colloquium. Verumtamen prius communicatus est dominico sacramento, sed unctionis inunctus mysterio, obiit quasi nona hora in dominicae ascensionis vigilia, cum esset quadragesimus in huius sacri coenobii electionis abbatia, sepultusque est altero die, id est in eiusdem solemnitate ascensionis. Apr. 24.

16. His vero relatis, ad superiora paululum redeamus. Interea cum domnus Oddo pre-

a) *Reg.* 1158. 1160. *Chron.* 629. b) *deest R.* c) n. i. r. b. s. *deest R.* d) *sequentia usque ad* abbatiae confirmationem. Tunc quidem valde *in Reg. non habentur, ubi eorum loco solummodo est:* Nos autem his contristati.

1099. fatus, ut pretulimus iam, in capitulo exegisset a nobis invitam manuum descriptionem de suae abbatiae confirmatione, tunc quidem valde constristati variis perturbationibus, tempus non habentes opportunum siluimus, et qualiter ad hec omnia ad curiam domni imperatoris intimanda pergere possemus, inter nos tractabamus. Tunc visum est nobis utillimum consilium, scilicet ut ad domnum Beraldum Aschari filium, qui tunc in Ophida prepositus erat, 5 iremus, et simul cum ipso de nostri libertate monasterii apud domnum imperatorem perfectius studeremus. Itaque clanculo de hoc monasterio egressi, ad ipsum perreximus, et per dies tredecim in Ophida cum illo morati sumus. Post haec in dominicae ascensionis die, quae tunc evenit 8.[a] Kalendas Mai, post missas et prandii refectionem legatus illuc ad nos venit, dicens domnum obisse Oddonem abbatem; qui etiam ex parte confratrum nostrorum 10 precipuorum nobis retulit mandatum, ut nusquam pergeremus, sed ad eos simul cum domno Beraldo festinanter reverteremur. Nos vero eodem die reverti cepimus et ad urbem Reatinam die iam dominico devenimus, ubi iterum ad nos cariores legati venerunt, et omnia prospera et iucunda ab omni conventu cunctoque populo nobis denuntiaverunt. Altera autem die cum magna sociorum nostrorum equitumque caterva nobis obviante in hoc monasterium 15 reversi sumus gaudentes. Tunc omnes seniores in capitulum venerunt, et predictum domnum Beraldum, si de abbatiae honore immunis esset a symonicae dationis munere, certatim coeperunt inquirere. Tunc ipse omnimodis negavit, nullum omnino cuiquam se munus dedisse, nec daturum promisisse nec aliquem pro se id se sciente fecisse. Qua vero professione ostensa omni placuit congregationi, ut sibi certificaretur per testimonium sacramenti, et 20 adderetur, ut si aliquis pro eo quamlibet habuisset factam promissionem, ipse eam ex toto deinceps evacuatam haberet. Deinde prefatus domnus Beraldus cognatum suum nomine Berardum assurgere fecit, et sicut conventus petierat, manu super euangelia imposita, pro se iurare precepit. Quod omnis congregatio cum plurimis bonis hominibus videns, benivolo animo hoc sacramentum, quasi iam factum accipiens, indulsit. Mox[b] vero pari voluntate 25 morosaque deliberatione magno cum gaudio eligimus domnum Beraldum super nos pastorem, et continuo posuimus in sede. Post haec illum petivimus humili fidelique deprecatione, ut benigni regiminis mores et optimae consuetudinis observationem, sicut eius alii iuraverant antecessores, nobis per sanctam regulam se observaturum bonae fidei facere dignaretur veridicam promissionem. Quod libentissime annuit, et magis se omnia observaturum 30 hac benignissimo animo spopondit promissione, quam sui qui iuraverant observassent antecessores. His ita peractis, decentissime gradatimque in aecclesiam perreximus, et quae explenda erant, dignissime perfecimus. Quibus expletis, vespertinam incepimus sinaxim. Haec autem omnia rite peracta sunt 10. Kal. Iunii, anno incarnationis Domini 1099, indictione 5, feria quoque 2. infra assensionem dominicam. 35

17. Quadragesimus denique primus in catalogo abbatum huius sacri coenobii hic venerabilis et domnus extitit BERALDUS, altioris ac nobilioris secundum seculum prosapiae natus, et in huius scola monasterii a sua pueritia nutritus, et litterarum nostro congruentium ordini studiis bene imbutus. Qui cum ab omni abbatiae populo fidelitate et sacramentis confirmatus in huius honore culminis fuisset, coepit regimen libere exercere, bonaque huius monasterii 40 ab omnibus defensare, firmissimeque per omnia tueri[c]. De quo in ipsa novitate praelationis quidam nostrorum se quidem in somnis vidisse visionem narravit. Videbat quippe dormiens sanctum Euticium, cum quo etiam avum eiusdem domni abbatis, Adam scilicet filium Rodulfi, cernebat consistere, et audiebat eundem sanctum ipsi viro dicentem: *Manda nepoti tuo Pharphensi abbati innuens, ut destruat ydola lucosque succendat; meam quoque festivitatem,* 45 *quae ipso die evenit, in quo abbatiam suscepit, decentissime celebrare faciat, ut me tutorem suum Deo auxiliante suis in causis habeat.* Quod cum is qui visavit audisset, surgens studuit domno abbati referre. Erat enim gnarus bene litterarum. Quam utique sententiam cum nos audissemus, sic intrepretati sumus, scilicet quod iccirco a Deo in hoc regimine prelatus est, ut infra extraque abbatiam hanc ab omni incommoditate satagat purgare. Per ydola enim 50 quae infra templum consistunt, ut quaeque nociva et incommoda fiebant a quibuscumque malignis infra abbatiam potenter destruens corrigeret; per lucos vero quibus situs silvarum significantur, ut quascumque ab extraneis illatas huic monasterio oppressiones igni concremaret, id est ad nichilum deduceret. Quae omnia non multo post adimpleta cognovimus.

a) XIII *Reg.* b) Tunc *R.* c) *hic desinit manus Gregorii in Reg. Sequentia usque ad c. 29 ex. habentur tantum* 55 *in Chronica.*

Nam plurimi infra abbatiam fraudulenter et nequiter agentes, domni abbatis fortitudine per- 1099.
territi a malignitatibus quieverunt. Nonnulli etiam eius pavore timidi, fugientes hinc disces-
serunt. Itaque totius regimen conventus coepit vigilanti studio perficere, et maximam de
nobis curam habere, aecclesiaeque decus sollertissime ampliare. Nam vestem altaris sanctae
5 Mariae, et plurima ornamenta a suis predecessoribus oppignerata studuit recipere, et ad
huius ecclesiae honorem recolligere, nova quoque nonnulla acquirere. Armatam manum
super nos equitum et villanorum totius abbatiae qua multoties ab eius predecessoribus per-
minitati sumus, hic conquiescere et amovere suis fecit temporibus. Si quando enim aliqui
subditorum delinquere ferebantur, ipsi solummodo puniebantur et corripiebantur; immunes
10 vero et sine culpa cum iniquis minime condemnabantur. Interea capitanei et comites et viri
nobiles fortitudinem illius experientes, aliquantulum a nostra vexatione cessarunt; et cum
non possent apertius, clandestinis machinationibus mala contra hoc monasterium exercere
moliebantur. Unde factum est, ut quia huius bona ecclesiae invadere sibique assumere
sicut erant soliti nequibant, domni abbatis Beraldi terrore compressi ceperunt oblationes
15 mortuorum de suis terris, et hic virorum sepeliendorum, et quaeque munuscula solita invi-
diose subtrahere, et in quantum quibant huius ecclesiae antiquissimam libertatem minuere,
et domno abbati in quibuscumque causis valebant omni nisu lesiones facere, et ne huius bona
monasterii augmentare posset, contrarii per omnia existere.

18. Anno vero d. i. 1103 mense Novembri quidam viri nobiles habitantes territorii Sabi- 1103.
20 nensis et in castro quod vocatur Foranum, una cum uxoribus et filiis suis respectu inspirati
divino, pro delictis suis et propter timorem Dei et mercedem animarum suarum refutaverunt
et restituerunt in hoc monasterio, et domno Beraldo abbati, quicquid eis pertinebat per
scriptum tertii generis, quod olim susceperant a domno Berardo primo abbate de prefato
castello Forano et colle de Nera, quid eis pertinebat per acquisitionem infra hos fines: a
25 primo latere rigus Calentinus venientes in rigum Roianum, et in rigum Gabinianum, et in
Amenzanum, et in laiam episcopi, et in flumen Tyberis, et revertentes in Calentinum insuper
quaecumque habebant et possidebant infra suprascripta vocabula, eorumque pertinentias,
sive fines, iure hereditario, sive acquisitione, aut emtione, vel successione, et quocumque
modo aut actione. Similiter Petrus filius Grazonis refutavit et reddidit turrem et castellum
30 Marciliani in hoc monasterio et ad domnum supra scriptum Berardum abbatem. Huic facto
interfuit et consensit Octavianus comes filius Oddonis coram Gentile comite filio Senebaldi,
et per sacramentum firmavit eundem domnum abbatem et monasterium de supra dictis ca-
stellis et omnibus rebus et terris, quotquot deinceps acquirere posset quocumque modo per
totum comitatum Sabinensem, quod ipse ad suum posse adiuvaret eum ad retinendum et de-
35 fendendum in hoc monasterio contra omnes homines. Hac de causa post haec dolo et invidia
ductus Oddo comes frater eiusdem Octaviani, immissiones et suggestiones atque causationes 1104.
pessimas coepit exercere contra domnum abbatem et monasterium sanctae Mariae, cum
omnibus quos suadere sibique sociare valuit. Et sic egit, ut castrum nomine Caput Pharphae
capere et huic monasterio auferre faceret, et per se ipsum depredationes et desolationes ac
40 plurimas destructiones nostris locis et castellis operari studeret. Denique castrum de Campo
et Tribilianum et Cufi incendi et desolari fecit, multosque captivos ex equitibus et famulis
sanctae Mariae secum asportavit. Cumque interrogaretur a quovis, cur tanta mala bonis
sanctae Mariae non pertimesceret inferre, has referebat excusationes, dicens, quondam se
comitatum Sabinensem ab imperatore accepisse, ideoque monasterium sanctae Mariae non
45 posset in eo aliquid acquirere, nisi salvo sui comitatus iure. Cui contra pars domni abbatis
talem reciprocabat rationem dicens: *Ab initio nostrum monasterium hanc habuit libertatem
a Iohanne VI papa et regibus Longobardis et imperatoribus antiquis, Carolo scilicet et reliquis
deinceps, et pontificibus Romanis, ut quocumque tempore a quocumque hominum aliquid quo-
cumque modo legali acquisivisset, mox ab omni condicione, ab omni reddita, ab omni pensione,
50 ab omni datione, ab omni districtione pontificum ducum comitum vel quorumcumque rei publicae
ministrorum et cuiuscumque dignitatis personae inconcussum, imminuatum et liberrimum existe-
ret.* Hanc quoque convenientiam voluit domnus abbas per pignus et obsides obligare, ut
utraque pars in presentiam domni imperatoris iret, et eius auctoritatis sententiam de his
quisque observaret. Sed neque hoc ipse Oddo accipere, neque a damnis bonorum sanctae
55 Mariae voluit quiescere. Domnus vero abbas omnisque conventus ad arma potentissima
orationis assidue conversi, Christum dominum flagitabant suppliciter, ut causam suae geni-

tricis a pessimis hostibus defenderet misericorditer. Verum non multo post eorum preces Christus dominus se iuste ostendit exaudisse. Nam quadam die Iohannes eiusdem Oddonis filius collecto exercitu ad castrum equitavit collis de Nera ut caperet et a sanctae Mariae iure auferret. Quo domnus abbas cum paucis occurrit militibus; et tunc idem Iohannes qui capere venerat castrum, Dei nutu in conflictu a nostris continuo capitur et in custodia redi- 5 gitur. Quo tamen facto domnus abbas non exaltatur, sed potius humilitur; et ut iustitiam et aequitatem potuisset habere, maximam pecuniam adversariis voluit dare, quatinus pacem ab eis potuisset obtinere. Sed ipsi duri adhuc et pessimi corde hoc minati sunt proterbe, ut domnum abbatem de abbatia expellerent, et alium sibi placitum abbatem constituerent. Missis namque circumquaque legatis, innumeros exercitus congregarunt; quos omnes san- 10 ctae Mariae exercitus obvians facilius devicit, et Ofridum comitem aliosque quamplures capiens custodiae delegavit. His peractis, domnus abbas humilis finem petiit; sed cordibus obduratis eorum adhuc optinere nequiit. Deinde predictus Oddo mentem Octaviani fratris sui, domni abbatis socii et iurati, corrupit, et ut ab eo recederet persuasit, atque ut sibi in captionem domnum abbatem traderet, sacramentum et obsides ab eo in termino statuto ac- 15 cepit. Sed cum hoc prevaricans idem Octavianus minime adimpleret, venit eius nepos Octavianus filius Oddonis, et ante domnum abbatem coram equitibus ibidem astantibus, appellavit eundem Octavianum periurum esse contra patrem suum. Quo audito perculsus pavore Octavianus et verecundia constrictus, reum se contra domnum abbatem per omnia confessus est fuisse. Tunc omnes astantes rogaverunt domnum abbatem, ut reciperet illum poenam 20 periurii componentem, et iterum vera fide firmoque sacramento domnum abbatem firmantem, quod numquam amplius ab eius discederet societate. Poenam vero insuper periurii composuit libras quinquaginta argenti, filiumque suum per sacramentum fidelitatis manibus commendavit domni abbatis. Sed non multo post iterum a fratre suo Oddone seductus in periurium incidit, et a domno abbate discessit et quaeque contra eum potuit damna operari 25 studuit. Namque post haec maiorem exercitum Oddo molitus est colligere, ut cuncta bona sanctae Mariae invaderet et depredaret, suumque de captione filium per vim eximere valeret. Cum quo etiam Octavianus sanctae Mariae saepe periurus venit armata manu. Tunc quidam fideles se intermiserunt, et obsides et pignora ab utrisque acceperunt, et in manus Romanorum Petri Leonis et Tebaldi Cencii dederunt, ut in eorum curia legaliter ipsa intentio 30 iudicaretur et iuste finiretur.

1105. Iul. 19. Venit itaque tempus, et adiit domnus abbas Romam cum omni iusta defensione preparatus. Altercantibus vero causidicis utriusque partis in placito apud Sanctum Nycolaum de carcere, ventum est ad sacramentum calumniae, quod per se facere Oddo rennuebat, dicens sibi, cum obsides et pignora darentur, per pactum fuisse remissum et concessum, ut 35 per appositam personam ipsum faceret sacramentum. Quod quamvis non legaliter omnibus pateret sic fuisse concessum lege prohibente, tamen ceu coactus suscepit domnus abbas per appositam personam ipsum sacramentum, set tamen non secundum legem factum, quia nec qualitatem rei, nec quantitatem iuris nec verae tempora possessionis assignavit. Octavianus autem cum se presentasset, ut sacramentum faceret calumniae, innotuit ei, et ad memoriam 40 reduxit Gentilis comes coram omnibus, qualiter olim domnum B. abbatem et monasterium sanctae Mariae per sacramentum firmavit, acquisita et acquirenda in toto territorio Sabinensi, sicut supra relatum est; ideoque non deberet temere et scienter in periurium currere, quia se vidente et audiente hoc fecerat, et ipse legaliter defendens testificabatur. Deinde Petrus Leonis hoc audiens suggerendo cohibuit. Quapropter substitit, et minime iuravit. 45 Tunc quidam iudex ipsius partis sine qualitate vel certa quantitate et indiffinite sententiam dedit, dicens, quod eidem Oddoni ius suum de prefatis castellis deberet restitui. At contra iudex alius Sanctae Mariae partis iudicavit, non debere restitui. Tunc Petrus Leonis arbiter constitutus laudare diffinite voluit, favens magis parti Oddonis. Sed Tebaldus Cencii socius eius, videns sententiarum controversiam, non consensit, sed alium terminum composuit, ut 50 clarius consultiusque causam eandem diffinire valerent. Ad quod iterum praeparatus venit domnus abbas; sed idem Petrus causam distulit et non laudans postposuit. Peracto vero termino proferre voluit diffinitionem; sed lege iubente, post terminum datam altera pars ostensum est a iudicibus nulla ratione illam suscipere cogi debere. Sic ergo divina agente miseratione desiit laudare vel diffinire, et equior pars Beatae Mariae a decipientium tunc 55 clandestina erepta est deceptione. Et non multo post iterum predicto Oddone conveniente

cum legatis domni abbatis, sublati sunt obsides et pignera a Romanis, et dati sunt in manus comitis R. filii Senebaldi, ut restitutione remota et superflua causidicorum controversia diminuta, in curia ipsius, tempore statuto utriusque partis, amiciter et sine causatione ostenderentur monimina et instrumenta ac rectitudinis iura, et sic benigne atque pacifice et ae-
5 quiori animo prefati R. comitis mediatione recta ipsa finiretur causa.

20. Cumque statuto simul termino convenissent, pars Oddonis agere cepit contra partem domni abbatis, dicens se causam ipsam inquirere ac defendere per sancti Petri eiusque successorum pontificum possessionem. Ibique relegerunt privilegium Constantini imperatoris beato Silvestro concessum, per quod censebant omnem Italiam cunctaque occidentalia
10 loca beati Petri et pontificum eius iuri per omnia subicienda, ita ut nemo privatorum nec alicuius persona dignitatis in prefatis locis sibi aliquid vindicare valeat proprietatis. At vero pars Beatae Mariae enucleatius veriusque ipsum perspiciens edictum, asserebat, quod non sic haberetur; quia Constantinus non iura privatorum nec ex toto terreni imperii dominium beato Silvestro concessit, sed sicut ibi legitur, ut principatum teneat super omnes in uni-
15 verso orbe terrarum Dei ecclesias, et eius iudicio quaeque ad cultum Dei vel fidem christianorum stabilitate procuranda fuerint disponantur. Denique in Marci successoris beati Silvestri actis legitur, quod eius suggestione optulit idem ipse Constantinus augustus basilicae quam ipse papa fecerat via Ardeatina, fundum rosarum. Aliae vero basilicae in Urbe optulit idem Constantinus fundum Antonianum via Claudia, fundum Vaccanas via Appia, fundum
20 Orream via Ardeatina. Hic animadvertat prudentissimus censor, si prius Constantinus omnem Italiam beato Silvestro concessit, quid hoc extitit, quod illius successore Marco suggerente prefatos fundos in supra dictis ecclesiis contulit? Sed et dominium sibi terreni imperii in Italia omnes imperatores ex tunc ita reservarunt, ut illorum semper consensu pontifices confirmarentur, sibique in aliquo offensi corrigerentur. Denique Liberium Constantius au-
25 gustus triennio exiliavit, et postea reconciliato eo, Felicem catholicum interea constitutum eiecit de episcopatu; Felicem quoque secundum qui eum hereticum declaravit, capite truncari fecit. Bonifacius autem primus una die sub intentione ordinatus cum Eulalio iussionis Placidae augustae, sedentis Ravennae, et filii eius Valentiniani habitantis Mediolani, missa auctoritate de Urbe expellitur; sed postmodum utrorumque iussione augustorum revocatur
30 et in sede confirmatur, Eulalius autem foras in Campaniam mittitur. Xistus vero tertius cum a quodam Basso criminaretur, ab episcopis sexagaginta sex purgatur, et Bassi damnati facultates et predia prefatorum augustorum precepto ecclesiae catholicae sociantur. Simmachus etiam et Laurentius sub intentione ordinati, diviso clero atque senatu, constituitur ut ambo pergerent Ravennam ad iudicium regis Theoderici. Quo cum irent, censuram aequitatis
35 primo ordinatus et maxima parte constipatus invenit Simmachus, et in sede confirmatur. Silverium quoque papam Theodatus rex tyrannus pecunia corruptus per vim ordinavit, sine deliberatione decreti, in quo sacerdotes non subscripserant secundum morem antiquum, nec decretum confirmaverant nisi post ordinationem; quem postmodum Vilisarius patricius imperatoris deponi et monachica indui veste fecit. Vigilium autem successorem eius Iustinia-
40 nus et Theodora augusti Constantinopolim accersierunt et in custodiam miserunt. Tunc temporis misit imperator Iustinianus Narsetem eunuchum et cubicularium suum, in Italiam, cui contra Gothos pugnanti Deus victoriam dedit, rege Badua qui et Totila interfecto; qui etiam rogatus a clero Romano, de exilio Vigilium papam reduxit. Beatissimus quoque Gregorius veridicus eximiusque doctor ecclesiae, quem cum clerus senatus populusque Romanus
45 sibi concorditer pontificem eligerent, imperatori Mauricio, cuius filium susceperat ex sancto lavacro, latenter litteras destinavit, adiurans et multa prece deposcens, ne umquam assensum populis preberet, ut se huius honoris gloria sublimaret. Sed prefectus Urbis nomine Germanus eius nuntium anticipavit, comprehensoque ac diruptis epistolis, consensum quem populus fecerat imperatori direxit. At ille gratias agens Deo pro amicitia diaconi, eo quod
50 locum deferendi ei honoris ut cupierat reperisset, data preceptione ipsum ordinari precepit. Bonifacius autem tertius papa optinuit a Foca cesare, ut sedes apostolica beati Petri apostoli caput esset omnium ecclesiarum, quia ecclesia Constantinopolitana se primam omnium ecclesiarum scribebat. Bonifacius vero quartus papa impetravit a Foca principe templum pantheon, quod fecit ecclesiam esse beatae Mariae semper virginis et omnium martyrum reli-
55 quiis in ea collocatis; in qua aecclesia etiam princeps dona optulit multa. Bonifacius namque quintus papa constituit, ut testamentum valeat secundum iussionem principis. Honorius de-

nique papa cooperuit omnem ecclesiam beati Petri apostoli ex tabulis aereis, quas levavit de templo quod appellatur Romae, ex consensu piissimi Eraclii imperatoris. Temporibus vero Theodori papae, mortuo Hisaucio, misit imperator Theodorum patricium et exarchum cognomento Calliopam ad regendam omnem Italiam. In diebus autem Martini papae direxit imperator Olimpium cubicularium suum et exarchum ad regendam omnem Italiam; et post 5 haec misit Theodorum exarchum cognomento Calliopam cum Theodoro imperiali cubiculario, qui et Pellurio dicebatur; qui tollentes sanctissimum Martinum papam, de ecclesia Salvatoris, quae et Constantiniana appellatur, perduxerunt Constantinopolim. Vitaliani vero papae temporibus venit Constantinus augustus in urbem Romam, et omnia quae erant in aere ad ornatum civitatis, deposuit; sed et ecclesiam beatae Mariae ad martyres quae de tegulis 10 aereis erat, discooperuit et in regiam urbem cum aliis diversis quae deposuerat direxit. Agatho quoque papa suscepit divalem iussionem piissimorum principum Constantini Eraclii ac Tiberii augustorum, secundum suam postulationem suggerens, per quam relevata est quantitas quae solita erat dari pro ordinatione pontificis facienda; sic tamen, ut si contingeret post eius transitum electionem fieri, non debeat ordinari electus, nisi prius decretum 15 generale introducatur in regiam urbem secundum antiquam consuetudinem, et cum eorum conscientia et iussione debeat ordinatio provenire. Leonis etiam papae secundi temporibus, percurrente divali iussione principis clementissimi restituta est ecclesia Ravennas sub ordinatione sedis apostolicae, ut defuncto archiepiscopo qui electus fuerit iuxta antiquam consuetudinem, in urbem Romam veniat ad ordinandum. Benedictus autem secundus papa 20 suscepit divales iussiones clementissimi Constantini magni imperatoris ad venerabilem clerum et populum atque felicissimum exercitum Romanae urbis, per quas concessit, ut persona electa in sede apostolica e vestigio et absque tarditate ordinetur pontifex. Conon vero cum eligeretur papa, iudices una cum primatibus exercitu et clero populoque in eius scripserunt decreto, et missos pariter una cum cleris et populo ad excellentissimum Theodorum ex- 25 archum ut mos est direxerunt, ut eius assensu confirmaretur. Quem postmodum eius archidiaconus videns infirmitate constrictum, scripsit Ravennae Iohanni glorioso exarcho, ut ad pontificatum eligi mereretur. Qui demandavit iudicibus suis quos Romae ordinaverat et direxerat ad dispensandam civitatem, ut post mortem pontificis eiusdem persona archidiaconi eligeretur. A Sergio quoque papa Iohannes patricius et exarchus cognomento Palatinus 30 Romam veniens, centum auri libras exegit electo. Temporibus autem Constantini papae Iustinianus imperator misit Theodorum primisserium Ravennam; qua capta, Felicem archiepiscopum arrogantem et omnes rebelles compedibus strinxit et Constantinopolim misit. Iustinus vero imperator missa sacra supra scripto pontifici, precepit eum ire Constantinopolim; cui etiam optemperanti imperialibus iussis omnia privilegia ecclesiae renovavit, eum- 35 que ad propria reverti cum honore fecit. Gregorii quoque papae tertii temporibus Constantinus imperator duas massas, id est Nymphas et Normias, iuris existentes publici, sanctae Romanae ecclesiae iuri perpetuo possidendas direxit. Theodorus autem maior filius Megisti, praedium, quo ex hęreditate fruebatur paterna, situm quinto miliario ab Urbe via Tyburtina, beato Petro reliquit defunctus. Adriano quoque papae Carolus rex Francorum concedi et 40 contradi spopondit has civitates et territoria per designatum confinium, id est a Lunis cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardone, id est in Verceto, deinde in Parma, deinde in Regio, exinde in Mantuam, et montem Silicis, et universum exarchatum Ravennatem sicut antiquitus erat, atque provincias Venetiam et Histriam, et cunctum ducatum Spoletanum et Beneventanum. Huius etiam temporibus Leoninus consul et dux monachus factus, 45 tres uncias massae Aretianae, quibus parentum fruebatur hęreditate, sextodecimo miliario ab Urbe via Ardeatina, beato Petro apostolo perenniter concessit permanendas.

Haec iccirco omnia brevi stylo ex sanctorum scriptis autenticorum auctoritatibus decerpere studuimus, ut veridica relatione ostenderemus, omnes pontifices Romanae sedis imperiali edicto post electionem semper confirmatos, et Italiam totam semper habuisse impe- 50 ratorios procuratores, rectores, patricios, exarchos et duces, qui imperatoria iura et rem publicam potentissime possidentes defenderent, dominiumque Italicum optinerent in omnibus constantissime usque ad tempus Pipini regis Francorum, quem Stephanus papa secundus apud Parisium coronavit et unxit cum duobus filiis suis circa a. d. i. 754. Nam d. i. a. 774 Carolus Pipini filius et rex Francorum et patricius Romanorum Ticinum obsidens civitatem, 55 Desiderium regem conprehendit secumque Franciam deportavit, suaeque potestati cunctum

regnum Longobardorum subiugavit. A tempore itaque beati papae Silvestri qui sedit pene i. d. a. 335, usque ad tempus Adriani papae presulantis circa d. i. a. 772, cuius anno tertio predictus Carolus regis Francorum Pipini filius Romanorum imperator est factus, computantur anni fere 337, et a tempore Adriani papae usque ad tempus Gregorii VII papae, qui
5 contra Heinricum tertium Romanorum imperatorem scandalum nisus est sanctae Dei ecclesiae suscitare, sunt anni plus minus 322. In quibus omnibus temporibus nemo ni fallor pontificum legitur absque principis iussione ordinatus fuisse preter Pelagium papam. Nam de illo legitur, quod ordinatus sit sine principis iussione, eo quod Longobardi Romanam civitatem obsiderent multaeque ab eis per Italiam fierent vastationes. Denique post eum Grego-
10 rius doctor beatissimus a clero et populo electus, roborari ante noluit in presulatu, quam ab imperatorio assensu fuisset confirmatus. Quod ergo per 759 annorum curricula constitutum et observatum sine ullius sancti apostolici sive doctoris contradictione fuit, non arbitramur aliqua ratione posse contradici; et maxime quod extra fidem minime dinoscitur fore. Nonnulli enim pontificum quamquam sub intentione electi sint, nullo modo presulatus habere
15 potuerunt sublimitatem, nisi imperatoris optinerent consensionem.

22. Hic prudentium attendat sollertia, quia si Constantinus quondam augustus prius vicario beati Petri apostoli, Silvestro scilicet, coronam imperii concessit, postmodum vero alter beati Petri vicarius, Stephanus videlicet papa secundus, predictum Pipinum cum duobus filiis germanis Carolo et Carolomanno regem Francorum unxit, Stephanus quoque papa
20 tertius eosdem Romanorum patricios confirmavit. Leo etiam tertius Carolum coronavit, eumque defensorem tutoremque sedis apostolicae sanctaeque ecclesiae catholicae stabilivit, et una cum omni senatu Romano imperium illi per omnia confirmavit. Sed quomodo eum terrenarum rerum potestate et totius iure imperii fraudavit, vel dominia illi Italica denegavit, per quem res publica omnisque christiana libertas ab omnibus preiudiciis et universis in-
25 commodis debet defendi? Fuerunt preterea et multi in Italia viri, qui per diversa loca ius proprium et privatum iure hereditario possederunt, et locis sacris Deoque dicatis ob animarum suarum mercedem de suis substantiis plurima concesserunt. Non ergo omnis Italia in terrenis facultatibus patrimonium beati Petri apostoli ecclesiae exstitit, nec umquam pontificum Romanorum ex toto dominium fuit, nisi in his quae ad cultus Dei pertinent dispositio-
30 nem vel ad verae fidei conveniunt ostensionem; ex quibus duobus non solum Italia, sed etiam omnis mundus apostolici presulis magisterium observat et impositum modum. Nec enim congruit totius orbis speculum, quod est presul apostolicus, humano pulvere sordescere, et curis mundo militantium avidius incumbere; quia scriptum est: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quae sunt ad Deum.* Ergo ipse pastor est
35 animarum, ipse doctor fidei electorum, ipse caput omnium ecclesiarum; in his tamen rebus et causis, non quae sunt ad seculum sed quae ad Deum. Non enim claves terrae seu regni terrestris, sed claves regni coelorum concessit illi omnium pastor pastorum, ut quae solvenda sunt in coelo, solvantur et in terra ab eo, et quae sunt in coelo liganda, ligentur et ab ipso in terra.

40 23. Sed iam redeamus ad nostri libertatem monasterii perfectam et a plurimis orthodoxis summisque pontificibus et imperatoribus ac regibus catholicis ostendamus illam nobis nostrisque antecessoribus incunctanter fuisse concessam et in perpetuum fore permanendam. Itaque Carolus imperator monasterium hoc sanctae Dei genitricis et semper virginis Mariae sub imperiali tuitione sive defensione sicut antea reges egerant Longobardorum, recepit,
45 eumque quietum et liberrimum ab omnis occasionis conditione per suorum paginas preceptorum in omnibus acquisitis rebus et acquirendis perenniter fore sancivit. Pontifices etiam apostolicae sedis vere catholici et pastores totiusque orbis ecclesiarum patres, id est Iohannes VII, Paulus, Adrianus I, Stephanus IV, Paschalis I, Benedictus VIII, Leo magnus Teutonicus, et Nycolaus II, providentiam habentes pastoralem, et sicut misericordes patres verique
50 doctores curam spiritualiter habentes suorum filiorum, et maxime domesticorum, huius sancti monasterii antiquissimam perspicientes et consuetam cognoscentes indultam plenius libertatem, perfectius et ipsi illam confirmaverunt, et in perpetuum permanendam corroboraverunt; atque si quis illam infringere ausus fuerit, cuiuscumque dignitatis sit et quorumque modo, perenni anathemate feriendum constituerunt. Dehinc quoque extiterunt reges duces
55 marchiones et comites et plurimarum dignitatum personae, quae de suae iure proprietatis,

Deo inspirante, eidem monasterio concesserunt plurima et firmaverunt perpetuo inibi permanenda.

24. Igitur cum pars Sanctae Mariae autentica scripta et antiquissima pontificum privilegia et regum vel imperatorum veraciora de omni libertate huic monasterio perpetuo concessa perlegisset precepta, omnibus in placito audientibus: pars Oddonis e contra fingebat, 5 dicens: *Non potest prelati cuiuscumque ecclesiae scriptum vel concessio aut constitutio valere, nisi tantum concessore vivente.* Quod pars Sanctae Mariae optime defendit, cum beati Gregorii doctoris summique pontificis super hoc auctoritatem ostendit dicentis, ut *privilegia monasteriis indulta nulla ratione infringi posse; quia qui predecessoris institutionem molitur dissolvere, suam quandoque ostendit in hoc non posse statuere.* Itemque ostendit edictum domni 10 Ottonis augusti, dicentis: *Ut regibus et imperatoribus ea quae regni et imperii sunt, non sit licitum nisi se viventibus alicui tribuere, exceptis ecclesiis; et omne scriptum sive ius aut lex vel consuetudo, quod Dei ecclesiis obsistere videtur, in irritum habeatur.* Ergo libertas ecclesiarum in nullo pregravatur. Iterum ostendit pars Oddonis beati Gregorii dispositionem, qua per partes Italiae locis nominatis ordinaverat defensores sive ministros, ut patrimonium vi- 15 delicet suum vel beati Petri apostoli ecclesiae honestissime et rectissime ac fidelissime, non divitibus sed pauperibus et indigentibus dispensarent; quos etiam non laicos, sed clericos censuit esse debere, sub divini precepti interdictione. Ad haec Sanctae Mariae pars sic respondebat: *Si unius tantum pontificis temporis dispositione patrimonii per aliqua Italiae loca functa, omnem Italiam ad ius patrimonii Romanae ecclesiae vos vendicare censetis: quomodo* 20 *non magis per* 330 *annorum curricula a Constantino imperatore augusto usque ad Carolum imperatorem expleta, in quibus iura imperii per exarchos ac patricios defensa nobis ostendentibus fuerunt, credere debetis? et a Carolo imperatore usque nunc similiter, per duces marchiones comites et castaldos rei publicae et imperiales pertractata sunt per annos fere* 453. *Ne forte autem vobis placeat causare precepta regalia ad huius monasterii libertatem edita, libeat* 25 *vobis audire, quod Bonifacius papa quintus constituit, ut testamentum valeat secundum iussionem principis.*

25. Constat ergo sane, quia ut supra retulimus, non omnis Italia, sed quaedam in ea loca seu vocabula parti beati Petri ecclesiae patrimonio fuerunt largita. Alioquin si omne Sabinense territorium patrimonii predicti fore censetur, ubi sunt iura 30 reliquarum ecclesiarum? ubi hereditates comitum et illustrium virorum? ubi etiam rei publicae vel privatorum? Et si sua sunt omnia, quare antiqui pontifices vel moderni aut gratis accipiunt proprietates aut emunt potius res et possessiones terrarum sibi largientium virorum? Nam quod a temporibus Caroli imperatoris deinceps numquam de Italia vel Roma cessaverit imperiale vel regale dominium, fideliter nunc intimemus. Pontifices etiam semper 35 principali assensu ordinatos ostendamus. Denique idem Carolus una cum Pipino filio suo Romam venit, domnum Leonem papam tertium ab impiis lingua precisum et cecatum potentissime vindicavit, et ab eo coronam imperii suscepit. Temporibus autem Sergii pape secundi Hlotharius rex Romam venit, et ab eo coronatus, aliquandiu ibidem deguit; deinde Papiam reversus est, ubi ab exordio principatus sui culmen regebat. Leone vero papa IV 40 electo, Romani contristabantur, eo quod sine imperiali non audebant auctoritate futurum pontificem consecrare, periculumque Saracenorum Romanae urbi maxime imminentem metuebant, ne iterum ut olim alienis ab hostibus obsideretur. Quapropter sine permissu principis presulem consecraverunt. Hic tamen venerabilis pontifex dum pavore Saracenorum civitatem Leoninam vellet construere, adiutorio consilioque eiusdem Hlotharii augusti stu- 45 duit perficere; a quo etiam sive ab eius fratribus non modicas argenti libras pro hoc meruit accipere. Cuius temporibus quidam Danihel magister militum domni Hludovici imperatoris curiam adiit, et Gratianum quendam magistrum militum pessime accusavit, dicens, quod idem Gratianus secum habuisset occulte consilium: *Quia Franci,* inquiens, *nobis nichil bona faciunt, neque prebent adiutorium, sed magis nostra violenter tollunt, quare Grecos non ad-* 50 *vocamus et cum eis fedus componentes Francorum gentem de nostra dominatione expellimus?* Quo audito imperator iratus venit Romam, quem domnus Leo papa honorifice suscipiens, predicationis verbo studuit placare. Quadam autem die imperator una cum papa et omnibus Romanis atque Francis de predicta accusatione placitum habuit, et inventus est mendax Danihel, qui etiam legali iudicio traditus est Gratiano, ut quicquid facere vellet de eo, pote- 55 statem haberet; imperator vero humili supplicatione a Gratiano recepit et de mortis periculo liberavit.

Benedictus vero papa III coram missis imperialibus consecratus legitur, quem cum cesar Hlodovicus defunctum audisset, qui ante paululum a Roma discesserat, concitus ad eam rediit, et ipso presente Nicolaus a Romanis electus papa est consecratus. Iohannes autem papa XIII a Rofredo comite Campanino, Petri prefecti adiutorio et vulgi populi de
5 Carcone, est comprehensus, et in castello sancti Angeli reclusus, a quo abstrahentes, Campaninae partibus in exilium mandarunt. Interfecto vero Rofredo, Iohannes papa reversus est in suum honorem. At ubi Otto imperator Romam venit, et haec gesta audivit, Romanorum consules comprehendit, et ultra montes in exilium direxit; de vulgi autem populo in patibulum undecim suspendit. Prefectum vero in potestatem papae dedit, qui eius barbam
10 abscidere fecit, et capillos eius in caballo Constantini ad omnium exemplum suspendit. Expoliatumque super asinum posuerunt, adverso capite ad caudam asini, et manibus sub cauda eius; et posuerunt utrem pennatum in capite et in coxis eius, et tintinnabulum ad collum, et per totam Romam flagellatum duxerunt; et tunc in carcerem miserunt; post hec imperatori dederunt. Rofredi quoque comitis et Stephani vestararii ossa de sepulcris abstracta, foris
15 Romam sunt proiecta. Benedictus etiam papa VI a quodam Cencio est comprehensus, qui in castellum sancti Angeli est missus, ubi mortuus est; eoque vivente Bonifacium diaconem papam miserunt, qui post mensem unum fugiit in Constantinopolim. Deinde ordinatur papa Benedictus VII Sutrinus episcopus; post quem Iohannes Papiensis. Hunc post menses octo superior Bonifacius a Constantinopolim quo fugerat reversus comprehendit, ac deposuit et
20 in castello sancti Angeli in custodiam misit, ubi famis et infirmitatis angustia post menses quattuor est mortuus et ut fertur occisus. Ipse etiam Bonifacius post menses undecim repente interiit; quem sui execratum post mortem ceciderunt et lanceis vulnerarunt et ante caballum Constantini per pedes trahentes dimiserunt; mane vero clerici colligentes sepelierunt. Post haec Iohannes XV papa eligitur. Iste exosos habuit clericos, propter quod
25 et clerici eum odio habuerunt; et merito, quia quae habere poterat, parentibus distribuebat. Benedictus quoque papa VIIII, qui Theofilactus dicebatur, de pontificatu eiectus est, et Iohannes Sabinensis episcopus constitutus, cui nomen imponitur Silvester. Quo eiecto post dies quadraginta novem Benedictus prefatus recuperavit papatum, qui post mensem unum vendidit illud Iohanni archicanonico Sancti Iohannis portae Latinae, nomine Gratiano; cui
30 nomen imponitur Gregorius. Quem imperator deposuit et ultra montes ire compulit, et Clementem II papam constituit. Post menses autem novem predictus Benedictus pontificatum mensibus octo recuperavit. Damasus post hec sedit dies viginti tres, post quem extitit presul apostolicus Leo magnus Teutonicus, inde Victor Noricus; tum Stephanus IX, demum Benedictus Belliternensis episcopus qui post menses novem expellitur, et Nicolaus Allobros
35 qui Burgundio dicitur papa eligitur. Hic quippe venerabilis pontifex, cum omnia superius denotata optime didicisset, et cognovisset multotiens sub maxima intentione et cleri populique dissensione plurimos pontificum sedem apostolicam olim subripuisse, et quod deterius est, pecuniis eam optinuisse vel vi seculari invasisse; propter pacem et concordiam unitatemque sacerdotalis dignitatis et fastigii imperialis generale congregavit concilium, in quo
40 ut cuncta supra commemorata et inique exhibita destruerentur, ne quicquam eorum a quovis in posterum fieret, hoc sanctum studuit decretum firmissime statuere: *In nomine domini Dei salvatoris nostri I. C. a. ab inc. eius* 1059 — *confirmaverunt.*

26. De privilegiis aecclesiasticis et constitutionibus sacris numquam corrumpendis neque violandis sanctorum auctoritates patrum, quas autenticas reperimus, omnipotente Domino
45 adiuvante huic inferre opusculo et annotare curavimus, propter eorum videlicet ignaviam, qui fatentur, privilegium sive constitutio alicuius non valere pontificis, nisi tantum temporibus illius qui edidit. Primo itaque videndum est clarius, quid sit privilegium. Privilegium quippe privata lex est, id est precipua atque summa et excellentior omnium legum, quam nemo umquam violare aut corrumpere aut infringere poterit sana fide. Dicitur etiam et de-
50 cretum, id est diu declaratum et ad puram examinatum. Quapropter, si Decianae leges sive Diocletianae aut cuiuslibet imperatoris ethnici promulgatae habentur et custodiuntur per innumera annorum curricula, id est post eorum interitum qui eas statuerunt: multo magis beati Petri apostoli vicariorum, qui vice illius aeterno dono potestatem a Christo ligandi et solvendi acceperunt et perpetuo cum eo regnare creduntur, constitutiones in omnibus firmis-
55 sime et omnimodis valere debent, et qui eas prevaricari presumpserint, perpetui puniendi sunt vinculo anathematis. Denique si, ut ait apostolus, irritam quis faciens legem Moysi,

sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatur deteriora mereri, qui spiritui gratiae contumeliam fecerit? Illa etiam lex per servum carnali populo data est, haec vero per Christum filium Dei vivi apostolo Petro et eius successoribus gratiae spiritu sanctificatis ligandi atque solvendi potestas largita est; quam qui denegat vel detrahit aut corrumpit, Spiritui sancto contumeliam facit. Ipsis enim dominus Christus loquitur 5 dicens: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Notandum quoque est, quod bulla vel formata privilegiorum, non auri, vel pretiosioris metalli insignita habetur, sed tantummodo plumbi. Et hoc non incongrue; plumbum enim non pretiosius, non durius, non fortius est metallum, sed vilius et mollius, mitiusque fore dinoscitur. Et revera mens et doctrina summi pontificis et viri apostolici humilis et mitis in omnibus esse debet, semper habens 10 viscera mitia pronaque ad misericordiam et ad omne opus bonum. Et sicut plumbum magni ponderis est, ita apostolica auctoritas in causis providendis sive constituendis, gravis et fixa stabilisque et constans semper est habenda; semper irreprehensibili debet vigere prudentia. Denique omnium iura ecclesiarum in his quae sunt ad Deum, ipsius dispositione moderantur, et aeterna sive spiritualia misteria eiusdem magisterio informantur. Ergo si permansura 15 apostolica auctoritate constituta immobilia permanent, quanto magis temporalia eius dispositione largita, firmissima perdurare debent? Nam post aeternam potestatem per beatum Petrum apostolum Romana sedes ademptam a Christo, temporale etiam suscepit privilegium ab imperatore Constantino, quod iure possidere creditur aeterno. Nec ei quicquam impossibile est ex acceptis ab eo quae largienda sunt, prout cuique opus fuerit alicui ecclesiae lar- 20 gire, quia omnium pastor est ovium et cuncta providere cura pastorali debet. Et sicut privilegium sibi collatum defendit Constantinianum, licet ipse fuerit terrenus dominus: ita convenit defendere singulis ecclesiis, id est suis membris, aliquod a se privilegium indultum; quoniam summus sive coelestis pastor, aeterni dono pastoris, stabile et velut aeternum esse debet quod suo dono concedit, exemplum veri figuli gerens, qui vasa terrea ex molli luto 25 conficiens, postquam ea coxerit igne, firmissima permanent. Sic sic credendum est de concessis donis summi pontificis. Postquam enim Spiritus sancti virtute concessa perpetuo stabilienda iudicaverit, sicut Dei dona omnipotentis irrevocabilia sunt, ita et ipsa inconvulsa aeternaque sunt habenda. Nec in quovis apostolicum ius minuit, cum reliquis ecclesiis, propriis scilicet membris, commodum eorum tribuit; et extra matris ecclesiae iura non fit pia 30 largitio, cum de manu in manum et de sinu in pectus fuerit discreta translatio.

27. Ergo privilegia ecclesiastica apostolica auctoritate ecclesiis concessa, et sacrae constitutiones a sancto pontifice roboratae, et eo qui statuit vivente et quocumque pontifice succedente, firmissimae et inconvulsae atque incorruptae perpetuo sunt habendae. Quarum sponte prevaricatores aeterna punientur ultione. De his enim Clemens Romanae ecclesiae 35 praesul scribit: *Quod omnes legum divinarum libenter violatores et sacrarum institutionum voluntarię perturbatores ecclesiastica indignos regula et sancta communione beatus Petrus apostolus ore suo iudicabat.* Item: *Precepta apostolica nemo credat absque suo periculo negligere vel dissimulare; quia in iudicio Dei ignis aeterni tormenta sustinebit, qui ecclesiastica decreta negligit.* Item: *Si quis precepta apostolica non integra custodierit, sit anathema us-* 40 *que in adventum domini nostri Iesu Christi.* Anacletus papa: *Transgressores sponte legis suae eiusque violatores apostatae nominantur; omnis autem apostata refutandus est.* Item: *Privilegia ecclesiarum et sacerdotum sancti apostoli iussi Salvatoris intemerata et inviolata eius decreverunt manere temporibus; leges vero ecclesiae apostolica firmamus auctoritate, et peregrina iudicia submovemus.* Euaristus papa: *De cetero caveantur talia per omnes ecclesias,* 45 *ne ecclesiae sanctitas per nostram fatigata negligentiam, perdat privilegia quae per viros venerabiles est consecuta.* Alexander: *Nobis loqui necessitas imperavit, dicente propheta: „Exalta ut tuba vocem tuam.“ Et cui omnium ecclesiarum cura est, si dissimulem, audiam Domino dicente: „Reiecistis mandatum Dei ut traditiones vestras statuatis.“ Quid enim aliud est reicere mandatum Dei, quam privato consilio iudicio humano novis rebus constituendis li-* 50 *berius delectari? Unde et alibi scriptum est: „Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.“ Terminos indubitanter transgreditur, qui dominica precepta et apostolorum eorumque successorum statuta confundit et minime observat.* Xistus papa: *Nos fratres nullum perdere volumus; sed ipse se perdit, qui pia inconsiderate avertit, et qui apostolorum huius sacrae sedis decreta libenter violat.* Anteros: *Veteri quidem lege habetur, quicumque* 55 *sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur a populo, aut gladio*

cervice subiecta contemptum expiabat cruore. Nunc vero inobediens spirituali animadversione truncatur, aut eiectus de ecclesia rabido daemonum ore discerpitur. Fabianus papa: *Lex loquitur „Maledictus omnis, qui transfert terminos agri proximi sui", et dicit omnis populus amen. Si enim in rebus secularibus suum cuiusque ius et proprius ordo servandus est, quanto* 5 *magis in ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio? quod hac observatione servabitur, si nichil potestati, sed totum aequitati tribuitur.* Cornelius papa: *Nos vero suscipientes apostolorum eorumque successorum iura firmamus; quae si quis in vanum duxerit, hostis est animae suae.* Stephanus papa: *Infames autem esse eas personas dicimus, quae christiane legis normam abiciunt et statuta ecclesiastica contemnunt, et apostolorum atque successorum* 10 *eorum religiosorumque sanctorum patrum institutiones libenter violant.* Dionisius papa: *Infames esse censemus, qui suam aut christianam prevaricantur legem, aut apostolicam vel regularem libenter postponunt auctoritatem.* Felix papa Paterno coepiscopo: *Tuam, frater, monemus prudentiam, ut ordinem sanctae Romanae et apostolicae ecclesiae per omnia teneas, et violari sanctorum decreta non permittas.* Leo papa: *Omnia decretalia constituta, tam beate* 15 *recordationis Innocentii quam omnium predecessorum nostrorum, quae de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita vestra dilectione custodire debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.* Synodus Calcedonensis: *Regula sanctorum patrum per singula nuncusque concilia statuta proprium robur optinere decrevimus; ut si quis sacerdotum contra haec interdicta fecerit, a suo sit officio submovendus.* 20 Gregorius Dominico episcopo Cartaginensi: *De ecclesiasticis privilegiis quod nostra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque ecclesiis sua iura servamus.* Item Gregorius Iohanni Sillicitano episcopo: *Grave nimis et contra sacerdotale constat esse propositum, cuiusquam monasterii privilegia olim indulta confundere, et ad irritum quae sunt pro quiete disposita niti deducere.* Item Gregorius Boni- 25 fatio primo defensori: *Institutionis nostrae decreta, quae sunt privilegiis et ordinatione disposita, perpetua stabilitate sine aliqua constitutionis refragatione servari, sive quae scripto decrevimus sive quae in nostra presentia videntur esse disposita, nec a quoquam pontificum in totum vel in partem ea qualibet occasione convelli decernimus, vel mutari. Nam nimis est asperum, et precipue bonis sacerdotum moribus inimicum, niti quempiam quacumque rationis ex-* 30 *cusatione, quae bene sunt ordinata rescindere, et exemplo suo docere caeteros sua quandoque posse constituta dissolvere.* Item Gregorius Vigilio episcopo Arelatensi: *Sicut hoc quod ratio exigebat, utiliter optinuit definiri, ita quod definitum est, non debet violari.*

28. De supra scripto autem privilegio domni Nycolai pape notandum, ne quis insipiens parvipendat in illo catholicam constitutionem, et ne alieno spiritu seductus contemnat huius 35 institutionis veraeque fidei unitatem; ne ibi prolata multetur aeterna damnatione; quoniam non nova in eo instituit, nec aliqua recentia ordinavit. Antiquissima enim sunt et autentica istius decreti moderanima, in sancta semper usitata ecclesia, et a nullo umquam apostolicorum confusa. Non vero terminos a patribus constitutos transgressus est; sed sicut omnes eius predecessores eos constituerunt vel ipsi gesserunt, sic etiam et ipse stabivilit, et 40 ut pax et concordia semper in sancta permaneat ecclesia illud commendavit. Quapropter nemo respuat quod statuit habens regni celestis clavem; quoniam lingua pacifici fidelisque apostolici clavis est perpetua coeli, ut quae solvenda sunt solvat, et alliget quae sunt liganda. Hanc denique clavem beatus Petrus eiusque vicarii susceperunt ab eo qui claudit et nemo aperit, aperit et nemo claudit. Et sicut credimus sanctam ecclesiam a domino Christo 45 supra firmam petram aedificatam, sic confitemur beati Petri vicariorum firmissima per omnia esse statuta. Ergo sicut ecclesia Christi non potest a procellis subverti, ita nullo modo debent transgredi discrete instituta viri apostolici. Nam quicumque ea quae propter unitatem fidei et concordiam pacis sanctaeque stabilitatem ecclesiae pontifex apostolicus instituerit, contemnere satagit, firmissimam petram ecclesiae conatur subvertere, ideoque iu- 50 dicium Dei non effugiet. Nec aliquis etiam pontificum successorum, quaecumque eius anterior disposuerit, ob sanctae ecclesiae quamcumque utilitatem debet evellere. Quoniam si exorbitaverit a patrum itinere priscorum et dissimilis fuerit a rectitudine, non verus pastor sed prevaricator estimabitur in regno coelorum, quia nititur solvenda claudere et claudenda solvere, immortales animas necare et mortales vivificare; propter quod carebit honore cathe- 55 drae divinae, et nunquam sui poterit esse firmus constitutor qui alieni extitit monimenti promtus violator. Denique cunctorum sanctorum auctoritates infames esse notant piarum

legum destructores. Hinc vero referendum est, quod plurimi insipientium dicentes fatentur: *Antiquorum statuta moderni destruere possunt, quoniam uti nos, et illi homines fuerunt.* O quam detestanda praesumptio! quam abhominanda dictio! quam exsecranda blasphemia! Blasphemat hic in sanctos, immo contra Spiritum sanctum, quorum munere coelestia docuerunt; iccirco lapidibus vivis, id est sanctorum sententiis patrum est puniendus, sive obruendus. Si enim autenticorum patrum statuta subverti vel destrui possunt, doctrina Petri et Pauli ceterorumque sanctorum pro nichilo duceretur et a quocumque haereticorum penitus destrueretur. Quodsi illa perpetuo firmitatem accepit, dicente ei Domino: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non prevalebunt adversus eam,* credimus et omnimodis asserimus, quoniam etiam vicariorum beati Petri institutiones perpetuo inconvulse debent esse et permanere, quemadmodum beati Petri sancta permanet ecclesia fides. Non solum autem pontifices, sed etiam omnes sanctae ecclesiae constructores, qui fidem de domino nostro Iesu Christo retinent pure, quam idem Petrus confessus est, sicut ipse Petrus quod ei dominus concessit perenniter suscepit, sic et ipsi donum perpetuae capiunt remunerationis. Petrus enim pro omnibus respondit, et in Petro dominus Christus omnibus fidelibus quibus sancta ecclesia constat aeternaliter concessit; et quicumque in Petri confessione solidatur firmissime, in Petri quoque dono remunerabitur aeternaliter. Fundamentum namque ecclesiae super Petri petram construitur a cuius doctrina nullus deviare debet; quoniam quicumque ab ea deviat, non super ipsam petram, sed super arenam aedificat. Scriptum est enim: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, preter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Quicumque vero sanctorum catholicorum in hoc fundamentum lapidem construxerit, id est sanctam ecclesiam statuerit, non potest a quoquam subverti, quoniam supra firmissimam petram iecit; in quo fundamento alieni petra aedificii non potest inici, quia domui Dei, id est sanctae ecclesiae, perfidiae vel pravitatis et dissensionis doctrina non convenit. Qui enim patrum autenticorum et maxime apostolicorum bene ordinata et pro quiete concessa destruit, a patrum dignitate excidit, et non est eius audienda sententia, quia extra Christi fundamentum et contra eius ecclesiam iacere illum, patrum priscorum demonstrat doctrina autentica. Etenim, quemadmodum decrevit beatus Gregorius papa: *Sicut hoc quod ratio exigebat, utiliter optinuit definiri, ita quod definitum est, non debet violari.*

1105. 29. Interea pars Oddonis legit quoddam preceptum domni Hludovici imperatoris Stephano papae quarto concessum, de quibusdam plurimis locis per Italiam diverse sitis, beati Petri apostoli ecclesiae donatis. Pars quoque Beatae Mariae econtra eiusdem Hludovici imperatoris huic monasterio preceptum emissum antiquius ostendit, per quod confirmavit omnem libertatem ab aliis imperatoribus antea concessam, id est a Hlothario patre et avo Hludovico imperatoribus, ubi loca ipsa nominatim designabantur, unde intentio et causa agebatur; videlicet fundum Furanum, fundum Paccianum qui Collis de Nera cognominatur, et fundum Marcilianum. Insuper et privilegium confirmationis ipsius Stephani pontificis pars Beatae Mariae huic monasterio relegit concessum, ubi similiter loca ipsa prenominata et fundi continebantur. Tunc non iam de proprietate ipsorum locorum concessa a causidicis Oddonis quaestionabatur, sed finium eorundem locorum ab eis terminus quaerebatur; et volebant, ut pars Sanctae Mariae deberet assignare. Quod quia non legibus sed inique exigebant, recte impetrare nequibant. Nam qui contra aliquem petit quamcumque rem, petitor debet ipsam consignare secundum legem. Denique in hoc placito prudentissimus iudex Florentinus nomine Bellincio erat constitutus a comite Rainaldo electus; qui cautissime utrisque partibus auditis, proferre debebat sententiam directae finis. Qui omnia superius comprehensa sapienter audiens, novissime quaesivit antiquiores et ab utraque parte viros tres ipsorum locorum circummanentes, ut illorum vera recordatione posset discernere predictorum locorum possessionem. Nam Oddo dicebat, quod ipse recordaretur, a tempore Nycolai papae predictorum locorum omne redditum sive districtum habuisset exactor Romanae curtis. Altero autem die venerunt quidam homines de Septimiliana ex parte Oddonis, qui dicebant, se aliquando exactores fuisse et de Pacciani loco quintum collegisse. Affuerunt quoque et de castris Furano et colle de Nera viri antiquissimi novem; qui primo singillatim et insimul postea interrogati, legem se purissimam facere proferebant, quod numquam tributum neque aliquod redditum neque districtum ex eisdem castellis exactor habuisset aliquis Romanae curtis, preter quod temporibus Gregorii papae VII aliquando super nos hostiliter venientibus et aestatis tempore segetes vel areas nostras incendere minantibus, obsides coacti dabamus,

sicque nostra reliqua bona pretio redimebamus. Itaque superati sunt ridiculi partis Oddonis, et horum veracium ausu testium per omnia confusi. Super haec autem et viri nobiles ac domini prefatorum castellorum ostendebant munimina et instrumenta acquisitionum suarum, quas a singulis hominibus magno pretio antiquiores emerant parentes ipsorum; in quibus 5 continebatur, quod venditores ipsi sic vendiderunt parentibus eorum omne placitum, omne districtum, omne redditum et omne quintum et portuum etiam teloneum, de Pacciano qui et Collis de Nera vocatur, et de Marciliano simulque et Gabiniano, sicuti ipsi per successiones parentum suorum quiete et pacifice ac sine alicuius violentia potestatis possederunt. Haec audientes et suptilius indagantes comes Rainaldus et prefatus Bellincio iudex eius, secretius 10 invicem consilium habuerunt, et de sententia diffinite proferenda prudentissime pertractare ceperunt. Et quia alicui partium forsitan gravari previdebant, sagaciter egerunt, ut minime sententia proferretur, sed magis aequo pacto inter eos causa ipsa finiretur. Quod quia non valuerunt, rogatu comitis Rainaldi quaeque pars sua pignera et obsides ab eo receperunt, et in fine quorum spatiis annorum quattuor per sacramentum firmaverant, Oddo et domnus 15 abbas, cum huius monasterii et Oddonis captivi laxarentur, permanere eos omnimodis decrevit, anno Christi inc. 1105 mense Iulio, die 15, in palatio castri Tophiae; ubi interfuerunt ex parte Oddonis Leo iudex, Cencio Iohannis Madelmi, Benedictus de Piscatrice, et Gosfredus moderator Reatinae urbis; ex parte autem domni abbatis Petrus iudex a Sancta Maria maiore, Rainerus Perosinus, Berardus de archidiacono Ortano, et Petrus de Transtybere.

20 30.[a] Prudentium sane virorum sive catholicorum moris est providere in omnibus bona, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, ut in cunctis glorificetur Deus atque laudetur operibus. Non enim parvipenditur, si quando ab insciis blasphematur Deus, vel si inter pios aliqua causa sit, ut scandalum possit oriri, scriptura quippe dicente: *Oportet nos testimonium bonum habere, etiam ab his qui foris sunt.* Haec iccirco fatemur, quoniam 25 quosdam simpliciter, quosdam vero invidiose novimus musitare de domni patris nostri Beraldi prelatione. Aiunt enim illum ceu tyrannum et bonorum distractorem coenobii huius fuisse; ideoque in eo scandalizantur aliquo modo. Quorum scrupulum ut queamus vitare, ipsius nonnulla gesta a primevo tempore huic opusculo inserere curamus, quatinus proficua plurima erga huius coenobii negotia ab eo perpetrata fideliter proferamus. Enimvero ipsius 30 prelationis diebus periculosa tempora perspeximus, et quaedam inaudita contraria adversus hoc monasterium invidiae causa a nostris vicinis[b] et maxime a pontifice Romano iniuste effici minime ignoramus. Quae ille omnipotentis Domini iuvamine eiusque suffragio genitricis, immenso certaminis pondere pertransivit viriliter. Defuncto denique domno Berardo secundo abbate, haec aecclesia Pharphensis in maximam devenit defectionem. Eramus enim 1099. 35 sicut oves non habentes pastorem, quoniam qui nostrum tunc assumpserat regimen, a suis non modice contemnebatur et ab extraneis pro nichilo ducebatur. Comites quoque sive capitanei pene omnes bona abbatiae pedetemtim sibi conabantur optinere. Quapropter praecipui seniores domnum Beraldum nobiliorem, incliti viri Ascari filium, elegerunt abbatem, videlicet ut suorum plurimorum nobilium fultus iuvamine parentum, nequaquam cederet cui- 40 quam res huius monasterii subripere. Quod ita factum Dei providentia perspeximus, quemadmodum in posterum fideli relatione narrare curabimus. Postquam vero corroboratus est in abbatiae honore, illi qui antea bona huius coenobii satagebant demoliri, aliquantulum istius sunt terrore compressi; et qui prius crudeles videbantur aemuli, demum se simularunt fideles fore clientes. Sed minime diu latere valuit virus quod in eorum iecore latebat. In- 45 terea coeperunt quam plurimi Sabinensis territorii ad istius ecclesiae dominium festinare, ac sub istius domni abbatis auxilio properare, quatinus ipsius muniti suffragio ab illorum morsibus eruti forent. Quod illi perspicientes, et nimium prae oculis dolorem habentes, agere aliud nequibant, et infra semet ipsos suosque domesticos seviebant, et infelices suamet viscera pascebantur. Sed quid de eorum sevitia dicam? Iam enim quia istius probitatem 50 suamque miseriam ferre nequibant, inierunt foedus, erraverunt a ventre, locuti sunt vana. Interim noster abbas qui et pater, nullius tunc conscius doli, in marchiam secessit. Illi vero tempus sibi aptum putantes habere, nocte surgunt, oppidaque nostra quaedam summo inva-

a) *est initium continuationis, quam Gregorius post Beraldi obitum a.* 1119. *incepit sed non ad finem perduxit in Chron.* 653. *Idem initium et in Registrum transscribere fecit per Todinum f.* 1225 *de reliqua Beraldi vita nil addens.* b) ca- 55 pitaneis comitibus *addit Chr.*

dunt conatu, et omnia quae inveniunt, depopulabantur. Mox itaque ut haec facta aures praefati pulsarunt patris, celerius cursim rediit et ab illorum insidiis se circumquaque munire studuit, ac plane mutua dona eis reddere coepit. Et tandem placitum illi Dei peragente nutu finem fecerunt, et aliquantulum a manifesta lesione cessarunt. Preterea nos ad istius prelocuti patris actuum narrationem suptiliter properemus, ut cuius fuerit constantiae vel laboris, enucleatius videatur. Igitur postquam divina propinatione ex puerili custodia exiit prefatus domnus Berlandus, perrexit ad suum genitorem Ascarum qui eius amoris causa concessit huic monasterio unam ecclesiam et presb. quattuor . . . . In [a] his omnibus veraciter est laudandus prefatus abbas Beraldus bonaeque memoriae in posterum habendus; sed in eo aliquantulum culpandus, quia in aliquibus segnis fuit, et ultra modum consanguineos delexit. Quod ut ei indulgeat, Deum attentius deprecemur.

1119. 31. Anno igitur d. i. 1119 ind. 12. et 18. Kal. Ian. feria quoque 2. ebdomadae 3 adventus dominici, domnus Beraldus nocte obiit, famosae memoriae et huius coenobii Farfensis abbas laudabilis. Haec autem sunt ornamenta, quae hac in aecclesia ipso die quo migravit, certissime reliquit: In primis altare itinerarium, quod regina Agnes nobis obtulit valde optimum. Tabulam quoque ante altare principale maiorem argenteam et deauratam, pensantem libram, et alteram minorem super eodem altare simili opere, pensantem libras . . . quas ipse fieri fecit. Et cruces argenteas 2 maiores et 1 minorem. Missalem maiorem cum tabulis argenteis. Missalem domni Oddonis. Et textum euangelii, quem prefata regina huic monasterio dedit, cum tabulis eburneis et argenteis ac deauratis. Et alium cum tabulis eburneis. Et alium cum crucifixo argenteo. Et alium predicti Oddonis cum tabulis deargentatis. Et cottidianum euangelistarium cum tabulis deargentatis. Et epistolarium domni Oddonis argento ornatum. Et alium quem fecit domnus Romanus bone memorie. Et orationalem cum tabulis eburneis. Item libros 4 opertos pallio, videlicet missales 2 et textum euangeliorum atque epistolarem. Item calices 7. Turibula argentea 3. Capsulas argenteas 4 cum cocleariis suis. Amulas argenti 3, unam earum opertam auro. Patenas argenti 2. Gallum argenteum. Scutellam argenteam. Situlam argenteam aquae benedictae. Argentum quod remansit a cruce. Nuscam auream femineam. Stellam argenteam et cristallinam luciferam valde bonam. Item vestes 4 altaris principalis; primam ei dedit domnus Heinricus imperator, secundam dedit predicta regina, tertiam antiquam pentecosten, quartam fecit domna Raimburga filia Longini. Et mappulam super altare valde bonam, quam fecit Tota domna ancilla Dei. Item vestes 4 altaris domini Salvatoris, primam predicti domni Heinrici regis, secundam predictae Raimburgae, tertiam pallium rotatum predicti abbatis Beraldi, quartam pallium cum leonibus. Item planetas 13, pluviales 13, dalmaticas 2, tunicas 20, telam pallii 1, brachii pallii 3. Crumenam unam imperialem, quam ei donavit predictus H. imperator, quae fuit optima. Item frigium non modicum vestis predicti imperatoris. Et aliud ex diversis vestibus. Item mitram 1, virgas pastorales 2, vexilla 2, offertoria 8, camisiales 100, stolas 6 cum manipulis suis textas auro, unam earum cum squillis aureis, et semicintium cum squillis aureis. Et manipulum similiter. Et alias stolas cum manipulis, exceptis aliis 24. Dorsalia pallii 2 iuxta altare. Tapetia 15. Bullam auream unam in precepto quod fecit huic ecclesie predictus H. imperator bonae memoriae. Omnes supra scriptas res et alia plurima ornamenta prelibatus domnus B. abbas in hac reliquit ecclesia, quae nobis non reducuntur ad memoriam.

32. Sepulto itaque prefato domno Beraldo abbate, ab omni conventu electi sunt duodecim fratres, videlicet presbiteri quattuor, diaconi tres, subdiaconi tres, acoliti duo, qui de novi abbatis persona fideliter tractarent. Hi sibi invicem per librum sanctae regulae et per fidelem spoponderunt pacem, quod de abbatis eligendi persona fideliter omnino tractarent, et neque odii neque amoris gratia personam introducerent aliquam vel laudarent, nisi quae sibi melior et utilior ad hoc videretur; et si quando conventus eos exquireret, certiores de hoc eos facerent, quod sine fraude maloque ingenio hanc causam satagerent. Quibus etiam conventus auctoritate omnium promisit, ut quamcumque personam ipsi confirmarent, conventus reciperet et corroboraret. Indictum quoque est inter nos etiam precipuum consilium, ut triduo peracto ieiunio, vigiliis ac orationibus intenti, Deo placitum nobisque utillimum impetrare a

a) *sequentia non sunt in Chronica, quae terminatur cum privilegio Heinrici de a.* 1118. *Habentur in solo Registro, Todini manu exarata, sed a Gregorio ut credo dictata post a.* 1125. *Gregorius enim a.* 1132 *adhuc librum Florigerum composuit, unde vix credendum, eum hanc continuationem alteri componendam tradidisse.*

Domino studeremus pastorem per dominae nostrae Mariae semper virginis intercessionem. Erant interea quidam nostrorum non satis providi fratres abbatiae populi fautores, qui dicebant, se nolle abbatem de Ascarina gente nec de Camponisca vel Octavianisca consanguinitate. Ad quod aliquis respondit: *Si nullus his de domibus abbas eligitur, putas unde a nobis* 5 *assumitur? numquid desuper caelo aut suptus terra repperietur?* Electi vero et huius causae procuratores fratres anxiabantur valde, quia utilis non inveniebatur, si de prefatis nationibus persone exciperentur. Quod quidam considerans respondit: *Si de nobilioribus contemnitis eligere, quendam de mediocribus sicut Deus destinaverit possumus nobis preponere, videlicet sacristam Guidonem.* Hic enim oboedientiam sanctissime tenebat, eamque in quibusdam re- 10 bus quemadmodum nobis videbatur meliorare satagebat. Quapropter in divina confidentes sententia, quae dicit: *Qui in minimo fidelis est, et in maximo fidelis erit,* non publice sed secretius quoquomodo huic dicto quasi acquievimus; non tamen id perficere plenius deliberavimus. Quod per quendam seductorem rusticanorum sentiens populus abbatiae, praecessit nos inordinate, nostramque destruens triduani ieiunii constitutionem, quorundam equitum 15 nostrorum consensu Guidonem abbatem acclamavit publice et indecenter, illam in ulnis assumens et ad ecclesiam deferre volens. Hoc fratrum audiens conventus, nimis condoluit, et zelo succensus valido, eundem Guidonem de illorum manibus eripuit, ipsosque rusticanos magno cum dedecore de claustro pepulit; et ut hec populi probrosa sententia nullo modo valeret, anathematis excommunicatione interdixit, etiam ipse Guido idem anathema con- 20 firmavit.

33. His ita gestis, omnes pernimium mestificati valde dolebamus, quia nostrorum contra nos equitum sagacitas et villanorum ac rusticorum indomabilis ferocitas et crudelis vesania ac insipiens agilitas nostrae decus ecclesie et huius conventus honestatem festinabant omnino dissipare et in cunctis corrumpere et destruere atque conculcare. Quapropter quidam 25 nostrorum magnanimi constantia atque propensiori consilio, uti demum cognovimus, suggesserunt nobis, ut domnus Rainaldus nostrae scolae doctrina a pueritia inbutus, quem de abbatia sancti Andreae reverti fecerant, super nos festinanter eligeretur. Et licet aliquantis gravaret hoc, factum tamen est altero die, scilicet feria tertia, pene circa horam decimam, 17. Kalend. Ian. Quo peracto, omnis populus abbatiae habita conspiratione sacramento con- 30 iuravit, ut numquam illum reciperent in abbatem, nec aliquem de Ascarina gente. Hoc aliqui nostrorum cernentes, magisque inepti Guidonis electionem quam huius gliscentes, consenserunt, et ut in hoc roboraretur populus, ortari clanculo studuerunt. Videbantur enim eis domni Reinaldi mores et habitus duriores, quos olim exhibuerat in huius monasterii prioratus honore, cum sub abbatis defuncti foret subiectione. Interfuit vero Fredericus W. 35 marchionis filius, qui a populo rogatus et ut fertur munerum promissionibus stipatus, minas et suasiones nobis inferebat, ut voluntate propria consentiremus et predictum Guidonem eligeremus. Veruntamen nobis persistentibus firmiter in electione domni R. diebus quattuor, populus abbatiae contempserunt nobis nostri victus stipendia et . . . .[a] presidia. Dehinc deceptorias suggestiones moliebantur offerre spondentes se totius monasterii apothecas et cel- 40 laria inaestimabilibus substantiis in futurum repleturos, ita ut non per ianuas domorum, sed per culmina tectorum abundantissime omnia replerentur, si prefatum domnum R. electum denegaremus et alterum eis placitum eligeremus. At nos prius quidem inflexibiles fuimus; sed populis minitantibus durissime, domnus Rainaldus fugam coactus est petere. Sicque non ratione canonica victum nec legali iudicio condemnatum, sed rusticanorum tumultibus 45 perterrentes abiecerunt. Quo discedente, nos populi suasionibus et minis devicti decepti atque compulsi, tandem elegimus predictum GUIDONEM, videlicet feria sexta, 14. Kal. Ian. Cui populus abbatiae non consuetam fidelitatem fecit, sed solita sua libertate. Haec nos omnino sprevimus et maximo labore corrigere fecimus. In qua re cum nos signare putavimus, digitum in oculos misimus. Itaque futuros nobis malos pessimosque excessus igno- 50 rantes, hanc electionem direximus ad imperatorem, ut illam confirmaret. Econtra deceptibilis Guido suas simulatorias seu furtivas litteras eidem imperatori mandavit clanculo, ut minime consentiret huic suae electioni, quia persona despicabilis, nobilitate ignobilis, scientia ignarus esset et ad hoc digne offitium perficiendum per omnia inutilis foret et ineptus. Quibus imperator visis, ut credimus eius deceptionem Deo suggerente in eis cognovit; et 55 quoniam scriptum est: *Cor regis in manu Dei*, consilio magnatum habito suorum, huius

a) *vox evanuit.*

prelationem iniunxit abbatiae Berardo nepoti defuncti abbatis, qui curiam eius adierat pro cuiuslibet honoris gratia. Quo facto, et nostra defecit electio, et huic coenobio, ut in posterum dicetur, incepta est gravissima desolatio. Et hoc contra sanctam regulam nostramque consuetudinem noscitur extitisse. Fatendum est autem de predicti Guidonis prelatione, quem populus sibi preponi gliscens petebat, ideo agebat, ut quia cum esset humilis persona et 5 parvulus scientia, non eis dominaretur uti dominus, sed ceu vicinus illorum vitiorum faveret pravitatibus. Quod pro certo non multo post experimento didicimus. Hinc beatissimus Benedictus refert in sancta regula dicens: *Si omnis congregatio vitiis suis consentientem personam pari consilio elegerit, domini loci prohibeant pravorum prevalere consensum.* Quod certe imperator fecisse creditur. Fortasse in litteris ipsius eius cognovit deceptionem, qui se refu- 10 tare simulabat quod avide cupiebat, et imperatorem decipere putabat, qui honorem ab eo subripere putabat. Notum ergo omnibus videtur, quia electio eius non fuit clericorum nec monachorum, sed potius villanorum et rusticorum; et non laicorum ad clericorum, sed magis clericorum voluntas conversa est ad laicorum; et ut dici potest, corporis cauda caput est facta, et de capite sublimi fit extremitas vilis. 15

34. Postquam vero predictus Guido spretus est ab imperatore, contra eius imperium nisus est hanc abbatiam retinere, et terras huius monasterii contra legem regumque et imperatorum precepta prout sibi libuit scriptitare. Nos tamen illum adhuc sincerius diligebamus, nec eum pro aliquo amittere volebamus. Videbatur enim aecclesiasticus in nostris officiis, et sepius preveniebat plurimos in matutinorum vigiliis; missas quoque sollempnita- 20 tum agere non omittebat. Constituit vero et confirmavit una nobiscum nostro regimini omnique conventui quoddam utillimum decretum, quod eius antecessores abbates vel sacramento vel vera statuerant sponsione [a].

35. Interea venerunt legati imperatoris, litteras ipsius ostendentes, quibus iubebat nobis, ut Berardum Ascarellum in abbatem reciperemus. Quod nos tunc omnino sprevimus, eun- 25 dem Guidonem sperantes in futurum habere nobis utiliorem. Et non multo post idem Guido coepit de nobis titubare et contra nos suspicionem habere, verum nos oppido dolentes affligebamur, quoniam spe quam estimavimus de illo frustrabamur. Et quidem nos illum sinceriter diligebamus, et ut dominus liberrimus per omnia esset ortabamur; ipse vero nos in profundum demergere et ad nichilum redigere viliusque venundare vel commutare moliens cona- 30 batur. Ab omni autem populo omnino despicabilis habebatur, nosque illum uti preclarissimum dominum verebamur. Ipse vero laicorum adulationibus uti mallens quam nostrum habere sincerissimum amorem, nosque per omnia floccipendens, cepit contra nos inconditos ostendere mores, et in tantum tirannidem exsecrabiliter exercere, ut quosdam iuvenes in ipsum verbo sollummodo delinquentes levi propriis manibus verberaret, et sublata ab eis 35 monachili veste, positos in trivio de huius aecclesiae hereditate expellens abiceret.

36. Interea auditum est a nobis, quod Berardus Ascarellus ad hanc abbatiam invadendam de marchia venire disponeret. Quapropter in die memoriali, id est letaniae maioris, simul convenientes, consilium habuimus, ut illum super nos nequaquam reciperemus quia ad imperatorem nobis nescientibus ierat, et ab eo contra nostram electionem investituram huius 40 prelationis acceperat, unde terribilem anathematis excommunicationem publice de eo fecimus, et concorditer in hoc nos permanere per fustem sanctae crucis spopondimus. Sed neque sic eundem Guidonem nobis placare nec securum reddere quivimus. Magis videns nos Berardi Ascarelli tam firmissimo nisu declinasse prelationem, securus iam de eo, vilissimos nos in omnibus et extremis servis deteriores habere deinceps cogitabat. Cernens autem predictus 45 Berardus Ascarellus se a nobis esse contemptum, Guarnerium marchionem cum omnibus comitibus et capitaniis ademit magnis pecuniis, tribuens eis in pignus huius monasterii immobiles possessiones. Solus comes R. noluit ab eo aliquam recipere dationem, quia videbatur sibi contra imperialem quam fecerat agi fidelitatem. Venit ergo predictus Berardus armata manu et plurimis stipatus militibus ad hoc monasterium. Nos vero videntes in nullo 50 posse sperare in Guidonis prelatione, cui tantam ut prediximus subiectionem exhibuimus, ut amplius addere nequiremus, et ipse contra nos semper agere satagebat deterius, poenitere coacti sumus, quod voluntati nostrorum populorum condescendimus, et accepto quod nobis et comitibus atque capitaniis utilius videbatur consilium, ut iussui obsecundantes imperiali,

a) *sequuntur quinque chartae quas omisimus.* 55

eundem Berardum super nos reciperemus. Hoc enim rectius decernentes, nobis amplius laudaverunt; videbant enim totam distrahi omnimodis abbatiam, et predictum Guidonem deficere sensu atque congrua prelatione. Abundabat enim omni mendatio, et falsissimus noscebatur in omni locutione. Itaque prefatum BERARDUM inter nos venientem et se ipsum 5 accusantem fratres susceperunt, et de excommunicatione illum extrahentes, ut moris est, in abbatem elegerunt. Factumque est a. D. 1121, videlicet 2. Non. Mai, feria quoque sexta. 1121. Cui etiam castella et possessiones huius monasterii et quotquot de nostro populo valuimus, subiecimus, videlicet castrum Cavalleriae, Agellum, Roccam, Salisanum, Podium Catini, et castella sive terras comitales, id est Caput Farfae, Cerretum malum, Scandriliam, Ofianum, 10 Montalianum, Repastum.

37. Erat autem in montanis locis noster primo electus domnus Rainaldus, quo secesserat de hac abbatia a populo nostro inique expulsus. Qui a quibusdam consanguineis suis pecunia premiatus, suasus et callide ac fraudulenter deceptus venit, ut cum eodem Berardo loqueretur. Ubi quidam interfuerunt, qui eidem domno R. ex parte predicti Berardi sub iure- 15 iurando firmaverunt, ut haberet omni tempore vite sue quasdam res quae ad eius regimen honeste forent sufficientes, id est monasterium sancti Iohannis de monte et quedam alia sibi utilia. Post haec subito ignorante ac nolente domno Rainaldo fecerunt per quendam sub persona eiusdem domni Rainaldi aliud sacramentum contra predictum Berardum, quomodo ipsi callide finxerunt. Sicque domnus Rainaldus venit ad hoc monasterium, ubi eum quidam 20 fratres in conventu rogaverunt, ut cum eodem Berardo concordiam haberet et ad eorum condescenderet voluntatem. Quibus ipse coram omnibus respondit: *Vos abbatiam mihi dedistis, et postea inique ablata est a me et sine canonico vel legali iudicio, sive etiam gratis. Nunc autem nil habeo nilque dare possum nec debeo. Verumtamen pro vestro colloquio, dilectissimi, hoc inquio, ut isto vivente et abbatiam tenente interim quiescam, et neque litem neque* 25 *guerram ei faciam, si ipse omni tempore observaverit, quod mihi sacramento firmavit. Quodsi iste quoquo modo abbas esse desierit, denuntio et notum facio, quia propter hoc quod vestrae nunc caritati cedo, meam iustitiam vel rationem rectam nunquam exinde amittere volo, nec in aliquo malignari patiar.*

38. Cernens autem predictus Guido, his se tunc resistere publice nullatenus posse, prae- 30 sidium sibi quaesivit Fare castri nostri, et ad eius fidelitatem remanserunt castella haec, Buccinianum, Tribucum, Arces, Monfopuli, Petradaemonis. Contra nos vero maximae amaritudinis felle Guido commotus, cum aliter nos dispergere minime se quivere posset vel speraret, a quibusdam nostrorum et praecipuis equitibus consiliatur, ut pape Calixti adhuc adversarii imperatoris suffragium acquireret, et hanc abbatiam de imperiali patrocinio subtraheret, et 35 si nos illi in hoc non faveremus, in Cavae exilium omnes transmitteret, parvipendens sacramentum fidelitatis a se factum in primordio suae exsecrabilis electionis. Quo nos cognito, cum maxima et maior pars congregationis nollet a patrocinio imperiali discedere, nec alterius electionem vellet facere aut in papati curiam transire, quia omnes predecessores nostri hoc omnino fugientes cavere sagaciter, sed et Nicolaus papa secundus apostolica auctoritate 40 sub anathematis parendi interdictione decrevit, ut nemo hanc aecclesiam suaque bona omnia curiae Romanae vel papati subiugare audeat — nos ergo hoc omnimodis fugientes, cuncti pene a monasterio discessimus, et sub Berardi praedicti cura regiminis per diversa abbatiae loca vel nostras aecclesias, maxime apud Sanctum Laurentium in Picte, aut quocumque licebat, degere coepimus, ac nobiscum quaedam ornamenta aecclesiastica et libros nostroque 45 regimini utillima detulimus. In qua dispersione quocumque manebamus, quot calamitates vel quot penurias aut vilitates sustinuimus, omnino narrare non possumus. Nam qui nos regere videbantur omnimodo despiciebant et in plurimis dehonestabant. Defecimus quippe in vestium pene cultu et in solito cibi victu. In qua graviori penuria illustrissimi comitis R. Senebaldi et eius fratris G. nobis amplior affuit benignitas, impertiendo nostrae necessitati 50 alimonia plurima. Nonnulli etiam de notis vel ignotis et vicinis vel circummanentibus in multis nos deridebant, et cibos delicatos ac pigmentorum potus in praecipuis sumptos sollempniis ad memoriam subsannando nobis deducebant; factique sumus in opprobrium vel derisum atque contemptum cunctis vicinis et propriis et alienis. Iccirco omnium facies verebamur, et si quibus nos excusare volebamus, nullo modo credebant. Nudis quoque ince- 55 debamus pedibus, et dehonestati eramus, vestimentis nobis deficientibus: in hoc premaxime ab honestis culpabamur viris, cur de monasterio voluntas discedendi praefuit in nobis. In

quibus penuriis etiam ipse Berardus, pro cuius causa a monasterio discessimus, nullum nobis regimen faciebat, nec aliquam benignitatem exhibebat, sed omnes parvipendens postponebat et delirabat. De terris vero, quas nobis sibi dantibus ipse retinebat, consuetum nobis obsequium aut aliquod adminiculum nequaquam ministrare faciebat. Haec omnia a praedictis invasoribus infamibusque et nefandissimis non dicam dominis sed tyrannis crudelissimis patiebamur, sicut supra breviter retulimus, multa praetermittentes; quae si aliquando cuiquam intimare volebamus, incredibilia videbantur.

39. Preterea nonnulli de equitibus nostris cupiebant assumere in abbatem domnum Adenolfum comitis R. filium, pro eo quod altae videretur excellentiae, ut per eum semper in magno forent certamine, et nunquam pugnare quiescerent, et ut pro hoc ipsi apud eum prae omnibus cariores existerent. Nam quotiens defunctus abbas Beraldus quietem habebat et pacem, nimis dolebant, et se illi opus non habere sine pugnae aggressione asserebat. Hinc vero divina dicit scriptura: *Semper iurgia quaerit malus, ideoque angelus crudelis mittetur contra eum.* Quidam vero nostrorum cognoscentes equitum voluntatem de domni Adenolfi abbatis assumptione, non modice dubitabant; quia pater eius et avus ac etiam abavus cum huius aecclesiae prelatis plurimas habuerunt discordias, et de multis rebus quas haec acquisivit aecclesia multotiens contrarii extiterant. Ad quod graviores seniores rationabiliter respondebant dicentes quia: *Congruentius agemus, si sacrae scripturae dicenti credamus „Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii.“ Denique si illius parentes huic ingrati extiterunt aecclesiae, potens est Deus secundum velle suum per hunc virum nobis utiliora commoda perficere, quemadmodum legitur de Moyse, qui prius a populo Israhel spretus est, postmodum Deo iubente salvavit populum eundem ab Aegyptiaca servitute.* Haec nonnulli audientes, aliquantulum acquiescebant, et licet formidarent eiusdem praeclari abbatis praelationem, non nimis respuebant.

40. Constituto vero die, quo ipse Guido de eodem domno Adenulfo quod statuerat perficeret, Calixtum papam ad hoc monasterium in nativitate sancti Iohannis venire cum magno militum exercitu fecit. Sed quod putaverat perficere nequivit, quia comes R. eundem filium suum, id est domnum Adenolfum abbatem, in captionem misit, et ne id expleretur prudentissime egit; videlicet ne in ruinam domus suae iramque imperatoriam incurreret eiusque quam olim fidelitatem fecerat offenderet. Cum vero huc papa venisset, et omnem congregationem cerneret discessisse, mox rediit post sacrae decantationem missae. Quo recedente, hoc monasterium retinuit amarissimus Guido. Qui ornamenta aecclesiae vel quaeque utensilia coepit dispergere absque ulla verecundia et diversis viris in pignus tribuere, id est crucem maiorem deauratam cum canulo et pomo eius pro libris 12, planetam purpurae nigrae et pluviale purpurae clavatae, quae fuerunt reginae Agnetis. Dorsalem leonatum et tunicam reginae et textum euangeliorum et gausape novum altaris maioris pro solidis 50. Tabulam maiorem pro libris 55. Tabulam minorem pro libris 13. Planetam diarođ et aliam albam et tunicam unam et stellam cristallinam argenti luciferam deauratam pro libris 3 et media. Calicem unum argenti, et stolam maiorem, et capsulam argenti, et cruciculam auream, et nuschas tres aureas femininas, et planetas duas pro libris 9. Vestem altaris et pluviales duos, album diaspidem et aliud nigrae purpurae, pro libris 3 et solidis 11. Pluviales duos, rubeum et viridem, pro . Planetam unam et psalterium unum pro solidis 30. Planetam unam diaspidis albi et tunicam de xamito albo et loricam pro solidis 50. Planetam unam et orationalem eburneum pro solidis 50. Turibulum argenteum turritum et candelabrnm argenteum pro solidis 30. Textum euangelii maiorem pro libris 20. Turibulum aureum pro libris 22. Sunt autem haec ornamenta ecclesiastica triginta quattuor valde pretiosa, ex quibus stola maior cum manipulo nostris temporibus empta fuit libris quindecim. De quibus pignoribus tulit libras 160 et eo amplius; quas, ut compertum habemus, nec in ecclesiasticos usus nec in fratrum regimina dedit, nec etiam in guerra expendit. Item haec alia dispersit, de quibus ignoramus quid tulerit aut fecerit: id est turibulum argenteum, dalmaticam optimam, telam unam pallii, amulam argenteam deauratam, pongam imperatoris, stolam et manipulum cum campanulis aureis, et semicintiam similiter cum campanis aureis, antiphonarium optimum, et Priscianum valde bonum, nocturnalem perfectum, super Isaiam mirificum, mitram unam, virgas pastorales duas, super Hiezechielem, Ovidium.

41. Dispersis itaque ecclesiae ornamentis, omnibusque ecclesiasticis suppellectilibus distributis, predictus Guido advenarum equitum peditumque collegit non modicum exercitum,

ut populum abbatiae qui ab eo recesserat expugnaret, et Berardum Ascarellum contra se insurgentem dissiparet. At contra idem Berardus non minorem equitum peditumque multitudinem congregavit, ut superare posset partem Guidonis, qui quocumque adire poterat, domos incendens dissipabat, arbores et vineas incidebat, homines vulnerabat capiebat nec 5 umquam dimittebat, nisi pretio non exiguo se redimebant. Aliquantos etiam ipsa in captione fame consumptos pernecabat. De ecclesiasticis quoque ornamentis haec sunt quae distraxit et oppignoravit: Altare reginae pretiosum, missalem maiorem, epistolarem domni Romani, calices tres, turibulum argenteum unum, capsulas argenteas tres et cocleare unum, amulas argenteas duas, patenas argenteas duas, gallum argenteum unum, scutellam argenteam 10 unam, situlam argenteam unam, argentum quod remansit a tabula, pallii brachia tria et dimidium, vestem altaris, planetam unam, pluviales tres, tunicas tres, fanones duos, dorsalem unum, sigilla aurea cum praeceptis septem. Super haec autem omnia divastabat, et perverse agens in nullo quiescebat, populumque abbatiae sibi resistentem vivere non sinebat.

42. Cum vero Calixtus papa cum imperatore concordiam haberet, et prelibatum Berar- 1122. Sept. 15 dum in generali synodo excommunicaret, compulsi sumus ad hoc monasterium redire, ne damnaremur excommunicatione. Et cum reverteremur, populum abbatiae qui nobiscum recesserat, admonere studuimus, ut ad hanc aecclesiam et ad nos reverterentur, nosque sicut in discessione fecerant, etiam sequerentur in reversione. Sed neuter illorum nostram audire voluit monitionem. Reversi vero ad monasterium et recongregati, precipuas sollem- 20 nitates quas cum maximo decore et ornamentorum pulcritudine in vestibus albis vel palliorum cappis aliarumque dignitatum solebamus facere, tunc in nigris et laciniosis cucullis et indumentis cottidianis in choro et ante altare vel in sublimi ambone compellebamur agere, et tamquam expoliati ac depraedati videbamur canere vel psallere. Adolescentes quoque vel iuniores fratres cantuum neumas et organa solita respuebant, et non spirituali honestate aut 25 gravitate, sed istrionum more canere studebant, et multas nenias extraneasque cantilenas introducere satagebant; nec huius loci consuetudinem, sed diversarum partium levitates et extollentias, quas in exteris locis quibus degebant audierant vel viderant, exercere curabant. Quae omnia cum maturiores vel graviores fratres audirent vel cernerent, contristabantur diutissime et affligebantur, quia eis non poterant resistere. Predictus autem Guido reversos 30 nos recepit laetanter. Non tamen diu nobiscum in benivola permansit voluntate, quia suspicio de nobis in illo crescebat, et pro malis quae cunctis ante fecerat, amplius titutabat. Sepe autem nobiscum loquens, preteritam culpam nobis improperans aiebat: *Si habetis indigentiam, fratres, patimini recte, quia scriptum est: „Merito haec patimur".* Quod nos audientes, gravi dolore torquebamur et magna angustia afficiebamur, et de hoc maxime do- 35 lebamus, quia ipse suam maximam culpam minime recordabatur et in nullo reverebatur, nec timebat illud euangelii: *Ve illi per quem scandalum venit.* Revera ipse extitit, per quem huic loco defectio nobisque periculum accidit. Unde diutissime contristati, invicem fatebamur: *Heu heu, peior est nobis his temporibus iste nefandissimus Guido, quam illis diebus fuisse legitur campigenans Campo.* Denique plurimi nostrorum aut discerptis vestibus aut absque monachili 40 indumento nudisque pedibus incedebant. Ipsi autem ex hoc minime curabat; nam regulae districtionem non exercebat, nec vitia resecabat, sed sibi faventibus omnino parcebat, et si quis in illum offenderet, sine misericordia et velut sacrilegum acerrime condemnabat. Super haec vero omnia mala, decretum quod omni conventui fecerat penaque aeterni anathematis alligaverat, dissipavit et omnino delere fecit, nosque in nichilum deduxit. Manualia 45 quoque nostra et terrarum vicendas ac molendinos et portuum redditus mercatique teloneum et angariales homines, et omnia nobis pertinentia, vel quae predecessores illius abbates conventui nostro sacramento firmaverant vel libentissime concesserant, minuavit et abstulit et per equites suosque fautores dispertiit. Quapropter famis inopia cruciabamur, et omni dedecore affligebamur. Plurimis etiam diebus quinque vel septem nucibus de cellario 50 pro panibus per diem alebamur. Et non iam de tertio misso in refectorio apud nos conquerebatur, sed de quantitaticula panis tractabatur. Bubalos et boves et animalia Spanisca atque equos quos invenit, prodige donavit. Preterea obsequia cellarum omnium et locorum nobis pertinentium et decimas abbatiae et exenia constituta ex toto perdidimus. Et nec seminavimus neque messuimus per temporis spatia quinquennii. Pensiones quoque libellorum sibi 55 recondidit quas fingebat se dare in lucro tabulae altaris. Nos sibi fecimus bona, et ab eo expectabamus meliora; econtra retribuit ille nobis mala, et contra nos excogitavit pessima

et deteriora, omnesque qui de eius honore amplius tractaverunt et perfecerunt, dissipavit et destruxit, et exconcilians usque ad terram humiliavit. Vinum etiam nobis limphare fecit, et consuetam iustitiam minuavit. Enimvero fraudulentis ingenii et totius mendacii atque deceptionis et circumventionis malitiae semper ab initio extitit, et non se in abbatia, ut decebat, in aliquo cohercuit aut emendavit, sed deterior in omnibus et per omnia fuit. 5

43. Cuius malitias durissimas et divastationes nequissimas pertulimus per sex annorum spatia. Tunc demum magnis afflicti doloribus variisque contriti cruciatibus, Romae ad papam Calixtum nos fere viginti e fratribus perreximus, eumque prostrati pedibus illius supplicavimus, ut nobis in nostris miseriis subveniret et aliquid commodi impertiret. Sed cum nil boni ab eo possemus optinere, nec apud ipsum aliquam habere consolationem, ad monasterium 10 reversi sumus maximo cum rubore. Ipse quoque Guido ad eundem papam sepissime pergebat; frequenter etiam per suos legatos eum omnino supplicans obsecrabat, ut sicut sibi promiserat et vice eius eosdem legatos investierat, omnem abbatiam recongregans restaurare sibique subdi iuberet. Sed in nullo misertus, bonitatem aliquam donec vixit contra hoc monasterium exercuit. Nos vero licet a nostris rectoribus et populo abbatiae destituti in nostris 15 necessitatibus pernimium essemus, omnipotentis Dei tamen auxilium et dominae nostrae Mariae adminiculum multotiens percepimus, venientibus ad nos christianis et catholicis viris Deumque timentibus, atque pietatis gratia alimonias et quaeque utilia deferentibus. Enimvero cum iam Christi pietati placeret, ut nobis misereri disponeret, et nostrae cladi finem dignaretur imponere, quam per sex annorum curricula pertulimus valide: tandem consilium 20 habuimus, ut a predicto Berardo Ascarello res nostro regimini pertinentes requireremus, si quoquo modo penurias et miserias evadere possemus. Et cum nil boni aut nobis utile ab eo impetrare valeremus, rebus quoque ecclesiasticis et ornamentis vel utensilibus nobis necessariis, quas nobiscum detuleramus, quando de monasterio discessimus, omnibus contemptis, nichil ab eo aliquid omnino recipere neque mercedis neque caritatis gratia quivimus, 25 cum plurimas illi lacrimosas effundere preces studeremus. Tandem vero in divina confidentes clementia, et de dominae nostrae Mariae presumentes custodia, extensis manibus ad domnum Adenolfum domini Salvatoris reverentissimum eguminum eligendum et preponendum nobis unanimiter convenimus. Nam predictus Guido cum se perspiceret per sex annorum spatia in pace quietis non potuisse ducere abbatiam, distractis omnibus ecclesiasticis 30 ornamentis et libris, cunctisque utensilibus et reliquiis plurimis sanctorum pretiosissimis atque praecipuis, scilicet sanctae Mariae et ligni vivificae crucis aliorumque sanctorum; insuper terris frequenter scriptitatis et ex eis innumeris pecuniis accumulatis, videlicet librarum cerneretque [a] omnem populum ab empticibus equitibus depraedari et captivari, et in nullo se posse sibi subditos adiuvare nec liberare: non habens iam ubi manum inicere valeret — qui 35 se visiones vidisse dudum fingebat, quibus annis tribus et medio adversari et tunc annos quadraginta octo in abbatia vivere et pacem quietemque honoris sui infinitam prae cunctis 1125. antecessoribus adepturum sperabat: — tandem per omnia victus et sine alicuius consilio relictus, ad papam Honorium suos transmisit legatos, petens licentiam refutandi abbatiam. Cui papam assensum praebens, misit ad nos honestissimos cardinales, qui vice sua copiam 40 darent et decentissime perficerent ut oporteret. Nos vero qui antea sicut predecessores nostri papati curiam fugeramus, et ab ea assumi personam nobis in abbatem nolebamus, multis cumulati cum iam essemus inopiis, et cernentes non posse aliter de plurimis incommodis eripi, suscepimus eosdem cardinales scilicet Conradum et Ionathan. In quorum presentia predictus Guido omni conventui nostro abbatiam refutavit, et virgam reddidit, omnesque 45 nostros equites et populum abbatiae de fidelitate vel sacramento sibi ędito absolvit; sicque ad proprium reversus locum resedit .... vocitari ...... [b] Tunc eosdem cardinales rogavimus, ut vice papae praefatum domnum Adenolfum nobis concederent. Et ipsi placite suis cum manibus acquieverunt decentissime, sicut papa iusserat, et nobis tradiderunt, et a nostro conventu discesserunt. Quibus discedentibus, omnes in capitulum perreximus, ipsum- 50 que domnum ADENOLFUM abbatem illuc accersitum, ad laudem domini nostri Iesu Christi eiusque integerrimae genitricis, in nostram ac totius populi salutem abbatiae et autenticam huius ecclesiae libertatem et restaurationem concorditer et iuxta antiquam consuetudinem elegimus. Factoque ibi cunctorum fratrum monachorum generali decreto et indiculo

a) *ita, spatio duabus vel tribus vocibus relicto.* b) *quattuor voces iam legi non possunt.* 55

descripto, in ecclesiam simul pergentes, magna nimis laetitia *Te Deum laudamus* excelse cecinimus, atque decentissimam et honestissimam illi reverentiam prostrati exhibuimus et ad horam persolvendam sextam accessimus. Hoc peractum est a. d. i. 1125 ind. 4. quinto Idus Febr. feria quoque 2. dominicae quinquagesimae. Quo facto tantam omnipotens Deus gratia 5 sua omni populo abbatiae concordiam contulit, ut in triduano spatio sine armis hostilibus et absque alicuius suggestione totius de nostra litis contentione ad eiusdem nostri pastoris redirent fidelitatem libentissima voluntate, gratis tantum et sine alicuius beneficii petitione. Et non multo post ad loca nostri monasterii in marchia constituta perrexit, ubi ipse quoque populus cum prelatis omnibus ad debitam concordiam et condignam fidelitatem praedicti 10 domni abbatis redire non minori devotione festinavit.

44. Eodem vero anno mense Martio die 23. cum ad coenam sabbato octavae pentecosten post missas . . . . . omnes pro refectorio causa coenandi sedissemus, subito vis magna fulguris et fulminis turrim castri Farae percussit, et eius partem dissipavit et destruxit, et trabes succendit; quae etiam nec vino nec aqua plurima . . . . . . biduo potuerunt extingui. 15 Cum vero domnus abbas Adenolfus a marchia plurima cum iocunditate magnaque felicitate reversus esset, omnesque in graviori positos inopia vidisset, utpote qui fere per quinquennium nec seminavimus nec messuimus, quando omnia manualia nostra . . . . abbas Guido per equites sibique faventes distribuerat et non . . . . proprium ascriptitaverat . . nichil omnino invenire potuisset in toto isto . . . . . . o, unde nostram indigentiam supplere 20 potuisset: valde attristabatur et inestimabili mestitia affligebatur, ac . . . . equitibus et precipuis . . . . consilium eis petivit . . . . regimine sustentar . . Sed cum nullum ab eis utile consilium aut solatium haberet, quia quae de nostris rebus sibi ad . . . . rant vel apprehenderant . . . . . . reddere nec de suis substantiis . . . nobis tribuere, magis magisque contristabatur. Verum cum eorum . . . . sidia . . . . . nos et cordis obdurationem . . . . mag- 25 nasque penurias pateremur . . . . coacti aliquantula de nostris manualiis sive augaralibus quae ipsi equites acquisierant recepimus et in nostros usus redegimus. Domnus quoque abbas benivola petitione populo suasit, ut de suis facultatibus aliquod nobis ministrarent auxilium. Ipsi autem prout eis libuit, optulerunt[a] . . . . . .

CATALOGUS ABBATUM FARFENSIUM.

30 *Gregorius in Chronica, supra pag.* 534 *n.* 11, *citat* antiquissimum catalogum abbatum nostrorum, *ex quo supplevit abbates quos neque in Constructione neque apud Hugonem habebat, Pertonem Iohannem I Anselmum Teutonem Nordepertum Spentonem Vitalem Petrum Iohannem II. In eo catalogo nil nisi nomina annotata fuisse oportet, sine annis; nam annos eorum Gregorius etiam* 35 *ubivis ignorat. Ex hoc ipso catalogo antiquissimo exceptum puto eum, quem Gregorius a.* 1105 *in fronte libri Emphiteuseos collocavit de suo eum ad Beraldum usque continuans annosque adscribens ex sua computatione petitos. Notulas etiam de largitionibus Gregorii esse crediderim. Ultimam partem edidit Mabillon Mus. Ital. I*[b] *et ex eo Muratori SS. II*[b], 297.

40 IN NOMINE DOMINI INCIPIT CATALOGUS ABBATUM HUIUS MONASTERII.
LAURENTIUS fundator huius monasterii primus et abbas.
Thomas restaurator huius monasterii primus et abbas beatusque sacerdos.
Haunepertus presbiter et abbas prefuit a. D. 716.
Lucerius presbiter et abbas prefuit a. D. 724.
45 Fulcoaldus presbiter et abbas prefuit a. D. 740.
Guandelpertus presbiter et abbas prefuit a. D. 759.
Halanus presbiter et abbas prefuit a. D. 761.
Probatus presbiter et abbas prefuit a. D. 770.

a) *desinit folium ultimum Registri in cuius ultima pagina multae voces iam evanuerunt. Quod sequebatur folium intercidit.*

Ragambaldus presbiter et abbas prefuit a. D. 781.
Altpertus presbiter et abbas prefuit a. D. 786.
Mauroaldus huius monasterii rerum largitor primus et parcus 790.
Benedictus presbiter et abbas prefuit a. D. 802.
Ingoaldus presbiter et abbas prefuit a. D. 816. 5
Sichardus presbiter et abbas prefuit a. D. 832.
Hildericus presbiter et abbas prefuit a. D. 847.
Perto presbiter et abbas prefuit a. D. 857.
Iohannes primus presbiter et abbas prefuit a. D. 872.
Anselmus presbiter et abbas prefuit a. D. 881. 10
Teuto presbiter et abbas prefuit a. D. 883.
Nordepertus presbiter et abbas a. D. 888.
Spento presbiter et abbas prefuit a. D. supradicto.
Vitalis presbiter et abbas prefuit a. D. 889.
Petrus presbiter et abbas prefuit a. D. 890. 15
Iohannes secundus presbiter et abbas prefuit a. D. 919.
Rimo presbiter et abbas prefuit a. D. 920.
Ratfredus; hic huius monasterii res primus pecunia largitus est 930.
Campo; hic acquisitis immensis pecuniis, res huius monasterii large distribuit.
Hildebrandus; iste concubinis et filiis ac filiabus suis res huius monasterii dedit. 20
Dagibertus presbiter et abbas prefuit a. D.
Adam presbiter et abbas prefuit a. D.
Sarilo marchio et abbas prefuit a. D.
Iohannes tertius presbiter et abbas prefuit a. D.
Albericus presbiter et abbas prefuit a. D. 996. 25
Hugo; iste in utroque restitutor, sed et in plurimis discretus largitor prefuit a. D. 999.
Guido presbiter et abbas prefuit a. D. 1009.
Guido presbiter et abbas prefuit a. D.
Suppo presbiter et abbas prefuit a. D. 1039.
Almericus presbiter et abbas prefuit a. D. 1040. 30
Domnus BERARDUS Hortanus et primus presbiter et abbas prefuit a. D. 1048.

Berardus Florentinus presbiter et abbas secundus prefuit a. D. 1090.

Domnus BERALDUS diaconus et abbas prefuit a. D. 1099.

alia manu:

Anno Christi 1111 *Heinricus rex venit Romam, et capto Paschali papa, coronatur ab eo.* 35

alia manu:

Guido presbiter et abbas prefuit a. D. 1120.
Adenulfus diaconus et abbas prefuit a. D. 1125.

Alterum Catalogum Gregorius Registro praefixit, cuius finis iam intercidit, foliis duobus deperditis. Totus est Gregorii, ab eo compilatus ex libro Constructionis, annalibus, chartis; unde nullius iam est pretii neque auctoritatis. Edidit Mabillon in Museo Italico, et ex eo Muratori SS. II[b], 296. 40

INC. CATALOGI OMNIUM ABBATUM CUM SUIS TEMPORIBUS QUIBUS PRAEFUERUNT.

Laurentius igitur beatus, fundator huius monasterii primus, presbiter et abbas, temporibus Gothorum prioribus. Post illius obitum monasterium istud a Langobardis destruitur. 45

Thomas autem venerabilis post destructionem restaurator huius monasterii primus, presbiter et abbas, temporibus domni Adeodati papae et Constantini ac Tyberii augustorum atque Iohannis VI papae, necnon et Gisulphi Beneventani ducis, sive Transmundi et filii illius Faroaldi ducum ducatus Spoletani; prefuit vero a. 35 et m. 7 ac d. 5; obiit autem 4. Idus Dec. in pace.

Haunepertus, Aquitania Tolosanae civitatis provincia exortus prefuit a. 7 m. 5 ac d. 18. 50

Lucerius ex Maurigena provincia prefuit a. 16, m. 6, d. 10, obiit 13. Kal. Iulias, temporibus Liutprandi regis et Transmundi atque Luponis ducum.

Fulcoaldus ex Aquitania, temporibus Haistulfi regis et Luponis Transmundi ac Albuini ducum, prefuit a. 19, m 6, d. 12, obiit 4. Non. Dec.

Guandelpertus presbiter et abbas ex Aquitania, prefuit a. 1 et m. 7, quem postulantem absolverunt ab hoc regimine fratres.
Halanus ex Aquitania presbiter et abbas temporibus Constantini imperatoris et Desiderii et Adelchis regum et Gisolfi et Theodicii ducum, prefuit a. 9, m. 3, d. 8, obiit 5. Non. Mart.
Probatus presbiter et abbas ex provincia Sabinensi, temporibus Desiderii et Adelchis regum et Hadriani papae et Theo-
5 dicii et Hildeprandi ducum et Karoli regis, prefuit a. 11, m. 4, d. 15, obiit 4. Idus Augusti.
Ragambaldus presbiter et abbas ex Gallia, temporibus Karoli regis et Pipini filii eius, prefuit a. 3, m. 7, d. 23, obiit 5. Nonas Mart.
Autpertus presbiter et abbas ex Parisius civitate Galliarum, temporibus Karoli et Pipini regum et Adriani papae et Hildeprandi ducis prefuit a. 5, m. 10, d. 15, obiit 18. Kal. Ian.
10 Mauroaldus presbiter et abbas ex Franciae Guarmatia civitate, temporibus Karoli et Pipini regum, prefuit a. 12, m. 4, d. 15, obiit 8. Kal. Nov. temporibus domni Leonis papae tertii.
Benedictus presbiter et abbas temporibus Karoli et Pipini regum et Leonis papae prefuit a. 10, m. 5, d. 3, obiit 3. Idus Aug.
Ingoaldus presbiter et abbas temporibus Ludogvici regis et Leonis papae et Stephani papae et Paschalis papae et Bernardi regis, prefuit obiit 7. Kal. April.
15 Sichardus presbiter et abbas temporibus Ludogvici et Hlotharii imperatorum, prefuit a. 14, m. 6, d. 10, obiit 14. Kal. Oct.
Hildericus presbiter et abbas temporibus Hlotharii et Hludogvici filii eius imperatoris.
Perto presbiter et abbas temporibus Hludovici imperatoris.
Iohannes presbiter et abbas temporibus Ludogvici et Karoli filii eius imperatoris.
Anselmus presbiter et abbas temporibus Karoli imperatoris.
20 Teuto presbiter et abbas temporibus Karoli imperatoris.
Nordepertus presbiter et abbas.
Spento presbiter et abbas a. d. i. 888.
Vitalis presbiter et abbas.
Petrus presbiter et abbas a. D. 890, temporibus Guidonis imperatoris et Lamberti imperatoris et Hugonis imperatoris.
25 Iohannes presbiter et abbas.
Rimo presbiter et abbas.
Ratfredus presbiter et abbas, temporibus Hugonis regis et Hlotharii filii eius et Theobaldi ducis.
Campo presbiter et abbas, temporibus Hugonis et Hlotharii filii eius regum, et domni Leonis papae, et Bonefacii et Tebaldi filii eius ducum, et Bernardi et Adelberti filii eius regum, et Stephani papae, et Leonis ducis, et Iohannis
30 papae, et Marini papae, et Sarilonis marchionis, et Rainerii ducis Sabinensis.

ANNALES FARFENSES.

Registro Farfensi Gregorius a. 1099 *praefixit inter alia quae supra indicavimus, catalogum abbatum modo editum, deinde pontificum cuius nil nisi finis superest, tum verba* „Addidimus“ *etc. statim edenda, quibus calamo con-*
35 *tinuo subiecit annos Domini et indictiones ab a.* 661 *usque ad a.* 1099, *in quo terminatur quaternio. Hisce annorum numeris alio atramento postmodum annotavit sequentes annales, e variis fontibus compilatos. Minima eorum pars, at sola utilis, fuerunt annales antiquiores, sub Hugone ut videtur compositi, e quibus desumpta videntur ea quae maiore litterarum forma expressimus. Hisce*
40 *immiscuit pontifices atque imperatores ex catalogis quos aliunde habuit petitos, annos de suo computans ex numeris annorum mensium dierum quos in catalogis illis legebat; id quod inde maxime patet, quod nomina, pontificum maxime, saepius bis vel ter erasit aliisque annis adscripsit. Eodem modo abbates etiam atque duces Spoletinos ex chartis Farfensibus petitos computando inscripsit.*
45 *Haec omnia igitur errorum plena sunt, nulliusque plane auctoritatis; quare ea minori charactere expressimus. Excerpta inde edidit Mabillon in Museo Italico, ex eoque Muratori SS. II*[b], 295.

Addidimus etiam annos Christi incarnationis cum indictionibus suis, ab illo scilicet inchoantes, quo beatissimae memoriae Thomam venerabilem huius monasterii abbatem hoc coenobium iam ex multo destructum tempore a Hierosolimis
50 venientem veraci ratione censuimus repperisse. IN DEI NOMINE.

A. D.
661. Eugenius papa.
663. Vitalianus papa.
669. Constantinus imperator obiit. Constantinus imperator.
55 677. Adeodatus papa.
680. SANCTUS THOMAS ABBAS.
681. Donus papa.
682. Agatho papa.
683. Leo II papa.

A. D.
685. Benedictus papa II. Sarraceni Cartaginem ceperunt.
686. Iohannes V papa. Iustinianus augustus.
687. Conon papa.
688. Sergius papa I.
691. Transmundus dux pater Faroaldi.
695. Leo imperator.

A. D.
698. Tyberius augustus.
702. Iohannes VI papa.
703. FAROALDUS DUX.
707. Iohannes VII papa. Iustinianus imperator.
708. Sisinnius papa. Constantinus papa.
712. Iustinianus imperator obiit. Philippicus imperator.
713. Liutprandus rex. Anastasius imperator.
715. Gregorius II papa.
716. Haunepertus abbas. Luna cruentata est.
717. Fluvius Tyberis intumuit per dies octo.
718. Theodosius imperator.
719. Leo augustus.
721. Constantinus imperator.
724. Lucerius abbas. Transmundus dux filius Faroaldi.
729. Leo imperator imagines sanctorum incendit.
731. Gregorius III papa.
735. Coenobium Domini Salvatoris aedificatur in laetania.
740. Fulcoaldus abbas.
742. Zacharias papa.
743. Liutprandus rex obit.
745. Ratchis rex.
746. Lupo dux.
749. Haistulphus rex.
751. Leo imperator.
752. Stephanus II papa.
757. Desiderius rex. Albuinus dux. Paulus papa.
759. Guandelpertus abbas. Stephanus III papa.
760. Adelchis rex. Gisulphus dux Spoleti.
761. Halanus abbas.
763. Theodicius dux.
768. Stephanus III papa.
769. Pipinus I rex obiit.
770. Probatus abbas.
772. Adrianus papa I.
774. Karolus I rex. Hildebrandus dux.
781. Pipinus II rex. *Ragambaldus abbas* [a].
786. Altpertus abbas.
789. Guinichis dux.
790. Mauroaldus abbas.
796. Leo III papa [b].
797. Inundatio aquae fit Romae in Via lata ad duas staturas.
801. Karolus II imperator. Terre motus magnus fit.
802. Benedictus abbas.
806. Romanus dux.
808. Defectio solis fit ab hora 3. usque 6.
813. Ludovicus I imperator. Bernardus rex.
814. Guinichis dux. Karolus imperator obiit.
816. Ingoaldus abbas. Gerardus dux.
817. Stephanus IIII papa. Paschalis papa [c].
818. Lotharius I imperator.
823. Eugenius papa [d].
826. Valentinus. Gregorius papa.
832. Sichardus abbas.
834. Escrotonius et Gerardus comites.
836. Berengarius dux.
841. Sergius III papa [e].
844. Leo IIII papa.
845. Aecclesiae apostolorum Petri et Pauli divastantur.
847. Hildericus abbas. Benedictus III papa.
850. Ludovicus II imperator.

A. D.
857. Perto abbas [f].
865. Nycolaus I papa.
867. Domnus Hludovicus imperator venit in hoc monasterium.
871. Adrianus II papa.
872. Iohannes abbas.
874. Iohannes VIII papa.
876. Karolus II imperator.
878. Karolus III mannus imperator.
881. Anselmus abbas. Karolus IIII imperator.
883. Teuto abbas. Marini I papa [g].
884. Adrianus II papa.
885. Stephanus V papa.
888. Nordebertus abbas. Spento abbas.
889. Vitalis abbas.
890. Petrus abbas.
891. Guido imperator. *Monasterium sancti Salvatoris a paganis incenditur* [h].
892. Formosus papa. Lambertus imperator.
894. Guido imperator obiit.
895. Bonifatius VI papa. Stephanus VI papa.
896. Arnulfus rex Romam venit.
897. Romanus papa. Theodorus papa.
898. Iohannes VIIII papa.
899. Benedictus IIII papa.
901. Leo papa. Christophorus papa.
902. Sergius papa [i].
908. Anastasius III papa. Lando papa.
909. Iohannes X papa.
916. Imperius imperator.
917. Berengarius.
919. Iohannes II abbas.
920. Rimo abbas.
922. Leo VI papa.
925. Stephanus VII papa.
927. Hugo rex.
928. Iohannes XI papa.
930. Ratfredus abbas.
931. Theobaldus dux.
932. Hlotharius regnat filius Hugonis.
933. Leo VII papa.
936. Campo abbas.
937. Stephanus VIII papa.
939. Hildeprandus abbas.
940. Eclipsis solis fit. Anscarius marchio obiit.
942. Marinus II papa. Otto rex venit Italiam.
943. Sarilo abbas.
944. Nix grandis cecidit 12. Kal. Mart.
945. Agapitus II papa.
946. Bonefatius et Tebaldus duces.
947. Hugo rex obiit.
948. Dagibertus abbas [k].
951. Otto rex venit Italiam.
952. Berengarius et Adelbertus reges.
953. Iohannes XII papa.
954. Albericus princeps Romae obiit.
959. Otto I rex coronatus est Romae a Iohanne papa.
960. Leo VIII papa. Benedictus IIII papa.
965. Iohannes XIII papa.
966. Iohannes abbas.
967. Hodelricus recessit. Iohannes abbas fit.

a) R. a. *ab alia manu.* b) *hunc primo ad a.* 794 *scripserat Gregorius.* c) *hos primum a.* 803, *dein a.* 815 *adscripserat.* d) *primum a.* 820, *dein* 824. e) *primum a.* 838, *dein* 844. f) *primo ad a.* 855. g) *in rasura.* h) M. s. S. a. p. i. *alia manu, in margine.* i) *primum ad a.* 906. k) *in rasura.*

A. D.
968. Otto II imperator. Sol defecit hora tertia, 14. Kal. Aug.
969. Sol fuit in tenebris mense Decembris die 22.
971. Benedictus V papa.
973. Domnus Hugo abbas nascitur mense Aprilis. Theophanus imperator.
974. Ecclesia Domini Salvatoris aedificatur in Boiano. Domnus papa.
975. Berengarius imperator. Bonifatius VII papa[a].
976. Benedictus VI papa[a].
985. Otto III rex. Iohannes XIIII papa.
986. Iohannes XV papa. Hugo abbas ingreditur monasterium sancti Quirici.
987. Bonefatius papa.
988. Iohannes XVI papa.
996. Ottonis III imperator.
997. Albericus abbas. Gregorius V papa.
998. DOMNUS HUGO ABBAS.
999. Silvester II papa.
1001. Otto imperator obiit. Landuinus abbas.
1003. Heinricus I rex. Iohannes XVIII papa.
1004. Iohannes XVIIII papa. Heinricus Romae coronatur.
1009. Guido I abbas.
1010. Sergius IIII papa.
1012. Benedictus III papa.
1014. Henricus I imperator. Hugo abbas reordinatur secundo.
1024. Iohannes XX papa.
1025. Chuonradus rex.
1027. Conon imperator. Guido abbas.
1033. Benedictus VIII papa.

A. D.
1034. Sol obscuratur hora sexta.
1036. Hugo abbas reordinatur 5. Idus Iunii.
1037. Chuonradus imperator.
1038. Guido II abbas obiit.
1039. Hugo abbas obiit. Suppo abbas.
1040. Heinricus III rex. Almericus abbas.
1045. Silvester III papa.
1046. Gregorius VI papa. Heinricus II imperator.
1047. Suppo abbas obiit. Clemens II papa.
1048. Domnus Beraldus I abbas. Benedictus papa.
1049. Damasus papa.
1050. Leo VIII papa.
1054. Leo papa obiit.
1056. Heinricus II imperator obiit.
1057. Victor II papa obiit.
1058. Stephanus VIIII papa. Benedictus X papa.
1059. Nycolaus II papa.
1061. Alexander II papa.
1074. Gregorius VII papa.
1082. Heinricus IIII rex ad hoc monasterium primo venit.
1084. Clemens III papa. Heinricus III imperator.
1086. Famis valida fuit.
1089. Domnus Beraldus I abbas obiit. Rainaldus abbas.
1090. Berardus II abbas.
1096. Lunae obscuratio 8. Kal. Mart. Stellarumque occasio 2. Non. Apr.
1099. Hierusalem recepta est a christianis 6. Kal. Oct. Quinto Kal. Oct. columnae plurimae ab occidente in orientem pergere visae sunt. Berardus II abbas obiit.

Sequentes denique notulas historicas excerpsimus e codice olim Farfensi, iam Vaticano n. 6808 *canones continente, ubi in superiore foliorum margine leguntur una manu continua s. XI; dein variis manibus continuatae.*

Anno Christi incarnationis 1087 corpus beati Nicolai Barum translatum est.
Anno 1095 stellae ceciderunt et mox ultramontani ultra mare catervatim ire coeperunt.
Anno 1099 Berlandus effectus est abbas.
Anno 1111 Pascalis papa captus est ab Heinrico imperatore.
Anno 1119 Berlandus obiit, et Guido factus est abbas usque ad annos sex.
Anno 1125 Adenulfus Farfensis factus est abbas.
Anno 1130 contentio inter Innocentium papam et Petrum Leonis qui dictus est Anacletus exorta est.
Anno 1133 imperator Lotharius Romam veniens Lateranis coronatus est. Iterum anno 1137 rediit, in Apuliam pergens. victoriam ibi Deo donante percepit. In quo anno Adenulfus abbas Farfensem abbatiam recepit.
Anno 1138 Innocentius papa captus est a Rogerio rege Siculorum.
Anno 1143 monasterium novum inchoatur in monte.
Anno 1144 Adenulfus abbas obiit.
Anno 1145 Eugenius III apud Farfense monasterium papa est consecratus.
Anno 1146 Rolandus factus est abbas.
Anno 1147 castellum sancti Laurentii in Picta inchoatur. Eodem anno rex Alemanniae et rex Franciae ultra mare cum innumerabili exercitu perrexerunt.

a) *in rasura.*

Anno 1149 Reatina civitas ab exercitu Rogerii regis Siciliae est destructa.

abhinc variae manus aliae.

A. D. 1153 Eugenius papa obiit mense Iulio. Cui successit Anastasius Savinensis episcopus, qui sedit annum unum. Huic successit Adrianus.

A. Chr. 1155 . . . . . de . . . . Er . . gatus dictus . . . . mense Ma 5
. . . .

A. Chr. 1155 Fredericus rex in Italiam venit cum magno exercitu, capta et destructa civitate quae Terdona dicitur, ivitque Romam, et ibi unctus est in imperatorem ab Adriano IIII papa in festivitate sanctorum Marcelli et Marcellini, sabbati die. Eo die armata manu Romani super eum irruerunt, et predam ipso non repugnante 10 duxerunt, equos videlicet ac paviliones. Qua de causa succensus imperator ira, sumpsit arma, et ex eis magnam cedem fecit. Post Farfam adiit, ibique societate accepta a domno abbate et omni congregatione, honoraturum se altare et nobis iustitiam facere de cunctis rebus huius monasterii libentissime spopondit. Inde Spoletum pergens, cepit civitatem, succendit, divastavit ac depredatus est, mense 15 Iulio, die 23, feria 4.

A. D. 1159 Adrianus papa obiit 2. Kal. Septembris. Hic sedit annos 5, menses 8. Et contentio exorta est inter Alexandrum papam et Octavianum qui dictus est Victor. Iterum anni Domini 1181 Alexander papa tertius obiit 3. Kal. Sept. Hic sedit annis 22. 20

A. D. 1169 Kal. Iunii, feria secunda post pentecosten, grande bellum commissum est aput Tusculanam inter Romanos et cancellarium imperatoris Frederici, scilicet Rainaldum Coloniensem archiepiscopum et Christianum Maguntinum, et mortui sunt de Romanis sex milia.

A. D. 1168 5. Idus Aprilis Albanensis civitas destructa est a Romanis. 25

A. D. 1160 mense Martii die vicesima Gottifredus factus est abbas.

A. D. 1167 pridie Idus Octubrii abbas Gottifredus obiit.

A. D. 1176 17. Kal. Aprilis donnus archiepiscopus Magontinus magnum bellum cum exercitu regis Siculi commisit, et eos fugavit in loco qui dicitur Carseoli, iuxta castrum Cellense, et ex eis cepit ultra ducentontos milites, et omnia spolia eorum et eo- 30 rum qui fugerunt obtinuit, insuper centum quinquaginta militum spolia et equos . . . . . qui in Cellensi castro erant optinuit.

Anni D. 1192 abbas Pandulfus renuntiavit abbatiam. Gut. prior electus abbas est 2. Idus Decembris.

1199. Sibilla uxor Andree Tiburtini obiit pridie Nonas Novembris. 35

A. D. 1213 obiit Gen. huius monasterii abbas.

A. D. 1218 mense Madii die 21 Oddo imperator obiit.

A. D. 1220 Fredericus rex coronavit filium suum.

A. D. 1223 mense Martio die Martis in festo sancti Benedicti pluit terra rubea quasi ex late- 40 ribus contrita, unde maximus timor in Urbe et extra est exortus.

Matheus subdiaconus et abbas sedit annis 14, mensibus 4, qui Lateranis in manibus pape Gregorii noni abbatie renuntiavit. Et tunc continue Farfensis ecclesia vacavit anno uno et mensibus decem. Obiit vero a. D. 1228, nono Kal. Aug. Cui successit Henricus de Tusin. 45

BENZONIS EPISCOPI ALBENSIS

AD HEINRICUM IV IMPERATOREM LIBRI VII.

EDENTE KAROLO PERTZ, PHIL. DR.

De Benzone episcopo Albensi, cuius opus rerum Germanicarum studiosis ex codice Upsaliensi autographo nunc primum tradimus, post curas accuratissimas VV. Cll. Gustavi Adolfi Haraldi Stenzel[1] *et Wilhelmi Giesebrecht*[2] *fusius disputare supervacaneum est. Quum enim apud suae aetatis homines auctoris nostri nulla fere occurrat mentio, de vita eius inquirentibus nobis ad ea revertendum erit, quae in libris ad Heinricum IV imperatorem de rebus suis ipse scribit.*

Et Albensem quidem se episcopum fuisse non solum Benzo multis locis narrat[3], *nam inter illos qui decreta concilii Romani, anno* 1059 *a Nicolao II papa habiti, auctoritate sua confirmarunt, etiam* Benzo episcopus Albensis *reperitur*[4]*; laudant eum praeterea Bonizo*[5], *et in Vita Nicolai II cardinalis Arragonensis*[6]. *Sedem vero habuit civitatem illam quae, Alba Pompeia antiquitus vocata, ad Tanarum fluvium in Insubria sita est*[7], *qua tamen depulsus*[8] *— sive quod Heinrico regi adhaerebat*[9], *seu propter nundinationem ecclesiasticorum munerum*[10] *— numquam, ut videtur, eam recuperavit; Ughellius saltem, ubi episcopos Albenses*[11] *enumerat, ne verbo quidem nostrum tangit. At vero, etsi munere privatus non habuit ubi caput reclinare posset*[12], *tamen, si narrationi eius credimus, in defendenda partium caesarianarum auctoritate prae ceteris eminebat*[13]. *Itaque post electionem Kadali iussu regis eiusque matris*[14] *anno* 1061 *Romam missus, paene totam urbem* ad fidelitatem eius sub sacramento collegit[15], *Kadalo advenienti a.* 1062 *cum senatoribus Romanis et principibus Galerianis ad Sutrium oppidum occurrit*[16], *et fugatis adversariis Romam eum deduxit. Post secessum deinde Kadali ab imperatrice litteris excitatus, a.* 1063 *Benzo Kadalum papam denuo Romam comitatus est*[17], *regi et Bremensi archiepiscopo non unam epistolam misit*[18] *de rerum Romanarum conditione, partes imperatorias firmavit*[19], *tum vero Kadali iussu ipse ad regem in aula Cotelini*

1) Geschichte Deutschlands unter den Fränkischen Kaisern, tom. II, Lipsiae 1828. 8°. pag. 80—90.
2) Annales Altahenses .... Berolini 1841. 8°. pag. 123 et pag. 213—227.
3) Cfr. lib. I, cap. 4. 21; II, 3. 4. 7 etc.
4) Cfr. Mansi, SS. Conciliorum Collectio, tom. XIX, Venetiis 1774, pag. 912.
5) Cfr. Oefelii Scriptores rerum Boicarum tom. II, pag. 806.
6) apud Muratori, SS. Rer. Italic. tom. III, pars I, pag. 301. De fonte huius libri vide Archiv tom. V, 97.
7) Cfr. lib. I, 21.
8) Cfr. lib. I, 21: *Abrenuntias Albensi suisque presbiteris? „Abrenuntio“.* cfr. etiam lib. I, 22; III, 21.
9) Cfr. lib. I, 28; III, 21 init.
10) Cfr. lib. I, 27 et Mansi l. c. tom. XIX, pag. 989 extrem.
11) Italia Sacra IV, col. 286.
12) I, 22.
13) Cfr. lib. I, 25: *Benzo — qui corpus et animam posuit pro vestra fidelitate* etc.
14) II, 1.
15) II, 1.
16) II, 9.
17) II, 16.
18) III, 1—6.
19) III, 9.

20 *monasterii visendum Germaniam intravit*[20]. *Cum magnis deinde promissionibus Romam dimissus, animum Kadali suorumque confirmat*[21], *et anno* 1064 *etiam concilio Mantuano interest*[22], *ubi episcopos ad partes regias revocare studet. Denique quid Heinrico rege in Italia commorante ipse gesserit praefatio sexti libri satis docet.* 5

Talem igitur virum quem eorum quae illo tempore in Italia gerebantur nihil fere poterat effugere, quis est quin gravissimum testem extiturum esse libenter concedat, si in acerrimas illas partium caesarianarum et orthodoxorum contentiones inquirimus? praesertim quum ne ingenii quidem acumine caruisse eum ex ea ratione facile appareat, qua non solum principum verum etiam 10
23 *plebis gratiam sibi conciliare haud semel se tentasse profitetur*[23].

At vero episcopo Albensi ne tantam auctoritatem concedamus multa obstant. Quamvis enim in praefatione libri primi haec proferat Benzo: Ea propter frater Benzo scribens de domini sui inperatoris Heinrici triumphis, sive de aliorum regum actionibus multis, veneranter ei porrigit haec pauca *etc.* 15
et capite primo:

Nisi fuerit descriptum magna diligentia
Quicquid egit noster cesar virtutis potentia,
Minorabitur non parum hystoria publica;
Quod ne fiat potens Roma regem coeli supplica. 20

tamen eam potius ob causam librum suum composuit, ut se ipsum regis gratiae commendaret, eumque admoneret ut digna sibi praemia concederet. Quare scribit quidem lib. I, cap. 14*:* Ponat igitur dominus noster cesar ante oculos memoriae antecessorum inceptionem, et accingat se ad cepti operis consumationem, *sed addit statim:* Extirpet prius sicut bonus agricola rampnos et 25
vepres, et seminet bonum semen, unde habeat annualiter triticeas messes *etc. hoc est:* extirpet inimicos meos. *Et in prologo lib. VI:*

Auro carens vel argento Albensis opilio
Has litterulas praesentat Salomonis filio,
Regi nostro Heinrico, simili Pompylio. 30
His instructus fiat sequax regum praecedentium,
Adversantes cogat flere cum stridore dentium,
Coelum audiat vindictam, et termini gentium.

Quid autem sibi velit Benzo ubi imperatorem adhortatur, ut sequax fiat regum praecedentium, *claris verbis ipse exponit libro I, cap.* 30—37. *Cum his* 35
consentiunt, quae de suis meritis disputat. Scribit enim lib. I, 4*:* Albensis Benzo, fidelis et superfidelis, *ibidem cap.* 25*:* Benzo . . . qui corpus et animam posuit pro vestra fidelitate, et adhuc perseverat in eadem firmitate. *Et cap.* 28*:* Audiat terra ex ore meo, quanta pertuli pro domino meo. Utinam omnes cognovissent, licet non omnes condescendissent. Tot enim tantasque herumpnas 40
passus sum pro eo ab ipsa sui puericia, quantas vix posset per annum colligere Tulliana pericia. *Quin etiam in epigrammate lib. I caesarem adhortatur ut,* iterum iterumque perlecto libro, pro tribunali cum suis electis sedeat, discernatque arbitrio iustitiae quotis benivolentiae privilegiis sit dignus vir iste, qui contra desertores pro regia fide functus sit vice agonistae; *et nihil aliud* 45
sentit, si paullo ante: Intentio, *ait,* huius libri respicit ad honestatem et utilitatem imperatoris domini nostri Heinrici.

Quare Benzonis liber non tam in Heinricum regem, quam in auctorem

20) III, 13. 21) III, 22 sq. 22) III, 28 a. fin. 23) II, 6; V, 9.

potius ipsum panegyricus est, id quod perlecto opere neminem ut credimus effugiet. Itaque quum iam hac ex causa suspicioni forte locus tribuendus sit, scriptoris animum moresque contemplantes de libri eius auctoritate magis etiam dubitabimus. Qua in re ante omnia notanda est impudens illa magniloquentia qua virtutum suarum non semel praeco extitit, ita ut nullam de meritis suis disserendi occasionem praetermiserit[24]. *Quin etiam arrogantia atque vanitate tantopere inflatus est, ut verba sua pro revelatione*[25] *et divino vaticinio*[26] *imperatori venditare haud uno loco studeat. Neque vero avaritia minus inquinatus erat, nam, quod iam supra exposuimus, totus ille liber eo consilio scriptus est ut ad tot tantaque merita dignis praemiis exornanda imperatorem excitaret*[27]. *Quae quo certius adipisceretur, Benzo haud alienum esse duxit imperatori ambitiose adulari*[28], *et caesarem non semel nimis submisse curvo pectore alloquutus est*[29]. *Invidiam aperte ostendit lib. I, cap.* 38. *Sed fides eius maxime dubia in iis quae de adversariis profert, quos incredibili modo inauditis et iniquissimis contumeliis insectatur, ita ut incerti simus utrum impudentiam magis an ingenium eius ad talia excogitanda promptissimum admirari debeamus. Sic Anselmum de Badagio, qui et Alexander II papa, modo* Asinelmum[30] *vocat, modo* Asinandrum[31], Asinandrellum[32], Anselmum Phariseum[33], Badaculum[34], baburrum Alexandrum[35], hereticum Lucensem, immo lutulensem[36], papam noctulanum contra totam christianitatem[37], asinum hereticum[38]. *Et Gregorius VII* Prandellus[39] *appellatur, aut* Folleprand Manicheus[40], *nec non* Merdiprandus[41], Sarabaita[42], Scariotheus[43], Sarabaita cinedus[44], collega Scariothei[45], facciosissimus monachus Prandellus[46], falsa cuculla[47], diabolus cucullatus[48], falsissimus atque diabolicus monachellus[49], stercorentius[50], *etc. Anno Coloniensis archiepiscopus Benzoni:* Annas[51] *est, et* Annas, non primus, sed Agrippinus[52]; *Godefridus dux:* Cornefredus[53] *et* Grugnefredus[54], *et de morte eius scribit:* Petiit proinde suum castrum Bullionem, ubi exspiravit, et descendens in infernum dominum suum Plutonem salutavit, qui eum secus Iudam protinus collocavit. De adventu eius non parum inferus laetatur, deque eius discessu totus mundus gratulatur. *Normannos vocat:* Nullimannos, fetidissima stercora mundi[55], *Rudolfum ducem:* Merdulfum[56], *Robertum:* Agarenum[57], *contentionem inter partes caesarianas et Gregorianas:* pugnam inter angelos et diabolos[58]. *Sic denique comitissa Mathildis appellatur:* os vulvae[59], *et de alio quodam homine scribit*[60]:

Saonensis Buzianus est quidam homuntio
Ventre lato, crure curto, par podicis nuntio;
Tale monstrum non creavit sexuum coniunctio.

Neque vero talibus conviciis contentus, cuiusvis generis flagitia adversariis suis insidiose affinxit, quae singulatim hoc loco enumerare longum est[61]; *etenim quanti eiusmodi calumniae aestimandae sint ex iis discimus, quibus lib. II, cap.* 17, *Hildebrandum insectatur scribens:* Prandellus autem cognoscens praeter quam speravit aliter evenisse, per triduum in sua proseuca delituit, nullique

24) Cfr. lib. I, cap. 4. 7. 25. 28. 36. 38 etc. 25) Cfr. epigramma lib. I. 26) lib. VI, praefat. et lib. VII, cap. 7. 27) Cfr. lib. I, 1. 28. 29. 36. 38; V, 3; VI, 6. 7 etc. 28) Cfr. lib. I, epigr., c. 26; III, 5. 6; VI, prolog. 29) Cfr. VII, 7 init. et saepius. 30) lib. II, cap. 11. 15. 31) lib. V, 1. 32) II, 1. 33) II, 4. 34) II, 9. 35) III, 26. 36) II, 2. 37) II, 4. 38) V, 1. 39) II, 1. 2. 7. 9. 17. 18. 40) II, 9. 41) VI, 6. 42) II, 2. 4. 7. 18. 43) II, 9. 44) II, 16. 45) VII, prolog. 46) VI, praef. 47) III, 10. 48) V, 13. 49) II, 7. 50) VI, 6. 51) II, 16. 52) II, 15; III, 15. 20. 53) II, 15. 16. 54) III, 11. 55) III, 1. 56) lib. VI, narratio 2. 57) VI, narrat. 2. 58) VII, 2. 59) I, 22. 60) VI, narrat. 1. 61) Cfr. Stenzel l. c. II, pag. 85.

mortalium se videndum exhibuit. Utrum denique sacrificaverit demonibus aut cum Hyamne et Mambre daret operam magicis incantationibus, etsi quibusdam erat incertum, tamen id susurrabat omnis populus. Tandem apparuit in pallore defunctorum, dans testimonium se interfuisse contuberniis demoniorum *etc.*

Haec tamen utut se habent, certum est Benzonem in aliis quoque maxime a vero aberrasse, ita ut haud semel in errores sane gravissimos inciderent qui hunc auctorem sequebantur. Quae quidem res quum iam paucos ante annos a V. Cl. W. Giesebrecht evidenter demonstrata sit[62]*, hoc loco ea tantum paucis repetenda erunt, quae paullo maioris momenti esse videntur.*

Itaque quum alia fortasse multa tum magna ex parte falsa sunt quae de altera Kadali expeditione apud Benzonem legi possunt lib. II, cap. 16 *sqq. Si enim hunc scriptorem sequimur, talis fere rerum gestarum fuit ordo. Anno* 1063 *Honorius II denuo Romam ingressus, postquam de Normannis Hildebrando consociatis duas insignes victorias reportavit, tamen Godefrido duce instigante ab iisdem hostibus per longum tempus Romae oppugnatur. Romanis igitur desperantibus Benzo Heinricum regem et Bremensem archiepiscopum litteris adhortatur, ut quam celerrime auxilium ferant. Sed transactis demum mensibus sex legatus cum epistola tantum revertitur, qua rex ut in fide constanter permaneant et adventum suum patienter expectent Romanos admonet. Qui quum Benzonis verbis confirmati secundum Rapizonis Tudertini comitis consilium ad arma discederent, tandem Godefridi morte liberati sunt. Quo audito statim Apuliae et Calabriae proceres Pantaleo Malphitano duce Romam profecti, Constantinum imperatorem nunc paratum esse nuntiant cum Heinrico rege foedus inire, et quod antea per epistolas promiserit adimplere. Ad has res nuntiandas ipse Benzo ad regem mittitur, quem in aula Cotelini monasterii tunc temporis residentem adiit. Dum ibi morabatur, principes Germanorum a Coloniensi archiepiscopo impetrarunt ut duobus conciliis, altero scilicet in Germania, altero Mantuae in Italia habito, de iusta electione Honorii atque Alexandri antipaparum decernendum esse concederet. Hac igitur spe et cum multis simul promissionibus a rege dimissus, Benzo ad Kadalum revertitur: Anno autem multum post tempus, sicut spoponderat, Augustanum et, anni spatio interiecto, concilium etiam Mantuanum celebravit, quorum auctoritate Alexander II papa confirmatus est.*

Haec de rebus istis Benzo; quae quam vitiose enarrata sint perspicuum est. Primum enim Godefridus Lotharingiae dux non ut Benzo narrat a. 1064 *vel* 1065, *sed die* 24. *Dec. anni* 1069[63] *mortuus est, qua ex re universa rerum sequentium enarratio apud auctorem nostrum dubia et incerta redditur*[64]. *Deinde vero, quod Annalium Altahensium auctoritate munitus W. Giesebrecht nuper demonstravit*[65], *concilium Mantuanum iam anno* 1064 *celebratum est; patet igitur errasse nostrum qui circa annum* 1071 *sedisse illud auctor est. Neque magis vera sunt quae de altero concilio nobis venditat*[66]*; hoc enim a concilio Augustano,* 6. *Kal. Nov. a.* 1062 *habito*[67], *diversum non putandum est*[68], *unde Benzonem nugari patet ubi inter utramque synodum* spatium *tantum* annuae revolutionis *interesse scribens, anno* 1070 *concilium Augustanum tribuit.*

62) in Annalibus Altahensibus etc. ubi vide ante omnia pag. 213—227. 63) Cfr. Stenzel l. c. II, 252. 64) Cfr. Giesebrecht l. c. pag. 222, not. 1. 65) l. c. pag. 178—188. 66) lib. III, 25.

67) Cfr. Stenzel l. c. II. pag. 244; et Giesebrecht l. c. pag. 168. 68) Cfr. Giesebrecht l. c. 172, not. 2 et pag. 224, not. 2.

Sed ne illud quidem certum est, quod de legatione sua ad Heinricum regem Benzo narrat. Quam siquidem Stenzelii auctoritatem consequuti[69] anno 1065 susceptam fuisse dicimus, fieri non poterat ut in Italiam redux Kadalum adhuc Romae commorantem inveniret, quippe qui iam anno 1064, et paullo ante conventum synodi Mantuanae, magno pretio ab inimicis liberatus, Bercetum publica fide interposita aegre pervenerit[70].

Denique si non omnino ficta tamen valde dubia sunt quae apud nostrum legimus non solum de morte Nicolai II papae[71], verum etiam de pactione inter Heinricum regem et imperatorem Constantinum[72]; nam concilium illud quod Nicolao causam interitus fuisse Benzo scribit, duodecim fere menses ante decessum eius, ut videtur, celebratum est, et laudati foederis apud reliquos saltem eiusdem temporis scriptores nullam mentionem invenire possumus. Quin etiam Godefridum ducem adfuisse[73], quo tempore Heinricus rex ab archiepiscopo Coloniensi e sinu matris eripiebatur, V. C. Wilhelmo Giesebrecht dubium videtur atque improbabile[74].

Quae quum ita se habeant sequitur, ut nonnisi caute providenterque episcopi Albensis auctoritati insistant ii, qui rerum saeculo undecimo gestarum cognitionem sibi comparare volunt, etsi haud negari potest multa quoque hoc libro contineri quae summa fide digna sint[75]. Attamen ex toto iudicantibus nobis iudicio W. Giesebrechtii de opusculo Benzonis multo magis quam Stenzelii assentiendum erit.

Benzonis ad Heinricum regem libros VII a. 1728 ad codicis Upsaliensis auctoritatem primum edidit Menckenius[76], tum a. 1731 Ioh. Petrus de Ludewig[77] eiusdem codicis apographo usus. Sed horum virorum exemplaria, ab indoctis scribis exarata, tot tantisque vitiis scatebant, ut Benzonis opus hucusque vix ab ullo homine intelligi posset; quare postquam antiquum illum codicem nacti sumus, verum atque pristinum textum nunc demum restituere nobis contigit.

Servatur autem codex ille Benzonis autographus simul atque unicus in Bibliotheca Upsaliensi, numero signatus 88, in membranis scriptus, forma octava maiore, foliorum 121. In margine inferiore folii primi a manu valde recenti scripta sunt haec: **Bibliothecae Upsalensis anno 1717**; librum olim possidebat Gregorius Hagius, cuius nomen interiori tegumenti lateri adscriptum est. Singulae paginae manu saec. XI exeunte nitidissima exaratae[78] versus continent viginti duos. Codex optime servatus est, nisi quod folii 50′ et 51′ versus primus abscissus, et ultima pagina (fol. 121′) magna ex parte humore deleta est. Singulorum capitum librorumque inscriptiones nec non initiales litterae rubro colore scriptae sunt, haud raro etiam in medio textu eiusdem coloris apices occurrunt.

Codicem hunc Benzonis manu exaratum fuisse ex correctionibus facile colligitur quae ab auctore ipso additae passim inveniuntur: quin etiam nonnumquam complures versus erasi sunt, ut fol. 16 vers. 1—3 et fol. 106 vers. 6—15; fol. 89′ ultima libri V verba primo quidem ab his excipiebantur: „LIBER SEXTUS. INCIPIT PROLOGUS. In apostoli Andreae sacro natalicio" etc. tum vero

69) l. c. II, pag. 145. 70) Bonizo apud Oefele, Rer. Boicar. Script. II, 807. Giesebrecht l. c. pag. 180 et pag. 223, not. 71) lib. VII, cap. 2; cfr. Giesebrecht l. c. pag. 154, not. 72) lib. II, cap. 7; cfr. Giesebrecht l. c. pag. 216, not. 2. 73) cfr. Benzonis lib. II, cap. 15. 74) l. c. pag. 218, not. 2. 75) Cfr. Stenzel l. c. II, pag. 88 sq. 76) Scriptores Rerum Germanic. tom. I, pag. 957—1074. 77) Reliquiae manuscriptorum omnis aevi diplomatum ac monumentorum tom. IX, pag. 217 sqq. 78) Vide scripturae specimen in tabula adiacente.

scriptor quinque foliis, scil. fol. 90—94, *interpositis folium* 89′ *erasit et, quae hoc loco scripta erant, fol.* 94′ *repetivit. Sic etiam fol.* 1—5, *hoc est praefatio totius operis, uti ex scripturae discrepantia apparet, finito iamiam libro ab auctore addita sunt; et quum ne haec quidem eodem tempore perscripta sint — nam fol.* 3 *paullo crassiore et eadem manu scriptum qua fol.* 6 *sqq.*, *et fol.* 2 *et* 4 *quamvis iisdem ductibus exarata tamen a primo folio diversa sunt — facile coniicimus, perfecto opere Benzonem hanc primam libri partem labore iterato retractasse. Sed ne sic quidem omnia absoluta sunt; non solum enim capitum numeri omnino saepius desiderantur, verum etiam ubi additi sunt nonnumquam ordo eorum maxime turbatur. Cuius rei ut exempla afferam: libro primo caput XXII duobus capitibus excipitur quae signationibus suis carent, et haec deinde quae sequuntur numeris I—XIX designantur, ultimum denique eiusdem libri caput numerum XL in fronte gerit. Tum vero libri secundi atque tertii capita, ac si ad unum tantum librum pertineant, numeros habent I—XLII, ita ut librum tertium caput tricesimum incipiat. Denique ultima libri VII capita numeris suis omnino carent. Quare auctorem nostrum, priusquam operi extremam manum iniiceret, ni fallor, morte succubuisse coniiciendum erit; hoc autem post a.* 1089 *accidisse eam ob causam veri simile est, quoniam eodem, ut videtur, tempore librum suum, etsi non conscripsit, tamen in formam eam redegit, qua ad nostra tempora pervenit. Libro enim VII, cap.* 2 *verbis:* Caetera quis nescit? depulsus ab Urbe putrescit [*scil. Gregorius VII*], *de morte Gregorii papae Benzonem loqui facile persuademur; neque vero ante a.* 1085 *scripta fuerunt quae paullo antea legi possunt, verba scilicet:* Cuiuscumque non solum crumena, sed etiam saccus, numis bizanciis subfarcinatur, pro eo quod Folleprandus capiatur, rapiatur, et quasi invitus ad sedem trahatur. *Haec enim aperte spectant ad locum quendam in Bonizonis libro ad amicum, a.* 1085 *composito, hodie extantem, qui initio libri VII scribit*[79]*:* Cumque cardinales, episcopi sacerdotesque et levitae et sequentis ordinis clerici conclamassent, ut mos est: „Gregorium papam sanctus Petrus elegit.“ Continuo a populo trahitur rapiturque, et ad vincula beati Petri non ad Brixianorium invitus intronizatur. *Denique lib. I, cap.* 21 *de eodem Bonizone ita loquutus est Benzo:* Auditum est in quatuor mundi plagis qualiter es ultus, o formidanda potestas, super Runtio Cremonensi atque quibusdam aliis. Sed de Bonizello, Armanello, seu Morticiello, tribus demonibus, quod non idem contigit, improbat omnis populus. Nunc autem omnia conturbant, et aecclesiastica officia sibi usurpant. Non est dicere, quanta prestigia agat Bonizellus et in Placentina urbe atque in eiusdem plebibus insistens diabolicis predicationibus, reprobandis quoque aecclesiarum consecrationibus. *Scimus autem Bonizonem a.* 1089 *ineunte Placentinae ecclesiae episcopum consecratum fuisse, quem tamen eodem anno die* 14. *mensis Iulii inimicorum odium vita privavit*[80]. *Qua ex re sequitur, ut locum illum intra mensem Ianuarium et Iulium praedicti anni conscriptum esse a Benzone concedamus.*

De latinitate scriptoris nostri post Stenzelii expositionem[81] *verba facere supervacaneum est, nisi quod expunctis demum vitiis textuque primitivo restituto speramus, fore ut multi loci facile intelligantur qui antea vix ullum sensum habere visi sunt. Denique totum fere opus ad rhythmos alligatum esse neminem effugiet, quamvis longe maior eorum pars haud ita omnibus numeris ab-*

79) apud Oefele l. c. tom. II, p. 811 A. 80) Cfr. huius rei documenta apud Oefele l. c. tom. II, pag. 783 et 784. 81) l. c. II, pag. 81 sq.

soluta sit ut iusti versus, si fas est dicere, efficiantur. Hos igitur Benzo secundis fortasse curis expoliendos sibi proposuit: equidem in talibus scripturae nexum incidendum nobis esse non putavimus.

K. PERTZ.

---

5 Regis Heinrico super astra sedentis amico, p. 957 Mencken.
Pectore succenso vitam cum vincere Benzo.

Audiat augustus quae profert non homo iustus,
Sed mage peccator, fidei tamen altitonator,
Per quam fit fortis, ridendo pericula mortis.
10 Sol velut in caelis, ita fulget ubique fidelis;
Nam fidei lumen penetrat celeste cacumen,
Quisque cor aptet ei, quo sit hymago Dei.

O quantum est in rebus inane, cui occurrendum est pedetemptim et plane. Sic enim victoria de caelo administratur, sic stulticia sapientiae subiugatur. Si plus solito crebrescunt 15 scandala, nemo miretur, quia instant dies novissimi; super harenam maris creverunt[a] perditissimi. Quibus redactis in favillam, gratias agas ei, o caesar, qui te custodivit tanquam oculi pupillam. Laborandum est dum vivitur, quia homo ad laborem natus dicitur. Vita quidem nil dedit mortalibus sine magno labore; neque enim vescimur pane, nisi in vultus sudore. Quid curae? Tantum ut victrici lauro potiatur; flocci pendit caro quot plagis affi-20 ciatur. Apud Cannas urbem Apulie oppugnabat Hannibal Romuleos cum ineffabili mortalium multitudine. Scipio consul Romanus habens faciem euntis[82], adversus Cartaginem detorsit navigium, incautis superveniens urbem invasit, eamque captis civibus solo aequavit. *Qua deleta, facta est Roma aeternaliter laeta. De interfectis vero penes Cannas ea erat fol. 1'. mentio, quod abolitio Cartaginis fuit eorum redemptio. Victoria denique facit ex terrigena p. 958 M. 25 divum et de mortuo vivum. De talibus et qualibus scribitur, verum uno relicto alter assumitur. Nil propter aliud scripti sunt Galba et Vitellius[b], qui velut cymbalum tinniens dederunt inutilem sonum, ni ut sciamus reprobare malum et eligere bonum. Ideoque sanctus Augustinus monet de fortuitis rerum casibus plures libros a pluribus fieri, quatenus per eorum exemplaria emergentium causarum sententiae consultius possint diffiniri. Ea propter 30 frater Benzo scribens de domini sui inperatoris Heinrici triumphis sive de aliorum regum actionibus multis, veneranter ei porrigit haec pauca, quemadmodum est porrectum christicolis Pantheon a cesare Foca, ut in his cum[c] presulibus et capellanis diebus ac noctibus meditetur, et de rei publicae negociis quid potissimum fieri debeat deliberetur. Precor etiam maiestatem domini mei Heinrici imperatoris imperatorum, ut hunc libellum in hereditatem 35 relinquat filiis filiorum, quatenus in eo indesinenter videant monimenta patrum suorum; eo prestante, qui vivit et regnat in saecula seculorum. Amen.

1. *Tercio[83] Heinrico domino suo fol. 2.
Romanorum imperatori augusto
Benzo, Dei gratia episcopus,
40 Corde ore opere fidelissimus,
Dirigit hunc librum, quo pellitur omne periclum
De medio gentis regi servire volentis.

Fortium quidem virorum nulla foret notio,
Si periti litterarum torpuissent otio;
45 Defuisset exemplorum aurea memoria, p. 959 M.
Nisi eos propalasset aliqua hystoria.
Moyses iubente Deo scripsit mundi fabricam,

a) crevit *cod.* b) Vitellus *cod.* c) eum *cod.*

82) i. q. abeuntis. 83) Heinricus vocatur tertius 50 inter Romanos imperatores, qui inter reges Germaniae quartus est, cum Heinricus Auceps a Romano pontifice non fuerit corona imperiali cinctus. FRANCKENSTEIN.

Alii scribae dixerunt heroum prosapiam,
Qui per regna sunt partiti Asiam et Affricam,
Heuropam his iungentes fecerunt monarchiam.
Roma dehinc exaltatur eiusque imperium,
Cuius praeses scripsit orbem ob tributum regium: 5
Caput mundi est vocata per magnum Tyberium,
Multis plantis qui adauxit publicum pomerium.
Cesarum viribus, armis, bellorum frequentia,
Subiugavit totum mundum Romana potentia,
Cuncta redigens sub lege, sub oboedientia; 10
Pax ubique, perpes salus, opum affluentia.
Sicubi forte surgebat nociva sedicio,
Ut in caelis est exorta in rerum initio:
Protinus suffocabatur Romano iudicio;
Tunc humanitas vacabat omni gravi vicio. 15
Hegesippus doctus scriba descripsit prosaice,
Quod fecit Vespasianus traduci Iudaicę;
Quia male tractaverunt fabrum huius seculi,
Servi gentibus sunt dati lactentes et vetuli.
Et liber pontificalis et plures hystoriae 20
83 Non tacent de Constantino[83], quod sit vir memoriae,
Quem amavit speciali Deus privilegio;
Nam crux eum agregavit caelesti collegio.
fol. 2'. Cosdroe tulit hoc lignum quo nichil sacracius,
Illudque recuperavit vir fortis Heraclius[84] 25
Monomachice pugnando Cosdroe cum filio,
Cuius cephalum truncavit Domini auxilio.
Alii imperatores triumphis magnifici
Hostibus erant feroces, subditis pacifici;
Cui placet perscrutari actiones talium, 30
Eas poterit nancisci in libris annalium.
Nam si litterae celassent res evi praeteritas:
Quem, rogo, deberet sequi succedens posteritas?
Caruissent ratione homines ut pecora,
85 Nisi eos informassent sex aetatum[85] tempora. 35
Bene habeant scriptores qui faciunt vivere
Mortales post mille annos, carne facta cinere;
Nam dum transit vita regum, in cartis non moritur,
Dum putatur defecisse, in melius oritur.
Karoli et tres Ottones, Heinrici gemini, 40
Inter quos est Chuonradus suo compar semini,
Quid patrarunt satis patet ex eorum chronicis,
In aeternum sociati regibus catholicis.
Sed de cesare augusto Heinrico tercio,
Qui est pervigil in belli pacisque commercio. 45
Quis audebit eius facta commendare litteris?
p. 960 M. Danihel succubuisset, doctior presbiteris.

83) Nota sunt, quae de signo crucis Constantino M. in coeli apparentis circumferuntur, quibus immorari iam non est animus. Per hanc igitur crucem ipsum beatorum consortio esse aggregatum existimat. FR. 84) Cosroes Persarum rex iniustissimo bello oppugnaverat Heraclium, qui tanta virtute Persas est aggressus, ut capta ipsorum metropoli, Cosroes inde profugus a filio primogenito capite truncaretur, unde Benzo: *Cephalum truncavit Domini auxilio.* Etenim quod Heraclius regem inimicissimum capite plecti iusserit, nusquam probari poterit. Inde bellum cum Persis his legibus 50 est compositum, uti crux sacratissima, quam Chosroes quondam Hierosolymorum victor inde absportaverat, Heraclio nunc restitueretur, v. P. Diaconus l. XVIII, Euagrius l. VI. FR. 85) scil. Bedae de sex aetatibus chronicon. 55

Tullius namque Romanus et Grecus Demostenes,
Omnium rethoricorum qui noscuntur proceres,
Fugerent eius notare tam multa certamina,
Neque stilo neque penna neque plumbi lammina.
5 Maro vates Mantuanus, Lucanus et Statius,
Pindarus, seu Homerus, et noster Horatius,
Grillius[a], Quintillianus, comicus Terrentius,
Formidassent regis opus quo nil excellentius.
Nisi fuerit descriptum magna diligentia,
10 Quicquid egit noster cesar virtutis potentia,
Minorabitur non parum hystoria publica;
Quod ne fiat potens Roma regem caeli supplica.
Benzo vice catulorum *computat delicias, fol. 3.
Si sub mensa senioris[86] colligit reliquias, 86
15 Cuius rei grandem morsum non presummit facere,
Quia dentes sunt infirmi et gingivae lacerae.
Presules et sacerdotes, abbates et clerici,
Quique sunt de sorte Dei ordines angelici,
Bene docti Testamenti Novi atque Veteris:
20 Omnes surgant ad scribendum victorias cesaris.
Qui infantium dat linguas esse disertissimas,
Et qui parat mansiones athletis certissimas,
Hic scriptoribus ostendat fontem sapientiae,
Et apperiat thesaurum sanae eloquentiae.
25 Plastes[87] mundi, res humanas disponens et caelicas,
Cesari da longam vitam et vires angelicas,
Quibus salvet semet ipsum et suas aecclesias.
Fiat, fiat, dicant omnes, et hic et per Grecias.

EPYGRAMA LIBRI PRIMI.

30 Sine errore in eam domum intratur, cum nomen possessoris super portam scriptum monstratur. Eodem modo prologi codicum et tituli indicant sequentia cuiusque libri. Quapropter ammonendi sunt lectores ut ea, quae in libris habentur, fideliter interpraetentur. fol. 3'. *Bene faciat misericors et miserator Deus his qui legerint verba prophetiae huius, eaque intimaverint regiis auribus. Per huius enim libri salutaria monita et humiliabuntur sub pedibus 35 cesaris quae videntur exotica, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas, et derelinquent impii cogitationes vanas. Quid namque in se contineat liber iste valde necessarium est nosse cesari augusto suisque successoribus; loquitur enim de imperialium rerum ammi- p. 961 M. nistrationibus. Quicumque ergo adherent ei ex debito fidelitatis, invitent et cogant eum legere instituta regiae dignitatis. Nam ipse dominus noster tercius Heinricus, Romanorum 40 imperator augustus, sedens in arduo suggestu imperii, unde videt omnia regna circumplexa sinibus Appollinis et Cyllenii[88], dum ad dispositionem eorum sensus eius pluraliter dirigitur, 88 aliquatenus ad singula quasi minor efficitur. Occurrant ergo sibi quos plantavit per orbis Romani spacia, et suggerant vires auxilii et consilii, *prout eis concessa est divinae donatio- fol. 4. nis gracia. Animadvertant itaque venerabiles episcopi infatigabiliter persistentes in Dei ser- 45 vitio, nec non regales capellani longa suspiria trahentes pro anuli beneficio, quoniam intentio huius libri respicit ad honestatem et utilitatem imperatoris domini nostri Heinrici, ita ut per revelationem[89] servi sui Benzonis redeant ad lucem quae iacent sopita in ventre oblivionis. 89 Enimvero generali censu declarato manifestum erit quia visitavit dominum nostrum cesarem

a) *sic codex; legendum est, ut videtur,* Gellius.

50 86) i. e. Domini. 87) i. e. Deus, a verbo πλάσσω. 88) i. e. Mercurii. 89) non propheticam, sed quod ipse res hoc tempore gestas in scripturam redegerit. FR.

oriens ex alto. Collocatus equidem in paradiso diviciarum per donum caelestis graciae, magnificabitur super omnes reges universae terrae. Nam Semiramis et Assuerus confitebuntur se eguisse, Nabuchodonus et Ptholomeus pauperes fuisse, Darius et Cyrus nichil habuisse, ut persenserint collectam peccuniam tributorum ad publicum aerarium accessisse. Lauda ergo Deum tuum, o cesar, mente sincera, et in perseverantia laudis intende prospere, 5 procede et regna. O quanta et qualia quae pertinent ad doctrinam tuae informationis et ad augmentum tui honoris in hoc libro videbis, unde valde et multum gaudebis. Sunt enim ibi quaedam inserta de puericiae tuae hystoria deque pontificum Italiae fide permodica, superadditis quinetiam aliis corporis *et animae necessariis. Quibus iterum iterumque relectis sede pro tribunali, o cesar, cum tuis electis, et discerne arbitrio iustitiae quotis benivolentiae pri- 10 vilegiis sit dignus vir iste, qui contra desertores pro regia fide fungitur vice agonistae. Plurium quidem obsequiorum ponderibus dorsum exhibuit, et secundum euangelium sicut ministrans servus fecit quod facere debuit. Nam ipse est phenestella, ipse monitor, ipse hystoriographus, ipse propheta et plus quam propheta. Quodcumque enim intimat scripto, monstrabit et digito. 15

fol. 4'.

Iustum est itaque ut largitricis graciae plenitudine
Respicias eum de imperialis potentatus altitudine.

Assumpta quaeso stabilitate accede, mi domine, ad legendum, non desinas usque ad finitimum complementum. Dicit tibi Cato:

p. 962 M.

Multa legas facito, perlectis perlege multa, 20
Ut dives et gloriosus regnes in aeternum et ultra.

fol. 5.

1. Cesar honoretur, Plastes timeatur, ametur.
Fac regem salvum, qui sacrae Virginis alvum
Non despexisti, caro dum fieri voluisti.

1 Petr. 2, 17. Psal. 19, 10.

Cum scriptum sit: *Deum timete, regem honorificate*, et *Domine salvum fac regem*, 25 oportet eos qui sunt regiae ditioni subiecti incessanter implere geminum capitulum salutaris praecepti. Convincitur quippe his testimoniis esse transgressor legis, quicunque claudicaverit in dilectione regis. Nam qui pro eo non orat, illumque minime honorat, extincta lucerna cum fatuis laborat. Orandum est ergo, ut Dominus conterat Sathan sub pedibus eius, quia Sathanas non cessat seminare hodie malum, cras peius. Regis enim victoria salus est 30 populorum et aecclesiarum gloria. Porro unum est necessarium, videlicet ut rex diligat diligentes, quo magis ad amorem sui servicii faciat ferventes. Et ordinando caritatem retribuat eis mercedem laborum, quatenus moderni animentur ad opus similium studiorum. Neque praeferat novitios emeritis, quod lege est prohibitum a regibus praeteritis. Paululum quoque intermissis secularibus consiliis legat quantulumcunque de historiis *patrum praecedentum, 35 ut inde sibi assummat bonae imitationis emolumentum. Legere enim aliorum annales plurimum valet ad instruendos ritus imperiales. Hoc est enim ire recta via, vel semel in die loqui cum phylosophya. Quia tunc bene regitur res publica, quando imperant phylosophi et phylosophantur imperatores. Quin etiam provideat sibi rex suisque successoribus investigando sepius de regalis fisci publicis pensionibus. Suum est denique in largiendo uti regia 40 magnificentia, quod non fiet sine rerum opulentia. Pro aecclesiis igitur ruinam minantibus restaurandis, et pontibus fabricandis, et xenodochiis reparandis, diversisque usibus regalis miliciae reconciliandis, non solum apud Romanum palacium, sed etiam Papiae est constitutum publicum gazophylatium, ut habeat manus imperialis unde laetificet gubernandos sub alis. 45

fol. 5'.

2. Semper honestati sociemur et utilitati;
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Hor. Ep. ad Pis. 343.

Postremo quia honestum et utile sunt duo genera expetundarum rerum, debet ea non ignorare cesar quem amplexantur brachia septem mulierum. Talibus igitur Romana potentia pollens documentis, *dilatavit imperium in subiacentibus helementis. Dicta sunt autem hec 50 sub brevitate, ne intentio legentis indignetur verborum prolixitate. Sequens vero libellus ea plenius indicabit, et cesaris animum per brevia capitula ad legendum invitabit.

p. 963 M. fol. 6.

3. Scrutetur gestas regum Romana potestas,
In quibus aspiciat quod sibi proficiat.

Servantur libri, nobis per tempora scripti;
Libros quisque legat, ut catus esse queat.
In libris reges, in eisdem denique leges,
In libris Salomon, Dedalus atque Synon[90],
5 Pelliger Helias, in libris miles Hurias[91],
Ipsum Psalterium stravit adulterium.
Fossor Tobias fit palpo, caditque Golias;
Doctrix causa fuit, cum Babyl alta ruit;
Absalon est ictus, sed nobis non sibi scriptus.
10 Hofpni, vel Finees[92], perspice qui levis es.
Vadat quisque vias, quas ivit rex Hezechias,
Nullus post Roboam, sed mage post Habraham.
Iura quidem morum libri docuere priorum.
Cesar scripta lege, cum quibus ima rege.
15 Tum bene regnatur, cum princeps phylosophatur:
*Gentis ubique decor, phylosophare precor. fol. 6'.
Librorum cura reserantur sepe futura,
Per quos clausa patent, nocte dieque valent.
Sunt etenim libri defensio firma pericli,
20 Accedant timidi, mox fuerint rigidi,
Littera dando viam perducit ad usque sophyam;
Sancta Sophya[93] notat quicquid Hydea[94] rotat.
Ipsa tenet coelum, nimium mirabile velum,
Et causas rerum ponderat ante Deum.
25 In facie divae sunt palmae, sunt et olivae,
Balsama, thuris hodor, floris ibique color.
Ergo patrum gestas meditetur nostra potestas,
Et studeat libris, fulserit inde nimis.

4. Ut vincas Cedar[94*] prestet Deus, optime cesar.

30 Divo Heinrico Romanorum imperatori augusto, cencies triumphatori, sub rege regum iudice iusto, Albensis Benzo, fidelis et superfidelis. Laudate Dominum de coelis; merito debemus laudare Deum, qui christo[95] suo Heinrico semper de hostibus praedicabile concedit tropheum. Sit nomen eius benedictum in secula, qui dextram sui christi Heinrici sua sustentat dextera. Vere completa est scriptura[96], *quia ipse Deus ante christum suum vadit, eo fol. 7.
35 quod superbia rebellium coram facie augusti sicut stipula cadit. Tota igitur christianitas as- p. 964 M. surgat in laudem Creatoris, qui contra hostiles impetus reddit terribiles aquilas christianissimi imperatoris. Et nos ergo qui tantam Dei misericordiam circa dominum nostrum cesarem cottidie videmus, in contricione cordis et spiritu humilitatis redemptorem mundi suppliciter exoremus, ut ceptum opus clementissimae pietatis super eum usque in finem perficiat, et
40 aecclesia catholica de beneficiis tanti gubernatoris proficiat.

5. De publicis fiscis, de vectigalibus ipsis, Vera loquar regi, quem diligo mente fideli.

Preterea quia ego iam delibor[97], et tempus meae resolutionis instat, placet ostendere cesari domino meo quod aetas ministrat. Scio enim quod plurimis intentus undique versum
45 ancxiatur, assiduisque petitionibus militantium fatigatur. Quocirca dignum duxi, ut per me cognoscat vectigalia localiter ad se pertinentia, ne illum sequatur rerum indigentia. Nam si non habet in camera quod militibus effundat, nimirum etiam quos amat *quandoque con- fol. 7'. turbat. Non igitur possunt mederi hec et alia infortunia, nisi ad imperii herarium[98] restituatur provinciarum vectigalis peccunia.

50 90) Sinon, proditor in exercitu Graecorum, de quo vid. Virgil. Aen. II, 79 etc. FR. 91) i. e. Urias. 92) Ophni et Phinees, filii Heli, sacerdotes Dei, de quibus inspiciendus est 1 Reg. 1, 3. 2, 34. 4, 11. 93) i. e. Sapientia. 94) i. e. Idea. 94*) Cfr. Iudith 1, 8; Isaias 21, 16 etc. 95) i. e. uncto suo, hoc enim nomine Benzo imperatorem, utpote oleo sancto in sollennibus inaugurationis consecratum, compellat. FR. 96) Cfr. 1 Reg. cap. 2, 35. 97) Deponens loco activi. 98) i. e. aerarium.

6. Turpissimum est denique, o cesar, ut quasi unus ex nobis mendices, cum videas alios tuis vectigalibus felices. Quod a longe Cohelet[99] intuitus, loquitur ita summis ordinibus: *Audite, magnates aecclesiae. Melius est ut filii vestri respiciant in manus vestras, quam vos respiciatis in manus filiorum vestrorum.* Reddantur ergo quae sunt cesaris cesari, laetabitur mundus de reparata lege veteri. Insuper tale quid Iudaico more usurpatur per Latium, quod ultrice lege in maximam summam librarum auri augmentabit palacium. Verum istis reseratis et in palam missis erit gaudium in coelo et in terra et in mari et in omnibus abyssis.

7. Ne quicquam desit, quod serto[1] semper inhesit;
Cuncta reformentur, quae detruncata videntur.

Aliud autem expedit scire quod minime est reticendum, eo quod in consecratione cesaris augusti passa est imperialis corona non modicum detrimentum. Multa enim detruncavit ignorantia ex his, quae pertinent ad sollempnitatem tam insignis diei, 'sine quibus non oportuit imponi diadema augustissimo capiti domini mei. Aliter vero coronatur imperator orbis terrarum, atque aliter reguli provinciarum. Mirabiliori denique atque venerabiliori cultu est celebranda imperialis scenophegia[2], quam quae exhibetur circa regulos perstrepente turba plebeia. Fidelis sum, fideliter loquor. Deus et Pater domini nostri Iesu Christi scit quia non mentior. Non enim vere poterit imperator dici, minoratus integritate tanti talisque officii. Postquam autem cognoverit dominus meus cesar per me, servum suum, tam gloriosissimum misterium, confido in Domino quia non deputabit me in extremo cornu fidelium. Erit quippe dies illa celeberrima angelis in coelo et hominibus in terra.

8. Duo igitur episcopelli sustentant manus unius provinciae regulelli. Antecedit eum ferrea crucicula, retro prosequitur agrestis plebicula.

9. Roma minoratur, Prohelempsis[3] ni celebratur,
Iunctis quinque viris, capitum gestamine miris.

Processio vero Romani imperatoris celebratur talibus modis. Portatur ante eum sancta crux gravida ligni dominici, et lancea sancti Mauricii. Deinde 'sequitur venerabilis ordo episcoporum, abbatum et sacerdotum, et innumerabilium clericorum. Tunc rex indutus bysino podere[4], auro et gemmis inserto, mirabili opere, terribilis calcaribus aureis, accinctus ense, adopertus Frisia clamide, imperiali veste, habens manus involutas cyrotecis lineis cum anulo pontificali, glorificatus insuper diademate imperiali,

Portans in sinistra aureum pomum,
Quod significat monarchiam regnorum,
In dextera vero sceptrum imperii
De more Iulii, Octaviani et Tiberii;
Quem sustentant ex una parte papa Romanus,
Ex altera parte archipontifex Ambrosianus[5].
Hinc et inde duces, marchiones, et comites,
Et diversorum procerum ordines.

Sic imperator incedit ad processionem; nulla humana lingua potest explicare talem gloriam tantumque honorem. Retro vero secuntur quinque viri[6], diversa clamide et patricialibus circulis[7] redimiti. O Domine, quid est homo, quia magnificas eum, et apponis erga eum cor tuum, tribuens ei regere totum mundum? Custodi ergo opera misericordiae tuae, domine Deus noster, ne in eo praevaleant boreas nothus et auster. 'Tu es Deus qui facis mirabilia, quia imperatore gressum movente, tollitur clamor omnium ad sydera. Clerici incipiunt: *Iam*

99) h. e. liber qui dicitur *Ecclesiastes*, apud Hebraeos *Coheleth* appellatus; quem tamen hoc loco Benzo confundit cum libro *Ecclesiastico* Iesu filii Sirach, ubi vide cap. 33, vers. 19 et 22. 1) i. e. coronae, nempe quicquid ad coronam sive cameram semper pertinuit. FR. 2) Videntur esse scenopegia, hoc est, festa tabernaculorum Iudaeis usitata (cfr. Ioh.* 7, 2), quam denominationem Benzo sumit pro solennibus inaugurationis. FR. 3) i. e. processus publicus, Graecis προέλευσις. 4) Poderis est tunica talaris, ποδήρης, vestis sacerdotum antiquae legis quam in nova vulgo *camisiam* vocant. Vide Du Cangium in Glossario Latinit. medii aevi s. v. 5) i. e. Mediolanensis. 6) Nimirum, inquit, postea sequuntur Quinqueviri, qui erant magistratus, ab administratione pecuniae mensarii etiam dicti, Livius VI, 21. FR. 7) Intelligit speciem quandam coronarum, qua praefulgebant in hac sollennitate patricii. FR.

bone pastor. Teutonici: *Kyrrie eleyson*[a], *helfo*[8]. *Sancte Petre heleyson.* Singule quidem nationes secundum ritum patriae prorumpunt in suas vociferationes. Tot igitur innumerabilium vocum clamoribus exterrita tellus tremit, et coelum desuper ad laudem tanti imperatoris faciem aeris serenissimam reddit, ut in die tantae festivitatis sit gloria in excelsis, et in terra 5 pax hominibus bone voluntatis. Finita processione missa incipitur, et secundum sita[9] canonum ante euangelium imperator consecratur et benedicitur. Expleta missa ad palacium redeunt, et ad mensam accedunt:

Resultat Roma gaudiis, laudes refert apostolis,
Per quorum sanctum meritum Roma tenet imperium;
10 Una est vox leticiae civium et miliciae,
Frequentat universitas Alleluia per semitas.

Postquam autem cum modestia sumpserint cibum, hymno dicto, si fuerit aestivum tempus, vadunt parumper dormitum; et facto modico intervallo revestit se imperator viridissima clamide, cum nivea mitra, cui superponit patricialem circulum, et sic itur ad vesperum. 15 ʼIterum pulsant coelum voces eorum, ad laudem et gloriam viventis in secula seculorum. fol. 9ʼ.

10. Altera autem die domnus papa summit Romanam coronam de altario apostolorum principis, et ponit eam in capite cesaris; cesar vero per voluntatem Dei et per orationem sancti Petri coronatus, venit usque ad scalarum gradus, ubi eum praestolatur Romanus senatus; ascendensque equm[b] cum equitibus Romanis, Teutonicis et Longobardis, pergit per 20 viam triumphalem. In omnibus quidem plateis salutatur Romanis cantilenis[c]. Ante fores igitur Constantinianae aecclesiae, quae est caput omnium aecclesiarum per universum orbem terrarum, congregatae sedecim regionum scolae suscipiunt imperatorem cum magna processione. Intrante vero cesare aecclesiam cum multitudine diversarum gentium, salutat p. 967 M. eum consistens iuxta altare chorus psallentium: *Benedictus sit cum Patre et Spiritu sancto* 25 *Christus Dei filius, qui talem concedit laeticiam angelis et hominibus.* Quid plura? Missa celebratur et per omnes vicos Alleluia cantatur, ubique iubilatio, ubique gaudium et exultatio.

11. Tercia vero feria similiter cum eodem exercitu equitansʼ usque ad Sanctum Paulum, fol. 10. coronatus[10] sollempniter recipitur, atque in eius laude Deus glorificatur et benedicitur.

12. Quarta denique feria quasi rediens de Bethleem, coronatus vadit ad sanctam Hye- 30 rusalem. Expletis autem mysteriis tam insignis diei commendat se Deo et dicit: *Salvator mundi, miserere mei;* reliquis vero tribus eiusdem ebdomade diebus celebrat synodum, et simul cum domno apostolico emendat negligentias sacrorum ordinum. Deinceps pertractat cum sapientibus de dispositione rei publicae multiphariam multisque modis. Tu autem, Domine, miserere nobis.

35 13. Imperatorum[d], fuerant qui gemma priorum, p. 968 M.
Successor factus, quorum dum respicis actus
Cesar, ut excellas age: fac ut anomala vellas.

Super hec autem quiddam pernecessarium volo dicere cui non satis sunt paucae litterae, de amministrationibus scilicet Apuliae seu Calabriae[12]. In quibus venerabilis Karo- 40 lus magnique Ottones et senior Heinricus[13] non parum laboraverunt, sed perfectionem operis successoribus reliquerunt. Nam Karolus asportavit in Frantiam Longobardorum regem ʼDesiderium, qui conturbabat Romanum imperium. Rex autem Arnulfus[14], Karlomanni fol. 10ʼ. filius, qualiter exarsit adversus Bergamensis comitis falsa consiliabula, sit modo lupus in fabula. Otto vero primus transtulit in Bagoariam regem Berengarium, rei publicae adversa- 45 rium[15]. Secundus quidem Otto cum Saracenis[16] pugnavit, et de litoribus Hadriatici maris

a) leyson *cod.* b) *sic cod.* c) catilenis *cod.* d) Impeperatorum *cod.*

8) h. e. iuva. FR. 9) legendum *scita;* illa nempe, quae canones scivissent. FR. 10) Cap. 9. Benzo commemorat, prima festivitatis die impera- 50 torem inaugurari et benedici; cap. 10. altera papam imperatori coronam de altari S. Petri sumtam imponere; cap. 11. denique, quod imperator tertia feria ad S. Paulum (nempe in isto templo) coronetur, et sollenniter recipiatur. Haec ita mihi vi- 55 dentur intelligenda, ut prima die sacra unctio, altera diadematis impositio, tertia inthronisatio significetur. FR. Minime. Tertia die coronam portans Sanctum Paulum, quarta ecclesiam sanctae Crucis, hodie *S. Croce in Gierusalemme,* adit. 12) Sub his vocabulis regnum Neapoleos quondam indigitabatur; auctor vero, ut ex sequentibus videre est, de universa Italia verba facit. FR. 13) Heinricum Nigrum, nostri parentem, intelligit. FR. 14) Vide Liudprandi Antapodoseos lib. I, 23 (Monum. Germ. SS. Tom. III, pag. 281). 15) Cfr. Thietmari Chron. lib. II, cap. 3 (Monum. Germ. SS. Tom. III, pag. 745), nec non Leonis Chron. monast. Casinensis lib. I, cap. 61 (Mon. Germ. SS. Tom. VII, pag. 623 sq.). 16) Cfr. Thietmari Chron. lib. III, c. 12; Leonis Chronic. monast. Casinens. lib. II, cap. 9.

17 eos exterminavit. Tercius denique Otto decollavit Crescentium[17], et cecavit papam Sergium[18], eo quod cum Grecis frequentabant inlicitum commercium. At vero primus Heinricus[19], christianae religionis amicus, devicta Troia[20] subiugatisque principibus, adduxit secum Capuanum principem[21] in Suevia, quem diu afflixit carcerali miseria. Domnus igitur Chuonradus[22] diademate glorificatus, rediens per Marchias Trasalegardum suspendio condempnavit, caeterosque in mortis terrorem praecipitavit. Filius quoque eius secundus Heinricus, praecessorum suorum superlativus, Rodulfum Trikinot[23] et Wilielmum Tancredi cum aliis Normannis qui erant parvo numero, subdidit pedibus principum, praecepitque si aliter praesumpsissent, fierent exterminium. Memoriae quidem digna fecit plura, fecissetque plurima, nisi obfuisset sine intermissione ruens nimia pluvia. Erat enim voluntas eius videre columpnam Karoli[24] ubi iaculando lanceam fixit in mari. Regrediens autem per Camerinam[25] et Spoletum venit Anconam, et cepit Gislerium[26] reclusitque in formicaria[27], cui melius esset, 28 si eum caperent subgrundaria[28].

14. Quis enim, rogo, est tantae periciae, ut valeat bellicos sudores domini mei imperatoris Heinrici tercii describere? Excedunt quippe numerum trophea suarum victoriarum,

17) Cfr. Thietmari Chron. lib. IV, c. 21. 18) Labitur hic Benzo, dum Ioannes Philagathos potius, archiep. Placentinus, iste fuerit quem, a Crescentio pontificem constitutum, Otto III iusserat manibus truncari, eidemque aures abscindi, atque oculos evelli. FR. Cfr. locos quos affert R. Wilmans, Kaiser Otto III, Berolini 1840. 8°. p. 99. 19) Germanis dicitur secundus, quem religionis christianae fuisse amicum, probat etiam Adalboldus in vita Heinrici c. 1 (cfr. Mon. Germ. SS. Tom. IV, pag. 684); unde in sanctorum numerum relatus est, qua de re vide Baronium in Annal. ad ann. 1152. FR. 20) Cfr. Leonis Chron. monast. Casinens. lib. II, cap. 40. 21) scilicet Pandulfum comitem. 22) Conradus II Trasalegardum, sive potius Thasselgardum Italiae tyrannum, subita invasione cepit, et iudicio principum ipsum suspendio necavit. (Cfr. Wiponis vitam Chuonradi imp. cap. 18, supra pag. 266.) Romanos vero coercuit, ut nudatis pedibus liberi cum nudis gladiis, servi cum torquibus circa collum, quasi ad supplicium praeparati, veniam imperatoris supplices postularent. (Cfr. Wiponem l. c. pag. 266, cap. 16.) FR. 23) Fateri cogimur, Benzonem heic erronee et confuse plura protulisse; Guilielmus enim, Tancredi filius, anno 1046 mortuus est, desiderium sui apud posteros relinquens, vid. Guil. Apul. II, cap. 12. Istum vero ab imperatore esse punitum, haud videtur asseri posse, cum isto demum anno imperator Italiam intraverit, et rebus demum Romae circa pontificum schisma compositis, res Normannicas ordinaverit, vid. Lambert. Hersfeld. et Chronogr. Sax. ad ann. 1047. Inter Aversanos autem comites recensetur Rainulfus, quo sine liberis anno 1046 mortuo, a civibus electus est Asclitinus, a Leone Ostiens. II, c. 66 (Monum. Germ. l. c. p. 676) comes iuvenis, ab Orderico Vitali l. III de Quadrellis cognominatus. Verum hoc brevi anno 1047 defuncto, filiis licet relictis, Rudolfus quidam, Leoni Ostiens. l. c. Capellus, Guil. Appulo l. I. Drincanottus dictus, comitatum invasit, Aversani tamen isto mox expulso, alium quendam Rudolfum, Trinclinocte ab Ostiensi l. c. vocatum, et hoc etiam paullo post obeunte, Richardum Asclitini filium, sub Drogone tunc stipendia merentem, cui Drogo sororem matrimonio iunxerat, comitem sibi elegerunt. Cfr. Pellegrin. in Stemmat. Interea Drogo Apuliae et Rainulfus Aversae comites Henricum III vix Capuam delatum submisse adibant, equos illi plurimos et pecuniam maximam offerentes, quibus imperator universam, quam tenebant, terram imperiali investitura firmavit; vid. Leon. Ostiens. II, cap. 8. Ex quibus denuo patet, nec Drincanoldum, nec Trinclinoctem ab imperatore fuisse poena affectum, cum nec imperatorem in istas terras esse reversum constet. FR. 24) Nec meliora heic nobis de Benzone pollicemur; nondum novimus, ullum ex imperatoribus, qui Caroli nomine inclaruerant, columnam erexisse, ubi iaculando lanceam fixit in mari. In hanc potius prolabimur opinionem, quod Benzo hic indigitet factum Ottonis M. qui Danorum victor, cum destitutus classe, qua in insulas Danicas potuisset penetrare, lanceam summa vi in mare proiecit, his verbis: *Hic esto terminus finium Ottonis;* vid. Adam. Bremens. II, c. 2; Albertum Stad. ad ann. 948. Interea si divinando quid assequi licet, Caroli M. quondam Genevae statuam ante cathedrale templum positam fuisse, reperi in John *Breval Remarks upon several parts of Europe,* vol. II, p. 18; ubi forsan Carolus hastam in lacum Lemannum protrusit. FR. Nostrum non de lacu Lemanno, sed de freto Siculo vel de mari Ionio loqui patet; cfr. Benedicti monachi S. Andreae chronicon cap. 23. Mon. Germ. SS. III, 710. 25) Camerinum, in Marchia Anconitana. 26) Gislerium ignoro, nisi heic intelligas papam exauctoratum Gregorium sextum, quem captivum abduxit in Germaniam (vid. Otton. Frising. VI, c. 33; Leon. Ostiens. II, c. 78), monasterio Cluniacensi eundem postea includens; Guil. Malmesbur. II, c. 13. Hunc tamen Ioannem Gratianum alias fuisse dictum constat. FR. 27) i. e. locus formicarum: monasterium satyrice videtur intelligere. FR. 28) *Grunda,* sive *subgrundium,* pars est tecti prominens qua aquae a muro proiiciuntur; cfr. Annales Bertinian. s. a. 857, et Du Cangium in glossario s. v.; inde *subgrundaria* dicebantur sepulcra infantium qui necdum 40 dies impleverant: hac ex causa, ut opinor, quod ut hirundini nidus, ita exiguo pueri corpusculo subter subgrundas loculus esse posset; cfr. Morcell. de stilo inscript. Lat. tom. I, pag. 186, ed. Pat. et Fulgent. de prisco sermone n. 7.

sicut fratres mei cernimus in praesentiarum. Sed datum est ei munere divino, ut quod minus est de perfectione, per eum compleatur omnino. Quia ipse Deus vadit, sicut supra scriptum est, ante Heinricum christum suum, preparans ei victoriae cumulum. Nam omnis terra expectat eum quasi redemptorem, et cum palmis ramisque diversarum frondium obviam veniens, aperit portas urbium. Ponat igitur dominus noster cesar ante oculos memoriae antecessorum inceptionem et accingat se ad cepti operis consumationem. Extirpet prius sicut bonus agricola rampnos[29] et vepres, et seminet bonum semen, unde habeat annualiter triticeas messes.

p. 970 M.

Non serat ibi earum frugum prolem,
Quae timeat lunae 'rorem et solis calorem,
Sed spargat semen ad utrumque inpavidum,
Et sic obtinebit consumationis bravium[30].

fol. 11'.

Si enim radicitus non evulserit totam spinosae silvae densitatem, sepius redibit ad extirpandam eandem;

Fuerit quippe omnibus indecens ridiculum
Iteratae reversionis diverticulum.
Semel igitur fiat quod est faciendum,
Ut non sit necesse amplius repetendum.

15. De Christo dixit, regum quoque stemata scripsit,
Mente quidem leta, cum is veterana propheta[31].

Adhuc enim longa sibi restat via, sicut Sybille testatur prophetia. Nam ordinatis et in statum pristinum collocatis Apulia scilicet atque Calabria, videbit eum Bizas[32] coronatum in sua patria. Deinceps erit egressio eius usque ad urbem Solimorum[33], et salutato sepulchro ceterisque dominicis sanctuariis coronabitur ad laudem et gloriam viventis in secula seculorum. Stupens igitur Babylon, desiderans lingere pulverem pedum eius, veniet in Syon. Tunc implebitur quod scriptum est: *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* O cesar, quid miraris super hoc? Quid faciat de te, sine te deliberat ipse qui fecit te. Tu autem dic: *Multa fecisti, Domine Deus meus, mirabilia tua, et cogitationibus tuis non est qui similis 'sit tibi. Vivit Dominus et Dominus illuminatio mea,* ita fient ista, ut praesagit Sybillae Calliopea. O vos symmistes[34] herilis auriculae, ne putetis verba Sybillae vocem cracitantis corniculae. De profundis enim est cogitandum, ubi auditis quod mare sit transmeandum. Si forte in aliquo dubitatis, in Habela[35] interrogate, et scisso velo quae latent erunt in claritate.

p. 971 M. Isai. 11, 10. Psal. 29, 6. fol. 12. Psal. 26, 1. 2 Reg. 20, 18.

16. Fit Babylon tristis completis quattuor istis.

De his quoque propositionibus quas summotenus tetigi balbucientis linguae ligonibus, Deo miserante et sensum confirmante, novi qualiter possunt fieri ad honorem omnipotentis Dei, et ad salutarem profectum imperatoris domini mei. Ne despiciat, quaeso, dominus meus cesar servi sui parvitatem, quia ipse Deus facit de omnibus et in omnibus suam voluntatem. Non vili pendit suam facturam[36], etiam capillo dedit umbram suam. Dicit namque scriptura: *Alia claritas solis, alia claritas lunae, alia claritas stellarum,* ita voluit Deus esse diversas qualitates gratiarum. Et in domo Dei erant non solum fialae sed etiam cyati, quia unicuique datur gratia secundum mensuram donationis Christi. Itaque nichil horum quae dicta sunt videatur vanum aut impossibile, sed neque incredibile, 'quia non exeunt de vase cui dominetur mendatium, quod est fermentum putribile.

1 Cor. 15, 41. fol. 12'.

Nisi credideritis non intelligetis,
Neque enim ante cognitionem causae iudicium inferre debetis.
Credite ergo et invenietis,
Et gaudium magnum inde accipietis.

29) i. e. rhamnos, graece ῥάμνος, genus rubi albi. Cfr. Plin. H. N. lib. XXIV, cap. 14, sect. 76. 30) i. e. praemium victoriae, Graecis βραβεῖον. 31) Rhythmo aliquid condonandum, cum dicendum fuisset: *veteranus propheta.* FR. 32) i. e. Byzantinus sive Constantinopolitanus. FR. 33) idem ac Hierosolymorum. FR. 34) graece συμμύστης, sacrorum eorundem participes et collegae; cfr. Du Cangium s. v. 35) Notum est proverbium ex scriptura sacra 2 Reg. 20, 18: *Qui interrogant, interrogent in Abela.* FR. 36) i. e. creaturam; cfr. Ephes. 2, 10.

37 17. Karolus Heinrico boat[37] hec ut amicus amico:
p. 972 M. Saxa[38] diu fregi, pedibus fragmenta subegi.
Sic, sic victor eris, si crebro saxa teris.
Cesar hymago mea, sub quo tremit orbis hydea;
Vos duo, vos magni, vos fortes, vos velut agni, 5
Vos celebrat mundus, tu tercius, ille secundus[39].

Qui cum sapientibus graditur sapiens est,
Qui vero cum stultis eorum similis efficitur,
Sicut in libro regum de Roboham legitur.
In sublimitate igitur constitutis, 10
Necessarium est sensatorum amministratione fungi,
Quia pars scientiae est scienti coniungi.
Pondus enim Romanae potentiae sine dubio levigatur[40],
Si cum filiis prudentiae pertractatur.
Prudentia vero metitur exitus rerum, 15
Et considerat qualitates singulorum dierum.
Sollertius namque de futuro consulitur,
Si id quod praeteriit ad memoriam reducitur.

fol. 13. Perspicuum est quippe, quod in diebus pueritiae 'de baiulo[41] ad baiulum, o cesar Heinrice, porrexit te fortuna, sed transcurso Pytagoricae litterae bivio[42], iam non es cum his, qui mutantur ut luna[43]. Quibus remotis bene per temet triumphare coepisti: persevera moneo, quoniam perseverantibus numquam defuit virtus Christi. Ne dubites neque formides, ad nichilum enim devenient quaecumque fumantia vides. Quod maius et peius erat transiit, quod minus est restat, confide ergo, quoniam divina propitiatio tibi de coelo victoriam praestat. Enim vero qui dedit terminum tenebris, adbreviat dies malitiae, prolongat autem fidelibus tempus letitiae. Noli ergo fieri modice fidei; eo quod servi perfidiae quantocius ibunt ad immolandum, ea propter vigilanti cautela magis ac magis est elaborandum, ne de tua necligentia[a] vires accipiant, qui calcaneum tuum mordere desiderant. Divinum quidem est misterium, quod michi morigeraris, cesar invictissime, sive in bellicis triumphis, seu in dispositione rei publicae. Nam quaecumque signa de transmarinis partibus advenerunt michi, pene eadem occurrunt tibi. Elephantem vero michi direxit rex Persarum[44], tibi quoque fol. 13'. Affrica leonem cum comitatu mirabilium 'bestiarum. Legatus preterea Hyerusolomitae[45] p. 973 M. episcopi detulit michi multas reliquias, et claves sepulchri cum vexillo, causa benedictionis; sed hec prophetia tendit oculum ad te, qui eris in hoc opere per voluntatem Dei signifer[46] 48 christianae religionis. Basileus[47] autem Constantinus[48] misit tibi signa similia, videlicet de sudario Domini, de cruce, simulque de corona spinea. His itaque figuralibus signis potes, o amice, certam sperare victoriam de omnibus inimicis. Delectare ergo in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Ne fias quaeso contrarius legis divinae, neque sublimes quos canones atque humanae leges adiudicant filios ruinae. Ne verearis dicere, quod dixit Creator

a) *ita codex.* 40

37) Carolus M. quem loquentem inducit, tibi acclamat alta voce. FR. 38) Subintelligit Saxones, a Carolo M. bello triginta trium annorum in ordinem redactos. FR. 39) Intelligit Heinricum III et IV. FR. 40) levius redditur. FR. 41) i. e. paedagogus, qui puerorum curam gerit, graece βαίουλος. Cfr. Du Cangium. 42) Veteres philosophi literae Y duas vitae vias, virtutis ac vitiorum, compararunt; vid. Persii Sat. 3, v. 26; Lactantii l. VI, c. 3, cuius comparationis auctorem dicunt Pythagoram; Hieron. Epist. 7 ad Laetam, Pontan. Progymn. vol. I, pag. 370. FR. 43) Exagitat illorum ingenium versatile, qui tunc temporis iuventuti erudiendae operam navabant. FR. 44) Fuit is Aaron rex Persarum; cfr. Einhardi vitam Caroli M. c. 16. FR. 45) i. e. Hierosolymitani, de cuius donis Carolo M. transmissis cfr. Annal. Laurissens. maior. ad annum 799 et 800 (Monum. Germ. SS. Tom. I, pag. 186 et 188). 46) Imperatores ut protectores ecclesiae christianae contra infideles habebantur pro ducibus passagiorum. — Pius II in epist. ad Frid. III, apud Leibnit. Cod. Iur. Gent. dipl. Tom. I, p. 421, imperatorem vocat natum ducem exercitus christiani. FR. 47) i. e. imperator. FR. 48) Ducas cognomento, qui tenax et parcus noluit bellis conflictari, sed gentes muneribus et aliis obsequiis devincire, et Romano imperio reconciliare; vid. Zonarae Annal. l. XVIII, cap. 8. FR.

45 50 55

ipse: *Penitet me hominem fecisse.* Igitur quod ignoranter commissum est emenda in melius, ut de tuis bonis operibus glorificetur Deus. Scriptum est enim: *Si placuerint Domino viae hominis, statim inimicos eius convertet ad pacem* regni coelestis emacem[49]. Amen. Gen. 6, 6. Prov. 16, 7. 49

18. Temporis instantis rex, audi verba gygantis[50]:
5 Me tulit in celum labor atque vibrabile telum,
Ex hoc[51] occidi que monstra nocencia vidi;
Sic, frater, dura superabis barbara iura.

Aliena vita est nobis magistra. Sit ergo nostrum *iter in dextra, nequaquam in sinistra. fol. 14. Pre ceteris operibus suis legimus duodecim labores Herculis, quorum similitudinem habent 10 facta senioris nostri cesaris. Hercules autem post multiplices victorias numeratus inter deos, reliquit mundo venerabiles memorias. Perseverantia quippe reddit eum celeberrimum, quia non morietur nomen eius in aeternum. Non enim dictum est de eo: *Iste homo cepit edificare, sed non potuit consumare.* Luc. 14, 30. Calcata siquidem omni difficultate, quicquid incepit victoriosissime peregit. Nullam enim facit digressionem ab itineribus istius dominus noster 15 cesar Heinricus. Victa est, Deo gratias, lupina rabies, quae contra eum ululabat, succisa est silva capitum hydre, quae indesinenter pullulabat.

19. Fit draco de virga, vorat angues denuo virga; p. 974 M.
Sic sint absorti, fidei de calle retorti,
Hanc propter regem monstrat sapientia legem.

20 Nunc autem discinctis armis furoris bellici, tria monet facienda frater Benzo: ne amplius praevaleant aethnici, videlicet ut convertat sicut Moyses virgam suam in draconem[52], qui devoret hostes usque ad internitionem, et amplius non erunt. Et iterum per quandam metamorphosim evertat *alios in duriciam lapidis, sicut legitur factum de capite Gorgonis. fol. 14'. Postremo percutiat Amazones[53] in posteriora, ne sint novissima earum prioribus peiora. 53 25 Quae omnia facile possunt fieri, si assensum praebuerit cesar vaticinio servi sui.

20. Spectamen pulchrum Moyses it per mare Rubrum,
Rex calcat dorsum Padi, fremit unda deorsum.

Non debent preterea a corde recedere, o imperator, quae circa te operari dignatur mundi Salvator. Nam unum atque idem miraculum fuit, ire per Rubrum mare siccis plantis, 30 et calcare dorsum Heridani[54] submurmurantibus aquis. Cuius rei testis est non solum Placentia[55], verum etiam tota Italia, sepius memorando Omnipotentis magnalia. Ea quippe dum recolis, o cesar, ne pigeat pugnis pectus percutere, et lacrimas ab oculis deducere. Multa quidem et alia signa fecit pro te pius Plastes, custodiens vias tuas, ne in eis se occultet callidus cerastes[56].

35 21. Runcie, deformis factus, sine lumine dormis.

Laudetur Deus, quia vix potuit manus tuas* evadere, qui iniuriis linguae ausus est te invadere. Auditum est in quattuor mundi plagis, qualiter es *ultus, o formidanda potestas, fol. 15. super Runtio[57] Cremonensi atque quibusdam aliis. Sed de Bonizello, Armanello, seu Morticiello, tribus demonibus, quod non idem contigit, improbat omnis populus. p. 975 M. Nunc autem 40 omnia conturbant, et aecclesiastica officia sibi usurpant. Non est dicere, quanta prestigia

49) cupidam emendi. FR. 50) scilicet Herculis. 51) *ex hoc* dictum pro *hoc*, i. e. *telo*. 52) Cfr. Exodum 7, 15. 53) Saracenos intelligit, qui ex Scythia, sede Amazonum antiqua, in Terram Sanctam sunt progressi; cfr. Melam III, c. 5. FR. 54) Eridani, i. e. Padi. 55) utpote Pado vicina. Benzo heic priorem Heinrici IV expeditionem indigitat, anno 1077 susceptam, quo tempore ipsemet praeter opinionem pontificis Gregorii VII omnes 50 Italiae aditus occupantis in Italiam penetraverat, perterrito papa, episcopis vero et comitibus Italiae laetantibus; vid. Lambertum Hersfeldensem ad dict. ann.; Chronic. monast. Casinens. lib. III, c. 49. FR. 56) Cornutum serpentis genus, cuius meminit Lucan. VI, 679; IX, 716; Plinius H. N. lib. VIII, cap. 23, sect. 35; Solinus cap. 27, §. 28. FR. 57) Runtius et Armanellus seu Morticiellus videntur fuisse praedicatores, atrocibus iniuriis contra imperatorem debacchantes, ex quibus Runtius promerita poena est affectus. Interea istos omnes minori saltem clericorum ordini adscriptos fuisse existimo, cum nullibi illorum mentionem fieri deprehenderimus. FR.

58 agat Bonizellus[58], et in Placentina urbe atque in eiusdem plebibus insistens diabolicis predicationibus, reprobandis quoque aecclesiarum consecrationibus. Armanellus vero sive Morticius, facti catholice fidei ruina, debachantur in regione Albensis aecclesiae vicina. Hii suum opus exercent in dandis penitentiis, penitentia siquidem eorum huiusmodi est: *Abrenuntias Heinrico et suo papae omnibusque orthodoxis?* „*Abrenuntio.*" *Abrenuntias Albensi* 5 *suisque presbiteris?* „*Abrenuntio.*" Et ita flexis genibus, et elevatis sursum manibus, promittunt servare quoad vixerint quicumque de illorum consortio esse voluerint.

22. Multos igitur sive de populo, seu de principibus, ad se traxerunt, quos duplo filios gehenne fecerunt. Non est cui possim dicere: *Stemus simul;* quia si non omnes, plures tamen de ordine vicis Habye[59] infecit pestis Patariae[60], sicut est cernere in kyméra[61] Astensis 10 fol. 15'. aecclesiae. Non habeo ubi caput reclinem; *remansi solus, occupavit enim gradus, sexus et aetates perfidie dolus. In hoc apparet quia super capillos capitis multiplicate sunt nostrae culpae, quoniam seviunt inter nos duae pilosae[62], scilicet infernus, et os vulvae[63]. Tercia 64 vero cuius nomen incipit a littera canina[64], nulla saciatur peccunia, sicut nec terra pluvia. Quarta vero persecutio cui non placet, sufficit dicere: non cessat vorare quicquid potest at- 15 tingere, sive illud sit publicum herarium, seu Domini sanctuarium, vel ius parium aut imparium.

23[a]. Ni mala subsannas, o iudex, te quoque dampnas.

p. 976 M. Exaltare ergo qui iudicas terram, resiste insaturabilibus, redde retributionem superbis, nec non etiam fraudulentis. Gladium quidem ultionis habes, o cesar, de manu Omnipotentis, 20 et si in praesentiarum non suppetit facultas vindicte, tamen iuxta stultitiam eorum respondendum est stultis, vel minacibus epistolis. Dicit enim scriptura: *Rex qui sedet in solio suo* Prov. 20, 8. *dissipat omne malum intuitu suo.* Certe si non quomodocumque eos coherces ab inlicitis, si impune eos abire permittis abusionem eorum non comprimendo, tu ipse perficis, sicut per quendam sapientem dicitur: *Nam impune facere quae libet, id est regem esse.* Post Deum, o 25 Sall. Iug. 31, 26. cesar, tu es rex, tu imperator: tu rege, tu impera trementi potestate, terror minarum redigat in nichilum confidentes in sua feritate[b].

fol. 16. *24[c]. Divitis in mensa residens, aequalia pensa.

Quia frequenti persuasione revertor ad causam cesaris domini mei, ne miretur venerabilis optimatum populus: quia hubi amor ibi oculus. De illo enim dicit scriptura: *Ego ante* 30 Isai. 45, 2. *te ambulabo, et superbos terrae humiliabo.* Huius rei testis est Ausonia, nec non Canus-66 siae[66] colonia; velit, nolit, id ipsum affirmat Saxonia. Manifestum est igitur multis victoria-

a) *deest numerus in manuscripto.* b) *hoc loco duo folia evulsa, nec non folii* 16[ti], *proxime sequentis, versus primi, qui erant tres, ab auctore ipso deleti sunt.* c) *deest numerus in ms.*

58) De hoc sequentia habet Ughelli Ital. Sacr. T. II, p. 210: *S. Bonitrius, quem Bertholdus in Chron. Bonizzem appellat. Hic cum libertatem ecclesiasticam contra Heinricum Cadolaumque pseudopontificem strenue propugnaret, de Sutrina sede, unde primum ius divinum dicebat, impio imperatore iubente, deturbatus est. Deinde cum plura aerumnosaque mutasset exilia, pervenissetque Placentiam, ibi a catholicis eiusdem civitatis est dictus episcopus dimicansque cum impietate ac factiosis schismaticis, primum est carcere maceratus, postea truncatis membris atque exoculatus prope S. Domninum nobili est coronatus martyrio sexto mense, quam Placentinam ecclesiam coeperat administrare, anno* 1089 *die* 14. *mens. Iulii. Eius sacrum corpus Cremonam delatum, ibidem exceptum tumulo est apud S. Laurentium, ubi haec subiecta carmina incisa leguntur:*

Nobile depositum tibi clara Placentia gessit
Antistes Bonizzo, Christi pro nomine martyr,
Septima bis Iulii hunc lux collegit in urna. FR.

59) i. e. de ordine sacerdotium. Cfr. 2 Esdrae, c. 7, 63: *Et de sacerdotibus filii Habia, filii Accos, filii Berzellai, qui* etc. 60) Haeresis Patarinorum 35 nota est, de qua videndus est inter alios Bonizo p. 805, col. 2 (apud Oefele, Rer. Boic. SS. tom. II) qui dictae haeresi adhaerentes scribit *ob paupertatem patarinos, id est pannosos, vocatos* fuisse. Vide etiam Arnulfi gesta archiepiscop. Mediolanens. 40 libro III, cap. 13 (Monum. Germ. SS. VIII, p. 20) et libro IV, cap. 11 (Monum. Germ. l. c. pag. 28). 61) Chymera, hoc est: in misero statu ac ruina Astensis ecclesiae. 62) *pilosi* daemonum genus sunt; cfr. Isaiam prophetam cap. 13, 21 et c. 34, 45 14. Latine *incubi* appellantur, sive *inivi*, ab ineundo passim cum animalibus: unde et *incubi* dicuntur. 63) Intelligit comitissam Mathildin, de cuius cum papa Gregorio VII furtivis amoribus videndi sunt Lamberti Hersfeld. Annales ad ann. 1077 (Mon. Germ. 50 SS. Tom. V, p. 257). 64) Rebellionem forte indigitat, quae vocula a littera R, Romanis canina dicta, incipit. FR. Romanam curiam indigitare videtur. 66) Heinricus imperator foedis quidem conditionibus in arce Canusina absolutio- 55 nem ab excommunicatione Gregorii VII impetravit, vid. Leonis Chronicon Casinense III, c. 49; Lamb.

rum signis, quia Deus it pre, si sequeris eum, o cesar, non est ab re. Scriptum est enim: *Cum sederis ad mensam divitis, vide quae apponuntur tibi, oportet te similia praeparare.* Deus contrivit manibus suis tibi resistentes, et tu comprime tyrannos sanctas Dei aecclesias persequentes. Forsitan dices: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Interim terre eos tonitruis epistolarum, quoniam pene ad nichilum devenit dignitas aecclesiarum assiduis tempestatibus rapinarum. Sed in his mortibus Albensis aecclesia mortificatur prae omnibus; itaque terribiliter tona 'minacibus epistolis, vox tui tonitrui erit aliquantula salus tuis episcopis. Nam Deus aliquando tonat, et non grandinat. Si vero qui tonitrua audierint in iniquitate sua permanserint, iusto iuditio super eos tonat, grandinat, et fulgurat. Vade et tu, o cesar, fac similiter. Intona super lupos rapaces. Si se correxerint parce; quod si non, iube quo super eos impleant sua officia Parce. Dicit enim tibi scriptura: *Dissipabit impios rex sapiens, et curvabit super eos fornicem.* Completis vero, o cesar, supra dictis, bene praeparasti ea quae vidisti in mensa divitis. Vide ne dicat tibi Deus: *Ego non peperci inimicis tuis, et tu indulges aecclesiarum lupis?* Redde ergo vicem Christo, sicut bonus amicus amico.

Prov. 23,1. — fol. 16'. — p. 977 M. — Prov. 20,26.

25[a]. Consessus qualis scalae[67], retributio talis. VII.

Si exempli gratia voluissem coram cesare, domino meo, praesentare totum mundum, a primo homine usque ad ultimum, ut tamquam in speculo prospiceret, qualiter fugientes de proelio aut hostibus resistentes ponderare debuisset, viderer minor capitis, quia ipse sapientiae habitat in abditis. Novit enim quia intellectu distat homo a pecudibus, et ideo scriptum est: *Homo cum in honore esset non intellexit, 'comparatus est iumentis insipientibus.* Novit enim monstrante iustitia quoniam aliter remunerande sunt virtutes quam vitia. Novit enim quod non in eadem lance ponendi sunt deficientes cum perseverantibus, ideoque voce magna clamat Spiritus sanctus: *Ordinate in me caritatem, si quantocius vultis venire ad universalis monarchiae dignitatem.* Si audeo dicere, fortasse in hoc solo peccatis, quia caritatem non ordinatis. Scriptum est enim: *Qui totam legem observaverit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus.* In ordine quidem caritatis est primus gradus, ut omnis creatura diligat Deum sine mensura. In secundo gradu amor proximi ordinatur, quia fraterna dilectio ad se ipsum mensuratur. Inimici vero ponuntur in ultimis scalis, ut eis non reddantur mala pro malis. Pensate tandem, cuius ordinis sit frater Benzo, qui corpus et animam posuit pro vestra fidelitate, et adhuc perseverat in eadem firmitate. Audite et intelligite, intellectus bonus, omnibus facientibus eum.

Psal. 48, 13 et 21. — fol. 17. — Iac. 2, 10.

26[b]. In grege sublimis, superos discernat ab imis. VIII.

Ne videatur domino meo cesari sermo meus inanis 'aut vanus, quia ubi dolor ibi manus. Volo eum non ignorare, quod quidam audent de illo submurmurare, dicentes quia in pontificum creatione minime utitur speciali discretione, cum deberet attendere, quod ipse Deus vice sua contulit ei ad superiores gradus ordinare homines, sicut ipse disponit supernorum civium ordines. Et quia vicarius est Conditoris, non debet esse sine cotidiana sollicitudine suae praepositionis. Nam de praelaturae suae reddenda ratione non est ambiguum in ultima discussione. In tantam itaque sublimitatem Divinitate propitia elevatus, et super omnes potestates omniaque iura regnorum exaltatus, iactet super Dominum suos cogitatus, et in cunctis actionibus suis habeat, praecor, nutricem virtutum discretionem, reddens ei semper gloriam et honorem, qui eum ad similitudinem sui fecit in creaturis humanis alterum Creatorem.

fol. 17'. — p. 978 M.

27[c]. Sit par Micipse[68], rector si deviat ipse. IX.

Adiciunt etiam submurmurantes, quia *est peccatum non ad mortem, de quo orandum est, et est peccatum ad mortem, pro quo orandum non est.* De praesumptione vero utriusque

1 Ioh. 5,16.

a) VII *codex.* b) VIII *codex.* c) VIIII *codex.*

Hersfeld. ad ann. 1077. Inde reversus principes Italiae frementes cernens, imperii maiestatem tam indigne fuisse proculcatam, curam regiminis denuo suscepit, pactis cum pontifice, ipso ferme inspectante, renuncians; quo facto Italorum iram mitigavit. FR. 67) i. e. in quo gradu meritorum seu bonorum operum quis consederit, in eodem gradu praemia accipiet. FR. 68) h. e. regi Numidarum, de quo vide Sallust. Iugurth. c. 5 sqq. Sententia autem haec esse videtur: *Sicuti Micipsa nepotem suum Iugurtham, quamvis ex concubina procreatum, pariter cum filiis suis legitimis heredem*

[fol. 18.] commissi rogandus est, 'ut apperiat ille qui tenet claves magnae abyssi. Assumpta igitur divinae legis auctoritate perscrutetur cesar, quid significent utraque. Nam illi ita sentiunt: [fol. 17b.] *'Peccatum[a] non ad mortem est, aliquid non respuere de commendandi antisticii praecioso munere.* Quibus ita possumus respondere: *Multa fiunt contra legitimos usus cogente necessitate;* [Math. 12, 4.] *David enim pulsatus necessitate famis commedit panes propositionis, quod non licebat nisi sacerdotibus solis. Sed quod necessitas pro remedio repperit, cessante necessitate debet cessare id quod urguebat, et legitimus usus in suo statu permaneat.* [fol. 18, vs. 4.] 'Peccatum vero ad mortem dicunt fore, spurios ponere in pontificali honore. Quod quia divinae atque humanae leges contradicunt, ideo non est orandum pro eo. Ad hec ita dicamus: *Emendemus in melius quae ignoranter peccavimus, ut aecclesia catholica in sua religione consistat, et non ira Dei sed gratia eius super nos veniat.* Propterea ista praemisi, quia semper cupio videri frequens in administratione herilis servicii.

X. 28.[b] Cur clamor noster te pulsat percipe, Sother[69].

Quoniam a singultu meo et suspiriis avertit benignas aures cesar dominus meus, clamor meus ad te veniat, Deus. Adtende ergo, coelum, quae loquar, et audiat terra ex ore meo, [p. 979 M.] quanta pertuli pro domino meo. Utinam omnes cognovissent, licet non omnes condescendissent. Tot enim tantasque herumpnas passus sum pro eo ab ipsa sui puericia, quantas vix posset per annum colligere Tulliana pericia. Ex praecepto quidem domine meae augustae [fol. 18'.] debellaturus Heacum[70] et Radamanthum 'Romam veni, ut breviter dicam, eos expuli ab arca[71] Petri. Regiones Romanae urbis fere omnes ad fidelitatem domini mei regis sub sacramento colligavi, atque cum illis intrepidus remansi, expectans adventum domni Kadali[72]. Et ut credatis quod ita se habet veritas rei, testis est domnus Clemens[73], tunc cancellarius, modo sancti Petri vicarius, et Lunensis Bernardus, eo tempore regis capellanus. Qualiter [74] autem hec acta sunt, et quomodo confratres et coepiscopi me solum reliquerunt[74] et ad apostatas abierunt, et qualiter eos revocavi de praelio fugitivos et pene semivivos, non parvi operis sequens libellus indicabit et per ordinem cuncta narrabit.

XI. 29.[c] Dapsilis[75] esto michi, de te qui talia scripsi,
Regalis plante soboles, praeceptor amande.

Quis, rogo, imperatorum ita durus, ut non dedisset tam bene servienti tantaque de eo scribenti aliquod munus?

XII. 30.[d] Liber cum rebus, Maro, cunctis esto diebus,
Et de thesauro Iulii sis dives in auro.

[76] Certe pro duobus carminibus a Iulio Cesare[76] est honoratus duplici honore Virgilius. Apud reges seu cesares antiquos sine mora sequebatur opus alicuius famulitii decentessima[e] merces multiplicis benefitii. Quem delectat talia cognoscere, hystorias regum dignetur revolvere.

a) *verba sequentia usque ad verba:* in suo statu permaneat *postea, folio novo inserto (fol.* 17b*), ab auctore addita sunt.* b) X *cod.* c) XI *cod.* d) XII *cod.* e) *legendum* decentissima.

regni constituit; eodem modo, cogente necessitate, imperatorem quoque haud raro contra legitimos usus de muneribus ecclesiasticis consulere oportet. 69) h. e. servator, graece σωτήρ. FR. 70) Aeacus et Rhadamanthus ab ethnicis crediti sunt inferorum iudices; heic vero auctor indigitat sub istis nominibus Benedictum X et Alexandrum II pontificia sede, iussu matris Heinrici, Benzonis opera deturbatos; vid. Lamb. Hersfeld. et Bertoldum Constantiensem ad ann. 1058 sq.; Ottonem Frising. VI, c. 34; Leonem Ostiens. III, c. 21; Dist. 23, c. 1; Platinam de vitis Pont. Rom. n. 161. 163, p. 318; Benzonem lib. II. FR. 71) i. e. navi Petri, sive sede Romana. FR. 72) Aliis vocatur Chadelus, Cadolus, Cadolaus. Fuit Parmensis episcopus, Honorii II titulo ad pontificatum, iubente imperatoris matre, admotus, sed ab Alexandro II mox deiectus. FR. 73) nimirum Clemens III, ab imperatore Heinrico Gregorio VII oppositus, quem plerique ex pontificum numero expungunt, cum quiete dignitate parta frui nunquam ipsi contigerit. Bertoldus Constant. et Sigeb. Gemblac. ad ann. 1084 sq.; Leo Ostiens. III, 50. FR. 74) Anno Coloniensis enim, ad negotium componendum Romam missus, Hildebrandi artibus mox permotus est ut, deposito Cadolao, Anselmus Luccensis, Alexander II vocatus, surrogaretur; Lamb. Hersf. ad ann. 1064. FR. 75) i. e. largus, munificus. FR. 76) i. e. Augusto.

31. Qui lacrimans orat, rex hunc Asverus honorat. XIII. fol. 19.

Audiat cesar, dominus meus, quid honoris ab Asvero promeruit Mardocheus[77].

32. Danihel ornatur, quamvis mala vaticinatur. XIIII.

Nabuchodonus vero et Balthasar torque aurea Danihelem ornaverunt, licet terribiles p. 980 M. interpraetationes ab eo didicerunt[78]. Ut multis supersedeamus, quid Otto tercius fecerit audiamus.

33.[a] Logica cum volvis, quod tu, Gerberte, resolvis,
Hinc orbi toto te praefert tercius Otto. XV.

Accepta solutione de ratione uti et rationali, Gerberto[79] resolutori post Ravennam placuit Romam dare, donum videlicet imperiale.

34.[b] Tado, bonum fatum, faciunt te dona beatum. XVI.

De Tadone vero, qui fuit propter metum Ardoini[80] pedester legatus marchionis Teodaldi[81] atque episcopi Leonis[82], quid fecit venerabilis clementia magni Heinrici[83], serenissimi imperatoris? Certe uni filio eius dedit Verone episcopatum, alteri comitatum, patri vero Gardam et totum Benacum[84]. Sequatur ergo dominus meus cesar exempla illorum, quia et hereditate et honoris dignitate est verus heres eorum.

35.[c] Felix cesar eris, patrum si facta sequeris. XVII.

Temporibus consulum sive imperatorum erat talis consuetudo militum Romanorum, ut si quis aliquando fortiter seu festive aliquid fecisset, multiplici beneficio ditatus statuam in fol. 19'. foro promeruisset: sive esset pugnator, vel in populo rethoricus perorator, aut etiam imperialium legationum non inprovidus delator.

36.[d] Cantans constanter, mox factus es aureus, anser. XVIII.

Non dico de hominibus tantum, nam anser meruit aureus fieri, quia excitavit custodes Capitolii. O felices illo tempore nati, qui finita pugna non redibant domum indonati! Nunc autem si pro cesare latro adversus larvas usque ad raucitatem faucium, et si subeo pericula p. 981 M. mille mortium, idem est michi ac si semper tacuissem, aut attritus sub Sampsone suras femori imposuissem.

37.[e] Instruit hic miles, quos cernit corpore viles. XVIIII.

Egles Samius[85], athleta mutus, multocies fortiter fecit, et nichil retributionis accepit. Proinde tamen non se abstinuit, sed iteratis vicibus inter hostes victor emicuit. Depositis armis, quibus poterat nutibus expetebat meritum trophei. Senatus quasi dissimulans responsum non dedit ei. Ille transfixus nimio dolore, muciendo, gruniendo, prorupit in verba: *O ingrati, in multis preliis mea dextera confortati, in multis periculis mea ope adiuti, cur invidetis laboribus militis muti?* Exagitatus denique in pacientia extremi doloris, erupit[f] in fol. 20. voces articulati sermonis. Senatus itaque post plurimam beneficiorum largitionem iussit ex

a) XV *cod.* b) XVI *cod.* c) XVII *cod.* d) XVIII *cod.* e) XVIIII *cod.* f) erupi *cod.*

77) Cfr. Esther cap. 6 sqq. 78) Cfr. Daniel. cap. 5, 29. 79) Hic insigni doctrina praeditus, Ottonem III imperatorem et Robertum Franciae regem aliosque viros summi nominis liberalibus artibus instruxit, unde primum Remensi, mox Ottonis III beneficio Ravennatensi, et tandem Romanae ecclesiae praefuit, Sylvestri II nomine auctus; vid. Thietmar. VI; Helgaldus in vita Roberti ap. du Chesne Tom. IV, p. 63; Platina de vitis Pontif. n. 147, p. 303. FR. 80) Hic ab Italis in regem electus, cum clerum insolentius tractasset, adeo invisus esse coepit, ut Heinricus S. e Germania adversus ipsum evocatus, mox rerum potiretur; plura pete ex Thietmaro lib. IV, cap. 34; lib. V, 16; VII, 3 et 16; Adalboldo in vita Heinrici cap. 15. 16. 33. 34. 36 sq.; Sigon. de regno Ital. VII, p. 189. FR. 81) de Thiedoldo marchione cfr. Adalboldi Vitam Heinrici II, cap. 15. 16. 36. 82) Fuit is episcopus Vercellensis, ab Arduino rege sede expulsus; cfr. Thietmar. lib. VII, 3. 16. 83) scil. Heinrici II. 84) castellum Gardam et lacum quem Itali hodie *Lago di Garda* vocant. 85) Cfr. Gellii Noct. Attic. lib. V, cap. 9, §. 5. 6. Sed Gellii narratio a Benzone suum in usum et aucta et penitus mutata est.

metallo fabricari aequum[a] et ascensorem, et collocari secus Africanum Scipionem[b]. Dicta sunt autem hec de laborantium sudoribus ac de iustis remuneratoribus[c].

XX. 38.[d] Cum pueri panem canis est, rem cernis inanem.

Nunc autem video multos, qui non laboraverunt pro cesare saltim una hora, quos dominus meus extulit ad arces procerum sine ulla mora. Ve michi, quia me posthabuit et 5 oblivioni tradidit. Verum sicut ego semper cucurri ad sui honoris ampliationem, ita deberet in corde suo retinere meae mercedis debitam retributionem. Nam cum esset parvulus, cogitabat ut parvulus, faciebat ut parvulus. Modo vero factus vir, non revertatur amplius ad parvulitatem, sed ut vir fortis et sapiens reddat bene meritis prout decet imperialem maLevit. 19,13. gestatem. Accepimus enim a Domino, non ab homine aliquo: *Merces operarii tui non mo-* 10 *retur apud te usque mane.* Ne sit, quaeso, in cogitatione cesaris verbum istud transitorium aut inane.

*fol. 20'. ## PREFACIUNCULA LIBRI SECUNDI.

Ego vero frater Benzo, fatigatus dubia spe remunerandi laboris, erumpam sicut Egles in voces articulati sermonis. Et narrabo coram omnibus partem misericordiarum, quas mihi 15 servo suo contulit Dominus. Nam si capilli capitis forent linguae, nullatenus valuissem cuncta singulatim exprimere.

p. 982 M. ## INCIPIT LIBER SECUNDUS.

1061. Oct. 28. 1. Post decessum igitur papae Victoris[86], ordinatus est Kadalus Parmensis episcopus per manum regis Heinrici, filii item Heinrici imperatoris, conlaudantibus tripertiti ordinis 20 Romanae urbis primatibus, astipulantibus quoque diversarum provinciarum episcopis et optimatibus. Ex precepto denique pueri regis atque matris reginae acceperunt Italiae proceres ducatum huius viae. Sed denegata est eundi facultas, pluviis diluvialiter irruentibus, Gote- 87 fredo[87] cum uxore quoad poterant impedientibus; Romani vero cognoscentes neoterici papae tarditates, sicut sunt cerei in vicium flecti, ceperunt se dividere per diversas voluntates. Quo 25 cognito rex genitrixque eius per Azolinum cubicularium direxit clitellarios honustos praeciofol. 21. sarum pellium donis, iussu quoque *ac promissione magnae remunerationis mandavit, ut fierem auctor huius legationis. Frater vero Benzo, inprimis aliquantulum stupidus, eo quod domi remanebat pinguium taurorum cuneus, muniens se signo crucis erexit cor sursum viLuc. 23, 46. delicet ad Deum et dixit: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Pergens nam- 30 que per mediam Tusciam, honoravi simulque honeravi comites amirandis muneribus, quos feci consortes meis itineribus. Ipsi vero cum multis catervis bellantium deduxerunt me usque ad Sanctum Pancratium. Ibi fuit obvia Romanorum maxima multitudo, nullus eorum sine scuto. Ivimus per mediam Transtiberim usque ad pontem, et ecce turba magna sicut laetantium suscipiunt me processionaliter, cantantes novum canticum. Hii omnes ut papam 35 me salutaverunt et cum diversis melodiis ad palacium Octaviani assportaverunt. Ubi per singulos dies septimanae peroravi causam pueri regis, domini mei, et pene totam urbem ad 89 fidelitatem eius sub sacramento collegi. Asinandrellus[88] autem atque Prandellus[89], inter glandaricios glandaricii, non audebant apparere involuti spinoso tegmine sicut hericii.

fol. 21'. *2. Interea per singulas regiones congregantur conventicula sapientum, conferentium ad 40 invicem, ut de honore legationis regiae cicius fiat quod est faciendum. Itaque tota nobilitas

a) *sic cod.* b) Sipionem *cod.* c) *rhythmi causa scriptum pro* remunerationibus. d) XL. *cod.* XX *Mencken et Ludewig.*

86) immo Nicolai II; nam Victor II obiit a. 1057, Iul. 28. 87) Scilicet Gotefredo Barbato duce Lotharingiae superioris (cfr. Stenzel II, 117 sqq.), qui anno 1053 Beatricem, Friderici II ducis Lotharingiae filiam et Bonifacii quondam marchionis Tusciae († 1052, April. 26; cfr. Herimanni Aug. Chronic. ad h. annum) viduam, in matrimonium duxerat; vide Lamberti Annales ad h. a. et Herimanni Chronic. ad annum 1054. Qui quidem vir mortuo patre Gozelone anno 1044 statim rebellans, et anno 1047 ab Heinrico III imperatore ducatu privatus, usque ad finem vitae anno 1069 una cum 45 uxore sua partium anticaesarianarum firmissimum subsidium extitit. 88) h. e. Anselmus de Badagio, episcopus Luccensis, qui et Alexander II papa. 89) Sub nomine Prandelli aut Folleprandi, quorum saepius fit mentio, Hildebrandum, assumta postea 50 Gregorii VII compellatione in sede pontificia conspicuum, ironice intelligit Benzo. FR.

Romanorum et cetus rei publicae deduxerunt me ad quoddam hypodromium, quia ibi regiae mandatelae videbatur esse competens auditorium. Affuit ex altera parte hereticus ille Lucensis, inmo lutulensis, cum suis glandariciis. Cuius teterima[a] hymago erat similis spiritibus horrificis. Ubi vero apparuit velut infernalis umbra eius formidabilis vultus, murmur multum fit in populo, oriturque perstrepens tumultus. Tandem post longum temporis spacium quievit fremitus murmurantium. Ego autem extensa manu praecepi silentium, et monui ut ad verba mea essent intentae aures audientium. Et factum est ita. Tum ego inquam: *Si quicquam sensus habes, o Anselme, puto recolis quod dominus meus, imperator Heinricus, praefecit te Lucensi aecclesiae, et sicut mos est de omni suo honore, fecisti sibi atque filio eius ius iurandum, et praesertim ad conservandum imperium Romanum. Post decessum vero patris augusti domino meo Heinrico, filio eius, qui nunc est rex, iurasti hanc eandem fidelitatem; cur transgressor factus prorupisti in hanc temeritatem, ut imperiali manu tibi commissam relinqueres aecclesiam Lucanam, et invasor factus arriperes omnium aecclesiarum matrem Romanam? Et hoc cum Normannis, latronibus et tyrannis, et hoc mediante peccunia. Nam Prandellus Sarabaita*[90], *filius Symonis*[91], *tuusque trepezita*[92], *fuit interventor huius mercati, inde apud Deum et homines tu et ille estis ambo dampnati. Tu non ascendisti ad cathedram Petri cum clericorum processione, sed cum homicidiis, cum sanguinis effusione. Nam Richardus*[93], *sanguineo ense accinctus, ea ipsa manu qua tres ex nobilibus Romanis morti destinavit, hac eadem super cathedram te collocavit, et hoc totum factum est in nocte, non in die*[94]*; ex qua re cognoscunt omnes quoniam filius perditionis es atque vas irae. O qualis ascensio ad sedem Petri, ad quam te asportaverunt satellites demonum, non senatus, non populus, non ordo cleri. Certe hoc non est ascendere, sed descendere. Merito ergo debes utramque perdere, et illam quam despiciendo reliquisti, et hanc quam sicut adulter usurpare voluisti. Nunc autem ex contraditione iuris iurandi quod iurasti dominis meis, scilicet patri et filio, contradico tibi Lateranensis palatii stationem, simulque Romanae cathedrae sessionem, et omnino tocius Romuleae urbis habitationem. Precipioque tibi ex parte domini mei, atque similiter domini tui, quo sine dilatione atque remota occasione a Roma exeas et ad Lucam redeas, ibique datis induciis per unum mensem, postea ad dominum meum regem pergens ex his quae praedicta sunt te expurga si poteris: alioquin aut penitentiae aut canonicae sententiae subiacebis. Certe melius est tibi per canonicam medicinam in hoc seculo animae tuae subvenire, quam cum diabolo, qui te ad hanc transgressionem traxit, aeternaliter perire.* His dictis confestim clamor omnium tollitur ad aethera, perhibentium quod testibus coelo et terra commissa sunt ab eo hec omnia scelera. Post hec omnes conticuere, iterumque facto silentio facultatem respondendi ei dedere. At ille: *Scio*, inquit, *et recolo quia de manu imperatoris Heinrici accepi praesulatus dignitatem, et propter conservandam fidelitatis curam suscepi Romanam praelaturam. Accepto consilio dirigam sibi meum legatum, qui nuntiabit meae voluntatis statum.* Haec dicens retorsit frenum, et popellus eius secutus est eum. Tunc universus populus universaliter cepit clamare: *Vade leprose, exi bavose*[95], *discede perose! Deus omnipotens, contra cuius dispositionem agis, percutiat te Egyptiacis plagis!* Triumphantes denique remeavimus ad palatium Octaviani, ubi erat meum ospicium, diluculo reversuri ad incipiendum de futuris concilium.

3. Mane autem facto, convenientibus nobis in unum,
Residerunt singuli secundum praelationes graduum.
Primo loco sedit Nicholaus, magister sacri palatii,
Oriundus de genere antiqui Trebatii;
Vir factus ad unguem, locuples innumerabilium thesaurorum,
Adornatus praeciosissimis gemmis phylosophorum.

a) *sic codex.*

90) Sarabaitae monachi vocantur qui, nulla regula approbati, adhuc operibus servantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur; qui interdum bini aut terni per urbes aut castella proprio arbitratu vivunt, ut est in regula S. Benedicti c. 1 etc. Eiusmodi Sarabaitas exagitant passim scriptores; vide Karoli Magni capitulare Aquisgranense anni 802, cap. 22 (Mon. Germ. LL. I, 94). 91) Cfr. 2 Maccabaeor. cap. 3, 4 sqq., cap. 4, 1. 92) Trapezeta sive trapezita nummularius est, vel mensarius, qui pecuniam super mensam dinumerat; vide Du Cangium. 93) frater scilic. Roberti Wiscardi, Apuliae et Calabriae ducis; cfr. Willelmi Malmesburgensis gesta regum Anglorum, Monum. Germ. SS. Tom. X, 473. 94) Cfr. infra Benzonem lib. VII, cap. 2. 95) h. e. stultus, a bava = saliva ex ore fluens, ut stultis saepius accidit; cfr. 1 Reg. cap. 21, 13.

Deinde numenculator,
Ad similitudinem Nume Pompilii divinus consiliator.
Post hunc Saxo de Helpiza, iudex iudicum,
In cuius arbitrio pendebat iudicium publicum.
Deinceps alii de ordine dignitatis senatoriae,
Sicut series parentum tradidit memoriae.

*Iohannes Berardi, Petrus de Via, Bulgamenes cum fratre, Berardus de Ciza, Gennarius, Cencius Francolini, Boni filius, et plures alii de generibus procerum valde necessarii in consiliis nostrorum operum. Istis igitur coram me in subselliis residentibus, et diu multumque tacentibus: *Ego*, inquam, *Albensis episcopus, qui sum regius legatus, volo scire quid de perturbatione rei publicae consulat Romanus senatus. Multi quidem nobiles et sapientes viri morantur in curia domini mei, qui Ciceronicis amministrationibus valuissent sedare commotiones imperii. Non tamen placet domino meo regi aliquem praeferre vobis, in quorum manibus sunt lances iudiciariae discretionis. Agite itaque ex praecepto domini mei vestrum mysterium, et consulite ne deinceps talibus phantasiis fascinetur imperium.*

4. Tunc magister palacii Nicholaus candidissima[a] redimitus mitra exorsus est ita: *Gratias agamus, patres conscripti, Deo et regi, qui nos dignatur conparticipes in gerenda cura publicae rei; facit enim quod se decet, dum unicuique suam iustitiam praebet. Nos autem nolumus oberrare a recta via, sed in omnibus sibi obedientes gradiemur post sua *vestigia. Nam satis et supra docet nos liber pontificalis, quomodo fieri debeat ordinatio talis. Ideoque ex clero et senatu ac populo legatos misimus ad eum, ut cum his eligeret quem vellet papam secundum Deum. Quod et factum est. Conlaudantibus igitur Italiae, Alemanniae, Burgundiae catholicis episcopis regnorumque optimatibus, electus est Parmensis praesul venerabilis Kadalus. Quo audito Prandellus, diaboli membrum, novus antichristellus, habuit consilium cum Leone, originaliter procedenti[96] de Iudaica congregatione, simulque cum Cencio Fraiapane atque cum Brachiuto Iohanne. Cetera turba erat ex mendicis, solita vittitare[96*] de reliquiarum cibis. Cum his tribus praedictus Sarabaita Richardum peciit, quem sub pecuniaria conditione Romam advexit. Cuius ope creaverunt papam noctulanum contra totam christianitatem, et contra imperium Romanum. Verum hoc sciat omnis homo ratione praeditus, quoniam qui deserit proprium ordinem, non habet letos exitus. Non est auditum a seculis seculorum, quod ordinatio papae esset in manibus monachorum, nedum etiam in manibus Normannorum. Pro pudor, a diebus Romuli, a quo primum cepit Romana curia, non evenit *publice rei tam atrox iniuria. Cur non concurritur ex omni parte tocius orbis, quo fiat citissima ultio de talibus morbis? Fastidium est de illis quicquam dicere; heri venerunt mendicantes, et qui essent habitu et opere demonstrantes. Nam eorum panniculi erant sine utraque manica, in dextro latere pendebat cucurbita, in sinistro mantica[97], barbata vero genitalia nesciebant sarabara[98]: et hodie coram elevato simulacro resonantibus tubis perstrepunt taratantara? Quae est ista, rogo, patres conscripti, retrotensio? ut monachi, qui sunt homines mortui, superponantur vivis adiciantque sua abusiva super Cypriani duodecim abusivis? Heu, heu, completum est in hac die, quod in parabolis praedixit filius uxoris Hurie: „Per tria movetur terra, et quartum quod non potest sustinere.“ De tribus est unus Leo Iudeus, alter Anselmus Phariseus, tercius falsa cuculla Dohech Idumeus[99]. Quartum Normannus, factus de plebe tyrannus. Si non fuerit hec radix peccati penitus extirpata, omnia mundi climata erunt in maxima perturbatione, fietque novissimus error peior priore. Ergo si placet domno Albensi episcopo, qui est regius legatus, properent veredarii[1] ex parte *senatus, ut quantocius veniat qui est a Deo electus et designatus.*

Quid plura? Nuntii habierunt, quae audierant et viderant viva voce, hilari vultu, nuntiaverunt. Frater Benzo, Dei gratia Albensis episcopus, ex regia iussione praecursor eius, salutavit domnum praeelectum his versibus:

5. Salve, surge, veni, ceciderunt germina feni[2];
Fronte veni leta, veniat tecum logotheta.
Ne timeas umquam, solidat Deus aequoris undam;

a) candissima *cod.*

96) legendum *procedente.* 96*) i. e. victitare. 97) idem ac πῆρα, sive sacculus. 98) h. e. braccae, quibus crura teguntur et tibiae. 99) Cfr. 1 Reg. 21, 7. 1) qui veredis, h. e. equis publico cursui destinatis, utebantur et responsa vel mandata principum deferebant. 2) Foenum, herba est quae et silicia dicitur, in pabulum bubus seritur levi aratione proscisso agro: quantoque peius tractatur tanto provenit melius; cfr. Plin. H. N. XVIII, 16, sect. 39.

Ne dubites undae te credere, Petre secunde;
Non est formido, cum te vocat orbis origo;
Fluctibus in tantis mare fit calcabile plantis;
Porrigit ipse manum, satis est cui fidere sanum;
5 Non te fraudabit, Romae sed in arce locabit,
Principe cum Petro, tantum ne respice retro;
Recta perge via, dux est tibi sancta Maria;
Quae proli carae pro te deplorat amare,
Ut vincas vincens, et sis de praesule princeps.
10 Tunc memor esto mei, vel in ima parte diei.

6. Remansit inter eos frater Benzo, quasi in medio mari, semper timens improvisa tempestate turbari. Posthabita supra dictorum nobilitate, non est dicere *quot Prothei com- (fol.25'.) morentur in illa civitate. Sed frater Benzo, factus alter Aristeus[3], ligans eos verborum com- (3) pedibus, stringebat vincula valde et multum, donec cogebantur reverti ad priorem vultum. 15 Nunc pollicendo auri montes, nunc paradisi mellifluos fontes, aliquando consultans de re publica[a] cum maioribus, quandoque confortans populum utebatur rethoricis coloribus. Scriptum est enim: *Quot milia capitum, tot milia studiorum.* (Horat. Sat. II, 1, 27.) Expedit quocirca, ut concionator proferat verba convenientia voluntatibus eorum; atque ita dociles facti intentique ad audiendum, cum ipse vellet quiescere, invitabant eum magis magisque ad loquendum. Quasi pater 20 erat universaliter carus, omnibus dulcis, nullis amarus.

7. His diebus intimavit michi hanc epistolam Malphitanus Pantaleus: *Episcopo Albensi et maioribus Romae Pantaleon patricius salutem. Credo non esse ignotum Latinis et Grecis de concordia inter utrumque principem, Romanum quidem atque Constantinopolitanum, mediante Romano apostolico. Nunc autem quia de finibus orbis terrae venerunt Normanni, conturbantes 25 fraternum foedus indivisibilis imperii, *ad dedecus atque communem verecundiam ausi sunt* (fol.26.) *nostra invadere in medio nostrum contumaci praesumptione. Soliti erant Romani aliis gentibus dominari et spolia nationum referre ad Capitolium. E contrario, qui erant olim nostri servi, potestatem acceperunt super nos, et non tantum spolia, sed regna auferunt nobis. Saltim rubore suffusi evigilemus, nostrosque basileos ad vindictam excitemus. Sit ergo Romani regis 30 legatus studiosus in hoc opere, et incitet koropalates[4] pueri, domini sui, ad expulsionem ignobilium. Nam et ego hyschyron[5] basileum, Constantinum Doclitium[6], continuis allegationibus* (6) *fatigabo, ut impiger occurrat dilectissimo fratri Heinrico in ultionem servilis turpitudinis. Domnus Kadalus, Dei omnipotentis praeco et beati Petri vicarius, secundum consuetudinem* (p.987 M.) *praecessorum fiat tuba ad convocationem amborum atque liberationem patriae.*

35 8. Interea plenus dolo Sarabaita Prandellus, falsissimus atque diabolicus monachellus, fidens non in Deo, sed in multitudine diviciarum, nobis nescientibus comparavit hostilem copiam de nationibus *gentium plurimarum, ut quandocumque noster papa venisset, statim (fol.26'.) bellum in prima fronte habuisset. Magis volens vincere effuso mortalium sanguine, quam sanctorum canonum gloriosissimo certamine. O domine Iesu Christe, videns quid facit dia- 40 bolus iste, cur non exerces iudicium tuum, qui dixisti: *Maledictus homo qui ponit carnem brachium suum?* (Ierem. 17,5) Quaeso, pater misericordiarum, et Deus tocius consolationis, ut in diebus malis mitiges nobis, donec fodiatur peccatoris fovea; et tunc apparebunt profunde cogitationes tuae et magnifica opera. Sit nomen tuum, o Deus salutaris noster, benedictum in secula.

45 9. Dum hec geruntur Romae, accepta domnus Kadolus Capitolii legatione, commendans (1062.) se Deo qui humilia respicit et alta a longe cognoscit, praeelectis turmis de tota nobilitate Parmensium, movere praecepit exercitum. Gradiens igitur per Aetruriam asscivit suis agminibus decentissimam comitum curiam. Inter quos fuit Pepo, nepos Farulfi ex filio, comes nobilissimus, regi et papae indubitanter fidelissimus. Caeteri autem satis insignes et poten- 50 tes, nullis viribus indigentes. Octavo denique Kalendas Aprilis *ingressus est Sutrium homo (fol.27. Mart.25.)

a) R. P. *cod.*

3) Is fuit Apollinis et Cyrenes filius, Actaei pater, quem primum et apium et mellis usum hominibus tradidisse volunt fabulae; unde Ovidius Pontic. IV, 55 2. 9: *Quis mel Aristaeo, quis Baccho vina Falerno, Triptolemo fruges, poma det Alcinoo?* 4) coropalates (κουροπαλάτης) comites palatii, summae Constantinopoli auctoritatis; h. l. idem quod tutores, curatores pueri regis. 5) hyschyron = ἰσχυρόν, h. e. viribus pollentem, validum. 6) h. e. Constantinus Ducas, qui ab a. 1059 usque ad a. 1067 imperium tenuit.

Dei non tepidus sed virilis, ubi occurrit ei frater Benzo cum senatoribus Romanis, associatis sibi principibus Galerianis[7]. Omnia valde bona annuntiavi ei, quae audierant aures et viderant oculi mei. De dolis vero Prandelli nichil ei dixi, quia hec omnia ignota erant mihi. Badaculus autem, revolvens se tamquam in Laberinthi volubilitate, dicebat se velle recedere ab ea, quam male acceperat, clavigeri dignitate. Id ipsum autem fautores eius submurmurabant in plateis, ut fraus latuisset quae erat in eis. Leo quidem Iudeus, Synonica stropha plenus, volens occultare quae in nos moliebatur Folleprand Manicheus, convocatis nostris proceribus, dixit: *Ne forte veniat super nos coelestis irae indignatio, penitentia ducti abrenuntiamus Lucensi acatio*[8]. *Non sit, quaeso, amplius inter nos schisma, iungat nos fides quos unum facit Christi baptisma. Certi sumus de voluntate regis per Albensem episcopum, regis silentiarium; nunc vero cum Parmensi electo audivimus esse cancellarium. Cuius auctoritati contrastare lex iubet esse capitale. Veniat ergo domnus electus, et sedeat in monte Gaudii*[8*], *cancellarius autem cum episcopo Albensi descendat ad portam Crescentii. Ubi communiter assistamus ei, et quodcumque praeceperit nuntiabimus clero, senatui, atque universo cetui publicae rei. Altera die similiter faciat. Tercia autem die processionaliter recipiemus domnum electum cum suis in Urbem, secundum nostram consuetudinem.* Iudeus erat, iudaice loquebatur. Nam illa die cum conducticia manu adest Prandellus provocans nos ad bellum, quod Deo volente versum est illis in flagellum. Visis enim nostris aquilis, dedit terga multitudo illa innumerabilis. Fugiebat quippe manum Dei, quam ad iram provocaverat cuculata insania Scariothei. Quis scribat penna quos sorbuit atra gehenna in aquis et in terra? Sicut dixerunt numerantes, mille fuerunt. Post tantam igitur pereuntium ruinam[9], sine ullo obstaculo intravit exercitus sancti Petri cortinam, nam porticus erat ab incolis vacua. Imminens vero nox coegit nostros revisere castra. Incolumis denique rediit exercitus totus, exceptis de minoribus solis duobus. Orto autem sole omnia luctus erat, nam quisque cadaver proximi heiulando quaerebat. Sive pauperes, sive divites, huius mestitiae videbantur participes. Ea propter declinavimus ab Urbe, ne forte amici et inimici communiter pulsati, inpacientia recentis doloris in nostram convertissent perniciem arma furoris. Dicebant autem: *A diebus regis Euandri, qui fuit conditor Romanae arcis, non accidit nobis acerbitas huiusscemodi*[a] *stragis.* Per quinque itaque dies sedit exercitus in eodem loco, donec aliquantulum cessavit gemitus merentium extincto tristitiae foco.

10. His ita gestis, ex consulto senatus Romani transivimus Tyberim ad portum Flaiani[b]. Ibi fuerunt nobis obvii filii Burelli[10], viri martifices ad pugnam novelli. Sequaces eorum numero mille, audacia pares Cornelio Sylle. Post hec direximus iter ad Tusculanum, et nostro cetui sociavimus iuvenculum nepotem Alberici, olim princeps[c] eiusdem municipii. Deinceps universi comites circum circa subiciunt se regendos domni Kadali apostolica virga. Sub arce vero prenominata erant ingentia prata. Ubi residentes in papilionibus, delectabamur herbarum et florum suavissimis hodoribus. Cotidiae autem coram domno electo disputabant seniores, quomodo possent cuculati demonis allidere tergiversationes.

11. Quadam vero die venerunt ad nos Iohannes Berardi et Petrus de Via dicentes, Asinelmum esse in agonia et loqui aliena quasi ebrium atque morti propinquare frequenti molestia febrium. Ideoque praestolanda Dei misericordia, quoniam Libitina[10*] invasit eius praecordia. Nobis autem super hac re non parum dubitantibus, intulit ista electus noster coram adstantibus. Sathanas mille formis insidiarum fucis transfigurat se in angelum lucis. Quandoque se induit mortuorum imaginibus, et divinando falsa separat sequaces ab aecclesiae luminibus. Eius quidem illusionibus non se credat populus catholicus. *In Domino confido* cor unius cuiusque nostrum dicat, et: *Sicut fuerit voluntas in coelo, sic fiat.*

12. Hac eadem die allate sunt ex Bizancio regales litterae. Portitores vero litterarum fuerunt tres missi, purpura induti, cum candore byssi. Clamides nimiae viriditatis relucebant aureis signis, coccinei galeri videbantur sicut carbones ignis. Talaria nempe aurea et gemmata, occeani margaritis artificiosę hornata. De quibus nulla fuit dubitatio, quo minus

a) huiu'ſcemodi *cod.* b) *sic codex; legendum ut videtur:* portam Flaminii; *cfr. Giesebrecht, Annales Altahenses pag.* 217, *not.* 1. c) *sic cod.*

7) Galeria, olim tribus Romana, una ex rusticis, Romam inter et Ostiam sita: hodie *Ponte Galera.* 8) *Achatius* rhythmi causa scriptum pro *achates* quae est gemma notissima. 8*) hodie *Monte Mario.* 9) De strage illa vid. Leo Ostiensis in Chron. Casin. III, 19; quam mutatis circumstantiis quoque refert Lambert. Hersf. ad a. 1064. FR. 10) Cfr. Chron. Casinens. II, 39. III, 39. 10*) h. e. mors.

forent de basilei palacio. Illi vero *de communi imperio, et de fraterna principum dilectione adinvicem multa dixerunt, demum scedam in hec verba domno helecto flexis genibus porrexerunt: *Romano patriarche, regia constitutione super universali aecclesia sublimato, Constantinus Doclitius, Constantinopolis basileus, salutem. Romana sapientia, a nostro Greco fonte derivata, quae in primo vel secundo ac tercio Ottone bene floruit, instanti tempore ita defluxit, ut paciatur Normannos consortes imperii. Iam enim sibi usurpant imperialia officia, ut in praesumptione Lucani pseudopapae. Ad hec corrigenda, per manum fidei tuae volo firmare aeternalis amiciciae pactum cum puero Heinrico, rege Romano. Nam et ego Romanus sum, et ita nos ambo Romani sub te communi patre simus unum, conligati vinculo indivisae caritatis. Super hoc filium meum porphyrogenitum dabo sibi obsidem, totumque meum thesaurum, ut ex eo faciat quod voluerit ad suos usus suorumque militum, quatenus te praevio sit nobis facultas ire usque ad sepulchrum Domini, et expurgata spurcicia Normannorum sive paganorum, refloreat christiana *libertas vel in fine seculorum. Tu autem vir Dei, heres beati Petri, claude sermones istos in pectore tuo et operare opera Dei.* His auditis levavimus oculos ad coelum et de suis sanctis operibus laudavimus Deum. (fol. 29. / fol. 29.')

13. Fama volans susurravit in auribus Gotefredi laetos exitus nostri trophei. Qui ut impius hostis pueri regis, patri et filio semper infidelis, animo consternatus vehementer doluit, et quasi ad nostrum auxilium venire disposuit. Veniens autem ad pontem Holbii[10*] et castra metatus est ibi. Per dolum igitur atque simulationem direxit domno Kadalo huiusscemodi[a] legationem: *Cum sciat amicus noster, domnus Kadalus, quod per seniores Canussiae sit paparum ducatus, cur me abdicavit, neque tamen cursum consumavit? Revertamur uterque ad usum antique constitutionis, ita ut ille non auferat a me debitum consueti honoris, et ego ponam terminum sui laboris.* Placuit sermo iste viris sapientibus utriusque partis, et coniunguntur in pratis Tusculane arcis. Nobis vero simul residentibus sic incepit Gotefredus: *Non possumus revocare Lucensem illum a sua intentione, *nisi usi fuerimus convenienti cavillatione, scilicet ut uterque vestrum tam diu se abstineat ab huius praelationis potentia, donec interrogetur deliberativa regis sententia. Et quem rex cum matre augusta, consentiente curia, adiudicaverit dignum cathedrae sessione, ille sedeat remota omni contradictione. Scitis enim omnes, a minimo usque ad maiorem, quia dominus meus rex cum matre totaque curia non mutabit huius rei tenorem, et sic sopietur iurgium, atque uterque nostrum recuperabit ius suum. Ego viae ducatum, et vos me ducente pertingetis ad apostolatum. Quod ut verius credatis, iure iurando firmabo certitudinem credulitatis.* Data itaque fide super euangelia Dei, quodcumque promisit creditum est ei. Confestim discessit a nobis, et ad Lucam deduxit hominem perditionis. Nos autem spe revertendi, nostris[b] laetificatis et in pace dimissis, regredimur sepius memorando verba Apocalypsis: *Haec dicit qui habet rompheam ex utraque parte acutam. Scio ubi habitas, et scio ubi est sedes Sathanae, et scio quia tenes nomen meum, et non negasti fidem meam.* Tandem redeuntes recepit inclita Parma, gaudens nos sua vicisse per arma. (1062. Mai. p. 990 M. / fol. 30. / Apoc. 2, 12. 13.)

14. *Igitur de reditu nostro multiplices in populo rumores fiebant. Diversi diversa sentiebant. Quidam autem dicebant: *Quis debet fidei eius se committere, qui voluit dominum suum cesarem interficere? Huius rei causa per biennium est eius nequitia in carcere clausa.* Alii vero dicebant: *Vinculo enim recentis sacramenti ligatus evitabit maculam inmanis reatus.* Ad hec alii: *Lupus mutat pilum et pili colorem, sed dum vivit pessimum non abicit morem.* Unde Oratius: *Quo semel imbuta recens, servabit hodorem Testa diu.* (fol. 30'. / Epist. I, 2, 69. 70.)

At pater noster Kadalus, contra hec murmura fortis et inpavidus, ei se commendabat cuius sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Sciens enim quod victoria de coelo administratur, omnes suae diocesis sacerdotes ad celebrandam synodum cohortatur. In quorum medio residens dixit: *Confratres et filii karissimi, qui confiditis mecum in adiutorio Altissimi, precor ut vestris orationibus me adiuvetis, quem sub tanto pondere gementem videtis. Coactus denique patrum coepiscoporum ammonitione, et pueri regis, domini mei, matrisque augustae clementi iussione, ad portandum hunc fascem me inclinavi *vestrisque supplicationibus fretus, quos semper amavi. Presertim autem huic honeri ideo me subieci, ut removerem lapides offensionis de itinere domini mei futuri imperatoris, quos proiciunt Normanni impulsione Gotefredi ad dedecus regis atque totius imperii. Quis ego sum,* (p. 991 M. / fol. 31.)

a) huiu'fcemodi *cod.* b) noftri' *cod.* 10*) i. e. Molvii.

quem designarunt ad apicem sumum[a]*? Non meis meritis ad hanc electionem veni, sed ineffabili pietate omnipotentis Dei, qui de animalibus infimis Pharaonem edomuit, et infirma mundi ut confundat fortia eligere voluit. Quod sibi placet de servo suo faciat, etiam si in mare cum Iona*[11] *ad devorandum me iaciat. Sit nomen eius in secula benedictum, cuius effugere non valemus edictum. Vos autem, fratres, sine intermissione orate, et impugnantes me ieiuniis atque vigiliis expugnate.* His dictis surrexerunt et sacras laetanias effusis lacrimis cantaverunt. Post harum expletionem dedit Albensis episcopus hanc orationem: *Omnipotens semper Deus, qui de coelo ruentibus gehennam parasti, et Achitofelis fatuum consilium dissipasti, dissipa conspirationem Annae et Cayphae, et virtutem brachii tui super electum tuum extende, per* . .[b] Extremum vero synodi complevit hymnus Augustini 'et Ambrosii. (fol. 31'.)

15. Coelum, non animum, mutat qui trans mare currit. (Horat. epist. I, 11, 27.) Qualis extitit Gotefredus penes Germanos, talem se exhibuit erga Romanos. Postquam autem perturbavit nostram Liguriam, adgressus est subvertere regalem curiam. Et quia suis insidiis patrem nequivit extinguere, filium quaerit ad petram allidere. Itaque peciit Annan, non primum, sed Agrippinum[12], et cum eo misit manum in traditionis catinum. Ancxius non cessans adicere peccata peccatis, cum praedicto Anna rapuit puerum regem de gremio matris. Flens et eiulans remansit sicut umbra declinans mater augusta, excussa quemadmodum in deserto locusta. O domine Iesu Christe, cui non placet hoc divortium, ostende te fortem dividendo spolia fortium. Rapto denique puero rege de sinu materno, sine mora exeunt quinque Furiae de inferiori inferno, et intrantes in Annam et Gotfridan inflant eos vento superbiae, ut Habiron et Dathan[13]. His Furiis uterque inflammatus, despectis ceteris, arripiunt locum regalis prioratus, permittentes cum pueris puerum ludere, sed hi ut arrepticii' per regna non desistebant furere. (fol. 32.) Quicquid vectigalium ad ius publicum pertinebat, in suis sitharciis[14] totum Annas reponebat. (p. 992 M.) Si forte deficiebat quispiam de principibus, per investituram regiae manus porrigebat ipse officii vicem suis participibus; et ita muniebat se opibus et parentum, quos erigebat, fortitudine adversus inconstantiam fallacis fortunae. Postquam autem conspirationem, quam mente conceperant, foras efferunt et verbis et rebus, ad Italiam se contulit Gotefredus. Quasi ex iussione regis ad regiam urbem Asinelmum reportavit, Normannos Romam venire faciens socios et amicos rei publicae appellavit. Camerinam et Spoletum invasit. Plures comitatus iuxta mare tyrannice usurpavit. Quid plura? Per totam Italiam quos valuit ad regis inimicicias incitavit. Normannis quoque persuasit inrumpere Sancti Pauli munitionem ad nostrorum civium contritionem. Nostri vero Romani cognoscentes intentionem Gotefredi, adhibita militum custodia, munierunt utrumque opidum[c] Pauli et Petri. Pre nimio enim hodio quod habebat in regem puerum, lapsus est in periurium, obstruens ei vias, ne posset attingere ad imperium; et ideo' in eadem urbe voluit esse Normannos, qui cotidiano iurgio fatigarent Romanos, quatenus fatigati assiduis perturbationibus desinant raciocinari de regis honoribus. (fol. 32'.) Enimvero in tantis periculis invocanda est Dei pietas, ut dignetur conterere quicquid in regem molitur hostilis impietas. Ergo dicamus omnes: *Omnipotens semper Deus, in cuius manu sunt omnium potestates et omnia iura regnorum, erue puerum tuum Heinricum ab insidiis inimicorum elevaque eum ad imperium Romanae arcis, largiendo tempora salutis et pacis.* Romani vero memores patrum, qui non dubitaverunt mori pro libertate patriae, definito consilio statuunt pugnare cum servis hydolatriae. Communi igitur decreto ad imperatricem legatos miserunt, qui festinantes talia Romae ab eadem augusta renuntiaverunt. *Revertatur domnus electus ad sedem suam, et secundum sapientiam a Deo sibi datam pertractet causam suam. Si Normanni cum suo hydolo, favente Cornefredo*[15]*, adorant Constantini equm*[d]*, domnus Kadalus cum Romanis in hymnis et canticis spiritalibus honoret nostros patronos Paulum et Petrum. Ascendat itaque in castellum Crescentii, et dominator existens* (fol. 33.) *'defendat domino suo puero regi et armis et orationibus culmen imperii. Et nos quidem auxilii manum ad vos extendemus, quoniam adhuc tales ex procerum grege nobiscum habemus, quorum natura nullo accidente potest viciari, sicut nec aurum in plumbum mutari. Nam qui re-* (p. 993 M.)

a) *sic codex.* b) *finis orationis.* c) *sic codex.* d) *sic codex.*

11) scil. cum propheta Iona. 12) scil. archiepiscopum Coloniae Agrippinae; ironice enim Anno Coloniensis a Benzone cum Hanna Iudaeorum pontifice maximo comparatur. 13) cf. lib. Numerorum cap. 16, 1 sqq. 14) Graecis σιτάρκιον, sacculus vel cistella, qua panis cibusve defertur. Cfr. Du Cangium. 15) Gotefredum Lotharing. ducem ironice sugillat. FR.

giam prolem praedam fecerunt, ex aliqua parte infames fuerunt. Vos autem viriliter agite, et confortetur cor vestrum, quia veniens aquila fugabit hoestrum[17].

16. Audientes autem hec Romani gavisi sunt valde, et notificaverunt ea Parmae coram domno Kadalo electionis vasae. Qui praecingens se, secundum verba augustae redire disponit. Cornefredus autem in montibus et silvis insidias ponit, et ideo per aliquod temporis spacium est iter eius remoratum. Accedentes autem multi, spiritalis gratiae donis suffulti, susurratione placabili stillabant hec in auribus domni Kadali: *Pater sancte, vides quia Gotefredus periurii reus, nititur te praecipitare in mortis habyssum; propter Deum salva temet ipsum. Sede nobiscum vel anno solo, forsan deficiet insidiator iste cum suo dolo.* Dicebat unus, alter et tercius, coepit plumbescere qui erat ferreus. Dum divulgatur tarditas unius anni, invalescebant inde Normanni. Quod ut cognovit imperatrix domina mea, mandavit mihi thomum epistolae in hec verba: *Agnes, Dei gratia imperatrix, Benzoni Albensi episcopo salutem et omne bonum, sicut fidelis et prudens pro causa domini tui regis bene cucurristi in stadio, fortiter resistens nostro adversario. Sed quia res nondum accepit finem, oportet te in agone perseverare secundum tuam perfectissimam fidem, roborando scilicet domnum Kadalum qui timet Gotefredi iuxta iter reversionis positum scandalum. Tu autem pergens cum eo, conforta eum sicut bonus signifer in die prelii; in veritate scias, quia duplicabo super te quinque talenta sancti euangelii. Scio enim quoniam ultra vires tuae possibilitatis sunt ista quae praecipio, tu tamen constanter age, eo quod merces multae retributionis erit tibi a me, et ab eo pro quo dimicas filio.* His auditis gaudio magno repletus, ducatum itineris arripio letus. Verum quia beneplacitum est Domino in populo suo, qui exaltat mansuetos in salutem, praestitit electo suo eundi virtutem. Intravit Romam fortis et mansuetus, oravit in loco ubi requiescit beatus Petrus. Dehinc ascendens in poliandrum[18] Adriani, ubi conveniunt per singulos gradus maiores Romani, quos salutavit paterno osculo, stanti deorsum benedixit populo. Quibus dixit: *Nullus mortalium, fratres karissimi, antequam nasceretur cognovit de sua nativitate, nulli notum est de vitae suae longitudine seu brevitate. Incerti sunt pene omnes de mortis affinitate. Ea propter dum vivimus, Domino vivamus. Si morimur, Domino moriamur. Sive viventes, sive morientes, Domini sumus, sine cuius nutu nil agere possumus. Non est in nobis nostra via, quia trahimur ad voluntatis eius occulta iudicia. Quid de nobis fieri debeat ab aeterno praedestinavit, nam et omnes potestates quae fuerunt, sunt et erunt, per intervalla temporum ordinavit. Itaque in eo ponamus spem nostram, quia, si ei non placuisset, non esset reditus meus ad Romam. Pro reconciliatione igitur catholicae fidei, pro defensione Romani imperii, Deo propitio ad Sanctum Petrum et ad vos redii. Ergo simul stemus, quia intra muros hostes habemus. De quibus Deo volente facile triumphabimus, eo quod victricia signa nostri certaminis portabunt nostri apostoli sacris manibus. Scitis enim quia orantibus apostolis ad nichilum devenit audatia Symonis. Simili modo expurgabunt hanc urbem ex fetore Normannorum, et monstrabunt se principes et fautores Romanorum.* Tunc omnes quasi ex uno ore dixerunt: *Benedictus tu et sermo oris tui, per quem aedificabuntur novae Hierusalem muri. Credimus enim quia per hos*[19] *tuum loquitur Deus, ideoque in cunctis quae iusseris tibi oboediemus. Denique ad multiplicandas vires nostrae fidei, facta est nutu Dei regressio Albensis episcopi, per cuius saluberrimum consilium speramus nobis adfuturum divinae pietatis auxilium. Qui enim coelestia disponit et humana, septiformi gratia suae mentis replet archana. Tali igitur suffragante consiliario, fiducialiter possumus pugnare cum recenti Symone, Petri et Pauli adversario. O potens Roma, cuius caput olim tangebat paralella*[a], *nunc infimi omnium parant tibi plus quam civilia bella. Ex una parte Trinkynot et Tancredus, ex altera Annas et Cornefredus, in medio Sarabaita cinedus. Iudicet inter utramque controversiam verus iudex, omnipotens Deus.*

17. Prandellus autem, cognoscens praeter quam speravit aliter evenisse, per triduum in sua proseuca[20] delituit, nullique mortalium se videndum exhibuit. Utrum denique sacrificaverit demonibus, aut cum Hyamne et Mambre[21] daret operam magicis incantationibus, etsi quibusdam erat incertum, tamen id susurrabat omnis populus. Tandem apparuit in pallore defunctorum, dans testimonium se interfuisse contuberniis demoniorum. Accersitaque sibi

a) *sic rhythmi causa cod.*

17) h. e. οἶστρον, insecti genus. 18) molem Hadriani, *poliandrum* dictum, quod ibi primarii civitatis viri convenirent. FR. 19) i. e. hos. 20) προσευχὴ locus precationis. FR. 21) Cfr. epist. II. ad Timoth. cap. 3, 8. et Exodum cap. 7, 11.

faventium contione, hac abusus est confabulatione: *Quid aliud dicam Romanis, nisi ut sint Romani? Pro nichilo ducant, quod in angulo urbis se clauserunt Parmeniani. Dati sunt quippe in captionem dentium, solummodo nostrorum clientium. Sed, o vos Normanni, terra marique insuperabiles, ad quoscumque casus fortunae infatigabiles, quod estis, praecor, estote, et quid Brennus rex Senonum fecerit in Italia mementote. Veniens autem duxit secum Gallorum triginta milia, non est dicere quanta stupenda quantaque operatus est mirabilia. Verum de multis aliqua dicamus, quo ad informandos animos verissimis exemplis ad similitudinem parentum vos perducamus. Ad expugnandos equidem Euandrum atque Ascanium, a solo hedificavit nobilissimam urbem Mediolanium. Et quia excogitati operis videbatur longincus*[a], *condidit Senogalliam, quatenus ad excursionem Romanae expugnationis* **fieret propinqus*[a]. *Temptavit autem hoc multis argumentis, sive bellicis instrumentis seu peccuniae oblectamentis, quin etiam synonycis figmentis. Nam scalis appositis pene irrupit Capitolium, sed perstrepente ansere repellitur eius conatus, quasi quod a vento proicitur folium. Rex autem potentissimus, plurium regnorum gloria splendidissimus, diu multumque laboravit pro solo nomine imperii, quia insaciabiliter erat cupidus appellari imperator publicae rei. Vos vero, qui sine ulla lassitudine gloriamini nobiscum in Constantini palatio, accingimini viriliter ad expulsionem Parmensium, ut exaltemini super universali Latio. Sive gladiis, seu fuga evanescentibus Parmenianis, quem de grege elegeritis sublimabo diademate conlaudantibus Romanis. Novi enim homines. In quam partem quippe voluero, possum detorquere singulos singulari hobolo. Maior vero pars Teutonicorum segregata a matre et filio, communicant nobiscum voluntate atque consilio. Propterea erigite cor sursum, et venabulis persequimini non hominem, sed ursum.* Hiis furiis verbosae dicacitatis inflammata phalanx Normannorum, exacuit adversus Parmensium catervas *omnia genera telorum. Surgite ergo apostoli Iesu Christi et exinanite, quod evomit Sathanas per putidum hos sui ministri. Vos igitur, incliti bellatores, insuper et victores diabolicae conspirationis, proicite eum de supercilio montuosae cogitationis, et sicut praecipitastis Symonem magum ab altitudine acxis quem gyrat Bohotes; vel convertite in carbonem, quemadmodum Zarohen et Arfaxar converterunt Symon Chananeus et Judas Zelotes, et tunc apparebunt quid illi prosint somnia sua. Tu autem, domine Sabaoth, qui iudicas iuste et probas renes et corda, videam, praecor, ultionem ex eo, qui est inferi porta.

18. Normanni vero, falsissima pollicitatione aebrii, discurrunt per plateas utpote frenetici. Grandissonis vocibus *Bellum, bellum,* clamitant atque ad congressionem pugnae nostros exagitant. Nostri autem audito clamore, inflammati iracundia magna, protinus persequntur[a] fugientium agmina, prosternuntque ex eis quosdam, inculcantes alios usque ad montem Coelium, ubi inter utramque aciem grave commissum est praelium. Multi quidem eorum interierunt vel confossione armorum seu calcibus equorum. De nostris denique pauci vulnerati, *caeteri vero satis et super de potita victoria confortati. Visi sunt autem sancti apostoli in medio certamine cum albis labaris, compellentes Normannos terga vertere cum assuetis cantaris[21]. In hymnis igitur gratiarumque confessionibus simul cum domno electo, satrapis bellantium circumsepto, ad aecclesiam beati Petri pergit omnis populus, referens trinae Unitati gloriam, qui per apostolos suos pro libertate imperii pugnantibus concessit victoriam. At Prandellus, sciens contra ventum regirare tegmen mantelli, desperantibus Normannis dixit, quia: *Varius est eventus belli. Vicissitudo est omnium rerum, nam et tempus variat qualitates dierum. Aliquando pluit, aliquando restat, sic Fortuna alternatim sua munia prestat. Nolite, filii karissimi, pusillanimes fieri, victor tandem extitit Helias, licet fugiens dormierit sub umbra iuniperi.* Itaque hiis adulationibus deliniti, a consuetis assaltibus quieverunt, et integro mense quasi somniculosi siluerunt. Postea vero resumpto spiritu cursores eorum ad belligerandum nostros provocant, sed sine mora revertentes dorsa demonstrant. Facta sunt autem adversum nostros haec irritamenta, quasi ex affectu deludentium transcurso spacio duorum mensium. *Interim dum Sarabaita, semper cogitans mala infinita, dicit se a bellicis tumultibus quiescere velle, quasi lupus latens sub ovina pelle, domnus noster Kadalus, sciens quia non est securitas vicino serpente dormire, vicinarum urbium comites mandat ad se venire, ut cum eis peragat curam praesentis negotii, qui secundum consuetudinem progenitorum debent esse et laboris digneque remunerationis socii. Venientes autem veniunt cum exulta-

a) *sic codex.*

21) aquae vel vini receptaculis, ubi Benzo sugillat Normannos, qui potum ubivis circumvehere secum fuerant assueti. FR.

tione, et promittunt ea facere unde reportent manipulos, ex bona videlicet retributione. Quid vero essent acturi cum Romanis atque Parmensibus secretissime disposuerunt, reditumque ad propria simulaverunt. Quadam denique nocte reversi, posuerunt se in insidiis ad locum qui dicitur Opus Praxitelis. Surgente vero ante diem phosphoro[22], adest noster exer- 22
5 citus previis apostolis cum Mauricio et Carpophoro. Bombis igitur tubarum stridoribusque p. 997 M. lituum contremuit totum Lateranense tugurium. Normanni vero excitati currunt ad arma, parvi curantes quod cornicat Parma. Dicebant enim: *Cito videbunt quid valent Normanni, fortes in bello, trucesque tyranni.* Prandellus autem, non inmemor suae *artis, collegerat fol. 37'. multos in adiutorium suae partis. Enimvero nostri circa hec loca diu perstiterunt, et neminem
10 exeuntem viderunt, lentoque gressu reversionem conari ceperunt. At illi a longe insequebantur eos clamoribus, compressis vestigiis in modum testudinis tardioribus. Aliquando vero nostri vertebant facies ad illos, stantes ut ferrei muri, quia per Dei voluntatem ipsi sciebant quid essent facturi. Stantibus autem nostris Normanni stabant, nostris ambulantibus illi valde procul quasi ambulabant; et ita nolendo, volendo, nescientes deducti sunt ad insidiarum lo-
15 cum. Confestim nostri de latibulis exeunt et *Supra, supra!* vocibus et tubis perstrepunt. Repentino denique motu Normanni perterriti, dubii de spe vitae, clamant ad invicem: *Ferite, ferite!* Ab utrisque concurritur et obvius ab obvio percutitur. In prima quidem belli vertigine utrobique pluribus prostratis, resonat fragor ruptis hastis. Deinde strictis mucronibus alternatim galeas concuciunt, ac de duricia ferri sintillas[a] ignis excuciunt. Non erat Nor-
20 mannis ulla spes fugae, resummebant spiritum viso sanguine sicut sanguisugae. Iterum a nostris requiruntur, *vulnerantur, prosternuntur. Ad extremum collecti in angulo petunt fol. 38. pietatis dextras, et sub iure iurando pollicentur nostras relinquere terras. Nostri vero Romani, miserantes alios Romanos, qui cum Normannis venerunt, datis obsidibus ab exercitu nostro hoc impetraverunt. Collectis ergo spoliis, triumphantes remearunt, elevatisque vexillis
25 *Kyrieleyson* decantantes, domnum nostrum Kadalum salutarunt. Tota Roma cum diversis cantilenis prorumpit in laudem Dei, et cum domno electo procedit ad templum beati Petri. Ibi cum lacrimis iubilant Deo percuciendo pectora, qui per apostolos suos coram servis suis de thesauro suo profert mirabilia nova post vetera. Cathedra praeparatur aecclesiae prae foribus, et sedit domnus Kadalus, Dei designatione apostolicus. In gradibus vero stetit exer-
30 citus et populus. Euangelicę autem loquens dixit numenculatori: *Voca operarios, et redde illis* Matth. 20, 8. *mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos, quos merito debemus vocare rei publicae amicos. Honorandi sunt enim gloriosae retributionis compluribus beneficiis, quibus divina pro-* p. 998 M. *tectione datum est de mortis evasisse periculis. Larga est manus Dei, plena est arca beati Petri. Laetificentur ergo triumphatores nostri *non solum gloria et honore, verum etiam gaza-* fol. 38'.
35 *rum recompensatione, ut sint spectaculum posteris. Nam sequax posteritas sperabit recipere talia, si per exempla istorum gradiens fecerit magna magnalia.* Igitur et equis et mulis, loricis et palliis, mastrugis[23], renonibus[24] advectis de Galliis, aureis nummis, argenteis cuppis, 24 anaphis[25] quoque, lancibus multis, dotatur splendide victrix milicia; Urbs tota plaudit pro tanta laeticia. Decretum est post hec ex consulto senatus, ut per vices custodirent Urbem
40 ex continguis civitatibus sufficiens comitatus. Esset procul dubio litigandi finis, ni instigasset languidum animum Sarabaitae legataria Gotefredi infernalis Herinis[26]. Prandellus autem tristis usque ad mortem, pro instanti suorum contricione volens eos prout solitus erat promulcere mythologica persuasione, peciit ut starent adhuc saltim menstrua remoratione. Cui respondentes dixerunt: *Quomodo valemus esse vobiscum, quibus adversatur qui pugno claudit*
45 *habyssum? Non est igitur mirum si fugimus, quia minimę est nostra conluctacio cum hominibus: etenim manus Domini est cum suis sanctis, nequaquam cum complicibus vestrae partis. Durum est itaque contra stimulum calcitrare, videte quid agatis, *non possumus vobiscum am-* Act. Ap. 9, 5. fol. 39. *plius stare. Ibimus, ibimus; certum est, si vobiscum stamus, quoniam peribimus.* Illis autem ab invicem separatis, convenerunt in unum genimina[27] viperinae ferocitatis, Gotefredus scili- 27
50 cet atque Sarabaita, quorum spiritus erat unus cum Aman Agagita. Atrahuntque alios Normannos, qui foris stantes non permittant feriare Romanos. Sepissime venientes ad portam

a) *sic codex.*

22) h. e. lucifero. 23) mastruca, Sardorum vestis pellita; cf. Du Cangium. 24) potius rhenonibus,
55 veste ex pellibus confecta, quae humeros et latera tangebat, vide Du Cangium. 25) anapus, hanapus, sive vas, patera, calix, ex antiquo Saxonum vocabulo Hnaep. V. Hariulphus lib. II, 10. Chron. Fontanellense lib. II, 16. FR. 26) Erinnys, Furia. FR. 27) h. e. germina, cf. Iob 31, 12.

28 Happii[28], minantur obsidionem, et vel vi vel fraude sancti Pauli invadere munitionem. Talibus vanitantium vanitatibus nostri Romani vehementer irati, aiunt domino electo: *Quomodo possumus tanta ferre, regio solamine desolati? et quia communis est honor, communis et dolor, communiter rogamus domnum Albensem episcopum, ut scribat hec regi, atque universo collegio pontificum ceterorumque principum, quatenus de communi dedecore seviat communis dolor in* 5 *eorum communiter pectore. Et si amant praeesse, studeant et prodesse.* Frater vero Benzo, annuens Romanorum precatui, scripsit sequentia verba regi suoque senatui.

p. 999 M.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

1. Roma suo regi famulamen corde fideli.

Isai. 5, 20. fol. 39'. ibid. 5, 21. ibid. 51, 1.

Honus ruentis imperii. „Ve, qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras 10 *'lucem, et lucem tenebras estimatis. Ve, qui sapientes estis in oculis vestris et coram vobismet ipsis prudentes; non adtendentes ad petram unde praecisi estis, neque cuius beneficio estis quod estis.“ Propterea, rectores imperii, audite verbum Domini. Petrus et Paulus christianae miliciae antesignani, dimicantes adversus simulacra quae coluere pagani, unus cruce, alter ense adepti sunt arcem imperii Romani, quod vice secundum placitum alterna quando Grecis, quando* 15 *Gallis, quando Longobardis contulerunt, ad ultimum sorte perpetua possidendum Teutonicis tradiderunt. Qui usque ad coelum pertingentes ex huberantia apostolicae gratiae, per plurima* 29 *tempora potiti sunt splendidissimo obrizo[29] Calabriae. Obtulit ultro suum Apulia, nec videbatur sibi iniuria. Quicquid habebat dives Liguria, his effundebat absque penuria. Quid plura? praepotens rerum magna Italia gaudebat fore hiis tributaria. Sed, o dolor, dum profanis odiis* 20 *inter se decertant, dum matrem a filio separant in horrendis huiusce preliis, perdiderunt unum ex apostolis. Normanni enim, qui melius dicuntur Nullimanni, fetidissima scilicet stercora mun-* fol. 40. *di, castrum 'sancti Pauli, altera pars imperii, aspirant sibi subicere, non iam tyrannice, sed quasi hereditarie, et cito perventuri in Capitolium, quod erit Suevis in aeternum obprobrium. Iam enim obsident portam Appii. Nonne Appius indixit bellum Cartaginiensibus? et eius porta* 25 *cingitur ab humanis stercoribus, vobis, vobis, o Teutonici, Romanorum defensoribus! O boni defensores, cur non accurritis Paulo, quem servi servorum praecipitare conantur de duodecimo throno? Fortasse accurrere putatis, dum hydolum Moloch quod Normanni conflaverunt refirmare festinatis? O barones in matris et filii discordia, non ad reparandā rei publicae primordia, qui sensus, qui animus vobis erit, cum infimi mortalium assument in proprios usus aurum,* 30 *gemmas et pallia, quae hactenus devotis manibus ministravit vobis Italia? Certe Doclitius Constantinus, praecessorum suorum superlativus, disposuerat iam ante pedes effundere domini mei, quicquid gazarum congesserunt Bizanzeni reges ab inicio seculi, papa Kadalo et Pantaleo* p. 1000 M. *patricio mediantibus, coelo et terra super hac concordia exultantibus. Verum audiens 'quia* fol. 40'. *deiectum rehedificastis sculptile[30], quod Nullimanni titularunt in apostolico culmine, consterna-* 35 *tus animo invocat contra vos coelum et terram, retrahitque quam putabat vobiscum iungere dextram. Deputat imbecillitatis, impotentiae, quia non respondetis, sed pocius favetis eorum insipientiae. Saltim debueratis moveri, ni essetis lignei, quod ea nocte qua proprium hydolum in horchestra apostoli statuerunt, aureos cancellos Lateranensis palacii ad dedecus pueri, quem vos senes portatis, ensibus ferierunt: ut ictus illi essent testes quod Normanni, licet contra* 40 *Deum, licet contra ordinem catholicum, tamen creaverunt fantasticum apostolicum. Insuper ex donariis quae obtulit imperator Constantinus Monomachus sanctae Romanae aecclesiae,* 31 *praeciosiora sibi abraserunt ad ignominiam imperialis contumeliae. Neque enim Giezite[31] illi statuam conflatilem aliter voluissent erigere, ni prius conducerentur infinita summa pecuniae. Et hoc laudatis? et ratum fore iudicatis? O pessima alienatio mentis in sacerdotibus Dei omni-* 45 *potentis! Certe, si etiam angelus de coelo voluisset hoc vobis persuadere, pocius deberetis eum* fol. 41. *anathemate ferire, quam 'huic errori deservire. Revertimini ergo ad unum, patres conscripti, Patris aeterni benedicti; succurrite Paulo, intercepto a latronibus, mendicis et balatronibus. Neque enim frater Petrus erit in laeticia, donec Paulum senserit in tristitia. Igitur, o gemme Romani palacii, o gloria imperantis Lacii, expurgate per manus papae Kadali hoc putribile* 50

28) i. e. porta Appia Romae. FR. 29) auro purgato, sive ad obrussam examinato per ignem. FR. 30) quem tanquam sculptum quoddam idolum reaedificastis, sive denuo in solium evexistis. FR. 31) *Giezita* dicitur qui, ut alter Giezi, munera accipit. Cf. Reg. II. cap. 5, 20 sqq.

fermentum, quia sic potestis illum fere nostrum basileum Doclitium adducere ad communem conventum.

2. *Domno Alberto, Bremensi archiepiscopo, frater Benzo. Domus domini stans in porta, sursum corda! Ve Romae ab scandalis! Nemo est qui pugnet pro apostolis; cur appetimus* 5 *nomina pastorum, si sequi refugimus vestigia apostolorum? Certe ipsi bellatores incliti, portantes coelestis hominis hymaginem, restiterunt antichristis usque ad sanguinem. In ipsa denique novella plantatione christiani nominis, nonne Petrus radicitus evulsit phantasmata Symonis? Si bene transacta recolimus, idem fecit Silvester et Leo et Gregorius. Quis modo mutum sonat contra hydolum quod Normanni, stercora mundi, statuerunt in sede apostolica? Nemo est* 10 *qui vicem Petri, immo Dei, doleat. De domino nostro *rege, ad cuius iniuriam hoc presumptum est, nulla mentio, quia puer est. Pocius rident quidam sub oculo. Sed ve ridentibus! Ubi sunt Colonienses Herimanni? Ubi sunt sancti patres Peregrimnii*[32]*, moderantes frena Romani imperii? Ubi sunt Haribones*[33] *Maguntini? Ubi sunt illi et illi, quos non recolit memoria stili? Tu solus peregrinus es in Hierusalem, qui debes opponi murus pro domo Israel. Cernis, o pater, quia* 15 *ruit mundus, periclitatur aecclesia, ante tempus finiuntur secula. Qui succurrere perituro potest, dum non succurrit occidit. Succurre ergo pereunti mundo, succurre universali aecclesiae sub ultimo gementi discrimine! Succurre domino nostro regi, suggere vires ei, ut conterat audaciam Normannorum, quo Romana aecclesia resummat flatum vel in fine seculorum!*

p. 1001 M. fol. 41'. 32

3. *Domno Alberto, Bremensi archiepiscopo, frater Benzo. Euangelium aeternum. Quia* 20 *verba mea videntur vobis deliramentum et veluti mythologiarum risibile figmentum, decreveram indicem hori imponere, ut immunis persisterem ab omni legationis honere. Verum de specu propositi silentii evulsit me transmarinus ille Constantinus Doclitius, super communi re publica *auriga peretissimus*[a]*. Per manum enim Malfitani patricii direxit domno Kadalo et michi rescriptum pytacii*[34] *in hec verba: „Domno Kadalo sancti Petri electo, et Benzoni Albensi epi-* 25 *scopo, salutem. Vos qui estis portitores pueri regis, domini vestri Heinrici, agite cum ceteris fidelibus Teutonicis et Latinis ut veniat idem dominus vester rex cum centum milibus in Apuliam atque Calabriam, et faciat urbes contra urbes, et castella contra castella, impleatque ea militibus, quibus erit ex nostra parte per viginti annos indeficiens cibus. In Malfitano enim mari eodem momento occurrent vobis centum naves, unaquaeque suffulta centum remis, in* 30 *quibus erit inestimabilis alimonia hominibus et equis; insuper tanta habundabunt peccunia in auro, argento et palliis, quantam vix posset comparare Italia cum suis nummulariis; ut experiatur Italia quia tales sumus in facto, quales in verbo.“ Nunc vero, o pater sancte, ut vestra ope, vestroque consilio, vestraque prudentia, humi prostratum iterum tangat coelum imperium Romanum, non sit vobis ante lucem surgere vanum. Videtis enim quia vestris tem-* 35 *poribus ipse rex gloriae disponit oleo *leticiae puerum suum Heinricum pre consortibus*[b] *ungere. Utinam non essetis nati, si ad hoc recipiendum non estis parati. Vivit dominus: quia, si divae memoriae dominum meum, Heinricum imperatorem, talis percelleret nuntius, ad id peragendum foret citissimus. O felices et plus quam felices, quibus tanta promittuntur, quanta post Salomonem nullum legimus promeruisse imperatorem. Laquearia enim et pavimenta aec-* 40 *clesiarum valebitis auro purissimo sternere, et ad suscipiendum tardi vultis cum fatuis stertere? Vigilate itaque cum prudentibus, et letis ulnis accipite, quae Deus praeparat se diligentibus.*

fol. 42. fol. 42'. p. 1002 M.

4. *Domno archiepiscopo Alberto, aliis atque aliis, asterisco et obelo, frater Benzo propheticum librum, intus et foris scriptum. Num celare potero domino meo ciconias*[35]*, quas plerique* 45 *nostrorum faciunt post tergum*[c] *regalium baiulorum, videlicet archiepiscoporum? Discensio*[d] *itaque facta est in turba propter vos, eo quod aliter cantatis laetanias quam nos. In extremis autem precibus solemus universaliter dicere: „Ab omni malo libera nos, Domine.“ Vos autem nos exclusistis, quia aliter et singulariter et seorsum dicitis:*

35 Matth. 6, 13.

a) *sic codex.* b) preconsortibus *cod.* c) postergum *cod.* d) *sic cod., legendum* dissensio.

50 32) Piligrinus, archiep. Coloniensis, ab a. 1021 usque ad a. 1037 huic sedi praefuit; cfr. Herimanni Aug. Chron. s. a. 1021 et 1036; Mon. Germ. SS. V, 120. 122. Cui successit Herimannus usque ad a. 1056; cfr. Annales Ottenburanos s. h. a.; Mon. 55 Germ. SS. V, 6. 33) Aribo archiep. Moguntinam ecclesiam rexit ab a. 1021 usque ad a. 1031; cfr. Herimanni Aug. Chron. s. h. a. et Wiponem in Vita Cuonradi II imperat. ad annum 1030. 34) Pytacium tabula est fusili pice illita ad exarandum; scheda, epistola brevis et modica; cfr. Du Cangium. 35) Ciconia genus irrisionis est, quod fit digitis in modum rostri ciconiae compressis, curvatis, et crebro motis in aliquem; cfr. A. Persii Satir. I, 58.

fol. 43. *„Ab omni bono libera nos, Domine,
Ab arce imperii libera nos, Domine,
Ab Apulia et Calabria libera nos, Domine,
A Benevento et Capua libera nos, Domine.
A Salerno [a] et Malfia libera nos, Domine, 5
A Neapoli et Gerentia libera nos, Domine,
A felice Sicilia libera nos, Domine,
A Corsica et Sardinia libera nos, Domine."

Quid plura? Diligo dominum meum, perscrutetur medullitus hoc secretum; sciat, videat, recogitet, intelligat, et ungulas dividat[36]. *Fidelis sum, fideliter loquor; qui putat me loqui facecias, manducet senecias*[37]. 10

5. *Divo Heinrico regi, Romanorum certissime spei, Albensis Benzo caput Gorgonis cum salute mentis et corporis: „Tu es qui venturus es, an alium expectamus?" Si vis venire, oportet herarium summotenus auro palliisque farcire, ut habeas unde pluas super iustos et iniustos, cum quibus adquiras Romanos et aeternos triumphos. Quae facile compleveris, si tantum sententias tui fidelis mente conceperis; quas si nescis, interroga in Habela.* 15
(Matth. 11, 3. Matth. 5, 45. 2 Reg. 20, 18.)

6.* *Divo Heinrico, regi serenissimo, Albensis Benzo, cotidie manducans panem doloris, spiritum tercii Ottonis, et utinam spiritum tercii Ottonis. Cognovimus docente Fortuna, quia vestra et illius puericia non est altera sed una. Fuit enim ille raptus ab ubere matris*[38], *et vos bibistis calicem eiusdem acerbitatis. Abusi sunt denique Papiani contra eum pseudopastore, vobis autem id ipsum contigit, sed diverso tenore: Romulei quidem statuerunt eo nolente quendam symoniacum*[39], *et vobis opponitur Normannorum simulacrum. Uterque vero degustavit cum amaritudine quaedam alia, de quibus modo non est dicendum per singula. Verum legifer Otto omni genere legis iniuriam suam ultus est. Nam eo sedente pro tribunali et coelum desuper ingemuit, et omnis terra tremuit. Neque enim solis viribus, sed magis subtilitate ingenii, reparavit monarchiam tocius imperii. Oportet itaque vos exquirere artes triumphatoris, et haec omnia adicientur vobis.* 20 25
(fol. 43'. p. 1003 M.)

7. Harum portitor litterarum, noster legatus, presentavit se Bremensi archiepiscopo et, sicut a nobis *acceperat, apperuit illi quare venerat. Archiepiscopus autem, convocatis paucis de procerum grege, introduxit Romanum legatum coram domino nostro rege. At illi non surda aure medullam nostrae litteraturae exceperunt, et alta suspiria de corde traxerunt. Et prae angustia spiritus gementes, respiciebant sese invicem talia proferentes: *Melius esset nobis non venisse ad ortum humanae procreationis, quam ad improperium descendisse huius perditionis. O magni Ottones, Romanae rei publicae triumphatores, quod nobis adquisistis ferreo pectore, viles facti ammittimus, non rapiente Paride vel germano Hectore, sed vach! clepit*[39*] *illud Annas Agrippinita et Prandellus Sarabaita. „Abstineto, praecor, lamentis"*, dixit suppressa voce archipontifex Bremensis, *„mulieres vindicant lacrimis illatam iniuriam; non est hoc vestrum, qui dominatum habetis super regalem curiam. Opus est ut consulatur, quid in hac re potissimum fieri debeatur. Sit nostra consultacio cum fidelibus, cum hiis quorum patres ordinaverunt consilia regum. Non intersit cetui nostro Balaham nec Achitofel, sed Hietro et Samuhel."* Statuunt *itaque datis inter se dextris sub christiana fide, quod nemo committeret hoc secretum auribus Myde. Et ne fama, quae indifferenter canit facta et infecta, posset istud divulgare per campos et tecta, placuit domno Bremensi singulatim vocare duces, comites et pontifices, quatenus sub fidei clamide fierent silentii huius participes. Hac de causa retinuit secum nostrum legatum per longum temporis spacium. Nos vero nimio 30 35 40 45
(fol. 44. fol. 44'. p. 1004 M.)

a) *sic 2 manus correxit quod primo auctor scripserat:* Salenno.

36) h. e. ungulas meas inspiciens, intelligat scissas esse. Nam apud Hebraeos ea tantum animalia, quorum ungulae divisae erant, pura atque munda habebantur; cfr. Levitic. XI, 3 sqq. 37) Seneciae dicuntur salivae defluentes per genas senis, quas emittit per molares dentes qui canini, i. e. detractores, dicuntur: quod congruit invidis. Quare *manducantes senecias*, sive φαγολοίδοροι, homines sunt impendio maledici, qui conviciando aluntur ac saginantur; cfr. Du Cangium s. v. *Senecia* et *Fagolidori*. 38) Heinricum, ducem Bawariae, Ottonem III matri et aviae subduxisse, sed a principibus adactum, ut eundem matri restitueret, testantur Annales Quedlinburg. ad a. 984, Thietmarus sub fin. l. III. et IV init. FR. 39) De turbis Romanorum qui, absente Ottone III, Crescentio duce Gregorium V sede deiicientes, Iohannem XVI in sede papali constituerant, quas iniurias Otto severissime est ultus, vid. Thietmar. IV, 21. FR. 39*) h. e. rapuit. 50 55

stupore agitabamur, non recipientes nec nostrum nec alium. Transactis autem sex mensibus adest noster legatus, de quo ita gavisi sumus tamquam si foret de sepulchro resuscitatus. Igitur ex hiis, quae oculis vidit atque auribus percepit, fideliter habundanterque nos hylares reddidit, atque ex parte domini nostri regis suorumque magnatum hunc brevem no-
5 bis detulit: *Domno Kadalo, designato sponso sanctae Romanae aecclesiae, inspiratione divinae clementiae Heinricus, Dei gratia rex, cum consensu fidelium, perseverantiam bonae inceptionis usque ad finem consumationis. Monemur ut bene scitis, scriptura teste, quod sacramentum regis est abscondendum sub fidei veste. Ideoque* **si vobis modo non apperitur, non accipiatis moleste. Vobis autem, quos in cordis sacrario habemus, nichil celare debemus. Sed*
10 *quia plus prodest ignorantia huius rei quam scientia, loquimur vobis prophetali providentia: Expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. Similiter dicit euangelium: „Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me." Nonne Petro dictum est: „Quod nescis modo, scies autem postea." Ergo vos qui cum Petro habitatis, pacienter expectate; quoniam, quod cor vestrum desiderat, videbitis in veritate. Eodem quidem modo hortabatur Moyses*
15 *Hysrahelem, dicens: „Vos tacebitis, et Dominus pugnabit pro vobis." Constantes igitur estote, videbitis auxilium Domini super vos.*

Tob. 12, 7. fol. 45. Ioh. 16, 16. Ioh. 13, 7. Exod. 14, 14.

8. Perlecta vero cum quibusdam regiae legationis epistola, locutus est de interpretatione eius domnus Petripaula: *Magna sunt hec, alta sunt hec, custodienda sunt hec. Dicat unusquisque in voce eius qui decapitavit Goliath devictis Phylisteis: „Pone, Domine, custodiam*
20 *ori meo, et hostium*[40] *circumstantiae labiis meis!" Si forte susurratis: „Quomodo possumus custodire quod nescimus?" Illud videlicet* **quod audistis: „Deus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis." Nempe si de verbis istis persenserit inimicus aliquam sintillam*[a]*, suis falsis opinionibus volutabit eam in mille figuras, quia Diabolus male interpretatur scripturas. In hoc enim, quod magistri secretorum silentium nobis imposuerunt, sollertiores nos reddiderunt. Si illi se-*
25 *cuti sunt Salomonem, qui dixit: „Totum spiritum suum profert stultus, sapiens autem differt et reservat in posterum," et nos imitemur nostrum Senecam, qui ait in suis Proverbiis*[41]*: „Quod celatum vis, nemini dixeris."* Ad hec nostri: *Fiat sicut monetis, proiciatur istud indicibile in cordis profundum, quia secundum scripturam omne vas non habens cohoperculum, neque ligaturam, erit inmundum. Tamen dilatio futurae spei proficit nichil publicae rei. Spes est*
30 *longa dea: aliquando, ante quam spes fiat res, moritur tota expectantium parentela.* Contra has inutiles verborum quisquilias respondit pater familias: *Christianorum est sperare, Diaboli est desperare. Scriptum est enim: „In te speraverunt patres nostri, speraverunt, et liberasti eos." „Nam qui arat, in spe arat; qui militat, in spe militat." Nullus ergo vestrum* **in spe deficiat.*

Psal. 140, 3. 40 fol. 45'. Exod 14, 14. Prov. 29, 11. Num. 19, 15. p. 1005 M. Psal. 21, 5. 1 Cor. 9, 10. fol. 46.

35 9. Videns autem Albensis episcopus eos pernimium dubitare de virtute spei, ait:

Audite seniores et fratres mei.
Via hominis in mundo, numquid est in homine?
Tua sunt abyssus multa iuditia, Domine,
Incurvatur omne genu in Auctoris nomine.
40 *Quam beatus homo ille, cuius spes est Dominus,*
Licet hic sit minoratus angelis paulominus,
Post mortem videbit Deum cum electis omnibus.
Tali spe Noe in arca stetit inperterritus,
Quem ventorum vel undarum non turbavit fremitus,
45 *Nec contrivit palmo distans aquarum interitus.*
Pater gentium multarum spem in Deo posuit:
Cum de terra sua Deus hunc exire voluit,
Confidenter cunctis rebus Dominum preposuit.
Phylisteos, qui replebant puteos[42] *ruderibus,*
50 *Isaac devicit, spei lactatus huberibus.*
Benedictus sit Creator in suis operibus.
Iacob exiit a suis, spe contentus socia,
Qua docente recusavit pigrescentis ocia,

42

a) *sic codex.*

55 40) h. e. ostium. 41) Cfr. L. Ann. Senecae opera, ed. Dion. Gothofredus. Basileae 1590. 8°. Proverb. pag. 284, 13. 42) Cfr. Genesin 26, 15.

Dives rediit ad patrem post acta negocia.
Cum Ioseph est glutinata Spes, quae nescit fallere,
In cysterna fuit secum, nec non et in carcere,
Praeparavit ei locum in regali latere.
Spe pulsati piscatores[43], **reliquerunt retia,*
Facti sunt iudices secli: o quam magna precia,
Quae non valet cogitare depastus senecia[44]*!*
Spes martyribus promisit coronarum munera,
Ideo fortes fuerunt ad ferenda vulnera,
Se tortoribus tradentes non timebant funera.
Spe monente, confessores fame corpus macerant,
Cencies in die flexis genibus se lacerant,
In speluncis et cavernis se quidam incarcerant.
Virgines et continentes spe currunt in stadio,
Spes eas non defraudabit post agonem bravio,
Sed locabit ante Deum in solari radio.
Omnis aetas, omnis sexus, omnisque conditio,
Credunt se remunerari Spei beneficio,
Ea propter perseverant in Dei servitio.
Et qui orat, et qui arat, et tyro qui militat,
Et qui plantat, et qui rigat, atque qui hedificat,
Cunctos Spes ducit ad Christum, qui eos mirificat.

Igitur postquam finem loquendi fecit episcopus Benzo[a], regis legatus, tale dedit responsum sapiens senatus: *Vere vir Dei es, vere verbum Domini; in hore tuo verum est, tacebimus, expectabimus, pugnavimus, et pugnabimus. Sive sit pax, sive sit werra*[45], *fiat voluntas tua, rex aeterne Domine, sicut in coelo et in terra!*

*10. Senatores preterea tractabant inter se de amphybologia[46] regalis epistolae. Suggerunt itaque domno electo quoniam bonum est, ut ex universis urbibus comites advocentur, ac de praesenti legatione quae agenda sunt cum hiis deliberentur. Quibus collectis atque in conscientia secreti unanimiter receptis, respondit Rapizo Tudertinus comes, qui in bellis seu in consiliis sine dubio extitit salutaris fomes: *Etsi rem difficilem persuasisset curia, non obtemperare computaretur iniuria. Quanto magis quia flagitat silentium, quod solummodo pertinet ad custodiam virorum prudentium. Interim ergo, dum tacentes expectamus eventum rei, oportet nos vigilanter circumspicere transeuntes cursus vel noctis sive diei: semper enim est timendum imperio Romano a cuculla delitiscente in tenebris, et a demonio meridiano. Multiplicentur quocirca cohortes bellantium, qui luporum arceant insidias de foris ululantium.* Ab universis conclamatum est: *Placet quod a venerabili comite, scilicet domno Rapizone, peroratum est;* et divisis turmis per vices eligunt habitationem singulis mensibus in Urbe, veluti cives. Quicquid armorum *potest fabricari ex ferro erat eis indigentia nulla, inde pene rumpebatur falsa cuculla. Tempore quidem Nicholai[47], quem velut asinum pascebat in stabulo, coadunavit Prandellus peccuniam in centenario sacculo. Inde comparabat servilem manum, per quam cottidiae[b] fatigabat populum Romanum. Igitur in tot et tantis tormentis fuimus, per tempus et tempora et dimidium temporis. Tandem, Deo nos miserante, et nube pietatis suae nos obumbrante, Gotefredus, qui erat laqueus nostrae contritionis, cepit languere, et arbitratus est quia si mutasset aerem, ab iminenti[b] valetudine posset convalere. Petiit proinde suum castrum Bullionem, ubi exspiravit, et descendens in infernum dominum suum Plutonem salutavit, qui eum secus Iudam protinus collocavit. De adventu eius non parum Inferus laetatur, deque eius discessu totus mundus gratulatur.

11. Eminentiores autem Apuliae et Calabriae, gementes sub iugo dominationis Normannicae, ut cognoverunt veraciter interitum Gotefredi, ultra quam credi potest facti sunt mirabiliter laeti. Et accepto *consilio cum Pantaleo, Malphitano patricio, eodem duce ac

a) *codex litteram tantum habet* B. b) *sic codex.*

43) intelligit apostolos. 44) herba cito exarescente; cfr. Plinii H. N. XXV, cap. 13, sect. 106. 45) guerra, bellum. FR. 46) h. e. de ambiguitate, Graecis enim *ambiguus* ἀμφίβολος dicitur. 47) Nicolai II, quo sedem tenente, Hildebrandus pecunias undiquaque corrasit. FR.

previo navim ascenderunt et sub obtentu negocii Romam venerunt. Insistebant denique quidam illorum mercium venditionibus, sicut edocti fuerant ab institoribus. Pantaleus vero cum civitatum primariis descendit in scapham, et navigans ad castellum Crescentii ascendit ad futurum papam. Sub celeritate quidem scapha revertitur ad mare, negotiatores navis ostendunt venalia volentibus comparare. Patricius vero cum suis humiliatus coram domno electo, flexis genibus dixit: *Magnus Dominus noster et magna virtus eius, quia de medio nostrum disparuit pestilens Grugnefredus. Ipse enim alter Iudas, qui quaerebat animam regis pueri, nunc apud trenaros*[48] *luit penas innumerabilis periurii. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quia largitur nobis pius Plastes arma suae virtutis. Ecce quod promisit dominus meus, Constantinopolis basileus, per suas epistolas est adimplere paratus. Ergo, desiderabilis pater, fac tu similiter et tuus senatus, id ipsum peragat vester rex, sueque curiae magistratus. Recitentur* **epistolae, et secundum verba epistolarum sit factum consimile. Bareas*[49] *autem habetis atque alias civitates; isti enim qui mecum sunt tenent claves, earumque urbium possident potestates. Quandocumque et quomodocumque volueritis intrabitis, si fidem quam vobis faciemus nobis facitis.* Ad hec domnus Kadalus: *Nuncianda sunt hec domino nostro regi, qui est currus aecclesiae et auriga imperii. Tu autem ibi sta ubi stas, quoniam definite periit Sathanas.*

p.1007 M. — 48 — fol. 48'.

12. Illis autem abeuntibus cepit dicere ad senatum noster Petripaulentius[50]: *Eligatur de vobis unus, qui afferat domino nostro regi generalis leticiae munus.* Ceperunt singuli dicere: *Nescio loqui teutonicę; si placet beatitudini vestrae, talis eligatur qui litteratorię vel teutonicę gaudium istud dominicis auribus sapienter confiteatur.* Oculi autem omnium in me intendebant, et tamen cogitationes cordis promere non audebant. Compescens igitur domnus Kadalus eorum susurrationem, hanc intulit responsionem: *In legatione, quam nuper accepimus, fratres et filii mei, patenter datur intelligi, quia* **de coelo nos respicit misericordia Dei. Nam in ea continetur nostrorum requies laborum, et laqueus atque contricio inimicorum. Committenda est itaque hec coelestis ammonitio philosophyae nutricio, qui sit inmunis ab omni barbarismi vitio. Dicit enim Tullius: „Fieri potest ut recte quis sentiat, et id quod sentit polite eloqui non possit." Ea propter et qui sentiat recte, et qui loquatur perfecte, mittatur a gremio partis electae. Sed quem huius rei oratorem esse cupimus, effari minime praesummimus. Et si nomine non exprimitur, tamen ex ardentissima dilectione, quam exhibet circa honorem cesaris, facile cognoscitur.* Tum ego inquam: *Deus, cui omne cor patet et loquitur omnis voluntas, ipse novit quoniam diligo dominum meum, cesarem Heinricum, supra id quod mea nequit adimplere facultas. Non est necesse vobis per circuitiones verborum abire. Paratus sum quippe pro domino meo et in carcerem et in mortem ire. Solummodo dicite quicquid vultis dicere, nostrum enim est velle, Dei est perficere. Utimini tantum exordio postposita insinuatione, nichil est tam difficile, quod non videatur facile sola herili dilectione. Quia valida est ut mors* **dilectio.* Et dixerunt omnes: *Non est nostrum vobis imponere. Vos scitis, quid opus sit iacentibus sub honere. Vos estis medulla secreti. Vos estis bilanx in causis beati Petri. Quaecumque respiciunt ad commune negotium cis mare vel citra, in corde tuo, o pater, sunt omnia sita. Dominus tecum et cum spiritu tuo. Dominus te circumtegat suae veritatis scuto!* Accepta benedictione patris, *Valete!* dixi omnibus, et pater subintulit: *Qui est via, veritas et vita, ab omni malo custodiat te Dominus!*

50 — fol. 49. — Tusc. Disp. I, 3. §. 6. — p.1008 M. — fol. 49'.

13. Credo Deo, credo Deum, credo in Deum, qui prosperum fecit iter meum. Nam cęleri gressu adii Liguriam, et transiens per Alpes Iulias ad regis deveni curiam. Erat autem dominus meus cesar in aula[51] Cotelini monasterii, ubi me ita recepit prout se decet recipere legatum imperii. Archipontifex autem Bremensis aliique episcopi, summeque dignitatis proceres ei assistebant. Multitudines quoque virorum diversae aetatis assuetis plausibus de foris perstrepebant. Ego vero stans coram cesare, domino meo, tamquam qui debet offerre sacrifitium, hoc habui Romanae legationis initium*: *Salutant vos, domine mi, Petrus et Paulus sancti apostoli; fidelia oramina domnus electus, debita servitia mandat senatus et omnis populus.* Ad hec dominus meus rex: *Mi frater, quia fatigatus es ex itinere, volo te per*

51 — fol. 50.

48) plangentes, a θρῆνος, planctus. FR. 49) hodie Bari, in regno Neapolitano situm. FR. 50) papa Kadalus, Petri et Pauli apostolorum successor. FR. 51) h. e. Quedlinburg, cuius nominis variae apud scriptores medii aevi formae occurrunt, de quibus vide Indices ad singulos Monum. Germ. tomos. Regem autem a. 1065 inde a m. Augusto usque ad finem Decembris in confinio huius loci commoratum fuisse patet ex diplomatibus; cfr. Stenzel l. c. II, 247 sqq.

hos octo dies in requie consistere. Postea dabitur tibi locus audientiae ante conspectum nostrae clementiae.

14. Post dies octo, sedente domino meo cesare cum principibus, ianuis clausis, interesse me iussit pro Romanis causis. Introgressus eorum in medio steti, annuntians eis hec verba quasi ex ore apostoli Petri: *Puer meus, noli timere, tecum fui, sum, et ero. victoriam tibi et tuis cottidianis precibus ad Deum quaero. Roma facit quod suum est; consilio et armis defendit hereditatem tuam. Exurge*[a] *ergo tu ipse, et iudica causam tuam. De cetero res publica prosequitur verba apostolica, dicens: „Ab ipsis cunabulis, o bone rex, semper servivi tibi sub fide non modica." Nunc autem Deo gratias, quia pervenisti ad annos pubertatis; ostende qui sis pro defensione paternae hereditatis.*

2 Tim. 1, 3.

fol. 50'. p. 1009 M.

*15.[b] P[ro] ....

.... nec non[c] Agarenis[52].

Non cessit totum, tu nostrum perfice votum,

Magne triumphator, post bellum pacis amator,

Cesar Heinrice, quem Christus cum genitrice

Salvet in aeternum, det agalmata, claudat Avernum.

Revoca ante oculos memoriae attavos imperatores, qui tibi adquisierunt hos imperiales et aeternos honores. Tu habes sine sudore pro quo illi sudaverunt, pro quo illi sepe et multum pugnaverunt. O quocies pugnavit primus Otto cum rege Berengario, ubi multi barones perierunt ex utroque alveario[53]*! Tandem eo de campo belli proiecto, filioque eius Widone*[54] *interfecto, Otto victor emicuit; postremo in carcere trusum regnare prohibuit. Post hec filius eius, rex Albertus*[55]*, ad varios eventus belli semper inter primos repertus, adversus eundem rebellavit, atque bis acro*[d] *certamine fatigavit. Quem magnus Otto exterminavit ab Italia, sed deficiente terra receperunt eum maria. Ubi per trihennium iactatus fluctibus evasit captivus, veniensque Augustidunum*[56] *obiit peregrinus. Otto secundus et tercius, quasi tui agricolae, bene trituraverunt pro tuo imperio; malas enim arbores extirpaverunt de apostolorum pomerio. Primus autem Heinricus*[57]*, sapientissimi Salomonis unicus et singularis amicus, pro pacificanda tua hereditate, facta magna strage ex utraque *parte, cum Ardoino dimicavit eumque regno privavit. Ardoinus autem, expoliatus cingulo regalis bullae, gemebundus expetiit latibulum cucullae; sub qua velut penitens aliquantulum se atrivit, sed in brevi hominem exivit. Quid vero fecit idem Heinricus Romae, ut aecclesia catholica esset sine rapacium macula, sit modo lupus in fabula. Quanta autem et qualia alii imperatores fecerunt, quibus es propinquior carnea progenię, in chronicis eorum exaratum est egregie. Enim vero certissima res est, o cesar, quod sancti apostoli non cessant pro te orare; nam reges, quos debueras ad auxilium invitare, sine tuo rogatu ultro se offerunt, et apertis thesauris munera usibus tuis conducibilia deferunt. Quaecumque habet et habere potest, pollicetur tibi Constantinus Doclicius, rex Bizanzenus, tamquam si esses porphirogenitus filius eius. Quicquid enim in epistolis suis legitur, quacumque hora volueris complebitur. Manifestum est igitur quod te Deus amat, et uterque apostolus pro te cottidie clamat. Apulia siquidem atque Calabria apertis portis te praestolantur, rogantes ut vindictam facias *de hiis, qui per Romana rura velut iumenta indomita pervagantur. Dicit enim Horatius*[58]*: „Qui prorogat horam recte faciendi, rusticus expectat ut amnis defluat." Festina ergo, o cesar, noli tardare, quod potest manus tua facere instanter operare .....*[e]*. Cui dictum est: „Labora, ne fame pereas," et piger fuit? Quodlibet arbustum possumus uno ictu deicere. Si autem ad magnitudinem perfecte arboris crescendo roboratur, iam non timet casum, etiam si multocies securibus feriatur. Deiciendi sunt itaque isti in praesenti momento, ne amplius sint vobis et nobis impedimento. Forsitan quod hodie licet, cras erit inlicitum; oportet quocirca regem esse sollicitum, ut non sequatur vocem corvinam*[59]*, sed quantocius praecipitet eos in perpetuam ruinam, et solium gloriae teneat.*

fol. 51. p. 1010 M. fol. 51'.

a) *sic codex.* b) *om. codex.* c) *versus primus et dimidium secundi negligentia conglutinatoris libri abscissi, quartus quintus sextus inferiori codicis margini adscripti sunt.* d) *sic 2 manus corr. ex* acri. e) *hic nonnulla exciderunt quae, margini superiori adscripta, vitio glutinatoris abscissa sunt.*

52) Indigitantur Normanni; cfr. Annales Romanos, Mon. Germ. SS. V, 470. 53) regno, metaphorice sic dicto. FR. 54) Berengarii filio. FR. 55) Cfr. Liutprandi librum de rebus gestis Ottonis Magni imperat. cap. 1 sqq. 56) Augustam Vindelicorum; cfr. Widukind. III, 63; Thietmarum II, 7; Continuat. Reginonis s. a. 962—964. 966. 57) h. e. Heinricus II, Sanctus cognominatus. 58) Epist. I, 2. vers. 41. 42. 59) cras; hortatur igitur Benzo Heinricum, ne procrastinando optimum rei gerendae tempus elabi patiatur. FR.

16.[a] *Preterea ex his duabus provinciis, Apuliae scilicet atque Calabriae, replentur condicionaliter imperatorum kamerae. Ecce tempus Hyram et Salomonis: aurum et argentum ad similitudinem lapidum hec duo regna ministrant vobis. Sed prius eradicentur Badaculus et Prandellus, qui sunt causa maliciae. Deinde Normanni, filii* 'spurciciae. *O seniores Teutonici, certe solo terrore vestri adventus fugabitis hos scarabeos, quia coelum et terra conspiraverunt contra eos. Non enim vos expectabunt, marinis fluctibus se necandos dabunt. Gotefredus autem, qui erat animositatis eorum pabulum, descendens per Acheronta gemit in tormentis apud principem demoniorum Zabulum. Quid plura? De vobis senioribus nichil sinistrum putat Roma. De solo uno dubitat, qui*[b] *clamdestinis legationibus cum Prandello sepissime musitat. Exquirite inter vos, utrum corde et corde loquatur super hac re Annas Agripinus, et cavete, quoniam nulla pestis est efficatior ad nocendum, quam familiaris inimicus. Verum quasi in unius persona omnibus vobis dirigit hoc breviloquium Roma, et obnixe precatur, quatenus in cordibus vestris firmissime teneatur.*

XV. fol. 52. p. 1011 M.

17.[c] *Metropolitane, cui non est nomen inane,*
Imperii summa defixus in orbe columpna,
Cur partes Romae non curas, gemma coronae?
Quam modo Normanni, facti de plebe tyranni,
Plus solito turbant, quo plana per hembada[60] *currant*
Dedecus ad regis, qui temperat organa legis.
'*Hac re currebam, revolando volare volebam,*
Ut prestolantes regem reddantur ovantes.
Sed quia non vultis audire iuvantia multis,
Sed quia non vultis reserare sepulchra sepultis,
Hoc est Romanis, Calabritis, Apulitanis:
Conficitis magnum, neque iam reparabile dampnum;
Qui coelum girat, vobis Deus ista requirat.

XVI. 60 fol. 52'.

18.[d] *Musa, tamen prome, quid mandet Grecia Romae,*
Ut pus, quod turget, Romana potentia purget
Facta per Heinrici, causae victricis amici,
Ad cuius numen tremit imperiale cacumen.
Victrici lauro comptus post regnet in auro,
Et cum tetrarchis, primatibus et patriarchis,
Presulibusque suis, magnatibus atque tribunis,
Cumque sua scola, quae regis ludit in aula.
Omnia sint aurum, Romae comitantia Scaurum[61].

XVII. 61

19.[e] *De cetero Roma vestra, supplex et acclinis, postulat ut secum cantetis laetanias sicut ab antiquis, et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras, ut possitis consolari Romanos, qui pro vobis cottidianas cum Normannis exercent palestras.* Tunc rex dixit eis secreto: '*Consulite quid respondeamus sancto Petro.* Bremensis autem archiepiscopus, cui rex archana sua numquam abscondit, ex eius precepto ita respondit: *Romana legatio non est cursim pertractanda, sed morose, atque diutius coadunatis in unum episcopis et ducibus. Qua propter imperat dominus noster rex, ut perscruteris nobiscum huius legationis tenebrosam habyssum. Tu enim, frater, es legatus domini mei, missus ad Romam pro salute publicae rei, ad dexstruendam heresim Arrii et Manichei. Tu scis interiora et exteriora, tuo consilio debemus eligere meliora. Tu cognoscis viscera Grecorum, nec ignoras qualitates Romanorum. De Apulia quoque, sive Calabria, non est aliud examinari necesse, nisi quia nolunt perpetim in hergastulo hostium esse.* Cui ego: *A fructibus eorum cognoscetis eos. Si certi fuerint Greci de regia expeditione, confestim erunt in Malphitano mari cum rebus promissis, sine ulla dubitatione. Nam scriptum est: „Segnius irritant animos demissa per aurem, quam quae sunt subiecta fidelibus oculis.“ Quivis cecus palpando diiudicat, quod Roma Normannos cottidię fulminat.* '*Omnia vobis respondent ad votum, talibus et qualibus ex parte*

XVIII. fol. 53. Math. 7, 16. p. 1012 M. Horat. Ars poet. 180. fol. 53'.

a) XV *cod.* b) *sic 2 man. corr. ex* quidam. c) XVI *cod.* d) *cod.* XVII *corr. ex* XVIIII. e) *cod.* XVIII *corr. ex* XVIIII.

60) embada = ἔμβαδα, h. e. *area.* 61) De Mamerco Scauro insigni nobilitate et causis orandis conspicuo, divitiis et vitiis abundante, vid. Senec. de benefic. IV, 31, ibique Lipsium. FR.

Petri hoc facite notum. Videte ne tale Dei donum, ne indeficiens bonum subripiat vobis pigricia, quae fovet in suo gremio cetera vitia. Ad hec subrisit domnus metropolita, aliisque ridentibus loqutus est ita: *Fides tua, o Albensis episcope, facit te salvum; merito te nominamus Heliseum calvum. Ascendens dominus meus cesar in Romano curru fiat tibi sicut Helias, et dando spiritum duplicis gratiae remuneret tibi multiplices in suo famulamine laboris et perseverantiae vias, prestante domino nostro Iesu Christo, cui placet ut resistamus bicipiti Antichristo.*

Matth 9,22.

XVIIII. 20.[a] Igitur dum detineor in curia, secundum statuta precepti dominici, relatu quorumdam didici quod dominus meus imperator verus, secundus Heinricus, transiens de hoc mundo ad Christum, deputavit filio suo Bremensem metropolitam tutorem et magistrum. Ideoque familiarius adherebam ei, disputans secum de necessariis publicae rei, quae respiciunt ad honorem et utilitatem victoriae domini mei. Ipse vero me instruebat ex hiis, *quae erant nuncianda domno electo, senatui, aliarumque dignitatum gradibus, simulque Apuliae atque Calabriae civitatum primatibus; rogans ut affirmarem cunctis in ea, quae Christus est, veritate: quoniam citissime videbunt regem venientem cum potestate magna et magestate, et omnes tribus terrae cum eo; tunc cantabimus simul: *Gloria in excelsis Deo.*

fol. 54. Matth. 24, 30. Luc. 19, 38.

XX. 21.[b] In diebus illis congregati sunt primates Teutonici ad regem, et dixerunt ei: *Veniat Annas Agripinus in medio et dicat, cur te exheredat Romano imperio.* Et statuerunt eum in concilio, dixeruntque ei: *Sicut elevasti Normannorum simulacrum, nisi deposueris et ad nos adduxeris, de collegio nostro amplius non fueris.* Qui dixit: *Si male arripui iter sinistrum, deserens dextrum, fideliter volo emendare ad arbitrium vestrum.* Et adiecit: *Si vobis bene videtur, prius de confirmatione eius, accitis Ligurianis episcopis, apud nos synodus celebretur, ut in altera synodo penes Mantuam facilius inlaqueetur.* Cui respondentes dixerunt: **Non aliter vulnera dubietatis de cordibus nostris amputabis, nisi tactis euangeliis et sancta cruce te id facturum affirmabis.* Quod et factum est.

fol. 54'.

XXI. 22.[c] Post hec coadunata principum contione consilium inierunt de mea reversione. Et dixerunt omnes una voce: *Frater Benzo, merito debemus te diligere, quem videmus in regis servitio numquam deficere. In omnibus enim periculis certans pro eo, semper intrepidus fuisti. Ex precepto domini mei Romam ingressus, heresiarchas deposuisti; quid facere debeamus, nobis imposuisti; calicem multarum passionum pro eo bibisti. Dic ergo fiducialiter domino meo: „Ecce ego reliqui omnia, et sequtus sum te. Quid pro hoc erit michi? ut totus mundus assurgat in laudem eius?" Respondeat tibi noster basileus: „Inimicos sancti Laurentii sub pedibus tuis humiliabo. Quaecumque sunt aecclesiae tuae perdita, nova vel vetera, in integrum restaurabo. Quae nunc habere videris centuplicabo. Cum fuero per Dei clementiam sublimatus in arce imperii, eris omnia in omnibus secundum voluntatem tui desiderii:* **ut cognoscant fideles et perversi quia hec mutacio est dexterae excelsi. Adhuc autem per meam manum tale quid dabit tibi Deus, quod qui audierit tinnient ambe aures eius."* Haec audiens cecidi in faciem ante pedes regis, domini mei, et benedixi Deum et regem, atque omnem turbam presentis collegii. Deinceps precepit dominus meus rex fieri ad tutelam aecclesiae meae precepta et mundiburdia[62], quatenus per hec sopiantur litigantium iurgia. Insuper in equis ac pellium donis reddidit me letum, acceptaque licentia reliqui regalis curiae cetum. Nudius tercius docuerat me valde et multum de universis suis mandatis, et recedentem monebat eisdem iterum et iterum replicatis. Aiebat enim: *Nichil horum precor obliviscaris, quia tu semper mecum es, nullatenus de redibitione verearis.* O domine Iesu Christe, qui de coelo deduxisti Africum transferens Haustrum, aspirando praeveni et adiuvando prosequere consilium nostrum, quia quod in extremis loqutus est cesar manet alta mente repostum[63]. Si umquam fui oblitus sui, vel aliquando obliviscar, de tenebris ad lucem non proficiscar. Obliviscatur me dextera mea, quae licet peccatrix signat calicem, si eo relicto ad infructuosam me convertero salicem.*

p. 1013 M. Luc. 18, 28. fol. 55. 62 fol. 55'.

XXII. 23.[d] Ad cor respicit Deus, nichil est quod non videat oculus eius. Videns autem pius Plastes, me fidum interpretem inter dominum meum regem et populum Romanum, felici reditu, remoto insidiantium metu, reduxit me ad Vaticanum. Congregata autem in aecclesia sancti Petri maxima multitudine Romanorum civium, salutato domno electo factus alter Hesdras, ascendi in gradum ligneum: *Qui habet aures audiendi audiat, quod vobis Spiritus*

a) XVIIII *cod.* b) XX *cod. corr. ex* XXI. c) XXI *cod. corr. ex* XXII. d) XXII *cod. corr. ex* XXIII.

62) Cfr. du Cangium s. v.; chartae quibus ecclesia in tutelam recipitur. 63) Virg. Aen. I, 26.

Sanctus per hos[64] *servi sui Benzonis annuntiat. Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, quia ad portum letitiae perducunt vestros veredarios Romanae navis proretae, videlicet sancti apostoli, qui eam gubernant ex iussione Domini.* 64 p.1014 M.

24.[a] Fortes et mites, perpendite verba, Quirites. XXIII.

5 *Dominus noster, rex Heinricus, sanctae Romanae aecclesiae protector et amicus, fidelibus suis Romanis, plenis fidei et veritatis, munus gratiae et bonae voluntatis. Recitata vestra legatione, patres conscripti, in auribus domini nostri cesaris et principum, una fuit vox respondentium: „O Roma, o Romani, ideo super omnes gentes preposuit vos creator generis humani, quia non timuistis* ˈ*subire periculum pro patriis honoribus, atque inflexibili fide domi militieque* fol. 56. 10 *semper adhesistis imperatoribus. Quis non debeat vobis reddere vicem, qui falsae cucullae dedignamini flectere cervicem? Merito vobis succurrere debemus, quia verbis et operibus veraciter est vobiscum Deus. Dignum est ergo, ut de militibus Romanis faciat dominus noster rex senatores, de senatoribus exaltet ad principum honores, ut nati et nascituri ad serviendum Deo et regi cor figant, et: Nimis honorati sunt fideles regis! dicant.“ Haec et his similia illis dicentibus,* 15 *atque adhuc plura prae gaudio dicere volentibus, cesar precipiens silentium fieri, dixit: „Non potest arbor bona fructus malos facere, sic nec isti procedentes ab arbore, quam plantavit Dominus in montis Oliveti latere. Sicut enim legitur in eorum hystoria, fulget in eis parentum memoria. Video inter eos Affricanum Scipionem, utrumque Catonem, Fabium et Ciceronem. Certe revixerunt*[b] *et de refugis atque de male fidis; dat legem Regulus, Scaurus, nec non Fa-* 20 *bricius, Metellus, et Marius, ac Sylla patricius. Nonne isti sunt, quorum progenitores, assueti Quirinali trabea,* ˈ*occiderunt iubatum serpentem apud fluvium Bagrada? Cuius corium viginti* fol. 56'. *quinque pedum adlatum est in Capitolium. Ipsi sunt pro me bellatores, ipsi sunt*[c] *consiliatores, ipsi dividant inter se mea regalia, quos faciam priores super omni Italia.* Hiis auditis tollitur clamor in coelum: *Vivat rex in aeternum, et de rege factus imperator regnet in sempiter-* 25 *num!*

25.[d] Deinde in kamera recepto[65] cum tribus silentiariis domno electo, seriatim cuncta XXIIII. enucleavi quae accepi ab hore regis sedentis in suo conclavi. Scilicet de certitudine adventus eius, de confirmanda amicicia quam expetebat rex Bizanzenus, et ut Apulus et Calaber habeant in Deo et venturo rege suae liberationis spem firmam, quia volente Deo extendet 30 eis auream de more Assveri virgam; deque nimia benivolentia, quam habet serenissimus rex erga domnum electum, ergaque communem gregem, quem in sui dilectione intuetur esse p.1015 M. perfectum; quin etiam de utraque synodo, quae omnia sunt claudenda sub taciturnitatis modio. Expositis denique omnibus, quae michi commisit magnus ˈrex et piissimus dominus, fol. 57. continuo silui, respuens adicere quicquam sermonis superflui. Surgens autem domnus 35 electus, fundens prae gaudio lacrimas, cepit percutere pectus, dicens: *Gratias tibi referimus, pastor bone, qui in tribulatione positos nos reddis ovantes; sit nomen tuum benedictum in secula, qui non derelinquis in te sperantes. O sancti apostoli, hoc est vestrum opus quo iugi* Iud. 13,17. *precatu universaliter salvetur Romanus populus. O karissime frater, episcope Benzo, ipse te conservet qui fulgere per diem concessit helenco*[65*]*!* Deinceps ad omnes partes mittuntur legati, 40 quatenus praestolantes dominum nostrum regem, secundum propositam sponsionem sint caute parati. Ubicumque vero adventum cesaris praedicabant, omnia genera gaudii et leticiae, tamquam opobalsama, ibi flagrabant[e]. Quisquis autem tantum gaudium tantamque leticiam perturbare voluerit, etiam angelis de coelo *sit anathema Maranatha*, pereat cum 1Cor. 16,22. Saule et Ionatha, non habeat partem cum eo qui pro nobis crucifixus est in Golgotha[f].

45 26.[g] In circuitu impii ambulant, sed in finem velut Iudas laqueo Diaboli semet ipsos ex- XXV. strangulant. Qui potest capere capiat, neque plus quam oportet ˈsapere sapiat. Interim de- fol. 57'. cursis per longa intervalla multis diebus, adgreditur perficere Annas quod testibus euangelio et cruce spopondit regi suisque fidelibus. Itaque convocatis undecumque episcopis 1062. Oct. 27. disponit celebrare sub specie synodi[66] conventiculum, quasi suae voluntatis indiculum. In- 50 terfuerunt autem quidam de partibus Liguriae, appellati tamqam ex iussione curiae. Cunctis

a) XXIII *cod. corr. ex* XXIIII. b) revix̄ *cod.* c) *sic* 2 *man. corr. pro coniunctivo* sint. d) XXIIII *cod. corr. ex* XXV. e) fraglabant *cod.* f) *sic cod.* g) XXV *cod. corr. ex* XXVI.

64) h. e. per os. 65) Intellige: *postquam se in cameram recepit domnus electus* etc. 65*) Elenchus, 55 Graecis ἔλεγχος = unio. 66) Loquitur Benzo de concilio Augustodunensi; cfr. Giesebrecht l. c. p. 172, not. 2 et p. 224, not. 2.

vero residentibus hoc habuit Annas suae locutionis initium: *Videtis, fratres karissimi, quia sancta Romana aecclesia grave patitur praeiudicium. Propter duorum enim altercationem ducuntur filii eius ad occisionem. Si matri modo non succurrimus, ea pereunte pariter peribimus. Succurrendum est ergo, ne simus consentientes neci eius. Nam sicut scriptura dicit: „Qui succurrere perituro potest, dum non succurrit, occidit.“ Discernat quocirca inter utrumque verbi Dei gladius, cui debemus consentire, quamvis sit noster adversarius. Si enim de* [67] *cordis vestri medicinali pixide adhibetis huic insaniae kanonicum capipurgium*[67]*, confestim extinguetur huius furoris improbabile iurgium.* Ad hec Italici episcopi responderunt: *Non* [fol. 58.] *est aequm, *super hac re diffinitivam sententiam dare sine Ambrosio et Appollinare;* et ille: *Aliqua reservemus et aliqua dicamus, ne incassum convenisse videamur. Nostri vero con-* [p. 1016 M.] *ventus sententia erit suspensiva, in altera synodo diffinitiva.* Ceteri autem dixerunt: *Non improbamus quod dicitis, induciae quidem sunt dande canonicis iudiciis.* Annas dixit: *Audite, quaeso, cum diligentia, et memoriae commendate cuius ponderis sit mea sententia. Si ita intravit sicut ego intravi, dico Alexandrum sedere usque ad proximam synodum.* Episcopus autem Constantiae Romaldus constanter dixit: *Regula canonica non prohibet vestrum introitum, quia legalis est vestra ordinatio, atque orthodoxa consecratio. Denique pro moniali adulterio enuchizatus Arnaldellus, eodemque vitio inquinatus Sarabaita Prandellus, hunc elegerunt. Normanni quoque accepta peccunia nocte eum inthronizaverunt; Romani autem nolentes hunc recipere, voluerunt ei resistere, ideoque introitus eius non fuit sine sanguine. Non ergo* [fol. 58'.] *ita intravit iste, sicut vos intrastis.* At ille: *Quod dixi, dixi. Si ita intravit sicut ego *intravi, dico Alexandrum sedere usque ad proximam synodum.“* Haec aut omnia per nepotem suum, qui episcopatur Alberstet[68], notificavit Annas Romae ad Caiphan et Dohec[69]. Tunc sumpse- [70] runt cornua isti duo magi, Zarohen et Arphaxat[70], tamquam contra David Phylisteus Goliath. Nos vero ad salutem nostram putantes hec fieri, eramus quiescentes quasi sub umbra iuniperi. Illi denique, quos in furorem Megera et Alecto exagitabant, bellicis provocationibus cottidie nos fatigabant. Fiducialiter quidem expectabamus finem rei, sperantes in misericordia salvatoris nostri Dei.

[XXVI. Vere anni 1064.] 27.[a] Igitur completo spacio annuae revolutionis incepit Annas iter suae expeditionis, et venit Mantuam cum trecentis galeatis; quem recepit comitissa Beatrix[71] sumptibus regifico luxu paratis. Mandaverat autem ipse iam dudum Alexandro per Cunibertum, Taurinensem episcopum, ut causa finiendae litis iungeretur sibi Mantuae ad celebrandam synodum. Rursus quoque per Vercelensem Gregorium, cui se Alexander familiarius credebat, annuntia- [fol. 59.] verat idem Annas omnia *quae idem Alexander praescire volebat. Veniens autem gratulabundus et letus, arridenti Fortunae se indubitanter dedit. Prandellus denique, de certis semper incertus, domi resedit. Preterea domno electo legavit ipse idem Annas, ut quantocius adesset Parmae atque totum exercitum suum dirigeret Mantuae; adiciens quoque: *Domine pater, quare venerim tu bene nosti; matura ergo quae sunt opponenda tocius aecclesiae hosti.* [Psal. 30, 6.] Continuo domnus electus effusis lacrimis suspexit in coelum et dixit: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Denique tanta velocitate regressus est Parmae, ut videretur sibi quod angelus Domini, qui asportavit Abacuc super lacum Babyloniae, transtulisset eum in [1064. Mai. 31. p. 1017 M.] locum Parmensis coloniae. Congregatis autem episcopis, synodus inchoatur. Baburrus[72] Alexander in cathedra collocatur, et prout valebat baburrando eos de servitio Dei ammonebat. Et cum diu multumque frendens blaterando verba perstreperet, nullusque balbutationem eius intelligeret, Annas ammonuit esse cessandum, atque in crastinum reservandum.

[XXVII. fol. 59'.] *28.[b] Postquam autem mediante die complevit Alexander synodicae amministrationis officium, Patarinorum magna comitante caterva abiit ad suum hospitium. Annas vero ascendens in sanctuarium iuxta altare cepit cum lacrimis diutius orare. Ad quem accedens comitissa dixit: *Domne archiepiscope, tempus est refectionis.* Cui ille: *Prohibet hodiernum edulium dolor Cephalicae passionis.* Illa quidem ut ad epulas accederet devote instabat, ipse autem in proposito abstinentiae perdurabat. Tandem rogavit eam, quo praeciperet cunctis expetere

a) *cod.* XXVI *corr. ex* XXVII. b) *cod.* XXVII *corr. ex* XXVIII.

67) h. e. capitis purgatio. 68) scilicet per Burchardum episcopum Halberstadensem; cfr. Giesebrecht l. c. pag. 99, not. 2. 69) Doeg Edomita, de quo 1 Reg. 22, 18. FR. 70) Cfr. supra lib. II, caput 1. 71) Vide supra adnotat. ad lib. II, cap. 17 extr. 72) stultus, ineptus, ex Graeco βαβύῤῥας. FR.

mensam, pulsisque omnibus secretam redderet aecclesiam, et adiecit: *Est secretum, o domina, quod tibi volo confiteri, post cuius confessionem tecum cenabo, si forte aliquid hodie manducabo.* Deinde ex inproviso motu inclinans se, ut ad pedes eius caderet, illa opponens brachia contra, precatur ne id faceret. Flentibus autem non parum utrisque, suspirando,
5 singulciendo, abstersis lacrimis exorsus est ipse: *Ante hoc sacrum altare, super quod celebratur sacrifitium corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi, tristitiam cordis* **mei, o* fol. 60.
piissima domina, confiteor tibi, et terram osculando supplico benignitati tuae, quatenus inde michi digneris largiri medicinam, ne cadam in obprobrium et in baratri ruinam. Non te latet, o domina, meum figmentum atque meorum originem parentum. Luce clarius est quod sanctus
10 *imperator, secundus Heinricus, me erigens de stercore super altitudines ceterorum procerum praeesse voluit, meque se alterum in imperio constituens*[73]*, nil plus facere potuit. Et ego miser* 73
et peccator, factus lupus rapax, rapui filium eius de sinu matris, cum debuissem me opponere praesumptori huiusce crudelitatis. Et quoniam approbavi promotionem istius Alexandri, quem in cathedra beati Petri statuerunt Normanni, inde inimicatur michi tota curia domini mei regis,
15 *inde appellor Iudas et desertor et infidelis, et nisi ista correxero, tamquam leprosus elongabor ab eis. Haec est mors mea, si cadens in infernum reliquero galaxea*[74]*. Prebe itaque consilium, o bona princeps, misericordiae et veritatis amica, ne de vetito consilio iudiceris, velut dives denegata Lazaro mica.* *Commitissa vero haec audiens ingemuit, et facie pallens toto cor- fol. 60'.
pore intremuit, dixitque: *O pater, quicquid tua sapiens cogitatio super hac re melius sentit,* p. 1018 M.
20 *proferre non dubites, quia non deficiam si quoquo modo possim tuam relevare tristitiam.* Tunc Annas ter et quater suspirans ait: *O domina, Deo et tibi committo; vide ne me interficias, vide ne hoc alicui dicas. Volo istum Alexandrum ducere ad curiam, et iurabo illi quod nullam pacietur iniuriam; et si de pacto amiciciae inter istum et regem fuerit fortasse aliquod intervallum, morabitur Coloniae, et imperabit super totum archiepiscopatum; me autem ha-*
25 *bebit sicut capellanum.* Et commitissa dixit: *Pater sancte, sicut vis fiat; nullus erit qui tuis decretalibus contradicat.* Tunc Annas prae gaudio dixit: *Veraciter vocaris Beatrix, in tribulationibus constitutis adiutrix et benefactrix; macrobiam*[75] *te faciat agya Sophya*[76] *coeli* 75
terraeque creatrix.

29.[a] Et facta est dies crastina. Noluit Annas ea die in conventu synodi sedere cum XXVIII.
30 Alexandro, quia tedium fuerant cunctis verba quae dicebat blaterando. *Tercii vero diei[b] Iun. 1. fol. 61.
diluculo adest Parmensis exercitus maxima multitudo, promptissima perficere iussionem Iun. 2.
Coloniensis Agrippae, discurrens per plateas Mantuanae urbis; horror armorum ingerebat formidinem turbis, clamans vocibus et tubis: *Badacule diabole, quid venisti huc facere? Carbo estinctus*[c]*, Stigia palude tinctus, maledicte foris et intus.* Haec audiens Asinander de-
35 lituit atque ad synodum venire distulit. Ut autem pervenit ad aures Beatricis sonitus iste, quasi morte praeoccupata, cecidit in lectulum angustiata. Hoc audito Annas ad eam cucurrit; qua visa, ruens in terram velut mortuus fuit. Currunt tales et quales ad triste spectaculum, ululabat civitas, flebatque palacium. Mutavit Fortuna rerum faciem, labefactavit Parmensium aciem. Post spacium unius horae reversus in se Annas, et nutu ac flebili voce cepit
40 dicere: *Exite foras!* Turba quidem dimissa, semel et iterum oscitavit ipsa. Tunc archiepiscopus quasi sibilando dixit: *O piissima domina, dignare paululum aperire* **oculos, et re-* fol. 61'.
suscita nos tuos fideles mortuos! At illa palpebras sublevavit visosque quantulumcumque letificavit. Interea nox venit, atque exceptis puellis alios ad hospitium abire coegit. Dum medium silentium tenerent homines et animalia cuncta, reficitur modica sorbiciuncula. Dor-
45 mivit parum solummodo ad unius horae spacium, deinde eodum cybo refocilatur. Post hec archiepiscopus convocatur; cui dixit: *O domne, si hoc vis perficere quod michi dixisti, me et* p. 1019 M.
te et regem occidisti. Ubi enim fuerimus, notati nomine atque officio Iudae traditoris? adiudicabimur filii perditionis. Non est hoc tui iuris sed imperatoris, et hoc debet fieri in synodo cum episcopis, qui examinent causam sub testibus legitimis. Levius denique evitabis iram regis
50 *qua argui times, quam habyssum infamiae, qua te absorbendum vides. Certe de duobus illicitis, si necessitate impellimur ad quodlibet faciendum, maiore praetermisso minus est eligendum. Si hoc Herodes fecisset, culpam homicidii non incurrisset. Age ergo, o pater, ne tua culpa ceteri*

a) *cod.* XXVIII *corr. ex* XXVIIII. b) *corr. ex* tercia — die. c) *sic pro* exstinctus *cod.*

73) Hanno 1056, die 3. Martii archiepiscopus Coloniensis factus est; cfr. Lambertum s. h. a. 74) la-
55 cteum circulum in coelo; ex Graeco. FR. 75) longaevam. FR. 76) sancta Sapientia. FR.

fol. 62. *sacerdotes pro popularia conventicula* **vocitentur traditores*. Quid plura? Eva vicit, quia hunc inhescando vetitam escam mordere cohegit, statimque a proposito cogitationis omnino quievit, rasisque crinibus ad curiam rediit. Quod ut cognovit rex eiusque curia, indignantur 77 sibi pro communi omnium iniuria. Annas autem habens similitudinem Apopompei[77], cepit aestate anni 1064. conspirare adversus christum Domini[a]. Quod malum adhuc perdurat: det finem mali qui 5 cuncta regendo et iudicando procurat. Badaculus equidem reversus ad Laterani sedem, gloriabatur se illam vicisse per legem. Continuo universi properant ad eum tamquam pisces ad vivaria; firmantque foedus cum eo, iurantes per euangelia Dei super crucem et altaria. Remansit solus frater Benzo, insanias falsas contradicens eis, in spiritu et habitu Hysmahe- Gen. 16, 12. lis. De quo dicit scriptura quia *manus eius contra omnes, et manus omnium contra eum*. Do- 10 lens igitur frater Benzo, conatus est hos transfugas revocare ab errore hydolatriae ad culturam catholicae fidei, et ad conservandam fidelitatem cesaris Heinrici; singulariter atque fol. 62'. universaliter scripsit ad eos ea, quae *continent sequentia libri.

PROLOGUS LIBRI QUARTI[b].

XXVIIII. 1 Reg. 2, 25. *Si peccaverit vir in virum, orabit pro eo sacerdos, et si sacerdos peccaverit, quis orabit* 15 *pro eo?* Si nolumus, fratres et coepiscopi, in aeternum perire, expedit nobis verbis Domini Matth. 6, 24. oboedire, qui dixit: *Non potestis duobus dominis servire*. In domo etenim Domini estis plantati manibus regis, non manibus Folleprandi. Oportet itaque ut sitis subiecti plantatori, minime autem supplantatori. Regi namque debetis miliciam, qui vos erexit ad praesulatus honorem; archiepiscopo autem synodalem oboedientiam, qui afflatu Spiritus sancti effudit 20 p. 1020 M. super vos tanti honoris benedictionem. Quid ergo vobis cum cucullano, aut cum aliquo symoniano? Cur post Deum dominum nostrum regem abdicatis, et ad apostatam festinatis? Cur collectam ex beneficio regis peccuniam in obsequio diaboli consumitis, et laboranti regi Prov. 17, 13. de suo sibi ministrare refugitis? Non recolitis quod dixit ipse Deus, videlicet: *Qui reddit malum pro bono, non recedat malum de domo eius*. Ad viam ergo regiam, quae est via vir- 25 fol. 63. tutum, confratres *et coepiscopi, redite, et salutaria monita sequentis libri aure cordis vigilanter audite.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

XXX. 1.[c] Ammonitio ad Teodaldum archiepiscopum.

Non habentes cor virile dicendi sunt feminae, 30
Timidi sine timore, notho nati semine,
Fugitivi velut damae persequente nemine.
Facti sunt per totum orbem at at interiectio,
Et proverbium et risus, et plebis abiectio;
Per conventus populorum legitur hec lectio. 35
Vos qui estis vere viri, respicite secula,
Segregate dignos laude ab infusis nebula,
Istos sepelit abyssus, erigit hos specula.
Non ignavis terga dentur, demonstrate faciem,
Ordinate contra tales terribilem aciem, 40
Qui videntur sibi pingues vertantur in maciem.
Ab inicio mendaces certant cum veracibus,
Semper fraus in scrobem cadit cum suis sequacibus,
Non est ergo formidanda pugna cum fugacibus.
Ante legem et sub lege in lite primaria 45
Contriverunt patres nostri tela adversaria,
Hostium collo suspensa mola asinaria.
fol. 63'. **Tres in medium ducamus ex priorum numero,*
David regem, et Sampsonem cum extento humero,
78 *Danihelem qui elegit depasci cucumero*[78]. 50

a) *sic neglecto rhythmo codex.* b) *codex post hanc inscriptionem subiicit* cap. XXVIIII. c) XXX *cod.*

77) venti abducentis, quo pervenire cupiunt nautae; ex Graeco. FR. 78) i. e. cibis vilioribus; cfr. Daniel 1, 12.

David emulos turpavit abscidens[79] *praeputia,* 79
Sampson vulpibus est ultus Dalilae convicia,
Danihel destruxit Belum arte cinericia.
Haec sunt enim sacramenta, hec sunt verba mistica,
5 *Non sunt fucis obumbrata, sed neque sophystica,*
Si quis ea perscrutetur inveniet pistica[80].
Et in Novo Testamento nostri primicerii,
Dolos Symonis vincentes ad decus imperii,
Ostenderunt nobis viam summi desiderii.
10 *Post hos plures extiterunt adhlete mirabiles,*
Qui in arce praeliandi fuerunt laudabiles,
Contra sectas multiformes atque condempnabiles.
Nostra quidem sub aetate fulsit gemma praesulum,
Leo ille Vercellensis ornans totum seculum,
15 *In quo fratres mirabantur ut vultus ad speculum.*
Valde potens in sermone, efficax in opere,
Sapientiae vestitus septiformi podere,
Pro aecclesiis pugnavit animo et corpore. p.1021 M.
Ardoinum, qui se regem dicebat in gentibus,
20 *Diademate privavit sparonistis*[81] *flentibus;* fol. 64.
Pax in coelo, pax in terra, angelis gaudentibus.
Huius erant adiutores Arnulfus Ambrosii,
Nec non Wido Papiensis, heres Theodosii,
Et Novariensis Petrus, non impar Horosii.
25 *Post hos pater Heribertus, terror dissidentium,*
Raginaldus, currus regni, quies Papiensium,
Et Riprandus, splendor orbis, dux Novariensium.
In conciliis cum rege hii sedebant iudices,
Non kamelos gluciebant, nec liquabant culices[82], 82
30 *Nec leonibus obmissis currebant post pulices.*
Leo Grecum condempnavit Ottonis imperio,
Et Riprandus Gracianum[83] *Heinrici cauterio,*
Vos debetis idem sequi assumpto psalterio.
Ceteri eius aetatis barones episcopi,
35 *Invicem se aspergebant ramusculis hysopi,*
Calciati procedebant ex calceis piropi[84].
Qui tenetis horum loca in sanctis aecclesiis,
Similes illis estote in divinis preliis,
Triumphantes obviate falsis philateriis[85].
40 *Hercules hydram prostravit abscisis capitibus,*
Sic et vos supersedete malignis spiritibus,
Qui conturbant sortem nostram fraudulentis litibus.
Quidam Buzi[86], *sacerdotis proles detestabilis,* fol. 64'.
Contra vos, qui super omnes estis honorabilis,
45 *Debriat*[87] *nobis subiectos Arrianis crapulis.* 87
Iam invasit error iste quosdam de principibus,
Qui insultant universis nostris participibus;
Horum linguam lacerate ferreis forcipibus.
Surgite, ne timeatis contra eos pergere,
50 *Vestrum est talium sordes a nobis abstergere,*

79) Cfr. 1 Reg. 18, 27. 80) fidelia, a Graeco πιστικός. 81) militibus hastatis, a voce Saxonica *spara = hasta.* FR. 82) Cfr. Matth. 23, 24. 83) Gratianus cardinalis, qui et Gregorius VI papa, 55 anno 1046 ab Heinrico imperatore pontificatu privatur; cfr. Annal. S. Rudberti Salisburg. Monum. Germ. SS. IX, 773. 84) mixtura quatuor partium aeris et quintae auri, Graecis πυρωπός; cfr. Plin. H. N. XXXIV, 8, sect. 20. 85) Cfr. Matth. 23, 5. et Du Cangium s. v. Phylacterium. 86) Vide infra lib. VI, narrat. 1. 87) inebriat, ingurgitat. FR.

Te praesente cesset lupus fideles discerpere.
Quia igitur videtis quod non fuit primitus,
Multiformi cogitatu estote sollicitus,
Donec istud evellatur de terra radicitus.
Numquid patribus praemissis vos estis deterior? 5
Omni genere virtutum apparetis melior,
Natu, opibus, et sensu omnibus superior.

XXXI. 2.[a] Ammonitio ad Dionisium Placentinum episcopum.

88 *Domno Dionisio, planetarum gaudenti mixolidio*[88], *frater Benzo prudentiae oculum et* Eccl. 32, 21. *terampetie*[89] *poculum. Cum scriptum sit: „Sine consilio nil facias," cur me inconsulto per-* 10 *quisistis illicitas gratias? In privata autem re unusquisque in suo sensu habundet. In re vero* fol. 65. *communi *si gradimur per diverticula, multa e regione occurrent pericula. Quod minime per-spicitis, quia in vobismet tamquam iustus confiditis. Non est vobis cura de aliquo, quasi tutus in astutiae angulo. Cavendum est ne mordeat coluber calcaneum vitae, licet tria oscula por-* p. 1022 M. *rexerint vobis tres Caritae*[90]. *Prima enim fronti infixit osculum, per quod habetis incompa-* 15 *randae pulchritudinis flosculum. Secunda quidem hori aptavit basium*[91], *in quo geritis elo-quentiae bravium. Tercia vero deosculata est pectus, ubi reposuit sapientiae et scientiae questus. Hinc est quod nimia formositate Ganimedem obfuscatis, Tullium et Demostenen perorando con-culcatis, Salomonem vero in scientia praevolatis. Hinc est quod ad comparationem vestri omnes nos sine albedine, sine lingua, sine sale, comprobatis: hoc est Ethyopes, traulos*[92], *et* 20 *rancidos iudicatis. Totus igitur sapiens, facundus et pulcher, parvi curatis, limatus aut ferru-* Matth. 11, 28. *gineus nos feriat culter. Quid ergo erit nobis? Fugiamus ad eum qui dixit: „Venite ad me* fol. 65'. *omnes qui laboratis, qui trepidatis." Ego autem a vobis auferam *omnes larvas calamitatis. Non sit ergo nobis vanum quantotius*[b] *arripere consilium sanum. Quia iste formosus, iste fa-cetus, iste plus quam Salomon hic, non erit nobiscum istic aut illic. Sibi soli providet, suae* 25 *causae invigilat, flocci pendit qua occasione quisque deficiat. Sed huic tam diviti, tam potenti, ceteros hominum despicienti, unum deest. Porro unum est necessarium, quod non habet suum* 93 *viridiarium. Nam ubi Carite eum deosculando ditaverunt, Pystis, Helpis, et Agapis*[93] *a longe steterunt, dicentes: oscula Caritum ad tempus proficere, tantum in carnea superficie. Tempora-neam igitur altitudinem illius he tres reliquerunt, et humilitatem nostram visitare voluerunt.* 30 *Habeat ergo ille suas Caritas, et nos possidebimus trium sororum incomparabiles margaritas. Verum si dignamini redire ad participium pristinae societatis, nostra faciemus communia in unitate Trinitatis.*

XXXII. 3.[c] Ammonitio ad Cunibertum Taurinensem episcopum.

Gambara[94], *vetus avia, fuit de Scandinavia* 35
fol. 66. **Exul a regni terminis, cum paucis sui germinis.*
Quibus dixit: „O filii, sit vobis mens Pompilii,
Qui credulus Hegeriae vixit expers miseriae.
Si michi credideritis, vos pauci multi eritis,
Mecum caput eligite, sub quo securi vivitę. 40
Fides sit nostra domina, et regat nos per omnia,
Fide namque salvabimur, ubicumque morabimur."
Fidei stricti cingula animantur ad singula,
Fide fiunt inpavidi, ad triumphandum avidi.
Fide crevit gens barbara, sicut praedixit Gambara, 45
Regna devicit extera sacrae fidei dextera.
95 *Fides gerebat aquilam, parans torvis sandapilam*[95],
p. 1023 M. *Beneficio Fidei hostes fiebant lignei.*
Sacrae Fidei creduli Ungaros petunt Heruli,

a) XXXI *cod.* b) quā totius *cod.* c) XXXII *cod.* 50

88) h. e. ellychnium, lucerna. 89) sanitatis, a θεραπεύω. FR. 90) h. e. Gratiae. 91) id quod osculum. 92) balbos, blaesos, a Graeco τραυλός. FR. 93) Fides, Spes, Caritas. FR. 94) Cfr. Pauli Diac. hist. Langob. lib. I, c. 3. 7. 8. 95) i. e. νεκροφορεῖον, sive loculus in quo damnatorum cadavera efferebantur.

Ubi per quedam tempora hostica rumpunt pectora.
Post hec salutant Latium, et Ticini palacium,
Visitant multa alia, regnando in Italia.
Fides perseverantiam diligit et constantiam,
Dat infulas constantibus, regna perseverantibus.
Qui incipit et deficit, hunc ab horchestra deicit,
Nullus ei vult credere, qui tali sordet scelere.
Per annorum volumina tenuit mundi culmina,
Cum parvis et maioribus fuit multis temporibus.
'Huius erant signiferi seniores episcopi, fol. 66'.
Hanc firmant suis monitis in urbibus et compitis.
Sed venerunt heretici, ebrii et frenetici,
Erraverunt ab utero cum capite Lucifero.
Ibant per nostras curias suas docentes furias,
Facti servi perfidiae, delatrabant cotidiae
Contra fidem catholicam, nec non et apostolicam:
Sed victi a nostratibus, cessarunt a latratibus.
Nunc nequiores spiritus in nos faciunt impetus,
Conantur nos invadere, et perfidiae tradere.
Legem ructant bucolicam, et non fidem catholicam,
Quibus si terga dabimus, nichil est quod pugnavimus.
Si Patarini vicerint, quid nobis patres dixerint?
Quorum dignas memorias cantamus et victorias.
Patarinorum milia velut alga sunt vilia,
Fumus est horum fremitus, et phantasia strepitus.
Qui hanc umbram timuerit, cadaver, non vir, fuerit,
Quod sine flatu sternitur, et in cinerem vertitur.
Fortes estote, postulo, non vos seducat osculo
Quisque ridens sub oculis, praesentans hes[96] *in loculis*[96*].
Hoc falsum beneficium vertetur in exitium.
Finem rerum perpendite, calcaneum defendite.
Quid vestra 'sapientia, valet nunc si dementia? fol. 67.
Expoliat vos vestibus et nudos tradit pestibus.
Quicquid laici faciant, qui se fabulis saciant,
Stent firmiter episcopi, induti veste fidei.
Deum semper glorificent, et regem honorificent,
A fide non exorbitent, Patarinos excorticent.
Reddant Deo quod Dei est[97], *atque regi quod regis est.*
Implendo legem Domini erunt sicut apostoli.

4.[a] Hyporeiensi[98] episcopo. XXXIII.

Dic, sub modio cur lates, o lucerna praesulum,
Sapientiae vibratu qui lustrabas seculum,
Non in ira cohercebas in peccatis vetulum.
Heres enim es illius, qui nostras aecclesias
Libertavit, contra malos opponens macerias,
Honera nostra portavit tulitque miserias.
Domnus scilicet Warmundus, fratrum spes firmissima,
Contra faciem Damassi[99] *turris invictissima,*
Clypeus Hepaminundae[1] *ad tela nequissima.*
Hic Leonis Vercellensis[2] *extitit assecula*[3],
Quo lucente vanescebat zypheorum[4] *nebula,*

a) XXXIII *cod. corr. ex* XXXIIII.

96) aes. 96*) h. e. in sacculis; cfr. Ioh. 12, 16. 97) Cfr. Matth. 22, 21. 98) Eporedia, hodie *Ivrea*. 99) scil. Damasi II papae, qui a. 1047 Dec. 25, ab Heinrico III imperatore electus, die 9. Aug. a. 1048 mortuus est. 1) Epaminondae. FR. 2) Cfr. supra I, 34. p. 611. 3) assecla. FR. 4) caligantium, a ζόφος, caligo.

Cuius par non est in terra, nec erit in secula.
p. 1024 M. *Sub Leone et Warmundo fuit aetas aurea,*
Horum plantis erat supplex rabies aequorea,
Somata[5] *quidem gygantum fecerunt marmorea.*
Isti regum laterales et fortunae socii, 5
fol. 67'. *Quos volebant *abscondebant in sinibus ocii,*
Quosdam vero fatigabant cursibus negocii.
His patronis sacer ordo celebrabat sabbatum,
Ceteri, semper egroti, non tollebant grabatum[6],
Sed in multis cruciati, expetebant baratrum. 10
Numquid erant isti soli bellatores incliti?
Sibi dextras porrigebant invicem episcopi,
Aqua sancta se spargebant ramusculis hysopi.
Inter fratres detestanda nunc regnat divisio,
Quorum matres tuam matrem secuntur lamisio[7], 15
Quae effudit, quos abhorrent qui sunt in Helisio.
Nostros vero praecessores iungebat concordia,
Nos ab invicem seiungit invidens socordia,
Illi autem retinebant fidei primordia.
Unusquisque loco suo sydus erat rutilum, 20
Et nos sumus contra eos tenebrae et lubricum,
Angelus idcirco malus nos urguet ad Syrticum[8].
Ne accipiat in malum praesularis curia,
Si quid loquar de communi omnium iniuria,
Sine sensu reddit eos qualiscumque furia. 25
Cum sint nati de Minervae spiritali semine,
Ad ruinam quare vadunt deducente nemine?
Non iam viri deputantur, sed ut viles feminae.
Qui nos autem praecesserunt barones et incliti,
Magni precii fuerunt nullatenus timidi, 30
Apparebant phantasiis in vultu terribili.
fol. 68. **Melior fuit Landulfus*[9] *cum sua pinguedine,*
Quam sit domnus Cunibertus in metri dulcedine,
Non ad eum proximabant deceptorum neniae.
Pocior fuit Alricus, tardus corpulentia, 35
Quam sit Ingo, satis celer in adolescentia,
In humana qui confidit nimis sapientia.
Et quis nesciat Widonem, virum probatissimum,
Licet ei substitutus fingat se sanctissimum?
Ne quid nimis mandant fratres cogitet sepissimum. 40
Magnus Petrus tantus erat, quanta est Italia,
De quo vere procedebant tunc magna magnalia;
Quis audebit comparare sibi quaedam alia?
Placentinus Sigefredus, probitate praeditus,
Nullus ei coequatur, vel porphyrogenitus; 45
Inter homines morando versabatur coelitus.
Num Widoni et Rainaldo, regni propugnacula,
Similabitur vir ille qui pavet ut damula?
Hostes illi fulgurabant galaxei facula.
Quis erit ut Heribertus in mundi planicię? 50
Fuit enim christianae signifer miliciae,
Expurgavit sortem nostram fermento maliciae.
Et quis valet esse compar Riprando Novariae,

5) corpora. FR. 6) h. e. lectum; cfr. Marc. 9, 11. 7) lamentatione, eiulatu, uti contextus id indicat. FR. 8) Syrtes in mari. FR. 9) De Landulfo, notissimo una cum Arialdo Patarinorum duce vide Arnulfi gesta archiepp. Mediol. III, 12 sqq.; Monum. Germ. SS. Tom. VIII, 19. 55

Quem elegit crucifixus in loco Calvariae?
*Cum duodecim *est iudex plebis sinistrariae.* fol. 68'.
Magnus Leo, leo fortis, leo ammirabilis,
Poliphemum qui prostravit, inde venerabilis,
5 *Sine paribus est scriptus in supernis tabulis.*
Quid de nobis, quid de nobis, nimis peccatoribus,
Qui commune possidemus nomen cum maioribus, p. 1025 M.
Rebus aliis videmur peiores prioribus?
Quia sentit nos divisos persequens astutia,
10 *Penes eam sumus viles utpote pathnutia*[10],
Viscera nostra conturbat sua cataputia[11].
Vel post fugam nos ad tubam ducat verecundia,
Satis sit quod seduxerunt nos verba gerundia,
Sensibus non simus illi quos fovent crepundia.
15 *Rex in nobis multum fidit, et eum dimittimus?*
Nos a vulgo sequestravit ponens cum principibus,
Et ad alium migramus quo nichil iniquius.
Qui hec audis, de maiorum veniens progenię,
Fugientibus occurre dum est locus veniae,
20 *Consule quocumque modo potestati regiae.*
Imitaris Ciceronem, sequeris Salustium,
In katalago[a] *virorum es scriptus illustrium,*
Frange nostrae captionis perplexum gurgustium[12].
Si te trahit ad ruinam angelus invidiae,
25 *Et in te si praevalebunt hostiles insidiae,*
Timeo ne moriaris in sinu perfidiae.
Sta constanter homo Dei, verax cultor fidei,
**Esto fortis et robustus ad exemplar Tydei,* fol. 69.
Fient hostes te iubente confestim lapidei.
30 *Non ignoras quod est factum Gorgonis de capite:*
Dum contendere cum Iove voluissent Lapithe,
Palladis ope sunt facti duriores lapide.
Recondantur, pater sancte, in cordis sacrario,
Quae procedunt ex amici humilis armario,
35 *Per hec enim fies primus in regis solario.*

5.[b] *Fides veniens de summis coelorum culminibus,* XXXIIII.
Habitare cum terrenis voluit hominibus,
Ut terrigenas cum celsis vinciret ordinibus.
Circuivit ergo terram ambulans per patrias,
40 *Ima summis coniungebat calcans hydolatrias,*
Legem Dei praedicabat, confringebat statuas.
Quod Perfidia dum vidit, unum clausit oculum,
Monuit exorbitare iam fidelem populum,
Porrigebat quibuscumque caecitatis poculum.
45 *Hoc aiebat: „Nemo credat Fidei sermonibus,*
Illa vult vos coaptare legitimis moribus,
Ego vobis laxo frena patefactis foribus.
Clausus erat protoplastus in quodam pomerio,
Fides eum cohercebat sub legis imperio,
50 *Ego reddidi solutum rupto monasterio.*
Statim autem ut momordit meo iussu vetitum,
Valvas orti[c] *reserando praeparavi exitum,*

a) *sic cod.* b) XXXIIII *cod. corr. ex* XXXV. c) *id est* horti.

10) stabulum vel vile receptaculum, a φάτνη stabulum. FR. 11) medicorum pillulae. FR. 12) locus
55 coarctatus ad capiendos pisces. FR.

fol. 69′.

In sudore cybum sumat quod est morsus meritum.
Et qui erat paradysum peragrare solitus,
Mundus ei mancipetur in maligno positus;
Non sit requies in illo ante diem obitus.
Ne sit nudus, vestiatur tunica pellicia,
Velit, nolit, consenescat in nostra militia,
Ad portandos hunc curvabit fasces avaricia.
Quem cupiditas docebit aliena quaerere
Qualicumque quibit modo, etiam cum scelere,

p. 1026 M.

Et tenacitas monstrabit fossis cuncta credere."
Talibus deliramentis congregantur perfidi,
Et qui sunt quocumque modo ad peccandum fervidi,
Et Medea fascinante qui videntur herbidi[13]*.*
Cahin profugum et vagum caput sibi eligunt,
Sub quo urbem construentes, muris eam sepiunt,
Concedatur ut abusus communiter exigunt.
Tunc deceptrix horum dixit: „Non detur abusio,
Nisi generis humani veniat confusio,
Et discurrat inter eos demonum illusio.
Adsint collo cum inflato filii superbiae,
Eos quidem consequatur phalanx linguae tertiae,
Et fatuitas quae caret spiritu sollertiae.
Nec hypocritarum desit biceps satellicium,
Qui simplicibus illudunt per falsum cilicium[14]*,*
Et, ut sancti videantur, ungunt capillicium.

fol. 70.

Veniant omnes latrones, mendaces et subdoli,
Baratrones et periuri, rapaces, adulteri,
Et paterno qui non timent interesse funeri.
Et velatas[15] *qui usurpant, quod est exsecrabile,*
Et qui fiunt Sodomite, malum detestabile,
Et quicumque fornicantur, pus intollerabile.
Si qui forte commiserunt dictu horribilia,
Sicut culleo consuti protestantur hylia[16]*,*
Cicius introducantur ut cara familia.
Omne scelus, omne crimen, intrent in hec moenia,
Traditores huc accurrant velut ad hencenia[17]*,*
Et quicumque desperantur quod est sine venia.
Non huc intrent sacerdotes, foris stent episcopi,
Quia se vicissim spargunt ramusculis hysopi,
Quorum manus est porrecta pupillo vel inopi.
Meis intus congregatis, urbi nomen inferam,
Et abusum, quem exoptant, sanccire non differam,
In commune personabo tabulam mortiferam.
Huic urbi sit aeternum nomen Babylonia,
Ibi enim perditorum locetur colonia,
Stridor dentium et luctus sit pro alimonia.
Vos, o mei, sine fide quicquid vultis facite,
In delicti volutabro licenter vos iacite,
Voluptatibus vacate, neque gulae parcite.
Cenodoxia[18] *vobiscum sit, et phylargiria*[19]*,*

13) herbas seu gramen, id est, nova peccata proferentes; vid. Colvenerium in Glossar. ad Baldricum. FR. 14) scil. vestimentum ex pilis caprarum et hircorum contextum; cfr. Matth. 11, 21. 15) moniales, velo amictas. FR. 16) i. e. ilia, viscera. 17) encenium, Graecis ἐγκαίνια, convivium est, et illud maxime quod in sollenni alicuius inauguratione paratur. 18) κενοδοξία, gloriae cupido. 19) φιλαργυρία, avaritia.

*Vobis *enim ministrabunt planctum et suspiria,* fol. 70'.
Et perducent in infernum ad mille martyria."
Sancta Fides sumptis paucis struxit cymiterium,
In quo gentis christianae posuit imperium,
5 *Habel quoque sui gregis fecit primicerium*[20]. 20
Et vocavit nomen eius diva Hierusolima,
Ubi omnes coronantur honore et gloria
In runcina qui conflantur, ut sint sine scoria.
Ibi iusti ordinantur, mites et pacifici,
10 *Et qui habent cor contritum, genus sacrificii,*
Et qui sunt humilitatis veraces nutricii.
Et qui amant castitatem et colunt ieiunia,
Et qui tristes consolantur effusa peccunia,
Et qui sua cum egenis faciunt communia.
15 *Qui observant, quod est scriptum in duabus tabulis,*
Qui avertunt aures suas a mundanis fabulis,
Quorum mentes sunt inmunes criminosis maculis. p. 1027 M.
Cum hierarchis et prophetis Fides regnum tenuit,
Usque quo Maria virgo Deum nobis genuit,
20 *Per apostolos deinceps cum multis consenuit.*
Non in sanctis prevalebat multiplex martyrium;
Fides oculos purgabat quasi per collyrium[21],
Tamquam aurum colorati petebant hempyrium[22].
Post per magnum Constantinum subiugavit seculum,
25 *Mundo corde se videbant cuncti non per speculum,*
Renitebat inter omnes sacer ordo presulum.
**Sed Constantius a fide disscessit cum Arrio,* fol. 71.
Fecit plures egrotare in morbo psiatico[23],
Qui non bene sentiebant de nostro paraclyto[24].
30 *Sic paulatim defluxerunt tamquam stillicidium,*
Operantes in se ipsos stulti homicidium,
Et a fide exeuntes fecerunt discidium.
Heu! campum occupavit deceptrix Perfidia,
Eam quippe instigavit turbatrix Invidia,
35 *Sed a nostrae sortis Fides secessit presidia.*
Hiis exceptis ad hanc pestem convolarunt ceteri,
Transgressores sunt effecti cum homine veteri,
Et a fide alieni et a Deo exteri.
Currunt enim tamquam pisces ad alta vivaria,
40 *Aula Dei iam remansit quasi solitaria,*
Et derisui habentur Domini altaria.
Nova monstra Patarini, famuli Perfidiae,
Sicut vermes de fetore nascuntur cotidię,
Cursu demonis permixti, qui currit meridie.
45 *Non formidant sacerdotum apices invadere,*
Et conantur astra coeli de supernis trahere,
Hoc est, presules a fide, heu! cohartant[25] *cadere.* 25
O beati successores patrum precedentium,
Qui iam estis ordinati in terra viventium,
50 *Ne velitis terga dare quisquiliis gentium.*

20) Primicerius primus est cuiusque ordinis. 21) Cfr. Horat. Serm. I, 5, 30. 22) h. e. coelum, Graecis ἐμπύρεον. 23) ψίαθος, matta, teges ex iunco aut papyro confecta; inde sub morbo psiatico squa-
55 lores et aerumnae carceris, hominibus semper psiathis incubare coactis, mihi videntur intelligi, quibus Constantius ab Arianis seductus in orthodoxos saevivit. FR. Immo = *sciatico*, Graecis ἰσχιαδικός. Cfr. Mon. Germ. SS. VI, 632, 3. 24) Legendum *paracletus*, nam paraclytus = infamis, male audiens. Cfr. infra praefat. lib. VI. 25) Coartare i. q. cogere.

fol. 71'.

*Unusquisque suae *urbis patronum prospiciat,*
Eius dicta atque facta infidis obiciat,
Et a fide christiana nequaquam deficiat.
Nostri sancti nil timebant latrante tyranide[a],
Neque fidem abscondebant sub terroris clamide. 5
In aecclesiis sunt modo mali sub pyramide.
Vos, qui estis digna membra gloriosi capitis,
Non videtis persequentem, et iam fugam capitis?
Sic timetis, ac si esset certamen cum Lapithis.
State, state, Fides vera fideles non deserit, 10
Si quis autem eius iura ignoranter preterit,
Revertatur, ei portam statim Fides aperit.
Et si stellae cecidissent de coelis ad Tartarum,
De Novariensi sole[26] *quis sentiret catharum*[27]*?*
28 *Qui adversus Ophyaltem*[28] *deportabat labarum.* 15
Hoc si Moysi levita murmuret aut presbiter,
Vel si angelus de coelo susurret hoc leniter,
Anathema super eum descendat celeriter.
Nam in eo rex et fratres simul requiescimus,
Et per eum emundamur ab his quae neglexinus, 20
Eo quidem veniente fugit hostis pessimus.

XXXV. 6.[b] Item ammonitio ad archiepiscopum[29].

Priorum vita presulum aureum vidit seculum,
p. 1028 M. *Fructus pacis cum gaudio habens non sub modio,*
fol. 72. *Sed palam *coram omnibus, foris et in domibus.* 25
Nusquam erat turbatio, totum regebat ratio,
Quiescebant terrestria, veluti coelestia,
Devote stabant clerici, ut chori angelici.
O tempora felicia, sine doli malicia,
Sine sollicitudine, sine turpitudine, 30
Erroris absque nebula, tota patrum secula.
Nobis aliter accidit, nam unusquisque aspicit
Quantas patimur furias, quantas et iniurias,
Non potest penna scribere cunctas fraudes vipere.
Infernus totum vomuit quod habet et quod potuit, 35
Turbavit terram, maria atque sanctuaria,
Ad quem debemus fugere, ausus est concutere:
Hoc est principem principum, qui tenet legis vinculum,
Ipsum temptavit preliis, divulsis maceriis,
Opponens ei hydolum falsum atque frivolum. 40
Inter nos facit scismata, blasphemando karismata,
Quae fiunt in aecclesiis, quibus obstat heresis;
Quod cernimus cottidie, non est opus dicere.
Altera fides colitur, cui qui credit moritur,
Hanc Patarini predicant, aras ei dedicant, 45
Contempnunt sacrificium, et dignum officium.
Antichristina tempora quorumdam tenent pectora,
Ob hoc quidam episcopi, sponte facti miseri,
Heu! relictis labaris, adheserunt Pataris.
fol. 72'. **Tu solus es in prelio, decertans pro imperio,* 50
Et pro fide catholica, atque apostolica,

a) *sic rhythmi causa cod.* b) XXXV *cod.*

26) sole, h. e. episcopo. 27) Cathari, Graecis καθαροί, haeretici sunt; unde nos: *Ketzer.* 28) h. e. Ephialtes, Aloi filius, de quo cfr. Homeri Il. V, 385. 29) scil. ad Theodaldum, Mediolanensem archiepiscopum. 55

Achates[30] *ante faciem vadit sternens aciem.* 30
O signifer aecclesiae, archos pater egregie,
Quem cernis non deficere, sed magis proficere,
Presenta tuis litteris ante vultum principis.
5 *Dic regi quanta pertuli, quando Zabulum expuli;*
De Romanis palaciis, et gazophylaciis
Ad regis amiciciam retorsi militiam.
Quis dabit ei meritum, qui sic tenet anhelitum?
Si Ticini palacium dabitur et Lacium,
10 *Non erit redhibitio tanto pro servicio.*
Tu pater, videns militem armis fidei divitem,
Decet ut verbis liquidis aurem pulses principis,
Huic quo reddat premium post tam longum prelium.
Talionem qui viderit, ad pugnam mox redierit,
15 *Frontem monstrabit frontibus, factus hostis hostibus,*
Aquilas trudet aquilis in belli spectaculis.
Tu, qui crucis signaculum baiulas contra Zabulum,
Dum mea laudas vulnera, tua quaeris munera,
Cum agonistam predicas, temet ipsum dedicas.

20 7.[a] Hyporeiensi episcopo. XXXVI.

Desolatur omne regnum vadens post divortium,
Viles fiunt sequestratae legiones fortium,
Heresis latenter fodit scrobes mille mortium.
Unus dicit: ',,Ego Pauli", ,,Sum" alter ,,Apollinis," fol. 73.
25 *Tercius Cephe se iactat celsioris nominis,*
Sic dividere conantur Christum Deum dominis.
Buzi quidam sacerdotis proles putidissima
Novos facit Buzianos seminando scismata,
Contradicit consecrandis divina karismata.
30 *Nullus hominum occurrit inportunis canibus,* p. 1029 M.
Delatrantes nemo terret, nec fuste, nec manibus;
Similes sunt conticentes picturis inanibus.
Tu, defensor veritatis, ne petas latibulum,
Pedites asta[31] *pulsare, quale est periculum?*
35 *Ut crementur, fac ligari tales in fasciculum.*
Non es homo sine sale, trito plenus pipere,
Oleo perunctus sacro, non cruore viperae,
Nil habes cum Hysmahele, filius es liberae.
Spiritus etenim Christi tuis est in naribus,
40 *Quanta tibi facit Deus, ne abscondas paribus,*
Vice Petri nos confirma dictis salutaribus.
Omnibus rite locatis, mei curam adhibe,
Me presenta regi nostro litterarum adipe,
Dic, quid passus fui Romae pugnando cum haspide[32]*;* 32
45 *His adiunge quod pro rege incensanter*[b] *dimico,*
Hostem ferio lapillis de vase Davitico,
Me bellante iacet hostis, compar paralitico.
Tuis verbis adhornato Benzonis audaciam,
Qua lacesso, qui non recte tenet neomaciam[33]*;*
50 *'Donec laxet quod usurpat, nullum finem faciam.* fol. 73'.
Quod se decet, regis honor diligat iudicium,
Et remuneret clementer fidelis servicium,
Approbabit istud Plastes plus quam sacrificium.

a) XXXVI *cod.* b) *sic cod.*

55 30) socius Aeneae, de quo inspiciendus est Virgilius. 31) i. e. hasta. 32) h. e. aspide. 33) novam pugnandi rationem, a μάχη. FR.

XXXVII. 8.[a] Omnibus episcopis.

Caput peccati fuit Superbia, de qua sunt scripta multa proverbia.
Ipsa temptavit primitus angelos, quosdam illorum fecit diabolos.
De paradiso proiecit hominem, omnium rerum conturbat ordinem.
Seminat lites atque discordias, Christi non cantat misericordias. 5
Pulsat tyramnos[b] obstare regibus, federa rumpit neglectis legibus.
Certare docet caudam cum capite, ut presumpserunt cum Iove Lapithae.
Preponit gregem suis pastoribus, posteriores prefert prioribus.
Subruit urbes atque palacia, christianorum non vult solatia.
Subvertit regna, curvat imperia, culmine lapsos replet miseria. 10
Exemplo nobis est Babylonia, moenia cuius servant demonia.
Et rex illius effectus bestia, nos saciari docet modestia.
Qui delectatur quidem superfluis, ad instar regis erit cum bestiis.
Qui se castigat damnis alterius, huic dicetur „Scande superius".
Ad Deum nostrum sint nostri oculi, ab ipso datur potestas populi. 15
fol. 74. *'Si potestati resistunt aliqui, Deo videntur esse contrarii.*
Eradicantur de loco penitus, quos repentinus vorat interitus.
Non remanebit horum posteritas, haec est vindicta quam facit veritas.
Cui de factis redditur racio, per cuius manum fit ordinatio
Regnorum, regum et magistratuum, orbis terrarum et potentatuum: 20
Huic agamus sedulo gratias, cesari nostro quo det pancracias,
Atque triumphum iugis victoriae, qui est rex regum et Deus gloriae.

XXXVIII. p. 1030 M. 9.[c] Ad episcopum Papiensem.

Honor regni, Wilielme, rector Papiensium,
Annis vivas quot sunt undae aquarum currentium, 25
Videas post Dei bona, in terra viventium.
Bonitatis tuae fama iam transivit maria,
Angeli te inphulatum ducunt ad altaria,
Tua vita toto orbi sat est necessaria.
Salvet Deus Heinricum, regem nobilissimum, 30
Veritatis defensorem et christianissimum,
Qui prefecit te Papiae presulem dignissimum.
Ergo decet, ut pro rege nunc in campum salias,
Et a lupis tuearis nos et oves alias,
Ecce tempus pariendi, iustum est ut parias. 35
Postquam rex te ad honorem levavit feliciter,
fol. 74'. *Sancti Syri ampliavit 'aulam multipliciter,*
Ut se ipsum te et tuos amat unanimiter.
Respondere debes certe tantis beneficiis,
Hostibus regis occurrens mille artificiis, 40
Omnibus ostende qui sis, talibus indiciis.
Non ab arbore procedis vili nata genere,
Sed de cedris paradisi, uti possunt cernere
Qui cognoscunt tuam gentem delapsam ab hethere.
Dictis, factis, ut oportet, redde sua cesari, 45
Inimicos eius merge in profundum trenari,
34 *Holofernem redde truncum cum filia Merari*[34].

XXXVIIII. 10.[d] Omnibus episcopis.

Quod cyniflones[35] fidem flocci pendunt, oleum quoque somnolentis vendunt[36],
Qui sapit tantum ad sobrietatem, subsannat prorsus hanc fatuitatem. 50
Bilinguis turba crevit super numerum, veluti muscae ad fetorem vulnerum,

a) XXXVII *cod.* b) *sic cod.* c) XXXVIII *cod.* d) XXXVIIII *cod.*

34) h. e. cum Iudith; cfr. Iudith 8, 1. 35) ciniflones = stolidi; cfr. Horat. Serm. I, 2, 98. 36) Alludit auctor ad parabolam de virginibus fatuis et prudentibus, de qua cfr. Matth. 25, 1 sqq.

Hos scribit mundus in suis matriculis, vix invenitur fides in christicolis.
Non derivantur tales ab origine, sed de novella fluunt scaturrigine,
Undique versus effundunt hanc nausiam, per omnes terras et ad usque Scotiam.
Ab universis erratur ordinibus, remansit fides in paucis hominibus,
5 *Sed electorum melior est paucitas, quam dissonantum infidelis raucitas.*
**Fidem servanti nil nocebit fascinus, ibit in vanum ut vapor fumacinus,* fol. 75.
Adversus crucem nichil est illusio, contra veraces nil valet abusio.
Cur Patarinos timetis, episcopi? Vos enim purgat fasciculus hysopi,
Illos condempnat quod amant, mendacium, ut psycophantam[37] *dampnavit Acacium.* 37
10 *Aecclesiarum vos columpnae aureae, tumentem flatum non curantes boreae,*
In fide recta durate viriliter, state cum rege omnes unanimiter.

11.[a] Item ad Dionisium Placentinum episcopum, ex parte Albensis episcopi. XL.

Senex puerum portavit, porta puer vetulum,
15 *Quia nimis conturbatum me conturbat seculum,*
Mei curam geras, precor, tu o gemma presulum. p. 1031 M.
Est humanum atque pium condolere miseris,
Cynis[38] *enim oblivisci numquam debet cyneris,*
Ora ergo pro infirmo liberior liberis.
20 *Quae torquebat pedes meos passio diutina,*
Ea capitis invasit preciosa lumina,
Unde fluunt intermisse[39] *lacrimarum flumina.* 39
Quia desum, tu adesto pro me in iudicio,
Et sicariam dic legem heresis de vitio,
25 *Quae presumpsit contra Deum in orbis initio.*
Sta pro rege contra omnes suos adversarios;
Fecit enim te et tuos in regno primarios,
**Creans eos chyliarchas, hoc est millenarios.* fol. 75'.
Duplex causa te invitat, ut pro rege dimices,
30 *Dedit tibi summas Alpes, quas tenebant hybices,*
Prestitit ut istos plantes, aliosque dissipes.

12.[b] Item universis episcopis. XLI.

In sanctis narratur aecclesiis, quod homo sit kyrrios[40] *bestiis,*
Utens est quippe rationibus, quod denegatum est peccoribus.
35 *Intellectus ei tribuitur, per quem flammis coeli coniungitur,*
Erectus sursum habitudine, ornatur linguae pulchritudinę.
Honoratus talibus graciis, nec non angelorum solaciis,
Paradisi possessor extitit, quem instigante gula perdidit.
De hac quod cecidimus gloria, dum recolit nostra memoria,
40 *Amari cordis crebra suspiria indesinenter pulsant hylia.*
Nec mirum, si deficit animus, ubi caro sudat pro panibus,
Suavitatis usa aedulio nunc rodit fabas ut gurgulio[41].
In quanta versamur miseria proferre nequisset Hegeria,
Quamvis egressa de gente superum, quamvis invenit prima numerum.
45 *Invidia pulsi de patria, cuius spaciosa sunt atria,*
Ad tenebrarum ducti exilium, amamus vana rerum vilium.
*Cur aurem prebemus diabolo, qui serere *suadet in sabulo,* fol. 76.
Postquam erit corpus exanimę, sterelitatem mavult animae.
Mundi brevitatem diligere, hoc est bestialiter vivere,
50 *Revertamur ad vitae moenia, ubi aeterna sunt henceniа*[42]. 42
Duobus servire qui nititur, stultissimus omnium dicitur,

a) XL *cod.* b) XLI *cod.*

37) sycophantam, mendacem. FR. 38) cinis. FR. 39) h. e. sine intermissione, continuo.
40) κύριος, h. e. dominus. 41) i. q. curculio. 42) Vide supra cap. 5.

Calicem Christi qui vult bibere, venenum prorsus spernat vipere.
Brutorum est ire post seculum, quem cernunt flagitiis vetulum,
Ceci cum ceco ad precipitium eunt, sequendo mundi vitium.
Pro rebus caducis et vilibus cur nostrum Factorem negligimus?
Qui nos redemit cruore proprio, ne simus hostis sub obprobrio. 5
Ne simus perpetuo miseri, propinqus[a] *dignatus est fieri,*
Nos coheredes sibi voluit, nostrae ruinae nam condoluit.
43 *Confratres fecit de manzeribus*[43]*, purissimos reddens sceleribus.*
Deo nostro fiet iniuria, si nos usurpet orbis furia.
Quos ratio prefert pecudibus, cum porcis cur gaudent paludibus? 10
Utantur magis propria differentia, flocci pendentes hec presentia.
Ne perdamus perpetem gloriam propter vitae brevis memoriam,
Infelix erit in perpetuum, cui arridet presens seculum.
p.1032 M. *Transit mundus cum phylargiria inferni, quae parat martyria,*
fol. 76'. *Ubi est luctus et iuge *scandalum, ubi deludit urna Tantalum.* 15
Quid prodest in transitu tangere, quae tactu parturiunt plangere?
Linquamus ergo Adae pellicias, supernas amemus delicias.
Habere debemus agalmata, quae perdidit primus apostata,
Humilis quidem nostra plantatio, constat ruinae reparatio.
Veraciter angeli erimus, si spiritu ambulaverimus, 20
Ad Flegetonta nullus descenderit, ni qui diabolus devenerit.
Ergo, seniores episcopi, estote pro rege solliciti,
Quid vobis fecit rex perpendite, et causas eius vos defendite.

XLII. 13.[b] Ad Burchardum episcopum et cancellarium.

Gratulamur te venisse, pater cancellarię, 25
Te suscipimus in ulnis omnes voluntarię;
Sapienter cogitato, quid dicas primarię.
In exordio loquendi monstra letam faciem,
Neque palpebris abscondas oculorum aciem,
Te clarissimum ostende, lucens ultra glaciem. 30
Sint dulces sermones tui atque delectabiles,
Quibus reddas auditores mites et placabiles,
Ob hoc enim erunt omnes tanquam petra stabiles.
Hos conforta, promittendo senioris gratiam,
Post hec quaere, si blasphemant illius audaciam, 35
Qui usurpat contra Deum Petri neomaciam.
Istis diu replicatis in conspectu omnium,
Dic de novis Buzianis, qui non colunt Dominum,
fol. 77. *Legem *namque christianam dicunt esse sompnium.*
Asserunt, non esse regem, neque sacerdotium, 40
Ni per fascinum Hyrcani fiat hoc negotium,
Missas dampnant, docent suos sedere in ocium.
Consecrari dedignantur, transgressi inducias,
Quae iubent infra tres menses venire ad nuptias,
44 *Kanones divinos putant nugales pathnutias*[44]. 45
Cum clamore hos subsanna, audiente populo,
Et ne bibant, cunctos mone, heresis de poculo,
Immo vindicent in eis, spreto Iudae loculo.
Unum est de quo te volo, pater, cautum reddere,
Hadeleidam[45] *appella in regali federe,* 50
Voca eam regis matrem, si vis hostem perdere.

a) *sic cod.* b) XLII *cod.*

43) manzer = spurius, nothus. 44) Cfr. supra cap. 4. 45) Adelheida, comitissa Taurinensis, de qua cfr. infra lib. V, 10 sqq.; obiit a. 1092, 14. Kal. Ian. Vide Bernoldum Constant. a. a. 1091; Mon. Germ. SS. V, 453. 55

Per legatum clama eam magistram concilii,
Dominam atque ductricem communis consilii,
Ut Hegeria dux fuit in causis Pompilii.
Aquilam de coelo trahis si hoc, pater, dixeris,
5 *Et plumabis non moventem qua parte volueris,*
Plus profuerit hoc regi thesauris innumeris.
Ne abhorreat magister quod dicit discipulus,
Habet enim umbram suam cuiusque capillulus,
Si me audis, disrumpetur cannabae[46] *funiculus.* 46
10 *Si destruere confidis illius dividias*[47],
Qui conturbat regem nostrum per suas insidias,
Plus est regi, quam si dares trans mare Numidias.
**Scio enim quibus vinclis Protheus ligabitur,* fol. 77ᵃ.
Quo ligato rex cum grege ad coelum levabitur,
15 *Et aecclesia sub rege in pace morabitur.*

PRAEFATIO LIBRI QUINTI. p. 1033 M.

Etsi non omnia possumus omnes, tamen pro secundum posse sumus debiti, Deo et regi pro acceptis beneficiis cottidianas reddere laudes. Unusquisque de se videat, utrum Deum et regem veraciter diligat. Erga igitur herile obsequium, quanta est flamma Benzonici 20 amoris, ex antecedentibus et consequentibus potest experiri prudentia lectoris. Non est enim suae opis, singulatim exprimere universas temptationes fortunae, quibus est vexatus cesar, adhuc iacens in gremio puerilis cunae. Sine intermissione quidem conturbatus est in sua adolescentia, sive bellorum furiis, seu malignantium iniuriis. Transiens autem frater Benzo per prata regalium accionum, collegit aliquos flores plenos hodorum. Ut ab his va- 25 leat cesar Heinricus, Romanorum imperator augustus, relevare animum, postquam fuerit fatigatus multiplici lectione suorum annalium. Amant enim alterna Camenae, nam in fastidium vertitur indesinenter sumere potum ex scaturrigine unius venae. Quapropter, sicut supra scriptum est, decerpsit frater Benzo purpureas rosas *ex multitudine regiae actionis, fol. 77ᵇ. quae hodorifero halatu trahant cesarem augustum ad sententias huius lectionis. Decet uti- 30 que quatenus omnes ordines ex provinciis regnorum, quae sub se continet Romanum imperium, ut afferant suo imperatori munera, unusquisque iuxta suae professionis ministerium. Et presertim sacerdotes et levitae, quos episcopos faciens elevat ultra cyclum senis Abderitae[48]. Inter quos frater Benzo, omnium minimus, offert ea quae indicat quinti codicis 48 tytulus.

35 ## *INCIPIT LIBER QUINTUS. fol. 78.

1.[a] Postquam cesar Heinricus galaxeum petiit,
Omnibus ab helementis omen grave exiit,
Quia fraus cum dolo foedus contra fidem pepigit.
Sol in tenebras est versus, et luna in sanguinem,
40 Piscibus ostendit mare tunc mortis hymaginem,
Tellus solitam negavit herbarum propaginem.
Quicquid monstri fuit usquam confestim apparuit,
Libanus in suis cedris vehementer aruit,
Babylon erexit caput, Cades palma caruit.
45 Mox in campum salierunt spiritus silvatici,
Patarini et ambrones[49], simul et artabati,
Atque ligna colligentes sacro die sabbati.
Senes puerum portantes errarunt ab utero,
Qui sub cesare sedebant in loco deutero[50], p. 1034 M.
50 Sed apostatantes cadunt a cardine supero.
Conspirantes contra matrem, contra regem filium,

a) *deest numerus in manuscripto.*

46) i. q. cannabis. 47) discordias. FR. 48) Democriti. 49) luxuriosi, profusi. 50) secundo. FR.

Statuentes separatim, hinc rosam, hinc lilium,
Hos privatos facientes, scandunt super titulum.
O Deus, habyssus multa tua sunt iudicia,
Quae sunt cunctis veneranda tamquam sacrifitia,
Licet ea nesciamus quorum sunt indicia. 5
Quid est, quod se potuerunt a fide pervertere?
fol. 78'. Cum fuissent, *mundo teste, erecti de stercore
Ab Cuonradi Heinrico, Romanorum cesare.
Hismahel quidem effecti, insecuntur puerum,
Ut pilosi se vicissim clamant alter alterum, 10
Faciunt opus servile, omne genus laterum.
Ab hiis sumpsit monachellus publicam audaciam,
51 In constituendis vappis[51] per nummi fallaciam,
Cum pecudibus Romanis tenens neomaciam.
Qualemcumque despascebat in stabulo asinum[52], 15
Per quem posset precantare stolidorum fascinum,
Illi cruscas[53], sibi dabat panem similaginum.
Sed Prandelli Asinander, asinus hereticus,
Congregavit Patarinos ex viis et sepibus,
Et replevit totam terram urticis et vepribus. 20
Qui dicebant: *Non est templum, non est sacerdotium;*
Nuptiarum improbabant stabile negotium,
Sacrifitium ridebant, sedentes in ocium.
Non est Deus asserentes, quid apostatacius?
Facti sunt ut Symon magus, ut mendax Acacius, 25
Non refugiunt ad petram sicut herinacius.
Omnes pene se iuncxerunt hiis antichristalibus
Et presertim baculares dant sinistras talibus,
Sociati parant bellum viris principalibus.
Cum dedecore pellatur ab Urbe circellio[54], 30
fol. 79. Orthodoxus *ordinetur in Petri subsellio,
55 Cuius caput gestet mitram de lapide bdellio[55].
Heinricum talis debet coronare cesarem,
Totam legem qui cognoscat et novam et veterem,
Temperans cum fletu potum et manducans cynerem. 35
Destruat quod Asinander et Prandellus monuit,
Nam uterque contra fidem catholicam docuit,
Et per omnes civitates error ille nocuit.
Quia nemo mei memor in tantis laboribus,
Quibus Romae desudavi pro regis honoribus, 40
Quaedam paucis explicabo, rex magne, sermonibus.
Bellum egi cum Prandello atque cum Badaculo,
Qui thesaurum sancti Petri ponebant in sacculo,
Eos expuli ab arca, potitus pinnaculo.
Omnes nobiles Romani, nati ex patriciis, 45
Erant mecum colligati arcae beneficiis,
Capricornes tuebantur solis glandariciis.
Decet tantum seniorem servo vicem reddere,
Quem blandicie nec mine cogunt terga vertere,
p. 1035 M. Qui non timuit pro eo semet ipsum perdere. 50
Cesar, spes aecclesiarum, stude sapientiae,
Quae tibi servabit arcem Romanae potentiae,
56 Ante te vadens cavebit gonos[56] fraudulentiae.

51) Vappae = homines vili ac inutiles. 52) scil. Nicolaum II; cfr. supra lib. III, 10. 53) crusca = furfur. 54) Circulator, qui quaestus causa circumit, et circulos vel conventus cogit: hinc *circellio*, qui sub habitu monachi undiquaque vagatur. FR. 55) Cfr. Genes. 2, 12. 56) genus. FR. 55

Nam si rex phylosophatur, quid est gloriosius?
Hoc fecit Iustinianus, hoc *et Theodosius; fol. 79'.
Id exsequere, quod constat auro preciosius.
Imperator Heinricus, pater tanti filii,
5 Sapienter rexit sceptrum summi domicilii,
Septem artibus ornatus ad instar Pompilii.
Dignum est, ut tu patrisses[57] in celsis honoribus: 57
Redde patri suam formam corde, manu, moribus;
Prestet Deus, ut hoc agas in multis temporibus.
10 Triumphator Heinrice, ad te supplex fugio,
De profundis medullarum ad te solum mugio,
Ut qui populantur sacra perdat tuus pugio.
Dextram porrige iacenti in porticu laticis,
Quem non angelus, sed demon, turbat cum scismaticis
15 Et cum hyrcis et cum capris, cum porcis silvaticis.
Non demergat me in amnem milleformis vipera,
Mortis vulnus ei detur de manu legifera,
Et a plagis universis omnes tuos libera.
Si hec facis, carus Deo eris et hominibus,
20 Per te fiet pax in terra et in cunctis finibus,
De te Dominum laudabit universus spiritus.

2. Rex cleoneus[58] hoc operetur, 58
Quod Ptholomeus, qui Moysei dulcia scripta transtulit ad se
*Sorte relicta demoniorum, sorde remota sortilogorum. fol. 80.
25 Fretus at ille horthographya, quam dedit orbi sancta Sophia,
Regna potenter subdita rexit, et sapienter omnia gessit.
Sed quia paucis vivitur annis, et breve tempus transit ut amnis,
Hinc querebatur, et brevitatem insequebatur
Talia fando: *Vita caduca, cur tibi spondes tempora multa?*
30 *Es brevis, arta*[59], *crimine farta, tu velut umbra, non eris ultra;* 59
Te nimis odit candida turba,
Testolidorum castra virorum, cum quibus omnis grex asinorum,
Et ciniflones et nebulones, et baratrones[60]
Farmacopole[61]*; hoc genus omne*
35 *Te venerantur atque secuntur:*
Hoc ideoque, quod tua leva
Donat eisdem lilia, flores, et ruituros prorsus honores.
Sed velut hostis omnia tollis, es quia facta vernula[62] *mortis.* 62
Quis, rogo, credat huic male fide, quae veniendo gaudet abire?
40 *Quicquid ab illa quisque rapinat, cum morietur omne resignat.*
Sed tamen illa crimina sola laxat eisdem vita dolosa.
Protinus illa, felle remoto respiciens hunc lumine torto,
*Taliter infit: fol. 80'.
Si rea dicor, est tua culpa, qui male facta credis inulta,
45 *Nam tibi rerum largior usus, tu quoque vertis hos in abusus,*
Plura reponis stultus in arca, quae tibi tollet tercia Parca[63].
Ergo quod hora dat tibi presens, utere prudens, utere clemens,
Non retro linquas quod dare debes, est male fidus forsitan heres; p. 1036 M.
Sed quod habundat, te quoque dante, si michi credis, vadat in ante.
50 *Sum tibi parva, sum tibi curta,*
Sic iubet auctor, qui bene iuncta longat et artat tempora cuncta.
Ergo magistra sit tibi vita preteritorum, rex bone, regum gemma priorum;
Nos rege, serva, phylosophando et miserorum dampna levando,

57) patrissare = patrem imitari. 58) gloria iuvenum, a κλέος et νέος. FR. 59) arcta. FR. 60) im-
55 postores. FR. 61) pharmacopolae. FR. 62) verna. FR. 63) scil. Atropos.

In quibus unus, nomine Benzo, te petit, o rex, poplite flexo,
Ut sua curans vulnera tangas, atque luporum guttura frangas;
Sic faciendo ibis ad illum, qui pie nutrit quemque pusillum.

3. Divo Heinrico cesari augusto.

Deo nostro demus omnes honorem et gloriam, 5
Qui Heinrico, regi magno, contulit victoriam,
Atque sibi adversantes convertit in scoriam.
Te Plastes a ventre matris dignatur protegere,
fol. 81. Ipso *quidem obumbrante, quis valet te ledere?
Versipelles morientur in proprio scelere. 10
Ergo, rex, Omnipotenti semper refer gratias,
Deprecare quo suetas non neget pancracias,
Donec eodem iubente finem vitae facias.
Quanta tibi facit Deus, sis memor cottidie,
Te sequentibus appare ut sol in meridie, 15
Noctis speciem ostende filiis perfidiae.
Legifer es, dante Deo, in subiectis gentibus,
Aequa lance pensa pondus parvis et potentibus,
Sic ius legis temperabis sub te quiescentibus.
Mercennarii mercedem lex iubet ne teneas, 20
Pro hac culpa cautus esto, rex bone, ne pereas,
Imple legem, non videbis phalanges funereas.
Si Benzoni, servo tuo, suum reddis meritum,
Evanescet velut fumus excursus proselitum,
Ad apostasiam versi, ibunt in interitum. 25
Terga vertent universi spiritus silvatici,
Patarini et ambrones, simul et artabati,
Atque ligna colligentes sacro die sabbati.
Dignus est mercede sua Albensis episcopus,
64 Qui pro rege cum zypheis[64] pugnavit prae omnibus, 30
Exturbans heresiarchas de Romanis domibus.
Bellum egit cum Prandello atque cum Badaculo,
Qui thesaurum sancti Petri ponebant in sacculo,
fol. 81'. Expulit *eos ab arca, potitus pinnaculo.
Redde vicem promerenti, certa spes imperii, 35
Ne inanes paciaris moras desiderii,
Opibus et maiestate compar es Tyberii.
Non est magnum tanto regi, unum signum facere,
Hoc est dicere Benzoni: *Veni foras, Lazare,*
Reddita tibi mercede, sta sub meo latere. 40
In me solo si te ipsum, rex bone, glorificas,
Universos fratres meos non parum letificas,
Legem enim conservando Deum honorificas.
In hoc scimus, quod sub alis te servat Altissimus,
Si in te non prevalebit temptator nequissimus, 45
In episcopis creandis si es discretissimus.
p.1037 M. Et ne umquam seducaris ab aliquo homine,
Temet ipsum, quaeso, muni, rex noster et domine,
Fac in fronte signum crucis in Auctoris nomine.
Sit discreta, rex o bone, manus inpositio, 50
Ne fortasse labem trahas ex tyronis vicio,
Vita prius requiratur, mores et conditio,
Ne accipias pro agno barbatum cornigerum,
Nec pro Iovis ave summas[64*] nocturnum aligerum, 55

64) caligantibus. FR. 64*) sumas.

Nec constituas Priapum in numero syderum.
Qui pro Socrate salutat Dyogenem Cynicum,
Et qui lolium extollit, despiciens triticum,
Ipse utitur Martino, postponens dominicum.
5 Deum lauda, rex Heinrice, *qui tibi discernere — fol. 82.
Prestitit omne, quod exit ab utroque genere;
Ipse tibi Philisteos concedit prosternere.
Quapropter semel in die, relictis inanibus,
Ante vultum Redemptoris elevatis manibus
10 Te presenta, suspirando cum devotis planctibus.
Beneficiis pro tantis temet ipsum immola
In altare tui cordis cum mente benivola;
Sic placatus pius Deus conquassabit hydola.

4. Conditor mundi, solus spes omnium, ne irascaris reatu hominum.
15 Tu nos creasti de terra fragili, serva, ne frangat fraus adversarii.
Callidus hostis, nos videns luteos, mergere cupit in mortis puteos.
Quos redemisti proprio sanguine, hosti ne tradas carnis contamine.
Tu, pater noster, corrige vicium, tene currentes ad precipitium.
Castiga tuos paterno verbere, ne sinas lupis agnos discerpere.
20 Tibi est enim proprium parcere, nos de meroris extrahe carcere.
Nam tu occidis et tu vivificas, percutis, sanas, a morte liberas.
Et qui coherces mundi stultitiam, cesari nostro confer leticiam.

5. Publica res Romanorum tunc scienter regitur,
Cum sophye gemmis sertum regale inseritur,
25 *Et imperiale sceptrum docta manu geritur. — fol. 82'.
Cui tantae dignitatis datur curam gerere,
Semper debet, si non multa, saltim pauca legere,
Ut legendo discat orbem post Deum protegere.
Sumat breviter descripta regalis sublimitas;
30 In his enim spiritalis habundat utilitas,
Per quam sursum aspirabit humana fragilitas.

6. In diebus umbrae nostrae semper simus pavidi,
Aliene facultatis nullatenus avidi,
Ut feliciter curramus viam nostri stadii.
35 Non camelum gluciamus, nec liquemus culicem, — Matth. 23, 24.
Nec leonibus obmissis persequamur pulicem,
Conculcemus scorpiones, transeamus supplicem.
Ubicumque conversamur, sit comes Iustitia,
Ore, manu, propellatur hostis Avaricia,
40 Quae turbare sepe solet principum iudicia.
Balaham hec deludendo fecit haretalogum,
Ideoque cum prophetis non habet katalogum,
Miser ille cum asella[65] formavit dialogum. — 65
In Hyerichontinae[a] urbis ruina notissima
45 Achar[66] ista[67] conturbavit ex lamna purissima,
Morti tradidit ut esset omnium perhypsima[68].
Cum apostolis certavit haec deceptrix gentium, — p. 1038 M.
Iudam, loculos[69] portantem, traxit ad suspendium, — 69
Dedit ei sempiternum sulphuris incendium.
50 Haec minores *et maiores temptat milleformiter, — fol. 83.
Cui non consentientes resistamus fortiter,

a) *hoc loco auctor litteras nonnullas erasit; litterae nę paullo pallidiori atramento scriptae sunt.*

65) Cfr. Numer. 22, 21 sqq. 66) Cfr. Iosua 7, 18 sqq. 67) scil. avaritia. 68) res vilis et abiecta, sordes, immunditiae. 69) i. e. bursam, crumenam; cfr. Ioh. 13, 29.

Contra pugnam deceptricis eamus concorditer.
Cur debemus, fratres mei, huic monstro credere?
Quae non cessat nos et nostra cottidie ledere?
Donec trudat in gehennam durantes in scelere.
Nichil tulimus in mundum, nichil reportabimus, 5
Nisi forte quod largimur pietatis manibus;
Non seducat hec seductrix nos verbis inanibus.
Nudi nascimur et nudi in terram regredimur,
Praeter victum et vestitum, quid in mundo quaerimus?
Nil hic proprium habemus, peregrini venimus. 10
Superest, ut caveamus superbiae vicium,
Quia ipsa est peccati tocius initium,
Devitemus sapienter tam grave flagitium.
Haec inflato vadit collo cum cervice rigida,
Semper est ad opus bonum sterilis et frigida, 15
Velut torrens ruit preceps, oculis est livida.
Ut ab illa recedamus expedit summopere,
Legem enim christianam non vult ipsa colere,
Erubescit mendicare, dedignatur fodere.
Cur hanc magam non abhorrent quicumque sunt homines? 20
Cur non eam detestantur populorum ordines,
Quae coelorum potestates fecit esse demones?
fol. 83'. *Inquinabitur a pice, picem qui tetigerit,
Qui communicaverit[a] superbo, idem apparuerit,
Nemo doleat, si collum ipse sibi ruperit. 25
Ut post mortem careamus infernorum tenebris,
Iugiter est preliandum cum carnis illecebris;
Qui triumpho pocietur, erit mundo celebris.
Non invadit nos voluptas armorum potentia,
Sed nimietate cybi atque vinolentia, 30
Sic transverberat incautos dulci pestilentia.
Et ut solet vulgo dici: *Nocet omne nimium*,
Nimis hec edendo templum dissipat dominicum,
Et de viro castitatis vilem reddit Cynicum.
Omnis enim caste vivens, templum Dei dicitur; 35
Si quis tantum sacramentum violare nititur,
Unus de porcorum grege protinus efficitur.
Facti celibes ardentem fugiamus Sodomam,
Hierosolimam petamus christianis commodam,
Semel intrans non habebit semitam retrogradam. 40
Felix ille, qui pro factis hunc locum merebitur,
Felix erit in aeternum, et non commoliebitur,
Hic in secula Viventem vivens confitebitur.

7. Plures sanctarum pastores aecclesiarum,
Cladibus afflicti, sub tempestate relicti, 45
fol. 84. *Vix retinent flatum, nimio merore gravatum.
Qui consoletur non est, nos nemo tuetur,
Nullius dextra tegimur, sunt intus et extra
Hostes mortales, ad nostra voranda sodales.
Omnia devastant, et apertis faucibus adstant, 50
Ut nos consumant, post quaeque relicta resummant;
Nemo manum contra portendit talia monstra.
Numquid opem prebent, qui nos defendere debent?
Nostri vasalli sunt facti Sardanapalli,

a) *sic contra metrum codex.*

Nec nos defendunt, nec iniquis recia tendunt.
Forsan maiores tolerant utcumque labores,
Non inopes rerum, redimunt malefacta dierum:
Nos tenues lucro ferit hosticus undique mucro.
Nos velut inbelles non possumus esse rebelles,
Non apti bello, sed tradere dorsa flagello.
Peius adhuc restat, graviter quod corda molestat:
Ante sacros vultus fit crebrer[a] in urbe tumultus,
Ceduntur coram, si qui famulantur ad horam,
Dum sumus in villis, terimur trahimurque capillis.
Cesar, quocirca trucibus sis ferrea virga,
Te Deus elegit, terram populosque subegit,
Nos ut defendas, inimicis digna rependas,
Ut sint in penis, et sint in mille cathenis,
Qui res sanctarum devastant aecclesiarum.

8. Taurinensi episcopo.

O Phulane[70], *presul magne, refer Deo gracias,*
Quia semper, quod quaesisti, possidebis Tracias.
Tandem, tandem exauditus, perspice quid facias.
Omnibus absconde[b], *precor, tam sacrum misterium,*
Nam si dixeris hoc Evae[71], *ammittes pomerium,*
Generabit tibi lingua perpes improperium.
Trinitati hoc committe, unde semper gaudeas,
Non ames quaternitatem, ex qua nimis doleas,
Trinitati numquam tollet quicquam furens Boreas.
Trinitas non est in terra, nisi in episcopis,
Ipsi quidem congregantur nomine Opificis,
Ceteri, si adunantur, tractant de inlicitis.
Si ad diu expectatum finem mavis tendere,
Noli temet alienis confitendo vendere,
Hoc est enim pedem tuum ad petram offendere.
E. T. A.[72] *si adsunt simul in Auctoris nomine,*
Sis in illis, ut dixisti, Iesu Christe domine[73],
Tu inspira, quid agamus, tuo bono omine.
Manda locum atque diem, has precedens litteras,
Quo sententias dicamus nobis salutiferas;
Totis tribus ipse Deus det longas presbiteras[74].

9. Quedam prelocutio.

Durae arboris nodo ferreus cuneus quaerendus est. Itaque frater Benzo usus est ferreis increpationibus durisque exortationibus adversus coadelphos[75], qui debuissent in regis fidelitate usque ad mortem persistere; laudabiles et gloriosi, instigante perfidia facti tortuosi atque nodosi. Quos ubicumque intuebatur populus, insequebatur blasphemis clamoribus. Tandem, delatrante fratre Benzone, repetunt ovile fidei, induti nimia confusione. Sed alia manu erat agendum cum domna Adeleida, cuius parem non assignat orbis ephymerida[76]. Ipsa igitur, quasi regina piscium, ammirabilis balena, non poterat capi neque hamo neque catena. Quapropter adgressus est eam frater Benzo mellifluis verbis, porrigens ei escas ex floribus nec non aromaticis herbis. Et quia noverat eam dilectari planetarum cantilenis, cottidie infundebat auribus eius Ambrosianas melodias, maritimis associatus Syrenis, et ita

a) *sic codex.* b) asconde *cod.*

70) h. e. infula ornatus. 71) Adelegidae. 72) h. e. *Ego, Taurinensis, Ambrosianus;* rhythmi causa initiales tantum litterae exaratae sunt. 73) Cfr. Matth. 18, 20. 74) rhythmi causa pro longa presbyteria, sive diutinam officiorum possessionem. FR. 75) confratres. FR. 76) sic rhythmi causa pro ephemeris, Graecis ἐφημερίς, = acta diurna, annales.

77 lyrizando, organizando, deduxit eam in sagenam[77] fidei, traxitque ad litus ante pedes imperatoris Heinrici. *Ut autem cognoscant fideles cesaris quia vera sunt quae dicimus, pro testimonio veritatis de pluribus hec pauca descripsimus: fol. 85'.

*fol. 85b. 10.[a] **Duci A.*[78] *domnae superdomnae, B.*[79] *fidelis et superfidelis, consilium non Achitophelis, sed sancti archangeli Michahelis. A puericia enim, mi domna, opus Dei operaris, idcirco favente Deo post regem Italiae dominaberis. Certe, si dignaris credere consiliis meae parvitatis, cum tranquillitate sedebis sub rege in solio regifice maiestatis, et videbis ante te duces cum principibus, orbis terrarum opes tibi ministrantibus. In hoc quidem placito nichil omnino erit periculi, si fiet secundum dispositionem mei consilii, sed erit perpes gaudium domus tuae in seculum seculi. Quid plura? A die etenim exitus de ventre matris non venit super te visitatio talis. Itaque tu, dilecta Deo et hominibus, ascende in coelum regalis benivolentiae, admiranda in cunctis terrae finibus. Secretum meum michi, tibi et illi; non addas quartam personam trinitati.*

X. fol. 85'. 11.[b] **Domnae Adelegidae, Romani senatus patriciae, frater Benzo per voluntatem Dei claves tocius imperii. Non est ille homo sanae mentis, qui conatur contraire voluntati Omnipotentis. Nichil valet noster cogitatus, nichil itidem noster conatus, quia Deus faciet secundum voluntatem sui potentatus. Omnia enim, quaecumque voluit, fecit in coelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis. Quo enim possumus fugere ut non faciamus voluntatem eius? In cassum fit fuga ista, sicut testatur psalmista: „Quo a facie tua fugiam? si ascendero in coelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades“. Nil denique valuit Ionae quod fugam paravit; nolens, volens, verbum salutis Ninivitis ministravit. In voluntate ergo Dei universa sunt posita. Et vos sola nitimini modo contra eius imperium? Nam Deus usque hodie in omnibus adimplevit vestrum desiderium.* **Certe, velitis, nolitis, Deus faciet de vobis sicut sibi placuerit. Ordinatum est quippe divina dispositione, quod esse debetis super gentes et regna, ut evellatis, destruatis, disperdatis, dissipetis, post hec aedificetis, atque plantetis. Vos autem dicitis: „Nolo“, et Deus dicit: „Ego volo“; quis igitur erit victor de vobis duobus? Certe, certe, Deus faciet secundum suam voluntatem de sua ancilla, quae actenus custodita est ab eo tamquam oculi pupilla. Facite ergo sponte, quod facietis invita, ut sit vobis duplex retributio et in hac et in altera vita. Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.*

(Marginalia: Psal. 138, 7. — fol. 86. — p. 1041 M. — Apocal. 1, 3.)

XI. 12.[c] *Domnae Adelegidae, cuius prima medietas nominis*[80] *est genitivus sive dativus vocabuli primi hominis, frater Benzo.*

Nomen tuum nomen bonum,
Nomen tuum Dei donum.

Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Mysteria quidem libri Genesis non capit volatica frenesis. Sanam mentem expetunt mysteria illa, non qua impellebantur Cassandra et Sybilla, quarum pectora **Pythius replebat, cum phanaticos ex ambiguis deludere volebat. Sed incarnato Domino, illuminavit Spiritus sanctus corda fidelium, eiciens ab aecclesia Phytonissas et Delium. Apperuit quippe archana divinae scripturae; infidelibus pateat, quod abscondebant prioris testamenti figurae. Neque iam velatur Moysi facies, quia luce clarius perspicit totum Moysen catholicorum acies. Nam in passione Domini et petre scissae sunt, et velum scissum, et christiana fides profunditatem litterarum cernit, licet clamet habyssus habyssum. Ergo non simus equus et mulus, quibus non est intellectus, queramus novum mysterium, ubi latet nostrae salutis profectus. Enucleemus sacramentum carissimi nominis, nostrae scilicet beatissimae principis. Providens enim humanae utilitati Salvator et Dominus, abtanda dispensat singulis temporibus. Nam sicut prescivit de costa viri formam coniunctivam, ita previdit domnam Adeleidam de nomine eius denominativam. Unde Factori gratias referimus, quia non sumus expertes donis gratiarum eius. Vere gratia Dei est, quod typice factum est. Igitur sicut* **Eva conversim fit Ave, ita Adeleida, conversis partibus, fit nomen bonum atque suave. Quid est enim Adelegida, nisi „Da legi Adae filios.“ Hoc est dicere: „Esto datrix legis super caulas christiani gregis. Esto gregis Christi custos gregaria, quem dispersit per dumeta presumptio*[d] *temeraria.“ Tu es quippe regina illa, quae apparuisti psalmistae a dextris Dei in veste polimita. Plena es gratiarum, oculi tui columbarum; vade post eum, qui est Deus misericordiarum. Ne timeas, o princeps, ab initio seculi preelecta, neque formides quoniam omnia sub pedibus vides.*

(Marginalia: fol. 86'. — fol. 87.)

a) *caput hocce finito iamiam libro, folio* 85b. *inserto, ab auctore additum est, numero tamen caret.* b) X. *codex.* c) XI. *codex.* d) persumptio *codex.*

77) h. e. rete, verriculum. 78) Adelegidae. 79) Benzo. 80) scilicet *Adae.*

magister i. e. dominus 380.15.
magistrare 562.20.
maldri, Malter 119.20. 121.15.
mallus 121.10.
malman Saxonice dicitur homo liber 158.10.
mancianum, μαντεῖον, augurium 655.20.
mancipium annuale, census 95.55.
mango, machina bellica 56.
mansio 547.15.
mantica, sacculus 614.35.
manzer, spurius, nothus 646.5.
marcha 119.40. 120.35.
marchia 160.10.
marchisus 293.45. 294.25. 296.45. 300. 310.
martellus, malleus 59.55.
mastruca, Sardorum vestis pellita 621. 35.
matricularius i. e. custos 351.25.
memoria, sepulchrum 102.50.
mensales oblatae, hostiae 327.25.
militia i. e. vassi ecclesiae 204.35.
minare, gall. *mener* 328.20.
ministeriales 35.30. 36.20. 39.45. 44—46.10. 49. 56.15. 66. 68.10. 75.30. 82.50. 95.5.
ministri (= ministeriales) 66—68.5. 72. 20. 80.50.
minutiae 121.15.
mixolidium, lucerna 636.5.
moderna tempora 308.20.
modicum i. e. multum temporis 309.10. 312.20.
morasticon vel *dorasticon* 322.45.
mundiburdium 78.35. 110.1. 126.25. *mundiburdia*, chartae 630.35.
mulbom, sycomorus 400.5.
munitas, munitio? 128.10.
nimietas 204.35.
Nithart, latina lingua sonat *odiosus* vel *valde malignus* 385.50.
nonni, *nonnae* 28.45. 154.1. 192.35. 393.30.
notare 393.10.
obedientiae, officia monasterii 294.1. 301.30. 318.40. 322.30. 324.20. 325. 20.
obrizum, aurum purgatum 622.15.
onichina vasa 235.1.
opilare, lacerare 658.50.
pacientia, passio 611.30.
pallium pretiosum, sericus ornatus 379. 35. 386.15. 412.25.
papilio, *pavilio* 237.40. 590.1.
paramenta 234.10. 235.1.
paramonarius, custos ecclesiae 284.5.
parata i. e. mansio 158.1.
parificare, aequare 89.30.
pascualis ager 314.10.
passio, Leidenschaft 376.45.
patella salis 39.40.
pathnutia, stabulum a graeco φάτνη 639. 10. 646.45.
patria, terra 313.5.
patrissare, patrem imitari 649.5.
pedones, ital. *pedone* 544.25.
pensius, impensius 59.15.
perdonare, gall. *pardonner* 537.25.
perna 121.30. 130.10. 131.5.
perhypsima, res vilis 651.45.
pertinens homo, der hörige Mann 128. 20.
phenestella 606.10.
pilosi, daemones 608.10.
pinsare, contundere 662.15.
placitum, conventus 450.25. 452.15. iussio 444.15. professio 406.10.
poledrum 121.10.
polinctorium, cimeterium 284.25.
porcarana, porcarium 663.25.
portarius, ianitor 298.10. 314.1.
praebenda 453.15.
praeparatura 149.40.
praetor, comes 336.
precaria 479.25.
pressurae, angustiae 69.45. 71.45. 72. 35.
prestaria 535.40.
pretexatus, praetaxatus, praedictus 91. 1. 92.15.
pretextatus, eodem sensu 90.5.
protogibra, primus homo 674.1. *vide* gybra.
pulsare, accusare 69.15. 76.20.
pytacium, tabula fusili pice illita ad exarandum, scheda 623.20.
quot kalendis i. e. quibusque 312.40.
rationale, ornamentum episcopale 39.35.
recordari (record) 576.45.
rectum, das Recht 451.40. 453.10.
refraganeus, refractarius 100.25.
rementus, in memoriam revocans 662.1.
renones, vestes ex pellibus confectae 621. 25.
rigus i. e. rivulus 567.25.
rocca 563.5.
rubeus, ruber 286.1.
runcantes s. grunnientes 338.35.
runcina, clibanus 656.35.
runcinus, equus vilis 79.10.
rutrifer, ruricola 660.10.
sarabara, braccae quibus crura teguntur 614.35.
sarcile, vestis sacerdotalis 327.25.
sarta, tectis 307.45.
saugmarii, Säumer 55.10.
scapulare 323.55.
schefrecht 24.1.
senior, dominus 13.5.
serviens, armiger 63.35. 69.30. 70.5.
sicera 148.40.
silicernius, senex 659.15.
sirma, σύρμα, ambages 168.30.
sistarciolus, sacculus 37.15.
solarium, Söller 135.10. 547.15.
solatium, auxilium 293.40.
species, unguentum, germ. Spezerei 60. 10.
Spanisca animalia 583.50.
sparonisti, milites hastati, a germanico Speer 635.20.
spinnelpoum 210.25.
staupi, pocula 9.30.
sterzer, hypocrita 216.55.
stropha, simulatio 397.30.
subarrare, arrhabone desponsare 398.1.
subgrundaria, sepulcra infantium 604. 10.
suscipere beneficia 66.35.
synochus, morbus 83.5.
talio 149.50.
tempesta nox 297.20.
terampetia, sanitas 636.5.
tertium genus, charta 540—542.15. *tertiogenerum* Romani vocant 543.25. 544.5.
thimallus piscis, germ. Asche 678.15.
tornaria, idem atque *tornatura*, id est modus agri 563.15.
tribuni civitatis Wirzburg. 379.45.
tumba 22.145. 28.65. 88.30. 91.35. 92. 97. 102. 103. 241.
untiuncula, Schmierstiefel? 120.10.
valvassores 272.1.
vappae, homines inutiles 648.10.
veniam agere 204.25. *vide not.*
veredarii 614.45.
vicedomnus 150.20.
villa, Stadt 450.30.
vorewerc 120.45. 159.20 sq.
wanburtich i. e. spurius 155.15.
werra 58.10. *v.* guerra.
zaberna, arca vel capsa ex tabulis ligneis confecta 669.25.
zebelina tunica 131.25.

77 lyrizando, organizando, deduxit eam in sagenam[77] fidei, traxitque ad litus ante pedes impe- fol. 85'. ratoris Heinrici. *Ut autem cognoscant fideles cesaris quia vera sunt quae dicimus, pro testimonio veritatis de pluribus hec pauca descripsimus:

*fol. 85b. 10.[a] **Duci A.*[78] *domnae superdomnae, B.*[79] *fidelis et superfidelis, consilium non Achitophelis, sed sancti archangeli Michahelis. A puericia enim, mi domna, opus Dei operaris, idcirco favente Deo post regem Italiae dominaberis. Certe, si dignaris credere consiliis meae parvitatis, cum tranquillitate sedebis sub rege in solio regifice maiestatis, et videbis ante te duces cum principibus, orbis terrarum opes tibi ministrantibus. In hoc quidem placito nichil omnino erit periculi, si fiet secundum dispositionem mei consilii, sed erit perpes gaudium domus tuae in seculum seculi. Quid plura? A die etenim exitus de ventre matris non venit super te visitatio talis. Itaque tu, dilecta Deo et hominibus, ascende in coelum regalis benivolentiae, admiranda in cunctis terrae finibus. Secretum meum michi, tibi et illi; non addas quartam personam trinitati.*

X. fol. 85'. 11.[b] **Domnae Adelegidae, Romani senatus patriciae, frater Benzo per voluntatem Dei claves tocius imperii. Non est ille homo sanae mentis, qui conatur contraire voluntati Omnipotentis. Nichil valet noster cogitatus, nichil itidem noster conatus, quia Deus faciet secundum voluntatem sui potentatus. Omnia enim, quaecumque voluit, fecit in coelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis. Quo enim possumus fugere ut non faciamus voluntatem eius? In cassum fit fuga ista, sicut testatur psalmista:* (Psal. 138, 7.) *„Quo a facie tua fugiam? si ascendero in coelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades“. Nil denique valuit Ionae quod fugam paravit; nolens, volens, verbum salutis Ninivitis ministravit. In voluntate ergo Dei universa sunt posita. Et vos sola nitimini modo contra eius imperium? Nam Deus usque hodie in omnibus adimplevit vestrum desiderium.* fol. 86. **Certe, velitis, nolitis, Deus faciet de vobis sicut sibi placuerit. Ordinatum* p. 1041 M. *est quippe divina dispositione, quod esse debetis super gentes et regna, ut evellatis, destruatis, disperdatis, dissipetis, post hec aedificetis, atque plantetis. Vos autem dicitis: „Nolo“, et Deus dicit: „Ego volo“; quis igitur erit victor de vobis duobus? Certe, certe, Deus faciet secundum suam voluntatem de sua ancilla, quae actenus custodita est ab eo tamquam oculi pupilla. Facite ergo sponte, quod facietis invita, ut sit vobis duplex retributio et in hac et in altera vita.* (Apocal. 1, 3.) *Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.*

XI. 12.[c] *Domnae Adelegidae, cuius prima medietas nominis*[80] *est genitivus sive dativus vocabuli primi hominis, frater Benzo.*

Nomen tuum nomen bonum,
Nomen tuum Dei donum.

Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Mysteria quidem libri Genesis non capit volatica frenesis. Sanam mentem expetunt mysteria illa, non qua impellebantur Cassandra et Sybilla, quarum pectora fol. 86'. **Pythius replebat, cum phanaticos ex ambiguis deludere volebat. Sed incarnato Domino, illuminavit Spiritus sanctus corda fidelium, eiciens ab aecclesia Phytonissas et Delium. Apperuit quippe archana divinae scripturae; infidelibus pateat, quod abscondebant prioris testamenti figurae. Neque iam velatur Moysi facies, quia luce clarius perspicit totum Moysen catholicorum acies. Nam in passione Domini et petre scissae sunt, et velum scissum, et christiana fides profunditatem litterarum cernit, licet clamet habyssus habyssum. Ergo non simus equus et mulus, quibus non est intellectus, queramus novum mysterium, ubi latet nostrae salutis profectus. Enucleemus sacramentum carissimi nominis, nostrae scilicet beatissimae principis. Providens enim humanae utilitati Salvator et Dominus, abtanda dispensat singulis temporibus. Nam sicut prescivit de costa viri formam coniunctivam, ita previdit domnam Adeleidam de nomine eius denominativam. Unde Factori gratias referimus, quia non sumus expertes donis gratiarum eius. Vere gratia Dei est, quod typice factum est. Igitur sicut* fol. 87. **Eva conversim fit Ave, ita Adeleida, conversis partibus, fit nomen bonum atque suave. Quid est enim Adelegida, nisi „Da legi Adae filios.“ Hoc est dicere: „Esto datrix legis super caulas christiani gregis. Esto gregis Christi custos gregaria, quem dispersit per dumeta presumptio*[d] *temeraria.“ Tu es quippe regina illa, quae apparuisti psalmistae a dextris Dei in veste polimita. Plena es gratiarum, oculi tui columbarum; vade post eum, qui est Deus misericordiarum. Ne timeas, o princeps, ab initio seculi preelecta, neque formides quoniam omnia sub pedibus vides.*

a) *caput hocce finito iamiam libro, folio* 85b. *inserto, ab auctore additum est, numero tamen caret.* b) X. *codex.* c) XI. *codex.* d) persumptio *codex.*

77) h. e. rete, verriculum. 78) Adelegidae. 79) Benzo. 80) scilicet *Adae.*

Porrige dextram Romae mergenti, succurre regi piis oculis te respicienti. In his duobus pendet tota aecclesia, vide quid facias sancta Adelegida. p.1042 M.

Ut Spiritui sancto, qui te preelegit, non sis contraria te rogamus, audi nos.
Ut regi subvenias te rogamus, audi nos.
5 *Ut clericis et laicis subvenias te rogamus, audi nos.*
Ut omnibus christianis subvenias te rogamus, audi nos.
Ut pereunti mundo succurras te rogamus, audi nos.

*Oremus: „Famulam tuam Adelegidam, quam elegisti ab initio, conserva, queso, Domine, in tuo servitio, ut per eam, te duce, fiat pax in aecclesiis tuis, ad perpetuum *gaudium humanae* fol.87'. 10 *salutis, per Dominum nostrum."*

13.[a] *Domne primae vocalis*[b. 81] *frater Benzo lignum scientiae boni et mali, in pinguedine* XII. *terrae, et in rore coeli; auribus percipe verba oris mei. Cum sim fidelis, et cotidie dictis et factis ostendo meam fidelitatem, cur opponis, o domna, meae fidei duriciam cordis atque incredulitatem? Licet*[c] *converser in miseria, tamen per me, ultimum servum suum, revelat tibi Deus* 15 *sua mysteria. Positus enim in ordine vicis Habiae, non fallaciter profero verba coelestis prophetiae. Nam si preterita placet recolere, nullatenus est dubitandum de subsequenti opere. Turba igitur precedentium patrum sine ambiguitate se commiserunt oraculis suorum vatum. Ut multis supersedeam, de paucis dicenda sunt quaedam. Ionas autem elapsus a belua, decapillatus sedit sub ędera, hubi hec pauca locutus est verba: „Adhuc quadraginta dies, et Ninive* Ionas 3, 4. 20 *subvertetur." Et pervenit verbum ad regem. Qui non vocavit pulingerios*[82]*, neque manciani*[83] *primicerios*[84]*. Sed statim surrexit de solio suo, et abiecit vestimentum suum a se, et indutus est* 84 *sacco, et sedit in cynere; *cui mox adfuit pietas divinae misericordiae. Sapiens rex sine mora* fol.88. *credidit ignoto prophetae, et domna mea michi, noto sibi, dedignatur credere? Per plures denique vices profuerunt sibi mea vaticinia, sicut tota protestatur vicinia. Revera verba mea non* 25 *sunt mea, sed eius procul dubio, qui dixit: „Aperi os tuum, et ego adimplebo illud." Qui ergo* Psal. 80, 11. Luc. 10, 16. *me spernit, ad suum dampnum me spernit. Et non solum me spernit, verum etiam eum, qui me misit. Recordare, o predicabilis domina, quanta tibi fecit Deus, et sede cum Maria humilis ad pedes eius. In tuis quippe cunabulis dictum est tibi a Domino: „Ascende superius," et di-* Luc. 14, 10. *vina predestinatione semper ascendisti de bono in melius. Nunc autem ad hoc es ascensura,* 30 *ut in manibus tuis sit orbis terrarum cura. Vult enim Deus, quo geras rei publicae sarcinam cum eo, qui regnorum regit monarchiam. Nam in spiritu et virtute Heliae parabis viam cesari, quatenus errantes quiescant ab homine veteri. Et sicut Helias, fretus auctoritate prophetica, dixit ad regem Achab: „Quia non erit pluvia, nisi per verbum meum," *ita, o domna, inspi-* p. 1043 M. 3 Reg. 17, 1. fol. 88'. *rante Trinitatis potentia exiet ab hore tuo similis sententia: „Vivit Dominus, si erit episcopus,* 35 *aut marchio, vel si sublimabitur ad aliquem honorem aliquis homo, nisi per verbum meum." O laudanda pietas Redemptoris, quae ancillam suam elevare dignatur ad culmen tanti honoris. Quod ergo ante mundi constitutionem disposuit Dei providentia, nemo debet contradicere sua negligentia. Preordinata est quippe series omnimodae potestatis ante conspectum divinae maiestatis. Dic ergo, o domna, sicut Maria ad angelum: „Ecce ancilla Domini, fiat michi secun-* Luc. 1, 38. 40 *dum verbum tuum."*

14.[d] *Domno suo, regi Heinrico, a Deo coronato, tamquam aurum in fornace divinitus* XIII. *colorato, frater Benzo. In prosperis et in adversis idem, omni consumatione vidi finem. Quia cucullatus diabolus de coelo Petri lapsus est, et domna Adeleida cum lampade sua ante regis ianuam est, merito possumus dicere: „Consumatum est." Sic enim suscepit nuntios domini* Ioh. 19, 30. 45 *mei, ac si vidisset angelos Dei. Omnipotentiam ergo Benefactoris, o bone rex, lauda cervice humiliata, qui pedibus tuis prosternit colla inflata. In conversione igitur talis domnae *omnes* fol. 89. *dicamus: „Gloria tibi, Domine!" Nemo, precor, o cesar, subripiat cordi tuo, quominus adimpleas quae regia promisit celsitudo, et adhuc supra, ut regnes in aeternum et ultra. Deo gratias, sapiens es, litteratus es. Recordare quae Deus praecepit Abrahae: „Omnia quaecumque* Gen. 21, 12. 50 *dixerit tibi Sarra, audi vocem eius." Sarra denique petebat: „Eice ancillam et filium eius."* ibid. 21, 10. *Si filius es Abrahe, immo quia es, opera fac Abrahe. Omnia ergo quae tibi dixerit domna Adeleida, audi vocem eius. Si dixerit: „Eice Sarabaitam et omnes sequaces eius," audi vocem*

a) XII. *cod.* b) vocali *cod.* c) *sic 2 manus correxit quod primo auctor scripsit*: conversor. d) XIII. *cod.*

81) Adelegidae. 82) sacerdotes, ut videtur, quos supra cap. 8. *phulanos* dicit. 83) h. e. augurii, a 55 Graeco μαντεία. 84) Cfr. Ion. 3, 6.

eius; et si non dixerit, audi vocem eius. Quia ad te est conversio eius. Nam mulieri predixit Gen. 3, 16. *Deus: „Ad virum est conversio tua, et vir dominabitur tui.“ Non igitur est pavendum, ut non audias vocem eius, quoniam ad te est conversio eius. Postquam autem fuerit ad te conversa, audies vocem eius in quampluribus, ipsa vero audiet et faciet voluntatem tuam in omnibus, quia tu dominaberis illius. Noli ergo, o bone rex, denegare quae sibi placita videntur, quoniam* 5 fol. 89'. *una die dabis, altera die centuplicata ad te revertentur. Neque enim est denegandum *beneficium, quod scimus posse reverti ad idem principium*[a].

fol. 90. ***INCIPIT PRAEFATIO LIBRI SEXTI.**

Cognoscetur Dominus iudicia faciens, si de medio Christi ovium tollitur pestilentia macilens. Morbo quidem suae pestilentiae Sarabaita Prandellus, facciosissimus monachellus, 10 morbidavit gentes et regna, pharmaceutrians ea per plurima tempora. Inter alios denique quos fecit mente captos, prevaluit in Saxonibus, reddens eos similes demonibus. Exagitavit quippe illos, servili ausu arripere arma adversus christum Domini, cesarem Heinricum, uti legimus contra Michahelem presumpsisse hostem antiquum. Verum sicut Michahel, cuius interpretatio est: *Quis ut Deus,* prostravit draconem et sequaces eius, eodem modo dissipata 15 est Saxea barbaries a cesare Heinrico, quia manus Domini erat cum illo. Celebravit proinde 1080. Iun. 25. generalem conventum cum suis satrapis, scilicet Suevis et Italicis, penes Brixanorium[85], tractans cum eis de suo itinere ad Romanum solium. Inter quos prefuerunt duo archontae, 86 agye Sophye[86] debriati mellifluo fonte, videlicet tocius Lyguriae primas[87], et Hemilie rector Ravennas[88], simulque eorum suffraganei, in perditione falsae cucullae consentanei. Quibus 20 erant inmixti de senatoribus Romanorum insignes legati, adstipulantes, quod cuncti ordines fol. 90'. publicae rei cottidie *stabant parati ad receptionem cesaris Heinrici, tamquam si venisset 89 maiestas Iulii vel Tyberii. Quorum assertioni nemo nostrum fuit Didimus[89], sed unanimiter quae dicebantur credidimus. Cesar autem, figens anchoram spei in soliditate Romanae promissionis, designavit in iam dicto conventu inceptionem suae expeditionis. Indicavit pre- 25 terea universis regius praeco, quia in die pentecostes, Deo volente, erit presentia regis coram sancto Petro, affectu scilicet suae consecrationis, ad laudem et gloriam visibilium et in- 1081. Mai. 21. visibilium Creatoris. Venit igitur sexta feria ante pentecosten ad diem constitutum, sed Romani, prevaricatores effecti, clauserunt ei introitum. Rex vero, commotus ira iustissime indignationis, precepit figi castra in prato Neronis. Prandellus itaque, qui Romuleos fasci- 30 naverat, ascendit in Crescentii castellum, monuit quod nullus eorum exisset ad bellum. Adiciens quoque: *Clausis portis state securi, quia inter vos et hostes sunt inextricabiles muri. In die quidem Spiritus paracliti non inponet Heinricus, sicut speravit, sertum suo capiti. Delusus hac prima fiducia, desperans redibit cum verecundia.* Sapientes vero episcopi et optimates profundioris consilii, circumsteterunt domino nostro regi dicentes: *Revera quicumque* 35 *sunt sane mentis animadvertunt, quod mira et vera est dispositio Dei omnipotentis, qui dat uni-* fol. 91. *cuique secundum opera sua. Putatis, o barones, quod *sacrilegos et periuros comitetur victoria?* p. 1045 M. *Non, quia conflati in runcina*[90]*, inventi sunt scoria. Isti sunt, qui dicunt in corde suo: „Non est Deus“. Isti ponunt in coelum hos suum, et lingua eorum transit in terra, ideoque tenet eos initium peccati, superbia. Isti sunt, qui dicunt: „Faciamus mala, ut veniant bona,“ quorum* 40 *dampnatio iusta est. In veritate sciatis, quoniam nunc iudicium est Romae. Nunc pseudoprinceps Romae eicietur foras, adbreviavit enim Deus Romanae maliciae moras.*

Mai. 23. Summo igitur mane paraclitenae festivitatis coadunati sunt archiepiscopi et pontifices in conspectu regiae maiestatis. Et dicebant ad invicem: *Quid hodie, fratres, faciemus, quia hic duas aecclesias non habemus? ut in una dominus noster rex vestiatur et coronetur, et in* 45 *alteram vadens coronatus ubi missa celebretur. Ista est vetus consuetudo regalis coronae, quae*

a) *hunc locum primo quidem sequebantur verba:* Liber sextus. Incipit prologus. In apostoli Andreae sacro natalicio ..... nec non et Prandellici, non curantes. *His tamen erasis, auctor postea quinque folia, scilicet fol.* 90. 91. 92. 93. 94 *inseruit, verbaque illa deleta folio 94' repetivit.*

85) Brixia. FR. 86) h. e. sanctae Sapientiae. 87) Theodaldus, archiep. Mediolanensis. 88) Wibertus, qui et Clemens III. antipapa. 89) i. e. qui contradiceret; Didimus Coecus enim, Alexandrinus, Arianis acerrime fertur restitisse, v. Vossius Inst. Orat. p. 76. FR. 90) maior serra fabrorum, qui 50 tamen significatus contorte convenit cum verbis antecedentibus, ubi potius indicari videtur clibanus, in quo scoriae a puro metallo separantur. FR.

non potest inmutari sine usuali transgressione. Residebat inter eos Manases archipresul [1081.] Remensis, nobilis et litteratus, Phylippi[91] regis Franciae venerabilis legatus, qui dixit: *Si non possumus agere quod volumus, velimus ut quimus. Et si removet nos ab obsequio regiae coronae locus inconveniens, celebremus tamen debita devotione missam, quam postulat sollempnitas presens.* Cui statim omnes assenserunt, et *Fiat, fiat* unanimiter responderunt. *Surrexit autem frater Benzo, Albensis episcopus, qui erat unus de numero residentium, supplex exorans cesarem, ut preciperet silentium. [fol. 91'.] Et affatus est ita: *Audiat dominus meus rex, et vos, seniores et coepiscopi, audite verba fratris vestri minimi. Verba mea non sunt mea, sed sunt verba Spiritus sancti, in cuius nomine hic estis congregati. Si id, quod maius est et divino cultui necessarium, hodie faciemus, cur quod minus est preterire debemus? Hodie in tentoriis celebraturi sumus preciosissimi corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi sanctissimum sacrificium, consequens ergo est, ut sub eisdem papilionibus peragamus regalis coronae officium. Multa denique fiunt contra usum, cogente necessitate. David enim pulsatus necessitate famis comedit panes propositionis, quod non licebat nisi sacerdotibus solis. Relinquens igitur silvarum solitudinem, cessante necessitate, contulit se ad cottidiani panis consuetudinem. Ubi vero necessitas perit, statim usus in propria redit. Ubique est Deus, ubique colitur et adoratur, et rex coronetur, honoretur, ubi et quando kanonice constituta sollempnitas celebratur. In Atticis enim legitur hystoriis, quod Byzanzenus rex Nikophorus[92], vir sapiens et bellicosus[a], circumcincxit Antiochiam vallo formidandisque machinis, plus minus *septem annis.* [p. 1046 M.] [fol. 92.] *Et bis in hebdomada coronatus, circuibat civitatem cum multis populorum turmis, ad similitudinem Hyerechontine urbis. Crux denique ligni dominici precedebat eum, per quod sperabat victoriae tropheum. Antioceni vero, perterriti novo et inusitato miraculo, subiciunt colla regiae perseverantiae retiaculo. Et si rex ille fortis et sapiens, pro amplificanda christianitatę omnia faciens, coronabatur sub divo, sine aecclesiis, sine sollempnibus feriis, multo magis dominus noster cesar debet coronari circumseptus venerandis presulibus et decentissimis clericis, et precipue in festivitatibus egregiis. Adhuc autem; libentius denique illud perficitur, quod verisimilibus argumentis circumscribitur. Alexander Macedo, quocumque gradiebatur, quis esset, corona confitebatur. Veracissimae ergo rationis conclusione debet cesar uti mysterio regalis coronae.* Tunc Ambrosianus vicarius, universae Liguriae archos et primarius, dixit: *Vere, frater Benzo, sicut dixisti, non sunt tua verba ista, sed Spiritus sancti prout testatur psalmista: „Aperi os tuum, et ego adimplebo illud.“ Hoc ipsum resonat Mattheus ewangelista: „Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.“* [Psal. 80, 11. Matth. 10, 20.] *Fiducialiter igitur possumus et debemus celebrare, quod Spiritus sanctus per te voluit revelare.*

His auditis suspiciens in coelum cesar, gratias egit[b] terciae sanctae Trinitatis personae, *quae misericordissimae pietatis revelatione dignatur adesse celebritati suae coronae. [fol. 92'.] Dixitque: *Nichil dubietatis est in corde meo ex omnibus his, quae per afflatum Spiritus paraclyti[93] locutus est frater Benzo.* Et conversus ad Ravennatem, divitis Flaminiae primatem: *Quid sentias,* inquit, *pater, scire volo, qui iudicaturus es orbem cum Petro et Paulo.* At ille respondens ait: *Ad reverentiam cesaris loquor. Nemo sapiens aliud requirat, nisi quod per hos[94] confratris nostri Spiritus sanctus nobis adspirat. Erectis ergo cordibus sursum, divinum adoremus mysterium, ut quod magno Dei munere geritur, magnis aecclesiae laudibus celebretur. Preparentur itaque duo tabernacula, in uno coronatus cesar processionaliter ad alterum eat tabernaculum, eritque angelis et hominibus delectabile spectaculum.* Factumque est ita. Continuo advolat turba castrensis, amans celebrare diem sollempnem in condensis[95]. Ordinatur populus in spaciosum circulum, per cuius medium transeat chorus psallentium. [p. 1047 M.] Cumque exit a tabernaculo cesar diademate redimitus, statim incipitur a clero: *Veni creator Spiritus.* Singulae vero nationes secundum patriae ritum prorumpunt in vociferationem in unitate Patris et Filii, laudantes sanctum Spiritum. Oritur preterea ex omnibus castris stridor lituum clangorque tubarum. Quarum bombis atque tonitruis Sarabaita cum suis fiunt similes mortuis. Finita prohelempsi[96] celebratur missa cum suis *melodiis sollempnissima iubilatione, omnisque populus per totum diem laudat Deum in gaudio et exultatione. [fol. 93.]

Protinus auditum est in nationibus, quod rex Heinricus fecit novam Romam ex tentoriis et papilionibus, ubi ad Prandellianorum dedecus atque iniuriam disposuit novam curiam.

a) *sic correxit auctor quod primo scripsit* belliculosus. b) *sic 2 manus corr. ex* agit.

91) Philippus I regnavit ab a. 1060–1108. 92) Nicephorus II, Phocas, imperium tenuit a. 963–969. 93) Cfr. supra pag. 641 vers. 29. 94) h. e. os. 95) tentoriis. FR. 96) Vide supra lib. I, 9.

1081. Ex qua creavit novos centuriones, tribunos, ac senatores, prefectum, et numenculatorem, aliasque dignitates, secundum antiqum[a] morem. Ibique sub sole et luna, novo genere coronandi, diademate est coronatus, coelo et terra mirantibus gloriam sui potentatus. Agmina vero populorum innumerabilia dant laudes Deo, qui innovat signa et inmutat mirabilia. Concurritur ab omnibus certatim, confluit ex vicinis marchiis inexstimabilis populus. Rex autem, 5 relicto prato, adgreditur clivum, desub cuius pede evomit Stix lacum internitionis amicum. Quem cum vidisset exercitus, timuerunt timore magno propter sulphureum fetorem, fumantem ab eodem stagno. Verum Dei pietas, miserta regi suisque omnibus, compressit fumum diebus ac noctibus, induxitque super nos hybernum frigus, per quod factus est locus ille salubris et apricus. 10

Ut autem cognoscat mundus, quia non parva cura est Deo circa benivolentiam pueri sui, regis Heinrici, aliud miraculum demonstrare dignatus est ibi. Quadam nocte in hora fol. 93'. conticinii factum est terribile signum *civilis exterminii. A fundamentis quoque corruit 1082. Febr. longa series murorum per spacia fere mille cubitorum. Quod cum cognovissent facto mane regalia castra: *Amplissimam portam*, inquiunt, *fecit nobis, qui numerat astra.* Fit clamor: 15 *Intro, intro!* vociferantium, corripiunt arma de more bellantium. Quo rex audito, compressit per velites tumultuantium clamores, iubens ad se venire omnes. Quibus dixit: *Benedictus Deus in cunctis operibus suis, qui dat nobis videre interiora inimicorum, precipitatis muris. Sine ulla difficultate valemus eos invadere atque morti tradere. Sed demus honorem Deo sanctisque suis apostolis Paulo et Petro, si forte resipuerint, et ad debitam oboedientiam nostrae* 20 *susceptionis dura corda converterint. Non enim veni ad mortificandum, sed ad salvandum.* Rom. 13, 7. *Si, prout beatus Paulus monuit, reddiderint cui tributum tributum, cui honorem honorem, et nos persolvemus eis sua secundum imperatorium morem. Alioquin Deus, qui est nobiscum, pre-* p. 1048 M. *cipitabit eos in mortis habyssum. Et qui nobis dormientibus pessumdedit machinas murales, ipse dabit virtutem ad destruendas turres et antemurales. Eapropter demus eis aliquod inter-* 25 *vallum, ut cogitent et intelligant, quoniam a Domino factum est istud, qui numquam deest* fol. 94. *his, qui convertuntur ad ipsum. Transeamus, si placet,* **fluenta Tybridis, et Tusculanos aliosque faciamus consortes nostri itineris.* Omnes dixerunt una voce: *Vobiscum sumus, sive in vita, sive in morte,* sed multi locuti sunt: *In corde et corde.*

1082. Mart. Per circuitum denique montis Soractis gradientes, post novem dies venimus ad fluminis 30 ripam, ubi ceperunt musitare maligni, quod magis valeret reditus ad devastandam Mathildam. Caret enim pontibus et vadis harenas involvens turbidus amnis. Quibus autem erat inflexibilis fides, dicebant: *Itinere trium vel quattuor dierum ibimus, et apud Narniam facile transibimus;* et scisma erat inter eos. Plures eorum instigabat retrotensio, minime transeundi fluvii intentio. Inter has ambiguitatis vicissitudines preterierunt decem dies. Loquebantur 35 autem inter se illi et ipsi, et falsi ac veridici, si forte valuissent seducere sanos infirmi. Extendebatur quoque usque ad tres miliarios ordo castrorum. Frater Benzo erat castrametatus quasi in medio eorum. Cognoscens autem eorum malam cogitationem, quia volebant deserere miliciam et incipere reversionem, non ausus est mitigare conceptum furorem per aliquam verborum persuasionem. Iam enim conspiraverant, ut si quis eorum conatibus pre- 40 sumpsisset contraire, gladiis et fustibus habuisset perire. Qua de re tale nactus est consilium, per quod eorum astucia versa est in nichilum. Fecit enim emere duas naviculas, quibus posset transportare suas sarcinulas. Quadam vero die, inter nonam et vesperum, dedit ei Deus ad transferendum[b] se et sua eventum prosperum. Statimque tenso tentorio ad cenandum recubuit, et remota cortina tabernaculi, universis se spectandum exhibuit. Perfidi 45 autem atque mendaces acuunt linguas male loquaces. Stantes in littore iaculant in eum sermones pravos; nil plus facere poterant, quoniam interpositum erat inter utrosque fluminis chahos. Deinde Lyburnis eisdem evectus est Placentinus, cuius fides est flamigera ut ardens caminus. Prefati vero episcopi tota illa nocte inmolaverunt se ipsos in laudem Dei cum psalmis et hymnis, dolosi vero exarserunt sicut ignis in spinis. Diluculo quidem transiit 50 dominus noster rex navigialiter cum domno Ravennate et Aquilegiano, trahens secum Sue- fol. 94'. vorum cuneum, et omnis iniquitas opilavit[97] hos suum. *Indicaverunt preterea indigenae duo vada Albensis episcopi militibus, ubi vadavit Mediolanensis archiepiscopus, et pene aliorum omnium exercitus.

a) *sic codex.* b) tranferendum *codex.* 55
97) h. e. lacerabat.

Cumque fuerunt ultra, ceperunt murmurare milia multa, quod ea tellus esset advenis p.1049 M. 1082.
et peregrinis mortifera, licet ad diversos usus hominum haberetur fructifera. *Ideoque non est inmorandum in ea, quia insperato adgregabit nos sibi mortis hydea. Itaque in brevi quod faciendum est faciamus, et quantocius frena retorqueamus.* Tunc abiecta formidabili suspi-
5 tione, cunctarum urbium proceres coacervatim humiliant se ad vestigia domini nostri regis, quos benigne suscipiens fecit participes sui gregis. Quibus dedit spem suae reversionis secundum voluntatem omnium seculorum Dispositoris. Post annum vero rediit Romam 1083. Ian.
iterum, et manifestavit Romanis se ipsum. Quanta autem et qualia operatus est ibi, non est nobis dicendum per singula, quoniam non est tanti operis sufficiens nostra hystoriola. Frater
10 vero Benzo, volens de corde domini sui Heinrici exterminare mordacis cure pressuram, direxit ei pro munere sequentis libri scripturam, ut ex ea recreatus aliquantulum, quasi novus redeat ad belli spectaculum.

INCIPIT PROLOGUS LIBRI SEXTI.

1.[a] In apostoli Andreae sacro natalicio
15 Revelatum est Benzoni: *Scribe de hoc vitio,*
Quod monstravit Folleprandus Buzi, vel Morticio[98].
Sine mora sumpsi pennam vel atramentarium,
Et descripsi Patariam per genus tripharium;
Notet verba rex et omnes ministri altarium.

20 ## NARRATIO.

2.[a] Silicernius[99] est mundus, finem clamat seculi;
Ante tempus senectutis homines sunt vetuli,
Longe fiunt a virtute, sed in malis seduli.
Vices suas non observant celum, terra, maria;
25 Helementa vitae nostrae, quondam salutaria,
Facientibus peccatis apparent contraria.
In incertum iactat gressum vana gens mortalium,
Indisciplinate currens more animalium;
Similis quidem videtur choris Bachanalium.
30 Civitates sunt divisae in multis erroribus,
Harum cives transformantur in hyrcos ex ovibus,
Hec mutatio ministrat helegos pastoribus.
Ab inferno prodierunt noviter 'heretici, fol. 95.
Patarini, Buziani, nec non et Prandellici,
35 Non curantes quid loquantur, utpote frenetici.
Araldinus Patariam primitus edocuit,
Buzi filius Buziam consequenter vomuit,
Seque esse Antichristum Prandellus innotuit.
Nimis sunt insipientes, qui his volunt credere,
40 Araldellus lingua grossa, catus tantum frendere,
Ad euphoniam linguae nequivit ascendere.
Saonensis Buzianus est quidam humuntio,
Ventre lato, crure curto, par podicis nuntio[1],
Tale monstrum non creavit sexuum coniunctio.
45 Falsus monachus Prandellus habet mille vicia,
Quem cognoscimus deformem, carne leprositia,
Ab aecclesia tollendus hac sola malicia. p.1050 M.
Angeli vultum assummit Sathanas verissimus,
Et in templo Petri sedet homo perditissimus;
50 Tempus est, ut eum perdat Discretor altissimus.

a) *deest numerus in ms.*

98) Cfr. supra lib. I. cap. 21. 99) senex, decrepitus. FR. 1) Crepitum ventris intelligit. FR.

Miseri, qui non cavemus quam pius est Dominus,
Qui non statim scelus punit, subveniens omnibus,
Quorum corda videt lota lacrimarum fontibus.
Suspirantes veneremur Dei pacientiam,
Qui dissimulat peccata propter penitentiam, 5
In duricia manentes dampnat per potentiam.
fol. 95'. Chain profugum *et vagum fecit cor inpenitens,
Pharao mersus est undis, curribus superbiens,
Ps. 105, 17. Dathan gluciit cum fratre terra se aperiens.
Quid putatis de Prandello, qui est compar haspidis[2]? 10
Cuius cor vincit rigorem adamantis lapidis;
Quae vorago hunc sorbebit, omnes bene sapitis.
Ultra furias furentum furit iste rutrifer[3],
Contra Deum, contra regem, delatrando iugiter,
Indignando quis non inflet buccas velut Iupiter? 15
Natus matre suburbana, de patre caprario,
Cucullatus fecit nidum in Petri solario,
Symoniace potitus eiusdem herario.
Unde delubra sanctorum deberet reficere,
Hinc hominibus suadet homines occidere. 20
Sed quis valet seriatim eius mala dicere?
Nabuchodonum qui vertit de rege in bestiam,
Destruat hunc monachellum, defendat aecclesiam,
Et coronet regem nostrum cum filio etiam.
Vadat cesar per exempla regum precedentium, 25
Qui tulerunt triumphantes regiones gentium,
Et dederunt possidendas turmis se sequentium.
Rex det terras, sicut boves dedit Peternatius;
Non accipere, sed dare, censetur beatius;
fol. 96. Donativis *disrumpetur infelix Acatius. 30
Quod lex dicit capitale, presummit Acatius,
Nam in coetu synodali cum residet altius,
Abusive coronatur; quid apostatacius?
Sicut ultus ex Hyrcano est cesar Pompegius,
Idem agat in Prandello successor egregius, 35
Amplius ne id conetur aliquis plebegius.
Hoc in Dei Civitate Augustinus recitat,
Ad vindictam tanti mali regem nostrum excitat,
Augustinum veritatis testem nullus hesitat.
Crure subinflato retinetur Benzo grabato, 40
Oppressus morbis, quia sic vult Conditor orbis;
Sed quia non possum cum rege ferire colossum,
Hos apices mando, per quos mea viscera pando.
Quod valui dixi, vos fratres, regis amici,
Promere debetis sapienter quicquid habetis; 45
Sensum quisque suum pariter comportet in unum,
Sensibus ex multis faciat rex esseda stultis.

INCIPIT PROLOGUS.

3.[a] Auro carens, vel argento, Albensis opilio
Has litterulas presentat Salomonis filio, 50
Regi nostro Heinrico, simili Pompylio.
His instructus fiat sequax regum precedentium,
Adversantes cogat flere cum stridore dentium,
fol. 96'. *Coelum audiat vindictam, et termini gentium.

a) *deest numerus in ms.* 2) aspidis, serpentis. FR. 3) h. e. ruricola, rusticus. 55

NARRATIO.

p. 1051 M.

4.[a] Postquam Romam perdiderunt cesares de Grecia,
Statim Francis portas pandit Romuli Lucretia;
Quo Gundafarus[4] audito tremit cum Trepecia[5].
Karolus Francorum primus vicit Aquitaniam,
Deinde felici gressu prostravit Hyspaniam,
Et rebellium multorum correxit insaniam.
Tres Ottones, qui fuerunt reges in Saxonia,
Summunt vices in Romana regnandi colonia,
Quorum fremitum horrebat magna Babylonia.
His successit Heinricus in sede Tyberii,
Quem decebat magistratus Romani imperii,
Homo Dei et coelestis, plenus desiderii.
Post hunc venit Chuonradus, ex Druso Windelicus[6],
Dives sensu, fortis manu, vultuque angelicus;
Eius namque potestatis est orbis famelicus[7].
De secundi Heinrici multa sapientia,
Deque eius contra hostes virtutis potentia,
Promulgare pertemptabit nullius scientia.
Tantus erat cesar ille, quanta est humanitas,
Formidabat ante eum apparere vanitas,
'Pulsis morbis habebatur generalis sanitas. (fol. 97.)
Hic heredem dereliquit Heinricum tercium,
Contra quem se congregarunt phalanges inercium,
Talibus restitit nemo de turba solercium.
Baioli, homines nequam, filii mendacii,
Rapientes hunc de sinu materni solacii,
Obsistebant, ne veniret ad coronam Lacii.
Multa passus est in sua, heu! puericia,
Quae non valet explicare Tullii pericia;
Iudicet hoc qui secernit virtutes et vicia.
Factus idem adolescens, coepit causas agere,
Et legalia mandata per climata spargere,
Ne presummat quis non sua, ut exlex, invadere.
Roma, quondam caput mundi, facta Babylonia,
Audiens regem dictantem legis testimonia,
Mox direxit contra eum hec duo demonia:
Scilicet Alexandrellum, de loco Badaculi,
Et Prandellum cucullatum, ministrum diaboli,
Per quos oritur in terra omne genus scandali.
Dedit eis Radamanthus infernales Furias,
Quae inducunt super gentes dolos et iniurias,
Et quocumque transmittuntur mortes et penurias.
Has miserunt ad Merdulfum[8], hominem Aegyptium, (p. 1052 M.)
Quem fecerunt furiosum, sive 'arepticium, (fol. 97'.)
Duro cordi apponentes superbiae vicium.
Stupent sani christiani de magorum artibus,
Quod in palam se demonstrant in Romanis partibus;
Nam Prandellus eas docet, effectus Nactanabus.
Ut se tradidit Merdulfus malignis spiritibus,
Furiarum propulsatur creberrimis ictibus,
Colluat ut contra regem omnimodis litibus.

a) *deest numerus in ms.*

4) Videtur significare quemvis vexilliferum, a *guntifano*, vexillum. FR. 5) Trapezus, velut pars insignis imperii Graeci. FR. 6) Cfr. Horatii Carm. IV, 4, 18. 7) sic rhythmi causa pro *famulus* Benzo. 8) h. e. ad Rudolfum ducem Sueviae.

9 Non rementus[9], quod a rege sit raptus de stercore,
Et per eum factus homo de balanti peccore,
Inter principes locatus erat maior Hectore.
Sed Prandello instigante periurus efficitur,
Et tocius benefacti regis obliviscitur, 5
A Zypheis pice tinctus, mox tyrannus dicitur.
Qui per hostium[9*] non intrat ad regni fastigium,
Mercennarii vel furis sequitur vestigium,
Non purificat hunc crisma, sed pix reddit Stigium.
Totum hoc Folleprandelli confecit astutia, 10
In Medea, non in Deo, cui est fiducia;
10 Nam de viris facit beluas sua cataputia[10].
Quod de arca tulit Petri eiusque altario,
Ut pugnaret contra regem misit mercennario;
Sed sic fuit, ut qui aquam pinsat[11] in mortario. 15
Rex, munitus signo crucis, abiit ad prelium,
Utrobique confortabat cuneos fidelium,
fol. 98. *Et contrivit Phylisteos sequentes Cornelium.
Pugna erat cum periuris atque cum mendacibus,
12 Et cum ventrium amicis[12] atque cum fugacibus, 20
Qui fuerunt esca lupis et corvis edacibus.
Non se tamen continebat hydra multicapitum,
Sed erat certamen tale, ut cum Iove Lapithum;
Fontem sanguinis rex cernens, non mutabat habitum.
Postquam rex hos superavit per multas victorias, 25
1080. Oct. 15. Cecidit ipse Merdulfus ad secli memorias;
Demus omnes Deo nostro gratiarum glorias.
Menbris omnibus abscisis, caput fixum stipite
Conspexerunt permanentes in castrorum limite:
Ut sic fiat Folleprando[a] o fideles, dicite. 30
Post hec ventum est ad Romam, summere imperium,
Sed turbavit Agarenus[13] nostrum desiderium,
Viam sepsit, qua transitur ad Petri pomerium.
Nunc scitote quot sit plenus vir ille demonibus,
p. 1053 M. Qui avertit seniorem ap[a] propriis domibus; 35
14 Iustum est ut his[14] tradatur pardis et leonibus.
Rex ad Petrum pavens ire cum effuso sanguine,
Per quem sperant expiari peccatorum animae,
Foris stetit per quot dies cum irato agmine.
Sicut avus atque pater, inquit, *nudis pedibus* 40
Quaesierunt sanctum Petrum in sacratis hedibus[15],
fol. 98'. *Ita est mea voluntas *cum meis fidelibus.*
Audi, Christe, regis vocem, exauditor omnium,
Contumatiam elide superborum hominum,
Et in cunctis creaturis te ostende dominum. 45
16 Porticanos[16] rex dimittens transmeavit fluvium,
Omnes currunt velut aque, quas urguet diluvium,
Dare fidem seniori omnibus est studium.
Urbibus rex ordinatis, et locis muniminum,
1083. Iul. Dereliquit Gomorreos[17] amatores criminum, 50

a) *sic codex.*

9) in memoriam revocans. FR. 9*) i. e. ostium. 10) medicorum pillulae, v. supra. Heic quodvis virulentum medicamentum videtur intelligi. FR. 11) contundit. FR. 12) fornicatoribus. FR. 13) h. e. Robertus Guiscardus, Normannorum dux. 14) is. FR. 15) aedibus. FR. 16) h. e. qui Leonis oppidum, suburbium Romanum, cui et nomen *Porticus*, inhabitabant; cfr. Stenzel l. c. I, 480. not. 56. 17) Gomorram inhabitantes. FR. 55

Lento pede iter habens, devenit Ariminum.
Post hec transit per Mathildam, stantem in Canussia,
Contorquentem manus suas pro amissa Tuscia;
Sed adhuc expectat eam acrior angustia.
5 Ad se traxit rex castella, cortes et cenobia;
Cui rerum serviebat diversarum copia,
Huic, rege faciente, adsistit inopia.
Tanta perdidit Mathilda, residens in cellula,
Quanta nequit explicare mea scribens pennula,
10 Quia sum ignarus loci, non sum de gubernula.
Ab aestate separato iam iam solis radio,
Visitavit rex Widonem, everso Sezadio;
Nullus hominum cum rege contendat in stadio.
Omne coelum sit serenum, veris tempus prodeat,
15 Apparere ante solem nulla nubes audeat,
De adventu principissae totus mundus gaudeat.
Cuius parem *non assignat orbis[18] ephymerida, fol. 99.
Peciit filium regem domna Adeleida,
Inter regem et Mathildam fieri vult media.
20 Ipsa quidem se et sua dabit regi filio,
Ut sit frequens ceu Martha in regis consilio,
Et Hegeria secunda recenti Pompilio.
Duos post hec Abacucos Prandellus edocuit,
Et per eos regi nostro et nocet et nocuit,
25 Pluribus secreta cordis per tales innotuit.
Unus est de porcarana[19], alter de ructeria, 19
Facie exterminati nudant monasteria,
Hii Prandello tradunt opes, se velant miseria.
Horum monachi vicissim contra regem musitant,
30 Et per omnes regiones nocituri cursitant,
Etiam adversus eum feminellas suscitant.
O quam multis temptamentis rex noster concutitur,
Circumquaque propulsatur, et pene obruitur,
Pacientiae sed scuto sapienter utitur.
35 Sunt occulta valde tua, Rex regum, iudicia,
Quia punis, quos defendit humana iustitia,
Nec[a] condempnas, quos accusant manifesta vicia.
Ioseph autem, tamquam mechum, placet claudi carcere,
Danihelem permisisti leonibus tradere,
40 Cum deberes, ut putamus, iustis viris parcere.
Quam beatus homo ille, qui sub virgua tacuit,
Et qui dicit, factum esse, sicut Deo placuit,
Ille ferrum *ferientis nequaquam exacuit. p. 1054 M. fol. 99'.
Haec temptatio quibusdam videtur abiectio,
45 Non est ita, sed Factoris est vera dilectio
Atque his, qui perseverant, fidei perfectio.
Nam uterque adornatus fuit torque aurea,
Et de parvo cruciatu venerunt ad gaudia;
Ecce signum, quod flagella non fuerunt hodia[20]. 20
50 Sertum namque ponebatur in regum capitibus,
Torques aurea in collo secundis principibus,
Qui sedebant secus reges ordinatis vicibus.
Clemens Deus regem nostrum temptavit laboribus,
Rex, ut aurum, coloratus exit a caloribus,

55 a) ne condempnas *codex*.

18) Cfr. supra lib. V, 9. 19) idem, ut videtur, quod porcaria = porcorum stabulum. 20) odia. FR.

Ideoque iam est scriptus cum imperatoribus.
Vadit Deus ante eum complanando singula,
Eius ira sunt rebelles complures in vincula,
Lex iubet, ut resistentes ferri stringat cingula.
Clarum est quod eum amat Rector dominantium; 5
Ante Romam confert ei regna circumstantium,
Africam Siciliamque, par Romae Bizancium.
Basileus misit ei multa sanctuaria,
Quae in templis seu bellis sat sunt necessaria;
Nulla dona super terram his habentur paria. 10
De sudario, de cruce, de corona spinea,
Qua delusit regem suum amaricans vinea;
21 Huiuscemodi thesaurum non corrumpit tinea[21].
Alieni volunt regem magno desiderio,
fol. 100. Constantinus *optat eum in suo imperio, 15
Infideles claudunt portas digni vituperio.
Haec dilatio intrandi ad Romanum solium
Innuit, quod male perdat malos facti lolium,
His expulsis, cesar suis tradat Capitolium.
Transferantur catenati quidam in Saxoniam, 20
Ut Iudei sunt translati apud Babyloniam,
Dispergantur, numquam magis habeant coloniam.
Nemo tradat sepulturae parvulum aut vetulum,
Videant posteri nostri totum hoc per speculum,
Quod fecistis novam Romam atque novum seculum. 25

5. Victrici dextra tenet imperialia sceptra
Cesar Heinricus, divinae legis amicus;
Hoc sciat omnis homo, quoniam veratia promo.
Monachus est victus propriaque cohorte relictus,
Spe fultus nulla, cecidit retro falsa cuculla 30
De solio Petri; iubilemus in ordine laeti,
Laudeturque Deus, quia liquit nos Phariseus
22 Cum Patarinis, quos mundo fudit Herinis[22].
Regnet in hac vita, cui terga dat Hysmahelita,
Cesar et augustus, trabea sensuque venustus, 35
Per quem purgaris, per quem nova Roma vocaris,
Terram conculcas, et coelum vertice pulsas.
fol. 100'. *Ecce vacas Hellis[23], nullis turbata procellis,
Supplex absque mora latorem pacis odora,
Atque refer grates tu Roma tuique penates, 40
Et satis exulta, quia pro te prelia multa
Fecit cum saxis Pyrenei culmine lapsis,
Pugnans cum Sclavis, rex fortis, mente suavis.
p. 1055 M. Exsuperavit eos, referens tibi Roma tropheos,
Perculit Ambrones, Lutices simul, et Frisiones, 45
Windelicos asta laniarunt regia castra,
Barbaries multas contrivit equina facultas,
Calcibus viventum volat ilico vita gementum.
Quis scribat penna, quot sorbuit atra gehenna?
Principio rixae concurrunt undique lixae, 50
Servi servorum, cultores demoniorum,
A quibus ipse Deus procul est, et filius eius;
Moloch constituunt, super hunc anathemata dicunt,
Inque brevi meta cadit ipse, suusque propheta

21) scabies. 22) Erinnys. FR. 23) Elis. FR. 55

Preciso collo moritur, mentitur Apollo,
Hic pulsus vita caret ephot[24] Sarabaita. 24
Roma, tui causa fuit hoc, iam quaeso repausa[25].
Tantus in orbe pater non est, nisi Iulius alter,
5 Pace viget mira, sed vindex fortis in ira
*Adversus turpes, quibus est mala fama per urbes. fol. 101.
In nullis nuta venient tibi, Roma, tributa
De multis regnis sine murmure vel sine tegnis[26].
De locuplete casa dedit Africa plurima vasa
10 Ex auro mundo, nec non ex here secundo[27],
Pallia, pigmentum, librarum milia centum,
Misit burdones[28], phylogeos, atque leones, 28
Addens dromelos, et habentes struma camelos,
Pelle nigra pullos, et nudae carnis homullos[29].
15 Strucio, venisti, spectacula magna dedisti.
Risimus, o quantum, veniente sorore gygantum.
Reges Hyspani, simul omnes Galliciani,
Unus post unum, gaudent offerre tributum,
Et nostri Sardi non sunt ad munera tardi.
20 Dicit Cartago, quam struxit Helissa[30] virago: 30
Ante dabo censum, quam perdam territa sensum,
Quando, Roma, ruis me contra, sum sine muris.
Allobroges, Ambri, Cynnomannes atque Sicambri
Sponte revertentur, nam se peccasse fatentur.
25 Ante Deum iacta te, Roma, iuvencula facta,
Et pete nobiscum regem, qui cernit abyssum,
Augustum talem concedat perpetualem.

6. *Descriptio de Prandelli maleficiis et de similibus suis. fol. 101'.

Quis est sicut Deus noster, qui in altis habitat,
30 Qui de gradu qualicumque humilem non abdicat,
A longe cognoscit eum, stimulo qui calcitrat.
Homines, caro et sanguis, in orbis infantia
Longe vidit aberrantes a prima substantia,
Lavit aquis quod commisit carnis habundantia.
35 Induratum Pharaonem a longe prospiciens,
Mare Rubrum contra eum potenter obiciens,
Servis suis fuit via et spes indeficiens.
Habyron[31] et fratrem eius cum suis cohortibus p. 1056 M.
Videns prorsus alienos ab Israel sortibus,
40 Condempnavit inauditis ab aeterno mortibus.
Num Senacherib nescivit ereptum de stragibus
*Cum Sathan, nec uni parcit de suis phalangibus,
Adorantem Nesrach[32] vidit fossum ut spalangius. 32
Cui placent redundantes caritate gemina,
45 Et humilitatis, ruri sua dantes[a], semina,
Holofernem iugulandum prescivit a femina.
Nabuchodonum in summis euntem articulis
Procul cernens, dedit pessum Senahar de titulis,
Septem fecit hunc silvanum annorum curriculis.
50 Qui pro nobis coram Anna[33] toleravit alapas, 33
Aman, regis Assueri princeps super satrapas,

a) *sic man. 2. corr. ex* suadentes.

24) ephod = vestis sacerdotalis; cfr. Exod. 25, 7 etc. 25) quiesce, dormi secure. FR. 26) sine fraude. 27) argento. FR. 28) mulos. 29) i. q. homunculos. 30) Elisa sive Dido. FR. 31) Cfr. Numer. cap. 16, 1. FR. 32) Cfr. Isaiam cap. 37, 38. 33) Hanna, summo Iudaeorum pontifice. FR.

Longe vidit te appensum[a] sicut latro Gammatras.
Benedictus sit Creator semper et laudabilis,
Qui in coelo et in terra apparet 'mirabilis,
Et terribilis perversis, rectisque placabilis.
Priusquam fieret mundus, Folleprandus visus est,
Et in finem seculorum primus antichristus est,
Omnium herrorum[34] caput a Behemoth[35] factus est.
Vicia coadunata in uno collegio
Fece scismatis hunc replent, non legis pulegio,
Vas fetoris mancipatum vocaverunt legio.
Protheus est monstruosus in diversis vultibus,
Modo ridet, modo plangit amixtis singultibus,
Nocte carnibus abutens, die tantum pultibus.
Magi Symonis adeptus omnino mendacium,
Et Synonem mentiendo vincit et Acatium,
Arrium et Manicheum, Zarohen, Ursacium.
Marsos quidem superando in suis accantibus,
Superis nigros presentans coram circumstantibus,
In meridiano cursu se iungit bachantibus.
Suis autem phantasiis turbat omne seculum,
Et imperii rectorem, nec non cetum presulum,
Nullum penitus obmittens puerum aut vetulum.
Imperator Romanorum Heinricus tercius,
Folleprandi malam famam scire volens cercius,
Romam venit, cui portas claudit Stercorentius[36].
Ruptis muris imperator triumphans introiit,
Merdiprandus fugam capit, hunc venisse doluit,
'Ut hyena quodam[37] trullo latitari voluit.
Synodus hinc congregatur in Petri vestibulo,
Noluit exire Symon de trulli latibulo,
Iudicatur reus mortis, et trabis patibulo.
Condempnato incubone[38] Ravennas eligitur
Orthodoxus[39], qui de regum traduce producitur,
Cesare precipiente papa benedicitur.
Quo audito liquit trullum confestim Stercutius,
Neque loco in eodem vult esse diutius,
Nullum putat Poliandrum fore sibi tutius.
Quaeritur per totam urbem sollerti indagine,
Ille draco tortuosus, anguis de propagine,
In telluris se abscondit profunda voragine.
Sed pulsatus de cavernis ob ruinae cumulum,
Devolavit moriturus ad Crescentis iugulum,
Quod indigene appellant Adriani tumulum.
Iam pilosus ad pilosum, alter clamat alterum:
Quia fecimus de luto omne genus laterum,
Pari morte hoc de loco ibimus ad Tartarum.
Sicut ego[40] *decollatus ab Ottone tercio,*
Ita tercius Heinricus te dabit proverbio;
Nam pro factis sumus digni simili commercio.
Esset melius non nasci, quam mori tam turpiter,

a) apensum *codex*.

34) errorum. 35) Cfr. Iob cap. 40, 10 sqq. FR. 36) stercori similis, aut qui stercore inquinatur; intelligit Hildebrandum. FR. 37) Trullus indigitat omne aedificium rotundum sive concameratum, per excellentiam deinde conclave secretum, in palatio Constantinopolitano. Heic vero castellum S. Angeli, quod paullo post poliandrum nominatur, intelligi liquet. FR. 38) fornicario. FR. 39) Wibertus scilicet, qui sub nomine Clementis III sedem Romanam obtinuit. 40) scilicet Crescentius.

Sed hoc leve ad tormentum quod sencies iugiter,
Mortem enim sine morte prestat suis Iupiter.
'Omnes ordines in mundo dent laudes Altissimo, fol. 103.
Qui concessit Heinrico, cesari fortissimo,
5 Conculcare basiliscum pede beatissimo.
Ecce novus Constantinus dat mundo laetitiam,
Nam radicitus evellit Prandelli nequitiam,
Et ubique christianam confortat militiam.
Et quoscumque fascinavit Prandellus hereticus,
10 Alter revocat Silvester[41], papa neotericus, 41
Patarinos destruendo, scriba euangelicus.
Roma, cesar, subiugata, possides imperium,
Quia Deus adimplevit tuum desiderium,
Tolle nobis quod portamus magnum improperium[42]. 42
15 Nos episcopi vocamur, nec sumus episcopi,
Auferunt quicquid habemus homines nequissimi;
Manum pone contra tales, minister Altissimi.
Cesar, quaere, cur mendicent fideles episcopi,
Nichil habent sibi ipsis, nil quod frangant inopi,
20 Nichil est eis relictum, neque ramus hysopi.
Solum fustem quem das, cesar, gerimus in manibus,
Cetera bona vicinis vorantur a canibus,
Similes quidem videmur nos umbris inanibus.
Perit honor sacerdotum et presulum dignitas,
25 Supergressa est fenestras crudelis iniquitas,
Conclamatum est, ni vestra nobis adsit pietas.
Si aecclesias servatis easque defenditis,
Et si pedibus luporum decipulam tenditis,
Placens Deo holocaustum devotus inpenditis.
30 'Ensem enim vobis cingunt aecclesiae presules, fol. 103'.
Ut mali cessent a malis, mutili vel debiles
Proscribantur in aeternum, per vos fient exules.
Iussu legis si vel unus artubus truncabitur,
Statim lupus fiet agnus, Deus collaudabitur,
35 Omne tempus regis nostri sabbatum vocabitur.
Cesar, spes aecclesiarum, stude sapientiae,
Quae tibi servabit arcem Romanae potentiae,
Ante te vadens cavebit gonos fraudulentiae.
Nam si rex phylosophatur, quid est gloriosius?
40 Hoc fecit Iustinianus, hoc et Theodosius,
Id exsequere, quod constat auro preciosius.
Imperator Heinricus, pater tanti filii,
Sapienter rexit sceptrum summi domicilii,
Septem artibus ornatus ad instar Pompilii.
45 Dignum est, ut tu patrisses[43] in celsis honoribus, p. 1058 M.
Redde patri suam formam corde, manu, moribus:
Prestet Deus, ut hoc agas in multis temporibus.
Quanta tibi facit Deus sis memor cottidie,
Te sequentibus appare ut sol in meridie,
50 Noctis speciem ostende filiis perfidiae.
Legifer es, dante Deo, in subiectis gentibus,
Equa lance pensa pondus parvis et potentibus,
Sic ius legis temperabis sub te quiescentibus.
Mercennarii mercedem lex iubet ne teneas,

55 41) alter scilicet Gerbertus. 42) dedecus, iniuria. FR. 43) patrissare = patrem imitari.

Pro hac culpa cautus esto, rex bone, ne pereas,
fol. 104. Imple legem, non videbis *phalanges funereas.
Si Benzoni, servo tuo, suum reddis meritum,
Evanescit velut fumus excursus proselitum,
Ad apostasiam versi ibunt in interitum. 5
Terga vertent universi spiritus silvatici,
44 Patarini et ambrones[44] simul et artabati,
Atque ligna colligentes sacro die sabbati.
Dignus est mercede sua Albensis episcopus,
45 Qui pro rege cum Zipheis[45] pugnavit prae omnibus, 10
Exturbans heresiarchas de Romanis domibus.
Bellum egit cum Prandello atque cum Badaculo,
Qui thesaurum sancti Petri ponebant in sacculo,
Expulit eos ab archa, potitus pinnaculo.
Redde vicem promerenti, certa spes imperii, 15
Ne inanes paciaris moras desiderii,
Opibus et maiestate compar es Tyberii.
Non est magnum tanto regi unum signum facere,
Hoc est, dicere Benzoni: *Veni foras, Lazare,*
Reddita tibi mercede sta sub meo latere! 20
In me solo si te ipsum, o cesar, glorificas,
Universos fratres meos non parum letificas,
Legem enim conservando Deum honorificas.
Cesar, potens in triumphis, nostram salvans patriam,
Ex fetore Zipheorum expurgans monarchiam, 25
Tibi soli Deus noster talem prestat gratiam.
Quicquid Iulius collegit sub uno imperio,
fol. 104'. Rei publicae reddetur *tali primicerio,
Exultabit restituto Roma desiderio.
Templa Dei consternentur auro tributario, 30
Quod persolvent reges terrae corde voluntario,
Utinam cernat hoc Alba de suo solario.
Amplius non erit werra, sed pacis perhennitas,
Una erit sine fine dierum sollempnitas;
Per quem fiet hoc in mundo, salvet vera deitas! 35

7.[a] Tantus es, o cesar, quantus et orbis;
Cis mare vel citra tu leo fortis,
Presso namque tua calce dracone,
Victor habes palmam cum Scipione.
Ille quidem Penos[46] exsuperavit, 40
Sed tua Romuleos dextra fugavit;
47 Ille palaciola fregit Elisse[47],
Tu Romae muros Iulius ipse.
Transcendens Fabios et Cicerones,
Cunctos Fabricios atque Catones, 45
Das populis iura cum Salomone,
Nam mel ab utroque funditur hore.
Reges christicolas atque profanos,
Et Theodosios, Iustinianos,
p.1059 M. Et magnos Karolos atque Pipinos, 50
Altius ut dicam, atque Sabinos,
fol. 105. *Transilis hos sensu, viribus, armis,

a) VI. *habet codex.*

44) Vide supra lib. V, 1. pag. 647. 45) Cfr. 1 Reg. 23, 19. 46) Poenos, Carthaginienses. FR.
47) Didonis. FR. 55

De coelo missus, non homo carnis.
Te quoque regna tremunt, cesar amande,
Temet ubique Deus ambulat ante,
Ad votum faciens cuncta venire,
5 Effundens fialam[48] fellis et irae, 48
Quos super ipse videt cordis amari,
Deque tuis sceptris velle vagari.
Ergo Dei, cesar, cerne fideles,
Quos humiles noscis et Michaheles[a],
10 Inter quos famulus, nomine Benzo,
Te petit, o rex bone, poplite flexo,
Ut sua respiciens vulnera tanguas[49],
Atque lupina potens guttura frangas.
Sic faciendo quidem ibis ad illum,
15 Qui pietate nutrit quemque pusillum.
De longa serra[50] brevietur, postulo, werra, 50
Ne Sarabaitae me vincant et Sodomitae.

INCIPIT PROLOGUS SEPTIMI LIBRI.

Qui diligitis Dominum pura mente,
20 State cum silentio, audientes intente.
Fama, nichil celans, bona vel mala cuncta revelans,
Retulit ubique, quod iusto iudicio Dei
Condempnatus est Prandellus, *collega Scariothei. fol. 105'.

Ipse autem pertinaciter resistens catholicae religioni, noluit interesse pontificum congrega-
25 tioni. Mandaverat autem sibi dominus noster, cesar Heinricus, per episcopos, per satrapas, 1084. Mart. 21.
et per insignes viros, ut fiducialiter venisset ad synodum, sedensque in tribunali discerneret
ex his, quae emerserint, aequitatis iudicium. Zabernas[51] secum traheret plenas codicum, ex 51
quibus ad probationem causarum proferret verax testimonium. Remordente autem conscien-
tia, recusavit sedile quod expetit apostolica reverentia. Exspectatur per triduum delitiscendo,
30 manifestavit se rationis vacuum et veritatis viduum. Scriptum est enim:

In vitium culpae ducit fuga, si caret arte. Horat. Ep. ad Pison. 31.

In extremitate vero synodi aperti sunt libri, et locuta sunt universa testimonia scripturarum,
quod Prandellus aeternaliter sit proiectus a limine omnium aecclesiarum. Remoto itaque Mart. 24.
noctis filio, elevatur Ravennas filius lucis in Petri domicilio. Quem rex benedici precipiens,
35 imposuit ei nomen Clemens. Precipitato igitur diabolo in puteum confusionis, sit pax et
gratia domini nostri Iesu Christi semper cum omnibus nobis.

Hiis ita gestis regrediens cesar in Germaniam, placuit notificari cunctis Prandelli insa- Iun.
niam. Ideoque apud concilium *disposuit, cui presules Hesperiae interesse voluit. Frater fol. 106.
vero Benzo, Albensis opilio, quia molestia corporis impediente nequivit adesse huic concilio
40 ad laudem Dei, qui tulit de medio aecclesiae adversarium, misit domino suo regi et fratribus
hoc litterale chorolarium[b].

INCIPIT LIBER SEPTIMUS. p. 1060 M.

1.[c] *Domno suo tercio Heinrico,*
Romanorum imperatori augusto, frater Benzo,
45 *Sine episcopatu episcopus, languens oculis et pedibus,*
Salutare tuum expectabo, Domine.

*Non est homo sub coelo, qui possit dicere, o cesar, quantum debeas Deo *pro tot graciis mise-* fol. 106'.
ricordiarum, innumerabilium quoque beneficiis victoriarum. Immola ergo Deo sacrificium lau-
dis et redde Altissimo vota tua; tales enim retributiones expectat Creator a creatura. Et nos

50 a) Michahes *lapsu calami codex, rhythmus enim postulat id quod scripsimus:* Michaheles; *cfr. infra lib. VII,* 1. b) *Hoc loco decem, qui olim sequebantur, versus ab auctore erasi sunt.* c) *deest numerus in ms.*

48) φιάλη, vas. 49) tangas. FR. 50) continuatione. FR. 51) arcas vel capsas ex tabulis ligneis confectas. FR.

levemus corda nostra cum manibus ad Deum in coelis, ut semper te muniat protectione Michahelis. Concisis igitur cervicibus adversantium, eripe nos de laqueo venantium. Preterea, mi domine, quia in legendis hystoriis non est tibi ocium, saltim de pontificali libro excerptum digneris legere hoc breviloquium. Dixerat enim ille Sarabaita, quod in sua esset potestate, quem vellet ad imperium promovere, et quem nollet removere. Sed arguitur falsitatis, testimonio libri pontificalis. Ibi quippe legitur, quod ordinatio papae atque episcoporum fit, atque esse debet, per manus regum et imperatorum.

2. Quoniam de impiissima heresi Folleprandelli volumus et debemus aliquid dicere, oportet a superioribus paulisper incipere. Constantinus igitur imperator, divina revelatione sanctique Silvestri digna predicatione conversus ad culturam christianae religionis, roboravit catholicam fidem *multiphariam multisque modis. Postquam autem Romanam dignitatem et pene totam Urbem traxit secum ad apostolicae credulitatis fidem, edicto constituit, ut omnes in sacrae fidei professione sentirent unum atque idem. Ea de causa reliquit Romae suum patricium ad custodiendam rem publicam, et de manu papae accipiens apocrissarium[52], voluit ut esset Constantinopoli ob disciplinam aecclesiasticam; quatenus presumenti garrire contra fidem fieret obvius apocrisarius, et aecclesiae Romanae volenti iniuriam inferre contradiceret patricius. Et quoniam electio papae fiebat in criptis propter metum paganorum, precepit ut deinceps celebraretur sollempniter in conventu populorum. Taliter quidem, ut si esset imperator eo loci, quo per unum vel duos menses valuisset Romana legatio ad eum attingere, datis induciis interroganda foret per legatum eius clementia, utrum placuisset sibi interesse corporali presentia. Si vero moras ageret cęsar in longinquis partibus orbis, cis mare vel extra, sedente patricio in sua horchestra, vice imperatoris, a clero, senatu et populo fiat secundum Deum coniventia huiusmodi electionis. Consecrari denique nullatenus presumatur, donec per se aut per suam *epistolam imperialis consensus adhibeatur. Quod a nullo violatum legimus, preter de Pelagio[53], qui suam non ausus est ad cesarem dirigere legationem, propter Longobardorum circa Romam frequentissimam discursionem. Cognoscens autem cęsar veritatem rei per patricium, non grave accepit quod non erat dolo comissum. Preterea non ignotum credimus episcopis et sapientibus clericis, qualiter beatus Gregorius[54] est inthronizatus, operante Germano patricio, volente atque iubente imperatore Mauricio. Usquequo vero hoc perduravit, cui est cura cognoscere, librum pontificalem dignetur revolvere. Illic inveniet, qualiter exarsit contra eos imperialis censura, qui ausi sunt infringere sacrae constitutionis intemeranda iura. Nam neque temporibus Grecorum, sive Francorum, aut Teutonicorum, qui adepti fuerunt arcem Romani imperii, evasit penas[55] presumptor huius sacrilegii. Tercius denique Otto, cuius magnalia predicantur in orbe toto, super cuiusdam pseudopapae[56] nefaria presumptione ultus est in aurium, linguae nasique detruncatione, simulque cum oculorum evulsione[57]. O vir virorum, o imperator imperatorum, cuius liberalitas erit memorialis per secula seculorum! Si ille *Otto tercius, o cesar Heinrice, et tu Heinricus tercius. Ergo, o vos duo tercii, estote unum in lege eiusdem commercii. Sed veniamus ad causam. Dominus noster cesar, secundus Heinricus[58], volens Romam venire gratia suae consecrationis, audivit tres diabolos usurpasse cathedram apostolicae sessionis. Quibus precipiendo mandavit, ut sibi occurrerent Sutrio, sed non venerunt nisi duo. Facta est autem ibi synodus, ubi sedente rege cum pontificibus, uterque eorum iusto iudicio est condempnatus, tercius vero, qui aufugit, anathematis facula fulminatus. Ventum est ad Romam. Postera die congregato concilio in aecclesia principis apostolorum, sedit rex Heinricus in medio episcoporum. Interfuit de universis gradibus tota nobilitas Romanorum, circumstantibus ducibus diversarumque dignitatum proceribus, inter quos etiam marchio Bonefatius. Post hec

Conticuere omnes intentique hora tenebant.

Tunc rex ait: *Seniores Romani, licet hactenus sive salsum, sive insulsum elegistis, et quęmcumque et quomodocumque voluistis: ecce solito more sit in vestra electione, accipite quem vultis de tota presenti congregatione.* Qui uno spiritu parique consilio responderunt: *„Ubi adest *presentia regiae maiestatis, non est electionis consensus in arbitrio nostrae voluntatis.*

52) legatum, a verbo ἀποκρίνειν. 53) scil. de Pelagio II, qui sedit inde ab anno 578 usque ad annum 590. De facto cfr. vitam Pelagii in Vignolii lib. pont. I, 231. 54) Gregorius I; de re cfr. Gregorii Turonensis hist. Francorum lib. X, cap. 1. 55) poenas. FR. 56) Iohannis XVI, Philagathi. 57) Cfr. locos apud Jaffé, Regesta pontif. Roman. pag. 344. 58) i. e. Heinricus III.

Et si forte aliquociens absens estis, tamen per officium patricii, qui est vester vicarius, semper apostolicae promocioni interestis. Neque enim patricius est papae patricius, verum ad procuranda rei publicae negotia est imperatoris patricius. Confitemur itaque, nos deviasse et ut minus sapientes, fatuos atque hydiotas[59] *inthronizasse. Pertinet quippe ad vestram imperialem potentiam, Romanam rem publicam legibus emendare, moribus adhornare, et hanc sanctam apostolicam aecclesiam, ne in aliquo detrimentum paciatur, brachio defensionis gubernare*". Inito proinde consilio, approbante sacra synodo, conlaudantibus senatoribus ceterisque civibus Romanis, procerumque et populorum catervis ibi congregatis, decretum est ut rex Heinricus cum universis in monarchia imperii sibi succedentibus fieret patricius, sicuti de Karolo factum legimus. Confestim attollitur clamor in coelum commistis vocibus clericorum atque laicorum, laudantium Deum. Indutus igitur rex viridissima clamide, desponsatur patriciali anulo, coronatur eiusdem prelature aureo circulo. Flexis deinde poplitibus rogatur ab universis ordinibus quo, adhibita discretione, tales secundum Deum eligat *pontifices, quorum doctrina revocetur ad salutem languidus[a] orbis, evulsis ab aecclesia pestilentiae morbis. Iussu vero regis omnes surrexerunt, atque sacras laetanias cum effusione lacrimarum decantaverunt. Deinde Bavembergensem[60] episcopum accepit rex potenti dextra, quem fecit sedere in apostolica horchestra. Eo quidem salutato, sicut mos est, ab omnibus, soluta est synodus. Die autem natalis Domini papa consecratur, per cuius manum rex Heinricus, oleo Spiritus sancti perhunctus, ad imperium sublimatur. Vocatus est enim ipse papa Clemens, et merito fuit, quippe bonus et benignus, placens Deo et hominibus; hunc consequutus est Brixanorum[61] presul, litterarum scientia dives, sed tantum tres et viginti vixit in Urbe dies[62]. Post quem ab eodem imperatore ordinatus est domnus Leo[63], de quo superfluum videtur aliquid narrare, quia in aecclesia sancti Petri habet suum altare. Dormiente preterea domno Leone in somno pacis, venerunt ad imperatoris curiam tres monachi quasi de Roma, cum non essent de Roma. Nam primus eorum erat de Tuscana, alter de Burgundia, tercius de Apulia, et dicebatur unus Aldeprandus, secundus Umbertus, ultimus Bonefacius, et simulabant *se fungi legatione pro futuri pastoris electione. Quibus dixit pater Herimannus, Coloniensis archiepiscopus: *Cum sitis monachi, nil ad vos pertinet istud negotium. Fugitivi estis sancti Benedicti, sub nulla regula vultis esse districti. Si placet domino meo imperatori, prestolandi sunt Romani, interim iubeat vos custodie mancipari.* Manserunt itaque cum eodem archipresule in curia, sine captionis iniuria. Et ecce repente veniens legatio Romanorum, stupebat de fraudulentiis monachorum; placuit ergo cunctis episcopis, quod domnus imperator istos Sarabaitas sacramento constringeret, ut nullo modo ipsi pape fierent, neque de electione papae per nullumvis ingenium se intromitterent. Et factum est ita. Quid plura? Domnus Victor eligitur, et Romam adducitur, et cum magna laeticia ab omni coetu rei publicae processionaliter suscipitur. Prenominati vero acephali[64] secuti sunt eum, non tamen recepti ad apostolicum secretum. Prandellus denique, callidior aliis, associavit se monetariis, volens placere domno apostolico saltim de monete negocio, et ita, nolente, volente papa, intrat et exit, ut inportunus canis, verumtamen a plenitudine *gratiae vacuus et inanis.

His ita gestis, pro dolor! dominus noster, imperator Heinricus, deserens nostrae peregrinationis caenum, translatus est ad galaxeum. Remansit puer rex cum matre augusta, et Romani, rupto sacramento, prevaricati sunt a via iusta. Nam revolutis non multis diebus domnus Victor defungitur, recensque idolum[65] a Romanis in aecclesia Constantiniana constituitur. Gotefredus dictus dux, gaudens turbare causam pueri regis, accepta peccunia pepigit fedus cum eis. Prandellus autem, non inmemor suae factionis, cum prenominatis Sarabaitis qui erant socii suae simulationis, ingressus est Senas[66], ubi cum Beatrice, nescientibus Romanis, erexit alterum idolum, falsum atque frivolum. Natus quippe de adulterio, non debuit assisci tanto talique mysterio. O patres conscripti Patris aeterni benedicti, decernite, consulite, et Prandellum in iudicium adducite. Probatur enim, teste veritate, multorum criminum reus; primo, quia electio papae nullatenus pertinet ad officium eius. Deinde, quod sacramento firmavit, non se facturum; faciens autem, lapsus est in periurium. Deinceps,

a) languid$_2$ *codex*.

59) idiotas, indoctos, rudes. FR. 60) Bambergensem episcopum Suidgerum, postea Clementem II nominatum. FR. 61) Damasus II. FR. 62) scil. inde a die 17. mensis Iulii usque ad 9. Aug. 1048. 63) Leo IX, qui sedit usque ad annum 1054. 64) sine capite. FR. 65) Benedictus X, cui oppositus est Nicolaus II. FR. 66) hodie Siena. FR.

fol. 110'. quod male actum est; non fuit tamen cum Romanis, 'neque Romae, sed in urbe Sene, quasi in spelunca hyenae. Postremo iure iurando ligavit illum miserrimum, quod nil ageret, nisi per eius iussionis verbum. Peius adhuc restat, graviter quod corda molestat! O coelum, o terra, cur non apparet indignatio vestra? Homines sunt insensibiles, non se monstrant talibus fantasiis terribiles. Corrumpens igitur Prandellus Romanos multis peccuniis multisque 5 periuriis, indixit synodum, ubi regali corona suum coronavit hydolum. Quod cernentes episcopi, facti sunt velut mortui. Legebatur autem in inferiori circulo eiusdem serti ita: *Corona* p. 1064 M. *regni de manu Dei.* In altero vero sic: *Diadema imperii de manu Petri.* Requiratur liber Augustini de civitate Dei, et discite, quid super consimili presumptione operata est formidanda manus imperatoris Pompeii. De cetero pascebat suum Nicholaum Prandellus in Late- 10 67 ranensi palacio, quasi asinum in stabulo[67]. Nullum erat opus Nicholaitae, nisi per verbum Sarabaitae. Pudet dicere, quot et quales viros pulsavit Prandelli insania per excommunicatricem linguam sui preconis, profluentis insania. Ad vindicandam vero suam aliorumque fol. 111. iniuriam erexit se Anno Coloniensis, exquisitis adulterae nativitatis figmentis. 'Communi aestate anni 1060. ergo consensu orthodoxorum[68] direxit illi excommunicationis epistolam, qua visa, dolens et 15 1061. Iul. 27. gemens presentem deseruit vitam. Enimvero Romani in melius recordati, convenientes in unum promittunt emendare quicquid peccaverunt in regem puerum. Itaque mittunt ei clamidem, mitram, anulum, et patricialem circulum per episcopos, per cardinales, atque per senatores, et per eos qui in populo videbantur prestantiores. Statim autem ut curiae presentantur, de tota Italia caeterisque regnis proceres convocantur. Visum est enim domnae impe- 20 ratrici suisque silentiariis, non esse recipienda Capitolii dona nisi cum regnorum primariis. Interea dum expectatur, Prandellus non inmemor suae artis ancxiatur, tergiversatur. Petit 69 Richardum de Capua[69], ducit ad Urbem sub mille librarum conditione, quo sibi prebeat adminiculum in novi antichristi constitutione. Quid plura? Accepta peccunia conatus est Richardus Lucensem hereticum deducere ad vincula sancti Petri, sed Romani bellicis armis restiterunt 25 ei. Facta est autem ab utraque parte magna strages, et sic clauditur dies. Richardus vero, adiutus noctis caligine nigra, adgreditur alia via, et manibus sanguineis nocturnum papam Oct. 1. inthronizavit, et ad Laterani palacium assportavit. Ecce pugna inter angelos et diabolos; dum rex cum episcopis ordinat suum papam iuste et legaliter, Prandellus cum Normannis e fol. 111'. contrario 'suum symonialiter. O qualis ordinatio! iste Lucensis appellatus Alexander, pri- 30 mitus Patariam invenit; archanum domni sui archiepiscopi, cui iuraverat, inimicis aperuit. Abusus est etiam quadam monacha cum Landulfino, suo proximo consobrino. Et talis super christianum populum exaltatur et, quod auditu nedum visu horribile est, quasi rex in synodo coronatur. Si vere utique iustitiam loquimini, recte iudicate filii hominum, utrum debeat regnare in sancta aecclesia talis illusio demonum? Utrum aliquis monachus possit creare 35 Sall. Iugurth. 31, 26. quemlibet papam, aut spurium, vel simoniacum, sive hereticum? *Nam impune facere quaelibet, id est regem esse.* Cur non totus mundus assurgit contra huius novi Prothei monstruosi- p. 1065 M. tates, et alterius Arrii hereticas pravitates? Ubi sunt Colonienses Herimanni? Hubi sunt Aribones Maguntini[70]? Ubi sunt illi et illi, quos non recolit memoria stili? Monachi et muliercule cogunt in fugam presules, quasi persequente Hercule. Monachos dico, et quales 40 monachos? periuriis infamatos, stupris[a] monialium sordidatos; et isti sunt creatores paparum ad dedecus eorum, qui sunt rectores aecclesiarum. Verum quos Prandellus plantavit, foenum fuerunt: quantum voluit vixerunt, quando voluit viam universae carnis tenuerunt. fol. 112. Denique cum sibi placuit 'Lucanum quem vocavit Alexandrum abire, precepit archigenem[71] 1073. Apr. 21. venire, ut incisa vena pro minuendo sanguine fieret divortium corporis et animae. Et factum 45 est ita. Continuo curritur per plateas, peccunia laxat largiendi habenas. Cuiuscumque non solum crumena, sed etiam saccus, numis bizanciis subfarcinatur pro eo, quod Folleprandus Horat. Ep. I, 6, 37. capiatur, rapiatur, et quasi invitus ad sedem trahatur[72]. Tota Roma clamoribus tonat, *et* 73 *genus et formam regina pecunia donat.* Conficitur negotium: qui dicitur Legio[73] sublimatur, demonium coronatur, cuculatus ad Capitolium pergit infulatus. Proverbium istud vide- 50

a) strupris *codex.*

67) Cfr. supra lib. III, 10 et lib. V, 1. 68) Ex decreto scilicet concilii, hoc ipso, ut videtur, tempore in Germania habiti. Cfr. Giesebrecht Annales Altahenses, pag. 154 et ibid. not. 2. 69) tamquam sedis Romanae vasallum sub Nicolao II; vide Leonis Ostiens. Chron. Casin. lib. III. cap. 15. FR. 70) Cfr. supra lib. III, 2. 71) chirurgum, vel medicum. 72) Cfr. Bonizonis librum VII, init. apud Oefele II, 811 A. 73) Cfr. Marc. 5, 9. 55

bant, qui aderant: *Si bacularis scandit equum, rabies exagitat eum.* O languor super omnes languores, o dolor super mortis dolores, ut sacrilegus, adulter, periurus, homicida, insuper et papicida, leprosus in corpore et in anima, magus, Sarabaita, cum talibus margaritis fiat Petri polita[74]! Et quamvis tot stercoribus fetebat, tamen omnes despiciebat, quosdam etiam maledicebat. Vas enim unde plenum est, inde reddit hodorem. Verum si iste blasphemus aliquem blasphemavit fidelem, ita est ac si diabolus iniurasset Michahelem. Operibus suis quisque ˙vel laudatur, vel infamatur, opera enim eius secuntur eum. Revera, qui facit peccatum, servus est peccati. Qui facit opus diaboli, servus est diaboli. Ergo iste falsa cuculla factus est diaboli medulla. Nulla est igitur eius maledictio, cum ipse sit maledictus et mendax, sicut pater mendatii ab initio. Munda sit illa manus quae debet tergere sordes. Cetera quis nescit? depulsus ab urbe putrescit. Diabolus non habet benedictionem, nullo modo potest benedicere. Maledictionem denique habet, quia est maledictus. Si forte quod suum est super fideles proicit, procul dubio nichil eis officit. Ipse enim radix peccati, quod non possidet im[a] proprietatem, quomodo impertiri valet ramis in hereditatem? Manifestum est igitur probabili conclusione, quoniam Prandellus Sarabaita nec papa fuit, nec papae fuerunt sathanei quos transformavit in angelos lucis. Quicumque vero super hac re aliter senserit, alienus a fide catholica salvus esse non poterit.

74 — Horat. Epist. I, 2, 69. — fol. 112'. — Apocal. 14, 13. — p. 1066 M.

3. Qui virtutes et vicia et virtutum officia
Recte novit discernere, non est ex bruto genere.
Virtus est mentis dignitas, et animi nobilitas,
Quae homines mirificat, insuper et deificat.
˙Obprobrium est vitium gerens mortis initium,
Illud qui secum baiulat[75], vivens mortuus ambulat.
Vicia concupiscere, hoc est venenum bibere.
Qui vult cum morte ludere, nequit vicia fugere.
Fugienda sunt vicia veluti precipitia,
Quae deludendo miseros, heu! mergunt ad inferos.
De virtutum gymnasio non demat nos occasio,
Nam virtutes diligere, est angelicę vivere.
Scalarum gradus optimus paratur ex virtutibus,
Per quem itur ad Dominum, qui est creator omnium.
Ergo sequamur semitam virtutis iuri debitam,
Quae ducit ad palacium ubi fulget topazium,
Palacium mirabile ex duodeno lapide,
Quod Virtus cum sodalibus struxit a penitralibus.
Fides fundamen posuit, parietes Spes protulit,
Tecta dolavit Caritas, totum depincxit Largitas.
Est satis conducibile, quod Virtutis quadrifide
Situs exornat fabricam, quia reddit tetragonam.
Turres servat Humilitas, sane mentis Sublimitas,
Ne propter supercilium corruat hedificium.
Simplicitas innoxia cum Puritate socia
Ad fenestras invigilat, ne lux intus defitiat.
Portas custodit Castitas, ne viciorum vastitas,
Iacens in suo stercore, introrsum possit repere.
˙Claves sacri palacii sine fuco mendacii
Gerit Misericordia, veniae dans primordia.
Haec affuit adulterae, scribens in terrae pulvere:
Si quis non habet scabiem, mittat in eam lapidem.
Pietas tenet atria, expulsa Hydolatria,
Iacentibus in crimine volens manum porrigere,
Ut in confessionibus sanetur omnis populus,
Qui in mortis voragine non dedignantur plangere.

fol. 113. — 75 — fol. 113'. — Ioh. 8, 7.

a) *sic codex.*

74) Petri civis, id est Romanus pontifex. FR. 75) gerit, exercet. FR.

Hec latronem cum lacrimis, sanctis suscepit brachiis,
76 Et fecit primicerium[76] ad regale pomerium,
Quod Protogibra[77] perdidit, quando transgressor extitit;
Sed dat per penitentiam Pietas indulgentiam.
Foris stat Pacientia, ut Ira et Dementia 5
In dorso Pacientiae fabricent omni tempore.
Circa frequens mysterium, et cure desiderium,
Calcata somnolentia, currit Oboedientia.
Convocat Amicicia ad munerum officia
Omnes secundum meritum, futurum vel preteritum. 10
In coelesti milicia, si desit amicicia,
Apparebit divortium, omne scindens consortium.
p. 1067 M. Huius virtutis gratia sol est in mundi patria,
Quam si de mundo tuleris, solem furatus fueris.
Haec refulsit propitia in mundi puericia, 15
fol. 114. Sed hanc *sua nequitia turbavit Avaricia.
O homo, carne labilis, mente racionabilis,
78 Pestis repelle titulos, quae condilat[78] articulos.
In manibus te nocuit, nichil plus in te potuit,
Auferens manus floridas, et dedit lepra horridas. 20
Vade, lavare septies, ut renovetur species,
Quam tulit phylargiria[79], semper habens suspiria.
Cetera sunt in ordine, cum mensura vel pondere,
Manus sentit interitum, laboris tollens meritum.
Clarissimi sunt oculi ad discernendum providi, 25
Aures sine prurigine, lingua sine rubigine.
Os totum constat aureum, pacis porrigens osculum,
Manus sunt in tristicia, quos torquet avaricia.
O homo, mente nobilis, ne sis manu ignobilis,
Sed cum hac inmundicia absterge cuncta vicia. 30
Qui virtutum deliciis fruitur, pressis viciis,
Erit de sorte Domini, non sequax Apopompei[80].

4. Semper gratias agamus Factori corde tenus,
Qui nos humiles plasmavit, non duros ut hebenus[81],
82 Ne vecordes pereamus, crudus ut Achemenus[82]. 35
Ergo simus non ut equi sine intellectibus,
Mundo corde presentemur supernis conspectibus,
Et ad nuptias intremus niveis cum vestibus.
fol. 114'. *Recolamus quia Deus, qui caret initio,
Totum mundum fabricavit ad votum de nichilo, 40
Angelos sursum locavit, inmunes a vicio.
In his unus, appellatus virtutis signaculum,
Maluit in aquilone ponere pinnaculum,
Cum complicibus mox ruit ad Plutonis stabulum.
Dampna coeli reparare volens Dei filius, 45
Hominem de luto fincxit ad despectum illius,
Qui quaerebat principari in suis similibus,
O quam mira, quam laudanda Dei sapientia,
Quae ab alto fulminavit pneumata tumentia,
Et ad coelum elevavit in imo iacentia. 50
Ordinandus es, o homo, in arce Altissimi,
Quam liquerunt sua culpa spiritus nequissimi,

76) primum. FR. 77) primus parens, nempe Adam. FR. 78) inficit, invadit. FR. 79) avaritia. 80) venti abducentis, quo nautae volunt. FR. 81) ligni durissimi species. FR. 82) Achaemenes, primus Persarum rex. FR. 55

Eapropter erunt tibi semper infestissimi.
Sed tu locum tibi datum defende viriliter,
Sequere Factorem tuum eundo simpliciter,
Crede Deo, et in Deum regnabis feliciter.
5 Inimico numquam credas, qui te vult decipere,
Recordare primae fraudis ex boatu viperae,
Nam debes ex alienis tibimet prospicere.
Te modis temptabit mille tuus adversarius,
Apparebit tibi pardus in colore varius,
10 Se in angelum monstrabit princeps sinistrarius.
Tu adversus temptamenta versipelli emuli,
Dic: *In Domino confido*, ne sis cordis tremuli: Psal. 10, 2
Veniet ad liberandum statim Auctor seculi.
Nimium te Deus amat, humana condicio,
15 Nam scripturae te confortat sacrae beneficio,
Ut ab animae vel carnis abscondat exicio.
Quando flectere te cupit Pestifer ad scelera,
Ad consilium scripturae festinus accelera;
Huic haere, ut arbustis implicatur hedera.
20 ˙Hic invenies medelam morborum et vulnerum, p. 1068 M. fol. 115.
Quae secuntur nos maternum deserentes uterum,
Et cottidie in nobis crescunt super numerum.
Vicia sive virtutes scriptura determinat,
Et non tacet quales ramos unumquodque germinat,
25 Ne continguas quod tangentis animam exterminat.
Hominum diversitates narrant sacrae litterae,
Primos sexus accusantes gustu dapis misere,
Et Chain, qui fratrem rutro presumpsit occidere.
Datur cunctis in exemplum Senaar[83] abusio, 83
30 Sed inceptum dereliquit linguarum confusio;
Benedictus sit Salvator noster homohusio[84].
Supra modum peccaverunt Gomorra cum Sodoma,
Vindicatum est in eis ex nube flamivoma,
Scripta sunt autem pro nobis ad salutis commoda.
35 Alienum offerentes ignem sacrificiis,
Perierunt absque mora mortibus orrificis,
Quia lex hoc prohibebat in sacris officiis.
Notum est quae sit sors illa, quae viva interiit;
Nec hoc latet, quod cum suis Chore[85] flammis periit,
40 Prodest nobis, quod scriptura istud non preteriit.
Vobis, o Gabaonite[86], foret mori optimum,
Quam aeternae servitutis deportare cophinum[87],
Nobis dicitur, qui mundum adoptamus dominum.
Gyezi[88], cupiditatis inflammatus facula, 88
45 Sumpto precio leprosi fit conspersus macula,
Devitemus hec, ne simus aliorum fabula.
Ex his paucis perquirantur multa, quae non scribimus,
Nam quid est ad scripturarum silvam sensus minimus?
David regi monstrat viam, tamen puer timidus.
50 Omni hora cum intramus Dei sanctuarium,
Semper nobis ministratur hoc helectuarium,
Stultum est, si refutamus quod est necessarium.
˙Haec sunt enim in sinistra digesta superius, fol. 115'.

83) Cfr. Genes. cap. 11, 2. 84) i. e. ὁμοούσιος, coessentialis Patri et Spiritui sancto. 85) Cfr. librum Numerorum cap. 16, 32. 86) Cfr. Iosua 9, 22 etc. 87) Cfr. 2 Reg. 10, 7. 88) Gehasi, v. 2 Reg. 5, 20. FR.

Quae per spaciosam viam eunt in deterius,
Nullus tenebras incurrat vagantes exterius.
Nos ad dexteram virtutum, licet iter arduum,
Convertamus gressus nostros, spretis spinis saltuum,
Super rosas gradiemur, non iam super carduum. 5
Primus ivit per hanc viam Abel, martyr Domini,
Post hunc omnes patriarche, prophete, apostoli,
Martyres et confessores, ac fideles populi.
Per hunc callem gradientes carent inmunditia,
Ambulantes sinistrorsum comitantur vicia, 10
Quid sit melius duorum, eligat iustitia.
Unum porro, ut sciatis, est precium opere,
Angeli ante ruinam non erant sub onere,
Sed post casum valde gravi deprimuntur pondere.
Qui in eis principatur per solam nequitiam, 15
Inter illos est partitus mundanam stultitiam,
Ut deludant sortem nostram per falsam laetitiam
Per invidiam quandoque, et per avariciam,
Et per rerum detrimenta moveant tristitiam,
Et, quod peius est, nos ducant in cordis duriciam. 20
Alii spiritus nequam presunt homicidiis,
Alii intendunt rixis, quidam latrocinis,
p. 1069 M. Alii student rapinis, quidam lenociniis
Non sunt pauci, sed est turba magne multitudinis,
Qui dicuntur amatores esse turpitudinis, 25
Ab hac lue nos defende, Deus fortitudinis.
Hi suadent servos Dei abuti ingluvie,
Et ut suggant sepe merum velut guttas pluviae,
Ut cum Loth his castitatis tollantur exuviae.
Haec et alia nefanda sacra refert pagina: 30
Ne in laqueos venantum cadat nostra anima,
89 Audiat auris intente scripturarum famina[89].
fol. 116. 'Hec amoris nostri causa iussit Deus scribere,
Ne tot artibus deceptor possit nos decipere;
Pater noster vult nos esse cum Filio liberę. 35
Monet nos Salvator noster per tubas fidelium,
Per se ipsum, et per suum sanctum euangelium,
Et per eos qui committunt cum dracone prelium.
Salutaribus preceptis frequenter amoniti,
90 Caveamus tegnas[90] furis nos temptare soliti, 40
Qui nobis invidet regnum, quo sumus dispositi.
Ad quam partem placet ire, hic datur electio;
Si opprobrium non vultis esse, vel abiectio,
Hoc eligite, quod sacra persuadet lectio.
Quid dicturus erit Iudex in magno iudicio? 45
Non est rectum, quod hic estis inquinati vicio,
Quos purgavi, memet ipsum tradens sacrificio.
Ubi est similitudo quam feci in homine?
Depravata est moneta, meo sculpta nomine.
O quam durus est hic sermo, rex aeternę Domine: 50
Non habetis ita sanum, sicut dedi, cerebrum,
Destinavi vobis coelum, vos itis ad Herebum,
Et pro melle scripturarum bibistis elleborum.
Et de vobis feci papas, et Romanos cesares,

89) quod fatur scriptura FR. 90) τέχνας, fraudes. FR. 55

Presules, et dignitatum diversarum proceres,
Et vos petitis inferni, me contento [a], *carceres!*
Num idcirco principatus rerumque divicias
Contuli, ut emeretis Sathan amicicias,
5 *Et cum eo lueretis perhennes tristitias?*
Tortum est, pro benefactis malefacta reddere,
Nec dignum servire mundo, et Deum offendere,
Redite, Deus non spernit, nec vult quemquam perdere.
'Redimenda sunt peccata fletu penitentium. fol. 116'.
10 Reponamus quae habemus sinibus egentium,
Terga dabit hostis noster, rex superbientium.
Vobis loquor, o potentes, qui splendide vivitis,
Si quid forte comisistis, quare non redimitis?
Date, date relictura, sic in coelum ibitis.
15 Qui in mundo possidetis terrarum potentiam,
Ne portetis hinc euntes rerum indigentiam,
Vos precedere iubete vestram affluentiam.
Quae post obitum sequantur fuerint paucissima,
Plurium quidem heredum constat spes vanissima,
20 Cogitate, cogitate de die novissima!
Omnes quidem exituri de carnis mapalibus,
Oleum deferant secum in suis lampadibus,
Ianua namque coelestis aperitur talibus.

5. Amantis est officium, reprehendere vitium
25 Eius, quem multum diligit, et quem errare prospicit.
Errantem qui non revocat, ut magis erret provocat.
Sanguinis reus fuerit, nisi cautum reddiderit.
Quem non ficte diligimus, libenter ammonuimus,
Ut inhonesta fugiat, et in dando non mugiat.
30 Hylari vultu porrigat, cum tempus aut res postulat, p. 1070 M.
Sua cunctis non dividat, cui det bene videat.
Relictis coaetaneis, non se iungat extraneis,
Quibus non bene creditur; de petra lac non premitur.
'Multum valet discrecio, quae non sub uno precio fol. 117.
35 Tales et quales redigit, sed meliores eligit.
Cum coeno mel non temperat, sed ab invicem separat,
Mel defert ad triclinium, coenum ad sterquilinium.
In suo quemquam ordine sapiens novit ponere:
In sinistra non collocat, quem dextra dignum computat.
40 O homo, discretissime ab albo nigrum divide,
Lateri iunge proximum, neque ponas post hostium [91]. 91
Una die, quis fuerit amicus, apparuerit:
Amicus qui non labitur, auro non coequabitur.

6. Quid hic statis tota die occiosi nimium? Matth. 20,6.
45 Finis rerum conlaudatur magis quam initium,
Si ad ultimam intratis, non censetur vitium.
Laboremus, dum spiramus per fenestras narium,
Monomachice vincamus nostrum adversarium,
Presto erit procurator, qui dabit denarium.
50 Labor iste delictorum disrumpet maceriam,
Labor iste propulsabit veterem miseriam,
Labor iste mansionem parabit aetheriam.
Ne remaneant mortales sub peccato miseri,

a) *sic codex; legendum* contempto.

91) ostium.

Dedit Deus potestatem favillae et cineri,
Filii, si volunt, eius quia possunt fieri.
(fol. 117') 'Si presentia commissa iungantur preteritis,
Servi non eratis digni, cessantibus meritis,
Tamen digne penitentes adoptivi eritis. 5
Privilegium, quod dedit Patris sapientia,
Volvat et revolvat secum pectoris prudentia,
Ne oblivioni tradat illud negligentia.
Est autem in potestate liberi arbitrii,
Homines filios Dei, vel angelos fieri, 10
Aut prophetam, qui dormivit in umbra iuniperi.
Potest esse plasma Dei, sol, aut stella aliqua,
Seu turtur, vel columba, carens fellis macula,
Vel post longam senectutem iuvenescens aquila.
Quod si piscis mavult esse in aquis currentibus, 15
Potest fieri thimallus[92] cum squamis holentibus[93],
Non deveniat anguilla similis serpentibus.
Homo est factura Dei valde honorabilis,
Non se comparet iumentis quibus est mirabilis,
Quae substernit eius virtus multum formidabilis. 20
Cui placet frutex esse, fiat arbor balsami,
Non sit rubus, non sit ramnus, non surculus calami,
Fiat nardus dans hodorem in secreto thalami.
Fiat cedrus, sit oliva cum liquore crismatis,
(fol. 118) A quo 'rite dissipatur omne genus scismatis, 25
A quo perit leo ille habitans in abditis.
Si metallum cupit esse, sit aurum Arabie,
Sit argentum de fornace divitis Calabriae,
Non sit plumbum gravitatis livida cum facie.
Ecce nobis est concessum, fieri quod volumus: 30
Qui contemplative vivit, angelis est socius,
Qui reliquit sua mundo, est vir apostolicus.
Nemo cupit esse martyr, dubitans martyrium,
Pauci servant coelibatum, quod est fructus virginum,
Fiant saltim confessores, diligant ieiunium. 35
Corporis quia castigat omne supervacuum,
(p. 1071 M) Quantum sufficit naturae proicit in sacculum,
Si quid forte plus addatur, deputat piaculum.
Nimis sunt amici Dei honorati homines,
Quibus est donatum ire supra quosdam homines, 40
Et cunctorum angelorum volare per ordines.
Quae sunt ergo meliora, omnis homo eligat,
Nam qui valet esse cygnus, si corvus deveniat,
Omnes istud ammirantes ad cachinnum excitat.
Et qui potest esse palma quae dactilos germinat, 45
Si fit spina quae pilosos bucellinos generat,
(fol. 118') 'Nichilominus in risum videntes exagitat.
Inter sursum et deorsum sumus vita media,
Nostra sit irę ad coelum sitis et inedia,
Quaerere nichil in terra sunt vera remedia. 50
Corda sursum habeamus, non simus degeneres,
Arbores quidem feraces simus et non steriles,
Atque studiis in bonis omni hora virides.
Nemo velit esse ficus foliis horribilis,
Quae negavit cybum Christo[94] ac suis discipulis, 55

92) species piscis, Germanis Aſche. FR. 93) olentibus. FR. 94) Cfr. Marc. 11, 13.

Ideo remansit sicca, foco tantum utilis.
Si in viridi hoc fuit, quid erit in arido? Luc. 23, 31.
Ficum ergo cophinemus[95] in viridiario, 95
Grossos semper habeamus in nostro ficario[96].
5 Quando est securis sita ad radicem arboris,
Tantum valet ei fimus, quam ad pedes marmoris;
Festinemus, quod oportet, ante tempus temporis.
Quisque petens galaxeum, linque quae sunt vallium,
Sis Helias, Heliseo qui proiecit pallium[97], 97
10 Est enim regnum coelorum veraciter talium.
Si terrena retinentes sursum ire cupitis,
Vobis ipsis, fratres mei, patenter illuditis.
Non potestis hinc abire, nisi vos exuitis.
*Quia properant ad finem nostra interlunia, fol. 119.
15 Quae habemus, cum amicis sint cuncta communia.
Non subiciat nos sibi funesta peccunia.
Vita brevis, pater ista monet,
Quae properanter agenda docet,
Nescit enim cita stare loco,
20 Hinc paveat nimis omnis homo,
Et faciat facienda cito,
Vita fugit, rapimur subito.
Ergo laboret in orbe gybra[98], 98
Dum vehitur quaciente fibra;
25 Post obitum labor irritus est.
Iudicium magis omnibus est.

7[a]. Est hic mundus tamquam silva multiplex arboribus,
Quarum quaedam gaudent fructu, et quaedam hodoribus,
Quaedam steriles, quae ignis traduntur ardoribus.
30 Scribere pomorum matres non est opus facile,
Vel quae pariunt hodorem, munus exoptabile,
Aut quae flammis deputantur, quod est formidabile.
Quid significent quaeramus, quod multis profuerit,
Si sententias doctorum legere voluerint,
35 Si in cote *seniorum semet exacuerint. fol. 119'.
Arbores enim feraces sunt viri, vel feminae,
Debriati sacro fonte caritatis geminae,
Et quae replent corda fratrum spiritali semine.
Qui devote propter Deum construunt basilicas,
40 Et constituunt ibidem clericos, familias,
Qui non cessent immolare hostias pacificas.
Quam beatus homo ille, qui hanc domum fabricat,
Ubi cum terrenis servis Deus noster habitat,
Ipse larvas infernorum post mortem non trepidat. p. 1072 M
45 Noe Domino altare faciens suppliciter,
Meruit statim audire: *Cresce multipliciter,*
Ad Helisium migrabis de mundo feliciter.
Abraham super altare caram prolem obtulit,
Quam fidelis esset Deo ex hac re innotuit,
50 De quo virgo sine viro Deum nobis protulit.
Iacob lapidem inungens erexit in titulum,
Et vidit innixum scalae Christum Dei filium,

a) *deest numerus in ms.*

95) in corbes colligamus, a κόφινος, corbis, vas vimineum. FR. 96) vas in quo ficus feruntur,
55 Graecis συκοφορεῖον. 97) Cfr. 4 Reg. 2, 8. 98) homo, cfr. supra cap. 3.

Qui descendit per hanc scalam ad crucis patibulum.
Salomon hedificavit templum Regi gloriae,
Ubi omnes purgabantur a reatu scoriae,
Per quod templum est descriptus in libro memoriae.
fol. 120. *Adrianus imperator, Helius[99] cognomine, 5
Edidit aulam sepulchri in eiusdem nomine,
Heliam vocavit urbem regio prenomine.
Et quis magni Constantini nescit mirabilia?
Cum apostolorum cernit mira domicilia,
Ubi lapidum, vel heris[1], sunt tanta sculptilia. 10
Nam in urbe Constantini, quae vocatur, regia,
Per domnum Iustinianum facta est aecclesia,
Cuius opus admirantur seculorum secula.
Galla quidem, Romanorum nobilis patricia,
Condidit Mediolani celsa hedificia, 15
Ubi est nostri levitae celebris noticia.
Numquid est in toto mundo aula tam mirabilis,
Porphireticis exstructa cum aureis laminis,
Ut Laurentii levitae et beati martyris?
Theodosius Vercellis construxit basilicam, 20
Quam fecit centum columnis diversis mirificam;
O Eusebi, huic precare patriam glorificam!
Karolus condidit multa Dei tabernacula,
Ideoque caret modo omni carnis macula,
Paradisi nunc obumbrant Karolum umbracula. 25
In Papia rex Liprandus[2] ad decus clavigeri
Fecit templum, quod appellant gentes *Coeli Aurei*,
Quod est regis ad salutem animae vel corporis.
Adelegida, quae nunc est inter choros ovium,
fol. 120'. Quae *consistunt ante matris Iesu Christi solium, 30
In honore Salvatoris condidit coenobium.
Ab Heinricis, quos timebant infernales lamiae,
Sunt erecta Dei templa regnis Alemaniae,
Per hec templa sunt in pace regum sanctae animae.
His exemplis eruditus, cesar invictissimus 35
Templa struit, clerum nutrit, ut pater piissimus,
Reddat ei dignas vices inspector Altissimus.
Non tamen debet augustus semper templa struere,
Sed minantibus ruinam clementer occurrere,
In miseria conlapsis precipiat surgere. 40
In penuriae ruina Laurentius volvitur:
Si per te, cesar auguste, a pressura tollitur,
Omnis nexus qui te stringit, per levitam solvitur.

8[a]. Cesar honor regum, cesar discretio legum,
Te rogo per Christum, lege librum funditus istum, 45
Quem tibi servus ego fero curvus corpore Benzo,
p. 1073 M. Nam plus quam vellus Colchi valet iste libellus.
Cuius erat vellus, fuerat possessio tellus,
Hic tibi servabit terram, coeloque locabit.

Quoniam mysterium velleris non satis patet universis, ad resolutionem huius rei im- 50
ploranda est misericordia redemptoris nostri Dei, qui obscura inluminat, et in virtute brachii

a) *deest numerus in ms.*

99) Aelius, nam iste pro eversa Hierosolyma aliam circa eum locum urbem condidit, quam de se Aeliam Capitolinam vocavit. FR. 1) aeris. 2) Liutprandus rex Longobardorum. FR.

sui inimicos cesaris cottidie fulminat. Ipse enim pius Plastes per Ioseph, *puerum suum, (fol. 121.) instruxit Pharaonem; nam nimis erat obscurum, bovem a bove pati commestionem. Eodem quoque modulo placet omnipotenti Figulo, de quibusdam incertis certum facere Heinricum imperatorem per Albensem episcopum, servum suum, Benzonem. Confido in Domino, sine cuius nutu nec folium cadit arboris, nec in calcem resolvitur duricia marmoris, quod domino meo cesare augusto sedente in Saxonia, ab Apuliae seu Calabriae exterminabuntur Normanni utraque colonia. Si quis dixerit: *Quomodo possunt hec fieri?* crede michi, non sunt hec committenda omni spiritui. Certe nisi infirmitas prohibuisset auribus domini mei, mea parvitas hec imposuisset. Cesar ergo proinde consilium capiat, quatenus ea medullitus sapiat. Ipse vero Deus, quem nichil latet, ad faciendas vel inquirendas maiores res mittit aliquem de (p. 1074 M.) summis principibus, dans exemplum hominibus ut idem faciant, cum tempus aut res postulat. Scio enim quia nemo esset tam hydoneus[3] ad hoc opus, quam ille, super cuius caput apparuit igneus globus. Locus denique, cui presidendo titulatur, Acigunma[4] vocitatur. Quid plura? Quod dominus meus cesar augustus valet perficere, residens apud Saxoniam in solio suae maiestatis, monstruosum videbitur, si id recusat inquirere ad sublimandam gloriam suae felicitatis. Non est enim longa via, experiatur utrum vera sit hec prophetia. Verum tamen, si venerit archangelus de quo supra scripsi, veniat humilis, non im[a] pompa curruum, quoniam melius quasi sub absconso clamidis liberabit non solum has provincias, sed etiam presens seculum. Veniat, obsecro, ille et non alius, adventus quippe eius valde est necessarius. Multa quidem fiunt indisciplinate atque inordinate, quae facile redibunt in pristinum statum talis legati conducibilitate. Et quamvis sit ille sapienti aeloquentia dives, tamen de nostrae humilitatis sensu accipiet persuasibiles vires. *Ex[b] his igitur quae scio et quae vidi, profundiora (fol. 121'.) et potiora consilia valeo | . . . . vero ligur . . . um . . . . or, ... m . . . . . . | pa . . . . Igitur . . . denique . . . . nonis | remov . . . . mor . . . . | imp . . . Sit, precor . . . . cesar augustus . . . . . nsem peli · . . . | legatos ex multitudine . . . . sed aliquando . . . . | si soli g . . . . . . ic̄ . . . d . . . . principalibus Iuno meminissem | . . . . tes co . . amo . . . . neminem magna | . . est salva aecclesia . . . . em . . . . Quorum | iussionibus m . . . . . bibat odio ex alio . . . . ped . . . . | Nota . . . . ę ę . . . . alb . . . . epy . . . . . | Ut . . . . [aug]usto . . . . em sermo . . olit | miseris et prope perit[issimus] . . . . ugis | Ab alio . . . . tis . . . . . . sse . . . . omnipo[tenti] | dignum hodio . si discordes sunt, hec profutura sal . . . s . . . . . . | successoribus subr . . . . momen . . . . . d . . . . hec | propalanda . . . olum spem meam domino meo cesari . . la . . . . . tie | victoriam, a culpa silentii animam meam liberavi. | Cesar itaque, ad omne quod expedit vigilantissimus, suscipit | hac re in gremio desiderii . tamquam o . . . sus residere | sed sicut auriga peritissimus sibi et aliis providens . . . . . . | bi hoc dampnum amplius recuperabitur, donec coelum | sicut liber plicabitur.

a) *sic codex.* b) *postremum hoc folium putredine corruptum et exesum, quare nonnisi partem eius legere nobis contigit.*

3) idoneus. FR. 4) Legendum puto *acigunna*, id est acuens arma, sive urbs bellicosa, nam gunna machinam bellicam denotat. Roma autem, ob quam titulo Romani imperatoris insigniebatur Heinricus IV. laude militari semper enituit. FR. Falsum; nam, sicut V. Cl. C. L. Grotefend monet, neque de imperatore Heinrico, sed de principum Teutonicorum aliquo, neque de Roma, sed de Germaniae quadam sede episcopali Benzonem loqui patet. Syllabis vocis *Acigunma* transmutatis habes *Maguncia;* summus igitur princeps, quem Deus ad faciendas maiores res mittit, est Ruthardus archiepiscopus Moguntinus, electus a. 1088, consecratus d. 25. Iul. 1089.

INDEX.

SCRIPSIT ROGERUS WILMANS PH. D.

TABULARIO REGIO MONASTERIENSI PRAEFECTUS.

Maior lineam paginam, minor lineam cum quatuor sequentibus significat.

A.

B.

C. cf. K.

D. cf. T.

E.

F.

G. cf. W.

I.

K.

N.

S.

T. cf. D.

U. cf. Hu.

V. cf. W.

W.

GLOSSARIUM

SCRIPSIT ROGERUS WILMANS PHIL. D.

TABULARIO REGIO MONASTERIENSI PRAEFECTUS.

accepta via, i. e. a coepta via 91.55. 92.15.
accrescere i. e. adiungere 285.30. 307.55.
actionarii 530.45.
adeo i. e. valde 305.20. 306.40. *usque adeo* i. e. usque eo 309.30.
admittere preces i. e. emittere 298.30. 302.10.35. 310.35. *sumptus* 306.35.
adsentanea 299.15.
advivere 295.50. 305.35. 309.20. 311.35.
alleviamentum, allevamen 100.50.
ambitus monasterii, Umgang im Kloster 283.50. 284.5.
ambrones, luxuriosi 647.45.
ambulator albus, Zelter 116.40.
anaphus, calix 621.35.
analogium 284.20.
angaria, molestia 57.5.
angariare 58.40.
animaequior 296.20. 297.45. 299.40.
apollogium i. e. apologia 169.50.
argus, acer 22.140.
armiger 286.10.
astipulare i. e. confirmare 305.25. 313.45.
attrectare 345.55.
aurifrisium 285.20. 286.1.
baburrus, stultus 632.40.
baco 121.15.
baiulare, exercere 673.20.
bannitum ieiunium 147.15.
bannus 26.30. 27. 36. 141.5. 146.5. 183.15. 184.35.
baro 40.10.
basium, osculum 636.15.
bavosus, stultus 613.35.
bibere, potus 310.35.
bibliotheca i. e. biblia 172.15.
bicarius, Becher 128.5.
boga, boia 58.35.
braca, ital. *braca,* germ. Beinkleider 120.10.
brandeus i. e. velum 368.25.
brasium 121.15. 126.25.
brustum aurum 536.40.
burdones, muli 665.10.
caldaria, lebes 241.25.
camba, gall. *jambe?* 265.15.
caminata 327.25. 337.45.
camisia 120.10. 402.15.
capitanei 564.40. sive comites 577.35.
capitolium, capitulum monasterii 54.1.
cappa, habitus conversorum 81.20.
cappati, fratres seu exteriores 41.10. 48.5. 57.45.
cappellum, insigne archiepiscopi 25.285.
carrada 130.20.
carmula i. e. seditio 8.1. 87.10.
carnifaria coquina 50.5.
casale 544.5.
casubula, gall. *chasuble* 301.20. 312.20. 313.5.
casula 286.
cataputia, medicorum pillulae 639.10.
catharus, Ketzer 642.10.
census dominicus 380.15.
certamen habere i. e. curam 10.5.
cervisia 130.20.
cespes, praedium 307.20.
clericellulus 434.15.
clusa, fauces montium et munitio ibi facta 74.45.
ciborium 235.1.
cifus 148.40.
cingulum militiae 295.25. 310.5.
columnae i. e. hominum turmae, gall. *colonnes* 589.30.
compariorum, iudicium i. e. parium 66.40.
cophinare, in corbes colligere 679.1.
cornizare, cornu inflare 287.40.
coltis, ital. *cotta,* germ. Kutte, Rock 120.10.
cretica, dies i. e. critica 83.5.
crux, pars ecclesiae 285.30.
cuba, germ. Kufe 325.20.
curia, villa 73.5.
curtis, villa 78.5. 307.45.
curtis i. e. curia regis 328.1.35.
curtilis locus 380.5.
cyniflones, stolidi 644.45.
dehabere i. e. non habere 295.5. 298.10. 300—302.15. 304. 306.40.
defunctio 385.5.
desentia? 168.45. 172.1.
dictare sententiam, legem dare 309.15.
diffamari, fama ferri 315.30.
diffidare 23.205.
dominicalia episcopii 36.20. 73.20.
ducatus, Geleit 26.30.
duricors 288.1.
emax, cupidus emendi 607.1.
enceniae, dedicatio ecclesiae 307.20.
ephod, vestis sacerdotalis 665.1.
equiperare i. e. aequiparare, par efficere aliquid alicui 97.50.
estuarium i. q. caminata 57.20.
exercitus, ducatus 121.35. 123.10.
exlex 424.10.
exsufflare spiritum 314.45.
fano, die Fahne 265.5.
fiscus, praedium 82.15.
fraglantia 313.1.35.
fraglare 313.5. 341.30.
Frisia chlamys 602.25.
galilea, porticus, gall. *galerie* 546.40.
galumna i. e. lac 168.30.
geniceum 122.20.
gerontus, senex 381.35.
geronta, grandaeva 323.35.
grabatus, lectum 638.5.
gressibilitas, 92.55.
gualdus, germ. Wald 563.20.
guerra 21.115. 23. *v.* werra.
gurgulio, curculio 645.40.
gurgustium, locus coarctatus ad capiendos pisces 639.20.
gybra, homo 679.20. *v.* protogibra.
hama 136.5.
helfo, adiuva nos 603.1.
herbidus, nova gramina proferens 640.10.
hominium 66.
humanitas 441.15. 448.40.
inbannire, banno constringere 26.20.
inrectus 392.20.
intermisse, sine intermissione 645.20.
kirica, germ. Kirche 178.5. 195.15.
kliotetra, sella plicatilis 326.10.
laia, idem atque *lagia* i. e. semita 567.25.
lamisium, lamentatio 638.15.
larvare, larvale 59.20.
laudare papam i. e. sibi eligere 81.40.
leuca, *leuva,* leuga, gall. *lieue* 5.15. 79.50.
levigare 606.10.
licere, permittere 13.25.
lipsanae, reliquiae 299. 307.50. 309.50.
lito 137.40. *litus* 130.5.10.

magister i. e. dominus 380.15.
magistrare 562.20.
maldri, Malter 119.20. 121.15.
mallus 121.10.
malman Saxonice dicitur homo liber 158.10.
mancianum, μαντεῖον, augurium 655.20.
mancipium annuale, census 95.55.
mango, machina bellica 56.
mansio 547.15.
mantica, sacculus 614.35.
manzer, spurius, nothus 646.5.
marcha 119.40. 120.35.
marchia 160.10.
marchisus 293.45. 294.25. 296.45. 300. 310.
martellus, malleus 59.55.
mastruca, Sardorum vestis pellita 621. 35.
matricularius i. e. custos 351.25.
memoria, sepulchrum 102.50.
mensales oblatae, hostiae 327.25.
militia i. e. vassi ecclesiae 204.35.
minare, gall. *mener* 328.20.
ministeriales 35.30. 36.20. 39.45. 44—46.10. 49. 56.15. 66. 68.10. 75.30. 82.50. 95.5.
ministri (= ministeriales) 66—68.5. 72. 20. 80.50.
minutiae 121.15.
mixolidium, lucerna 636.5.
moderna tempora 308.20.
modicum i. e. multum temporis 309.10. 312.20.
morasticon vel *dorasticon* 322.45.
mundiburdium 78.35. 110.1. 126.25. *mundiburdia*, chartae 630.35.
mulbom, sycomorus 400.5.
munitas, munitio? 128.10.
nimietas 204.35.
Nithart, latina lingua sonat *odiosus* vel *valde malignus* 385.50.
nonni, *nonnae* 28.45. 154.1. 192.35. 393.30.
notare 393.10.
obedientiae, officia monasterii 294.1. 301.30. 318.40. 322.30. 324.20. 325. 20.
obrizum, aurum purgatum 622.15.
onichina vasa 235.1.
opilare, lacerare 658.50.
pacientia, passio 611.30.
pallium pretiosum, sericus ornatus 379. 35. 386.15. 412.25.
papilio, *pavilio* 237.40. 590.1.
paramenta 234.10. 235.1.
paramonarius, custos ecclesiae 284.5.
parata i. e. mansio 158.1.
parificare, aequare 89.30.
pascualis ager 314.10.
passio, Leidenschaft 376.45.
patella salis 39.40.
pathnulia, stabulum a graeco φάτνη 639. 10. 646.45.
patria, terra 313.5.
patrissare, patrem imitari 649.5.
pedones, ital. *pedone* 544.25.
pensius, impensius 59.15.
perdonare, gall. *pardonner* 537.25.
perna 121.30. 130.10. 131.5.
perhypsima, res vilis 651.45.
pertinens homo, der hörige Mann 128. 20.
phenestella 606.10.
pilosi, daemones 608.10.
pinsare, contundere 662.15.
placitum, conventus 450.25. 452.15. iussio 444.15. professio 406.10.
poledrum 121.10.
polinctorium, cimeterium 284.25.
porcarana, porcarium 663.25.
portarius, ianitor 298.10. 314.1.
praebenda 453.15.
praeparatura 149.40.
praetor, comes 336.
precaria 479.25.
pressurae, angustiae 69.45. 71.45. 72. 35.
prestaria 535.40.
pretexatus, praetaxatus, praedictus 91. 1. 92.15.
pretextatus, eodem sensu 90.5.
protogibra, primus homo 674.1. *vide* gybra.
pulsare, accusare 69.15. 76.20.
pytacium, tabula fusili pice illita ad exarandum, scheda 623.20.
quot kalendis i. e. quibusque 312.40.
rationale, ornamentum episcopale 39.35.
recordari (record) 576.45.
rectum, das Recht 451.40. 453.10.
refraganeus, refractarius 100.25.
rementus, in memoriam revocans 662.1.
renones, vestes ex pellibus confectae 621. 25.
rigus i. e. rivulus 567.25.
rocca 563.5.
rubeus, ruber 286.1.
runcantes s. grunnientes 338.35.
runcina, clibanus 656.35.
runcinus, equus vilis 79.10.
rutrifer, ruricola 660.10.
sarabara, braccae quibus crura teguntur 614.35.
sarcile, vestis sacerdotalis 327.25.
sarta, tectis 307.45.
saugmarii, Säumer 55.10.
scapulare 323.55.
schefrecht 24.1.
senior, dominus 13.5.
serviens, armiger 63.35. 69.30. 70.5.
sicera 148.40.
silicernius, senex 659.15.
sirma, σύρμα, ambages 168.30.
sistarciolus, sacculus 37.15.
solarium, Söller 135.10. 547.15.
solatium, auxilium 293.40.
species, unguentum, germ. Spezerei 60. 10.
Spanisca animalia 583.50.
sparonisti, milites hastati, a germanico Speer 635.20.
spinnelpoum 210.25.
staupi, pocula 9.30.
sterzer, hypocrita 216.55.
stropha, simulatio 397.30.
subarrare, arrhabone desponsare 398.1.
subgrundaria, sepulcra infantium 604. 10.
suscipere beneficia 66.35.
synochus, morbus 83.5.
talio 149.50.
tempesta nox 297.20.
terampetia, sanitas 636.5.
tertium genus, charta 540—542.15. *tertiogenerum* Romani vocant 543.25. 544.5.
thimallus piscis, germ. Asche 678.15.
tornaria, idem atque *tornatura*, id est modus agri 563.15.
tribuni civitatis Wirzburg. 379.45.
tumba 22.145. 28.65. 88.30. 91.35. 92. 97. 102. 103. 241.
untiuncula, Schmierstiefel? 120.10.
valvassores 272.1.
vappae, homines inutiles 648.10.
veniam agere 204.25. *vide not.*
veredarii 614.45.
vicedomnus 150.20.
villa, Stadt 450.30.
vorewerc 120.45. 159.20 sq.
wanburtich i. e. spurius 155.15.
werra 58.10. *v.* guerra.
zaberna, arca vel capsa ex tabulis ligneis confecta 669.25.
zebelina tunica 131.25.

ADDENDA.

Pag. 3.14. **Integrum hunc libellum ex** optimo codice hist. eccl. 148, cum inscriptione **illa pag.** 6.1. **edidit Stephanus Salagius post librum IV de statu ecclesiae Pannonicae,** Quinqueecl. 1780. **4.** — 6.48. Miracula **S. Vitalis post Canisium** denuo **edidit Ant. Tinnebroek in Actis SS.** Oct. **VIII,** 913. cum amplo commentario de **temporibus sancti Rudberti.** — **232.40. Scriptor codicis B1.** quem **a. 1853 ipse inspexi,** post *fore* curis secundis **inseruit** *ecclesiarum.* **Deinde constituit.** *Predictum vero* et *sublimavit* **in loco** raso **scripta,** *et Colocensi episcopatui prefecit* eodem tempore adiecta **sunt.** — **233. 56. Corona illa d. 8. Sept.** a. 1853 reperta et Pesthinum reportata est. — **239.30. Stephanus rex Ungariae inscriptus est Annalibus necrologicis Fuld.** et **Necrologio Altahensi** ad d. 15. Augusti. — **240.31.** Verba *Completo* — *ieiunio* **in loco raso** scripta **sunt B1.** — **241.7.** *Hic inserendum — accepit* in **B1.** folio inserto manu eadem **scripta sunt.** — **538.52. ad verba:** (Otto II) *cuidam abbati nomine Adam illud commendavit* adnotandum: „**diplomate** dato **Capuae** Non. **Nov. 983 quod est in tabulario ecclesiae Asculanae; nam Adam** iste abbas Sanctae Trinitatis **postmodum cathedram Asculanam ascendit.**" — 596.40. **addo: „Alius denique locus** post mortem **Adelheidae** comitissae, **hoc est post annum 1091 (cfr. Bernoldi Chronic.** s. h. a. **Monum. Germ. SS. V, 453.), compositus est; legimus enim libro VII. cap. 7** (cfr. **supra 680.29):**

Adelegida, quae nunc est inter choros ovium
Quae consistunt ante matris Iesu Christi solium,
In honore Salvatoris condidit coenobium."

CORRIGENDA.

Pag. 37.59. c. 5. *lege* c. 7. — 240.32. ergo *l.* igitur. — 280.21. *l.* vita Theoderici Andaginensis, edita Mon. SS. XII, 36. — 284.54. *not.* 14. *l.* Theoderici Andaginensis cap. 8. — 607. *adnotatio* 51 *delenda.*

HANNOVERAE . DIE . XIIII . NOVEMBRIS . ANNI . MDCCCLIIII.
TYPIS . CVLEMANNORVM.